BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Juan, de Jesús Maria, 1564-1615

Ven. Patris Fratris Johannis a Jesu Maria ... opera omnia

Bd.: 3. (1774). - XIV, 723 S. : Ill.

Florentiae 1774

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/2Theol.syst.99(3

urn:nbn:de:bvb:12-bsb11059655-6

Staatl. Bibliothek
Regensburg

EX BIBLIOTHECA
CONVENTUS RATISBONENSIS
CARMELITARUM
DISCALCEATORUM.
K. 13.

VENERABILIS PATRIS FRATRIS
JOHANNIS
A JESU MARIA
OPERUM
TOMUS TERTIUS, ET POSTREMUS.

VEN. PATRIS FRATRIS
JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITAE EXCALCEATI CALAGURITANI
OPERA OMNIA
POSTREMA HAC EDITIONE AUCTA, ET ILLUSTRATA

PER

P. FR. ILDEPHONSUM A S. ALOYSIO

EIUSDEM ORDINIS IN ETRURIA PRAESIDEM.

TOMUS TERTIUS.

ZELO
ZELATUS
SUM PRO
DOMI
NO
DEO
EXERCITUUM

FLORENTIAE MDCCLXXIV

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS APUD CAJETANUM CAMBIAGI

PRAESIDUM FACULTATE.

Staatl. Bibliothek
Regensburg

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

ANDREAE CORSINIO

S. A. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

ET CARMELITARUM ORDINIS PROTECTORI &c. &c. &c.

FR. ILDEPHONSUS A S. ALOYSIO CARMELITA EXCALCEATUS, SALUTEM.

Quod dudum ardentiſſimis votis mihi optaveram, Eminentissime Princeps, ut ſtudiorum meorum partem aliquam praeclariſſimo Tuo Nomine adornarem, & prae-

praepotenti patrocinio communirem, id modo praeſentiſſima mihi facit occaſio, quum Te univerſus Carmelitarum Ordo Protectorem adceptiſſimum nactum eſſe adclamat, & conlaetatur. Nimirum verſabam iampridem animo antiquum CORSINIAE Gentis ſplendorem, quae primaevam, communemque Patriam Florentiam cum rebus domi, foriſve optime geſtis, & glorioſiſſimis muneribus pro Eccleſia, pro Republica egregie functis, praeſertim autem recenti Pontificia, & Praetoria Regni Siciliae dignitate, aliiſque innumeris magnificentiſſimis oneribus, tum vero maxime quod bonarum artium, & litteratorum hominum, ceu tutiſſimum Minervae Templum, generoſum aſylum, & nulli umquam non reſerata domus haberetur, incredibili ornamento longe, lateque auxerit, inluſtrarit, amplificaverit: Verſabam Eminentiſſimam hanc, Purpuratamque Amplitudinem Tuam, cumulatis profecto meritis partam, eximiis virtutibus decoratam, & ſummis Romanae Curiae praefecturis, omnium gentium admiratione, in dies crebreſcentem. Verſabam demum vetuſta, & continentia in totam Carmeli mei Familiam CORSINIAE DOMUS beneficia, ſtudia, ſollicitudines, ex quo Divum illum Andream Feſulanorum Epiſcopum, quem ſuaviſſimis moribus non ſecus, ac adpellatione aemularis, illi fortunatiſsime dedicavit. Quibus omnibus vel leviter, & imperite indicatis, quae Te, Cardinalis Ampliſsime, Gentemque Tuam, toto iam orbe percelebrant, etſi ambitioſe me provocari, nimio tamen earumdem rerum ſplendore, ac magnitudine obprimi contra, atque deterreri ſentiebam, ne tanti nominis Principem mihi auſpicari auderem. Verum poſtquam a Te illa omnium noſtrum clientela liberaliſsime ſuſcepta eſt, quum inde factum intellexerim, noſtra quaecumque, etſi tenuia, & abiecta, Tua ſupremo quodam iure evaſiſſe, quumque heinc pro tanto munere geſtientes quaquaverſus gratulatione Sodales meos circumſpiciam; quomodo non ſeſe in Tuum convolabit ſinum poſtremus hic meus in Opera Ven. P. Johannis a Jeſu Maria labor, & veluti aeternum non meae tantum, ſed & totius Excalceatorum Ordinis obſervantiae monumentum Eminentiae Tuae non conſecrabitur? Nam etſi humile illud ſit, & Celſitudine Tua longe impar, nobis tamen inter cariora computatur, quod primus poſt Divam Parentem Familiae noſtrae editus Scriptor habeatur, Romae praeſertim ſuo tempore laudatiſsimus. Accedit, quod ea, quae in hoc Volumine aguntur argumenta, Coenobiticae Vitae plerumque regimen, & inſtitutionem ſpectant, quae ad Te, novo quodam auſu, videntur perfugere, qui non noſtri tantum, ſed plurium Monaſticorum Coetuum Tutelam amantiſsime geris Excipe igitur, avita Generis Tui humanitate, munuſculum, quod tot titulis Tuum eſt, atque in eo cum omnium meorum, tum mei ſingulariter perenne venerationis ſtudium, quo Eminentiae Tuae ſoſpitem, diuturnam, felicemque vitam bono publico, Eccleſiae decori, Ordinis noſtri incremento, a D. O. M. adprecamur, intuere.

AD LECTOREM

PRAEFATIO.

TErtius, ac poſtremus Tomus, Deo Auſpice, iam prodit Operum Ven. P. Noſtri Iohannis a Ieſu Maria, cui exornando, perficiendoque quid induſtria, & ſtudio noſtro praeſtitimus, edicent praefixae ad ſingulos Commentarios Praemonitiones. Heic tantum benevolum Lectorem monitum volumus, bifiariam Volumen hocce dividi ita, ut prior eius Pars ea, quae ad Monaſticam inſtitutionem ſcripſit, complectatur; altera, quae vario, incertoque argumento ſive poſtulatus, ſive ſponte, ſive e re nata diverſis temporibus exaravit; quae quidem ut omnium hominum ſtatum, ita eruditorum quoque virorum curioſitatem facile captabunt, atque pellicient. Putamus autem, aut nobis vehementer blandimur, omnia, & ſingula, quae Ven. Scriptoris huc, illuc ſparſim obſcura, & inedita latebant Manuſcripta, nos amicorum, & ſodalium noſtrorum humaniori ope, hoc tandem libro exhauſiſſe, ne minimis quidem neglectis fragmentis, quae a tanto Viro ſupererant: nam praeter pleraſque Epiſtolas, quibus inter caeteras locum dedimus, multa etiam alia varii generis argumenta in conſuetam ἀνεκδότων Appendicem congeſſimus. Ne quid autem etiam praeteritarum editionum relinquatur optandum, heic more noſtro ſtatim ſubiicimus, quae alios Colonienſis Conlectionis Tomos praecedebant. Accedunt quoque ad calcem Voluminis Indices cumulatiſſimi non Tractatuum modo, & Capitum ſingulorum, ſed etiam locorum Sacrae Scripturae, & rerum memorabilium cum hujus, tum ſuperiorum Tomorum. Errata demum aliquot Typographi, quae in eorum peculiares Indices, nobis alio diſtractis, irrepſerunt, ibi diligentius emendantur. Vale, atque his omnibus bene utere.

ADMONITIO TYPOGRAPHI
AD LECTOREM
SECUNDO VETERIS EDITIONIS TOMO PRÆMISSÆ.

Habes, benevole Lector, in hoc ſecundo, & tertio Tomo, omnia Rev. Patr. Ioannis a Ieſu Maria, quae ad manus meas devenerunt, Opuſcula, partim aſcetica, & ſpiritualia, partim moralia. Inter quae, haec, quae ſequuntur &c.

Tu vero, benevole Lector, omnia perlegito, & conatum meum in congerendis huiuſmodi libellis approbabis. Laconicam brevitatem in iis ne deſpicias, ſed ſuccum, & medullam, quem revera continent, exſugito. Et quae alia, a viro continuo debili & languido, Deo ipſum velut aurum in fornace perpetim excoquente, plurimis ſemper occupationibus diſtento, ut qui ad Novitiorum, & totius tandem Congregationis regimen admotus, magna cura & induſtria, laboribus continuis, e lectulo etiam, cui ob infirmitates maiori ex parte affixus erat, genuinum B M. Tereſiae Spiritum, & Religioſam obſervantiam conſervare, & promovere non deſtitit; quae inquam alia niſi ſuccincte ſcripta, expectari poſſunt? Non igitur molem, & farraginem verborum, & ſententiarum, ſed pondus, & energiam diſquire, & abunde tibi ſatisfactum reperies.

Vale, benevole Lector, & meo conatu fruere. Coloniae Agripp. ipſis Kal. Sept. M. DC. XXI.



VETERIS EDITORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA,

QUAE QUARTUM TOMUM PRAECEDEBAT.

Reverendiſſimo ac Generoſiſſimo D. D. HENRICO Baroni de Ruyſcenbergh, Domino in Setterich, Hermulheim, Eltzen Oedinghoven &c. Sacri Ordinis Teutonici Militi, & Ballíviæ Confluentinæ Provinciali Commendatori &c. Necnon Illuſtriſs. ac Excell. D. D. JOANNI item Baroni de Ruyſcenberg, Domino in Setterich, Rheenn, & Winnenberg &c. S. C. M. Conſiliario Bellico, Campi Marſchallo Generali, Geminis Fratribus, Patronis ſuis Opt. S. P. D. F. F. A. R.

NEſcio quo fato, at meo certè voto, venêre meas in manus, ſupremam tandem manum acceptura viri cum doctrina, tum virtute magni hæc Opera. Viderant olim lucem alia plurima eiuſdem Authoris, & lucem orbi cum dediſſent plurimam, ſibi quoque non minimam meruerant: quæ in ſuum Candelabrum, quadam veluti reverberatione refuſa, ne modium quidem, ſub quo latuerant, ſui participatione deſtituit. Bonum factum. At enim dum hæc præbent, viciſſimque recipiunt lucem: plures qui illo lumine lumen veritatis, ac pietatis aſpexerant, cum & alia ſupereſſe ſcirent, cenſuerunt è publico bono, uti de ſcriniorum latebris eruta, & a blattis, quibuſcum pugnabant, operoſe vendicata, in apertam lucem emanarent, ac per obſcuram prælorum fuliginem, in orbis theatro felici auſpicio promicarent. Pientiſſimo voto manum opportune porrexit e noſtris Theologis vir equidem non obſcurus. Excuſſit pluteos, examinavit archiva, & undique quæcunque haberi poterant conquiſivit. Multa reperit, reperta digeſſit, digeſta compegit, compacta recenſuit, porro recenſita cogitabat ipſe publice dare, at aliò per alia ſevocatus, quod bene occeperat ad umbilicum educere non valuit. Ille ergo (tanquam in lampadodromico certamine lampada curſu traderet) eam mihi provinciam demandavit, & ô, inquit, ſuccede ſodes, da noſtris hominibus, da cæteris, da tandem publico bono hunc laborem, feret ille ætatem, teque plenum boni meriti, tranſmittet ad poſteros, imo digniſſimum gloria æternitati tranſcribet. Quid agerem? malui ſupra vires audere, quam Amico quod pie poſcebat, vultuoſe negare. Parui, ſucceſſi, ac (ut ita loquar) in extinctam lampadem in meta ſtiti.

Porro cogitanti cui potiſſimum tholo, pro ſæculi noſtri more, opus appenderem, occurriſtis vos, gemini Fratres, a natalibus, a virtutibus, ab hæroicis domi, militiæque factis eatenus illuſtres; plane ut utrumque uterque poſſitis, cum lucem infundere ad ſplendorem, tum umbram offundere ad tutelam.

Ad vos ergo cucurri, & recurri, utrumque munus ad finem utrumque qua decet humilitate efflagitans. Nec enim eſt cur geminos illos Tyndaridas pulvinaribus, vel aris honorem. Fuerit priſcorum Nautarum iſta Religio. Ego non a littore, ſed a littera ſolvo. Proinde non proſpera littoribus Numina Caſtorem, & Pollucem; ſed æqua litteris nomina Ioannem, ac Henricum expoſtulo. Ab horum auſpiciis affatim mihi umbræ, operi ſatis lucis accedat, uti ego quidem ſecutus, illud autem illuſtre evadat, imo illuſtrans ad pietatem, quacumque patet, univerſum. Nam veterem paræmiam, quæ pietati inter arma nullum locum facit, palam uterque erroris convincitis, qui arma veſtra non alii, quam ei virtuti vel aſſerendæ exeritis.

Et tua quidem Henrice uſque adeo pia ſunt, ut etiam Religioſa dici queant, imo & debeant. Quis neſcit ſacram Teutonicorum militiam, pro vera Religione in Eccleſia Dei haberi, ac reapſe eſſe? Atqui tu in illa non dumtaxat agis, verum etiam imperas, Commendatoris & titulo inſignis, & merito clarus, & opere illuſtris.

Porro tuam (Ioannes) Pietatem hoſtes fidei ſimul, & Patriæ loquuntur, dum obloquuntur: Germania laudat dum confitetur, Cæſar agnoſcit dum admiratur, Deus ſuſcipit dum muneratur. Quid quæruntur teſtimonia? Quamdiu ſtabit Wolffenbuttl, erit pro teſte, pro monimento, pro tropheo, huic præſertim virtuti, a tua magnanimitate, fide, induſtria, ad æternitatem erecto.

Habete ergo, Pientiſſimi, ac illuſtriſſimi Fratres, habete, inquam, pios valde libellos, viri itidem pietate inſignis: &, quomodo ſoletis, ferte in oculis, fovete in ſinu, terite in manibus: ut pietatem, quam illi ſtylo docent, vos armis tuemini, adhuc altius cordibus imprimatis, luculentius operibus exprimatis. Valete, & poſt omnia ſcitote, me vivere veſtrum in Domino ſervum & clientem.

CENSURAE, ET FACULTATES

ANTIQUAE COLONIENSIS EDITIONIS.

ADmirabilis viri Admodum Reverendi Patris Ioannis à Ieſu Maria Ordinis PP. Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Praepoſiti Generalis admirabilia vidi & legi Opera, miratuſque ſum ſimul cum omnigena divinarum humanarumque rerum peritia incomparabilem illam pietatem, quae per omnes paginas ſuaviſſimè diffluens, cæleſtis balſami fragrantiam, ſtylo ac phraſi D. Bernardi abundè diſpergit, adeò ut meritò Carmeli Annales lib. 2. cap. 37. ſic eum commendent: *In hoc viro, ſi modo ſanitas corporis fuiſſet, haberemus ſimul & ſemel S. Thomam Aquinatem, & S. Gregorium Nazianzenum: tanta fuit eius in Theologicis profunditas, tanta in dicendo maieſtas.* Ita cenſebat infra ſcriptus, qui pientiſſimum Patrem ob ſanctitatis famam olim in Urbe frequenti congreſſu religiosè veneratus eſt. Datum Coloniæ ipſo S. Alberti Confeſſoris die feſto, Anno 1649.

Casparus Munsterus Epiſcopus Aureliopolitanus,
ac Suffraganeus Oſnabrugenſis, ex Ordine Carmelitarum aſſumptus, SS. Theologiæ Doctor.

QVartus hic Tomus Reverendi admodum P. F. Ioannis à Ieſu Maria, Carmelitæ Diſcalceati, Aſcetica Complectens Opuſcula, tam Catholicæ fidei, quam morum honeſtati, congrua tradit, & utilia: Idcirco, ut Lectores pii Quadrigæ hujus beneficio, in Cæleſtium rapiantur deſideria tabernaculorum, luce publica donari poterit. Coloniæ 10. Septemb. 1649.

Henr. Francken Sierſtorpffius SS. Theol.
Doct. Gymnaſii Laurentiani Regens, Librorum Cenſor Ordinarius.

EVolvi, qua potui diligentia, quartum Tomum Librorum Aſceticorum, quos Venerabilis Pater ac Dei ſervus, Ioannis a Iesu Maria, vir vitæ ſanctimonia ac doctrina incomparabili clariſſimus, & verè Theodidactus, in cælum abiens terræ poſthumos reliquit. Iudico illos Laudatorem potius, quam Cenſorem poſtulare: ſiquidem in iis, praeter eximii ſtyli fælicitatem, igneum Authoris ſui ingenium, Apoſtolicum, quem ſingula opuſcula redolent, ſpiritum, cæleſtem in Aſcetarum directione ſapientiam, in ſuggerendis conſiliis raram & canam prudentiam; Theſaurum reperi Doctrinæ ſanæ, nihilque quod Orthodoxam fidem offendat; plurima vero, quæ eamdem mirifice promoveant, adverſus Religionem & mores nulla, pro Religione & moribus, multa ſatis, & egregia, quæ ædificent, quæ proſint, quæ inſtruant, quæ delectent, & ut una voce dicam, nihil non ſui Auctoris aureum, elegans, pretioſum: ut mirum ſit, ante ultimam, hoc Tomo contentis opuſculis impoſitam manum, ſingula ſic terſa, polita, adeoque elegantia, & compta adeo, præter illa, quæ extrinſecus erant inſtantia illius quotidiana, & ſollicitudinem omnium Congregationis, ſive Eccleſiarum, quæ illi, (utpote Generali Ordinis totius Paſtori) incumbebat, prodire potuiſſe. Sed, ut apparet, cæleſtis & generoſus huius magni Viri hic fuit genius, gaudere, modo liceret, perpetuis, pro Dei gloria, Eccleſiæ Catholicæ, & Ordinis ſui amplitudine, laboribus, curiſque agitari, atque inſtar cordis, aut cœli, ſemper moveri, & quod Veſpaſianus, Suetonio teſte, dixit: *Stans mori.* Quocirca cum Pacato in Panegirico Theodoſii, dicere mihi liceat: *Gaudent divina perpetuo motu & iugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem*, Venerabilis huius Servi Dei *natura eſt, & ut indefeſſa vertigo cælum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſol ſtare noſcit*, ita hic Vir Dei, *continuis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exerceri gaudebat.* Unde de omnibus hoc meum votum eſto, de iis nequaquam dubitandum, prælo committi mereantur, nec ne, ſed digna prorſus eſſe, quæ lucem potius proferant, quam videant, idque neceſſario magis, quam utiliter. Sign. Coloniæ in Carmelo noſtro Anno 1649. Ipſo feſto Beatiſſimæ ſemperque Virginis Mariæ fæliciſſime natæ

Fr. Jacobus Emans. Ord. Carmelitarum SS. Theologiæ in Univerſitate Colonienſis Doctor & Profeſſor Ordinarius, nec non ſtudii Generalis eiuſdem Ordinis in Conventu Colonienſi, ac Gymnaſii Mariani pro tempore Regens.

F. Gerardus a S. Luca Provincialis Provinciae SS. Sacramenti in Germania FF. Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimae Virg. Mariae de Monte Carmelo, Congregationis S. Eliae.

Cum *R. P. F. Paulus ab omnibus Sanctis*, Congregationis noſtræ Sacerdos, magno ſtudio varios Tractatus, & complura Opuſcula *Venerabilis Patris noſtri Ioannis a Ieſu M.* inſigni pietate, atque eruditione multiplici referta, & per varias Provincias diſperſa, ac hactenus numquam edita, conquiſierit, collegerit, recenſuerit & in unum volumen digeſſerit, quod Operum eiuſdem Venerabilis P. noſtri *Tomum quartum* conſtituet: Ego, ne ullus tanti Viri, ac de Eccleſia Dei, Religioneque noſtra optime meriti labor, ac partus intereat (cuius ne brevem quidem ſchedulam deperire, æquanimiter ferendum) poteſtate ad id mihi facta a *R. Adm. P. Laurentio a S. Elia Præpoſito noſtro Generali*, facultatem concedo, ut dictus *Tomus quartus*, gravium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur; ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedi. Viennæ Auſtriæ 10. Martii, Anno 1648.

F. Gerardus a S. Luca.

IN SEQUENS OPUS PRAEMONITIO.

QUI in caeteris Dionyſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, agere, in hoc de Monaſtica Diſciplina argumento Baſilium, Bernardum, alioſque Scriptores eiuſmodi aemulari mihi viſus eſt Iohannes noſter; niſi forte quis velit perſpicaciorem, planiorenque methodum in ipſo demirari. Ab eo qui ſequitur, de Monaſtica Diſciplina, *Commentario Volumen iſtud auſpicamur, non tam temporis ordinem, quam Operis materiem inſpicientes, quae aliorum eſt ſolidi inſtar fundamenti. Hanc latine exaravit Vir laudatiſſimus ſub finem ſuae generalis Ordinis Praefecturae, ſcilicet longa iam foetus rerum Monaſticarum experientia, in Quirinali ſucceſſu, anno 1614. ut ipſe ſatis declarat in praevia dedicationis epiſtola, utque ex eius Vita, priori horum Tomo praefixa, cap. 21. habetur; quamquam non ante annum ſequentem 1615. e typis Iacobi Maſcardi Romae primum publici iuris facta eſt ſingulari libello in 8. eumque amantiſſimo ſucceſſori ſuo, Ven. P. F. Ferdinando a S. Maria conſecravit; qui eorum unus eſt, quos ille praeſignat in fine cap. 2. prim. par. huius Operis, eos leonibus fortiores in Regulari palaeſtra iure depraedicans. Pluries forte alibi vulgata eſt; ac tandem in veteris omnium Operum Collectionis Colonienſis Tomo altero legebatur a pag. 88. In Italicum quoque ſermonem a noſtro P. Fr. Baſſiano a S. Franciſco Mutinenſis Coenobii tunc Praeſide translata, ac Praeſuli, & Monachis Cartuſianis Bononienſis Monaſterii dicata, Mutinae eadem forma impreſſa per Vivianium Solianium paruit anno 1672. Prioris autem editionis facultates praedictae, & cenſurae hae ſunt.*

„ Fr. Ferdinandus a S. Maria Praepoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congrega-
„ tionis S. Eliae, concedimus, ut liber hic de Diſciplina Monaſtica a R. P. F. Ioanne compoſitus,
„ tipys mandetur, ſi placuerit Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii. Datum Romae 26. Se-
„ ptembr. 1614.

„ Fr. Ferdinandus a S. Maria Praepoſitus Generalis.

„ Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

„ Caeſar Fidelis Viceſgerens.

„ Ex commiſſione Reverendiſſ. Patr. Fr. Hyacinthi Petronii Romani Sac. Palat. Apoſt. Mag.
„ vidi, ac diligenter perlegi librum R. P. Fr. Iohannis a Ieſu Maria Carmelitae Diſcalceati, cui ti-
„ tulus eſt de *Diſciplina Monaſtica*, & nihil inveni quod Catholicae Fidei, vel bonis moribus ad-
„ verſetur, immo etiam cenſeo huiuſmodi Opus ad communem Religioſorum utilitatem typis omni-
„ no dignum; in quorum fidem his manu propria ſubſcripſi. Datum Romae die 6. Novembris 1614.

„ Fr. Vincentius Candidus Sac. Theol. Magiſter, & Conventus
„ S. Mariae ſuper Minervam Almae Urbis Prior.

Imprimatur.

„ Fr. Gregorius Donatus Romanus Lector, & Reverendiſſ. P. Fr. Hyacinthi
„ Petronii Romani Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri Socius.

VETUS AUCTORIS
NUNCUPATORIA EPISTOLA

ADMODUM R. P. N. FR. FERDINANDO A S. MARIA, CARMELITARUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS SANCTI ELIAE PRAEPOSITO GENERALI.

FR. IOHANNES A IESU MARIA S.

ARcanam Congregationis noſtrae ſtructuram, cum per triennium præeſſem, contemplatus, nonnulla concepi, quæ per exhortationes in Regulæ textum digeſta, omnibus quidem perfectionis Monaſticæ cupidis, ſed Prælatis potiſſimum, qui per hebdomadas ſingulas, in patrum conſeſſu ex more concionantur, prodeſſe poſſent. Hæc, uti dixi, concepta in Seminario noſtro Quirinali, quo valetudinis gratia ſeceſſi, modicum otii nactus exaravi: tibique, cui prælationis jure debentur, nuncupare conſtitui. Non floſculos reſperſi, non ornatum variæ eruditionis adiunxi, ſed quod (mea quidem ſententia) validiſſimum Chriſtianarum concionum robur eſt, rationes efficaces ad themata ſelecta pertractanda, contexere ſtudui, quibus animos ad noſtram diſciplinam retinendam, & perficiendam flecterem. Laborem ergo meum boni conſule, ac ſi perſpicaci viſu tuo exploratum probes, qua nam ratione in lucem edi poſſit, pro ſingulari qua præſtas, prudentia decerne. Clementiſſimus Deus te ad navis noſtræ clavum, quem tenes, feliciter regendum, quod impensè opto, incolumem ſervet, ac invictis viribus armet.

AUCTORIS PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SElecta Diſciplinæ Monaſticæ capita, quæ Monachis exemptum a mundi ſervitute vitæ genus ducentibus, cordi eſſe debent, per exhortationes multiplices, vario themate è textu Regulæ noſtræ petito, digeſſi. Methodus hæc eſt, ut habito thematis delectu, verbis aliquot exordii loco præmiſſis, mox rationes, quoad fieri poteſt, efficaces, quibus intellectus illuſtretur, & voluntas impellatur, ad propoſitum hortandum, dehortandumve ſubtexam. Denique inſto, ut tradita doctrina ad praxim derivetur, ac in hunc modum ſingulas exhortationes abſolvo. Ego concionum membra compegi: iis autem, qui labore hoc uti volent, non erit difficile, aliqua Scripturæ Sacræ effata, Sanctorum ſententias, ſimilitudinem, aut exemplum aliquod intertexere, ſi orationem exornare, & amplificare placuerit, quod adverſa mea valetudo non tulit. Precor Clementiſſimum Deum, afflet Spiritu ſuo lectores omnes, ſed Prælatos præſertim conciones habituros. Si enim Spiritus flaverit, doctrina ſolida nervoſis rationibus fulta ſubnixi, pectora (credo equidem) dura mulcebunt.

VENERABILIS P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA
CARMELITAE EXCALCEATI CALAGURITANI

DISCIPLINA MONASTICA EXHORTATIONIBUS DIGESTA

IN REGULAM PRIMITIVAM FRATRUM DISCALCEATORUM ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO.

PARS PRIMA.

De Prolegomenis.

CAPUT PRIMUM.

Præmonitio.

Scripta An. 1614.

Prælatus, qui in cœtu Monachorum è Regulæ textu in partes digeſto, ut mos eſt, doctrinam moralem elicere conſtituit, rectè aget, ſi prolegomena nonnulla præmittat, quibus animos ad tantæ rei æſtimationem excitet. Duo verò imprimis capita duabus exhortationibus expendet, juxta exempla ſubjecta, quæ non ad quippiam preſcribendum, ſed ad indicandum rerum pondus, & ad extimulanda ingenia Prælatorum, ut meliora ipſi excogitent, proponere, ac perſequi decebit.

Operis partitio.

A

CAPUT II.

Exhortatio ad Regulæ æſtimationem, & cuſtodiam.

Cogitanti mihi de dignitate Regulæ, in cujus textum aliquid promere conſtitui, ſubit imago quædam Chriſti ſtateram dextera tenentis, operaque noſtra, juxta ſyncerum Regulæ, quam profitemur, ſenſum trutinantis, quæ quidem imago Regulæ ipſius, ut rei plane grandis æſtimationem ingenerat. Re ergo altè perpenſa, multæ ſuccurrunt rationes, quæ ad Regulam plurimi faciendam, animoque altè imprimendam ſatis appoſitæ, & veris Monachis omnino ſuggerendæ videntur.

Regula dignitas.

B

Prima ratio.

Ratio prima. Ipſum nimis vulgatum, vix tamen, ut par eſſet, expenſum Regulæ nomen rei ſignificatæ dignitatem apertè pro-

Scripta An. 1614.

Similitudo.

prodit. Si enim norma architecti, qua regiæ aulæ partes diriguntur, tanti ſit, ut quicquid contra, vel præter illam extruitur, eo ipſo tamquam ineptum, ac deforme à bonis cenſoribus improbetur, totuſque fabricæ decor in ipſam referatur; quid de Regula morum, extra quam quicquid ejus profeſſores attentent, obliquum eſt, & cui domus Dei decor adſcribitur, ſentiamus? Res profectò excelſa, & pulchra eſt, quæ vivos lapides in Dei templum conſentientes proportione mira coaptat, & honeſtat.

A

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Status proprij æſtimatio nemini, niſi deliro fortaſſe alicui, poteſt non cordi eſſe. Porrò ſtatus cuique ſuus non temerè, ſed juſta præmeditatione tandem electus, bonum quoddam honeſtum videatur oportet. Non enim pictor, aut ſculptor ſeligit id vitae genus, quod ei dedecori vertatur, imò id præſertim arripit, quod honorificum, & lucri ferax exiſtimat. Cum ergo Monachus Diſcalceatus, conſultatione prævia, genus vitæ quoddam, Regulæ, à ſublimitate, & exacta perfectione commendatæ, addictum optaverit, neceſſe eſt, ut permagni faciat, quod ei coram Deo, Angelis, & hominibus dignitatem tantam, honoremque conciliat. Sanè ipſe Regulæ primitivæ titulus tam ſpecioſus, & virorum ſapientum præconiis exornatus eſt, ut rebus quoque humano more perpenſis, cordatus quiſque Monachus eum univerſis mundi honoribus anteferre debeat. Quo quidem ex capite quodammodo cogitur, ne ullo actu parum decoro, qui ſapientibus viris diſpliceat, ſe tantæ Regulæ degenerem profeſſorem exhibeat. Verùm graviora meditemur.

Sua cuique cara conditio

B

Monaſticæ vitæ excellentia.

Tertia ratio. Vita Monaſtica Apoſtolicæ perſimilis.

C

Ratio tertia. Quot ſententiæ in Regula proferuntur, tot ſunt prudentiſſima conſilia ad vitam Apoſtolico more inſtituendam, quod per ſe quidem notum, & communi ſermone celebratum eſt. Si ergo ad inſiſtendum veſtigiis Apoſtolicis mundo nos renunciaſſe fatemur, quomodo Regulam noſtram, velut Apoſtolicam doctrinam, ac proinde ut rem pretioſiſſimam non æſtimemus? Profectò, quàm deſpicabilia ſunt mundi conſilia, quibus vita humana vitiatur, tam ſunt pretioſa illa, quibus expurgatur, & cœleſti puritate perficitur. Norunt hoc veri mundi contemptores, qui diſciplinæ Monaſticæ laude olim claruerunt, quos pauci aliquot, ætate noſtra, in Regulæ cuſtodia æquare conati ſunt.

Quarta ratio. Singula Regulæ capita ceu Divina ſunt oracula.

D

Ratio quarta. Altiùs caput efferamus, obſervemuſque, ſingulas Regulæ præſcriptiones totidem Divinæ ipſius Majeſtatis oracula eſſe, ut ex origine ſpectetur Regulæ dignitas & majeſtas. Mihi certè perſpectum eſt, vos de hac re interrogatos conſenſione multa reſponſuros, capita Regulæ effata eſſe Dei per Regulæ ipſius conditorem, & ſummum Pontificem confirmatorem loquentis, humanæque ſapientiæ longè proculdubio antecellere, & qui aliter cenſeret, inter Inſtituti ſui deſertores reponi debere. Si ergo Regulæ capita oracula cœleſtia ſunt, quomodo cum modica eorum æſtimatione profeſſio noſtra cohæreat? aut quomodo non plurimus honor à Carmelita Diſcalceato ei deferatur?

Quinta ratio, ex Dei judicio.

E

Ratio quinta. Rationes allatæ quantumvis nervoſæ lentum fortè aliquem parum urgebunt, quod virtutis honeſtatem, ac Dei ipſius magnitudinem tenuiter agnoſcat. Optandum certè, ut in præſenti cœtu nemo ejuſmodi cæcitate laboret. At ſi quis adſit, conſideret ſaltem, quod ſub alia mataphora initio indicavimus, Regulam hanc lineam quandam eſſe, qua Chriſtus æquiſſimus Judex, & internorum affectuum cognitor menſurus eſt vitam, quam dicimus Regulæ ipſi à nobis ſpontè alligatam. Meditetur, quam debeat æſtimari linea hæc, ad quam, ſi Cœnobitica diſciplina exigatur, in univerſi mundi theatro Monachus à Chriſto ipſo laudandus, & inter invictos milites recenſendus, vel à contrario, æterno anathemate, à conſortio Sanctorum arcendus eſt.

Obſervatio.

F

Hactenus produximus rationes, quibus intellectus ad Regulæ æſtimationem inſtruitur, & voluntas incipit emolliri. Nunc voluntas ad praxim acriùs urgenda eſt, juxta prudentem bonorum concionatorum uſum, qui in poſtrema concionum parte affectum potiſſimum excitare, ac inflammare nituntur: qua certè methodo in aliis omnibus exhortationibus utemur.

Audiſtis, Patres, contextum rationum, quibus evincitur, Regulam noſtram non rem aliquam vulgarem, ſed egregiam, eximiam, ac planè cœleſtem eſſe, eique venerationem plurimam deberi. Quid ergo vobis modò videretur, ſi è medio conſeſſu hoc aliquis diſciplinæ regularis impatiens exurgeret, diceretque non uſque adeò extolli debere Regulæ dignitatem, nolleque ſe illam tam religioſè colere. Conſpiraretis, credo equidem, in ſententiam hanc, Monachum ſcilicet ejuſmodi ſocietate veſtra omninò indignum eſſe, neque judicio ſano pollere. Qui enim rem honeſtiſſimam, divino ſplendore lucentem minimè, aut tepidè amandam, & laudandam exiſtimat, in dementiam aliquam incidiſſe videtur.

Monachi degeneris imago.

G

Regularis obſervationis examen.

Nunc ergo vos introſpicite ipſos, & exploret conſcientiam unuſquiſque ſuam, an Regulam noſtram, quàm cordis centro deberet inſculpere, tanti pendat, ac decet. An eam ſæpe, & cunctanter relegat. An ſelectæ illæ ſententiæ, brevitate multa perſtrictæ, videantur ei oracula cœleſtia. An verba ſyncerè interpretetur, timeatque ad extraneos ſenſus detorquere. An pro cujuſque capitis obſervatione vellet, ſi oporteret, occumbere. Si enim hiſce caret argumentis, iniquus æſtimator eſt: nec ſanè conſcientia propria ei zelum ſuggeret adeo fervidum, ut delirum Monachum illum, qui in medio cœtu hoc Regulam (uti poſuimus) vilipenderet, ſine remorſu vehementer carpere, vel damnare queat. Si

H

enim

Falſus Regulæ zelus.

A

enim ſe non corripit ipſum, quare illum redarguit? Reſpondebit fortaſſe, non eſſe parem utriuſque culpam, ſeque non eſſe adeo impudentem, ut Regulam non magni faciendam clamitet. Verùm quid ſi non clamitet ipſe, quando quidem ipſius opera vociferantur? Confitetur quidem ſe noſſe Deum, cui Regulæ obſervationem promiſit, factis autem negat, dum lenteſcit, & à ſenſu ſacrarum præſcriptionum longè recedit.

Auditorum laus.

Quomodo habenda Regula noſtra?

B

Ceterum bene eſt, quod è præſentibus nemo reperitur, qui Regulam aſpernari, vel lentè obſervare velit, quod Divinæ bonitati planè tribuendum eſt, quæ in vos pluviam bonorum affectuum effundit. At quò effuſio uberior eſt, eò timendum magis, ne quis non ita feliciter progrediatur, ut parem divino ſemini fructum referat. Quamobrem hortor vos, Patres, ut quod ad conſcientiam ſpectat, Regulæ noſtræ textum ita legatis, ut animo totus integer, ac incorruptus hæreat; ita interpretemini, ut germanum ſenſum ſine ulla detorſione tueamini, ita recolatis, ut memoria nunquam excidat. Quod verò ad alios exemplo inſtruendos attinet, ita veneremini, ita obſervetis, ut alii, qui vobiſcum commorantur, facilè animadvertant, Regulam noſtram vobis librum eſſe vitæ, quem indignè tractare, quoddam ſacrilegii genus videatur. Hoc ſi præſtetis, teſtis quiſque minimè ſtupidus facilè judicabit, Regulam à vobis, uti decet, æſtimari, quo ipſe ſtimulo ad piam æmulationem excitabitur.

Labor minime cauſandus.

Athenienſium, & Lacedæmoniorum exemplum?

C

Frigidi Monachi dedecus.

D

Hìc verò non credendum, rem hanc, quam exigo, nimis arduam vobis, qui æternæ vitæ ſtudio incenſi eſtis, ullo pacto videri. Cur enim ardua videatur? Si Athenienſes Solonis, & Lacedæmonii Lycurgi leges tam cupidè amplexi ſunt, tam inviolatè obſervaverunt, ſola rei honeſtate, naturali lumine oſtenſa convicti; quid vos in hoc genere præſtare fas ſit, qui leges noſtras Regulæ textu latas, non ut Ethnici alicujus legislatoris inventa, ſed ut divinæ Sapientiæ oracula intuemini? An Athenienſibus, vel Lacedæmoniis profuit illa tam exacta ſuarum legum æſtimatio ad cœleſte regnum perquirendum? Potuitne labor ille cuſtodiæ legum impenſus auctores ſuos ab interitu præſervare? Minimè quidem. Si ergo leges illæ ſteriles tantopere æſtimatæ, & obſervatæ ſunt, quantò ſit æquius, ut leges noſtræ, quibus ad æternam felicitatem via ſternitur, à vobis magni fiant, & fidiſſima cuſtodia vigeant? Profectò Monachi nomen indignè uſurpat, qui ubi de Regulæ apicibus agitur, illorum quemque non tenaciſſimè retinet, & velut ſacri cujuſdam textus notam, ſeu litteram unam expungere, locove movere formidat.

Majorum gloria.

E

Hæc fuit majorum noſtrorum laus, quos non tam litteratura, ſacrarum concionum fama, Principumve gratia, quàm fida legum obſervatio fecit inſignes: quibus ab ipſo Monaſticæ diſciplinæ tyrocinio penitus impreſſum fuit, ut legum noſtrarum æſtimationem atque cuſtodiam, ut amplum patrimonium acciperent, & ad poſteros, perruptis omnium mundi adverſitatum repagulis, non integrum modò, ſed cumulatum quoque tranſmitterent. Hi fuere parentes noſtri, quos qui non ſtrenuè imitatur, genus negat, fidem Monaſticam abjurat.

Noſtrorum commendatio.

Eleazari virtus.
2. Machab. 6.

F

Verborum ab operibus diſcrimen.

G

Immortales Deo gratias ago, quòd hæredes legitimi tanti patrimonii nonnullos habemus leonibus fortiores. Quos ego ubi tacitus commemoro, tanti facio, ut eos Congregationis noſtræ firmamenta vocem. Cur autem non vocem? Cur non prædicem? Debentur ſanè illis celeberrima præconia, multaque jure optimo rependitur gratitudo. Quid non debuit Hebræorum Populus Eleazaro viro invictiſſimo, idoneoque legum ſanctarum æſtimatori? Datur ei optio, ut ſimulet ſe Antiocho eſum porcinæ carnis lege vetitæ imperanti obedire, allatis carnibus aliis, quibus ei juxta leges patrias veſci licebat. Contemplamini virum ætate provectum, vultu decorum, & ſapientia divitem. Ei defertur electio, ut legis transgreſſionem fingat, & vivat honoribus auctus, vel, ſi id nolit, intereat. Quid reſpondet conſtans legum æſtimator, & cuſtos? Reſpondet cito, præmitti ſe malle in infernum; & à carnificibus arreptus honeſta morte perfungitur. Hæc legum æſtimatio eſt. Huic planè fortiſſimo viro ſimiles appello ſelectos illos, qui Congregationem noſtram Regulæ æſtimatione condecorant. Unus profectò ex hoc lectiſſimo numero multis concionatoribus, librorum ſcriptoribus, & id genus aliis æquo judicio antefertur. Illi quippe grandia effantur, ac ſcriptitant, hic verò grandia patrat, quæ ſcriptione, & pro concione laudari poſſint. Diſcrimen verborum & operum expendite, & rectum ferte judicium, omnia luſtrate: judicium expecto. Quid judicatis? At quorſum vobis judicium defero, quod Chriſto ſupremo judici à Patre delatum eſt? Non ego vos preſsè nunc judices, ſed velut teſtes accerſo, teſtiumque judicium expoſco. Teſtificamini, quod à Chriſto probatum, & in ſupremo judicio laudandum, remunerandumque cenſetis. Intuemini bonos regulæ æſtimatores iis oculis, quibus Chriſtus eos intuetur. Intuemini ac æmulamini. Date animas veſtras pro teſtamento patrum noſtrorum, & B. Virginis, Fundatriciſque noſtræ Tereſiæ diſciplinæ, quam inſtaurata primitivæ Regulæ obſervatione condidit, tota animi contentione, ſpe cumulatæ mercedis erecti congruite.

H

Scripta An. 1614.

CAPUT III.

Exhortatio ad Regulæ ſcopum dignoſcendum & petendum.

Proprii inſtituti cujuſque perpenſio neceſſaria.

A

Viatoris ſimilitudo.

B

Finis, actuum humanorum principium.

Exempla.

C

PRudens quiſque cujuſvis diſciplinæ profeſſor inſtituti proprii finem prænoſſe curat, ut laborem in ſcopum certum dirigere, & quæ fini diſſentanea ſunt, reiicere valeat. Qua quidem in re, quæ pondus habet immenſum, dolendum eſt, Patres, quàm graviter tum ab aliis, tum à pleriſque Monaſticæ diſciplinæ profeſſoribus erretur. Multi quippè, qui curioſa ſectantur, nihil non cognoſcere ſatagunt, Aſtrologiæ, Architecturæ, artis Poeticæ libros evolvunt, ut variam ad conciones, vel privata colloquia ſylvam conferant; qui tamen de inſtituto proprio, fineque, ad quem ſe tendere profitentur, rogati vix quicquam exploratum ſe habere demonſtrant, quod planè mirum. Quid enim admiratione & reprehenſione dignius, quàm viatorem, qui jam iter inchoavit, neſcire quò tendat? Profectò ignoratio hæc tam eſt rudis, & hominis ingenio diſſona, ut cum ratione naturali, & univerſorum philoſophorum moralium ſententia pugnet. Ii enim ſumma conſenſione tradiderunt, finem eſſe actuum moralium principium, hoc eſt, omnem actum deliberatum finis alicujus gratia ita produci, ut primum, quod ab homine concipitur, finis ipſe ſit, in quem omne ſtudium, laborque omnis appoſitè fertur. Quæ quidem doctrina, quamvis à nemine traderetur, tam eſt per ſe perſpicua, ut in dubium revocari nequeat. Nullus enim nauta, agricola, mercator, navigationem, ſationem, mercimonium attentat, niſi prius finem aliquem honoris, lucri, aut voluptatis ſibi præfigat. Cum ergo Regulæ noſtræ labor in finem ſeu ſcopum certum dirigatur, non abſque culpa, & ſtupiditate à vobis ignorari, aut parum oculatè conſiderari poſſet. Exploremus igitur finem hunc, ut in eum ſtudia noſtra collimemus.

Inſtituti noſtri duplex finis, & quis potior?

D

Statuo, vos ex majorum noſtrorum doctrina, & varia lectione noſſe, Inſtituti noſtri finem duplicem eſſe, alterum potiorem, qui eſt contemplatio, alterum minus principalem, qui eſt actio: ita ut vita, quam ducimus, ex duplici parte mixta, & contexta ſit, inæquali tamen pondere, cum in contemplationem diutiùs, & ſollicitiùs quàm in actionem incumbat. Hoc ergo ſtatuo, cum in ipſo Conſtitutionum prologo ſatis expreſſum ſit, & tam ſæpe legatur. Neque fert animus de fine minus principali verba facere, & an Ordini noſtro coævus, vel poſteriùs annexus fuerit hoc loco diſſerere. Impendam ergo tempus hoc modicum potiori fini penſitando, ejuſque dignitatem demonſtrare conabor.

Finis Regulæ noſtræ potior, contemplatio.

E

Et primum ſanè, quod contemplatio finis nobis potior ſit, ex toto Regulæ contextu palam deducitur, cum ibi quicquid verè præcipitur, ad receſſum, orationem, ſilentium, ſolitudinemque pertineat: quæ quidem capita aperta vitæ contemplativæ ſigna ſunt, quæ viris, qui ſeculi jugum excuſſerunt, & in ſolius Dei amplexus aſpirant, mirificè congruunt. Quod certè argumentum è Regulæ textu ſpontè natum, cum ad principalis ſcopi, ſeu finis noſtri demonſtrationem, & confirmationem validiſſimum ſit, argumenta alia conglobare, & rei luculentæ lumen afferre ſupervacaneum exiſtimo. Noſtis quid contemplatio ſit, actus videlicet intellectus in æterna ſpectacula intenti, & admiratione ſuſpenſi. Huc ergo aſpirandum vobis eſt per fidiſſimam Regulæ cuſtodiam, ut licet in terris mortali corpore prægravati moremini, ſpiritus, velut pennis evectus, in cœlis verſetur, & ſubtili æternorum bonorum contemplatione, ac pura voluptate inde orta delectetur, quod ſubjectis rationibus brevi ſuadebo.

Ratio prima.

F

Angelorum Hierarchiæ notatæ.

G

H

Ratio prima. Contemplationis ſtudium adeo per ſe honorificum eſt, ut quamvis nullo quis vinculo aſtringeretur, deberet ſponte illud arripere, eique impensè vacare. Quid enim honorificentius, quàm Divinæ Majeſtati aſſiſtere, cum rerum omnium Conditore verba facere, ſummo ac ſempiterno bono arctè adhærere? Porrò inter homines nihil ſolet à mundi ſectatoribus avidius expeti, quàm Principum obſequiis proximè deſtinari, coram eis detecto capite verſari, ab eorum conſpectu nunquam recedere, ut ſatis ex moribus palatinis, & ambitione palàm graſſante perſpicitur. Quod ſi hæc tamquam nimis humana ſegniter moveant, attollite mentis oculos in Dei civitatem, in ſupernam Jeruſalem, cujus diſpoſitione hierarchica, & pulcherrima partium concinnitate lætemini. Aſcendite ab infimo primæ ad ſummum tertiæ hierarchiæ angelicæ ordinem, ibique Spiritus ſeraphicos in quodam velut Angelorum vertice conſiſtentes, & Divinæ Majeſtati proximè aſſiſtentes animo concipite. Inferiores certè ſpiritus mundi adminiſtrationi, hominumque cuſtodiæ deſtinantur, at Seraphim tamquam nobiliſſimi principes in aula regis æterni quieſcunt, & ſublimiſſimæ contemplationi divinitatis intenti ad functiones alias obeundas minimè recedunt. Hæc dignitas ſeraphica eſt, cui ſtatum planè ſimilem ſortiti eſtis, dum toto Regulæ tenore ad contemplationis ſcopum petendum deſtinamini. Huc fertur receſſus, ſilentium, Dei præſentia, & exercitia noſtra à ſeculi ſtrepitu exempta, quæ profectò cœleſtibus exercitiis & nobilitate, & ſuavitate ſimilia ſunt. Quis ergo potioris partis noſtræ dignitatem non expetat?

Secunda ratio.

S. *Thomas* 2. 2. *q.* 82 *ar.* 1.

Ratio ſecunda, quæ potioris partis noſtræ dignitatem cum utilitate connectit, ut ex eo etiam capite optanda, & exercenda ſit. Nimirum rebus theologicè perpenſis, utiliora ſunt exercitia contemplativæ partis, quàm activæ, auctioris videlicet meriti, cum in iis amor divinus, qui meriti menſura eſt, felicius creſcat, & vires acquirat. Si ergò lucrum illud, cujus vel minima pars univerſis mundi opibus antefertur, vobis placet; ſi æternis divitiis affluere cupitis; conatus omnes in ſcopum veſtri Inſtituti conſtanter intendite, & verba illa evangelica, Negotiamini dum venio, mercaturæ veſtræ prudenti ſenſu adaptate.

Tertia ratio.

A

B

Voluptas contemplationis, quæ?

C

Tyronum voluptas; quanta?

Ratio tertia. Si non utilitatem tantùm, ſed voluptatem captatis, quid tam in hac vita voluptuoſum, quàm contemplationis ſtudium caſtæ lætitiæ feraciſſimum? An ignoratis, vel unum horæ quadrantem, ubi lætitia illa percipitur, omnibus ſeculi voluptatibus per annos multos affluenter ſuccedentibus eſſe optabiliorem? Nolo teſtes alios accerſere, quam vos ipſos, ſi tamen guſtatis, quàm ſuavis ſit Dominus. Non diſſero nunc de torrente voluptatis, quo potantur, qui ad vitæ fontem limpidiſſimum poſt vitæ hujus agones pervenerunt, qui ſatiantur ubertate domus Dei. Quis enim poſſit Oceanum illum mente concipere, niſi qui jam ſeſe pelago immerſit ipſi? Loquor ergo de rore ſolo, vel de ſtillicidiis, quæ arentes viatorum linguas humectant. Ii, ſi qua fides piis, & veracibus habenda eſt, facilè aſſeverant, guttam unam mundi fluminibus pretioſiorem eſſe, ſeque, donec guſtarent, neſciſſe, in hoc exilio tam ſubtilem, puram, penitiſſimeque illabentem ſuavitatem à mortalibus unquam delibari. Quid ergo quæritis? Cui ſortem invidetis? An ſors veſtra felix non videatur? At excipiet tepidus aliquis, contemplationis voluptatem eſſe profectò divinam, verùm paucis contingere? Sed exceptio infirma eſt: licet enim intima quædam, & puriſſima gaudia, quæ viris provectiſſimis familiaria ſunt, aliis minus provectis non ita permittantur, certum autem eſt, voluptatem illam, quæ tyronibus contemplationis ſtudio deditis inſtillatur, ipſorum teſtimonio eam eſſe, cum qua nihil in hac mortalitate quantumvis delectabile conferri poſſit. Compertum item eſt, tyronum voluptatem ſatis eſſe crebram, ita ut veterani divinam in hoc genere liberalitatem demirentur. Quid, quòd licet bonum tantum ſemel dumtaxat in hac vita laborantibus impenderetur, deberet adhuc, ob nobilitatem, & ſpem, quàm ingenerat, regum deliciis diſcrimine lato præferri?

Quarta ratio.

D

Beatitudo in quo conſiſtit?

E

Comparatio.

F

Ratio quarta, quæ validiſſima videtur. Fingamus, vos nondum Inſtituti noſtri diſciplinæ collum ſubdidiſſe, & hac ipſa hora, qua loquor, conſultare de ſtatu deligendo, optareque vehementer, ut ſors feliciſſima obtingat. Rogo nunc vos, adeſte animis, & rem penitus capite: An felix vobis non videatur ſors, quæ ipſi æternæ felicitati velut contigua eſt? Profectò felix omnino videbitur. Quæro nunc, ſuprema, & ſempiterna felicitas quanam in re conſiſtat? Reſpondebitur in aperta Dei viſione, ac fruitione conſiſtere. Rectè quidem, ac theologicè reſponſum eſt. Ulteriùs tamen ſciſcitor, an ſit in hoc exilio ſtatus aliquis, qui ad eam ultimam, perfectamque beatitudinem propè accedat, & modo tandem aliquo initium, ſive inchoatio felicitatis appellari queat? Reſpondebitur proculdubio, ſi quid in hac mortali vita eo nomine inſigniri debeat, eſſe illud bonum, quod inter omnia felicitati ultimæ ſimillimum eſt, ac proinde ad eam propiùs quàm bona alia demum accedit; quemadmodum ſi ultima hominis beatitudo in ſummo Pontificatu locata eſſet, quædam ejus inchoatio, & quaſi penultima felicitas ad ſtatum Cardinalium referretur. Cum ergo ultima beatitudo noſtra in Dei viſione, fruitioneque ponatur; & aliundè conſtet, vitam contemplationi addictam ex nobiliſſima Dei notitia, & inde enata voluptate componi, quis adeò cæcus & protervus ſit, qui potiorem Inſtituti noſtri partem contemplationi conſecratam in loco ſanè digniſſimo non conſtituat, quoddamque ſummæ felicitatis initium, ſive inchoationem non appellet, ejuſque ſtudio ſe cupidiſſimè dedat.

Comparatio.

G

S. M. Tereſia, vitæ contemplativæ ſtudioſa.

H

Non dubium, Patres, quin ex allatis rationibus judicetis, quàm gravi pondere beneficii divinitus accepti onerati ſitis, ex quo Deus quaſi ſuæ patritios civitatis ad nobiliſſimas contemplativæ vitæ functiones vos gratis evocavit, innumeris aliis velut ad plebeja miniſteria rejectis. Non dubium, quin rei honeſtas, & fructus ſuavitas animos veſtros verarum virtutum cupidos inflamment. Quid ergo cogitatis? Quid mente revolvitis? Expendite modò, quàm libenter, ac expeditè bajuli, ſive onerum geſtatores, qui panem improbo, ac nimium duro labore lucrantur, onera excuterent, ſi à Principe aliquo vocarentur repentè, ut ante ipſius cubiculum ingenuam conditionem nacti, inter primores verſarentur. Vix illi lætitiæ vim ferre poſſent, vix crederent quæ experirentur. Quomodo ergo credi poſſit, in præſenti conſeſſu inveniri aliquem, qui principalem vitæ noſtræ ſcopum non accuratè petat? Quomodo veroſimile cenſeatur malle aliquem plebejam, quàm ingenuam ſortem optare? Quomodo credatur, Carmelitam Diſcalceatum propoſiti ſui obliviſci, & ordine præpoſtero activam vitam contemplativæ præponere, vel æquare? Porrò minimè id credendum, cum indecorum, ac planè abſurdum ſit. Recolite, precor, B. Tereſiæ Fundatricis noſtræ ſtudium in hoc genere mirum, & ad urgendos quoque deſides efficaciſſimum. Latuit illa, quoad potuit contemplationi dedita; verùm ubi ad immenſam Dei gloriam è clauſtro exire oportuit, adeò exactè contemplationis ſtudium retinuit, ut (quod rarò legatur) in mediis itineribus, ubi ſtatæ orationis horæ accedebant, ſilentium imperaret, aut etiam à ſecularibus rei tantæ ignaris pretio impetraret, ut in curribus ipſis, cum ſacris Virginibus, quæ

ſimul

Scripta An. 1614.

A

ſimul vehebantur, præſtituto tempore orationi vacaret, non ſecus ac ſi in Monaſterio deliteſceret. Quid vobis de exemplo tanto videtur? Num ejuſmodi mos retineri potuit, ſtrepitu ſecularium intercepto? Num animus moris tenax eſſe potuit, niſi principalis Inſtituti finis altè impreſſus ex anteacta præmeditatione, ac digna æſtimatione fuiſſet? Minimè quidem. Quid ergo diceretis, ſi quis degener B. Tereſiæ filius in Oratorio percommodo, & contemplationi ſacrato præſtare detrectaret, quod illa in cnrribus conductis, & incommodis tot victis difficultatibus præſtitit? Hiccine ſit Monachus, hoc eſt, monadi intentus? Sumuſne adeò hebetes, ut de hujuſmodi homine propoſiti finis deſertore bene opinemur?

B

Verus Religioſus qualis?

Luſtrate, precor, mentis oculis Cœnobia, in quibus morati eſtis, & proferte mihi ſaltem unum in Congregatione noſtra laudatum, qui de fine principali Inſtituti noſtri exquirendo lentè egerit. Nullum credo equidem proferetis. Si qui enim ex hoc capite malè audiunt, velut in fronte ipſa æquo Dei judicio geſtant modicæ exiſtimationis inſcriptum. Hoc nempè Dei judicium eſt, ut in cœtu Sanctorum communi ſuffragio explodantur, qui partes Inſtituti, quod profitentur, explere nolunt, in eo præſertim capite, quod maximè decorum, & ſtatus monaſtici proprium eſt. Valeant hominum gratia, egregiè concionentur, miracula, ſi poſſint, patrent, non tamen à bonis cenſoribus veri monachi exiſtimabuntur, quamdiu potiorem Inſtituti finem pigrè quæſierint.

C

Doctrinis ergo peregrinis, Patres, nolite abduci. Quicquid à vobis ſplendidum præſtari poteſt, à principali fine derivetur, neceſſe eſt: ut quæ ſublimia, ſalutariaque contemplati eſtis, cum proximis, ubi id prælatus iniunxerit, communicetis, ut potiſſima cura ſaluti, ac perfectioni propriæ impendatur, & cum occaſio proximos juvandi inciderit, ita eam functionem piam obeatis, ut cura prior, & potior nullum patiatur detrimentum.

Mortificatio præcepta.

D

Deut. 32. v. 13.

Terra Ægypti, qualis?

Deut. 11.

E

Jam ergo quid ſupereſt? Rogabo, an Inſtituti deſertores, vel fidi cuſtodes eſſe velitis? Certum omnino eſt (ut mihi perſuaſi) velle vos, quod ex tot capitibus honeſtum, Deo & hominibus acceptum eſt, jugi intentione moliri. Strenuè certandum, corporique ſpiritum deprimenti imperandum eſt. Contemplatio rerum divinarum is ſcopus eſt, qui ſanguine quoque fuſo peti debeat. Quid obſtet? Erigite corda, quæ in cœlum perenniter ſuſpiratura, ſtatum monaſticum elegerunt. Bono animo eſtote: conſtituti enim eſtis ſuper excelſam terram (ut olim populus Iſrael) ut ſugatis mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Auſteritas quippè durioris diſciplinæ oleo internæ lætitiæ, & melle dulcoris intimi in contemplatione provenientis imbuitur. Oculos in cœlum tollite; Terra enim, ad quam poſſidendam ingreſſi eſtis (ut olim Hebraico populo dixit Moſes) non eſt ſicut terra Ægypti, ubi jacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; ſed montuoſa eſt, & campeſtris, de cœlo expectans pluvias; quæ ſacri textus verba ad rem noſtram appoſitiſſima ſunt. Debuit electus populus, quos in Ægypto didicerat, mores dediſcere, neque mentem humi defixam aquæ Nili fidentem gerere; ſed aſcenſu difficili in Montes Palæſtinæ contendere, ubi vel ipſa aquæ penuria coactus Deum largitorem, oculis in cœlum ſublatis, precaretur. Hæc ſors veſtra eſt, cœlum ſuſpicite, Majeſtatis divinæ præſentiam mente verſate, regnumque Dei ſtudio contemplationis conſtanti perquirite.

CAPUT IV.

Obſervatio.

F

INveniant alii varia prolegomena, quæ textus expoſitioni prætexant. Nos pauca, graviaque ſelegimus, quæ exempli cauſa deprompſimus: neque credimus, tam eſſe utilia alia, quæ excogitari hoc loco poſſent, quàm quæ è textu enaſcuntur ipſo. Nunc ad teſtum eo ordine, diviſioneque capitum, qua uti mos eſt, accedamus.

PARS SECUNDA.

G

De Diſciplina Monaſtica erga Textum Regulæ.

TITULUS.

Regula primitiva Ord. Beatiſs. V. M. de Monte Carmelo, à B. Alberto Patriarcha Jeroſolymitano tradita, & ab Innocentio IV. confirmata.

TEXTUS PRIMUS.

H

Albertus Dei gratia Jeroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, dilectis filiis Brocardo, & cæteris fratribus Eremitis, qui ſub ejus obedientia, juxta fontem Eliæ, in monte Carmeli morantur, in Domino ſalutem, & Sancti Spiritus benedictionem. Mul-

Scripta An. 1614.

tifariè, multiſque modis Sancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque in quocunque ordine fuerit, vel quemcumque modum Religioſæ vitæ A elegerit in obſequio Jeſu Chriſti vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conſcientia bona deſervire. Verùm quia requiritis à nobis, ut juxta propoſitum veſtrum tradamus, vobis vitæ formulam, quam tenere in poſterum debeatis, &c.

Obſervatio thematum, quæ è titulo, & primo textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

B E Titulo duci poteſt thema unum de primitivi ſtatus perfectione, alterum de Ordinis titulo, & Beatiſſimæ Virginis tutela. E textu primo peti poterit unum de amore ſolitudinis, alterum de Monaſticorum Inſtitutorum varietate. Poſſent alia themata è titulo, textuque primo deduci; at nobis pauca, & ſalubria ſeligere conſilium eſt. Singula ſingulis exhortationibus expendemus.

Monaſtica Inſtituta varia.

CAPUT I.

Exhortatio de primitivi ſtatus perfectione, ad quam aſpirandum eſt.

C DUM ruinam collapſæ diſciplinæ monaſticæ multorum Ordinum, qui olim floruere, contemplor, Patres, cernere mihi videor Jeroſolymitanam cladem, quam Jeremias Propheta alto cum ſenſu lamentatus eſt. Fuerat olim Jeruſalem Deo acceptiſſima, opibus, & honoribus aucta, fecundiſque rebus adeò fortunata, ut nihil ei adverſum accidere poſſe videretur. Quod ſatis apertè Propheta ſignificavit in hæc verba: *Non crediderunt reges terræ, & univerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Jeruſalem.* Quis enim in primævo urbis ſanctæ ſtatu ſucceſſuram vaſtitatem ſuſpicari potuiſſet? & tamen in eam calamitatem proſperitas illa D verſa eſt, ut Propheta idem viatores cladem horrendam ſpectantes, & ſtupentes inducat in hunc modum: *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum ſuper filiam Jeruſalem: Hæccine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ?* Hic ſenſus captæ, & everſæ Jeruſalem. Simile quiddam contigit monaſticis Ordinibus multis, quorum primæva firmitas tanta viſa eſt, ut nunquam evertenda, vel graviter labefactanda videretur. Erat excelſus mundi contemptus, uberrimus in iis, qui mundo renunciaverant, pœnitentiæ fructus, prælationum fuga, humilium obſequiorum æmulatio, orationis, & perennis Dei præſentiæ ſtudium, penè miraculoſa frugalitas, ſedatus, & cæleſtibus deſideriis plenus pſalmorum concentus, & quod caput E eſt, mutua charitas Chriſtianæ perfectionis numeris abſoluta, quæ diutiſſimam pollicebatur firmitatem. Quis inter tot cœnobiticæ vitæ monumenta conſtitutus excidium præſagiret? Quis adverſos impetus formidaret? Et tamen multi, quaſi lapides Sanctuarii, è quadro lapide firmiſſimè conſtructi, diſperſi jam ſunt in capite omnium platearum, cum paſſim videamus plurimos antiquæ diſciplinæ profeſſores ab antiquitate longiſſimè remotos, & negotiis ſecularibus implicatos, ferè abjurata militia, cui nomina dederunt.

Jeruſalem olim Deo accepta.

Thren. 4. 12.

Ibid. 2. 15.

Antiquorum Religioſorum ſtatus deſcriptus.

Rogamus nunc, quænam tantæ deſolationis extiterit cauſſa? Quænam vis tanta, quæ montium fundamenta ſubverteret? F Reſponſio tam vera, quàm communis in promptu eſt. Cecidit ſpiritualis fabrica, quia degeneres profeſſores cœperunt à primævo ſtudio ſenſim tepeſcere, & novis abuſibus viam aperire. Hæc funeſti caſus origo eſt, nec alia quidem requirenda. Hæc planè cauſa eſt luctus, quem exhibet collapſa Ordinum diſciplina. Hoc ſpectaculum, quod ſaxea corda moveret, movit certè pectus B. Tereſiæ noſtræ, ut dirutam magna ex parte fabricam incredibili animi magnitudine reſtitueret, reſtitutamque nobis traderet in primitiva firmitate ſuſtinendam, quod ratio multiplex à veris filiis tantæ Parentis exigit.

S. M. Tereſia.

Prima ratio à gratitudine orta. Quis enim non liquidò perſpiciat, ingrati eſſe animi non in Deum ſolummodo, ſed in B. Fundatricem G noſtram quod accepimus, patrimonium, profana prodigalitate diſſipare? Immenſos illa labores pertulit, ut fabricam extrueret: nos in ejus labores ſingulari Dei beneficio introivimus; quàm ergo turpe, & generoſis animis indignum eſſet, ſi beneficio tanto abuteremur, neque jus primogenitorum ad ſucceſſores noſtros integrum transferremus?

Ratio prima.

Secunda ratio à ſimilitudine hæreticorum ducta. Qui in rebus ad primitivam diſciplinam attinentibus audacter quippiam detrahunt, vel novum quid invehunt, non abſimiles fiunt hæreſum ſatoribus; qui ſacro textu corrupto, aliquid ex priſca Eccleſiæ doctrina decerpunt, vel novo invento H adiungunt: quorum auſus quàm ſit noxius, ex introducta ſemel peſte, & ad poſteros devoluta convincitur. Facile quippè imprimitur, quod ſemel impreſſum aut rarò aut nunquam avertitur. In hunc modum obſervata humani generis fragilitate, nonnulli Monachi (ut mitiſſimè dicam) imprudentes inducunt laxas primitivæ obſer-

Secunda.

Humana fragilitas notata.

Scripta An. 1614.

ſervantiæ interpretationes, quæ avidè ab aliis arripiuntur, fiuntque novorum dogmatum auctores, daturi apud Deum judicem pœnas acriores, quàm putarant, ob ſucceſſorum damna indè ſubſequuta.

Tertia ratio.

A

Tertia ratio, à propagatione Congregationis petita. Divino conſilio factum eſt, ut de propaganda renati Carmeli perfectione cogitemus; quam ad rem honeſtè tentandam, & abſolvendam, oporteret ſanè perfectionis primitivæ capita arithmeticè percenſere, & illibata ſervare, ut ſine diminutione ulla in varias provincias inferrentur. Quis enim non videat, communis boni detrimentum eſſe, ſi diſciplina Monaſtica, quæ in decimo perfectionis gradu in regnum aliquod transferri poſſet, transferatur in octavo? Nemo profectò mentis compos rem hanc inficiari, nemo ſine acri conſcientiæ remorſu hac ipſa de cauſa de primitiva auſteritate quicquam remittere poſſe videtur.

Quarta ratio.

B

Quarta ratio, à perfectione propria enata. Licet nuſquam diſciplina noſtra propaganda foret; ipſa primitivi floris conſervatio tot bonis referta eſt, ut à nullo cordato Monacho negligi, aut non magni fieri poſſit. Profectò quod ad propriam cujuſque perfectionem, quæ inter potiſſima bona recenſetur, attinet, exploratum eſt, neminem perfectionis bono potiturum, qui ad primos Patres diſciplinæ noſtræ conditores non aſpiret. Quos enim ductores alios ſibi finget? Porrò hos nobis Deus ad imitationem propoſuit. Quis ergo extra Dei conſilium perfectionem ſibi promittat?

Quinta ratio.

C

Quinta ratio, ab ira, vel gratia Dei profecta. Ex ſacris liquet hiſtoriis, ut ex Apoſtolorum actibus, primitivæ obſervantiæ deſtructores à Deo ſeverè punitos, conſervatores beneficiis auctos, quod è Chronicis quoque Monaſticorum Ordinum notum, & vulgatum eſt: quod Divinæ Sapientiæ ordini, divinæque bonitatis magnitudini congruit. Quò enim majus eſt beneficium, quo quis ad primitivas opes, velut primogenitus admittitur, eò indignatio major in degeneres, quos Deus velut monſtra à filiorum conſortio depellit. Qua fortaſsè de cauſa nonnulli primitivæ perfectionis impatientes tranſitum ad mitiores Ordines conatu magno velut extorſerunt, & modicam ſalutis ſpem, conſcientiæ remorſu teſte, reliquere.

Sexta ratio.

D

Sexta ratio, à Monachis obſervantia claris jam defungentibus orta. Si de felici obitu per ſalutis æternæ ſigna judicium piè, ac prudenter ferri poteſt; experientia diuturna conſtat, egregios Monachos primitivæ ſanctitatis antiquorum Patrum æmulos, quos novimus, feliciter in cœnobiis noſtris fuiſſe defunctos, iis ſignis exhibitis, quæ nullus certe animus, niſi ſpe firmiſſima fretus præſeferret. Lætitia enim illa, verba illa fiduciæ plena, ſenſus ille rerum divinarum palàm oſtenſus, aliis, quàm fidis primitivæ ſanctitatis hæredibus inter noſtros non videtur poſſe congruere. His autem congruit maximè. Ubi enim ad ſupremum mortis agonem ventum eſt, animus fidelis memor obſervantiæ ad primitivum ſenſum exactæ viribus divinis ſe ſentit armari, nec facilè immenſum bonum, quo gaudet, valet, occulere, aut lætitiæ motus cohibere. Præſtiti (ait conſcienta) quod debui, à majoribus degenerare nolui: ad palmam nunc fidenter aſcendendum eſt. Quid modò deſideratur, Patres? Quid deeſt? Audiſtis, quàm ſit è re veſtra, primævum Ordinis noſtri florem tueri, ne tragœdia aliqua tremenda contingat. Rei non modò honeſtatem, & utilitatem, ſed neceſſitatem quoque vidiſtis. Cur ergo ſanctos majores noſtros non impigrè imitemur? Num res noſtra non agitur? Cur non arduitatem quamlibet ſuperemus? Contendite intrare per anguſtam portam, & Chriſti conſilium æſtimate. Mementote oraculi illius Apoſtolici: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite.* Hæc Apoſtolus. Ne cedatis difficultatibus, quas ſanguis & caro prætexunt. Firmiter retinete, quæ primis renuntiationis veſtræ diebus didiciſtis. Noviſſimum veſtri laboris exitum præmeditamini, mihique dicite, qua ſpe vos roborandos, qua voluptate perfruendos exiſtimatis, ubi obitu imminente, anteactæ æmulationis recordatio ſubibit? Quid reſpondebitis, ubi quiſque veſtrum ita ſecum ratiocinabitur? Ego nihil non conatus fui, ut primitivæ ſanctitatis hæreditas inviolata conſiſteret: Ego ubi in cœtu Monachorum quicquam primitivæ obſervantiæ conſentaneum propoſitum fuit, validè inſtiti, ut executioni mandaretur, obſtitique quoad potui, ne quid diſſentaneum admitteretur: Ego, quod ad partes ſpectavit meas, ab omni novitate, ab omni laxa interpretatione primitivorum rituum, & traditionum abſtinui: Ego pro flore primo alendo alacriter occubuiſſem, ſi id tuliſſet ſors. Nonne perſpicitis, quod hortatus ſum, intimo ſolatio plenum, & æternæ felicitatis ſpe ſubnixum eſſe? Agite ergo, & velut jurati Chriſti milites primitivæ ſanctitatis arcem invictis animis propugnate.

E

Relligioſi ferventioris ſecuritas in morte.

Hebr. 12 11. 12.

F

G

CAPUT II.

Exhortatio de Beatiſſimæ Virginis titulo ac tutela.

H

MIrum divinæ providentiæ conſilium fuit, Patres, ut Ordo noſter honorificentiſſimo Beatiſſimæ Virginis titulo exornaretur: quod facilè perſpicietis, ſi qua poſſumus, conſilii divini rationem indagemus. Non enim honorem tantum temerè arreptum, aut fortuitò delatum credere par eſt. Porrò reges, qui prudentia excellunt, non promiſcuè omnes cives, aut urbes titulo

Scripta An. 1614.

Cur Ordines ſub titulo B. Mariæ Virginis inſtituti?

tulo aliquo inſigniunt, ſed re priùs expenſa, fineque aliquo peculiari ſibi propoſito, qui regiam prudentiam deceat. In hunc modum, pro humano captu, de Chriſti ſapientia ſentiendum eſt. Equidem finis, qui Chriſtum decuit, hic fuiſſe videtur, ut Beatiſſima Virgo ejus parens honore ſummo afficeretur, & ſingulari ritu coleretur ab Ordine aliquo in id ſanè piiſſimum officium A deſtinato. Huic autem divinæ ſapientiæ ſcopo congruebat, ut Virgo ipſa puriſſima gentis cultui ipſius addictæ tutelam ſuſciperet, & Ordinem titulo ipſius decoratum peculiari cura protegeret. Hic divinæ providentiæ concentus harmonicus fuit, qui ad univerſi terrarum orbis fines perfertur, dum nos Summis Pontificibus id probantibus B. Virginis Fratres, ingenuo ſcilicet nomine, aut cognomento appellamur.

Quanti autem à bonis, æquiſque judicibus titulus, & tutela ſublimiſſimæ cœlorum Reginæ fieri debeant, & ad quam vitæ perfectionem nos adigant, ſubiectis rationibus ſuadetur.

Prima ratio.

Ratio prima. Ex ipſo titulo, quem B. Virgo non dedignata eſt, univerſus mundus B agnovit, Ordinem noſtrum ad numerum earum rerum, quæ ipſi Virgini ſacrantur, pertinere: Unde & nos, velut exemptum genus, ad ſupremæ mundi Reginæ aulam admiſſos, & tanquam palatino ſigno notatos intuetur. Quid autem hoc honore ſplendidius?

Ratio ſecunda.

Carmelitæ, quo nomine vocati?

Ratio ſecunda. Excelſiſſima Angelorum Regina, ex quo titulum noſtræ Tutelaris accepit, nos in filios peculiari tandem ratione aliqua velut adoptavit; non enim abſque fundamento aliquo Ordo noſter non hujus, aut illius Patriarchæ, ut S. Dominici, vel Franciſci, ſed Beatiſs. Virginis Ordo jam olim nuncupatus eſt. Si ergo Profeſſores Ordinis S. Dominici, aut S. Fran- C ciſci, eorum filii, modo peculiari, qui non aliis attribuitur, appellantur, & ſunt; profectò & nos tantæ Reginæ filii peculiari ratione aliqua, quæ non univerſos Ordines pervagetur, nuncupari debemus, quod quàm ſit pretioſum, & præclarum, ſatis exprimi nequit. Non defuerunt certè ab origine Sancti, quibus titulus Ordinis tribueretur, ſive cenſeatur verum, nos ab Elia Propheta genus ducere, ſive ad novi Teſtamenti, Sanctos, primos nempè Carmeli montis incolas diſciplinæ noſtræ conditores, ſive ad B. Albertum Regulæ auctorem referamur. Cur ergo non iis titulus, & adoptio aſcribitur, niſi quia cœleſti conſilio Beatiſs. Virgini debebatur? Igitur ſi ipſa D parens noſtra eſt peculiari Dei electa conſilio; neceſſe palàm ſit, ut quadam filiorum prærogativa, non meritis noſtris, ſed bonitati divinæ aſcribenda, nos à cœlorum Regina in ſortem ipſius acceptos ſentiamus.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Titulus non ſterilis, non inutilis eſt. Ex ipſa quippe Tutelaris functione Beatiſſima Virgo id nobis præſtare credenda eſt, quod Tutelares aliis ſuis Ordinibus præſtant, ut ſcilicet peculiarem gerant eorum curam, & apud Majeſtatem Divinam pro ſuis alumnis inſtent, omniaque eorum negotia feliciter expediri ſatagant. Si ergo alii ex ipſo tituli, & protectionis jure id officium fideliter explent; quid de Tutelari noſtra, quæ Dei opes velut proprias diſpenſat, cenſendum eſt?

Quarta ratio.

Peccatores filii alieni appellati,

Ratio quarta. Licet omnia ſileremus rationum momenta, ſileri nequit officium Unigeniti Filii Dei erga ſuam parentem, ad E cujus optata cœleſtes divitias liberaliter, quàm dici poſſit, effundit. Si ergo Chriſtus, liberalitas videlicet ipſa filiis alienis, hoc eſt, peccatoribus abundè bona largitur, quid non erogabit Matris ſuæ filiis, quos ipſe ad quoddam tantæ Matris velut conſortium aſcivit? Profectò ſi filii, & hæredes, & cum hæreditatis procuratio ad ejus Genitricem protectionis jure pertineat, credi non debet, Chriſtum ad poſtulata Matris in filios derivanda non fore promptiſſimum.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Non ſolis ac jejunis rationibus innitimur, ne quis adverſus ea, quæ prompſimus, quippiam excipiat. Rationes certè multis experimentis fultæ ſunt, puta F veſtis, ſive ſcapularis, quod à Beatiſs. Virgine accepimus, & beneficiorum planè grandium, quæ inejus Officio nobis à ſacra rituum Congregatione conceſſo attinguntur, ut reticeamus alia, quæ nimis oneroſum eſſet recenſere. Si ergo tituli, ac tutelæ argumenta adeo illuſtria, & tam multa accepimus, quis non judicet, tituli, tutelæque ipſius bonum magnifieri debere, noſque iis fretos ſpem firmiſſimam ſummi ac ſempiterni boni poſſe concipere?

B. Virgo Maria, ejus virtutes.

Expendite modò, Patres, vim rationum, quas protulimus, ut iis ad honeſtum æſtimandum, & exquirendum utamini. Habetis Tutelarem, cujus puritate nihil abſolutius infra Deum poteſt cogitari. Ejus filii G virgineo quodam velut partu in lucem Congregationis noſtræ editi eſtis. Agnoſcite genus, & attentiùs explorate, an generoſi, vel degeneres ſitis. Profectò Beatiſs. Virginis filios parenti ſimiles eſſe decet, nam qui diſſimilis evaſit, turpi ſe labe fædat. Si ergo vitæ ſimilitudo filiorum nota eſt, cum cœlorum Regina profundiſſimam humilitatem, ſynceriſſimam obedientiam, patientiam invictiſſimam, dulciſſimam manſuetudinem, charitatem ardentiſſimam coluerit; quis non animadvertat, Carmelitam Diſcalceatum, quod profitetur, eſſe non poſſe, niſi virtutes ſimiles parare ſtudeat? An Virgo humilis Monachum ſuperbum, obediens protervum, patiens impatientem, H mitis iracundum inter filios reponet ſuos? Quomodo Diſcalceatus loquax tacitæ matris filius, commoditatis amans inopis filius, oculorum licentia impudens modeſtæ filius, ſecularium conſuetudini deditus abditæ Virginis filius exiſtimetur? Si filius ſapiens matrem exhilarat; quid de filiis inſipientibus dicemus? Porrò ſi Angelorum Regina capax jam mœſtitiæ foret, timendum,

Scripta An. 1614.

ne mœror ex aliquorum filiorum ſtultitia conceptus lætitiam omnem vitamque ipſam adimeret. Quod ne omninò gratis dictum videatur, argumentum hoc validum audite.

Virginis tutelæ effectus.

Ex rationibus ſuperiùs propoſitis evincitur, Beatiſſimæ Virginis tutelam ad nos roborandos, & cœleſtibus auxiliis muniendos eſſe appoſitiſſimam, ipſamque officio A protectionis minimè deeſſe. Quomodo ergo non pauci alumni Ordinis ab ea protecti parum religioſè vitam inſtituunt? Quomodo quod attinet ad veras virtutes conquirendas, non proficiunt magis, quàm ſi vitam monaſticam veſte mutata deſeruiſſent? Quomodo poſt annos ſex, octo, aut decem, ſub auſpiciis Reginæ cœlorum exactos, tanta bonarum affectionum, & operum ſterilitate interareſcunt, ac ſi in ſeculo litibus, & fraudibus intenti remanſiſſent? An Clementiſſima Virgo, ſi doloris, & mortis ictibus confici poſſet, non graviter ſauciaretur ex averſione filiorum, quos tam enormiter aberrare conſpiceret? Bene eſt, quod ſicut Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, ita ejus Genitrix à B mortali ad immortalem vitam traducta ſit. Verùm degeneres filii ex hoc capite minimè culpas extenuant, cum quod ad ſe attinet, id efficiant, quod dolorem, & necem poſſet afferre.

Carmelitæ Virginis Mariæ filii adpellati.

Degenerent tamen alii, ſi volent. Vos tamen, Patres, ne officium deſeratis. Mundus ſanè exiſtimat, vos veros, & in deliciis habitos Virginis filios eſſe: & cum ad ſolemnes proceditis actus, candidatum agmen, velut prolem intemeratæ parentis intuetur. Ne ergo committatis, ut in re tanta orbis terrarum ſeducatur. Unigenitùs Virginis filius agnus eſt: Vos quoque agnorum nomen, & mores præferte. Quale, rogo, monſtrum foret tigris, vel lupi animus agni vellere obtectus? An coram agno Dei C prætexet vellus? An prætexet titulum filii virginis? Dei oculis omnia nuda, & aperta ſunt, neque Deus unquam irridetur.

Maria Virgo Cœlitum Regina.

Beati agni, Beati veri Virginis filii, qui modeſtiam, puritatem, manſuetudinem, cæteraſque virtutes ſtatui conſentaneas colunt, & Beatiſſimæ Virginis mores (qui potiſſimus ejus cultus eſt) quàm poſſunt impensè imitantur. Hi perfectionis primitias legitima hæreditate ſortientur, & ingenua prærogativa gaudebunt: Hic Reginæ Cœlitum verus cultus eſt, in quo noſtros, ad proportionem tutelæ, oportet excellere. Hoc cultu qui claruerit, quibus putatis, internis divitiis cumulabitur? Quibus oculis illum Regina Virginum intuebitur? D Quibus illum ſuprema mortis hora munimentis armabit? Quàm læto vultu è prælio mortalitatis revertentem curia cœleſtis, quæ Reginæ ſuæ filios æſtimare novit, excipiet? Quid nunc attexam? Reddite, Patres, quod præclariſſimæ Tutelari noſtræ jure ſummo debetis, & ad æternas opes ſub ejus auſpiciis feſtinate.

CAPUT III.

Exhortatio ad ſolitudinis amorem è primo textu regulæ petita.

Carmelus, qualis locus?

DE ſolitudinis amore dicturus, Patres, quo aptiore utar exordio, quàm ipſis regulæ verbis, quibus Albertus Jeroſolymorum Patriarcha E Eremitis juxta fontem Eliæ, in monte Carmelo, morantibus ſalutem dicit? His quippè verbis, loci conſilio divino ſelecti ad locanda noſtræ diſciplinæ fundamenta deſcriptio compendiaria præmittitur, quæ bonos admonet Carmelitas non primævæ dumtaxat ſanctitatis, qua majores noſtri claruerunt, ſed loci etiam, in quo, velut in ſolo pingui, ſanctitas ipſa coaluit, quod à nobis oſcitanter prætereundum non eſt. Cùm enim Patres noſtri locum illum à mundi ſtrepitu longè diſſitum, & ad animos in cœleſtia bona erigendos per opportunum elegerint, ut poſteritas eo exemplo erudiretur: neceſſe profectò eſt, ſi eorum menti congruere velimus, F ut loca ſimilia & amemus, & quoad fieri poſſit, exquiramus: quod ſubjectis rationibus ſuadetur.

Ratio prima.

Ratio prima. Potior Inſtituti noſtri finis eſt divina contemplatio, ut in prolegomenis expenſum eſt. Cum ergo ex communi omnium ſententia ſolitudo ſit contemplationi opportuniſſima, quis non judicet, Patres noſtros appoſitè ad ſcopum, quem ſibi præfixerant, locum elegiſſe, noſque, ſi idem conemur, medium prudentiſſimum ad Inſtituti noſtri finem electuros?

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Familiare eſt iis, qui Deo vacare cupiunt, ſecedere in deſerta loca, ob eam commoditatem, quam ſolitudo exhibet, ſtudii in cœlum intenti, nec interpellati. Patet hoc quotidianis negotiatorum exemplis, qui ubi per dies paucos G negotia intermittere, diviniſque rebus animum intendere ſtatuunt, locum aliquem devium in primis petunt, rati ſe alias non ſatis ad votum, quæ ſtatuerant, expleturos. Cum ergo nos non per dies aliquot intercalares, ut negotioſi illi, ſed per totius vitæ decurſum contemplationem cœleſtem profiteamur, quomodò poterimus incenſum profeſſionis noſtræ ſtudium modico ſolitudinis amore connectere? Aut quomodò non à propria conſcientia redarguetur, tanquam principalis ſtudii tepidus executor, qui ſolitudinis medium fini appoſitiſſimum minimè, aut leviter curat?

Solitudo contemplationi opportuna.

Tertia ratio

Ratio tertia. Exploratum eſt, Congregationis H noſtræ menti conſentanea eſſe ſolitudinis deſideria; cum de Cœnobiis eremiticis, celliſque ad morem primitivum, & antiquum ſeparatim extruendis leges tulerit, exemplo Congregationis Hiſpanicæ, unde genus duxit. Si ergo doctrina, quam tradimus, legibus noſtris conſona eſt, profectò deſideria ſolitudini adverſa, parumve congruentia extra leges aberrare videntur.

Neque vis rationis enervatur, quòd Congregatio noſtra neminem ad ſolitudinem cogat, cum omnibus eam, uti rem honeſtiſſimam, & à primævo ſtatu noſtri Ordinis derivatam proponat. Neminem ſanè cogit: At vehementer laudat ſtudium eorum, qui ad ſolitudinem de Prælatorum venia ſe recipere nituntur, qui ex communi ſententia præferri ſolent aliis id non ita expetentibus, quippè qui ſolicitiùs, quàm alii meliorem partem à Chriſto probatam exquirant.

A

Quarta ratio.

Ratio quarta. Tametſi qui loca deſerta, juxta diſciplinam, legeſque noſtras exoptant, à nemine commendarentur, profectus ſpiritualis certis experimentis deprehenſus eos prædicaret. Negari quippè nequit, quantùm è ſignis humano more conjicere licet, internorum judicio cognitori Deo reſervato, eos, qui Prælatorum conceſſu in ſolitaria loca ſe abdunt, majorem, quàm alii præſeferant, mundi contemptum exhibere, ardentioribus cœleſtium bonorum flagrare deſideriis, in exercitia ſpiritualia accuratiùs incumbere, communibus regularis diſciplinæ actibus frequentiùs intereſſe, ſacræ Scripturæ, piorumque librorum lectioni diutiùs vacare, ab humanæ laudis, aut gloriæ vanæ occaſionibus longiùs recedere, altioremque Dei ſenſum concipere. Hæc profectò nota, & communi ſermone vulgata ſunt. Si ergo hæc ita ſe habent, ſanè qui ſui profectus cupidus eſt, quoad per obedientiam licebit, ſe Marthæ laboribus, ac diſcurſibus ſubtrahet, & otium Magdalenæ in receſſu ad pedes Chriſti requiret.

B

Inanis gloria quò fugienda?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Prætexet fortaſſe aliquis, ſe vel morbis, vel melancholicis impreſſionibus, vel aliis cauſis ab ſtudio ſolitudinis avocari. Ceterum exceptio hæc non ad ſolitudinem reprehendendam, ſed ad exceptorem excuſandum confert: cui non vertitur vitio, ſi juſtis de cauſis eam minimè petat, ſecus ſi minimè laudet, aut probet. Quod enim unus, vel alter excipi, ob animi corporiſve intemperiem, debeat; cur communi probandæ ſolitudinis obſtet doctrinæ? cur obſtet experientiæ?

C

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Nemo è noſtris poſt ſpiritualem tyrocinii educationem adeo cœcus eſſe poſſe videtur, ut variis poſtea curis, ſtudiis, aut laboribus intentus non animadvertat, ſe velut alterum hominem ab eo, qui primùm nova Chriſti infantia per Religionis ingreſſum renatus eſt, evaſiſſe, quantumvis pia munia, puta concionum, & ſacrarum Confeſſionum obierit. Si enim hanc vitæ rationem minimè dignoſcit, modicum lumen nactus eſt. Profectò clariſſimi ſancti eam in ſe ipſis obſervarunt, & alto cum ſenſu fleverunt. Cum ergo mutatio hæc frequens ſit, remediumque morbo contrarium, & præſentaneum ſit ſolitudo; neſcio qua mente à Carmelita Diſcalceato rejici, aut non optari queat.

D

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Suppetunt exempla communibus hiſtoriis vulgata Sanctorum Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ, qui eo tempore, quo mundus eorum præſentia maximè indigere videbatur, ſe à mediis urbibus proripuere, ut ſpiritus paſtu pinguiore in ſolitudine reficeretur, & vegetior effectus ad conſueta officia rediret. Si ergo ſanctorum exempla pondus habent, & aliunde vitæ inſtitutum non modò non obſtat, ſed invitat, Prælatorumque venia datur; profectò ſolitudo poſtulata, & obtenta, virtutis augendæ minimè deſpicienda occaſio eſt.

E

Octava ratio.

Ratio octava. Chriſtus, ut è textu liquet Evangelico, plerumque ſeceſſit in ſolitudinem, ut nos exemplo tanto inſtrueret, ad conſuetudinem illam filiorum Dei ab exilio in patriam ſuſpirantium æmulandam. Quod ſanè tanti præceptoris documentum animis Sanctorum altè adeò inſedit, ut repleverit deſerta Anachoretis, & à cœnobitica in ſolitariam vitam illuſtriſſimos viros multa cum laude traduxerit.

F

Solitudo commendata.

Quid de rationibus productis judicandum eſſe exiſtimatis, Patres? Quod, rogo, judicium ferretis de Monacho Carmelita, qui contemplativam profitetur vitam, & ſolitudinem odit? An hæc poſſint cohærere? Quid de illo cenſendum, cui Cœnobia ab urbibus remota, & ad ſolitariam penè formam accedentia ex eo capite diſplicent, quòd à ſecularibus minimè frequententur, ægreque fert eam, quàm Sancti expetiverunt, commoditatem ad res divinas ſine interpellatione pertractanda? Beati, ajebat Auguſtinus, quorum omne opus oratio! Hi verò beatos ſe judicant, ubi ab orationis exercitio frequentia ſecularium inſtante recedunt. Hi certè nimis ad res humanas videntur affecti, neque unquam inter divinos viros reponentur. Profectò qui ſolitariam ducit vitam (ut Ariſtoteles, primo Politicorum dixit) eſt bellua, aut Deus, hoc eſt, (ut S. Thom. interpretatur) vir divinus. Cùm ergo ſolitudo, quam ſuademus, non ad vitam ritu belluarum, ſed cœlitum more inſtituendam pertineat, efficitur, ut qui eam obedientiæ ductu ſectantur, in numerum divinorum virorum referendi ſint. Etſi enim, quod ad externum ſpectat habitum, aliis ſimiles ſint, quod tamen ad mores mundo altiores attinet, ea inter hos, & alios, quæ inter ingenuos, & plebejos differentia conſpicitur, quod ſimilitudine ſatis oppoſita è ſacris litteris petita demonſtremus. Sanè ſi onagros, aſellos ſcilicet ſylveſtres, & domeſticos, quod ad corporis habitum pertinet, intueamur, exacta conſtabit ſimilitudo: ſi verò mores, mirum eſt inter utroſque diſcrimen. Domeſtici enim ſervili more onera geſtant, religantur, verberantur: ſylveſtres ab oneribus, vinculis, fuſtibus ingenua conditione exempti ſunt, & liberrimè campos, monteſque pererrant, ſicut ſcriptum eſt: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula ejus ſolvit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernaculum ejus in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non*

G

2. 2 q. 188. ar. 8 ad 5.

Solitarii viri divini dicti.

H

Iob. 39. 5, 6. 7. 8.

Scripta An. 1614.

audit. *Circumſpicit montes paſcuæ, & virentia quæque perquirit.* Ecce quàm liber à ſervitute aſellus, qui ſolitudinem percurrit, antitheſi facta ad eum, qui in mediis urbibus ſervit.

Onager, cui adſimilatus?

Hac certè de cauſa opportuna ſimilitudine onager ſolitarium virum, qui mundi jugum excuſſit, domeſticus aſellus hominem ſeculi onera ferentem ſignificat.

A

Ex quo palàm efficitur, ut Monachus, qui ſecularium frequentiam affectat, in ſervitutem domeſtici aſelli ritu degeneret. Vos autem Patres frui poteſtis libertate, qua Chriſtus vos liberavit, & ſeculi ſtrepitum per intervalla declinare. Quam ergo ſortem eligitis? Quam conditionem optatis?

Tempus breve eſt: animuſque in multa ſtudia diviſus vix ſapientiam primoribus labiis delibat. Utinam dies hos paucos vitæ fugaciſſimæ, magna ſaltem ex parte, ibi tranſigeremus, ubi ſola bonorum æternorum deſideria æſtuarent, & veræ pœnitentiæ lacrymæ eſſent nobis aquæ ſciſſæ in deſerto, & torrentes in ſolitudine!

B

Babylon, ex ea fugiendum.

Fugite, quoad poteſtis, è medio Babylonis, & tabernacula Jacob, ubi modica quies eſt, ne importunè requirite. Diligite potius portas dulciſſimæ Sionis, & pacem, quæ ſuperat omnem ſenſum, dum per obedientiam licet, opportunitate loci parate.

CAPUT IV.

Exhortatio de Inſtitutorum Monaſticorum varietate, & proprii Inſtituti uſu.

DIvinam profectò Chriſti ſapientiam decuit, Patres, ita Eccleſiæ fabricam extruere, quemadmodum mundi molem principio condiderat. Ut enim varia in orbe uno loca temperie, fertilitate, rerum majore, minorevè copia diſtinxit, ita in Eccleſiæ corpore partes varias diverſa perfectione diſcrevit.

C

Ex quo certè miro partium diſcrimine, non quidem ſoluto, aut ægre cohærente, ſed aptiſſima proportione concinno, ſpiritualis Eccleſiæ pulchritudo conſurgit.

Eccleſia Chriſti Sponſa dicta.

Confert itaque ad Sponſæ Chriſti decorem varia divini cultus diſciplina ordinibus diſtinctis aptè diſpoſita, eamque velut reginam forma præſtantem mirificè exornat: quod Pſaltes Regius extulit in hæc verba, abſolutam ſponſæ pulchritudinem Chriſto gratulatus: *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.*

Pſal. 44. 10.

D

Hic Ordo contemplationi, ille actioni, alius mixto deſtinatur Inſtituto, & ex mixtione ipſa multiplex Ordo temperatur, atque in hunc modum veſtis quædam polymita, & velut auro ſericoque intertexta Sponſæ Chriſti circundatur. Hæc reginæ forma, hic amictus eſt.

Monaſticorum Ordinum varietas.

Nunc ergo boni, prudentiſque Monachi partes ſunt, varietatem hanc Eccleſiæ multis Monaſticis Ordinibus ornatæ habere perſpectam, & proprium Inſtitutum, quod ſemel arripuit, relictis aliis, exactè obſervare, nulla extranea doctrina obtruſa, vel admiſſa; quod his rationibus movetur.

Prima ratio.

Ratio prima. Deus omnia fecit in numero, pondere, & menſura, quod non minus propriè in corporibus myſticis, quàm in phyſicis, ſeu naturalibus accipiendum eſt.

E

Quocirca cùm rem quamque mathematicè, vel etiam aritmeticè (ut ità dicamus) diſtinxerit, quæcumque pars loco proprio non conſiſtit, ordinem pulcherrimum à Deo diſcretum, quoad poteſt, perturbat, atque confundit. Monachus ergo, qui intra ſuæ profeſſionis metas non ſe continet, divini ordinis perturbator eſt, quoties aliena Inſtituta certat invadere; efficitque id, quod extumeſcens mare minatur, ubi præſtituta littora obruere velle videtur. At mari imperatum eſt: *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Iob. 38. 11.

Cui certè imperio ſimile eſt illud à Regio Vate de aquis decantatum: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram.*

Pſal. 103. 9.

F

Sic Deo obtemperandum eſt à Monacho, qui aliena Inſtituta aggrediendi tentatione infeſtatur.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Quod in corporis humani conſtitutione cernimus, hoc in corporum myſticorum ſpirituali, ſeu morali beatitudine experimur. Ut enim corpus unumquodque humanum figuram, temperiemque habet eam, cui aliam per omnia conſentientem nuſquam reperire continget; ita Religio quæque eas habet proprietates conſilio divino præſcriptas, quibus aliæ ex omni capite congruentes in Ordine Monaſtico nullo concreſcunt. Ut ergo figuras vultuſvè, & habitudines humanorum corporum velle conciliare ineptum eſt, ita Monaſticorum Inſtitutorum concordiam ex omni parte, aut ex ea, quæ à quolibet Inſtituto, juſtis de cauſis excluditur, quærere, abſurdum cenſetur.

G

Tertia ratio.

Ratio tertia. Si ratio ſuppeteret aliqua, ob quam Monachus alia Inſtituta cum proprio permiſcere deberet, eſſet certè major aliqua vitæ perfectio. At hæc exceptio nullius ponderis eſt. Si enim Deus non eum vocavit ad ſtatum illum perfectiorem, quorſum ſe intrudit ipſum? Non enim ab eo Deus in ſupremo judicio exiget eam perfectionem, ad quam non eum evocavit: præterquam quod ſi perfectionis urgetur deſiderio, dedat ſe perfectionis ſtudio in eo Inſtituto, quod profitetur, & adipiſcetur bonum, cujus imagine deluſus aliena meditatur. At objiciet, Inſtitutum aliud ſibi videri commodius ad vitæ perfectionem comparandam.

H

Cæterum non benè conſultat: res quippe jam deciſa eſt, neque de ſtatu electo prudenter jam conſilia nova init. At dicet, Inſtitutum ſanè ab origine bonum eſt, verum Monachorum vitio laxatum. Sed objectio hæc fortaſſe aliis à primitiva obſervantia in calamitoſam ſortem collapſis congrueret; noſtris autem divino munere ſocietatem florentem nactis, mi-

Scripta An. 1614.

minimè conſonat, manifeſtaque dæmonis ſuggeſtio videtur, aliud optare, quàm quod cœlitus conceſſum eſt.

Quarta ratio.

Ratio quarta. Admittamus, aliquod tandem vitæ monaſticæ Inſtitutum feliciùs modo florere quàm noſtrum, quod divino conſilio floret. Hoc tamen admiſſo ratio divinæ providentiæ, qua nobis hoc præ aliis

A

Inſtitutum inſpiratum eſt, non fert, ut de bonis aliis, ſed de propriis noſtris agamus: non alia, ſed hoc peculiare vitæ genus à Deo nobis iniunctum eſt, hujuſque perfectio à nobis ita exigitur, ut in eo exactè præſtando laus noſtra poſita ſit.

Comparatio.

Simile quiddam in variis Eccleſiæ ordinibus, ac in actibus tragœdiæ, comœdiæque perſpicimus, ubi quiſque laudatur, non ex nobilitate perſonæ, quam finxit, ſed ex proprietate, ſi ad vivum perſonam expreſſit; atque adeò præfertur is, qui plebejum negotiatorem verbis, geſtibuſque aptè repræſentavit, ei, qui Imperatoris perſonam minus aptè retulit. Sic profectò, qui ſtatus proprii partes explet, antefertur ei, qui altioris ſtatus

B

perfectionem minus æquat; quod crebrò accidere ſolet.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Experientia conſtat eos, qui ad aliena Inſtituta ſe affici patiuntur, plerumque ſeduci, vel tranſitu attentato, vel animo à proprio ſtatu ſaltem averſo. Ex quo fit, ut certam proprii Inſtituti, & perfectionis jacturam faciant, & parùm felici exitu, quantùm conjectare fas eſt, demum intereant. Cujus certè mali origo fuit modica proprii ſtatus æſtimatio, levibus ex occaſionibus orta, quæ proinde procul arcenda eſt.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Ordines Monaſtici, qui laudem primam promerentur, ſunt ii; qui non modò ex alienis Inſtitutis nova dogmata ſuis non intexuerunt, ſed qui formulam ſibi

C

traditam adeò tenaciter retinuere, ut ne ex minimis quidem ceremoniis olim acceptis quippiam detrahere, addere, vel mutare, melioribus quoque ritibus propoſitis voluerint. Etſi enim multa ex genere meliora olim præſcribi potuerint, ſtatuta tamen bona in morem inducta ex prioris electionis, & conſuetudinis circumſtantiis, aliis ex genere melioribus præferri debere viſa ſunt.

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Nemo adeò imprudens eſſe poſſe videtur, qui magnum argenti pondus bono conſilio repertum cum incerta ſpe auri effodiendi commutet. Qua ergo mente, qui bonum profitetur Inſtitutum minimè remiſſum, ubi multam vim bonorum

D

operum contrahere poteſt, animum adiiciat ad incerta lucra, quæ facilè animo concipiuntur, rarò tamen ex ſententia ſuccedunt? Sanum conſilium eſt, benè cœptis inſiſtere, & aliena officia minimè uſurpare.

Ex his, quæ prompſimus, liquet, Patres, magni intereſſe, ſi quiſque noſtrum in opus proprii Inſtituti totus incumbat, expendatque verba illa: Verùm quia requiritis a nobis, ut juxta propoſitum veſtrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in poſterum debeatis. Quibus ex verbis patet, Patres noſtros noluiſſe aliena Inſtituta uſurpare, propriamque vitæ formam à B. Alberto poſtulaſſe, & obtinuiſſe, ſibique rudes ac informes fuiſſe viſos, donec formulam certis limitibus circumſcriptam acceperunt.

E

S. M. Tereſia.

Hanc ergo & nos accepimus à B. Tereſia fundatrice noſtra reſtitutam, à qua recedere piaculum eſt. Hanc nonnullis proprio, & nativo ſtatu detorquere, & variis Inſtitutorum generibus adulterare conati ſunt: quibus aptè obiici poſſet illud Apoſtoli ad Galatas:

Gal. 1. 6. 7.

Miror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Et illud:

Gal. 5. 7. 8.

Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire? Perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocat vos. Hoc ſcilicet, quod Apoſtolus Galatis, qui priùs ſyncerum Evangelium cupidè amplexi fuerant, poſtea doctrina extranea corruperant, exprobravit, poſſet iis obtendi,

F

qui Inſtitutum noſtrum germano ſenſu antea ſuſceptum, peregrina & violenta mixtione pervertunt.

Novatores ab Apoſtolo anathemate percuſſi.

Cavete ergo, Patres, prodigium hoc, ne in vos feratur ſententia anathematis, quo Apoſtolus Inſtituti novatores pervellit in hæc verba:

Gal. 1. 8.

Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Formulam vobis præſcriptam ſyncero ſenſu tuemini; & præſtitutos vobis à Deo fines tranſilire ne ſatagite. Hæc eſt ſapientia noſtra, à qua ne latum quidem unguem, etiam ſacrificii prætextu diſcrepandum eſt. Præſcripſit Deus Saul per Samuelem formulam, qua uteretur in cæde Amalec: ille verò accepta formula,

G

nec ſyncerè retenta, pietatis colore doctrinam permiſcuit alienam, partimque factæ præſcriptioni, partim admixtæ doctrinæ demum adhæſit. Qua de cauſa & ipſe, & totum, quod egit, à Deo graviter rejectum eſt per illa verba:

1. Reg. 15. 11.

Saul cur reprobatus?

Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Ecce ſine diſtinctione partis, quam expleverat, reſpuitur, quia non ſyncerè formulam mandati retinuit, nec profuit ei exceptio illa, ſive animus immolandi, quæ ex cæde ſubtraxerat, & reſervaverat. Hoc quippè non ad ejus pertinebat Inſtitutum, quod memoriæ mandandum eſt.

H

Scripta ergo, traditiones, mandata, & univerſa, ex quibus noſtrum conflatur Inſtitutum, uti Dei gratia cœpiſtis, conſtanter obſervate. Peregrinas impreſſiones validè repellite. In caſtris Eccleſiæ militantis in ea ſtatione, quæ vobis contigit, animosè perſiſtite: & iis armis, quibus obſepti eſtis, regnum cœlorum, quod vim patitur, ampliſſimæ ſpe mercedis expugnate.

Scripta An. 1614.

TEXTUS II.

De Priore habendo, & tribus ſibi promittendis.

A

Illud in primis ſtatuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi, omniumque aſſenſu, vel majoris, & ſanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare, cum caſtitate, & abdicatione proprietatis.

B

Obſervatio thematum, quæ duci poſſunt è ſecundo textu Regulæ ad exhortationes ſolitas.

PRomi poſſunt tria graviſſima & utiliſſima themata, unum ad obedientiam, aliud ad caſtitatem, aliud ad paupertatem commendandam: & ſub quovis themate plures conciones, ſive exhortationes fieri poterunt: Nos exempli gratia tres duntaxat exhortationes ſubjiciemus.

CAPUT V.

Exohrtatio ad obedientiæ votum explendum.

C

Votum obedientie nobiliſſimum.

DIcturus de obedientiæ voto, inter ſolemnia nobiliſſimo, Patres, primo loco obſervandum exiſtimo, quàm ſapienter in Regulæ capite collocetur. Hæc quippè prima præſcriptio eſt, ut unus eligatur Prior, cui obedientia promittatur, quæ primo, ac digniſſimo loco ſtatui debuit, cum totius diſciplinæ monaſticæ baſis, totiuſque perfectionis compendium ſit. Quocirca eam penſitabimus, & habito delectu, è pluribus, quæ depromi poſſent, pauca proferemus è genere illorum, quæ ſalubriora videntur. Et primum quidem ſupponendum, votum obedientiæ à virtute obedientiæ ita diſcerni, ut quod lugendum eſt, plerique annis multis voto aſtricti perſeverent, qui obedientiæ virtutem minimè nacti ſunt. Primo quippe vocationis calore concepto votum emiſere: at veros obedientiæ actus exercere detrectarunt, atque adeo virtutis, quam parare debuerant, expertes ſolo voti vinculo innexi permanent, velut ſterilitate damnati, quorum conſortium tanquam morbi contagioſi genus vitandum eſt.

D

Virtus obedientiæ, quomodo comparanda?

Obſervandum mox, obedientiæ exercitium, quo virtus vera paratur, in eo ſitum eſſe, ut Monachus imperata intellectu miti probet, voluntate prompta amplectatur, expediteque exequatur, non quòd ingenio ipſius congruant, vel aliis ex capitibus honorifica, utilia, vel delectabilia ſint, ſed ea duntaxat ratione, quod ſint Prælati juſſa ſpontè nata, non extorta, aut aliundè profecta. Annotandum præterea vitium frequentiſſimum, quod ſerpſit in clauſtra, cum ratione, modove ipſo obedientiam colendi aperto bello pugnare. Nihil enim crebrius, quàm Prælatum urgere, variis hinc inde rationibus mirificè contractis, & concinnatis ad perſuadendum, ut hæc illave poſtulata concedantur, ubi perſpectum eſt germanum obedientiæ cultum nequaquam inveniri. Nihil item frequentius, quam fuga eorum, quæ à Prælatis iniunguntur, niſi fortuitò placeant, quæ ſanè ubi explentur, quia placent, profanus quidam obedientiæ prætextus eſt. Animadvertendum denique, in Clauſtris etiam florentibus paucos obedientiæ cultores omni majores exceptione reperiri, cum obebientiæ perfectio ſine multiplici, ac per illuſtri proprii intellectus, voluntatiſque victoria perquiri nequeat. Intellectum autem, ac voluntatem rarò ita pervinci, & in obſequium fidei redigi compertum eſt.

E

Animadverſio.

F

Hæc immenſi ponderis capita præfari oportuit, ut iis, quæ dicere paramus, internum admoveatis auditum, & ad obedientiæ æſtimationem animi excitentur veſtri, quorum res agitur, ubi de obedientia colenda, ad votum reddendum ſermo fit. Ut ergo tantæ virtutis ſtudio vos dedatis ipſos, & quos optatis fructus referatis, ſubjectas rationes attentè percipite.

Prima ratio.

Ratio prima. Omninò certum eſt, vos mundo nuncium remiſiſſe, ut primam, & potiſſimam victimam, proprium ſcilicet judicium, ac voluntatem Deo immolaretis, qui eſt ipſe proprius obedientiæ cultus. Cùm ergo in eodem propoſito perſiſtatis, quale delirium foret, quod ſpopondiſtis Divinæ Majeſtati, non reddere, & ſpirituali, deteſtabilique furto res Deo conſecratas profanè uſurpare?

G

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Inter Clementiſſimum Deum, & voti nuncupatorem quidam contractus, quoddamque ſpirituale velut matrimonium initur, ita ut, qui votum emiſit, ſui jam judicii, & voluntatis uſum legitimum non habeat, niſi ut divinæ voluntati à Prælatis nunciatæ conſentiat, reciprocoque modo divinum judicium, ac voluntatem, uti propria bona recipiat, quæ voti obedientiæ complexio eſt. Quis ergo adeò deſipiat, & contractum honeſtiſſimum infelici, turpique divortio ſolvere, nec Dei judicio, ac voluntate gubernari velit?

H

Tertia ratio.

Ratio tertia. Licèt nullus unquam contractus intercederet, obſequium obedientiæ, Divinæ Majeſtati præſtitum, res tam decora, & honorifica eſt, ut ſummis votis expeti debeat: quod facilè demonſtrant ſeculares pii obedientiæ voto minimè aſtricti, qui ſpontaneam ſuis Confeſſariis obediendientiam fideliùs, quàm Monachi multi ſuis Prælatis reddunt, rati honeſtiſſimum eſſe, aliquem ſibi præponere, qui Dei loco præſit, quòd quàm ſit Deo ipſi acceptum, ex fructu pietatis cumulato, quem recipiunt prudenter conjici poteſt. Si ergo rei honeſtas ſeculares allicit, cur Monachum non demulceat?

A

Quarta ratio.

Ratio quarta. Quamvis omiſſa interim honeſtate, ſola conſcientiæ ſecuritas expenderetur, deberet profectò obedientia ſtudioſiſſimè coli, & Prælati juſſa, velut oracula cœleſtia excipi. An viator ſolitudinem vaſtam pererrans belluarum fremitu territus implexis truncorum capitibus inſiſtens non magni faceret ductorem regionis benè gnarum, quo præeunte in locum tutum ſine ambagibus, periculiſve concederet? Multi ſunt vitæ mortalis anfractus, incerta providentia, anceps conſilium, ibique plerumque latent pejora diſcrimina, ubi ſalus tutior credebatur. Cùm ergo nihil in hoc exilio ſit optabilius, quàm in patriam cœleſtem rectis itineribus abſque defectione, erroreque contendere, conſtetque veros obedientes tutò agere, dum à Prælatis ſe ſinunt duci, eamque viam regiam à cunctis ſapientibus exiſtimari, dicendum prorſus videtur, Monachum, qui obedientiæ ducatum refugit, ſtupidè ineptire, aut etiam inſanire.

Vita mortalis periculis plena.

B

Quinta ratio.

Ratio quinta. Si aliquod ſuppetit perfectionis acquirendæ deſiderium: eò ipſo vigere debet colendæ obedientiæ ſtudium. Cùm enim obedientia ipſa virtutes omnes, è quibus Monaſticæ perfectionis componitur integritas, in animum inducat; aut à progreſſu perfectionis, in quam Monachus tendit, deſiſtendum, aut obedientiæ cultui inſiſtendum eſt. Porrò nemo inficiari poteſt, obedientiam virtutes omnes ſecum connexas inducere, cùm conſtet prælatorum juſſu actus virtutum aliarum, puta, humilitatis, charitatis, prudentiæ, temperantiæ exerceri. Si ergo tam decora, honeſtaque ſocietas placet, cupitiſque animum veris virtutibus excolere, obedientiæ ſtudio impenſè vacandum eſt.

Obedientia omnes virtutes connexas habet.

C

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Quoties obedientiæ reſiſtitur, bellum geritur, Prælato jus exigente ſuum, ſubditoque negante. Quis autem bellum juſtum ex parte ſubditi pertinacis eſſe contendat, cum videamus Monachos minimè paucos obedientiæ deſertores, & apoſtatas ſauciam conſcientiam gerentes, neque valentes requieſcere, à quibus ſi petatur tantæ calamitatis origo, reſpondebunt; ſi vera fateri velint, ſe in eas anguſtias incidiſſe, quod cum prælato concertare, neque cedere voluerint? Prætexant ſubditi, quicquid volent: rarò enim tam ſe juſtos evincent, ut à Prælato injuſtum bellum geri convincant, in iis Ordinibus, ubi ſpiritus, & legum cuſtodia vigent, quod nobis experientia compertum eſt. Qui ergo ſtabilitam cum Deo pacem tueri cupit, ne cum Prælatis ejus vicem gerentibus confligat, ſed iis fido obedientiæ cultu concedat.

D

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Si res, è quibus imperfecti Monachi anſam obedientiam violandi arripiunt contemplemur, major, multò quàm alias, inobedientiæ videbitur turpitudo. Malè quippe erga Prælatos affici, eorumque mandata præterire, aut non magni pendere aſſueſcunt, non aliis de cauſis, quàm quia papyri folium, imagunculam aliquam, vel id genus alia petita non indulgent, aut difficulter annuunt: quod experimentis multis deprehenſum eſt. Quis ergo non miretur incredibilem fragilitatem hanc, & muliebrem animum, cujus effectus iis de cauſis erga Prælatum intepuit? Quis non apertè perſpiciat, expeditum, & facilem eſſe obedientiæ exercitium, & non poſſe ullam idoneam excuſationem afferri, ubi quæ obſtant, adeò exigua ſunt? Profectò inter Monachos obedientes recenſeri non debet, qui leviſſima illa non aſpernatur, & obedientiam ſine ulla animi perturbatione æquè colit, ſive concedantur, ſive denegentur.

E

Octava ratio.

Ratio octava. Prætexitur abſurditas rerum, quæ interdum jubentur. At quis te conſtituit judicem judicis tui, Monache degener, & curioſe rerum explorator? Sit quique domus propriæ cenſor. Certè quod ad noſtram Congregationem attinet, non imperantur abſurda, ſed honeſta, & ut plurimum indifferentia, quorum pars altera probabilis eò ipſo fit probabilior, quod Prælatis probatur: quo in eventu boni Monachi non eſt adverſam partem propugnare, ſed collum Chriſti jugo ſubdere, quod utinam lectorum animis hæreat.

F

Nona ratio.

Ratio nona. Re inter monaſticæ diſciplinæ conſultos collata deliberatum eſt, multos, qui ſibi obedientes videntur, perquàm rarò ullum ſyncerum obedientiæ actum perducere. Cujus rei efficax argumentum eſt illorum ſolicitudo ad comparandum Prælati animum, & ineundum quoddam familiaritatis genus, quo utuntur, ut nihil moleſtum eis Prælatus iniungat, ſed cum eis tanquam cum æqualibus verſetur, facileque ac promptè, quæ poſtulantur, indulgeat. Rogo nunc, quando iſti obedientiam colunt? Apud bonos Theologos rei monaſticæ peritos conſtitutum eſt, omnia hæc, quæ ab iſtis tam ſedulò quæruntur, extra germanam obedientiam eſſe, nihil enim quoad poſſunt, ſolo Prælati juſſu injunctum, ſed prævia ipſorum diligentia ſibi adaptatum amplectuntur, ſtatimque ac quippiam diverſi generis imperatur, apertè verbis, aut nutibus, aut prætenſa mœſtitia diſſentiunt. Quando ergo obedientiam colunt? Profectò timendum eſt, & Monachus quiſque ſi has culpas admittat formidare debet, ne qui ſibi videtur ſapiens, in re omnium graviſſima deſipiat.

G

H

Decima ratio.

Ratio decima. Veris Monachis, obedientiam fidei opus eſſe ſcientibus, ſatis eſſe deberet exemplum Chriſti obedientis, ut

Scripta An. 1614.

ſine inſtructo tot rationum agmine flecterentur. Quod enim lapideum cor non moveat Filius Dei unigenitus, ſempiternuſque Deus creaturis ſuis obtemperans? Quis unquam concepiſſet animo rem tam longè ingenia mortalium ſuperantem, divinam ſcilicet Majeſtatem obedientiæ partes explentem? Credo equidem Beatiſſimam Virginem, ejuſque ſponſum Joſeph identidem altiùs, quam dici poſſit, obſtupuiſſe, dum æternum Dei Verbum ejus ſubditum, obſequiiſque deditum cernerent. Si ergo Filius Dei didicit (ut ait Apoſtolus) ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: quis unquam Diſcalceatus Carmelita obedientiam, vel obediendi modos ſynceros, integros, inviolatoſque reſpuere velit?

A

Chriſti obedientia erga B. Virginem, & S. Joſeph.

Satis proceſſum eſt, Patres. Quis tendat ultra? Ut ad Filii Dei uſque ad mortem obedientis ſcholam ventum eſt, quis non ſuccumbat? Exemplum hoc lectiſſimum orbis terrarum florem mundo eripuit, piamque prædam in Monaſteria tranſtulit. Unus Achatius à Climaco relatus, obedientiæ cultor fidiſſimus è ſepulchro, in quo corpus exanime jacebat, reſpondit, ſe mortuum non eſſe; quomodò enim vir obediens interiret? Hoc oraculum reddidit unus: at multi poſt eam ætatem tumulati ſunt, qui poſſent idem efferre, ſi divinæ providentiæ ordo id exigeret. Exemplum quippe Chriſti fortiſſimos viros procreavit, qui peſſundatis mundi, carnis, ac ſanguinis legibus, novo quodam Chriſtianæ infantiæ candore; quicquid ſcientiæ, ac prudentiæ olim comparaverant, abdicantes ſub auſteri Prælati diſciplina mirabiles fecere progreſſus, qui dum ab hiſtoricis referuntur, velut è ſepulchris clamitant, & ſe mortem proculcaſſe perſuadent. Huc, Patres, aſpirandum & conſpirandum eſt. Cur enim non eò pervenire nitamur? An deſunt exempla? An non proponuntur certatoribus præmia? An res non honeſta, utilis, delectabilis eſt, quam primaria mundi nobilitas cupidiſſimè arripuit? Porrò ſi juſta trutina obedientiæ appenderetur virtus, multi divinæ gloriæ, communis boni, ſalutiſque propriæ ſtudio incenderentur, & ſanctitatis laude clarerent. Pauci tamen aliquot ætate hac rem dignè æſtimantes in cœtibus Monaſticis gloriam adepti ſunt. An non animadvertitis, quanta apud noſtros ſit obedientiæ laus? Noſtis certè ita æſtimari, ut qui obedientiæ laude præcellit, ad omne opus egregium cenſeatur idoneus, meritiſque maximis locuples eſtimetur. Noſtis, nonnullos è noſtris ante Prælatum genua flectentes, nec ſurgere juſſos noctes integras in eo poſitu illuſtri ſui victoria perduraſſe. Noſtis, alios à Prælatis reprehenſos, & ad ſtabulum graviter amandatos, ibi cum jumentis ſyncera obedientia à fide genita pernoctaſſe. Noſtis, alios in media cœna vocatos, parcum peneque neceſſarium victum famelicos reliquiſſe. Noſtis, alios eadem ferè hora, qua Prælati juſſio innotuit, inſalutatis amicis ad regna longinqua migraſſe. Noſtis & alia, quæ multis in hoc genere penè miraculoſa videntur. Hæc antiquæ Sanctorum obedientiæ æmulatio eſt. Hæc eſt nota militum fortiſſimorum, qui emiſſi voti memores, obedientiam exactè, promptè, ſtrenuè per medios enſes, & ignes exercere decreverunt. His annumerari ſatagite, & quamlibet odedientiæ tranſgreſſionem, detortionem, interpretationem, violentam, & quicquid tantæ virtutis integritatem deterit, velut ſcelus idololatriæ perhorreſcite. Certate bonum certamen fidei, quæ fidelibus oculis piam caliginem offundit: & vitam æternam apprehendite.

Chriſti obedientia Patri exhibita, quæ?

B

C

Religioſus obediens ad omnia idoneus.

D

Exempla.

E

Inobedientia idololatriæ comparata.

CAPUT VI.

Exhortatio ad votum Caſtitatis explendum.

FOrtis eſt ut mors dilectio, Patres, quos Clementiſſimus Deus è ſeculo evocavit, & in ſtatum Monaſticum aſſeruit, ut curis omnibus aliis procul actis, libero affectu, & à terrenis rebus exempto, in amoris divini opus ſtrenuè incumberetis. Dilectio, qua præventi eſtis ab eo, qui vos è denſis mundi tenebris eripuit, ut in ſtatu hoc candidiſſimam cœli lucem aſpiceretis, fortis eſt ut mors. Ut enim mors res duas ſtrictiſſimè cohærentes, animam videlicet, corpuſque ſejungit; ita divina charitas vos arcto prius vinculo caducis rebus religatos avulſit, & pio divortio ſecrevit. Quod divinæ charitatis genus eò deſtinatum eſt, ut amore nullo peregrino capti cor integrum ſummo bono conſecretis. Atque adeo cœleſti conſilio caſtitatis votum vobis inſpiratum, & à vobis emiſſum eſt, quod ad eum ſcopum, quem ſapientia divina præfixit, erat appoſitiſſimum. Quemadmodum enim nihil eſt, quod à cœleſtium bonorum ſtudio efficaciùs hominem avertat, quàm impurus creaturarum amor, ita nihil eſſe poſſe videtur ad amoris divini ſtudium opportunius, quàm caſtitatis votum, quo & obſcœnitas omnis, & licita quoque aliàs corporum voluptas ictu uno præciditur. Felicem ſanè ſtatum hac de cauſa ſortiti eſtis, quod medio caſtimoniæ voto divina Majeſtas vos totos ſibi reſervare, & ſtrictum amoris fœdus vobiſcum inire dignata eſt. Cui certè immenſo beneficio ut rependatis vicem, nuncupatum puritatis votum ſuperata quavis arduitate reddendum eſt, quod his rationibus aſtruitur.

F

Dilectio fortis ut mors.

G

Creaturarum amor, & ejus effectus.

Ratio prima. Finis Inſtituti noſtri potior eſt divina contemplatio, illuſtris ſcilicet divinæ bonitatis, pulchitudiniſque notitia. Cùm ergo ex communi Sanctorum ſententia, tam caſtitas ad intellectus aciem rerumque divinarum notitiam, quàm obſcœnitas ad obtuſionem, ac cœcitatem conferat; omninò efficitur, ut caſtitatis cultu contemplationi intellectum mirificè adaptet,

H

Prima ratio.

Finis Inſtituti Carmelitici potior, qualis?

& à

Scripta An. 1614.

& à nobis ejus votum exactiſſimè obſervandum ſit.

Secunda ratio.

Caſtitas, quæ virtus?

A

Ratio ſecunda. Tam eximia eſt caſtimoniæ pulcritudo, & honeſtas, ut animus quilibet benè inſtitutus eam diligere ac exquirere debeat. Eſt enim virtus ingenua, decora, ſordium expultrix, candida, ſplendida, Angelica, & ſpirituali Chriſti thalamo digna. Quod non adeò arcanum eſt, ut omnino ſeculi ſectatoribus celetur. Quin etiam adeò compertum eſt, ut occuli nequeat populo Chriſtiano, cui ut libidinoſa vitæ licentia turpiſſimè ſordet, & quodammodo ferri nequit, ita caſtitas arridet, ipſoſque intemperantes ſuo ſplendore perſtringit. Quid? quòd Infideles ipſi hominem caſtum demirantur, & divinum quiddam ſub candido eo amictu latere concipiunt? Si ergo tot ex capitibus caſtitatis pulchitudo conſurgit, & impios animos forma capit, cur non, & pios? cur non, & eos, qui ejus voto ſe obſtrinxerunt ipſos?

Tertia ratio.

B

Ratio tertia. Vix exprimi poſſit, quàm ſit Beatiſſimæ Virginis filiis conſentanea caſtitas, & quàm foret horrendum impuritatis monſtrum in ea adoptione genitum. Quid enim tetrius, & deteſtabilius Virginis filiis caſtitatis inſigne quaſi gentilitium candida veſte gerentibus, quàm obſcœnitas, cujus vel ſolum nomen animus audire horret? Si ergo tantæ Parentis adoptio placet, omnis impuritas quantumvis modica validiùs, quàm corporis mors refugi ſanè debebit.

Quarta ratio.

S. M. Tereſia, ejuſque caſtimonia notata.

C

Ratio quarta. Suppetit ratio alia à B. V. Tereſia fundatrice noſtra, cujus eximiæ puritati & ſublimiſſima contemplatio, de qua ſcripſit, & corporis integritas incorruptiove mira fidem aſtruit. Quomodo autem ad ejus familiam pertinere dicatur, cui omnis impuritis exoſa non eſt, & qui caſtimoniæ pulchritudine captus non malit mori, quam fœdari?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Chriſtus amore ſingulari proſequitur fidos caſtitatis cultores, ut liquet è Santo Joanne Evangeliſta, quem caſtitatis prærogativa ampliore dilectione fecit dignum, ex multis puriſſimarum Virginum millibus, quæ in hac etiam mortali vita ſubtiliſſima cœli gaudia è Chriſti fonte hauſta in ſignum fœderis delibarunt. Qui ergo à Chriſto impensè diligi, & puræ voluptatis illapſu gaudere cupit, prudentiſſimo certè conſilio ad tanti boni lucrum utetur, ſi caſtitatis amore capiatur.

Sexta ratio.

D

Ratio ſexta. Prætexitur labor, qui ad corpus caſtigandum, & motus effrænes compeſcendos ſubeundus eſt. Cæterum ſi caſtitas res honeſtiſſima, & pulcherrima eſt, cur labor obtenditur? Quid enim boni ſine labore paratur? Turpiter ergo labor objicitur, præſertim cum major multò exhauriatur labor pro caducis rebus, quæ tantæ virtutis dignitatem æquare nequeunt. Quin etiam nuptiæ ipſe ab intemperantibus tantopere expetitæ duriores pariunt labores, quàm certamen caſtitatis, cujus conſcientia animum exhilarat.

Septima ratio.

E

Hominis caſti & intemperantis diſcrimen quoad corpus.

Ratio ſeptima. Concipiamus animo homines duos, alterum intemperantem, qui expleta libidine in adoleſcentia ipſa, corpus effœtum præmatura ſenectute, tabe, & diris doloribus conficit, tartarique tormenta præſentit, quod creberrimè accidere nimis notum eſt; alterum caſtum, qui animum à culpa, corpus à corruptela præſervat, & duram diſciplinam in bonæ ſpei argumentum vertit. Uter è duobus vobis probatur? Cujus ſortem appellatis felicem? Res profectò perſpecta eſt. Quis ergo caſtitatis honeſtatem non affectet?

Octava ratio.

Caſtitatis præmium.

F

Ratio octava. Mercedem, quæ corporis domitoribus in cœlo repoſita eſt, oculus non vidit, nec auris audivit, clariſſima quippe caſtitatis victoria eſt ſæviſſimo de hoſte relata. Quapropter vel ipſa certaminis magnitudo animum erigere deberet propoſito ampliſſimo præmio, menſura ſcilicet illa Evangelica bona, conferta, coagitata, quam fatigati animi ſinus excipiet. Si ergo premii cumulandi in certamine caſtitatis fœcunda occurrit occaſio, quis eam detrectet ex iis, qui ad cœnobiticam palæſtram acceſſerunt?

Nona ratio.

Ratio nona. Multa fortiſſimorum militum agmina pro caſtitatis decore in Monaſteriis, in Eremis, in antris decertarunt, & maluerunt omni mundi ſolatio carere, corpuſque vigiliis, inedia, frigoris, caloriſque patientia, ciliciis, verberibus penè conficere, quàm florem candidiſſimum caſtitatis amittere. Alii etiam à licitis nuptiis jam contractis prudentiſſimo conſilio abſtinuerunt, ne affectu minus libero in æterna gaudia ſuſpirarent. Quis ergo è noſtris ſtatu, quem profitetur, dignus ſit, niſi pro voto caſtitatis obſervando dura quæque ſuſtineat?

Decima ratio.

G

Ratio decima. Si rogem vos, quò feratur jugis labor diſciplinæ monaſticæ, quem fertis, oratio quotidiana, Dei præſentia, aliaque Inſtituti noſtri capita, reſpondebitis eò tendere, ut ineatur unio ſpiritus, qui in Chriſti amplexu quieſcat. Hæc videlicet quies finis veſtri laboris eſt. Hæc modò prægustatur fauſto quodam præſagio, quæ uti ſperamus in patria cœleſti demum perficietur. Cùm ergo caſtus animus ad unionem ſponſi, qui paſcitur inter lilia, facilè admittatur, quid cogitatis, ſi caſtimoniæ candorem non avidiſſimè exquiritis?

H

Longo ſatis rationum contextu patuit, Patres, quàm ſit è re noſtra formoſiſſimum caſtitatis ſplendorem ſummo proſequi amore nihilque arduum ea de cauſa formidare. Quid nunc attexam? Quid loquar? An exiſtimatis vos ſatis generoſè dimicaſſe, ſi uſitato modo caſtitatem colere pergatis? Benè quidem eſt, quòd oculos reprimatis, ne elegantem corporum formam aſpiciant. Benè eſt, quòd parco victu, duro lecto, ſomno interciſo, varioque labore corpus enervetis. At ubi eſt antiqua laus eorum, qui acerrimo prælio tentati florem intemera-

Scripta An. 1614.

Suſannæ caſtimonia notata.

A

tum ſervavere? Ubi fortitudo Suſannæ, quæ maluit neci tradi, quàm ſenibus impudicè ſuadentibus aſſentiri? Ubi fortitudo Martyris illius, qui in lecto molli cubare coactus, immiſſo ſcorto linguæ partem dentibus præciſam in faciem expuit? An putatis vos inter prætoriæ cohortis milites à Chriſto recenſendos, quòd intra clauſtra latentes occaſionibus ſubmotis, corpori proprio imperetis? Porrò ad clariores victorias aſpirandum eſt. Ut animo comparati ſitis ad ſanguinem in quavis occaſione fundendum pro caſtitate tuenda. Propoſitum quippe pium, & quod nulla commendat experientia, etſi laudi aſcribitur, non tamen laudi primæ, quæ Virginis filios omnino decet.

B

Si autem communes victorias ad laudem primam non pertingere decernimus; quid de lentis militibus dicemus? Spero equidem, Dei munere, ſub candida Virginis veſte neminem reperiri, qui candidè non agat. Verùm non ideo virtus abſoluta eſt. Qui enim è noſtris turpia quæque horret, ſed ea, quæ tutiora, purioraque ſunt, non avidè ſectatur, divinis beneficiis parum gratus, ſtatuque ſuo parum dignus eſt.

Senſuum externorum licentia coercenda.

C

Ne ergo peccetis, equo fallaci frænum aſperius in os inducite, & calcar aſtringite, ne vos præcipites agat: Ne vos frangat importunus inſultus, validè illum repellite, & pro virtutis decore pugnate. Oculorum, linguæque licentiam coercete, primoſque internos motus recenter excitatos, velut draconis capita præcidite. Omnia ſub ſole tranſeunt, vexatioque veſtra tranſibit. Nunc per confragoſa loca, & prærupta ſaxa iter facitis, propter verba labiorum ſponſi cuſtodientes vias duras: ſed poſtquam viam emenſi fueritis, apparebit amœniſſima regio vivorum immortali virore læta, & vitali fructu fœcunda. Ibi famelicus animus dulciſſimo paſtu ſaturabitur, & ſitis omnis puriſſimi potu fontis explebitur. Hæc, Patres, animo concipite. Hæc identidem recolite, & per mortalitatis labores, & ærumnas ad Civitatis Dei requiem, & ubertatem ſine defectione contendite.

CAPUT VII.

Exhortatio ad paupertatis votum explendum.

D

Temporalium abdicatio Relligioſis præcepta.

QUI per arduam ſalutis viam, proculcatis mundi legibus, progredi decreverunt, facilè animadvertunt, ſe divitiis oneratos iter illud, quod agilitatem multam, expeditionemque requirit, non poſſe qua cupiunt celeritate conficere. Quapropter à temporalium bonorum abdicatione perfectionis iter inchoant, perantiquo Eccleſiæ naſcentis uſu, & ſuccedenti per omnes ætates multiplici Sanctorum exemplo. Hiſce nos veſtigiis inſiſtimus, Patres, poſtquam cupiditatis vela contraximus, & apoſtolicam vitam ducere conſtituimus. Ut verò arrepti propoſiti amor altiùs imprimatur, & voti paupertatis obſervatio procurrat exactiùs, quanti fieri debeat Monaſtica inopia, ex rationibus hiſce perpendite.

Prima ratio.

E

Prima ratio. Eo ipſo, quod temporalia bona reſpuiſtis, moleſtiſſimam quoque rejeciſtis ſolicitudinem, quæ velut ſtimulus animo infixus opum poſſeſſores infeſtat. Ea quippe eſt vitæ præſentis conditio, ut vel modicum aurum ſolicitudinem generet multam, & requiem omnem depellat. Quantò ergo vobis commodior eſt inopia noſtra tranquillè ſuſcepta, quàm opulentia ſeculi ſolicitudine anxia?

Secunda ratio.

Secunda ratio. Ubi opes congeruntur, litium ſparguntur ſemina, quibus apud gravia tribunalia æquales, aut majores plerumque fiunt expenſæ, quàm ſit victoriæ lucrum. Ex quo efficitur, ut qui amplarum divitiarum hæredes inſtituuntur, pejus interdum vexentur, quàm ſi inopia premerentur. Quantò ergo precioſior eſt pax noſtra, quàm litigioſæ divitiæ? Rem conſiderate, & ſtatum veſtrum æſtimare pertendite.

Tertia ratio.

F

Ratio tertia. Quò quis in ſeculo ditior eſt, eò plures oſores, & inſidiatores patitur, qui ei vitam adimere, prædam diripere vellent. At quò Monachus pauperior eſt, eò plures habet amicos ad largitionem pronos, & miſericordes, quod experimentis quotidianis didiciſtis. Quis ergo paupertatem apoſtolicam mundi opulentiæ non præferat?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Perpauci divites inveniuntur, qui opes juxta Sanctorum doctrinam impendant, ſed alii in avaram retentionem, alii in prodigalitatem degenerant, quod nimis vulgatum eſt. Experientia ergo convincit, divitias in vitiorum fomenta frequenter verti. Quantò ergo felicior ſors veſtra eſt, qui actu uno divitias mundi omnes contempſiſtis, ut vitiorum materiam procul pelleretis?

Quinta ratio.

G

Ratio quinta. Philoſophi multi naturalis ſcientiæ amore capti, opes aſpernati ſunt, rati cum philoſophiæ ſtudio divitias non poſſe connecti. Quomodo ergo cum divinæ ſapientiæ ſtudio concilientur? Quantò eſt utilius, & delectabilius ſcientiæ ſanctorum, quàm auri conſervationi, & incremento ſtudere? Quis ita deſipiat, ut libertatem filiorum Dei è rerum fluxarum contemptione ortam ad animum in cœleſtia bona ſublevandum non magni faciat?

Sexta ratio.

Paupertatis effectus.

H

Ratio ſexta. E ſeculi declivio in excelſam ſtatus Monaſtici regionem aſcendimus, ut tanquam è propinquiore loco in cœlum ſemper aſpiraremus. Certis autem experimentis novimus, inopiam ipſam eſſe veluti ſtimulum quendam, quo veri pauperes excitantur ad res neceſſarias è cœlo requirendas, quæ in terris deſiderantur. Præclarè ergo nobiſcum agitur, ubi res quoque neceſſariæ deeſſe videntur, ut paupertatis apoſtolicæ experientia excitati à clementiſſimo Patre panem fidentiùs poſtulemus.

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Exploratum eſt, hanc planè felicem ſortem Monachis contigiſſe,

ut

Scripta An. 1614.

ut pro iis, à quibus eis in ſeculo victus, & veſtitus providebatur, ſucceſſerit fidiſſimus proviſor Deus, cujus promptuaria ſterilia eſſe non poſſunt. Quantò ergo ſecurior eſt nobis divina providentia, quàm ſecularibus humana: præſertim cum divites egeant & eſuriant; inquirentes autem Dominum non deficiant omni bono?

Octava ratio. A

Ratio octava. Experientia nobis notum eſt, ingenuos pleroſque qui in paternis ædibus opipare veſcebantur, ac pretioſè induebantur, rudi victui, ac veſtitui noſtro aſſuetos ſaniores, & validiores evaſiſſe, ut paupertas apoſtolica animi, corporiſque vires roboraſſe videatur. Quis ergo hujuſmodi inopiam non expetat, & ſpem in Deo firmiſſimè non collocet?

Nona ratio. B

Ratio nona. Recenſeri nequeunt innumera apoſtolicorum agmina pauperum, qui reliquerunt omnia, ut modico pretio regnum cœlorum compararent, quos Chriſtus robuſta ſpe æternæ hæreditatis erexit, ne inter inopiæ labores conciderent. Omninò autem compertum eſt, optabilius eſſe, ad ſpem tantam cum Chriſti laude conjunctam promoveri, quam univerſi mundi opibus, & honoribus affluere. Huc & vos pertinetis.

Decima ratio.

Matth. 8. 20

Chriſti paupertas.

Ratio decima. Unigeniti filii Dei vox eſt illa, quæ pectora ſaxis duriora mulceret: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Vox hæc Filii Dei, qui cum eſſet dives, egenus propter nos factus eſt, ut illius inopia nos divites eſſemus, deberet Monachum ſumma afficere lætitia ob ſimilitudinem ſui Redemptoris, quam gerit. Membra quippe capiti congruentia poſt exantlatos labores in capitis conſortium proculdubiò accerſenda ſunt, ut inopia brevis opulentia æterna repenſetur.

C

Paupertas Religioſa divitiis anteponenda.

D

Servitus Ægypti notatur.

E

Quò jam procurrat oratio? Quid à Monachis ſe Chriſtum ſequi profitentibus rationes allatæ non obtineant? Quis non divitiis regum inopiam noſtram anteponat? profectò cordi callum obduxit, qui paupertate apoſtolica minimè gloriatur, qui commodum lectum, cellam & id genus alia captat, qui laceras veſtes, rudemque victum horret, qui labores paupertatis comites detrectat. Cùm enim honeſtiſſima inopia hæc tam ſit ad regnum cœlorum parandum apposita, eoque regno potiri nolle extremæ inſaniæ genus ſit; neceſſariò dicendum videtur, Monachos paupertatis oſores, aut infidos obſervatores obduruiſſe, quippe qui ad opus tam ſibi ſalutare, ac honorificum ægrè inducantur, aut etiam obſiſtant. Qui eo pejores evadunt, quo commoditates, quas in Clauſtris exquirere poſſunt, minores ac viliores ſunt. Quid enim abjectius, quàm Monachum, qui amplum deſpexit patrimonium, poſt eam inſignem mundi victoriam ita degenerare, ut affectum, quem millenis aureis annorum redditum in ſeculo affixiſſet, rudi veſtimento, aut lecto abdicat, neque minus rei tam deſpicabilis privatione in Cœnobio mœreat, quàm reddituum illorum jactura in ſeculo doluiſſet? Hæc eſt Ægypti ſervitus, è qua Dei munere redempti eſtis, cœleſti libertate fruituri. Quid ergo cogitatis? Cur non pergitis aſpernari, quæ primo vocationis orſu deſpexiſtis? Sanè qui inter noſtros Monaſtica perfectione præſtiterunt, obſoletas veſtes novis, panem duriorem recenti, cellam incommodam commodæ præferre conſueverunt, cujus rei nos teſtes oculati ſumus. Quin etiam ubi panis neceſſarius conſueta prandii hora defuit, mirum eſt, quanta cum lætitia, ac gratulatione voti paupertatis exercitium exceperint. Hæc primævæ ſanctitatis æmulatio eſt, ubi non modò ſine murmure, aut querimoniis, ſed intimo cum gaudio penuria ſuſtinetur.

Rerum uſui communi addictarum cura.

F

Quid? jamne accurata obſervatione illa rerum ad uſum conceſſarum attexam? Mos enim inter noſtros invaluit, ut libros, operimenta lecti, & quicquid à Prælatis providetur, ita demum accipiant, & tractent, uti depoſita mox repetenda uſurpari ſolent, ne quid attritum, ſordidum, aut alio modo violatum appareat, quo Monachi alii ſine horrore uti non valeant. Quo quidem in uſu ita paupertati ſtudetur, rerum integritate, ac munditia ſervata, ut charitas erga alios iiſdem rebus uſuros eximiè colatur. Quid denique de iis ſubiiciam, qui iter facturi pecuniam ſponte oblatam reiiciunt, ut panem emendicare, & rarò ſaltem, & voti exercitio conſcientiam explendi promiſſi cupidam ſedare queant? Hæc, plurimaque alia ex fida voti obſervatione profecta iis è noſtris, quos ſine exceptione laudamus, noſtis eſſe familiaria.

G

Ne ſinatis occaſiones elabi, & de voti cuſtodia ſolo propoſito concepta ne vobis blandiamini: ſi neceſſaria ſuppetunt, & ubi deſunt, mœſtitia ſubit, qualis, rogo, voti cuſtodia eſt? Abſit à noſtris perfidia hæc: mentis cæcitas abſit. Libertatem ingenuam ne cum turpi ſervitute commutetis. Reddite Deo votum, quod nuncupaſtis, & apoſtolica inopia opes æternas comparate.

TEXTUS III.

De receptione locorum.

H

Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad veſtræ Religionis obſervantiam apta, & commoda, ſecundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt ad exhortationes ſolitas.

QUod ad exhortandos Monachos attinet, erga hunc textum diſſeri poteſt A de bono Cœnobiorum, quæ ad noſtram diſciplinam apta, & commoda extruuntur. Poſſet etiam agi de varietate Cœnobiorum, quorum alia in eremis, alia propè urbes conduntur, ad Inſtituti noſtri diſtinctas partes explendas, quibus ſatisfieri ſine ea varietate non poſſet.

CAPUT VIII.

Exhortatio de bono Cœnobiorum, quæ ad noſtram diſciplinam apta, & commoda extruuntur.

SIve de Cœnobiis eremiticis, ſive de aliis B prope urbes conſtructis ſermo fiat, non abſque cæcitatis, vel ingrati animi nota ædificii conſideratio præteriretur. Eſt quippè mirum, & ſanè magnum divinæ providentiæ opus in noſtram commoditatem, & ſolatium perantiquo uſu deſtinatum. Et quidem ſi mundi Principum ſolicitudinem ad extruendas ædes ampliſſimas intentam admiramur, æquum omninò eſt, ut Divinæ Majeſtatis curam ad ædificanda nobis domicilia impenſam demiremur, & in tanti Patris providentiam nos, noſtraque omnia referamus. Quod ut à nobis rectiùs fiat, rationes hæ animo imprimendæ ſunt.

Prima rario.

Ratio prima. Si Monachus quiſque in ſeculo fuiſſet locupletiſſimus, non valuiſſet certè domum ſibi tanto ſumptu ad quemcunque humanæ vitæ finem extruere, quan- C to Deus clementiſſimus ei domum ædificavit. Quis enim, niſi regem aliquem, aut ditiſſimum principem excipiamus, tantam pecuniæ vim contraheret, ac inſumeret, quanta in ſingulis ferè Monaſteriis divina providentia ad fabricam congeſta eſt. Hoc ergo beneficium, niſi quiſque ſibi uti proprium adaptet, cæcus, ac planè ingratus eſt.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Licèt quiſque noſtrum princeps in ſeculo fuiſſet, tantam molem nuſquam ſine innumeris moleſtiis, & jurgiis conderet. Et tamen cernitis ædificia noſtra ſine ulla moleſtia, ſine ulla contentione inchoari, & abſolvi, cum crebra, & propemodum quotidiana divinæ largitatis experientia. Profectò totum hoc veſtri gratia fit, neque ſine nota reticeri poteſt.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Sive fabricæ firmitas, ſive D forma, ſive commoditas ſpectetur, certum eſt, quæ in ſeculo reliquiſtis, cum iis, quibus ſine labore fruimini, non poſſe conferri. Rogo enim, quis in ſeculo domum tot cubiculis diſcretam, & ad pluvias arcendas, æſtumque avertendum tam opportunam nanciſceretur? Nec rationis hujus vis enervatur, quod quiſque noſtrum non omnes Clauſtri partes peculiari ſuæ commoditati vendicet: neque enim ſæculares vulgò id efficere poſſunt: præterquam quod quoties opus eſt, non materialis ædificii modò, ſed ſpiritualis quoque partes cujuſque veſtrum obſequio ſubjiciuntur. Animadvertite ergo, quam paternam veſtri curam Deus in hoc genere geſſerit.

Quarta ratio.

Ratio quarta. Opulentiſſimi principes in E urbe natali, vel alibi pro libito unum alterumve palatium conſtruunt. Vos verò multò plures domos variis in regnis habetis, quas fidentiùs petere, incolereque poteſtis, quàm illi ſuas: tam ſtricto quippe, ac tam integro jure vobis, quàm iis, qui eleemoſynas ad fabricam emendicarunt, domus illæ debentur, quoties Prælatorum juſſu hinc illuc migratis. Dicite ergo, quænam regum mortalium erga heredes ſuos providentia cum hac divina, quam erga nos perſpicitis, comparetur?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Non ſolùm Clementiſſimus Deus domos amplas, multaſque providit: ſed famulitio & omni neceſſario ap- F paratu inſtruxit, quod ex hoc diſcrimine palam evincitur. Potentiſſimus quiſque rex ex urbe regia egreſſus in oppido ſui ipſius regni finitimo, ac exiguo emit panem & pretium diverſorii ſolvit. Vos verò in Cœnobium noſtræ Congregationis divertitis tam fidenter, ac in paternas ædes, & non gravis tantùm, ſed cum inſigni amoris oſtenſione, pro neceſſitatis modo, lecto, ac menſa recreamini, quin & viaticum accipitis. Quid quod ſine ullo differentiæ veſtigio antiquiores minùs antiquis, doctiores & nobiliores non ita doctis & nobilibus alacriter miniſtrant? Profectò nulli mundi totius principi obſequia talia in palatiis magnificentiſſimis redduntur. Contemplamini nunc, quam liberaliter tractemini. G

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Quamvis Domus Dei, quod ad corpus ſpectat, incommoda ſemper foret, ut in locis recenter acceptis ad tempus eſſe ſolet, inter ſumma ipſius Dei beneficia ejus inhabitatio poni deberet, tametſi quis poſtremis obſequiis deſtinaretur. Quantò ergo cumulatius beneficium eſt, non inhabitare tantùm, ſed tot bonis ibi ſine diſcrimine frui, quibus locupletes etiam mundi domus proculdubio carent?

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Nulla domus inſtructior, quàm quæ periculis repentè natis, præſenti remedio ſtatim ſuccurrit: nulla ſecurior, quàm cui minùs invidetur, & quæ ita munita eſt, ut fures formidine depellat. Omninò autem certum eſt, Monaſteria, ubi multi Chriſtiana pace fœderati commorantur, ejuſmodi eſſe, cum ibi interdiu, noctu- H que ad omnium commune, & cujuſque privatum bonum omnes concorditer accurrant: quod tum in aliis eventibus, tum in montis diſcrimine ſummi ſolatii genus eſt. Judicate ergo, quam benè miſericors Deus domos noſtras inſtruxerit, atque munierit.

Octava ratio.

Ratio octava. Cœnobia Monachorum habent tutelares ſanctos, quorum patrocinio perſtant integra, ea præſertim, quæ Beatiſſi-

Scripta An. 1614.

tiſſimæ Virginis titulo decorantur. Quænam ergo regum palatia cum iis conferantur, quamvis tormentis militaribus, & excubiis accuratè diſpoſitis ſe muniri jactent.

Nona ratio.

Ratio nona. Magni ſanè ſolatii genus eſt ſub eodem tecto in concilio juſtorum, & congregatione morari. Quid enim non ſperandum, quando Clementiſſimus Deus Sodomorum, & Gomorrhæorum multitudini enormibus peccatis fœdatæ, Abraham intercedente, veniam pollicetur, ſi decem juſtos reperiat? An qui innumeris peccatoribus parceret ob juſtos paucos, non ignoſcet Monacho uni ob cœtum juſtorum in preces incumbentium, ſi fortè pro humana fragilitate peccarit? Neſcit mundus æſtimare, quàm ſit ad animos roborandos efficax juſtorum ſub uno tecto ſocietas.

A

Veniam a Deo Sodomæ, & Gomorrhæ repromiſſam, & cum quibus nam conditionitas?

Decima ratio.

Ratio decima. Supereſt ſummum planè Cœnobiorum bonum à paucis (ut par eſſet) expenſum. Quod ut dignè ponderetur, ponendum eſt, Eccleſias Cœnobiis contiguas potiſſimam ædificii partem eſſe, quæ cuique Monacho, velut domus propria, & ſatis ampla eſt, cum è Clauſtro ad eam pateat ſemper janua, ibique actus eccleſiaſtici ab omnibus ritè celebrentur. Rogo nunc, nonne ibi Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, & ſub eiſdem tectis Chriſtus vobiſcum habitat? Videturne vobis habitatio hæc ad Cœnobiorum dignitatem, veſtrumque ſolatium parùm attinere? Incredibilis profectò mentis hebetudo, cordiſque duritia foret, ſi rem hanc planè grandem non maximi penderetis. Utinam Divinæ Majeſtatis dignationi juſtum gratitudinis tributum redderetur.

B

Ex iis, quæ prompſimus, facilè cognoſcetis, quid ſub illis Regulæ verbis, loca ad veſtræ Religionis obſervantiam apta, & commoda lateat. Perſpexiſtis quippe, quanta ſit aptitudo, quanta commoditas in Cœnobiis noſtris ad vitam tranquillè ducendam, & ad animum non modò veris virtutibus excolendum, ſed etiam recreandum ac roborandum, quod divinæ bonitati acceptum ferendum eſt. Nunc ergo ſi tanta ad omne opus diſciplinæ Monaſticæ commoditas ſuppetit, quid cenſeretis, ſi quis veſtrum illa abuteretur, & ubi ſanctior facile poſſet evadere, fieret ſponte deterior? Cœnobiorum aptitudo, lapideſque ipſi, quibus conſtant, clamitare, & Chriſtianam perfectionem à nobis ſtricto jure videntur exigere: quid igitur ſi quis Dei immemor, nihilo melior in Clauſtro ſanctimoniæ feraci fieret, quàm ſi in profano loco verſaretur? An putatis, impune laturum eum, à quo loca ſancta polluuntur? Obſervate, quid aliis Religionibus contigerit, quarum Cœnobia deſerta, & templa in ſtabula converſa cernuntur, hac ipſa ætate, quæ mœſtiſſimorum prodigiorum ſpectatrix effecta eſt. Floruerunt olim loca illa, quæ viridaria ad Chriſti delicias culta videbantur; ſed Monachi degeneres aptitudine, & commoditate illa abuti cœperunt, perrexeruntque, donec ira Dei efferbuit, ſedibuſque antiquis legum violatores depulit. Contigit ejuſmodi locis, quod olim Sion, de qua Jeremias: Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimici muros turrium ejus.

C

Religioſi ad quid ſtricte teneantur?

D

Thren. 2 7.

E

Hæc Propheta, ad cujus ſenſum ſacra monaſteria profanè violata lugeri poſſent. Quapropter cavendum eſt, ne quis noſtrum iram Dei provocet, & quod ad ſe attinet, fabricam demoliatur, quam ſuſtinere deberet. Nulla funeſtior in clade Jeroſolymitana calamitas fuit, quàm loci Deo conſecrati pollutio, & ſubſequuta devaſtatio; neque ulla luctuoſior in Ordinibus monaſticis excogitari poſſe videtur, quàm ubi Monaſteria, quæ à Sanctis condita, & inhabitata fuêre, ab irato Deo reiiciuntur. Sanctè ergo Sancta tractate, & commodam parandæ perfectionis occaſionem adepti, ne otio torpeatis. Expendite dignitatem loci ſacri multis prærogativis exornati, vos qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Domini noſtri. Exhibete vos loco dignos, & cœleſtis Jeruſalem imaginem referte. Ne committite, ut indecorum quippiam deprehendatur, quod Dei domum dedeceat: ſed cœleſtes Angelorum choros apta communium actuum proportione, miti animo, & modeſtiſſimo corporis habitu æmulamini. Hic Cœnobiorum noſtrorum cultus ſit, qui æterna mercede repenſabitur.

Sancta ſancte tractanda.

F

CAPUT IX.

Exhortatio de varietate Cœnobiorum, in qua Monachi diſtribuuntur.

DIvinam profectò ſapientiam decuit, Patres, in hac nova Carmeli inſtauratione ita Cœnobia inſtitui, atque diſcerni, ut amplo B. Tereſiæ fundatricis noſtræ propoſito congrueret, ne quid deſideraretur ad bonum, quod animo conceperat, exequendum. Quocirca conſilio cœlitus inſpirato, à majoribus noſtris quaterna, aut quina Cœnobiorum genera, juxta ſenſum verborum Regulæ, quæ nunc lecta ſunt, diſtincta novimus, alia ſolitudini, alia tyronum educationi, alia ſtudiis, alia profeſſorum profectui, alia miſſionibus deſtinata, ex quibus varia quædam veſtis velut opere plumarii elaborata contexitur, quæ Congregationem noſtram exornat. Veſtem hanc magnifacere, & pro captu quiſque ſuo tueri debet, ne laceretur vel inquinetur; quod Divinæ Majeſtatis gloria, & ipſius Congregationis dignitas excelſa requirit. Quia verò nullus veſtem lacerandi modus expeditior eſt, quàm ſi quis præſcriptum ſibi in unoquoque Cœnobio ordinem invertere, aut ſine Prælati conceſſu ex aliis in alia migrare contendat; rationes proferam minimè contemnendas, quibus, quoad potero, expendam, quàm ſit expediens, Monachum quemque in loco ſibi aſſignato permanere, nec injuſſu Prælati mutationem ullam attentare.

B. M. Thereſia.

G

Monaſteria Carmelitica, eorum genera, quot?

H

Scripta An. 1614.

Prima ratio.

Ratio prima. Congregatio noſtra divino munere diſpoſita eſt, velut caſtrorum acies ordinata, Prælatis oculatiſſimè obſervantibus, quem unicuique Cœnobio aſſignent, quam functionem cuique demandent. Quando ergo Monachus ſine cauſa coram Deo efficaci, Prælatum urget, ut locum, functionemve mutet, nihil agit aliud, quàm A ſimiles decretam ſibi ſtationem abſque cauſa deſereret, & exercitus, vel agminis ordinem confunderet. Rationis vis ſeipſam luculentiùs prodet, ſi qui eo modo ſe tentari ſinit, fingat quid mali ſuccreſceret, ſi alii ejuſmodi fragilitati ſuccumberent. Exploratum eſt quippe, ſi id crebrò accideret, omne Congregationis bonum, Monachis variè diſperſis, interiturum. Si ergo in aliis id minimè probandum eſt, quid de ſe ipſo, qui non eſt aliis juſtior, reſpondebit?

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Mutationis cupiditas oriri paſſim ſolet ex fuga mortificationis, qua paſſiones nondum domitæ excitantur. Cum ergo, qui ejuſmodi eſt, paſſiones ſecum ferat, cæcus eſt, ſi non apertè perſpiciat, non loci, ſed animi mutationem ab eo quæ- B rendam eſſe, ſi conquieſcere velit.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Prætexunt aliqui, in aliis Cænobiis non eſſe exercitia prorſus ſimilia, non parem ſecularium frequentiam, majores virtutis parandæ occaſiones. Cæterum ii, qui diſciplinæ Monaſticæ benè conſulti ſunt, hujuſmodi prætextus fallaces judicabunt, cum frequenti experimento pateat, eos, qui hæc excuſant, ex inconſtantia potiùs & impatientia, quàm ex amore virtutis mutationem optare. Licèt autem vera eſſent, quæ proponunt, quamdiu ex obedientiæ præſcripto in loco uno morantur, certò ſciant, ſe juxta Dei voluntatem ibi manere, incertum autem eſt, an juxta Dei placitum de mutatione cogitent. Cur ergo C incerta certis præferre velint?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Quamdiu Monachus prælati juſſu uni adſcribitur Cœnobio, non exigit Deus ab eo alia exercitia perfectiora, quàm quæ ibi frequentantur, certumque eſt, cujuſvis Cœnobii exercitia ea eſſe, quibus Chriſtiana perfectio poſſit acquiri. Si ergo ea ſufficiunt, & Deus à Monacho non alia exigit, quid ipſe cauſatur, ut cœlum mutet?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Prætexit Prælati aſperitatem, vel id genus alia. Verùm quomodo novit, Prælatum, cui ſubeſſe cupit, mitiorem ſibi fore? Manifeſta dæmonis impoſtura eſt, quam multi ſerò reprehendunt. Notum eſt quippe, Monachos in hoc genere fragiles, velut extorta ad tranſmigrandum D licentia uſos, duriores incurriſſe in Prælatos, quos planè ſuaves ſibi fore leviter conjectaverant. Quod æquo Dei judicio accidere, ſapientum conſenſio eſt, in pœnam culpæ, quam commiſerant, dum divinæ voluntati in decreto ſibi Monaſterio perſeveranter parere detrectabant.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Si mutationis cupiditas ad conſcientiæ ſenſum examinetur, ex multis patebit eventibus, Monachos Cœnobia in varia inhiantes, perpetuum ſibi creare remorſum, quo jugiter vellicentur. Qui enim Prælatum moleſtia afficit, donec mutationem impetret, jam inde novit ſe Dei voluntatem quaſi violento motu pertrahere velle, ut proprio ſenſui adaptetur. Mox quicquid mali in locis, ad quæ migrat, ac- E cidit, in graviorem vertitur deſolationem, conſcientia ſcilicet infeſta, quæ dictat, illum non in eas anguſtias à Deo inductum, ſed propria voluntate præcipitatum, ac propterea non illa Dei auxilia ad animum dejectum erigendum recepturum, quæ in loco divinitus electo conſiſtens è cœlo reciperet. Qui inconſtantiæ morbo laborant, hanc veritatem, vel coacti aſſerunt.

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Religioſi per itinera parùm neceſſaria vagantes magnam internorum affectuum jacturam faciunt, ægreque poſteà ad ſe redeunt. Quomodo ergo, qui rerum ſpiritualium curam gerit, induci poteſt ad loca longè diſſita petenda, vel optanda? Qui à Prælato communis boni gratia miſſi iter faciunt, vix ea damna vitant; F quid ergo, qui licentiam extorquent?

Octava ratio.

Ratio octava. Qui inter noſtros verarum virtutum laude præcellunt, horrent ejuſmodi itinera poſtulata, & verentur, ne à Deo deſerantur, ſi ipſi loca aſſignata deſerere velint. Bonorum ergo mos argumentum eſt, ad alios diverſè opinantes ex hoc capite minimè laudandos.

Nona ratio.

Ratio nona. Ex quo quis cœpit levibus ex cauſis Cœnobia mutare, ſpiritu quodam vertiginis correptus intra paucos menſes pro novis mutationibus Prælatum torquet, ut ſatis vulgatum eſt: ex quo bonum ſuum nomen obſcurat, & aliorum irriſioni ſe ipſum exponit. Quantò ergo ſalubrius eſt, G mutationis appetentiam recenter ortam coercere, quàm permittere, ut novo paſtu vires acquirat?

Decima ratio.

Ratio decima. Ubique pro regno Dei mala ſuſtinenda ſunt. Ibi autem fructuoſiùs tolerantur, ubi Deus liberaliùs favet, & ubi conſcientia ſuggerit, hominem non quærere, quæ ſua ſunt, quod exploratum eſt, feliciùs ſuccedere, ubi quis ex Prælati arbitrio moderatur. Prudentius ergo conſilium eſt, ut ſinamus nos obedientiæ ductu regi, & locorum delectum tanquam diſciplinæ noſtræ partem Prælatis, Dei vicem gerentibus, deferamus.

Relligioſi verarum virtutum cupidi, quid vitent?

Rationes depromptæ id efficiunt apud Monachos verarum virtutum cupidos, ut vel cum juſtæ cauſæ ſuppetunt, à Prælatis mutationem loci poſtulare non audeant, ſed rei judicium eis deferant, cauſa ut pluri- H mum ſyncerè propoſita. Audaciæ quippe genus eis videtur, quicquam flagitare ob allatarum rationum pondus, quod conſcientia ferre recuſat. Quod enim ſolatium (ajunt illi) nobis accidere poſſit, ſi non ſimplici obedientiæ ductu, ſed importunis poſtulatis alio migremus, ibique acres tentationes, graveſque moleſtiæ ingruant? Qua

fron-

Scripta An. 1614.

Religioſi incauti, quid quærant?

A

fronte Deum precabimur, ut avertat mala, quæ adverſus legitimum ſynceræ obedientiæ uſum nos ipſi quæſivimus? Mala ſponte quæſita formidant, & præcavent, qui Dei ductum æſtimare norunt; cum tamen pœnis à Deo illatis humeros generosè ſupponant. Alii verò, qui modicum lumen nacti ſunt, craſſo quodam ratiocinandi genere permoti ſatis juſti ſibi videntur, ſi quæ apertum peccati inſcriptum præferunt, declinent; loci verò mutationem, & ſexcenta alia, quæ eam turpitudinem non oſtentant, paſſim expetunt, & efflagitant. Cæterum à fructibus eorum cognoſcetis eos: cum enim interna leviter curent, in exteriora ſe totos effundunt. Ne vos horum contagio infici patiamini: ſed naturæ mentis, invictæ patientiæ, & virilis conſtantiæ ſigna præferte.

B

Civitas Dei patria noſtra adpellata.

C

Monachi divinæ voluntatis explendæ, perfectioniſque parandæ cupidi, dum diſtincta Cœnobia mente perluſtrant, debent ſecum ita paciſci: Deus hæc loca diſcrevit, non ſecus, ac dum conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael, quando diviſit eis terram in funicolo diſtributionis. Si ergo Deus lineam duxit, ſi loca ipſa menſus eſt, ſi diſtinxit, partes noſtræ ſunt, divino conſilio acquieſcere, nec extra metam nobis præfixam conſilio humano recedere. Hæc ſi præſtiteritis, non dubium, quin in ſorte quiſque ſua conſiſtens majora Dei beneficia recepturus, auctiora merita cumulaturus ſit. Hinc etiam exiſtet firmior, & permanentior pax, animo nihil terrenum ad ſolatia captanda experiri, ſed in æterna bona ſuſpirare nitente. Nullam ergo mutationem meditamini, niſi illam, qua è calamitoſo exilio in dulciſſimam patriam, in Civitatem videlicet Dei, peracto mortis agone, transferendi eſtis. Hæc bene percipite, & in ſupernam Jeruſalem per arctam viam, obedientiæ ductu contendite.

TEXTUS IV.

De Cellis Fratrum.

D

Præterea juxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas habeant cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius & de aſſenſu aliorum fratrum, vel ſanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint aſſignatæ.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

Poſſet differi de bono cellæ ſeparatæ: Deinde agi poſſet de inſtructione cellæ. Singula perſequamur.

CAPUT X.

Exhortatio de bono Cellæ ſeparatæ.

E

Cellarum diſcretio, uti res planè gravis & ad Monaſticæ diſciplinæ fructum peropportuna, hoc textu præſcribi debuit. Etſi verò diſcretio hæc major olim fuerit, & celebrior, quàm ætate hac, modò tamen ad antiquitatis imitationem in locis eremiticis cellæ per intervalla extruuntur, & in Cœnobiis, ubi ſolo diſcernuntur pariete medio, ea diſciplina in hoc genere obſervatur, quæ ab eremitica non longè recedit. Quapropter doctrina de bono cellæ ſeparatæ communis erit, quæ pro ſeparationis diverſitate pondus habebit.

Cellæ Eremiticæ, cur ſeparatæ?

F

Primùm ergo, cæleſti conſilio factum credimus, ut ſeparatio præciperetur, ob immenſum bonum, quod inde provenire certis experimentis deprehendimus. Et quidem, quod ad Divinæ Majeſtatis cultum attinet; benè conjiciunt, qui ſentiunt, cellas in Clauſtri ſtructura diſcretas à Monachis inhabitatas referre mirabile illud favorum opificium architectonicè in cellas diviſum, & ſuaviſſimi liquore ſaporis oppletum, quo ita Clementiſſimus Deus delectari videtur, ac opera apum alveorum curator, cui totum deſtinatur mellificium. Quod verò ad Monachum quemque ſpectat, vix exprimi poſſit, cella ſeparata quàm ſit bonorum ferax; quod è ſubjectis rationibus cenſete.

Prima ratio.

Ratio prima. Vulgatum eſt illud, quod jam in proverbium verſum eſt. (Pax in cella). Cum ergo creaturæ univerſæ pacem inquirant, & Deus Monacho modum pacis inveniendæ in aſſignata ſibi cella clementer oſtenderit, errabit ille profectò, ſi cellæ bono frui detrectaverit.

Secunda ratio.

G

Ratio ſecunda. Monachi perfectionis avidi experientia convicti fatentur, ſe extra cellam alios eſſe ab iis, qui intra cellam ſunt, culpaſque multas receſſu illo ſe vitare animadvertunt: atque adeo, quàm citò poſſunt, à negotiis ſe ipſos expediunt, ut ad cellam, tanquam columbæ in ſua receptacula redeant: Quid ergo de minus perfectis cenſebimus, quibus crebrior, & facilior lapſus, rarior & tardior reſipiſcentia eſt? Quantò citiùs hi ad cellam ſe recipere deberent?

Tertia ratio.

Fructus receſſus multiplex, & qualis?

H

Ratio tertia. Fructus, qui ex receſſu provenit, multiplex eſt, ſi exercitia ſpiritualia, quibus more noſtro vacandum eſt, contemplemur. Cujuſmodi eſt oratio, pia lectio, ſcriptio, genuflexio, proſtratio, & hujuſmodi alia, quibus merita multa in cella parantur. Si ergo fervet perfectionis deſiderium, media hæc tam opportuna ſine ſtupiditatis nota negligi nequeunt. Porrò magnus cellæ proventus eſt.

Quarta ratio.

Ratio quarta. Spectato actuum noſtri Inſtituti contextu, vel ipſa commoditas cellæ amorem deberet inducere. Multò enim eſſet laborioſior diſciplina noſtra, niſi alterna cel-

Scripta An. 1614.

cellæ quiete labor actuum communium temperaretur. Intercalata verò quies adeo moderata eſt, ut receſſus ille ſui potiùs appetentiam, quàm faſtidium pariat, ſi qua perfectionis Monaſticæ æſtimatio ſubſit. Cur ergo non optetur? cur non exquiratur?

Quinta ratio.

A

Ratio quinta. Quanti ſit ponderis cellæ bonum, ex eo perſpicitur, quod noſtræ ſalutis inimicus importunè, & graviter ad exitum urget. Novit enim ipſe, quæ damna ex receſſu patiatur, quæ lucra exitu conquirat. Si ergo hoſtis nocendi cupidiſſimus tantopere exitum ſuggerit, neceſſariò aſſerendum eſt, illam cellæ cuſtodiam momenti maximi eſſe.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Obſervata Inſtituti noſtri ratione, ac rei examine identidem facto, conſtat eos, qui in cellis parum latere, indeque frequenter egredi aſſueſcunt, & cultura ſpiritus modicè proficere, & aliis quodammodo exoſos fieri. Quod æquo Dei judicio eis rependi videtur, quod rem ſanè pretioſam non magni faciant. Bonum ergo conſilium eſt in cellæ ſtatione perſiſtere.

B

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Quieta illa cellæ cuſtodia tam eſt fini principali Inſtituti noſtri, contemplationi nempe, conſentanea, ut vix credi poſſit, aliquem è noſtris ad finem, quò vocatur, ſeriò tendere, & cellam non impensè amare, quod ita per ſe notum videtur, ut id rationibus aſſerere ſuperpervacaneum ſit. Si ergo potior Inſtituti noſtri finis animo hæret, & animus cellæ adhæreat neceſſe eſt.

Octava ratio.

Ratio octava. Illuſtres in cella victoriæ à Monachis veris deſidiam, & torporem excutientibus comparantur, ſpectante Deo palæſtram, & præmia cumulata decernente. Eoque victoriæ illæ tutiores ſunt, quò ab hominum conſpectu exemptiores. Quin & oratio ipſa, juxta conſilium Evangelicum, oſtio clauſo, intra cubiculum Deo animorum cognitori oblata, purior, & acceptior eſſe ſolet. Quid ergo prætexit, qui cellæ bonum lentè diligit?

C

Nona ratio.

Ratio nona. Monachis in cellam abditis à Deo internæ lætitiæ oleum dignatione multa ſolet inſtillari, quo feſſi recreantur, & exhilarantur feliciùs, quàm oleo materiali vidua illa, quæ oſtio clauſo de conſilio Eliſæi vacua vaſa demum explevit. Cur ergo nos ipſos, in cella clauſa, huic cæleſti refrigerio non aptare curemus?

Decima ratio.

Ratio decima. Quàm ſit eximium cellæ bonum, tam eſt per ſe exploratum, ut ab ipſis ſecularibus propemodum cæcis fidem acquirat. Ii quippè (quod nobis notum eſt) in Clauſtra Monachorum in cellis ſine ullo ſtrepitu latentium ingreſſi, vehementer admirantur, quòd tot homines aliis natura ſimiles longa cellarum ſerie in receſſu quiſque ſuo quieſcant, quod natura horrere videtur. Qua ex meditatione alta trahunt ſuſpiria, & vim lachrymarum effundunt, quaſi receſſus ille è petris aquam eliciat. Si ergo ſeculares cellæ bonum, quaſi divinum quiddam demirantur, cur Monachi id non æſtiment? Cur non in Chriſti militia, in decreta ſibi ſtatione permaneant?

D

Multa ſatis argumenta congeſſimus, quæ ad cellæ amorem parum etiam pios animos excitarent. Quid autem de piorum motione ſubjiciam? Vos, Patres, pietatem colitis, & Inſtituti noſtri amore capti eſtis. Vos ergo appello, & rogo, an memineritis Sanctorum, qui in ſpeluncis, & cavernis terræ vitam duxerunt, ſubtrahentes ſe variis ſolicitudinibus, ut exactiùs de graviſſima æternæ ſalutis cauſa coram Divina Majeſtate agerent. Porrò ſi cauſæ hujus pondus dignè perpenderetur, credo equidem, multa millia, qui modò per plateas otioſè vagantur, ſeſe reciperent, & ſecretiſſimas Eremitarum cellas, vel antra peterent. Si enim, ubi aliqua cæleſtis inſpiratio ab eis percipitur, molliuntur, & ſe in Oratoria abdunt; quid rogo efficerent, ſi ſenſus ille Dei diutiùs permaneret? Cum ergo vos Dei ſenſum nacti ſitis, & diuturna meditatione veſtræ ſalutis cauſam æſtimare noveritis, quid ſupereſt, niſi ut apicularum more vos intra cellas condere, & ſpirituali mellificio operam navare pergatis? Explorate vos ipſos, qui meliores non eſtis Theodoro, qui experientia convictus, Monachum extra cellam alium ab eo, qui in cella foret, alium, inquam, non ſanctiorem, non ferventiorem fatebatur. Omnia circumſpicite, omnia mutuò conferte, & facilè animadvertere poteritis, in unoquoque Cœnobio eos, qui fideliores cellæ cuſtodes ſunt, ſpiritu ferventiores evadere, & cæleſtibus donis cumulatiùs augeri. Res tam comperta eſt, ut nolim alios, quàm vos ipſos teſtes accire. Sentietis nonnunquam quemdam velut pruritum leviter exeundi, ipſaque pigritia cauſas exitus apparenter juſtas depinget: verùm, ne credite, ignaviam excutite, & paulò poſt impoſturam deprehendetis.

E

Receſſus commendatus.

F

Caſſian. collat. 6. c. 10.

G

Cella nidus dicta.

Cella nidus eſt, non avium rapacium, ſed mitium, ubi neceſſario volatu feſſæ requieſcunt. Nidum repetite, nido vos avidè inferte. Expendite columbam, quam emiſit Noe, quæ poſtquam prolixo volatu longum tractum pervagata eſt, cum non inveniſſet, ubi pes ejus requieſceret, in arcam ſeſe recepit paſcenda, & captatura quietem. Hæc cogitate, certoque ſtatuite, neque quietem, neque paſtum vos extra cellam errantes reperturos. Invenietis fortaſse cadavera putria ad paſtum, & arborum ramos inconſtanter aquis inſidentes ad inſeſſum, ut columba illa: ceterum ſalubria eſculenta, & firmam ſedem minimè comperietis. Quieſcite ad pedem ſcalæ, quæ à cella in cœlum expeditum, ac facilem præbet aſcenſum, ut ſapientum benè librata confeſſio eſt. Scalam aſpicite, & anagogicis cordis motibus, è profunda lachrymarum valle, in qua verſamur, in editiſſimum Dei montem, pinguem, & coagulatum aſcendite.

H

Cella, ex ea facilis ad cœlum adſcenſus.

Scripta An. 1614.

CAPUT XI.

Exhortatio de ratione cellæ inſtruendæ.

A

Cellulæ rebus inutilibus expurgandæ.

QUI cellam unicuique ſeorſim aſſignari juſſit, eo ipſo cellam neceſſariis rebus inſtruendam præſcripſit. Qua quidem in re mirum eſt, quàm ſolicitè noſtræ ſalutis hoſtis diſciplinam Monaſticam labefactare contendit. Ipſo quippè neceſſitatis titulo honeſtatem præferente abutitur, ut multa perſuadeat, quibus à primævo Sanctorum more nos demum avertat. Ex quo efficitur, ut cellæ Monachorum lenteſcere incipientium rebus multis ſaltem inutilibus inſtruantur, quas interdicere oporteret. Succurrit illud, quod Machabæi fecerunt, ubi in atrio templi virgulta tanquam in ſaltu nata conſpexere, quibus avulſis locus ſacer expurgatus eſt. Quia verò nullus expurgandi modus optabilior videtur eo, qui ſpontè naſcitur, rationibus ſubjectis ſuadebimus, cellas noſtras modeſtiſſimè inſtrui debere.

B

Ratio prima.

Ratio prima. Cellæ noſtræ & Oratoria, & cellæ ſunt, quod è communi omnium ſenſu patet, cum non minùs orationi, quàm captandæ quieti deſtinentur, quod bonorum Monachorum uſus evincit. Si ergo locus ſacris uſibus dicatus eſt, facilè perſpicitur, quàm ſit indecorum, res ibi inutiles, ſuperfluaſque reponere, quæ ſeculi odorem, ſive fœtorem exhalant.

Secunda ratio.

Monachorum ſuppellex, quæ?

Ratio ſecunda. Quicquid ultra ſacram imaginem, lectum, menſam, ſedile, paucos libros, lucernam, ſcopam, quæ ſufficiens eſt Monachi ſupellex, admittitur, perfectis Monachis idolum quoddam videtur eſſe, quod in loco ſancto adverſus Divinæ Majeſtatis cultum ſtatuitur. Conſideret ergo, qui alia curioſa, vel inutilia congerit, quantopere à communi exorbitet conſuetudine, & illud Monaſticæ idololatriæ genus perhorreſcat, ſi fructum è cella referre cupit.

C

Tertia ratio.

Ratio tertia. Res nulla, quantumvis exigua, præter eas, quæ parcitati Monaſticæ conſentiunt, pacata conſcientia in cella retineri, vel admitti poteſt: neque enim Prælati id indulgent, aut juſtè concedere poſſunt. Si ergo adverſus obedientiæ mentem nihil conſcientiæ prodeſſe credendum eſt, quid Monachus cogitat, qui in cellam quicquam inſolitum, aut ſupervacaneum infert?

Quarta ratio.

D

Ratio quarta. Certis experimentis novimus, Monachos propriæ conſcientiæ curam gerentes, ferre non poſſe ſtimulum, quo lacerantur, ſi vel papyri folium minimè neceſſarium in cella videant; libentiuſque eos dæmonis præſentiam, quàm parvam ejuſmodi rem Inſtituto ſuo diſſentaneam perlaturos, cum præſentia dæmonis abſque illorum culpa, rei verò illius minimæ receptio, vel retentio non abſque illorum conſenſu, ac proinde non ſine culpa contingat. Hoc itaque experti ſumus. Quomodò ergò alii adeò oſcitanter hæc prætereunt, neque ullo infeſtantur ſcrupulo, ſi quatuor, ſex, aut decem ſuperfluas res, quas dictitant minimas, in cella ſe habere ſciant? Quomodò ſomno indulgent, cum ſciamus alios non poſſe requieſcere, niſi prius rem quamlibet, tametſi minimam, diſciplinæ noſtræ adverſam ad Prælatum deferant?

E

Quinta ratio

Ratio quinta. Solent Monachi tepidiores voluptatem capere è thecis reliquiarum affabrè elaboratis, ex minio tinctis imaginibus, è crucibus odorati ligni, vel colore aliquo nativo ſplendentibus, è forficibus hoc, aut illo modo aptatis, è breviario ſic, vel aliter tecto, & ex id genus aliis, quibus cellas inſtruunt, obliti ſimplicitatis, quam profitentur. Certum eſt autem harum rerum ſollicitudine verarum virtutum ſtudium langueſcere, experientiaquæ conſtat, imperfectos Monachos graviter mœrere, ſi res illæ eis ſubtrahantur; quod eſt immoderati amoris argumentum. Accedit ad hoc perfectorum uſus Monachorum; qui ſimilia proprii amoris fomenta neque in cellis reponere, neque admittere aſſueſcunt.

F

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Quò pauciora, & uſitatiora quis habet, eò minus eis hæret, eoque ſpiritus libertas major eſt. Cur ergo libertas pro nullius momenti rebus in diſcrimen adducatur ab iis, qui è mundi ſervitute clementer erepti ſunt?

Superflua è cella tollenda.

G

Rationes, quas protulimus, credo equidem vobis probantur, ut nulla apud vos in cellis anathemata latere patiamini, quæ Divinæ oculos Majeſtatis offendant. Profectò timorati Monachi, ſi fortè, quod accidere ſolet, quippiam ſuperfluum in cella indeliberato actu reponant, aut retineant, ſtatim ac animadvertunt, tanquam ſcorpionem, aut baſiliſcum aliquem eiiciunt. Rem quippè, quod ad conſcientiam ſpectat, venenatam eſſe ſciunt, cujus proinde aſpectum formidant. Quin etiam ubi dubium eis videtur, an ex iis, quæ in cellis jamdudum poſuere, quicquam neceſſarium ſit, tanquam contagioſum repellunt. Quid verò in hoc genere ſubtexam? Prælati ipſi ſuſpectam habentes ſubditorum fragilitatem, ex officio cellas explorant, & paucula quædam fide non prorſus mala in uſum accepta reſecant, ne ut cellæ ſeparatæ ſunt, ita res illæ minimæ, quæ aliis deſervire poſſunt, à communi uſu ſeparentur, & ad unius cellam inſtruendam conferantur.

Cellulæ ſeparatæ commendantur.

H

Profectò ſi Dei ſententia ſpectetur, quæ per Regulam nobis innotuit, cellæ ſeparatio commendatur: at cum vita imperetur communis, & è communibus officinis omnia neceſſaria promantur, aptè deducitur, ut ad cellas inſtruendas paucis opus ſit. Si verò ſententia hominum quicquam momenti habet, ſatis conſtat, viros cordatos & Cœnobiticæ diſciplinæ conſultos non boni conſulere cellarum ornatum, ſed ſimplicem diſpoſitionem, ac munditiam. Quin & quò ſuppellex pauperior, & minoris numeri eſt,

Scripta An. 1614.

eò eis pretioſior videtur, & majorem ſanctitatis opinionem ingenerat. Cellas ergo, Patres, non rebus ſupervacaneis, ſed piis exercitiis, & lachrymis, ex concepta peccatorum pœnitudine fluentibus inſtruite, & affectum variis irritamentis excitatum compeſcite. Nunc ſancti ſe ipſos exonerant, & in cellis, velut in diverſorio inopi manent, beneque eſt, ut quatuor parietibus nudis ſepiantur, quibus ea merces reddenda eſt, ut exultent in gloria, & lætentur in cubilibus ſuis. Sedulus viator non ornata, vel ſuperflua, ſed neceſſaria quærit: unde & nos, qui futuram inquirimus, doctrinam eamdem debemus amplecti. Arctus, & parum inſtructus fuit carcer Joſepho, cæterum præclarè res illi ceſſit, qui ad amplam & ſatis inſtructam Regis Ægypti aulam eductus eſt. At quorſum ego Joſephum commemoro? Recolite potiùs Chriſtum ejuſque puriſſimam Genitricem, & quàm parum inſtructam domum incoluerint, obſervate.

Cellulæ, quomodo exornandæ?

A

Joſephi carcer, qualis?

Hiſtorias legite, & exemplum domus ex Illyrico in Lauretanum agrum ab Angelis illatæ contemplamini, quod animos cæleſti luce perfuſos admiratione ſuſpendit. Sanè inopia illa domus tam exiguæ, ac parum inſtructæ, quam Unigenitus Dei Filius inhabitare decrevit, tepidis Monachis acris reprehenſio, ferventibus acerrimum calcar eſt. Onera ergo ſupervacanea exemplo tanto permoti deponite, & ad cæleſtes opes alacres, ac expediti viam carpite.

Lauretanæ Domus tranſlatio notata.

B

TEXTUS V.

De communi refectione.

C

Ita tamen, quod in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit obſervari, ſumatis. Nec liceat alicui Fratrum, niſi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris ſit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat, & de arbitrio, & diſpoſitione ipſius poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant. Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur.

D

E

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

AGI poteſt primùm de diſciplina in Refectorio obſervanda. Mox de cautione illa, ne locus injuſſu Prioris mutetur, & de cella illius primo in loco ſita, & omnium diſpoſitione illi credita, quæ tria ad unum thema redigi poſſunt, ſcilicet ad hoc, ne quis curam rerum Priori creditarum uſurpet. Denique de perpetuo orationis ſtudio intra cellas & extra. Singula expendamus.

CAPVT XII.

Exhortatio de diſciplina in cœnaculo ſeu refectorio obſervanda.

F

PErmulta ſanè antiqui vitæ Monaſticæ inſtitutores de Cœnaculi diſciplina tradiderunt, quæ in Congregatione noſtra divino munere coaluiſſe perſpicimus: quæ ut feliciùs creſcant, erit ad rem, ut de tanti ponderis capite appoſitè ad praxim diſſeramus. Et primùm quidem intemperantis Monachi deformitas ob oculos ponenda eſt, ut id monſtrum horrentes in eam, quam à majoribus noſtris accepimus, formam exactiùs conſpiremus.

Monachum in Cœnaculo deturpantia, quæ & quot?

G

Tria ſunt, quæ Monachum in Cœnaculo deturpant; alienatio mentis à ſua lectione, ingluvies, ſive voracitas, & incompoſiti geſtus, ſive immodeſtia, quibus ita ſe deformem, ac exoſum efficit, ut vix à temperantibus, & modeſtis ferri poſſit. Non accumbit præmeditatus, non ſibi metam ullam præfinit, & incompoſitis obtutibus manuum, & totius corporis motibus edacitatis vitium prodit, & ſolam ſaturitatem, cæteraſque gulæ partes, quicquid alii judicent, ſe affectare demonſtrat. Contemplamini nunc monſtri hujus turpitudinem: contemplamini, & exhorreſcite.

Eorum remedia, quæ, & quot?

Ut autem grave hoc malum procul arceatur, tria remedia præſentanea in promptu habenda & admovenda ſunt; attentio videlicet ad lectionem piam, gulæ correctio, & modeſtia; è quibus primum ſpiritui, ſecundum corpori, tertium proximis debetur. Quanti verò ponderis hæc tria ſint, è ſubjectis rationibus patebit.

H

Prima ratio.

Ratio prima. Lectio pia à Sanctis in morem inducta eſt, ut ſpiritus alatur, & homo, dum corpus reficitur, in duas velut ſectus partes, minùs capiatur cibi voluptate, qua illectus facilè metam excederet, niſi remedio illo in officio contineretur.

Con-

Scripta An. 1614.

Confert quippè lectio ſacra ad multiplices cordis motus excitandos, quibus velut acutis gladiis intemperantiæ capita præciduntur. Non ergo congruit Sanctorum Inſtituto, qui à lectione in cœnaculo ſponte divertitur, tanquam ſi in diverſorio cum ſecularibus veſceretur.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Familiare eſt Monachis noſtris à cibo extra horas conſuetas abſtinere, A atque adeo non abſque neceſſaria cauſa cœnaculum petunt. Quò ergo juſtior cauſa ſuppetit, eò faciliùs animus cauſæ fidens ſeducitur, ut appetitui laxet habenas. Debet igitur Monachus ſe comparare, & præſenti lectionis remedio uti, ut vehementem cupiditatem moderetur, & ſine edacitatis culpa naturam ſuſtineat.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Antiqua nobis experientia conſtat, in cœnaculis noſtris majorem plerumque piorum affectuum, & lachrymarum proventum, quàm in Oratoriis extitiſſe, ob attentionem piæ lectioni præſtitam, ut opus fuerit animum à lectione tantillum divertere, ne impotens affectus neceſſarium cibum adimeret. Quàm ergo degeneres eſſent, qui modò curſu contrario animum B lectioni admovere nollent, & ſe in corporis paſtum belluarum more totos effunderent?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Ex præmeditatione ſucceſſuri gulæ conflictus, & præſentis lectionis occaſione Monachi noſtri perfectionis cupidi clariores in cœnaculo victorias, quàm in ciliciorum, catenarum, & verberum exercitio comparare ſolent, multa ſibi ſine valetudinis damno ſubtrahentes, quibus gula irritatur acriùs, ut multiplicem hoſtiam Deo ſacrificent. Quàm ergò longè à fortium Chriſti militum conſuetudine recederet, qui cœnaculo ad paſtum ſine alia Monaſtica diſciplina, & lectionis æſtimatione abuteretur?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Anima bene diſpoſita, & C ſpirituali paſtui intenta incompoſitos motus, deformeſque geſtus minimè parit. Quid ergo ſentiamus de iis Monachis, qui omnia in cœnaculo luſtrant, caput huc illuc torquent, ſigno vix expectato mappam celeriter explicant, apertis immoderatæ appetentiæ ſignis cibos ori ingerunt, nec unquam ſe expleri demonſtrant. Profectò hi hæredes Eſau pro pulmento uno ſpirituale patrimonium venumdare velle videntur.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Divino conſilio in Congregatione noſtra uſus percrebuit, ut inter veſcendum varia mortificationum genera exerceantur de Prælati venia; hoc ſurgente, ut ei unuſquiſque è toto conſeſſu alapam unam impingat, alio genibus flexis D ſingulorum pedes oſculante, alio in terram procumbente, ubi pane duntaxat, & aqua reficitur, alio genibus flexis, tergo nudo, ſenſimque verberato in medium Cœnaculum ingrediente, & culparum veniam precante. Hæc ſcilicet varia mortificationum genera ad appetentiam coercendam, motuſque corporis moderandos, & ſpiritum alendum opportuniſſima ſunt. Cum ergo tot habeamus ad bonum Cœnaculi uſum proviſa remedia, quis non judicet, eum, qui nihilo ſecius eo loco abutitur, ſe non tam Monachum, quam ſecularem hominem intemperantiæ nota infamem exhibere?

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Tot ſuppetunt recentia noſtrorum exempla ad perſuadendum Monaſticum refectionis uſum, ut antiqua E requirere opus non ſit. Certò quippè novimus, alios, ut cibis ſaporem adimant, modicam inſtillare aquam, alios fellis Chriſti memores, abſynthii pulveres inſpergere, alios, dum panis caniſtra circumferuntur, duriora ſemper fragmenta ſeligere, alios vix paucas vini guttas aquæ admiſcere, alios interim dum comedunt, alterum pedem à terra ſublevare, ut moleſtia illa vexati eſcarum ſapore minus delectentur. Hæc apud noſtros, qui generosè certant, exerceri noſtis: quæ ſpiritualia quædam inventa ſunt ad Cœnaculi uſum piè temperandum. Ex quibus profectò liquet, locum illum Sanctis ſemper fuiſſe ſuſpectum, quandoquidem tot machinas in Chriſti militiâ excogitarunt ad gulam expugnandam, & F abſtinentiam in quotidiana refectione colendam. Quid ergo dicendum de iis, qui inter tot munimenta fragiliores evadunt, & velut animales homines, ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, non magis percipiunt, quàm ſi in ſeculo inter intemperantes verſarentur?

Gulæ mortificatio præcepta.

Octava ratio.

Ratio octava. Qui è noſtris Cœnaculo abuteretur, reprehenſione videretur dignior, quàm alii tanta eſculenta nacti; cum exceſſus ille non gulæ irritamentis, ſed vitio gulæ verteretur. Pejor quippe, & vehementior fames eſt, quæ ad rudes cibos vorandos, quàm quæ ad delicatos perurget: ardentior item ſitis, quæ in aquam turbidam, quàm quæ in pocula ſuavia hominem impellit. Quid ergo prætexet Monachus, cujus animus Cœnaculo ſterili totus G hæret, ibique ſui compos non eſt?

Nona ratio.

Ratio nona. Potior Inſtituti noſtri pars eſt contemplatio, ad quam quò quis melior eſt, eò conſtantiùs aſpirat. Cum ergò omnino compertum ſit, vitio gulæ mentem hebetari, & à rerum cæleſtium ſtudio ad communia cum animantibus rationis expertibus oblectamenta diverti, quis è noſtris in Cœnaculo ſe non temperanter geret? Profectò corpus cibis licet rudibus immoderatè gravatum deprimit animum, ne ſpiritualia ſenſa concipiat. Aut ergo frugaliter agendum, aut à principali fine noſtro deſiſtendum eſt.

Audiſtis, quàm ſit decorum, & Inſtituto noſtro debitum, in communi refectionis H loco, ubi ex Regulæ præſcripto conveſcendum eſt, diſciplinam à Sanctis traditam retinere. Reliquum ergo eſt, ut eam accuratè obſervetis, & pro communi ac privato cujuſque veſtrum bono temperantiam ibi colatis. Cur enim virtutem majorum non æmulemini? An non ſuppetunt arma, & ſatis firma munimenta? An veſtra non inte-

Temperantia præcepta.

Scripta An. 1614.

A

Lectio ſacra quomodo in cœnaculo audienda?

B

Jacob ex lucta claudus factus.

intereſt, in quotidiano prælio victoriam meditari? Non agimus de victu neceſſario ſubtrahendo, ſed providè miniſtrando, nec tam ſumus auſteri, ut cum valetudinis damno ſeveram diſciplinam ſuadeamus. Non fert animus id monere. Quin etiam nec veniam tantam impartiri cogitamus, quantam multi exoptant, quorum poſtulata ſatis accepta Divinæ Majeſtati ſacrificia ſunt. Mitiùs ergo vos habere conſultò volumus. Hoc dumtaxat hortamur, ut quod turpe, ac noxium eſt, vitetis, & cibum, potumque congruentem ſpirituali ſenſu, & multiplici cum merito ſumatis, ac in rebus ſaltem minimis appetitum compeſcere memineritis. Quod ut efficiatis, arrigite cordis aures, & lectioni ſacræ veſtri partem offerte. Sermo enim Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad diviſionem animæ & ſpiritus, præſtabit hoc, ut ſectio quædam arcana fiat, & pars veſtri nobilior ſuo quoque alatur paſtu, interim dum corpus proprio ſuo nutritur. Ne ſpiritus nutrimentum reſpuatis. Tempus breve eſt, mundus tranſit, & concupiſcentia ejus; virtutis fructus æterna ſtabilitate perſtabit. Quòd ſi, ut ignavi prætexunt, corpus enervetur, tantumdem roboris, aut magis multò ſpiritus acquiret, majuſque multò lucrum exiſtet, quam detrimentum. Quid enim damni Jacob ex lucta claudicans retulit, qui cæleſti benedictione proſperatus eſt? Luctamini & vos, neque ictum aliquem cæcum formidetis, ut clementiſſimus Deus augeat animi vires, & feliciùs cæleſtia bona refundat.

CAPUT XIII.

Exhortatio de cura rerum Priori creditarum non uſurpanda.

C

D

INter alia, quæ in lecto Regulæ textu, juxta Sanctorum Doctrinam, penſitari debent, meritò reponitur cautio illa, ne quis cellam ſine ſuperioris venia mutet, aut permutet, illudque ſubjunctum, ut Prioris cella ſit juxta introitum loci, ut primus venientibus occurrat, & prudenter cuncta diſponat. Ex quibus profectò verbis liquet legiſlatoris mentem fuiſſe, omnium rerum ad Cœnobium jam conditum attinentium providentiam, & expeditionem ita Priori credere, ut Monachi nihil ſponte ſua attentarent, aut ſe negotiis injuſſi unquam ingererent. Hic Regulæ ſenſus eſt, cujus congruentia licèt ſe ſatis manifeſtè ſpectandam exhibeat, humana tamen fragilitate, quæ non ſine multo conatu à clauſtris extruditur, factum eſt, ut in florentibus quoque Ordinibus nonnulli ſcioli, & lenti ſuarum paſſionum domitores pleriſque in rebus Prælatorum officium antevertere, & multa ſine illorum conceſſu moliri contendant. Cui certè malo, ne noſtræ Congregationi officiat, occurrendum eſt, ut ex rationibus his cenſere poteritis.

Prima ratio.

Ratio prima. Indecorum eſt, ut membrum aliquod capiti ſubiectum auctoritate privata capitis munus obire velit. Eo quippè ipſo, qui à Deo probatus eſt ordo, invertitur. Cum ergo Superior capitis, ſubditus verò membri ſubiecti loco ſit, ſatis patet, curam ab eo anticipatam ordini adverſari, & ut leviter interpretemur, minimè decoram eſſe.

E

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Modicæ humilitatis argumentum eſt, velle ſubditum prudentiæ, aut alterius congruentiæ titulo quicquam à Prælato non iniunctum aggredi. Quomodo aggrederetur, niſi Prælatum non magni faceret? Quòd ſi facit magni, cur non veniam poſcit? Certè aut violatæ humilitatis, aut obedientiæ neglectæ, aut duplici culpa innexus eſt.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Licèt res, quam ſubditus efficere properat, ex genere honeſta foret, eo ipſo fœdatur illius procuratio, quòd ei deeſt obedientiæ honeſtas, quæ ineſſe debuit. Si ergo res honeſtæ ſine ſuperioris nutu factæ fœdantur, quid de indecoris, aut parum decoris arbitremur?

F

Quarta ratio.

Ratio quarta. Imprudentiæ, ut minimum, nota eſt, inſcio Prælato quicquam ordiri, quod neſcitur, an ab eo, ubi id reſcierit, probandum ſit. Quòd ſi excipiatur, totum clam Prælato abſolvendum eſſe, pejor ſanè nota eſt, quæ non ad imprudentiam tantùm, ſed ad continuatam obedientiæ tranſgreſſionem refertur. Quid autem boni contingat ei, qui hiſce fraudibus ſe ab obedientiæ ductu ſubtrahit?

Quinta ratio.

G

Ratio quinta. Qui ante obtentam veniam negotia inchoat, ipſe ſibi laqueum tendit, quo capiatur. Seculares enim bona fide, quod Monachus attentat, interpretantes, id plerumque Prælatis aperiunt, de ipſorum venia factum arbitrati. Quod cum ita non ſit, ſi Prelati diſſimulent, fraude deprehenſa, de illo malè opinantur, & in poſterum ei minimè fidunt. Si autem ſimulare nolint apud Prælatos ipſos, & ſeculares, Monachus jam malè audiet. Mirumque videtur aliquem mentis compotem ob res ſatis leves, quales eſſe ſolent, quæ Prælatis celantur, velle bonum nomen ſuum periculo exponere. Satius eſt oraculum primò conſulere.

Sexta ratio.

H

Ratio ſexta. Monachi parum fideles ideò telas ordiuntur ſine Prælati ſcitu, quia variè de rebus opinantur, & ſuam ſententiam præponi cupiunt. Quod ut efficaciter obtineant, antequam cum Prælato conferant, fundamenta jaciunt, quæ ille aut nullo modo, aut difficulter poſſit amoliri. Cæterum quàm ſit hæc præpropera ſolicitudo extra Monaſticam diſciplinam, hoc argumento convincitur. Monachus hic in opinionum campo verſatur: at ubi opiniones diverſæ ſunt, & Prælatus in alteram partem propendet, ex communi ſententia ſubditus ei credere debet: non ergo bonam mercaturam exercet, qui ideò antevertit officia, ne Prælati ſententia prævaleat.

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Si expertis fides habenda eſt, frequentiùs Monachi parum ſpirituales errant, quòd ſe Prælati curis immiſceant, quàm quòd ei curas proprias deferant. Qui ergo ab horum conſortio procul abeſſe deſiderat, enitatur, quoad poterit, ut juxta Regulæ ſenſum ac verba de ſuperioris arbitrio, quæ agenda ſunt, cuncta procedant.

A

Chriſtus quid Petro reſponderit de Johanne ſciſcitanti?

Quid jam monendum? Quid à vobis præſtandum eſt? Recolite hiſtoriam illam Evangelicam Petri Chriſtum ſequi admoniti, bonoque animo de Joanne rogantis: Domine hic autem quid? Expendite pium Petri animum. Expendite parcam, & nihil deforme præferentem interrogationem. Et tamen reſponſum eſt ei: Quid ad te? Tu me ſequere; quod perinde eſt, ac ſi Chriſtus dixiſſet: Petre, Ego præſideo: veſtri cura mihi à Patre meo demandata eſt; quorſum ergo hanc tibi curam vendicas? Hoc ergo ipſum Monachus ſibi reſponſum credat, ſi Chriſti ei ſchola placet. Priori rerum cura commiſſa eſt: quid ergo ipſe quærit? Cur ſe negotiis implicat? Et quidem licèt hoc tam luculentum exemplum deeſſet, ipſa mentis maturitas, ipſe pacis amor, ipſa obedientiæ fidelitas, quod hortamur, exigeret. Nimirum levitatis ſignum eſt ſolicitudo illa ante tempus opportunum, ſecularium more, rebus impenſa, qua & diſcordiæ ſemina jaciuntur, & modica erga Prælatum fides oſtenditur. Utinam ſenſus Regulæ à multis expleretur. Profectò juſſio illa, ut Prioris cella extruatur propè introitum loci, ut venientibus primus occurrat, gravis ſanctio, & perfectionis Monaſticæ complexio quædam eſt. Dicite, rogo, ſi nemo è vobis venientes alloqui auderet, & humanis rationibus exploſis ad Superiorem omnia referret, veritus ne legem violaret, quàm longè abſiſteret ab iis malis, quæ in rationum contextu recenſuimus? Quantò eſſet laude dignior, Deo, & hominibus acceptior, qui nihil negotii quantumvis pii, ſe tentare velle ſine Prælati juſſu fateretur, quàm qui ſe obtentu etiam pio, ſine venia negotii intruderet? Non eſtis adeò cæci, ut non liquidò perſpiciatis illum hoc juſtiorem, ac prudentiorem eſſe: illum honeſtiſſimam excuſationem è proprio ſtatu ortam obtendere, hunc non aliter agere, quàm ſi obedientiæ voto non eſſet aſtrictus. Stultum eſt ſanè, nolle pace à Deo conceſſa frui, & ſpinas ſerere, quibus imprudens laceretur ſator. Reijcite alienas curas, & quamdiù licet, cogitatus omnes in Deum jactate. Hæc eſt pars libertatis veſtræ non exigua. Hac ergo frui pergite, & in æternam libertatem ſuſpirate.

B

Cellula Prioris cur prope introitum loci præcepta a Regula?

C

Curæ alienæ reiiciendæ.

D

CAPUT XIV.

Exhortatio de perpetuo orationis ſtudio.

VErba Regulæ, quibus cellarum cuſtodia, & perennis oratio nobis præcipiuntur, digna planè ſunt, quæ animis veſtris non adacto ferro, ſed ſuavi Dei ſpiritu imprimantur. Sunt enim legi gratiæ & novi teſtamenti ſuavitati mirificè conſentanea. Duo verò capita complectuntur, è quibus unum, quod ad cellæ amorem pertinet, ſuperiùs, ubi textus id exigebat, expenſum fuit; alterum, quod ad jugem divinæ legis meditationem ſpectat, nunc digerendum eſt. Principio ergo ſenſum capite. Animus quippè legiſlatoris eſt, ſive in cellis, ſive juxta eas, ubi eremitico more ſeparantur, Monachum divinis rebus intentum eſſe debere, ac in ea animi intentione, quoad humana fragilitas fert, ubique perſiſtere, niſi occupationes juſtæ à Prælatis injunctæ orationem interpellent. Hic communis ac germanus ſenſus eſt: qui quàm ſit, uti præmiſimus, Novi Teſtamenti ſuavitati conſonus, ex eo liquet, quòd in lege gratiæ plurima utriuſque ſexus millia, curis omnibus generosè deſpectis, in hoc incubuere, ut mentem in Deum ſemper intentam gererent, & caſta divini amoris oblectamenta alto mundi contemptu requirerent. Quanti verò ponderis ſit hujuſmodi præſcriptio, ex rationibus ſubjectis animadvertite.

Divinæ Legis jugis meditatio præcepta.

E

Novi teſtamenti ſuavitas notata.

Prima ratio.

Ratio prima. Civitas, quæ obſidione crudelium inimicorum cingitur, nocte, dieque pervigilat, omneſque vires exerit, ut auxilium ab iis, qui illud ferre valent, obtineat. Res comperta eſt univerſis, ſed iis maximè, qui obſeſſi fuerunt, & exploſorum tormentorum crepitum cum ſubitaneæ mortis formidine horruerunt. Quàm verò certum, vulgatumque ſit, nos ab hoſtibus ſæviſſimis obſideri, ex quotidiani Officii monitu illo patet: Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus circuit quærens, quem devoret. Verba profectò hæc tam crebrò repetita, quàm rarò pro dignitate perpenſa, ea ſunt, quibus aptiora in excubiis militaribus, inſtante prælio cogitari non poſſunt: quæ à ſponſa Chriſti Eccleſia irruptionem formidante, ac ſalutis filiorum ſolicita ante ſolis occaſum quotidiè enunciantur. Si ergo abſque intermiſſione obſidemur, & pericula tremenda perenniter imminent, quid magis appoſitum, ac ſalubre, quàm perennis oratio, & indefeſſa auxilii cæleſtis imploratio?

F

Vigilantia præcepta.

G

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Tametſi eterni hoſtes in nos impetum minimè facerent, corpus ipſum, quod corrumpitur, aggravat animam, & bello inteſtino infeſtamur, ut congruat etiam Monacho Apoſtoli ſenſus ille: Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Si ergo intra nos bellum perenne geritur, è quo niſi ope cæleſti victoria reportari nequit, judicet quiſque veſtrum, quàm ſit opportuna perennis oratio, ne corpori ſuccumbat.

Jugis oratio commendata.

H

Tertia ratio.

Ratio tertia. Occurrunt crebra negotia, quæ ſolo humanæ providentiæ ductu non ſatis feliciter expediuntur, & quò quis oculatior eſt, eò cernit apertiùs, neceſſe eſt lucem è cœlo precari. Quin etiam ipſi quo-

tidia-

Scripta An. 1614.

tidiani actus non ſat fructuoſè exercentur, ſi langueat ſtudium perrenniter orandi, quod, qui rerum divinarum conſultus eſt, ignorare nequit. Quomodo ergo nos, & noſtra, & aliorum negotia pietatis intuitu ſuſcepta geremus, ſi orationis curam intermittamus?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Prætexitur difficultas apparenter inſuperabilis. Verùm ſi Regulæ ſenſus penitus capiatur, A nihil excipi poteſt. Si enim negotia, quæ vulgò incompatibilia appellantur, puta lectio ſcholaſtica, ſcriptio, & id genus alia, quæ intellectu intento peraguntur, obſtent; ſi ea pietatis gratia, uti decet, ſuſcipiantur, prævia directione conſueta, orationis vicem gerunt, præſertim ſi piis affectibus intercalatis in Deum referantur. Iis autem exercitiis, ſive actibus exceptis, totum id tempus, quod reliquum ſit, Divinæ Majeſtati cur non conſecremus?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Prætexitur adhuc arduitas. Quomodo enim, ajunt, per totum tempus illud orationi vacetur ſine gravi capitis decremento? Cæterum prætextus hic in B ſpeciem prudens facilè reiicitur, ſi varios orandi modos diſcernatis. Non enim Regulæ ſenſus eſt, debere nos meditationi ſemper inſiſtere, eo prorſus modo, quem ſtatis orationis horis certo partium ordine exercemus: ſed mitiore alio modo, qui ex Dei præſentia, & breviſſimis, ac intercalatis meditatiunculis, variiſque virtutum actibus, variis item piis cogitationibus componitur, ita ut quoad fieri poteſt, Monachus ſemper pium aliquid ſine conatu mente pertractet, nec deliberatè in res alias, niſi ex obedientiæ nutu, animum intendat. Hoc autem modo planè ſuavi perenniter orare minimè durum eſt.

Quomodo jugis meditationis præcepto faciendum ſatis?

Sexta ratio.

C Ratio ſexta. Scriptum eſt, qua hora non putatis, Filius hominis veniet: divinoque conſilio animus noſter oraculo hoc ſuſpenſus eſt, ne hora exciperetur una, qua mortis inſultus non timeretur. Si ergo quavis prorſus hora interire, & ad judicium poſtulari contingit, profectò horis omnibus Deus judex orandus, & propitiandus eſt. Vis rationis hujus eſt planè fortiſſima, ut hoc liquet exemplo.

Exemplum.

Qui navigant, licèt parum pii anteacto tempore fuerint, ſtatim ac animadvertunt, ſe ligno fragili vehi, præſertim ubi cœpit mare tantillum commoveri, compendiaria religione oratores evadunt, periculique imago menti jugiter impreſſa orationis exercitium protrahit. Res omnino perfecta eſt. Si autem mercatores, D ac vectores alios rogetis, cur tam perſeveranter orent, reſpondebunt, periculum perſeveranter inſtare. Cùm ergo in horas ſingulas cujuſvis ætati funera videamus offerri, noſque certò, ſed incerta hora efferendi ſimus, ac proinde in perpetuo diſcrimine verſemur; quid aliud nobis tam ſalutare imperari potuit, quàm ut perſeveranter oremus?

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Intellectus noſter non ita quieſcit, ut nihil omnino meditetur. Cum ergo aliquid mente pertractandum prorſus ſit, & ope divina res cæleſtes contemplari, terrenas reſpuere poſſimus, mirum videtur, nolle Monachum quempiam bonum habere delectum, & fluxarum rerum conceptus æternarum meditationi anteferri. Porrò fatuus videretur, qui cryſtallinum vas pretio multo emptum, quod balſamo imbuere poſſet, mallet cœno replere. E Si ergo intellectum divinis conceptibus illuſtrare poteſtis, cur terreſtribus obſcuretis?

Octava ratio.

Ratio octava. Licèt alia rationum pondera deeſſent, hoc unum ſatis eſſe deberet, quod Majeſtas Divina noſtræ conſuetudinis cupidiſſima frequentiùs, quàm dici queat, oblivioni ab hominibus traditur, perpaucique inveniuntur, qui ei vacare perſeveranter velint. Res porrò notiſſima eſt. Si ergo & ii, qui orationis ſtudium profitentur, pias meditationes levibus ex cauſis intermittere, & mentis intentionem crebrò relaxare conſueſcant, Deus in re, quam expetit maximè, à ſuis creaturis deſeretur.

Animadvertite, Patres, quid ſpondere F volueritis, ubi ſolemnia vota juxta Regulam noſtram nuncupaſtis. Perinde enim egiſtis, ac ſi in hæc verba profeſſionem emitteretis: Ego promitto tria ſolemnia vota, juxta Regulam hanc, per quam mihi imperatur perennis oratio. Rem æſtimate, & fideles promiſſi redditores eſtote. Conſideret quiſque veſtrum, quid in ſæculo moliretur, ſi efficaci vocationis gratia à clementiſſimo Deo præventus non fuiſſet. Quibus nunc rebus vacaret? Quibus nunc negotiis dies, ac noctes impenderet? Hic juriſprudentiæ, ille medicinæ, alius militiæ ſe totum dederet, nec exciperet horas, quibus inſtitutum intermitteret, ſi ex continuo ſtudio honores ampliores, aut lucra ſperaret. G Nonne videtis pictores, & ſcalptores imaginum, quas fingunt, pulchritudine velut captos, quinas, & ſenas horas in opere perdurare? Quid jam de agricultoribus promam, qui proni dies integros, vix horam unam cœnæ, aut ſomni cauſa interquieſcunt? An hi homines non ſunt? An labor ille improbus difficilior non eſt, quàm jugis, moruliſque brevibus interciſa meditatio? Cur ergo Monachi rei difficultatem cauſentur? Cæterum lentis oratoribus demus hoc, ut labor æqualis ſit, dummodo fateantur illi, meritum eſſe cumulatius. Si ergo fructus uberior eſt, cur æqualis labor detrectetur? At Maieſtas Divina his ignoſcat judicibus, qui diuturnam ejus præſentiam H inter moleſta reponunt, quaſi ex ea conſuetudine non merita dumtaxat, ſed oblectamenta cæleſtia neutiquam promanarent. Juſtè ſatis de Monachis multis Deus conqueri poſſet, ut olim de ingrato populo in hæc verba queſtus eſt: *Videte verbum Domini. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina? quare ergo dixit populus meus, Receſſimus, non veniemus ultra ad te?* Ac ſi planiùs ſic effaretur: Quid eſt hoc? An

Ierem. 2. 31.

Deus ipſa bonitas.

ego,

Scripta An. 1614.

ego, qui ſum ipſa bonitas, evaſi ſterilis, inſtar terræ ſolitatiæ cultura carentis, aut terræ quidem cultæ, ſed fructum ſerò reddentis? Minimè quidem. Sum enim ingenio liberaliſſimus more pinguis terræ cum fœnore multo proventum refundentis. Cur ergo Iſrael à me receſſit, ſtatuitque ſe ultra non reverſurum, quaſi è mea conſuetudine A nihil boni demum expectet? In hunc profectò modum de Monachis ejus præſentiam oblivioni tradentibus querimonias multas poſſet Deus offerre. Quicquid autem alii cogitent, vos, quibus ingrati animi nota teterrima foret, ne Dei conſortium reſpuite. Quærite potiùs Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper. Hæreat animo illud Vatis divini optatum, ac propoſitum: *Tibi dixit cor meum. Exquiſivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.*

Pſal. 26. 8.

B

TEXTUS VI.

De horis canonicis.

Hi, qui horas canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant ſecundum conſtitutionem Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ approbatam conſuetudinem. Qui eas non noverint, viginti quinque vicibus Pater noſter dicant in nocturnis vigiliis, C exceptis Dominicis, & ſolemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum ſtatuimus duplicari, ut dicatur Pater noſter vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus matutinis. In aliis quoque horis ſepties ſimiliter eadem dicatur oratio ſigillatim, præter officia veſpertina, in quibus ipſam quindecies D dicere debeatis.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

POteſt haberi ſermo de Officii Divini dignitate, & fructu. Præterea dici poterit de modo Officium Divinum perſolvendi.

CAPUT XV.

Exhortatio de horarum canonicarum dignitate, & fructu.

Eccleſia militans ad triumphantem ſuſpirat.

ECcleſia militans, quæ ad triumphantem tanquam è bello ad pacem jugi contentione ſuſpirat, quoad per vitæ mortalis conditionem licet, ea præſtare conatur in E terris, quæ ad Cælitum mores proximè accedant. Quocirca cum in ſuperna Dei Civitate feliciſſimus ille beatorum ſummo bono fruentium cœtus Divinam Majeſtatem perpetua laude commendet, antiquo ritu quotidianum horarum canonicarum penſum ſolvere conſuevit, ut Deo, quem poſſet, laudem cæleſtes choros imitata rependeret. Quo quidem in officio indefeſſo ſtudio permanſit ob immenſam Dei gloriam, cui tot quotidie in orbe terrarum chori religione concordes, ac divinæ charitatis fœdere ſociati conſtanter acclamant, & ob eximium bonorum affectuum proventum, qui ex eo F planè Angelico exercitio percipitur. Æquum ergo erit, Patres, qui Officii divini vinculo innexi eſtis, ejus dignitatem, ac fructum è rationibus ſubjectis expendatis, ut horas canonicas religioſiùs recitare, ac fructu uberiore gaudere poſſitis.

Ejus exercitia, quæ?

Prima ratio.

Ratio prima. Mos Officii divini ſtatis horis recitandi ſacer admodum, & perantiquus eſt: atque adeo caput extulit ſuper ritus alios religioſos: videturque quoddam nobilitatis inſigne, quo Clerici ſacris Ordinibus initiati à reliquo populo diſcernuntur, tanquam humanis ab officiis feriati, & ſoli addicti divino. Hoc ergo Officium ſanctitate, & antiquitate commendatum, & velut opus proprium vobis demandatum, G cui aliis curis abdicatis vacandum eſt, ita æſtimare debetis, ut ſpontaneas precationes alias cum illo comparare minimè audeatis. Inventa quippe alia antiquo, & communi Eccleſiæ inſtituto æquare nefas creditur eſſe.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Officium hoc non ipſo dumtaxat nomine, ſed re vera divinum eſt, habetque cum Angelicis Choris communem quandam planè divinam mentis elevationem verbis ſacris, quæ proferuntur, conſentientem. Ejus quippè perſolutio latriæ actus eſt in Divinam Majeſtatem intentus. Si ergo quæ genere divina ſunt, & magni pendi, & religioſè admodum exerceri debent, profectò ex hoc capite ad horas canonicas multa cum religione recitandas, vel canendas eſtis aſtricti. Quale enim portentum eſſet, divina à vobis, quos oportet H rerum divinarum æquos æſtimatores eſſe, parum divinè celebrari?

Officium divinum ejusque perſolutio, latriæ actus.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Horæ canonicæ ſunt ipſe Textus Scripturæ Sacræ, Spiritu Sancto dirigente conſcriptus, & Sanctorum ſcripta, quæ Spiritus ipſe ſuggeſſit. Quis ergo adeo delirus ſit, qui non conſideret, quàm attentè, quàm puro mentis intuitu iis intereſſe debeat?

Ra-

Scripta An. 1614.

Quarta ratio.

Ratio quarta. Perindè eſt horas canonicas perſolvere, ac ſupplices libellos à Chriſto dictatos ad impetrandam ſalutem æterno Patri offerre. Si ergo libelli principibus terrenis porrecti ab aliquo, qui gratia apud eos valet, commendati, tantopere æſtimantur; quis non judicet, hos noſtros maximi fieri debere, & plurimum intereſſe, qua mentis diſpoſitione porrigantur?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Credendum eſt, Deum copioſiùs favere iis, qui conceptis ab eo verbis utuntur, ut eum colant, quàm aliis, qui varias precandi formulas excogitant. Quis enim adeo eſt obtuſus, qui non dignoſcat id tam perſpicuum precandi diſcrimen? Si ergo uberior gratiæ proventus eſt, quomodo plerique tam ſegniter officium recitare aſſueſcunt?

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Horarum canonicarum penſum, quotidianus, ac perpetuus meritorum cenſus eſt: preces verò aliæ ſpontè fuſæ non ita perdurant, & facilè intermittuntur. Quantò ergo fructuoſius eſt, perpetuos, & certos quaſi redditus, quàm temporarios, & incertos magni facere? Profectò non leviter ſeducuntur, qui precationes neſcio quales inſolitas, & ad proprium ſenſum aptatas religioſiſſimè frequentant, & Officium divinum lentè, ac parum accuratè perſolvunt.

Officium Divinum quomodo perſolvendum?

Ex his, quæ deprompſimus, liquet, Patres, quàm ſit honeſtum, ac utile canonicarum horarum debitum, qua decet pietate, Divinæ Majeſtati reddere. Ex quo efficitur, ut niſi deſipere velitis, in opus hoc abſque dubio divinum ſedulò incumbere debeatis. Cum enim Deus curas alias vobis ademerit, & in locum ſacrum, tanquam patritios ſuos cooptaverit, ut ejus laudes caneretis; meritò à vobis pœnas exigeret violatæ fidelitatis, ſi aliis exercitiis cum Officii Divini detrimento videret intentos. Benè hæc novit ſæviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis, qui capturus incautos, exercitia alia variis pietatis coloribus in ſpeciem honeſtat, ut Monachos à cæleſti exercitio divertat, ſubtilique aſtutia, alia dulceſcere, hoc amareſcere facit, ut victoriam eo fuco reportet. Cæterùm rei dignitas, & utilitas vobis jam perſpecta eſt, ut excuſationem afferre nequeatis, ſi dulce honeſto anteferetis. Expendite Apoſtoli ſenſum: *Omnis qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ; parvulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.* Si lacte mulcemini, parvuli conſultò eſſe vultis. Si tamen ſolido cibo ali more grandium optatis, ſenſus internos ad rerum honoſtarum, & ſalubrium diſcretionem exercete. Quòd ſi voluptas à vobis omnino expetitur, ne hac de cauſa torpeatis: certum quippè eſt, Eccleſiæ cantu affectus ſuaviſſimos excitari: quod bene ſenſit Auguſtinus hac de cauſa plerumque vim lacrymarum effundens, cui ſimiles in hoc genere alios ætas noſtra perſpexit. Profectò, ſi ſciretis, quàm ſit è re veſtra, hac etiam de cauſa in cœtu juſtorum Dei Majeſtatem Eccleſiaſtico ritu laudare, ægre ferretis à choro abeſſe, ob eum multorum animorum in cœlum aſpirantem concentum externa precatione teſtatum. Si daretur ſemel ſaltem ſpiritualem cœli rorem, quo cœtus ille conſpergitur, intueri, ad canonicas horas dato ſigno celeriter accurreretis. Ibi quippè omnino verum probatur illud divini Vatis effatum: *Illic mandavit Dominus benedictionem*; hoc eſt, copiam, ubertatem. Præmiſerat Propheta ſociati cœtus laudem à bono, atque jucundo petitam. Non enim bonum modò, ſed jucundum, ſive voluptuoſum eſt, juſtorum cœtui intereſſe: quod illa ſubjecta roris hermonii Sionem humectantis ſimilitudine ſatis expreſſit. Cœleſte refrigerium ros arcanus eſt, quo fatigatus animus ab æſtu mortalis vitæ recreatur. Hinc, credo equidem, legitimi certatores noſtri horarum canonicarum amore capti, die, noctèque mira velocitate chorum petere, & ad laudes ſacras celebrandas ſe accingere conſueſcunt. Hos imitamini, cum his ad victoriam generosè certate, & inter divinas laudes gaudia veſtra, & coronas veſtras exquirite.

Ad Hebr. 5. 13. 14.

Pſal. 132. 3.

CAPUT XVI.

Exhortatio de modo divinum Officium perſolvendi.

Officium Divinum quomodo perſolvendum?

Exprimi nequit, quàm religioſè antiqui Monachi divinas laudes celebrare conſueverint. Nimirum rei dignitatem, & proventum æqua lance librantes aptiſſimum fructui percipiendo modum inire curarunt. Modus autem ille ad duo potiſſimum capita redigi poſſe videtur; ad intentionem ſcilicet animi, & ad corporis decoram coaptationem. Omnino enim decet, ut qui Divinæ Majeſtati ſacrificium laudis oblaturus aſſiſtit, & mentem intendat, ne divagetur, & corpus modeſtè componat, ne quid deforme præ ſe ferat. Hæc fuit priſca, & penè Angelica Officii divini perſolvendi ratio, ubi Dei Spiritus viros illos ſanctitate claros afflabat: cæterùm eorum poſteri nec animi intentionem, nec externam modeſtiæ diſciplinam retinentes, ad lentum quemdam, & parum decorum canendi, & recitandi modum proceſſerunt, qui teporem animorum facilè indicat. Ab his longè abſiſtere, & ad antiquitatem propiùs accedere opus eſt, ſi quod profeſſi ſumus explere velimus, quod ut feliciter ſuccedat, harum rationum momenta perpendite.

Prima ratio.

Ratio prima. Non levis irrogaretur injuria principi mortali, ſi quis cum eo verba faciens ſponte ad alia cogitanda diverteretur, aut mentem lentè applicaret. Utroque enim modo proderet, ſe principem non magni facere, quod ægerrimè ferri ſolet. Si ergo diverſio, modicaque attentio principem mortalem offendit, quid de immortali dice-

dicemus? Quis non acriter reprehendat mentis evagationem, ac teporem, ubi cum infinita Majeſtate agere, ejuſque laudes efferre decretum eſt?

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Non evagatio, aut torpor tantùm, ſed error multiplex aliàs idoneum divinas laudes celebrandi modum perturbat, vel obtruncat, qualis error illorum, qui exercitia ſpiritualia importunè, ac imprudenter Officio divino intrudunt, quibus ab intentione, ac devotione Majeſtati Divinæ debita animum avertunt.

A

Officii Divini partes ex quibus verbis conſtant?

Cum enim ipſæ Officii partes, quæ Scriptura Sacra, & Sanctorum homiliis conſtant, ſint ſatis pinguis animi paſtus, digerique vix queant, ſi aliis exercitiis vario artificio compoſitis præſtetur attentio; quis non animadvertat per exercitia illa intentionem animi diminui, & vires in ſtudia diverſa diſſipari? Neque hoc loco prætexenda eſt pietas eorum, qui ad ſingulos horarum canonicarum verſus pedem, vel manum Chriſti Crucifixi oſculantur, aliaſque adorationes certis numeris aſtrictas frequentant.

Quæ reprobanda, & cur in recitatione Officii Divini?

B

Importuna quippè eſt tam exacta adorationum artificiosè ſuccedentium obſervatio, quæ ab attentione principali, & à percipiendo Officii divini ſenſu animum certiſſimè abigit. Officii divini penſum ſyncerè, & graviter, & ſine labore, qui caput lædat, more Sanctorum in Deum referendum eſt.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Non modò mens in varia ſtudia dividenda non eſt, verùm ad morem Seraphicum omnes animi vires colligi debent, ut in Deum virtus unita fortiùs feratur, quàm diſperſa; quod totum illis latriæ actibus ita conſonat, ut diviſio diſſonet. Totum quippe hominem Deus in his Religionis actibus ſibi cupit aſſiſtere, & quicquid decerpitur, in ejus injuriam cedere videtur.

Quarta ratio.

Ratio quarta. Prætexitur corporis pondus, quo deprimitur anima, iis præſertim horis, quibus à ſomno ſurgitur. Verùm hæc juſtorum prælia ſunt, ut validè pigritiam excutiant, & corpus animo ſervire cogant.

C

Num ſomnum excuſarent, ſi à principe mortali ad ejus præconia celebranda vocarentur? Non dubium, quin ſedulitate multa ſeipſos excitarent, ne quid indecorum appareret. Cur ergo erga omnium rerum Conditorem non eandem diſciplinam obſervent?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Prætexitur vel æſtivus calor, vel frigoris aſperitas, quæ obſtant, ne corpus ita decore aptetur, ut par eſſet. Cæterum qualis pretextus eſt hic? Exploratum eſt, fortes Chriſti athletas hæc obſtacula deſpicere, & glorioſè ſuperare concepta Divinæ Majeſtatis præſentia, & functione tunc obeunda.

D

Cur ergo alii ita non vincant? An qui vincunt, homines non ſunt? Homines planè ſunt, ſed ope cœleſti hæc impedimenta depellunt. Vos ergo, Patres, qui inter ignavos recenſeri non vultis, modum divina officia exequendi ſpiritualem, decorumque ſectamini. Cum enim ſtatus veſter Angelicus ſit, turpe eſt, carnis concretionem prætexere. Quin etiam fatuum eſt, corpori in hoc opere non imperare.

Officium ſub mortifero peccato explendum.

Si enim Officium id ſub mortifero peccato quotidie explendum eſt, an vobis ſtultum non videtur illud modo ad fructum minimè appoſito perſolvere? Etenim ſi officium omitti inculpatè poſſet, ab hujuſmodi moleſtia è corpore genita facilè vos expediretis: at cum id fieri nequeat, & onus illud omnino ſubeundum ſit; nonne perſpicitis, rem veſtram agi, ſi à vobis perfectiſſimè ſubeatur?

E

De merito quidem, quod vos dignè æſtimare ſupponimus, nulla controverſia obtenditur: Conſtitutum eſt quippè, Religioſam mentis, corporiſque coaptationem auctioris meriti, quàm irreligioſam, eſſe. De ſola ergo rei difficultate diſceptari poſſet. Cæterum vos ipſos judices conſtituto, rogoque, utra ſit gravior difficultas, in Officio lentè, ac incompoſitè perdurare, an ſub initium tribus, exempli gratia, validis cordis motibus pigritiam excutere, & ad reliquum tempus mente intenta, corpore aptato, capiteque exonerato evigilare?

Pigritia excutienda.

Porrò reſpondebitis, rem eſſe experientia probatam, multoſque qui videbantur ſomno opprimendi, aut repentè incidentibus doloribus, torquendi, aliiſve modis divertendi ab Officio, ſerenitatem quamdam, & libertatem cœleſtem præmiſſis aliquot mentis aſcenſibus nactos fuiſſe.

F

Rectè quidem nos etiam idipſum obſervaſſe fatemur. Si ergo is modus non ſolùm meritis fœcundior, ſed facilior eſt, quid exiſtimatis ſentiendum de Monacho, qui foris loquax, in choro mutus, foris agilis, in choro graviter oppreſſus deprehenditur? Quid de illo cenſebitis, qui breviarum ſuſtinere non poſſe videtur, qui omnia circumſpectat, & cantum exeundi cupidus accelerat?

Triſagium Seraphicum. *Iſai. 6.*

Recolite Seraphin, quando (juxta Iſaiam) clamabat alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & humanam fragilitatem aſpernati Seraphicos mores æmulamini.

G

Pſal. 46.

Recolite Sanctorum conſuetudinem, ut recitetis, pſallatiſque ſapienter. Quid putatis, ſibi velit vox illa, ſapienter? perindè eſt, ac ſi diceretur more ſapientum, qui ſenſa divina percipiunt, eorumque dulcore delectantur. Eloquia Dei dulcia eſſe è Pſalmagrapho didiciſtis per verba illa: *Super mel ori meo*.

Pſal. 118.

Si ergo melle dulciora ſunt, profectò ſapienter pſalli, ac celebrari decet. Hæc ergo altè recondite, hæc cogitate, & animis in cœlum intentis, corporibuſque modeſtè coaptatis in quotidiano divinarum laudum Officio choros Angelicos imitari certate.

TEXTUS VII.

De non habendo proprium.

H

Nullus fratrum ſibi aliquid proprium eſſe dicat, ſed ſint vobis omnia communia, & di-

Scripta An. 1614.

ſtribuatur unicuique per manum Prioris, vel per fratrem ab eodem ad idem Officium deputatum, prout cuique opus erit, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum.

A

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt ad exhortationes ſolitas.

DIſſeri poteſt de vita communi. Mox agi poteſt de recurſu ad Priorem pro rebus neceſſariis. Poſſent, & alia pertractari, quæ ad Prioris officium attinent: verùm ſcripto huic non congruunt, niſi ea, quorum ipſe Monachos debet admonere.

CAPUT XVII.

B

Exhortatio de bono vitæ communis.

Communis vitæ laudes.

COmmunis vitæ bonum adeò excelſum, ac divinum eſt, ut qui diſciplinæ Monaſticæ conſulti ſunt, id & ſummis præconiis extollant, & pro eo ſuſtinendo nullum laborem formidandum eſſe conſentiant. Habet nempè id bonum cum cæleſti patria affinitatem non exiguam, quam præ oculis decet habere. Vt enim commune beatorum æterna pace fruentium bonum cuique, proportione ſervata, totum communicatur, nec alter alteri illius conſortium invidet; ita in cœtu Monachorum communem vitam ducentium, quidquid habetur boni, ita eſt omnium, ut ſit quoque ſingulorum, quoad opus eſt, nec patet invidentiæ locus, ubi in quotidianæ providentiæ decurſu non perſonæ, ſed neceſſitatis modus expenditur. Vita ergo communis beatæ vitæ adumbratio quædam eſt. Hinc efficitur, ut generis humani hoſtis, qui à vita beata, qua caret, invidentiæ ſtimulo percitus, homines conatur avertere, ſimili quadam perverſitate Monachos à communi vitæ ſtudio enitatur dimovere; quod portentoſa Ordinum multorum ruina teſtatur. Danda ergo opera eſt, ut bonum hoc, quod cœleſti munere apud nos integrum perſtat, accuratiſſimo ſtudio conſervetur: quod his rationibus videtur perſuaderi.

C

Prima ratio.

D

Ratio prima. Exploratum eſt, communem vitam pacis eſſe feracem, cum non ſubſit diſſentionis cauſa, ubi nemo quicquàm uti proprium ſibi vendicat. Pacem autem univerſæ creaturæ appetunt, & quam ſedulò poſſunt, inquirunt, cujus veritatis experientia notiſſima eſt, nam & bella geruntur pacis acquirendæ gratia, ut crebris liquet exemplis: præterquam quod paſſim cernimus, & animantes, & res ſenſus expertes ad quietem, hoc eſt, pacem quamque ſuam naturali propenſione moveri. Si ergo vitæ communis ratio pacis ubertate fœcundatur, qui fieri poteſt, ut Monachus tanti boni conſcius, eam non alere, ac promovere conetur?

Bella, cur gerantur?

Secunda ratio.

E

Ratio ſecunda. Ubi in communi pietate Monaſtica vivitur, Monachi ſinguli quadam ſanè nobili conditione gaudent. Quemadmodum enim orbis terrarum principes, quæ fercula apponenda ſint, quod triticum emendum, quænam alia victui opportuna ſeligenda, minimè cogitant, ſed cura aliis demandata bonis paratis fruuntur, ita & Monachi: quod ita perſpectum eſt, ut nec à protervis negari poſſe videatur. Et quidem, quicquid alii ſentiant, vos quotidie ad menſam accumbitis, & nulla prævia cura victu neceſſario divina providentia nutrimini, quod de veſtitu, aliiſque ad hanc vitam requiſitis aſſerimus. Si ergò hæc vitæ communis ratio vos principibus ſimiles efficit, & à ſordida conditione plebejorum vilia tractantium eximit; profectò non ob rationes tantum divinas, ſed ob politicas, ſi eo nomine uti liceat, eam alere & perficere deberetis.

F

Tertia ratio.

Ratio tertia. Ii qui paupertatis votum fideliter obſervant, Deum quaſi fidejuſſorem habent, cujus eſt curam gerere eorum, qui omnia reliquerunt, ut ex ipſius providentia dependerent. Ex quo efficitur, ut Clementiſſimus Deus Monaſteriis, ubi nihil poſſidetur, diciturve proprium, liberaliter adſit, & in rebus etiam eſculentis augendis miracula interdum patret; quod è Monaſticorum Ordinum chronicis, & noviſſimis quoque Congregationis noſtræ conſtat hiſtoriis. Si ergò, qui communis vitæ fidus cuſtos eſt, Deum annonæ velut ſponſorem habet, quomodo in ejus vitæ ſtudium non conſtanter incumbet?

Quarta ratio.

G

Ratio quarta. Monachi ad peculia degenerantes infeliciſſimum hominum genus eſt, cùm in Clauſtris Deo dicatis eaſdem curas ſuſcipiant, quas in matrimonio geſſiſſent. Victum quippe, veſtitum, lectum, libros, ſupellectilem variam contrahunt, & cellas farciunt ſolicitè, ac ſeculares avari, qui rei familiaris ſitim explere nequeunt. Cum hac verò ſolicitudine immodica, orationis, Officii divini, Sacrificii Miſſæ religio quomodo poſſit cohærere? Status profectò lugendus eſt, quem dum perhorreſcimus, in communis vitæ cultum impenſiùs conſpirare debemus.

Quinta ratio.

H

Ratio quinta. Plurima & ſanè tremenda mala ex proprietatis vitio exiſtunt, ut adulatio ad benevolentiam ſecularium divitum captandam, recurſus ad conſanguineos, jurgia in Cœnobiis ob peculia ab aliis uſurpata, vel mutuò accepta, nec reddita, aliaque ejuſmodi, quæ nimis prolixum foret percenſere. Cæterùm ea omnia ad hoc unum caput compendio rediguntur, quòd ea vitæ ratio in æternæ damnationis periculum ſuos ſectatores adducit, & conſcientiam præſenti remorſu dilacerat. Hæc omninò vera, & teſtata ſunt. Si ergò per

vitæ

Scripta An. 1614.

vitæ communis ſtudium hæc damna vitantur, & libertas à mundi ſervitute, Monaſtica perfectio, conſcientiæ pax, & ſempiternæ vitæ ſpes imis radicibus nixa multis incrementis augetur; qualis dementia foret, vitam hanc cœleſtem vel minima ex parte deſerere?

Proprietas Religioſis interdicta.

A Omninò credendum videtur, neminem è vobis tam fore ſuæ ſalutis immemorem, qui proprietatis à ſanctis damnatæ non modò vitium, ſed & nomen non deteſtetur, ſicut Regulæ textus exigit. Nemo, inquit, aliquid ſibi proprium eſſe dicat. Satis eſſe videbatur, paupertatis votum ſuperiùs præſcripſiſſe, cum quo nequeunt ſenſa, & verba, illud vitium innuentia conciliari. Ex quo enim Monachus paupertatis votum emiſit, mendacii arguitur, ſi vel ſolo nomine ſibi quicquam attribuat. Si ergò id verum eſt, quorſum hæc ſecunda tam exacta præſcriptio, ne quis aliquid ſibi proprium eſſe dicat? Nimirùm res, de qua agitur, pondus habet immenſum, debuitque ad ejus obſervationem, non operum tantùm, ſed
B verborum forma decerni. Ex quo inter noſtros pronomina illa, meum, & tuum, horrori ſunt, veſtimentumque, quo induitur, non meum, ſed noſtrum quilibet appellat. Verùm non hìc conſiſtendum eſt, ulteriuſque progrediendum, donec animus, uti fidus voti cuſtos, iis rebus, quæ per obedientiam ei conceſſæ ſunt, & quibus maximè indiget, ita utatur, ut cordi non hæreant, atque moleſtè non ferat, ſi repetantur, auferantur, permutentur. Qui hac non pertingit, licet gravi vulnere conſcientiam non ſauciaverit, facilè revincitur, aliqua tandem vitii proprietatis initia libenter admittere, nolleque venenatam mali radicem evellere. Radix quippe, quæ prodigioſam poſtea ſuccreſcit in arborem, affectus ille immo-
C deratus eſt, quo Monachus res conceſſas ita retinet, ut earum ablationem indignè ferat. Hoc initium eſt; neque enim timorati animi in ſcopulos ſtatim gravium peccatorum impingunt. Amor autem proprius vires ſenſim acquirit: & ubi ſatis crevit, proclive eſt, interdicente etiam Prælato, quod arctè adhæſit, nolle relinquere. Capite ergo vulpes parvulas: leves culpas ne ſerpere patiamini. Non enim vos, ut Joſue Achan, vel ut Petrus Ananiam, & Saphiram redarguo, ſed ad profectum adhortor. Achan furatus eſt aliquid de anathemate, qui propterea lapidatus eſt, quod abſtulerat, ignis abſumpſit. Ananias & Saphira de pretio agri venditi partem retinentes morte repentina ſublati ſunt. Anathema eſt, quicquid poſt nuncupatum paupertatis votum af-
D fectu immoderato uſurpatur: fraus eſt quicquid abdicatis jam rebus, aliquo proprietatis ſenſu latente poſſidetur. Longè malum hoc propulſandum eſt, cautione rerum exiguarum prævia, quæ noxias herbas recenter ortas uti falx exacuta reſecet. Profectò tametſi alia non timerentur damna, quàm divini amoris decrementum, deberemus nos omnes minimas in hoc genere culpas, ut mortem ipſam refugere: verum eſt quippe illud Auguſtini meritò celebratum: Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat: cum ad proportionem amoris rebus temporalibus impenſi, nec ad Majeſtatem Divinam directi, divinus decreſcat amor, fatuo mercatore aurum cœno
E permutante. Abſit à vobis inſania hæc eò execrabilior, quò plura ſecularia bona reliquiſtis, vel relinquere optaſtis. Mirum ſanè foret, ut amore viliſſimæ veſtis ad uſum permiſſæ tam vehementer caperemini, ut quædam vitii proprietatis veſtigia imprimerentur animis, qui pretioſa mundi ornamenta ſpreverunt. Eſtote magnanimi mundi contemptores; nudi cum hoſte nudo congredi ſatagite: & communem vitam à Patribus noſtris hæreditatis ampliſſimæ loco acceptam legitimo rerum uſu conſervatam, & auctam ad ſucceſſores noſtros generoſè transferte.

Vulpes parvulæ quæ? *Act.* 5. *Joſ.* 7.

F

CAPUT XVIII.

Exhortatio de recurſu ad Priorem pro rebus neceſſariis.

OBſervatione profectò digna eſt Regulæ præſcriptio, qua decernitur, ut è communibus bonis, quæ Chriſtiana charitas in Cœnobia intulit, Prior per ſe ipſum, vel per alium, cui curam demandet, ſingulis juxta ætatem, neceſſitatemque opportuna provideat. Hæc quippè ſanctio Prælatos, ac ſubditos ſtricto quodam charitatis vinculo connectit, ut Prælati paterna providentia ſubditis adſint, ſubditi verò ad Prælatos velut ad parentes fidenter accedant. Omninò enim æquum eſt, ut nos, qui veſtri curam gerimus, vobis qui omnia reliquiſtis, ut Chriſtum ſectaremini, parentum loco ſi-
G mus, teneroque affectu non patris tantùm, ſed matris, ac nutricis functiones obeamus, ut olim Moſes in populum, ſicut ſcriptum eſt: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum?* Hic Dei ſenſus fuit, ut Moſes ita afficeretur in ſingulos, ac ſi eos concepiſſet, vel genuiſſet. Hunc etiam ſenſum Apoſtolus expreſſit in filios, quos cum ſemel parturiiſſet, iterum ſe parturire profeſſus eſt, ut in eo maternum affectum dignoſcerent. Hunc & nos ſenſum erga vos habemus, & omnem operam pollicemur, ut Officii noſtri partes expleamus: qua de re plura ſubtexere non oportebit. Reli-
H quum ergo fit, ad amoris fœdus utrinque ſanciendum, ut vos in quavis occaſione ad nos fidenter recurratis, quod his rationibus Deo opitulante ſuadebimus.

Paterna providentia Prælato injuncta.

Num 11. 12.

Prima ratio.

Ratio prima. Quamdiù præſumus, Inſtitutio Dei eſt, ut paternam curam geramus. Si ergo Clementiſſimus Deus curam hanc nobis licèt indignis credidit, manifeſtum fit, eos, qui parentes alios quærunt, ut obtineant

Scripta An. 1614.

tineant ea, quibus indigent, Dei voluntati reluctari. Quocirca credendum non eſt, filios parentem declinantes Deo infeſto unquam fore felices.

Secunda ratio.

A

Ratio ſecunda. Licèt Prælatus Monachus alias imperfectus ſit, ex quo tamen cooptatus fuit, ut præeſſet, Deum velut ſponſorem habet, ut ei lucem infundat, inſtruatque ad ſubditorum bonum quod gratiæ divinæ genus aliis, qui minimè præſident, non æquè impenditur. Hoc certè noſtis, hoc planè creditis. Si ergo quod proferimus, cognoſcitur, & creditur; quonam conſilio Monachus Prælatum adire recuſat? E quibus lacunis aquam haurire geſtit, qui fontem à Deo probatum nactus eſt?

Tertia ratio.

B

Ratio tertia. Admittamus, Monachum Prælato non fidentem aliundè tandem neceſſarium aliquid elicere, Prælati ipſius venia ad id retinendum impetrata. Nolumus enim de iis agere, qui ſine conſenſu Prioris quiquam retinere certant, quos Deus inter noſtros huc uſque non permiſiſſe videtur. De his ergo, qui pejus errant, minimè diſſerimus, ſed de iis, qui aliquo denique obedientiæ nutu, quæ optant, habere contendunt. Rogamus nunc, ipſi norunt, ſe parum fideliter libros, veſteſque has aut illas, habito ad alios, quos Deus non elegit, recurſu, obtinuiſſe. Quomodo ergo pacato animo illis utuntur? Reſpondebunt, ſe tandem Prioris veniam impetraſſe. Cæterum mirabile eſt, Monachos hoc prætexere, quos oportet germanam obedientiæ notionem peperiſſe. Nonne apertè perſpiciunt, licentiam illam penè coactam eſſe: & Priorem, ne ipſi pejora committant, connivere fragilitati, qua laborant? Nonne vident recurſus illos, quos captant, Priori diſplicere, veniamque non ſponte natam, ſed extortam eſſe?

C

Quarta ratio.

Ratio quarta. Qui re aliqua indiget, nec ad Prælatum recurrit, ei proculdubio injuriam irrogat. Eo quippè ipſo prodit, ſe non habere parentis loco Prælatum, neque credere ſe habere Pontificem, qui ei compati velit: quod ab ea ſinceritate, quæ bonorum Monachorum nota eſt, longè diſtat. Jam autem id à Prælato deprehendi certò ſtatuimus, cum adeò ſtupidus non ſit, ut modum hunc agendi parum fidelem minimè dignoſcat. Si autem dignoſcit, facilè videt, ſe non, ut par eſſet, æſtimari; atque adeò perſpicit ſibi iniuriam inferri. Quid autem boni contingat ei, qui Patrem injuria afficit, & in ſententia perſiſtit?

Quinta ratio.

D

Ratio quinta. Prætexitur aliquid a Priore negari. Verùm adeo indomitæ paſſiones ferociant, ut Monachus à Prælato, quæ occurrunt, poſtulare nolit, quod rem aliquam non indulſerit? Hæccine eſt Monaſtica perfectio, ut quia ſemel, aut bis chartæ folium non conceſſit, ſtatuat Monachus, ſe non ultra ad eum, qui Dei loco præeſt, recurſurum? An ſi in ſeculo remanſiſſet, parentes proprii omnia conceſſiſſent poſtulata? Profectò Prælati noſtri in hoc genere mitiores ac promptiores, quàm parentes ſeculares eſſe ſolent, non in iis dumtaxat, quæ ad neceſſitatem, verùm etiam in iis, quæ ad ſolatium pertinere videntur. Quapropter à vero Monacho Prælati fuga velut barbari, ac efferati hominis culpa cenſenda eſt. Quid expectatis, Patres? Quid de productis rationibus vobis videtur? Omninò credendum eſt, nullam legitimam poſſe excuſationem obtendi ab iis, qui ob raras, modicaſque repulſas terga Prælato vertunt, noluntque miteſcere. Etenim non uſque adeò certum eſt, quicquid à Monacho petitur, eſſe diſciplinæ Monaſticæ, ipſiuſque poſtulatoris ſaluti conſentaneum. Quid ergo mirum, ſi Prælatus nonnunquam, quæ poſcuntur, deneget? An quia non indulget noxia, non impertietur ſalubria? Neque obſtat, quod degeneres prætexunt, ſe juſta depoſcere. Quid enim ſi eis juſta videantur, & Prior ſecus cenſeat? Utra ſententia non ſolùm monaſticè, ſed civilitèr præferenda eſt? Cæterum quid cunctor? Ii ex noſtris, quos veris virtutibus abſque exceptione præditos eſſe, fama eſt, non ita cum Prælatis diſceptant. Non excandeſcunt, ſi petita non impetrent. Quin etiam cum Prælatis paciſcuntur, ut pleraque abnegent, atque in hunc modum exerceri ſatagunt, benè fidentes neceſſaria ſibi non defutura, quod ex voto ſuccedit. Conferte modò Monachorum claſſes duas, alteram eorum, qui ex denegato levi poſtulato irritati ad Priorem ſe in poſterum recurrere nolle decernunt, alteram eorum, qui ſibi, quæ præſertim concedenda videntur, prohiberi contendunt. Claſſes circumſpicite, claſſium merita comparate. Quid ergo reſpondebitis? Nos judicium feremus: Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Felices Monachi, qui ſub agonis finem longum rerum interdictarum catagolum Chriſto cognitori legendum, ut more noſtro dicamus, exhibere poterunt. Quàm cumulata mercede gaudebunt? Satis rem calletis: Honeſtum agnoſcitis. Percutiamus ergo coram Divina Majeſtate ſuperius indicatum amoris, & Monaſticæ perfectionis fœdus, ut nos ſcilicet paterno affectu vobis ad Regulæ ſenſum, inſpecta ætate & neceſſitate, res opportunas diſtribuamus; vos verò filiorum uſi fiducia, illas candidè poſtuletis, & ſi quid interdum negetur aut prorogetur, boni conſulatis. Ac in hunc modum pro decore domus Dei, erecti ſpe ſalutis æternæ dimicemus.

Omnia neceſſaria a quonam Religioſus petere debeat?

E

F

Via vitæ arcta dicta.

G

TEXTUS VIII.

Quod licet habere in communi.

H

Aſinos autem, ſive mulos, prout veſtra expoſtularit neceſſitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, ſive volatilium ad nutrimentum.

Obſer-

Scripta An. 1614.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

DIci poterit de divina erga nos in rebus quoque infimis providentia. Deindè poſſet diſſeri de uſu jumentorum ad modeſtam vecturam.

A

CAPUT XIX.

Exhortatio de divina erga nos in infimis quoque rebus providentia.

Jerem. 31. 9.

B

Quæ animalia ad nutrimentum Religioſorum permiſſa.

C

DUM præſentis textus ſenſum contemplor, ſubit mentem illud, quod per Jeremiam Clementiſſimus Deus extulit: *Factus ſum Iſraeli Pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Ita enim erga nos afficitur Deus, uti Pater erga primogenitum affici ſolet, dum in rebus quoque minimis noſtri curam gerit, quod ex hac Regulæ præſcriptione convincitur. Legiſlator quippe divino, ut credi debet, ſpiritu afflatus animalia alia ad vecturam, alia ad nutrimentum ægrotantium, vel etiam proſperè valentium haberi poſſe decrevit, ut ad omnem eventum Monachis neceſſaria ſuppeterent, omnemque proinde curam in Dei providentiam reiicerent. Textum explorate, & comperietis, jumenta ad onera varia in Clauſtrum inferenda, vel ad Monachum aliquem pedeſtre iter facere non valentem vehendum, volatilia verò, & animantia alia, vel occiſa in eſum ægrorum, vel viva in fœtum ovorum, & lactis ad ægros valenteſque paſcendos deſtinari. Quid ergò ſibi vult hæc tam accurata rerum modicarum præſcriptio? Ii, qui ſpirituales oculos nacti ſunt, facilè animadvertunt, divinæ opus providentiæ fuiſſe, ut in textu adeò brevi & gravi hæc Dei erga nos cura teſtata remaneret, ut nos noſtraque omnia in eum referremus: quod ſubiectæ rationes evincunt.

Prima ratio.

Ratio prima. Deus Clementiſſimus certo hoc Regulæ capite Prælatos monitos voluit, ut ægris beneque valentibus, ſive domi, ſive foris ſive in adverſa, ſive in proſpera valetudine providerent ea, quæ ſanè ad omnem eventum opportuna videntur. Si ergo hæc jam præmonita, & proviſa ſunt, quàm erit cæcus Monachus, qui diffidentiæ morbo laboraverit, & ſui curam in Deum minimè retulerit?

Secunda ratio.

D

Dei providentia admirabilis.

Ratio ſecunda. Hæc divinitus inſpirata Regulæ pars oblivioni tradita non eſt, cum Prælati eam, quoad opus eſt, fidiſſimè exequantur, ut quiſque veſtrum crebra experientia perſpectum habet. Quid ergo quæritis? Quid cogitatis, ſi in animis veſtris ulli ſolicitudini aditus patet? An eſſe vultis è numero illorum, qui malè locuti ſunt de Deo? Expendite, quanam ratiocinandi arte uſi ſunt. Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt. Hoc providentiæ genus planè mirandum jam ipſi experti fuerant, & tamen ſic rogant: Numquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Stulta hæſitatio de potentia aut voluntate Dei. Debuerunt ſententiam in hunc modum contexere: Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ: Ergo & menſam non ſolùm poterit parare, ſed parabit. Vos ergo, niſi ex anteacta Dei providentia de futuris eventibus ſpem altam concipitis, in populum parum fidelem degeneratis.

E

Tertia ratio

Pſalm. 54. 23.

Ratio tertia. Ex quo Monachus exemptum hoc vitæ noſtræ genus profiteri cœpit, probavit illud oraculum: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Liquidoque cernit, id juxta Dei fidelitatem in minimis quoque rebus evenire. Etſi enim corvus appenſos roſtro cibos, ut Eliæ, ac Paulo primo Eremitæ non deferat, uſitatiore alio modo neceſſaria providentur. Quoties autem creditam Deo ſui curam reſumit, oraculum improbat illud, nec jam à Deo nutriri cupit. Quis autem non judicet, ſtultam eſſe hanc mentis mutationem, quandoquidem nullius creaturæ providentia divinam valet æquare?

F

Quarta ratio.

Ratio quarta. Bonorm Monachorum mos eſt, ubi conſanguinei vel amici quicquam ægris, aut valentibus offerunt, illud reſpuere, ne humana providentia divinam excludat. Cum enim ſui curam in Deum coniecerint, & Prælatorum fidem in Regulæ præſcriptionibus explendis probaverint, nolunt iniqua commutatione ſeduci. Cur ergo non omnes hanc doctrinam ſectentur? Quid meditatur, qui ſui curam à Deo, & Prælatis ſuſceptam externæ providentiæ incertæ, & carptim ſuccedenti non anteponit?

Quinta ratio.

G

Spiritualia temporabilibus nobiliora.

Ratio quinta. Rogamus, an qui curam gerit, jumenta, pecora, altiliaque vobis nihil cogitantibus parandi, in rebus gravioribus vos deſerturus credatur? Reſpondebitis, omninò certum exiſtimandum, ea quæ majora ſunt, & quæ ſtatum decent noſtrum, à Deo providenda. Si enim ipſe libentiùs largitur ſpiritualia, quæ nobiliora ſunt, quàm temporalia, quæ illorum dignitatem non æquant: cur non credatur largiturus ea temporalia, quæ aliis pretioſiora ſunt, ſi deceant, & ad bonum ſtatus noſtri conferant? Si ergo firmis rationibus nixi cenſetis, nihil ad ſtatus veſtri decentiam ſine ulla veſtra ſolicitudine defuturum; animadvertite, quàm debeatis à curis ſupervacaneis abhorrere, & totum quod eſtis, uni Deo rerum veſtrarum curatori ſacrare.

H

Dei providentiam in Religioſis.

Credo equidem, vos ita eſſe animo comparatos, ut & divinam erga res noſtras providentiam commendetis, & vos totos in Dei curam dedere velitis. Cæterum non ſatis propterea fit officio, cui obnoxii eſtis ex tot beneficiis, quæ Deus quotidie confert, in iis quoque rebus, quæ textu Regulæ tactæ ſunt. Quæ enim ſeculares ſummis laboribus ad ſe alendos hinc inde conquirunt, vos ab ipſis donata ſine moleſtia

ulla

ulla ſani, ægrique percipitis. Reddite ergo multæ tributum gratitudinis, qua fons divinæ largitatis velut incitatus fluat uberiùs. Rem hanc attentè obſervate, ne in errorem illorum incidatis Monachorum, qui non magis divinorum beneficiorum experientia molliuntur, quàm ſi ſtricto jure illa eis deberentur; quibus æquo judicio rependi ſolet. A ut ea ſubtrahantur, & inopia ſimul, ac ſpiritus ariditate vexentur. Alebat eos primùm Deus, ut nutrix infantulos: poſtea ingratos ablactat. Nonne vobis videtur ablactandus, hoc eſt, dignus, qui paſtu privetur, is, qui dum quotidianam Dei providentiam ad ægrotos, valenteſque ſolandos, & promptuaria implenda in cœnaculo, cibo ſumpto, ut mos eſt, referri audit, nihilo gratior evadit, quàm ſi cenſum, quem è propriis bonis inſtituiſſet, acciperet? Porrò ſpirituales Monachi dum eleemoſynas recenſeri audiunt, & officinas benè inſtructas circumſpiciunt, multa animi demiſſione, & gratitudine cor in gratiarum actionem attollunt, & procuratorem ſedulum Deum appellant. Fidelis Monachus B crebrò recolit illud ſanè ſuaviſſimum divini Vatis aſſertum: *Dominus regit* (ſeu paſcit) *me, & nihil mihi deerit.* Nihil ſanè deerit iis, qui nihil præter Deum exquirunt, nam iis, qui degenerant, omnia deſunt, contingitque illud, quod Hebræis olim accidiſſe Jeremias commemorat in hæc verba: *Aegypto dedimus manum & Aſſyriis, ut ſaturaremur pane.* Ineunt enim cum ſecularibus tanquam cum Aegyptiis, & Aſſyriis pacta, ut corradant neceſſaria; qui ſi Deo ſe totos devoverent, haberent etiam commoda, & delectabilia. Ne ergo fœdera peregrina requiratis, ſed ſub Dei tutela requieſcite, & ut ipſe liberaliſſimus proviſor vobis adeſt; ita & vos omnem ſolicitudinem ad ejus defæcatum amorem, & C ardentiſſima cœleſtis patriæ vota referte.

Pſal. 22. 2.

Thren. 5. 6.

Deus proviſor Religioſorum liberaliſſimus.

CAPUT XX.

Exhortatio de uſu animalium ad modeſtam vecturam.

PArs providentiæ in ſuperiori exhortatione laudatæ eſt uſus animalium ad vecturam. Cum enim non omnes Monachi pedites iter facere poſſent, expedire viſum eſt, jumenta non modò ad onera geſtanda, ſed & ad ægros, aut debiles vehendos haberi. Quod non temerè præſcriptum cenſendum eſt, cum Regula in infimis quoque rebus cœleſti conſilio dictata videatur. Et D quidem rationi, ac diſciplinæ Monaſticæ mirificè congruebat, ut gens, quæ humilitatem à primævo ſtatu profeſſa fuerat, in iis præſertim occaſionibus, humilem diſciplinam retineret, in quibus facilior lapſus, & excuſatione dignior videretur. Perfacile quippe erat, ubi morbus, aut imbecillitas adeſſet, equitandi morem parum modeſtum induci, cui malo anteverſo tempore occurrere legislator optavit, dum eam providit vecturam, quæ diſcipulorum Chriſti humilitatem, ac manſuetudinem deceret, & nihilo ſeciùs inſtati neceſſitati juxta charitatis legem minimè deeſſet. Hæc antiqua inſtitutio, & conſuetudo fuit, ubi neceſſitas cogeret. Cæterum lapſu temporis, & ſpiritus tepore apud nonnullos equitandi licentia, & abuſus introductus eſt, à quo per E ſubiectas rationes vos priſcæ ſanctitatis æmulos cupimus dehortari.

Jumenta, & eorum uſus, qualis?

Prima ratio.

Ratio prima. Status noſtri decor, & proportio exigit, ut quemadmodum diverſam à ſecularibus vitam domi ducimus, hoc eſt, auſteriorem, parciorem, humiliorem, ita extra Clauſtra ab eorum moribus diſcernamur. Si ergo domi veſcimur, cubamus, induimur modeſtiùs, quale monſtrum erit, ut ſtatim ac iter inchoamus, ulla in equitandi commoditate cernatur diſcretio? Profectò nullus hic ordo, nullus decor deprehenditur, ſed aperta deformitas ſeipſam oſtentat.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Ex abuſu equitandi exoritur enormis expenſarum abuſus, quod nimis compertum; & vulgatum eſt. Quomodo F autem cum emiſſo paupertatis voto ea licentia cohærere poſſit, cum alii eodem aſtricti voto aut pedites incedant, aut humiliùs vehantur, ne tot, tantoſque ſumptus faciant? Porrò res hæc timoratos animos non leviter vexat.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Qui ſecularium more equitare contendit in Religione inopi, arte non prorſus ſyncera: aliunde viaticum elicere ſatagit, ac proinde multa committit, quæ ſpiritui non leviter officiunt. Res planè teſtata eſt: atque utinam non adeo frequenter accideret. Quis ergo hujuſmodi abuſum non perhorreſcat? Quantò eſſet religioſius mori velle, quàm hunc abuſum latè ſerpentem alere?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Qui hæc non curant, & G levibus de cauſis itinera frequentant, bonum ſuæ Congregationis nomen obſcurant, deformi exemplo altè impreſſo, quod multis aliis modeſtè viam carpentium exemplis minimè deletur. Certum eſt autem, hoc culpæ genus ex iis eſſe, quæ à Deo ſeverè puniuntur, cum commune bonum & multis piis laboribus partam totius Congregationis exiſtimationem deterat.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Licet nulla ingruerent mala, rubor ipſe, quo ſuffunduntur iſti equites, ubi Monachos alios æqualem, aut fortaſſe minorem auſteritatem profeſſos obvios habent, deberet eos ab hoc propoſito deterrere, ut neceſſitati, ſi qua urget, humiliore vectura, quantùm ſat foret, occurrerent.

H Has, quæ nervoſæ videntur, rationes trutinate, Patres, & Inſtituti noſtri decorem ne contemnite. Non eſt res adeo levis, quæ reticenda, vel oſcitanter prætereunda ſit. Recolite antiquos malorum noſtrorum mores. Chriſtum aſello inſidentem in urbem ſanctam ingreſſum cogitate. Non vectus fuit equo phalerato, vel commodè ſtrato: ne-

Chriſtus aſello vectus.

que

que enim ferox animal, ornatus & commoditas manſuetudini, humilitati, & inopiæ congruerent. Mundus noſtro eget exemplo. Opinio, quam de noſtra ſimplicitate concepit, non ſine ſpiritus jactura interiret. Nos inſequentem fugimus mundum, ut olim David pedeſter Abſalonem. Rogo vos, qua fiducia Deum precabitur in mediis A itinerum periculis, qui ſuam Congregationem vectura immoderata quaſi dives ſecularis oppugnat? An Deus Apoſtolicæ diſciplinæ oſorem tuebitur? Quid ſi in diverſoriis, aut denſis ſaltubus Monachus ad commodè equitandum benè nummatus à latronibus obſideatur, & quicquid congeſſit, cedat in prædam? Quantò foret honeſtius, ut nudus & inops reperiretur, & invaſores ad commiſerationem flecteret? Non fert animus neceſſariam vecturam diſſuadere, ſed ſupervacaneam, & profanam, cui qui aſſueſcit, Deo diſplicet, commune bonum labefactat, & hominibus fit palàm exoſus. Notum eſt nonnullos è noſtris hac in re laudatiſſimos fuiſſe, qui ubi injuncti à B Prælatis itineris labor incubuit, non conciderunt animo, neque quicquam diſciplinæ Monaſticæ adverſum admiſerunt: atque utinam horum numerus foret auctior. Vos verò certò ſtatuentes in omni diſciplina, quæ perfecta, & omni ex capite abſoluta ſunt, à generoſis animis exquiri, à lentis, & ignavis minimè attingi, nervos intendite, & ſelecto paucorum numero adſcribi conamini. Poſt labores exhauſtos quies porrò dulciſſima ſuccedet. Hanc plerumque meditamini, ut ad vincendam virtutis arduitatem roboremini. Ab exilio Chaldæorum in chariſſimam Jeruſalem gens, quæ iter laborioſum confecerat, alacriter reverſa eſt. Vos ergò viam arduam ne refugite, ut in ſupernam Jeruſalem lætus, quem C optatis, ſuccedat aſcenſus.

Religioſis, quæ vectura interdicta?

TEXTUS IX.

De Oratorio, & cultu divino.

Oratorium, prout commodiùs fieri poterit, conſtruatur in medio cellularum, ubi mane per ſingulos dies ad audienda Miſſarum ſolemnia convenire debeatis, ubi hoc com- D modè fieri poteſt.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

POteſt fieri ſermo de legitima Miſſæ celebratione, & miniſtrantium officio. Poteſt etiam diſſeri de ineundo modo aliquo ad fructum Sacrificii percipiendum.

CAPUT XXI.

Exhortatio de legitima Miſſæ celebratione, & miniſtrantium officio.

E Textu Regulæ, qui modo lectus eſt, liquet, Patres, olim non tot ad Sacerdotium promoveri ſolitos, ac ætate noſtra. E Ea quippè de cauſa decernere oportuit, ut in Oratorium quotidie Monachi convenirent, & uni ſaltem ſacro intereſſent. Nunc verò poſtquam Sacerdotum crevit numerus, antiquæ diſciplinæ ratio nonnihil mutari debuit: atque ad ejus mutationis proportionem exhortationis forma variabitur. Dicemus ergo de legitima Miſſæ celebratione, ut tam Sacerdotes, qui plures jam ſunt, quàm alios altaris miniſtros ad graviſſimas functiones ritè obeundas exhortemur, quod ſanè officii noſtri ratio exigit. Quanti verò momenti ſit legitima juxta ritus Eccleſiaſticos celebratio, ex his rationibus expendite.

Prima ratio.

Ratio prima. In veteri Teſtamento planè mira præſcriptio fuit ſacrorum rituum, quibus F Aaronici Sacerdotes, aliique Templi miniſtri fungi juxta legem ſcriptam debuere. Si ergo Deus ab illis Sacerdotibus, & miniſtris tam exactam ceremoniarum obſervationem exegit, quam erit æquum, ut à novi Teſtamenti Sacerdotibus, aliiſque altaris miniſtris exacta rituum cognitio, & exequutio requiratur? Vos judices eſtote; & utroſque Sacerdotes mutuò conferte.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Decor domus Dei ab hominibus Deo conſecratis impensè diligendus eſt, ita ut ex eo amore zelus exiſtat, qui indignos ſacro miniſterio actus ferre nequeat. Cùm ergo decor Eccleſiæ, quæ Dei perampla domus eſt, in Sacerdotum, aliorumque initiatorum officiis maxima ex parte conſiſtat, manifeſtum efficitur, eos, G ſi venuſtè officiis perfungantur, decorem illum alere, & augere, ſi invenuſtè, minuere. Quis autem eum decorem curet, ſi Monachi rerum divinarum ſtudio intenti negligant? Rem hanc perpendite.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Ex legitima rituum Eccleſiaſticorum obſervatione, ubi ad altare omnia tempeſtivè, graviter, decorèque præſtantur, Chriſtianus populus ad pietatem vehementer inflammatur, & è contrario ſi neglectum deprehendat, indignatur acriter. Quid ergo cogitat Monachus, Sacerdos, Diaconus, vel alius altaris miniſter, qui per ignorantiam, vel inertiam ſacras ceremonias, non uti decet, exercet? Profectò nullam excuſationem videtur poſſe prætexere. H

Quarta ratio.

Ratio quarta. Monachi ipſi quantumvis inertes ſi principi alicui in ſeculo miniſtrarent, curioſè ſatis ritus palatinos ediſcerent, & ubi, quomodoque ſtandum, genuflectendum, ſurgendum, caput aperiendum, menſæ inſerviendum, aliaque obſequia reddenda, non oſcitanter animadverterent. Cur ergo in obeundis ſacris altaris ritibus non

Scripta An. 1614.

Regina Saba notata.

non uſque adeo decoris curam gerant, & deformiter errent? Regina Saba obſtupuit, ubi Salomonis aulicos tam venuſtè ſua obeuntes miniſteria vidit. Si ergo famuli Salomonis tam exactè Regi obſequuntur ſuo, cur Chriſti famuli non ita accuratè infinitæ ſui Regis Majeſtati miniſtrent?

Quinta ratio.

A

Ratio quinta. Ætate hac hæretici Miſſam, & ritus alios Eccleſiaſticos acerrimè oppugnant: quo ex capite omninò æquum eſt, veros Eccleſiæ filios ad illud præſertim tuendum animari, quod validiùs impugnatur. Quid ergo reſpondebit Sacerdos, qui indecorè celebrat, & quod ad ſe attinet, ſacrificium illud infinita veneratione dignum dehoneſtat?

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Etſi nulla ſuppeteret ratio alia, quàm quæ è divinæ Euchariſtiæ præſentia petitur, deberent univerſi ſacerdotes, ac miniſtri alii multam ſacrarum ceremoniarum peritiam comparare, & modos officii exercendi maximè decoros addiſcere, ut Chriſto ſub Sacramenti velo latenti cultum afferrent. Si enim ratio hæc eos non urget, quem Dei ſenſum nacti ſunt?

B

Dæmonis conatus ad Sacramententum Altaris exterminandum, quales?

C

Ceremoniæ, quomodo obeundæ?

D

Nemo adeò ferus eſſe poſſe videtur, qui his rationibus auditis non miteſcat. Non enim de bonis aliis minùs pretioſis, ſed de Eccleſiæ bono, de populi ſolatio, de Chriſtiani ſacrificii adverſus ſectarios veneratione, & de Chriſti demum gloria ſermo fit. Benè hoc novit noſtræ ſalutis diriſſimus hoſtis, qui nihil ardentiùs eniti videtur, quàm ut altaris ſacramentum, ſi valeat, exterminetur, ſin minùs, tractetur indignè. Quod ut obtineat, via nulla directior, quàm ſacrorum rituum neglectus Sacerdotibus, Clericiſqne aliis animo impreſſus, quo vires acquirente, altaria, veſteſque & vaſa ſacra ſordent, intolerabiliſque evadit ſacrorum ordinum abuſus. Sat eſt, alios, quos neque Dei amor, neque domus Dei zelus extimulat, Chriſto rerum inſpectori ſorduiſſe, eiuſque iram in loco maximè digno, ſanctoque irritaſſe. Vos verò qui mundum aſpernati eſtis, & ad Congregationem noſtram, quæ in offerendo altaris ſacrificio decoros ſemper modos ſectata eſt, divinitus vocati eſtis, legitimas ceremonias mente retinete, & vel apicem unum ne ſpernite. Si ſciretis, quo pietatis affectu populus ardet, ubi vos aſpicit veſtibus ſacris ornatos ſedatè, & graviter in locum ſacrificio deſtinatum progredientes, thus venuſto brachiorum adolentes motu, eloquia caſta diſtinctè, & ad intelligendum appoſitè proferentes, ſingularique modeſtia, abſque nimia cunctatione, vel celeritate è latere in latus altaris tranſeuntes, exhibitis intimæ Religionis ſignis ſacram hoſtiam, & calicem ſublevantes, aut deponentes, aliaque vel ſimplici, ſuavique cantu, vel ſilentio ſine nota inertiæ, expeditione temperata præſtantes: Si ſciretis, inquam, dum hæc expletis, quàm piè populus afficiatur; multò altiùs officij veſtri æſtimatio, & legitimæ functionis cura imprimeretur. Magna ſanè voluptas à frequentiſſimo populo Iſrael in dedicatione templi percepta fuit, magna extitit, valdeque pia animorum affectio, cum ſacrarum ceremoniarum ordo, & officiorum functio concinna ſpectaretur, ubi, ut ſacer habet textus: *Sacerdotes ſtabant in officijs ſuis, & Levitæ in organis carminum Domini.* Cæterum ſacratior eſt ordo veſter, Patres, & abſolutior eſt Eccleſiæ, quàm Synagogæ pulchritudo. Formoſior eſt nova, quàm vetuſta Jeruſalem, nova ſcilicet, quæ à Deo parata eſt, & ſicut ſponſa ornatur viro ſuo Chriſto, qui concinnitate eccleſiaſticorum actuum, & venuſto explendorum officiorum modo mirificè delectatur. Quid enim gratius, ac jucundius ſponſo, quàm ſponſæ decor, & ornatus? Non ergo ob ſolum Chriſtiani populi ſolatium, & cumulatæ pietatis incrementum, ſed ob Chriſti Redemptoris noſtri gloriam, & eam, quam è decore Eccleſiæ percipit voluptatem, in ſtudium ſacrorum rituum debetis incumbere. Certate pro forma hac ſpectabili Eccleſiæ, cujus filii minimè degeneres eſtis. Functiones ſanctas religioſè obire pergite, ut divinus amplificetur cultus, quem Clementiſſimus Deus alta mercede repenſet.

Templi Salomonis dedicatio quanto cum decore, & ſollemnitate peracta?

2. Paral. 7. 6.

E

Jeruſalem nova vetuſta formoſior.

F

CAPUT XXII.

Exhortatio de modo ſacrum celebrandi, & audiendi ad ejus fructum percipiendum.

Sacerdotes quinam reprehenſione digni?

G

NOn inculpatè agit artifex, qui ejus, quam profitetur, artis exercendæ modum aliquem ad lucrum, quod captat, appoſitum minimè excogitat, vel à peritioribus ediſcit. Quocirca mirum eſt, quàm ſint reprehenſione digni ſacerdotes plurimi quotidiano ſacrificio aſſueti, qui cum inutilia pleraque perſpecta habeant, officii tamen ſui utiliter explendi modum prorſus ignorant. Si ab eis quærantur ſubtilia multa, non theologica, vel philoſophica tantùm, ſed mathematica, & politica, nodos ſolvunt, & magnam ſui admirationem excitant; ubi verò de ſacrificij fructu ſermo inſtituitur, reſpondebunt fortaſſe, quid facto opus ſit, cæterum de modo eis uſitato rogati, mirabilem planè ſtupiditatem exhibent. Quidquid autem alii ex ſuæ ſalutis incuria cogitent, vos, Patres, ſtrictiſſimo vinculo religati eſtis ad rei tantæ momentum ponderandum, & modum appoſitiſſimum ineundum, quo fructus optatus ex ſententia ſuccedat: quod proportione ſervata de iis, qui ſacra miniſtrant, omninò ſentiendum eſt. Ut ergo immenſo debito à vobis fiat ſatis, ſubiectas rationes audite.

H

Prima ratio.

Ratio prima. Sacrificii altaris dignitas infinita eſt, cum ibi Chriſtus æterno Patri incruentè immoletur. Quænam ergo rei præmeditatio, qualis mentis attentio, qualis affectus ſacrificio tanto debebitur? Nonne perſpicuum eſt, Angelicam puritatem, & Seraphicum affectum requiri? Si ergo

Scripta An. 1614.

Cælitum affectio à ſacerdote per rei meditationem, & præſtitam officio ſuo attentionem paranda foret; quid pœnæ non merebitur, qui ad altare inconſideratus accedit, & perfunctoriè ſacrificium offert? Quid cenſendum de illo, qui per plateas animo vagatur, verba obtruncat, accelerat, & officio vix expleto recedit?

Secunda ratio.

A

Ratio ſecunda. Chriſtus dum ſe Patri immolandum exhibet, eo ipſo cum ſacerdote liberaliſſimè agit, nimiumque obtuſus eſſet, qui ex functione illa lucrum maximum ſacerdotem referre poſſe dubitaret. Quid enim obtinere nequeat, cui infiniti pretij ſacrificium creditum eſt? Si ergo lucri tanti occaſio adeſt, quomodo ſacerdos mentis compos non ſe ad id acquirendum cœleſti auxilio præventus adaptat? Qualis dementia eſt, rem hanc planè grandem æſtimare nolle?

Tertia ratio.

B

Ratio tertia. Apud mortales felix exiſtimatur, qui peculiarem principis audientiam impetrat, cum major ibi, quàm in publica principis videatur propenſio, & ad peculiaria oratoris negotia attentio quoque ſit major. Cum ergo Sacerdos ad peculiarem, ut more noſtro dicamus, Divinæ Majeſtatis audientiam oblato munere gratiſſimo admittatur, quænam ratio alia ſterilitatis extremæ, quam in pleriſque Sacerdotibus cernimus, eſſe poſſit, quàm ineptus ſacrificandi modus, quo divinæ bonitatis fontem tam ſæpè retardant? An poſſit ambigi, eos feliciores futuros, ſi idoneo modo ſacrum facerent?

Quarta ratio.

C

Ratio quarta. Sacerdos non ſacrificat quovis modo, ſed ſacrificium peragit ſacræ hoſtiæ, caliciſque ſumptione, ubi niſi per ipſum ſtet, initur unio planè mirabilis, qua in Chriſtum arcana velut transformatione mutatur. Si ergo tanti boni deſiderio ſe flagrare ſacerdos dicat, & aliunde ad illud divinæ charitatis opus non ſe apto comparet modo ante, & interim dum ad altare agit, quis ei fidem habeat? Quis eum impoſtorem non appellet? At ſibi nocet ipſi: Deus enim offenſus minimè ſeducitur, ſeque ipſum ulciſcetur.

Quinta ratio.

D

Quamnam iniuriam ab indignis Sacerdotibus Chriſto irrogetur?

Ratio quinta. Qui rerum divinarum ſenſum adepti ſunt, inexplebili aviditate modos dignè ſacrificandi, ac Sacramentum ſumendi paſſim excogitant, & de re tanta cum viris ſanctitate eximiis anxiè conferunt, partim rei æſtimatione, partim ſuccedentis fructus experientia permoti: neque quicquam tam arduum, durumve proponitur, quod ſucceſſuri proventus ſpe non pervincant. Quid ergo cauſæ ſubeſt, cur tam multi ſacerdotes non accuratiùs de modo fructuoſè ſacrificandi cogitent, quàm ſi de profano pane comedendo in altari ageretur? Credendum proculdubiò eſt, vix ab ullis aliis peccatoribus graviorem iniuriam, quàm ab indignis ſacerdotibus Chriſto irrogari. Credendum etiam, ingratos, & ſtupidos boni ſui cenſores eſſe ſacerdotes illos, qui licèt culpis mortiferis fœdati ad ſacrificium non accedant, ita tamen lentè, & incurioſè accedunt, ut cœleſtium donorum pluvia neutiquam perfundantur. Non enim in ſacrificium, aut ſacramentum, ſed in ſacerdotem inopia hæc referenda eſt.

E

Thren. 2. 12.

Contemplamini modò, Patres, ſacerdotes per ſexennium, & decennium celebrare ſolitos. Contemplamini & horrete. Paſtus pinguis eſt: Chriſti corpore paſcuntur: fœcundum calicem hauriunt. Quænam ergo eſt macies hæc ſpiritualis, qua concidunt, & in ſinu Matris Eccleſiæ calamitoſiùs, quàm parvuli in excidio Jeruſalem, velut intereunt? Illi matribus dixerunt, *Ubi eſt triticum, & vinum?*

Sacerdotum ſpiritualis ſterilitas lugenda.

At hi non valent ullam excuſationem tremendæ ſterilitatis afferre. Suppetit abundè panis. Cur ergo non benè nutriuntur, & vegetiores evadunt? Et quidem ſi ad nutrimenti proportionem vires augeri debent, cum illi divina eſca, potuque alantur, quomodo vires, hoc eſt, virtutes divinas minimè pararunt? Lugenda profectò res eſt.

F

Terrenæ cogitationes reiiciendæ.

G

Vos ergo aliorum malis eruditi, & cautiores effecti, ſive ad ſacrificium, ſive ad ſolam Euchariſtici panis ſumptionem accedendum ſit, vires animi omnes priùs colligite, & humillimè Divinam Majeſtatem precamini; adaptate animos veſtros ad eum è tanto bono fructum reportandum, quem dignatio tanta pollicetur. Reiicite terrenas, & importunas cogitationes, & corda in cœleſtem illam menſam intendite. Actus plurimos fidei, ſpei, amoris & contritionis producite, quibus animus, velut argenteum vas artificis ictibus conformetur, ut balſamum pretioſiſſimum excipiat. Hoſtiam illam æterno Patri infinitè acceptam pro anteactis peccatis, pro beneficiis acceptis, pro impetrandis aliis, & in holocauſtum ſuaviſſimum quadruplici diſtinctione offerte, & ſumptum cibum planè vitalem penſitatione multa tanquam ſani ſtomachi calore percoquite. Hæc obſervate, & Sanctorum exemplis inſiſtite.

H

Neque verò vobis, quod ſuademus, durum ullo modo videri fas eſt: res quippè veſtra agitur: lucra hìc propria, gaudia propria conquiritis. Si ſemel, credo equidem, ſpiritualis dulcedo à vobis proprio in fonte, ut Eccleſia canit, guſtaretur, incredibilem ſui ſitim excitaret, efficeretque vos perquàm ſedulos bonorum propriorum curatores. Quàm citò claudi more cervorum exultarent! Quàm alacriter difficultatum repagula perrumperent, qui priùs lentè incedebant! Quàm profundas mundi deſpectus radices defigeret! Quàm vehementer è ſauciis amore pectoribus deſideriorum piorum ſcintillæ diſſultarent! Quàm longum ſacrificij præmeditationi, & gratiarum actioni tempus impenderetur! Quàm aperta totius veteris hominis in novum, qui eſt Chriſtus, mutatio, quæ ad permovendos animos efficaciſſima foret, ſe ſpectandam exhi-

Scripta An. 1614.

Ignavia excutienda.

exhiberet! Ignaviam ergo omnem Chriſti milites excutite. Paſtum ſaluberrimum, & dulciſſimum univerſis mundi honoribus, lucris, commodis anteferte. Comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Creſcite, ut roboremini cibo grandium, & è menſa illa leonibus fortiores denique recedite. Cœleſte vobis precor lumen, & robur, ut rei, de qua dixi, digna æſtimatione permoti monita noſtra poſſitis explere.

A

TEXTUS X.

De Capitulo, & correctione fratrum.

Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractetis: ubi etiam exceſſus, & culpæ fratrum, ſi quæ in aliquo deprehenſæ fuerint, charitate media corrigantur.

B

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

Poterit agi de diſciplina in Capitulo à Monachis obſervanda. Poterit quoque agi peculiariter de correptione humiliter ferenda.

CAPUT XXIII.

Exhortatio de diſciplina in Patrum conſeſſu, ſive Capitulo obſervanda.

C

Capitulum conventuale cur inſtitutum?

Ex antiqua Patrum noſtrorum traditione per hebdomadas ſingulas in cœtu Monachorum ſermo fieri, & de promotione virtutum, abuſuumque extirpatione agi conſuevit. Quo ex actu, ad Monaſticam diſciplinam alendam in primis appoſito, fructus porrò uberrimus perceptus eſt, ut meritò à viris prudentiſſimis magnifiat, ejuſque conſervatio inter potiſſima ſtatus noſtri bona reponatur. Quocirca de diſciplina in eo retinenda juxta ſenſum Regulæ, verba facere rationi, & pietati conſentaneum erit. Quia verò fructus, quem optamus, ex toto minimè ſuccedit, niſi animi ad illud tractatum à Regula præceptum comparati accedant, & ei mites, ac humiles interſint; hoc ipſum ad hodiernum ſermonem à vobis præſertim poſtulamus, ut doctrina hìc altè concepta diutiſſimè permaneat. Hoc ergo animorum affectu prævio, quanti ſit ponderis hunc actum magnifacere, & ejus ritibus bene uti, ex ſubjectis rationibus judicare poteritis.

D

Prima ratio.

Ratio prima. Nemo è vobis adeo Inſtituti noſtri ignarus credendus eſt, qui tractatum illum de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute à Regula imperatum non cenſeat rem planè grandem, & ad communem totius Congregationis, privatumque animi ſui bonum opportuniſſimam. Si enim actum legum cuſtodiæ, ac ſpirituali ſaluti maturo conſilio deſtinatum non maximi pendit, quo ſpiritu afflatur? Profectò actus graviſſimus, & ſaluberrimus eſt, debetque à Monachis, ſi quo Regularis obſervantiæ zelo excitantur, quavis difficultate victa ſuſtineri.

E

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Diuturna experientia compertum eſt, tractatum illum velut ignem quemdam purgatorium, valdè tamen mitem eſſe, quo culpæ alias admiſſæ expiantur, ut commune Cœnobii corpus vigeat, & niteat. Incredibile quippe videtur, quàm ſit corpus illud robuſtum, & candore virtutum ſplendidum, ubi frequenti hebdomadarum ſingularum cœtu de illo curando, & à noxiis velut humoribus expurgando confertur. Quod apertiùs multò perſpicitur, ſi explorentur Cœnobia duo, in quorum altero Capitulum rarò, in altero crebriùs celebretur: illud enim ſilveſcit, & velut ſpinetis ſuccreſcentibus horret, hoc viridarium benè cultum repræſentat. Illud concidit, & tanquam vitali humore deſtitutum areſcit, hoc plantaria in faſtigium validè aſſurgentia procreat, & humectat. Nimirum in illo arentia germina minimè reſecantur, in hoc vel arida, vel ſuperflua ſylva præciditur. Quis ergo è vobis Cœnobium hoc noſtrum ſano, & vegeto corpori ægro, debilique, aut ſylvæ arenti nolit eſſe ſimilius? Rem æquis bilancibus appendite?

Defectuum correctionis effectus.

F

Tertia ratio.

Ratio tertia. Antiquis, ac recentibus conſtat exemplis, exedram, ſeu Capituli locum dæmoni exoſum, & intolerabilem eſſe, cum quicquid ferè alibi à Monachis lucratur, ibi deperdat, quod ipſe S. Dominico dixiſſe fertur, cum Cœnobii officinas luſtraſſet, libenſque ingreſſus fuiſſet, monituſque, ut in locum illum introiret, validiſſimè reluctaretur. Si ergo capitalis inimicus noſter perſpecta rei experientia coactus Capituli bonum extollit, quo ſupplicio dignus foret Monachus, qui illud pro virili parte ſua non aleret, eoque ad ſalutem uteretur?

G

Cur Capituli locus Dæmoni exoſus?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Quicquid in conſeſſu noſtro fit, totum ſpiritu Dei plenum, & multo charitatis melle conditum videtur, ſi ejus inſtitutio, Prælatorum mens, & mos, & Patrum modeſtia ſpectetur. Etſi enim nonnihil amarulentum proponatur, aut alicui obiiciatur; adeò tamen leve eſt, & tam leniter profertur, ut qui ea de cauſa actum illum detrectaret, non ſanè Monachus, ſed miles aliquis cujuſvis admonitionis impatiens appellari deberet. Si ergo, quæ ſubamara videntur, tanta dulcoris copia temperantur, & ex aliis capitibus actus ille pietatis feraciſſimus eſt, quàm

H

Scripta An. 1614.

acer eſſet boni communis hoſtis, qui non illum amaret, ac promoveret?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Intereſt profectò multum, ut in creberrimis vitæ hujus ambagibus, & lapſibus ſit ſtata aliqua, & frequens medicina, qua uti poſſimus. Intereſt, ut à futuris caſibus præviis monitis præſervemur. Intereſt, ut paſſim obrepentes extirpentur abuſus. Intereſt, ut ſpiritus jugi intentione fatigatus roboretur. Cùm ergo bona hæc omnia abundè proveniant in actu illo, quem Clementiſſimus Deus juxta Evangelicam doctrinam proſperare creditur, cum ſint ibi multi in ejus nomine congregati: dici vix poteſt, Monachum aliquem vel communis boni, vel ſui curam gerere, qui actum tam pium, qua huc uſque conſtitit, integritate præſtare non ſatagat, & ritus illos è Chriſtiana humilitate ortos minimè probet, ac exerceat.

Capitulum culparum, quanti faciendum?

Vidiſtis, Patres, quàm referat, actum hunc, quem ex Regulæ præſcriptione ac majorum noſtrorum laudatiſſima conſuetudine celebramus, à vobis magni pendi, & inviolatè obſervari. Communis boni, propriæque perfectionis pondus penſitaſtis. Quid ergo ſupereſt, niſi ut doctrinam vobis à primis renunciationis veſtræ diebus traditam exequi pergatis eò accuratiùs, quò majores temporis lapſu vos oportet feciſſe progreſſus? Didiciſtis ſanè, Monachum ſtatim ac ſignum ad hunc actum dari animadvertit, debere ſe comparare, & animo demiſſo divinam precari Majeſtatem, ut ex concione, cæteriſque ritibus eum, quem expetit, fructum referat, puriorque ex eo quaſi balneo prodeat, quàm ingreditur. Didiciſtis, Monachum aures mites iis, quæ monentur, præbiturum, & cuicunque tandem aptentur, uſurum ſe illis non ſecus, ac ſi ipſe privatim inſtrueretur. Didiciſtis, quo candore cuncta promantur, & quàm ſit turpe ob lenia monita perturbari, aut mœſtitiæ pondere deprimi. Hæc aliaque ſimilia didiciſtis. Nihil ergo novi obtrudimus, nihil novi oneris inferimus, ſed pro Chriſto legatione fungentes, & officio ipſo aſtricti obſecramus, ut hoc ipſum, quo ſub ingreſſum imbuti eſtis, perſeveranter ſervetis.

Introſpicite vos ipſos, & dicite, quid de Monacho miti, & docili ſentiatis, qui hoc in loco quicquid profertur, tamquam oraculum cœleſte accipit, ſyncerè interpretatur, alacriter exequitur. Dicite, rogo, quid de illo opinemini? Omninò credendum, ejuſmodi Monachum ſpiritualibus bonis divitem à vobis exiſtimari. Si enim locus hic ad culpas alibi contractas expiandas dicatus eſt; ſi eſt meritorum ferax, ſi ad futuros armat inſultus negari nequit, quin Monachus occaſione hac piè, ac prudenter uti aſſuetus locupletior multò, quàm alii lenti pugnatores evadat. Negari profectò nequit, quin Clementiſſimus Deus levia errata facillimè illi condonet, gratiamque ubertim refundat. Si enim Publicano, ſtatim ac culpas fateri cœpit, tam liberaliter indulſit; ſi Servo nequam procidenti immenſum decem millium talentorum debitum dimiſit; quàm pro parte exiſtimatis Monacho leviora deprecanti, ſeſeque coram Divina ipſius Majeſtate, totoque Patrum conſeſſu hoc loco proſternenti veniam conceſſurum? Cæterum ipſe, qui cordium inſpector eſt, novit, quo quiſque affectu hiſce proficiendi occaſionibus utatur. Prudentis, ac pii Monachi animo hæret illud regii Vatis votum: *Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas: Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.* Quaſi ad ſenſum Monaſticæ diſciplinæ in hunc modum enunciaret: Non detrecto Capituli actum; nolo eſſe hæres Adæ, qui à te monitus cœpit excuſationem prætexere. Precor potiùs, ut à te animorum cognitore examiner: oro, ut opera diſcutias mea: ut ſi quid non æquum latet, corripiar, & corrigar, ne à via exorbitem, quæ ad æternitatem ducit. Quid expectatis ultra? Hoc eſt votum Monacho mundi contemptore, ſuarum domitore paſſionum, cœlique expugnatore dignum. Hæc eſt invicta animi fortitudo. Hac planè ratione in hunc locum ingredi, hac ipſa ceremonias omnes humilitate, ac manſuetudine Chriſti ſubnixas exercere debetis, ut copioſus cœleſtium bonorum proventus exiſtat.

Capitulum culparum cur inſtitutum?

Deus ejus miſericordia in peccatores quanta?

Pſal. 138. 23. 24.

Relligioſi perfecti votum.

CAPUT XXIV.

Exhortatio de correptione humiliter ferenda.

DE correptione animo demiſſo accipienda dicturus, præmitto Apoſtoli monitum à bonis Prælatis fida memoria ſervatum: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Correptio quippe leniter inferenda eſt, quod me, dum præſum, obſervaturum ope divina polliceor: illud verò hac exhortatione digerendum eſt, quod ad vos attinet, ut ſcilicet correptionem humiliter feratis juxta doctrinam, quam Chriſti ſchola commendat. Noſtis conſeſſum hunc per hebdomadas ſingulas celebrari ſolitum ad Congregationis totius, & cujuſque veſtrum bonum eſſe opportuniſſimum, & plane ſuavem. Unum dumtaxat videtur nonnihil auſteritatis præſeferre, correptio videlicet levium culparum, qua quis à dæmone extimulatus poſſet abuti, ne actum hunc omninò probaret. Quapropter ad rem erit, rationes promere, quibus correptiones humiliter acceptæ bonum ob oculos poſitum animos veſtros ad eam non modò non refugiendam, verùm expetendam permulceat.

Galat. 6. 1.

Correptio quomodo facienda.

Prima ratio.

Ratio prima. Medicus amaram potionem præſcribens, miniſter porrigens, admonenſve, vobis minimè exoſi ſunt, imò grati, atque dilecti, cum ad eam, quam optatis, ſanitatem acquirendam utilia quædam inſtrumenta ſint. Cum ergo Prælatus corripiens, unus, vel alter è conſeſſu admonens ad

Scripta An. 1614.

ad perficiendam animi ſalutem, levi quadam purgatione tanquam ſpiritualia inſtrumenta concurrant, quænam obtendi poteſt ratio ad correptionem indignè ferendam? Profectò nihil excipi poſſe videtur, niſi prava ægrotandi voluntas, quam Deus avertat.

Secunda ratio.

A

Ratio ſecunda. Meritum bonorum Monachorum illatas correptiones patienter ferentium eſt planè maximum, non ex eo tantùm capite expenſum, quod ad virtutis exercitium pertinet, ſed ex adjuncto totius conſeſſus exemplo, quod eſt profectò efficaciſſimum. Habet enim neſcio quid vivæ cujuſdam energiæ illa intrinſecus nata, exteriuſque ſine ſimulatione teſtata humilitas, cujus vi pectora quoque dura molliuntur. Si ergo oblata correptionis occaſione meritum ex profectu proprio, & aliorum pia commotione inſigniter augetur, profectò parum ſollicitus ſpiritualium divitiarum mercator eſt, qui corripi detrectat, vel monitionem non lætus admittit.

Tertia ratio.

B

Ratio tertia. Sæculares intemperantes, negotiorumque geſtores ubi à ſuis præfectis, aut amicis monentur, animadvertentes id in ipſorum bonum cedere, patienter agunt, quòd ſibi omnino perſuadent, ſi correpti excandeſcant, ſe boni nominis jacturam facere, neque ad ullum in Republica Magiſtratum gerendum, vel negotia expedienda idoneos cenſeri: immites quippe ex communi ſententia neque conſilio, neque præfecturæ, neque negotiorum expeditioni apti creduntur. Quomodo ergo Monachus ad opus ullum egregium idoneus exiſtimabitur, qui correptus perturbatur, nequitque ſedari? Sanè ſibi ipſi erga futurum Dei, præſenſque hominum judicium vehementer nocet.

Immites ad nihilum idonei.

Quarta ratio.

C

Ratio quarta. David à Nathan correptus humillimè acquievit. Petrus quoque à Paulo reprehenſus mira animi demiſſione correptionem accepit. Cur ergo Monachus à Prælato admonitus indignetur? An juſtitiam prætexit? Profectò tametſi foret innocens, eò ipſo quod innocentiam tueri, & objectam levem culpam reiicere ſatagit, à bonorum conſuetudine recedit, & apud Patres conſidentes parum proficit. Nimirum juſtus accuſator eſt ſui, Deoque ſui defenſionem, ubi oportuerit, defert.

Quinta ratio.

D

Ratio quinta. Chriſtus Redemptor noſter accuſatus tacuit, cum de innocentis vita perdenda ageretur. Quomodo ergo Monachus levis culpæ admonitus correptionem ſuavem recuſat? Quomodo mutato vultu eum, qui monuit, non tam benevolè, ac ante admonitionem intuetur. Nonne hic apertè proditur animus Chriſti ſchola proculdubio indignus, qui è domicilio juſtorum expelli meretur? Nonne manifeſtum ſæcularis animi ſub Monaſtica veſte impoſtor iſte geſtat inſcriptum?

Religioſi degeneris notæ.

En Patres, quid rationes allatæ conficiunt. Ecce quò procurrit Monachus delicatus, ac degener, qui ſtatim ac monetur, reſilit, atque repugnat. Eò certè progreditur, ut non Monaſticam ſolum, ſed Chriſtianam diſciplinam videatur abiicere. Si enim juxta Evangelicam doctrinam non Monachis modò, ſed hominibus univerſis promulgatam facies percuſſa aptanda novo ictui eſt, qui excuſari poterit Monachus, qui ne capillum attingi æquo animo fert? Peſſimè quidem agunt, qui hoc loco, vel alibi dum corripiuntur, aut poſtmodum conceptum iræ, aut indignationis ſenſum indicant; neque credi poteſt eos, ut par eſt, per arctam perfectionis viam expeditè progredi. Porrò inter noſtros mos invaluit, ut culpæ confictæ Monachis imputentur ad humilitatem, ac manſuetudinem experiendam, ut ſcilicet pateat, qua mente correptionem accipiant, an ſe ab objectis purgare, & juſtitiam propriam aſſerere velint; vitioque vertitur, quicquam loqui, ullumve perturbati animi ſignum exhibere. Noſtis hoc. Rogo ergo nunc, an de hac doctrina exequenda cogitetis? Imo rogo, an de Chriſto imitando conſtanter agatis? Audite Evangelica verba hæc: *Et cum accuſaretur à principibus Sacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adverſum te dicant teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* Verba hæc feras immanes lenirent, ferrea pectora mulcerent. Noſtis, quis, & à quibus accuſaretur. Chriſtus à Judæis. Cur ergo non reſpondit? An ſuæ juſtitiæ conſcius non fuit? An non ei luce meridiana patentior fuit accuſatorum perverſitas? Quod ſi criminatoribus reſponſum reddere abnuit, Pilato ſaltem non ita malè affecto cur non reſpondit? An mundo nocuiſſet Chriſti reſponſio, qua ſuam tueretur juſtitiam? Animadvertite, Patres, quid exemplar noſtrum Chriſtus in hac re porrò graviſſima nos docere voluerit. Ne Chriſti ſenſum ad excuſandas excuſationes in peccatis detorquete. Utinam arguti quidam Monachi diſputatores, ſuique defenſores reſipiſcant! Mirum eſt ſanè, eo uſque aliquos excæcari, ut cum efficaciſſimas rationes, & exempla ad virtutem colendam eis propoſita reiicere nequeant, ſemper tamen quoties corripiuntur, Chriſto diſſimiles evadant, excipientes videlicet hanc, illamve circumſtantiam, ob quam æquum ſit, juſtitiam in particulari eventu propriam aſſerere: ex quo efficitur, ut penè nunquam à Prælatis vel mitiſſimè corripi queant. Hæccine eſt doctrina, quæ in Chriſti ſchola demum ediſcitur? Recedite à conſuetudine taurorum iſtorum, qui cornibus pugnant: vos, qui eſtis agni, manſuetudinem profitemini. Recolite Agnum illum, qui coram tondente ſe obmutuit, tacitique non modò ſalubria monita ſuavi Dei ſpiritu deprompta, verùm & correptiones acres accipite, æternæque ſalutis negocium ſolicitè gerite.

E

Matth. 27. 12. 13. 14.

F

Chriſtus exemplar noſtrum dictus.

G

H

Salubria monita quomodo audienda?

Scripta An. 1614.

TEXTUS XI.

De Jejunio fratrum.

A

Jejunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſervetis, à feſto Exaltationis Sanctæ crucis uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, niſi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia juſta cauſa jejunium ſolvi ſuadeat, quia neceſſitas non habet legem

Obſervatio thematum, quæ ex hoc teſtu peti poſſunt ad exhortationes ſolitas.

B

AGI poteſt de jejunii bono: mox diſſeri poterit de juſta cauſa jejunium relaxandi.

CAPUT XXV.

Exhortatio de bono Jejunii.

CIbi vetiti eſus malorum, quibus genus humanum obruitur, origo fuit, ut ex ſacra Geneſis hiſtoria noſtis. Noluit videlicet primus parens noſter à fructu prohibitæ arboris abſtinere, immenſumque proinde nobis bonum ademit. Quocirca ad tam enormis lapſus correptionem jejunium in morem inducere decuit, cujus obſervatio in novo præſertim teſtamento viguit, quod in pleriſque Ordinibus Monaſticis perſpicere poteſtis, ubi præter leges jejunii Eccleſiaſticas, aliæ de eodem bono latæ ſunt, quibus diuturnior ejus cuſtodia inducitur. In Ordinum iſtorum agmine recenſetur noſter, cujus jejunium ab Exaltatione Crucis uſque ad Paſcha procurrit. Cum ergo lex hæc ſancita fuerit & eam explere interſit plurimùm, jejunii bonum rationibus multis commendandum eſt, ut animis hæreat.

Jejunium, cur inſtitutum?

C

Prima ratio.

Ratio prima. Licèt multis, ac ſæviſſimis bellis in hac mortali vita paſſim infeſtemur, exploratum eſt tamen, carnis prælia omnium eſſe periculoſiſſima. Cum ergo ad ea vitanda, vel victoriam comparandam jejunii remedium ſit maximè appoſitum; nemo victoriæ cupidus illud non probare, & quantùm per vires licet, obſervare poſſe videtur. Et quidem rationis hujus energia inde patet, quòd ſubtracta tentationum materia, licèt nonnulla excitentur bella, non ſunt æquè gravia & periculoſa, ac illa, quæ corpore bene paſto ingruunt, & vires acquirunt.

D

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Qui jejunio deditus eſt, mentis aciem non obtundit, neque gravat, quo minus apta ſemper, ac expedita ſit ad negocia gerenda, varioſque virtutum actus exercendos. Quo ſanè bono carent, qui corpus epulis farciunt, ſeque ipſos adeo hebetant, ut vix rei alicuius diſcuſſioni pares ſint, & velut inanimes trunci, ad opera homine digna per horas multas inepti deſideant. Si autem deformitas hæc in ſæcularibus deprehenſa diſplicet; profectò diſciplina jejunii in Monachis laudanda, & alenda eſt.

E

Tertia ratio.

Ratio tertia. Jejunium creat animum vigilem, dum ſubtrahit longioris ſomni materiam. Omninò autem patet, vigiliam boni Monachi notam eſſe, cum ſomnus ei brevior, quam in ſeculo, & longius rerum Monaſticarum ſtudium eſſe debeat. Quomodo ergo vigil, & perſpicax erit, ſi corporis pondere ex ingeſto cibo deprimatur? Quantò fiet vigilantior, ad exiliendum è lecto agilior, & ad obeundos actus quotidianæ diſciplinæ promptior, ſi diuturno jejunio aſſueſcat, nutrimentoque neceſſario naturæ minimè negato ſuperfluum reſecet.

Jejunii effectus.

Quarta ratio.

F

Ratio quarta. Ex Inſtituto noſtro Dei præſentiam jugiter menti impreſſam gerere, & res divinas meditari debemus: cui profectò mentis intentioni nihil opportunius excogitari poſſe videtur, quàm jejunium, cujus obſervatio perennis quædam oneris detractio, & motuum rebellium animum à rerum cæleſtium ſtudio divertentium caſtigatio eſt. Quis ergo non videat, probetque longi jejunii noſtri congruentiam, ſi meminit officii, quo ad perennem mentis elevationem aſtringimur?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Quanti ſit ponderis jejunii bonum, multis ex capitibus aliis poſſet evinci: Cæterum Monacho Chriſti imitatori ſat eſt, noſſe longum ſui Redemptoris quadraginta dierum jejunium, & totius frugaliſſimæ vitæ ſuæ decurſus. Sat eſt, noſſe tot Monachorum, & Anachoretarum millia jejunio penè miraculoſo aſtricta, quæ prudenti conſilio corporalis cibi ſubtractione ſpiritualem paſtum multò pinguiorem, ac delectabiliorem obtinuere.

G

Hiſce argumentis minimè ambigendum eſt, Patres, quin vos flecti ſinatis, & Regulæ præſcriptionem, quam de jejunii obſervatione accepiſtis, tenaciter cuſtodire velitis. Quod feliciùs ex voto ſuccedet, ſi mores ſanctorum, & multorum è noſtris in hoc genere identidem recolatis. Qui ſtrenuus miles cupit eſſe, bellicoſos viros, quos fortitudine excelluiſſe fama eſt, crebrò memoria repetit, ut iis velut ſtimulis ad fortiter dimicandum incitetur.

H

Non vobis Baſilium aliquem, aut Bernardum commemoro, ſed pugnatores noſtros, quorum exempla recentiora ſunt. Nobis profectò compertum eſt, pleroſque è noſtris Regulæ jejuniis, quæ videbantur pauca, plura multò addidiſſe, ac pane duntaxat, & aqua ſatis frequenter victitaſſe, ut Prælatos oportuerit eſſe pervigiles, ne ſe illi inedia conficerent. Hoc certè nobi perſpectum eſt, fortaſſe autem & vobis; poſ-

ſe-

Scripta An. 1614.

Nimius jejunii amor a Prælatis temperandus.

Cibus, qualis appetendus?

ſemuſque multorum catalogum contexere, nominaque proferre, ſi id aut prudentia, aut mos noſter exigeret. Si ergo à Prælatis laboratum eſt, ut jejunii amorem nimium, cultumque reprimerent, qualis ſtatus Congregationis noſtræ foret, ſi adverſo curſu conandum jam eſſet, ut præſcripta jejunia obſervarentur? Quàm funeſta hæc ſortis mutatio accideret! Spero equidem vos ope divina roborandos, ut pro viribus antequam hanc, & meritis fœcundam conſuetudinem ſuſtinere, & ad poſteros traducere integram poſſitis. Ne concidatis unquam, neque vincendi occaſiones reſpuatis. Certum prorſus eſt, bonos Monachos fame interdum incredibili torqueri, ut vix, niſi de hora refectioni decreta cogitare valeant. Exploratum eſt, lautis ſeculi epulis dæmonis arte per imagines vivas impreſſis ita excruciari, ut immenſa excreſcat appetentia. Cæterum hæc ſunt prælia juſtorum, quibus fortiores evadunt, dum mori ſe malle, quam jejunium relaxare conſtituunt. Non incaſſum quotidiano agone decertant? Nam præter meritorum ſpirituales opes ſolet Clementiſſimus Deus fatigatos mirificè reficere, lautioremque mundi epulis cibum animæ palato ingerere, quo illi vegetiores fiunt, quàm ſi regum mortalium menſis nutrirentur. Hunc cibum appetite, qui ſemel ſumptus cor erigit, & auſterioris vitæ tenax efficit. Via, quam carpimus, aſcenſus quidam in patriam noſtram eſt: Ex Ægypto in terram promiſſionis iter inchoavimus. Quomodo autem onerati aſcendemus? Deſideria veſtra columbæ gemitibus ſimilia ſint, columbæ inquam gementis, pennaſque quatientis, ut in receptaculum quieti deſtinatum quantociùs pertingat. Nunc in agone contenditis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate: verùm non ſemper in hac lucta cum tot hoſtibus congrediendum eſt. Succedet enim fami ſatietas, nuditati veſtimentum; fortiter concertate, & ad candidiſſimam gloriæ veſtem, & lautiſſimam in Regno Cælorum Chriſti menſam per arduam jejunii viam aſcendite.

CAPUT XXVI.

Exortatio de cauſa juſta jejunium omittendi.

Jejunium Regulare quibusnam de cauſſis relaxari poſſit?

SAtis profectò cæcus foret, qui in ipſis auſteritatis noſtræ præſcriptionibus prudentiam legiſlatoris ſuavitatem admiſcentis minimè dignoſceret, quod vel ex textu hoc, quo jejunium ſeptem menſium præcipitur, planè convincitur. Tria quippe capita ſubjunxit, infirmitatem, debilitatem, aliamque juſtam cauſam, quæ multiplex eſſe poteſt, ut jejunii abſtinentia relaxetur: qua certe temperie, quod aſperum edixerat, lenivit, & ſuavi ſe Chriſti ſpiritu duci demonſtravit. Hic ergo ſpiritus legum noſtrarum eſt, quod hoc loco præfari, & mihi ſanè, & vobis expedire videtur. Mihi quidem, ut non ægris, aut imbecillibus tantùm, ſed laborantibus, ex itinere feſſis, & variis functionibus, quas obeunt, fatigatis ex lege compatiar: Vobis autem, ut dum Prælatorum paternam erga vos curam contemplamini, juſtam ſolvendi jejunii cauſam non laxè interpretemini, quod quàm ſit æquum, ex his rationibus coniicite.

Prima ratio.

Ratio prima. Facilitas in jejunii abſtinentia relaxanda, intemperantis animi argumentum eſt. Juxta communem quippè philoſophorum ſententiam, qualis eſt cujuſque affectus, tale fert de rebus judicium: atque adeò qui facilè judicat, hoc, aut illo tempore, aut occaſione abſtinentiam legalem eſſe remittendam, proculdubio ſe ita affectum indicat, ut abſtinentiam oderit, aut tepidè amet. Suſpecta ergo eſt facilitas illa, ac per hoc ipſum à bonis Monachis debet coerceri.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Qui ſibi in ea facilitate indulget, velut in lubrico loco pedes locat, unde levi quoque impulſu præcipitetur. Sic enim uſu venit, ut qui ea fragilitate facilis relaxationis laborant, renitente etiam conſcientia, ubi fames urget, jejunii legem violent, quod experientia diuturna conſtitit. Si ergo facilitas illa lapſui, ſive tranſgreſſioni viam aperit, cavendum profectò eſt, ne lex jejunii ſolvatur, niſi cauſa ad timorati animi ſenſum juſta ſuppetat.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Noſtræ ſalutis inimicus famem irritare novit variis artibus, quibus ad Monachos impugnandos abutitur, & ut in proxima exhortatione obſervavimus, incredibilem plerumque excitat appetentiam. Jam ergo hoc Monaſticæ diſciplinæ documentum antiqua Sanctorum obſervatione deprehenſum habemus, ne languori cuilibet, aut apparenti neceſſitati, quæ dæmonis impoſtura ſæpe confingitur, fidem habeamus, ſed fortium Chriſti militum more pugnemus.

Quarta ratio.

Caro noſtra vulpes fraudulenta adpellata.

Ratio quarta. Nulla tam fraudulenta vulpes eſt, ac propria caro, quæ incautos Monachos crebrò ſeducit. Neque enim ſomni nunc ſibi neceſſitatem mirificè ſimulat. Cui certè doctrinæ fidem aſtruit experientia: Ut enim nonnulli in Choro, vel Oratorio gravi ſomnolentia oppreſſi, & neceſſitatis prætextu ad cellam petita venia recedentes ſtatim evigilant, neque licèt id cupient, dormire valent; ita & alii fame quadam, quæ inexplebilis eis videbatur, exorta incitati, veniaque impetrata veſcentes facilè animadvertunt, appetentiam illam modica cibi, potuſque quantitate ſedari. His ergo obſervationibus fidus legum cuſtos uti debebit ad juſtam ſolvendi jejunii cauſam non temerè credendam.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Spectata noſtrorum Prælatorum charitas in ope ferenda iis, qui quavis de cauſa refectione indigent, debet proculdubio fideliores jejunii obſervatores efficere: quod in quavis alia neceſſitate pariter aſſerendum. Quod ſi quis ſibi quicquam deeſſe cauſetur, curæ potiùs ſui nimiæ, quàm Prælatorum incuriæ id poſſet aſcri-

Scripta An. 1614.

aſcribere: Divino quippè judicio id fieri videtur, ut qui ſui ſollicitus eſt, à Deo, ac proinde à Prælato, qui ejus nomine præſidet, oblivioni tradatur, tametſi curet reminiſci. Sic nempè culpa alia plectanda eſt. Si ergo à Deo nutriri optatis, perſpectæ charitati eorum, qui præſunt, vos ipſos A credere, & quod ad proprium ſpectat judicium, in cauſa ſolvendi jejunii cenſenda ſeveritatem potiùs, quàm indulgentiam ſectari debebitis.

Quomodo cum hoſte domeſtico pugnandum?

Spero equidem, vos fidos legum fore cuſtodes, & cum hoſte domeſtico validè certaturos, ut Deo probati amplè remuneremini. Nolumus vos arctare, aut quicquam adiicere iis, quæ Regula ipſa traduntur. Imò fert animus, lege uti, ad vos largè ſolandos, cum lex ipſa eum nobis ſpiritum videatur imprimere, qui ad commiſerationem pronus eſt. Et quidem veſtem hanc, qua tegimur, exuere, & quemque veſtrum induere, exemplo Jonathæ in David, ad eamque proportionem cibum nobis ſubtrahere, B vobiſque erogare vellemus. Id ergo dumtaxat hortamur, quod vobis cordi eſt, ut bonum, quod poſſidetis, feliciùs cumuletur. Quod ut ex ſententia cedat, dogma illud peſtilens cavete, quo aliqui inter ſanctos minimè ſancti, velut laqueo, quem tetenderant, capti ſunt; prætexentes ad jejunii noſtri obſervationem enervandam, culpam ſolummodò venialem admitti ab iis, qui jejunium noſtrum omittunt, culpam ſcilicet, quæ aqua luſtrali poſſit elui, qualis eſt linguæ licentia ad otioſa verba, vel officioſa mendacia: proptereàque tranſgreſſionem illam non ita exaggerari, aut horrori eſſe debere. Peſtilens eſt dogma hoc: quod ſi ad alia etiam diſciplinæ noſtræ capita derivetur, de Carmeli flore, qui C ſummo labore renatus cœleſti munere alitur, actum eſt. Væ deſertoribus Inſtituti, qui culpas leves, ut mortem ipſam non perhorreſcunt. Etenim, ut in hac ipſa jejunii cauſa exemplum aliquod tremendum proferamus, nobis conſtat, aliquos venialibus in hoc genere culpis aſſuetos à Deo ſenſim fuiſſe derelictos, donec à ſtatu Monaſtico expulſi ſunt, vel in laxiorem Ordinem infauſta commutatione tranſiere.

Dogma peſtilens quale?

Leves culpæ quali horrore cavendæ.

Quorſum autem illos iis culpis levibus aſſuetos appellemus, cum eas rarò commiſiſſe prudens conjectura ſit? Verùm in loco tam exactæ juſtitiæ laude conſpicuo iis culpis vel rarò fœdari res fuit adeò deformis, ſanctorum conſortio adeò indigna, Deoque tam exoſa, ut tepidos illos quadam juſtæ D indignationis, velut nauſea, Divina Majeſtas evomuerit, ut non ab re eis aptetur celebratum illud: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Aſcendit videlicet, ut peſſundaret, ac proculcaret ingratos, qui à levibus exordium ducentes ad culparum menſuram paulatim derelicti in graviores demum prolapſi, ac exploſi ſunt. Has tragœdias certis eventibus notas referre placuit, ut ex aliorum damno cautiores fieri, & ſalutem ex inimicis noſtris ſimilium tranſgreſſionem fuga parare poſſitis. Eſtote fideles legum obſervatores, creditamque Deo veſtri curam ne intemperanter reſumite. Jejunia veſtra benè repenſabit Chriſtus, ad cujus menſam victa jam morte conſidebitis. Extendet famelicus Monachus manum in arborem vitæ, & fructum dulciſſimum carpet, dicetque lætus: E fructus hic jejunio emptus eſt, pro quo eſuriem tuli, maluique fame torqueri, quàm jejunii legem ullo prætextu violare. Jejunia tranſiere, vitalis fructus æternus mihi paſtus, & tædii expers ſaturitas erit. Hæc cogitate, & iter cœptum animoſè conficite.

Pſal. 77. 30. 31.

Jejunii merces, & retributio quæ?

TEXTUS XII.

De abſtinentia carnium.

Ab eſu carnium abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio ſumantur, & F quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, ne ſitis hoſpitibus oneroſi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: ſed & carnibus ſupra mare veſci licebit.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt ad exhortationes ſolitas.

G Dici poſſet de vitanda facilitate eſus carnium: verùm quia hæc facilitas per rationes, quas in proxima exhortatione produximus, diſſuaderi poteſt; utilius videtur de mendicandi exercitio differere. Poterit etiam de bono extra domos noſtras exemplo dici.

CAPUT XXVII.

Exhortatio de exercitio mendicandi.

Paupertatis exercitium Religionis præceptum.

Apoſtolicæ paupertatis exercitium ſummis votis expetendum eſt, ut bona plurima, quæ parit, animam verè divitem efficiant. Cæterum dolendum eſt, quàm pauci ex iis etiam, qui eam profitentur, H paupertatis exercendæ occaſiones ampleſctantur. Mirumque profectò eſt, quo pacto cum emiſſo illius voto perennis, & accurata ejuſdem fuga conſiſtat. Conſtat certè plurimos, qui ſibi ſatis juſti videntur, prætexere, nolle ſe rebus ſupervacaneis uti, ſed id dumtaxat velle, ut neceſſaria minimè deſint. Verùm ſi res neceſſariæ ſemper ſuppetant, qualis paupertatis cultus eſt? Si autem ita ſuppetant, ut ſine ullo labo-

Scripta An. 1614.

labore parentur, cur non potiùs providentia commoda, quàm paupertatis exercitium appelletur? Profectò ſi Monachus inſtituti ſui memor, & æquus æſtimator eſſet, non eam commoditatem, ſed mendicitatem, in qua voti exercitium, & multiplex pietatis cultus eluceſcit, optaret, quod his rationibus aſſeritur.

A

Prima ratio.

Ratio prima. Regula noſtra, qua Dei voluntas exprimitur, tanquam certum ſtatuit, Monachos iter facientes mendicaturos, quod ex emiſſo paupertatis voto palàm deduci videtur. Niſi enim excipiatur neceſſitas, quæ ex morbo, vel alia idonea cauſa enaſcitur, mendicandi actus ſtatui noſtro nativus eſt. Quid ergo cenſendum de Monacho illo, qui ejuſmodi actum exercere detrectat, ubi nullam coram divina Majeſtate, & viris Monaſticæ diſciplinæ conſultis juſtam exceptionem afferre valet? profectò emiſſi voti degener obſervator eſt.

Secunda ratio.

B

Ratio ſecunda. Ubi Monachus proſperè valet, neque à Prælatis juſta aliqua de cauſa commodior aliqua itineris faciendi ratio præſcribitur, pedes viam carpere debet. Cur enim ſi robuſtus ſit, neque via difficilis obſtet, aut per obedientiam aliud decernatur, id non obſervet? Si autem id exequi omnino debet, quid congruentius, quàm ut eleemoſynam poſtulet, conſcientiamque propriam fideli voti cuſtodia exhilaret?

Tertia ratio.

Ratio tertia. Certa quidem experientia probatum eſt, Deum Clementiſſimum mira providentia mendicantibus adeſſe, eoſque è perſpecta in hoſpitio, & victu ipſius Dei ope voluptatem haud modicam capere. Cum enim Apoſtolicis veſtigiis inſiſtant, nunquam ita deſtituuntur, ut rebus neceſſariis careant, imò eas lætiùs, quàm domi recipiunt. Si ergo mendicandi actus è præſenti Dei auxilio lætitiam elicit, cur ita à pleriſque refugitur?

C

Quarta ratio.

Ratio quarta. Non fert animus aſſerere, actum illum inexpertis non eſſe difficilem. Sit planè difficilis. Verùm ſi in arduitate illa ſuperanda Chriſti humilitas, & manſuetudo ſuccreſcunt, cur actus tot, tantorumque bonorum ferax non expetatur? Sanè nonnullis ratio hæc adeò probatur, ut videatur eis immenſi cujuſdam boni proventus deeſſe, ſi mendicandi deſit occaſio.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Mos verorum Monachorum eſt, non mendicare modò, ubi id monet occaſio, verùm Deo gratias agere, ubi graviter repelluntur. Bonum quippè illud repulſæ ob Chriſti amorem acceptæ pretioſum ſanè, ac proindè avidè arripiendum eis videtur. Et quidem, quò repulſa eſt acrior, eò lætantur magis, impenſeque cupiunt frequenter reiici, vel ob meritum auctius, vel ob cælitus delapſam voluptatem. Quid autem cum his, qui bono conſcientiæ teſtimonio gaudent, commune ſit illis, qui divitum ſecularium more iter faciunt, & Chriſti paupertatem præſeferre erubeſcunt?

D

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Quod ad Dei judicium attinet, minimè dubium eſt, quin mendicandi actus Monacho inopi ſit laude dignus. Quod verò ad homines ſpectat, exploratum eſt, eos uno, vel altero excepto ad commiſerationem flecti, & de Monacho eleemoſynam modeſtè poſtulante bene opinari. Cur ergo id non ametur, quod Deo, hominibuſque probatur?

E

Officium mendicandi præceptum.

Omnino credendum eſt, Patres, vos non ita eſſe protervos, ut Apoſtolicam doctrinam improbare, aut extenuare velitis. Non hîc de iis diſſerimus, quos à communi ſententia morbus, aut ratio aliqua à Prælatis expenſa eximit. His potiùs miſeremur, libenterque nos mendicandi ſuſciperemus laborem, qui eis in refrigerium verteretur. De iis ergo dumtaxat agimus, qui proculdubio mendicare, Deo, Angelis, & hominibus jucundum ſpectaculum exhibere, conſcientiamque propriam exhilarare poſſent. Hos monemus, rogamuſque, cur mendicitatem formident? An dedecori eis ſit? Porrò honorificentior, quàm equitatio, & larga in hoſpitiis expenſa eſt: hæc enim emiſſi voti violati, aut ægrè ſervati ſuſpicionem, illa expleti voti opinionem ingenerat. Quid ergo timent? An neceſſarii victus defectum timent? Verùm quomodo iis deeſſe queat? Audite Chriſtum Apoſtolos rogantem in hæc verba: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis: numquid aliquid defuit vobis?* Sic Chriſtus interrogat, Apoſtolique reſpondent: Nihil. Sponſor Chriſtus eſt, ad cujus fidelitatem neceſſarii victus, & lecti providentia pertinet. Etenim quicquid alias ad rem hanc è variis capitibus congeri poteſt, æquare nequit efficaciſſimum Chriſti aliquando mendicantis exemplum. Quid obſecro diceretis, ſi conceſſum vobis fuiſſet, Chriſti manum extenſam ad oblatam, vel petitam eleemoſynam capiendam intueri? Ergone Unigenitus Dei Filius creaturæ ſuæ mendicus evaſit? Quomodo erectæ cervices exemplo tanto non flectuntur, & non Monachus modò, ſed Chriſtianus quiſque mendicandi occaſiones non ſedulò captat? Longè alia eſt via cæleſtem patriam petentium ab ea, quæ ducit ad interitum. Illa arcta cum ſit, non capit niſi homines ſeſe arctantes; hæc lata eſt, & laxè viventes admittit. Cæterum illa in latiſſimam Civitatis Dei plateam, campoſque æterno virore lætos deſinit: hæc tartari demum anguſtiis aſtringitur. Quid cogitatis? Quid ambigitis? Bene profectò eſt tranſire per ignem, & aquam eos, qui educendi ſunt in refrigerium.

F

Luc. 22. 35.

G

Via cæleſtis Patriæ arcta.

H

CAPUT XXVIII.

Exhortatio de bono exemplo extra domos noſtras præbendo.

OBlata virtutem colendi occaſio Monachum Dei zelo flagrantem à tepido diſcernit. Deus animorum cognitor eſt, novitque, qua quiſque virtute præditus ſit:

Scripta An. 1614.

Generoſi, degeneriſque diſcrimen.

ac homines, qui interna cognoſcere nequeunt facilè ſeducuntur, dum externa tantùm obſervant. Evenire quippe ſolet, ut eoſdem actus virtutum generoſus, & degener obire proponat, ut nullum eminens in alterutro diſcrimen appareat: cæterùm præſens occaſio, quid quiſque ſit, & valeat, luculentè demonſtrat. Generoſus enim virtutis exercendæ occaſionem nactus in propoſito conſtanter perſiſtit, degener deficit, & difficultati ſuccumbit: quod & aliis certè multis, & familiaribus quoque diſciplinæ noſtræ patet exemplis, qualia præſentis Regulæ textus occaſione cernuntur. Cum enim venia detur, ut pulmenta cocta cum carnibus noſtri edere queant, ne ſint hoſpitibus oneroſi, & ſupra mare carnibus etiam veſcantur, plerumque contingit, ut Monacho anceps cogitatio ſubeat, an hoſpitibus moleſtiam afferat, & an in brevi aliqua navigatione, ubi alia eſculenta ſuppetunt, carne veſci expediat. His ergo in eventibus, qua virtute quiſque præſtet, non obſcurè indicat. Nos verò licèt quod lege permiſſum eſt, improbare nolimus, hortamur tamen ad meliora ſectanda, & ſæculares tam in his, quàm in aliis occaſionibus exemplo bono inſtruendos, quod ratione multiplici aſſeritur.

A

B

Prima ratio.

Ratio prima. Sanctitatis perſuaſio, quæ ſæcularium animis de noſtris Monachis impreſſa eſt, eò proceſſit, ut bonis operibus quantumvis egregiis vix æquari poſſit. Si ergo in itineribus, & navigationibus ſanos, & robuſtos, ſine ullo valetudinis detrimento ſolitam diſciplinæ noſtræ abſtinentiam retinere valentes, videant laxiora ſequi, dicendum videtur, eos non inſtrui exemplo illo bono, quod prius conceperant. Meliora quippe ſibi perſuaſerant.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Monachus, qui accumbens menſæ, ubi ova, & lactei cibi facilè apponuntur, vel apponi poſſunt, & rogatus pulmenta cocta cum carnibus edit, perſuadet, ut plurimum, id ſibi licere. At ſi melioris doctrinæ tenax comiter reſpondeat, ſibi cibos alios, qui ſuppetunt, ſatis lautum eſſe convivium, ſe non licita modò, ſed honeſta, & meliora ſectari convincit. Cum ergo ſatis bene paſtus exemplo bono poſſit ſæculares ad pietatem urgere, cur id non efficiat?

C

Tertia ratio.

Ratio tertia. Compertum eſt, ex facilitate hoſpitibus convivendi bonum Congregationis nomen alicubi diminutum, cum ex eo, quod unus è noſtris agere conſpicitur, de reliquorum virtute judicium feratur. Cùm ergo Monachus benè valet, & opinionem de noſtris conceptam ſine ullo damno alere poteſt, quomodo lenteſcit, & in mitiora propendet?

D

Quarta ratio.

Ratio quarta. Conſuetudo noſtrorum eſt, auſteram retinere diſciplinam apud eos quoque ſæculares, à quibus moleſtiùs incitantur, ſive ob conſanguinitatem, ſive ob cauſas alias minimè indecoras. Conſtatque eos ipſos, qui abſtinentiam ægrè ferre videbantur, poſtea eam commendaſſe, eaque de cauſa piam animi commotionem oſtendiſſe. Quid ergo prodeſt facilis aſſenſus rogantibus præſtitus, qui animos non ita piè afficit?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Non ſunt adeo cæci, aut obdurati Monachi noſtri, ut occaſione virtutis colendæ elapſa non ſentiant aliquos ictus conſcientiæ ſuggerentis, quantò fuiſſet Deo acceptius, & ſæcularibus utilius, auſteræ diſciplinæ tenacitatem, quàm laxitatem amplecti. Sit quiſque ſui ipſius teſtis, ac judex. Si ergo varia occurrit proficiendi occaſio, & proximi inde ad pietatem inflammantur; profectò parum ſollicitus opum cæleſtium mercator eſt, qui bonum exemplum præbere non certat.

E

An omnia, quæ licent, expediant?

Audiſtis, quibus rationibus exempli boni æſtimatio aſſeritur, & quàm referat meliora in hoc genere exquirere. Multa ſanè licent, quæ minimè expediunt. Licet quidem iis, quæ à Regula conceduntur, uti; verùm, an id expediat, ex circumſtantiis cenſendum eſt. Sat eſt, ajunt nonnulli, legi non adverſari: verùm nos meliora monemus, bonoſque Monachos novimus non id ſpectare dumtaxat, quod bonum, ſed quod perfectius. Quemadmodum enim in generis humani redemptione non id tantummodo præſtitit Chriſtus, quod ſat fuiſſet, ſed largiora refudit: ita pii generoſique animi non quæ ſufficiunt tantùm, ſed quæ meliora, Deoque gratiora videntur, explere nituntur. Mundus feſtinat occidere, deſertorunque Monachorum ſcandalis validè concutitur. Hic in Apoſtaſiam, ille in hæreſim tremendo judicio prolabitur, alius ſordidam ducit vitam, & publicus ſolemnium votorum violator eſt. Si ergo multa Monachorum infidelium colluvies Eccleſiam Chriſti ſponſam dehoneſtat, apertiſque perturbat ſcandalis; à quibus rogo Monachis, niſi à noſtris exigendum eſt, ut perfecto virtutum exemplo Eccleſiam condecorent? Recolite illum B. Tereſiæ fundatricis noſtræ zelum, & tenerrimum jam morientis ſenſum, quo ſe Eccleſiæ filiam eſſe dicebat. Recolite, & ſenſum illum concipite, veſtemque deauratam Reginæ à dextris Chriſti ſponſi aſſiſtentis, quam alii dilacerant, vel inficiunt, vos, quoad per vires licet, integram, mundamque ſervate. Non ergo in iis ſolùm eventibus, quos textus è Regula lecti occaſione tetigimus, ſed in aliis quibuſvis eo affectu, quo Apoſtolus Titum, hortamur, ut præbeatis vos ipſos exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Expendite, quàm accuratè homines, qui Prælationes, aut magiſtratus ambiunt, indecoros actus ea præfectura, quam expetunt, indignos vitare ſtudeant, cùm ſciant, ſe à multis attentè ſpectari, quibus placere opus ſit. Divinam vos Majeſtatem ſpectatricem habetis in ſtatu hoc, in

F

Eccleſia Chriſti ſponſa quibus perturbata.

G

Tit. 2. 7. 8.

H

quem

Scripta An. 1614. quem cœleſti conſilio cooptati eſtis, ut regnum æternum parare niteremini. Quid ergo deſideratur, niſi ut Deo perplacere conemini, nihilque deforme committatis, quod improbet ille, qui vos feliciſſimi regni ſui conſortes efficiet, ſi legitimè certaſſe comperiat. Hæc mente pertractate, & altè impreſſa retinete.

A

TEXTUS XIII.

Exhortationes.

Quia vero tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & qui piè volunt vivere in Chriſto, perſequutionem patiuntur: adverſarius quoque veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; B omni ſolicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias inimici.

Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis, muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis. Scriptum eſt enim: Cogitatio ſancta ſervabit te. Induenda eſt lorica juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum C ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, & ex tota virtute diligatis, & proximum veſtrum tanquam vos ipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo. Galea quoque ſalutis capiti imponenda eſt, ut de D ſolo Salvatore ſperetis ſalutem, qui ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris, & quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant.

Faciendum eſt vobis aliquid operis, ut ſemper diabolus inveniat vos occupatos, ne ex E otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire. Habetis in hoc B. Pauli Apoſtoli magiſterium pariter, & exemplum, in cujus ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt à Deo Prædicator, & Doctor gentium, in fide & veritate, quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis aberrare. F In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos, nocte & die operantes: ne quem veſtrum gravaremus: non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, non G manducet. Audivimus enim, inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes. His autem, qui hujuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, panem ſuum manducent. Hæc via ſancta, & bona: ambulate in ea. *Theſſ. 3. 8. 9. 10. 11. 12.*

H

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt, ad exhortationes ſolitas.

Poteſt diſſeri primùm de tentationibus; deinde de ſtudio virtutum, quæ ſpiritualis armatura eſt, mox de familiari uſu verbi Dei: denique de otio vitando.

CAPUT XXIX.

Exhortatio de bono, quod in tentationibus paratur.

A

Vita hominis tentationibus obnoxia.

PRæſens Regulæ textus, gravis quædam, & ſalubris eruditio eſt, qua in memoriam revocatur mortalis vitæ conditio & perennis militia, ſeu tentatio, qua infeſtamur. Non diſceptat, ſed ſupponit hominis vitam tentationibus obnoxiam eſſe. Quapropter Monachus quiſque ſecum ſtatuere debet, ſe omninò tentandum, ut non turpem fugam, ſed claram victoriam meditetur. At hoc neutiquam præſtabit, ſi bonum, quod in tentatione provenit, non curet habere perſpectum. Has ergo rationes percipiat.

Prima ratio.

B

Tentatio experimentum virtutis dicta.

Ratio prima. Suſpecta eſt virtus, quæ aliquo experimento probata non fuit: quis enim credat ei, qui grandia pollicetur, ſi opera promiſſis fidem non aſtruat? Cum ergo tentatio quædam virtutis experientia ſit, qui ſibi cupit non eſſe ſuſpectus, tentationis experimentum refugere, aut ægrè ferre non debet. Aurum certè igne examinatur, & ſuſpicionem omnem excludit. Ut ergo qui rudem auri maſſam non excoxit, ſibi minimè ſatis facit, meritòque ambigit, an aurum ſyncerum ſit, ita qui virtuti parandæ ſtudet, neque tentationis experientia, quid valeat, deprehendit, non poteſt propriam virtutem non habere ſuſpectam, intereſtque multùm, ut tentari non renuat.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Victoria universè placet: quis enim victor eſſe nolit? At victoria ſine bello nequit acquiri, paratur autem edomitis hoſtibus. Cum ergo certum ſit vobis placere victoriam, æquum profectò eſt, ut tentationis prœlium minimè formidetis. Victoriæ decus, & prædam meditamini, & vim rationis expendite.

C

Tertia ratio.

Ratio tertia. Lætitia quæ ex parta tentationis victoria ſuccedit, ea eſt, quæ bonos certatores ad certamen perurgere valeat: quod varia ſimilitudine explicari poſſet, qualis hæc: Qui requiem poſt acres nervorum dolores nactus eſt, ingens quoddam bonum ſibi paraſſe videtur, ex cujus amplexu, vel poſſeſſu magna vis lætitiæ ſubit. In hunc modum tentatione victa ſuccedit pax lætitiæ ferax, qua totus homo mirificè pervaditur & exhilaratur.

Quarta ratio.

D

Ratio quarta. Quicquid de lætitiæ ſucceſſu afferatur, negari nequit, meritum tentationibus magnoperè augeri. Illa enim ſpectata fides, patientia, conſtantia, qua ictus validi excipiuntur, animo interim non concidente, ſed generoſè reluctante, horreum quoddam ſelecto tritico plenum eſt, quo Monachus diteſcit. Cur ergo tentari nolit? Cur conflacceſcat?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Etſi nullum proveniret lucrum, maximi fieri deberet. Divinæ Majeſtati jucundum ſpectaculum invicta fortitudine exhibere. Quibus enim oculis, putatis, ſtrenuum militem graviter impugnatum, & nunquam cedentem, vel de integritate,& conſtantia quicquam remittentem Deus intuetur? Profectò gratiſſimum ſpectaculum, & amplæ remunerationis ſpe benè fultum eſt.

Sexta ratio.

E

Abraham quomodo tentatus?

Et Tobias?

Ratio ſexta. Recolite amicorum Dei præclariſſima exempla, & proculdubio animadvertetis, decuiſſe, ut quò Deo acceptiores fuere, eò gravius tentarentur. Quid duriùs imperari potuit Abrahæ, quàm ut filium immolaret? Quàm acris hæc tentatio fuit? Quid de Job ſubtexam, quem Deus diriſſimis inimici telis expoſuit? Quid de Tobia, cui lumen oculorum ademit? Hi ſanè Deo chariſſimi fuere, & tamen interfuit plurimum, ut accerrimè tentarentur. Si ergo inter Dei amicos vos recenſeri poſſe confiditis, ne terga vertatis, ſed armis à Regula præſcriptis cum hoſte ſæviſſimo dimicare honorificum ducite.

F

Chriſtus in deſerto tentatus.

G

Appendite nunc rationum pondera, & judicate, quàm errent graviter, qui in ſtatu noſtro ſe mœſtitia concidere patiuntur, quod tentationibus vexentur. Divino munere in ſtatum Monaſticum aſciti ſunt, ubi eſt multiplex armatura, qua obſepti victorias illuſtres de mundo, tartaroque referre valent: & bellum degeneri corde detrectant. Quænam imbecillitas eſt hæc? Statim, ac armati ſunt, deberent ipſi congreſſum optare, memores Chriſti, quem Spiritus impulit in deſertum, ut tentaretur. Non eſt planè Chriſti militia dignus, qui ſpiritualia prælia reformidat. Expendite verba Sacra Regulæ noſtræ textui inſerta: *Qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur*. Quam perſecutionem? An omnes pii à tyrannis ob Catholicæ fidei defenſionem trucidantur? An omnes martyrio coronati intereunt? Non eſt hic ſenſus ad Regulæ mentem neceſſarius. Sat eſt, ut dæmonis, mundi, propriarumque paſſionum infeſtatio non deſit. Hæc eſt Monachorum perſequutio, qua excruciantur, cui ſi validè obſiſtant, catalogo illuſtrium certatorum aſcribi poſſunt. Hæc eſt militia, hæc eſt tentatio, hæc eſt perſecutio, qua vos exercendi eſtis, ſi bona immenſa parare velitis. Huc conferunt arma ſpiritualia fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, humilitatis, quibus conſertis velut loricati ad certamen procedunt Monachi à tartaro formidati.

H

Juſti omnes tentationibus vexati.

Quid cogitatis? Memoria repetite Apoſtolos, qui ſpiritus primitias acceperunt, & eos quaſi homines neci deſtinatos, inſtructis tartari, mundique agminibus, & univerſali quadam conjuratione tentatos aſpicite. Luſtrate etiam omnia Eccleſiæ caſtra & Dei electos, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, internis præliis, morbis, doloribus, fame, ſiti, inopia, aliiſque ſexcentis malis obſeſſos intuemini. Si ergo tantorum virorum conſortium placet, adeſte animis, & virili fortitudine dimicate.

Ne probetis conſilia eorum, qui unius

mensis, vel anni impugnationem ſe ferre non valere prætexunt. Illorum potiùs ſententiam probate, qui per decennium, & ultra, uno, aut multis tentationum generibus concuſſi, in Chriſti amore, & promiſſa ei fide perſiſtunt. Sive caro rebellet, ſive paſſiones ſæviant, ſive dæmon exſtimulet, ſive homines obtrectent, ſive injuriæ irrogentur, ſive interna ariditas vexet, ne ſtationem veſtram deſerite. Reſpicite Chriſtum Pontificem noſtrum tentatum per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato, & exemplari noſtro aptè congruite. Bellum denique tranſit, pax ſuccedit ævo ſempiterno permanſura. Præclarè cum David actum fuit, ut cum Philiſtæo congrederetur, quandoquidem illo cæſo, caput geſtans occiſi honorificentiſſimè ab Iſrael exceptus eſt. Pugnate & vos, & prælii finem contemplamini. Aſſiſtite Chriſto tentato, ut ampliſſimi promiſſi vos participes efficiat. Promiſſum audite: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael.* Ecce quàm optandus accubitus, ad Unigeniti Filii Dei menſam, ecce, quàm ſublimis ſeſſio in thronis à Deo paratis. Hæc eſt merces, quæ rependitur Monachis, qui cum Chriſto tentari pertulerunt. Huc ergo incumbite, & armatura Dei muniti certate.

David victoria de Philiſtæo, quomodo ab Iſraele excepta.

Luc. 22. 27. 28. 29. 30.

CAPUT XXX.

Exhortatio de ſtudio virtutum.

Arma ad tentationes vincendas, quæ?

ALtè imprimenda ſunt illa Regulæ verba: *Omni ſolicitudine ſtudeatis indui armatura Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias inimici.* Hæc præfatur, & mox attexit catalogum armorum, quæ ſunt Chriſtianæ virtutes, quibus Monachum ad varios inſultus oportet præmuniri. Contextum obſervate, & animadvertite, quàm ſit ex legiſlatoris mente ſtudium virtutum, cui accurata debetur attentio. Neque id ſolummodò obſervate, ſed ulteriùs procurrite, & prodigioſam Monaſticorum Ordinum calamitatem, quæ ex virtutum neglectu ſucceſſit, contemplamini, ut ſimilem cladem præcavere aliorum damno diſcatis. Quod ut efficaciter præſtetis, has rationes perpendite.

Prima ratio.

Ratio prima. Virtus per ſe ſpectata bonum honeſtum, & amore dignum eſt, cùm hominis naturæ congruat, eamque perficiat. Eſt ergo naturali propenſioni conſentaneum, ut homo ſtudio virtutum ſe ipſum dedat. Si autem id omni conſonat homini, quantò eſt æquius, ut Monachus virtutibus veris excellat.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Chriſtiana virtus eſt quoddam bonum non honeſtum modò, verùm & divinum, quod homines mundo altiores efficit. Cum ergo Monachus ſtatum mundo excelſiorem elegerit, quid ſupereſt, niſi ut Chriſtianas virtutes, quæ animum ſublimem creant, curet exquirere?

Tertia ratio.

Ratio tertia. Vires animi peccato originali, & aliis inde ortis malis attritæ ſunt, & plurima graviaque imminent bella, quibus ut homo fortiter occurrat, virtutibus Chriſtianis, quæ ſunt animi robur, proculdubio eget. Quomodo ergo Monachus tot, tantiſque malis non ſuccumbet, niſi ſe armatura virtutum undique ſepſerit?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Monachus rerum cæleſtium debet eſſe conſultus, & in ſummum bonum cor intentum gerere: quod ut efficiat, ſyncera fide, firma ſpe, ardenti charitate, invicta patientia, aliiſque virtutibus omninò indiget; nam difficultas è multis orta capitibus, niſi hujuſmodi armis minimè ſuperatur. Quàm ergo cœcus erit Monachus, qui virtutes has comparare non ſolicitè ſtuduerit.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Monachi vita jugis quædam ad Dei unionem aſpiratio eſt: quid enim aliud optandum ſupereſt, poſtquam creata omnia pia animi erectione pertranſiit? Conſtitutum eſt autem, veras virtutes nexus eſſe quoſdam, quibus animus noſter Deo velut aſtringitur, quod divinæ præſertim congruit charitati, quæ vinculum perfectionis eſt. Si ergo vobis unio divina videtur expetenda, opus eſt, ut mediis virtutibus, Deo hærere conemini.

Monachi ſtudium, quale?

Quæ prompſimus, ut credi debet, pios animos poſſent excitare. Cæterum hoc mirum videtur, quòd cum virtutum ſtudium tam pium, honeſtum, & Monachi proprium ſit, tam ſint pauci, qui veras virtutes colant. Labuntur tempora prolixa, & poſt Monaſticæ diſciplinæ decennium non major patientia, humilitas, manſuetudo, obedientia deprehenditur, quàm ſub ipſum primi ingreſſus initium. Quin etiam, quod mirabilius eſt, multò minor præfertur virtus, ſive humilitatis, ſive obedientiæ, ſive manſuetudinis occaſio ſeſe offerat: vixque, rebus theologicè perpenſis, concludi poteſt, ullum eſſe progreſſum, cum rationes validæ ſuppetant ad regreſſum perſuadendum. Hæc ſanè obſervatio bonos cenſores torquet, timentque vehementer; ne via, quæ multis recta videtur, eos ad interitum ducat. Et quidem cauſa hæc, de qua dicimus, non adeò abſtruſa eſt, ut vos omninò lateat. Eſtote vos ipſi judices, ac mihi roganti ſatisfacite. Rogo: Monachus ante decennium à Prælato monitus ſtatim acquieſcebat, ſilebat reprehenſus, impoſita onera mitis ſubibat: Nunc Prælato reluctatur, excuſationes prætexit, onera palàm detrectat, & hoc in morem induxit, ita ut niſi imperata ejus ingenio fortuitò placeant, vix quicquam, ſine averſi ſaltem animi indiciis, exequatur. Rogo, inquam, an iſte lapſu decennii progreſſus, an regreſſus fuerit? Dicite quid de homine iſto cenſendum ſit? Profectò aut omnis theologica doctrina

de

Scripta An. 1614.

Diſciplina ſectandi, quæ?

A

Actus virtutum itinera æternitatis dicti.

de medio tollenda eſt, aut ſentiendum, Monachum iſtum retroceſſiſſe. Quomodo enim tam licenter ex more ageret, ſi veras virtutes comparaſſet? ſi autem verarum virtutum expers eſt, quomodo progredi potuit? Ne vobis ipſis blandiamini, Patres: ne fragilibus levium rationum fundamentis innitamini. Apprehendite diſciplinam tutam, ſolidam, Sanctorum exemplis confirmatam, ne quando iraſcatur Dominus doctrinis peregrinis irritatus, & pereatis de via juſta, per quam incedere cœpiſtis. Nullus ſanè negociorum geſtor, lucri, aut honoris cupidus, opinionibus minùs tutis innititur: pertutiora, opportuniora lucrum, honoremve perquirit. Actus virtutum, quæ ſunt itinera æternitatis, frequentate: dum inſtat difficilis obedientiæ, humilitatis, patientiæ arduitas, occaſionem cupidè arripite, & pro tuenda virtutum honeſtate, quicquid in hac mortali vita ſpecioſum, & expetendum videtur, excelsè contemnite: atque ad hunc modum ad ſupernæ vocationis palmam celerrimè currite.

B

CAPUT XXXI.

Exhortatio de familiari uſu verbi Dei.

Regula Carmelitica Turris David appellata.

C

Regula certè noſtra velut turris David eſt, è qua pendet omnis armatura fortium. Et quidem inter arma plurima meritò recenſetur Dei verbum intus impreſſum, & externè frequentatum, ut patet è textu illo: *Gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris.* Ex hoc profectò textu liquet, legiſlatoris mentem fuiſſe, ut de Deo, ac divinis rebus Monachi noſtri crebrò verba facerent: quæ quidem res cum momenti maximi ſit, omiſſo interim verbi divini in corde latentis tractatu, rationibus multis aſſerenda eſt.

Prima ratio.

Ratio prima. Potior Inſtituti noſtri pars rerum divinarum contemplatio eſt, quod vobis ſatis compertum ſtatuo. Si ergo ſtatus, & officii proportio, uti decet, obſervanda eſt, quibus de rebus, niſi de cœleſtibus, noſtri loquantur? Pictor, Scalptor, Juriſconſultus, Medicus, & alii profeſſores de Inſtituto quiſque ſuo paſſim verba faciunt, officio penè coacti. Cur ergo Monachus, qui divinorum contemplationem profitetur, non de divinis agat? Nonne perſpicua rei proportio divinum ſermonem à nobis exigit, & contrariæ conſuetudinis deformitatem oſtentat?

D

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Manifeſtum eſt, familiari verbi Dei uſu innumeras vetari culpas, quas lingua, velut ſylvam ſenticoſam effundit, otioſa nempe verba, officioſa, leviave mendacia, detractiones, contentiones, & id genus alia, quæ Monachis loquacibus uſitata ſunt, ut graviora ſileamus. Si ergo gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei, noxiam eam ſylvam præſecat; quid tam Monacho proprium, quàm creber ejus uſus diutiſſimè productus?

Tertia ratio.

E

Ratio tertia. Dei verbum non eſt qualecumque lucrum, ſed pretioſiſſimum, & univerſis mundi theſauris longè præferendum. Parit enim pia deſideria, cor emollit, mundi contemptum inducit, meritaque proinde maxima cumulat; quod vos, dum de divinis rebus attentè confertis, arbitror obſervaſſe. Quin & ſæculares id in ſe ipſis deprehendere compertum eſt, cum ex uno interdum pio colloquio vehementer commoti de ſtatu mutando cogitent, & erumpentes lachrymas reprimere nequeant. Si ergo Dei verbum meritis adeò fœcundum eſt, ſi adeò eſt efficax ad obdurata pectora demulcenda; quid Monachus excuſat, ne id ſæpiſſimè frequentet?

Quarta ratio.

F

Ratio quarta. Vel ipſa, quæ ex uſu verbi Dei percipitur, ſuavitas acer ſtimulus eſt ad id in morem inducendum. Sentiunt planè ſuavitatem hanc plerique, qui piorum colloquiorum ſitim nunquam ſatis explent, vellentque noctes inſomnes ducere, ut eo nectare recrearentur. Quocirca mirum eſt, Monachos vel ejus voluptatis ignaros eſſe, vel conſcios eam non perquirere.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Familiare eſt iis, qui à patria longè peregrinantur, ubi conterraneum aliquem fortè conſpiciunt, avidè cum illo de patria, eiuſque ſucceſſibus colloqui. Cum ergo nos ſimus exules, à patria noſtra quàm dulciſſima multùm diſſiti; quid agimus, aut quomodo affecti ſumus, ſi de Jeruſalem cœleſti, immenſiſque ejus bonis non identidem differimus?

G

Exercitium Præſentiæ Dei commendatum.

Ambigi nequit, Patres, quin ſtatui noſtro ſermo divinus congener ſit: vixque in univerſo orbe Chriſtiano gens ulla reperitur, quam proprium Inſtitutum ad eum tam arctè, ac nos ipſos aſtringat. Ab ipſa quippe educatione, à quotidianis, aut frequentibus exhortationibus, à libris, quibus novitii, profeſſique paſſim utuntur, à familiari uſu præſentiæ Dei, ab ſcopo contemplationis multa, & firmiſſima duci poſſunt argumenta ad illum efficaciter perſuadendum. Quocirca mirum videtur, paucos demum inveniri, qui de rebus divinis tam ſæpe, ac expediret, loqui velint. Quid eſt hoc? Cur non omnes hanc cœleſtem eloquentiam ediſcimus, & non in concionibus tantùm, ſed in familiari ſermone Dei præcones diſertiſſimi evadimus? An verum non eſt illud regii Pſaltis effatum: *Ignitum eloquium tuum vehementer?* An non & illud: *Eloquia Domini eloquia caſta?* An Dei ſermo non eſt vivus & efficax? Cur ergo non ei linguæ omnes aſſueſcant? Animadvertite, quàm ſolicitè patritiorum filii palatinum ſermonem addiſcant, ut Principibus placeant: Nonne æquum foret, ut nos Civitatis Dei linguæ ſive ſermonis periti eſſemus, & caſta verba contexere pergeremus, ut Divinæ probaremur Majeſtati? Profectò turpiter errabimus, ſi ſermone divino neglecto otioſa, ſeu vana velimus efferre.

Pſalm. 118.

Pſalm. 11.

H

Ete-

S. M. Tereſia, quid nobis reliquerit?

A

Luc. 6. 45.

Pſalm. 136.6.

B

Etenim hoc à nobis officium mundus expectat, & hæreditario jure cenſet explendum. Parens quippè, & fundatrix noſtra Tereſia hanc ſpiritualem patrimonii partem minimè deſpiciendam nobis reliquit, quam diſſipare nefas eſt. Cæterum licèt argumenta deeſſent alia, hoc unum omnino convinceret; quod ſi corda cœlo affixa ſunt, verba proculdubio cœleſtia proferent, juxta illud Evangelicum: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Cum ergo nos ſtricto vinculo innexi ſimus ad corda jugi Dei præſentia cœlis inferenda; aut de cœleſti patria loquendum, aut internum hominem officio deeſſe fatendum eſt. Quid ergo eligitis? Quid agere decernitis? Quid conſilii capietis exules? Mementote civium Jeruſalem in captivitate Chaldaica lugentium; neque aliud, quàm Sionem cogitare, aut loqui ſtatuentium in hæc verba: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Propriis linguis captivus populus imprecabatur malum, ſi ſe in alia verba, quàm Sionis exererent. Et quidem ſatius foret, ut Monachi lingua intus faucibus hæreret, quàm ut ſe otioſis, aut vanis verbis pollueret, quod de Sacerdotibus præſertim aſſerendum eſt. Quomodo enim audent, linguam, qua conſecrationis verba paulo ante protulerunt, ad vana, vel otioſa laxare? Ergo ne lingua, quæ Dei inſtrumentum fuit, ad animas ſanctificandas, & panem in Chriſti corpus convertendum, à dæmone paulò poſt regenda, & fœdanda eſt? Hæc Patres meditamini, ac horreſcite: & è caſto, ac ignito Dei ſermone meritum, & puram voluptatem elicite.

CAPUT XXXII.

Exhortatio de otio vitando.

C

Otium vitiorum ſeminarium.

NON ſunt oſcitanter prætereunda verba illa Regulæ: *Faciendum eſt vobis aliquid operis, &c.* quæ legiſlator à dæmonis impugnatione, & Apoſtoli conſuetudine confirmat. Nimirum opus fuit, ut otium lege damnaretur, cum quoddam vitiorum ſeminarium ſit. Sanè ut ager incultus ſpinas, & urticas, ſic otioſus Monachus innumeros culparum aculeos profert, quibus & propriam & aliorum conſcientiam dilacerat. Ne ergo tantum ingruat malum, rationes hæ animo imprimendæ ſunt.

Prima ratio.

D

Ratio prima. Homo ad laborem natus eſt, otiumque communi omnium nationum conſpiratione reprehenditur, ut ex variis artibus ad otium vitandum ingenioſè inventis perſpici poteſt. Si ergo ubique vitio vertitur otium, neceſſe eſt, ut intra clauſtra quoque reprobetur, cum infame geſtet inſcriptum, quod gravium malorum ſuſpicionem ingenerat.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Otium efficit hominem inertem, cui accidit, quod iis, qui diu in compedibus fuere, ſolet evenire, ut ſcilicet ægrè incedant, ubi ſoluti ſunt. Quo quidem ex malo efficitur, ut ad virtutum actus difficulter procedat, & in dies ad opera homine digna fiat obtuſior. Quis autem non judicet, mala hæc in Monacho, qui ad ſpiritualem palæſtram acceſſit, turpiora, quàm in ſæcularibus eſſe?

Tertia ratio.

E

Ratio tertia. Otioſus Monachus paſſiones proprias non modò non coercet, verùm convaleſcere ſinit, quarum impetu pejora interdum admittit, quàm in ſeculo perpetraſſet, quod tragœdiis multis compertum eſt. Corpus quippe nullo labore domitum, & diſciplinæ Monaſticæ impatiens animam vacantem præcipitat, & quo ſtatus ſanctior eſt, eo gravior ſuccedit legum tranſgreſſio, & conſcientiæ perverſitas. Quis ergo tremenda mala non formidet, otiumque depellat?

Quarta ratio.

F

Ratio quarta. Loca ſacra piis laboribus dicata otioſum Monachum minimè ſuſtinent: ex quo fit; ut ille neque cellæ anguſtiis, neque Clauſtri ſeptis ſe contineat, & vel frequenter domo exire, vel ſi domi maneat, loca omnia pererrare non ceſſet. Hinc exiſtit multiplex damnum, quo legum cuſtodia languet, & varii introducuntur abuſus. Quomodo ergo zelo Dei flagrare poteſt, qui otium non graviter deteſtatur?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Monachus otioſus complices habere ſatagit. Cum enim ipſe nihil boni agat, alios à bonis operibus divertit, ut cum eis verba faciat, & tempus vanè terat. Quis autem non animadverterit in hunc modum catenam quamdam multorum otio torpentium cenſeri, & ſilentium, receſſum, Dei præſentiam, & pios affectus interire? Profectò otii malum genus quoddam morbi contagioſi latè ſerpentis eſt.

Sexta ratio.

G

Ratio ſexta. Animus otio reſolutus, urbs quædam muris minimè ſepta eſt, quam noſtræ ſalutis inimicus facilè capit, ac funditus evertit; quod multis prodigioſis caſibus oſtenditur. Cum ergo Monachus eo ipſo, quod otio langueat, ſe telis ſæviſſimi hoſtis exponat, perviumque ſit capi, & ad interitum uſque ſauciari, quid cogitat, ſi otium excutere non ſatagit?

Otii fuga nobis commendata.

2. Theſſ. 3. 11. 12.

H

Dicite nunc, Patres, quid de otii deformitate cenſeatis? Dicite, quid vobis videatur de hoc Regulæ monito, quo nos ab otio dehortatur? Opus ſanè fuit, ut grave hoc malum procul arceretur à Clauſtris, quorum cœtus, quædam ſpiritualium apum examina, ſolicita, ordinata, & operi perſeveranter intenta eſſe debent. Expendite gravia illa Apoſtoli verba Regulæ inſerta: *Audivimus inter vos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes. His autem, qui hujuſmodi ſunt, denunciamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes panem ſuum manducent.* Hæc Apoſtolus, qui ægerrimè ferebat genus quoddam hominum, quibus manus inertes, lingua ſemper exerta fuit, quos graviter compeſcere oportuit. Quid autem ſentiret Apoſtolus, ſi ætate hac Monaſteria multa, in quibus olim legum cuſtodia, & pia quædam Monaſticorum operum contentio viguit,

Scripta An. 1614.

A

Prudentia filiorum hujus ſæculi, quæ?

B

Actuoſi, & eorum corona.

Luc. 19. 13.

C

guit, aſpiceret? Quem conciperet ſenſum, ſi otio torpentes, verboſos novitatum obſervatores, cellæ impatientes, extra, intraque Clauſtra vagantes Monachos intueretur? Quid ille diceret, ſi vias novæ Sionis lugentes, & à nemine tritas, Chorum, inquam, Oratorium, locaque ſacris actibus deſtinata minimè frequentata cerneret? Contemplamini vos rerum ſtatum, ubi otium invaluit, & dicite, quàm ſit æquum ſimilem calamitatem præcavere, & pios Inſtituti noſtri labores, velut præſervativam medicinam æſtimare. Conſideret etiam quiſque veſtrum, quid Chriſto reſponſurus ſit, ſi talentum in terra defodiat, neque fœnus aliquod reddat. Conſideret filiorum hujus ſeculi prudentiam, & incredibilem ad honores occupandos, opeſque congerendas ſedulitatem. Quem rogo laborem detrectant, quam commoditatem non reſpuunt, quas noctes non pervigilant, quæ itinera non conficiunt, ut quod animo conceperunt, demum obtineant? Parentes filios inſtruunt, ut otium averſentur, ſeduloque laborent, ut in ſenectute quieſcant. Vos ergo, qui æternam requiem, quam Eccleſia è vita migrantibus precatur, meditamini, qui amplam mercedem in cœlo repoſitam vobis eſſe confiditis, cur otio velitis deſidere? Breves dies hominis ſunt, juſtuſque è corporis cuſtodiis liberatus dicitur impleſſe tempora multa. Qui enim ſpiritu Dei agitur, præſentem laborem, futuramque remunerationem mutuò confert, atque perpendit, præmiique ſucceſſuri ſpe erectus, ac roboratus, ne punctum quidem temporis, ſine pio labore aliquo vellet elabi. Hæreant animo verba illa Chriſti: *Negotiamini, dum venio.* Hæreant altè, hæreant perſeveranter: & tanquam ſoliciti Regni cœlorum mercatores, otio depulſo, opera operibus adiicite, laboribus labores addite, & ad optatiſſimam requiem, quam expetitis, quantocyùs pervenire contendite.

TEXTUS XIV.

De ſilentio.

Iſai. 32. 17.

Cap. 30 15.

D

Prov. 10. 19

Cap. 13. 3.

Eccli. 20. 8.

E

Matth. 12. 36.

F

Commendat autem Apoſtolus ſilentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta teſtatur: Cultus juſtitiæ ſilentium eſt: & rurſus, in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideo ſtatuimus, ut dicto completorio: ſilentium teneatis uſque ad primam dictam ſequentis diei. Alio vero tempore, licet ſilentii non habeatur obſervantia tanta: diligentiùs tamen à multiloquio caveatur. Quoniam ſicut ſcriptum eſt, & non minus experientia docet: In multiloquio peccatum non deerit. Et, qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animam ſuam. Et Dominus dicit in Evangelio: De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Faciat ergo unuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo, ne fortè labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus ejus ad mortem, cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua, & ſilentium, in quo cultus juſtitiæ eſt, diligenter, & cautè ſtudeat obſervare.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt ad exhortationes ſolitas.

G

Poteſt dici de ſilentio. Poterit etiam diſſeri de linguæ lapſibus.

CAPUT XXXIII.

Exhortatio de obſervatione ſilentii.

Cultus ſilentii commendatus, & cur?

H

Mirum profectò videtur, ut in Regulæ noſtræ textu adeo brevi de cultu ſilentii tam longè diſſeratur. Brevitas ea eſt, qua major vix eſſe potuit, & tamen ubi legiſlator ad ſilentii leges acceſſit, penè prolixus evaſit. Qua quidem ex re illud confici videtur, ut ſilentii cultus momenti maximi in Monaſtica diſciplina ſit, & è linguæ moderatione bonorum ſpiritualium ſeges multa proveniat: quod his rationibus ſuademus.

Prima ratio.

Ratio prima. Ipſum certè ſilentii nomen, quod non ſine conſilio in aliquot Cœnobiorum locis grandi charactere ſolet inſcribi, habet neſcio quid veneratione dignum, & lectum duntaxat, vel auditum, religioſum quemdam ſenſum à mundi ſtrepitu exemptum imprimere videtur. Quocirca vel ob

Scripta An. 1614.

eam religionem, quam nomen ingenerat, magni fieri debet.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Silentium adeò Monachi proprium eſt, ut ejus officium homini verboſo repugnare videatur. Functiones quippe Monaſticæ, quæ animo in res divinas intento exercentur, rectè obiri nequeunt, niſi lingua cohibita, & ad pauca verba, ubi oportet, exerta.

Tertia ratio.

Ratio tertia. Perenne orationis, ac præſentiæ Dei ſtudium, quod profitemur, cum verborum copia proculdubio pugnat. Quomodo enim interna virium collectio, quam ſtudium illud planè requirit, cum earundem virium diſſipatione, quæ per verba fit, cohærere poterit? Verborum autem multitudine collectionem illam diſcuti, ac interire ita notum eſt, ut confirmatione ulla non indigeat.

Quarta ratio.

Jac. 3. 8.

Ratio quarta. Linguæ moderatio quàm difficillima eſt, ut disertè Jacobus Apoſtolus oſtendit in hæc verba: *Linguam nullus hominum domare poteſt*. Præmiſerat feras à natura humana domitas, & ſubtexuit linguam indomitam. Cum ergo domeſticus linguæ inimicus tam ſit protervus, neceſſe quidem eſt, ut ſilentii ſtudium, quo illi vires adimuntur, accuratiſſimum ſit.

Quinta ratio.

Ratio quinta. Silentii cultus ita hominem honeſtat, ut illum alias exigui meriti, mira quadam virtutis perſuaſione laudabilem efficiat. Res vera & vulgata eſt. Conſtat quippè, hominem tacitum prudentiæ famam compendio quodam acquirere; & ab aliis, velut quandam ſapientiæ arcam benè clauſam exiſtimari. Quo quidem ex capite id boni exoritur, ut quemadmodum theſauri thecam omnes aperiri cupiunt, ut auri repoſiti aſpectu delectentur; ita hominis taciti labia deduci optent, ut verba expenſa denique audiant. Hæc ſilentii æſtimatio eſt. Si ergo ita ſe res habet, profectò Monachus loquax non diſciplinæ tantùm Monaſticæ, ſed propriæ etiam exiſtimationi nocet.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Qui tacitus eſt, culpas vitat innumeras, & velut ſylvam quamdam veprium ictu uno ſuccidit. Manifeſtum eſt quippe linguæ, licentiam ſine multiplicibus erratis non poſſe permitti, quod vos expertos fuiſſe ſtatuo. Si ergo tot mala Monachus taciturnus cavere poteſt; quo ſpiritu afflatur, ſi præſtituta ſilentii Clauſtra perrumpit?

Septima ratio.

Chriſtus, ejus triginta annorum ſilentium.

Ratio ſeptima. Chriſtus Dei Verbum, cui verba officere non poterant, cum quicquid proferebat, divino prius conſilio fuiſſet expenſum, adeo ſilentii tenax fuit, ut triginta annis tacuerit, tribus verba fecerit, quod Sancti dum conſiderant, obſtupeſcunt. Cum enim mundus doctrina ejus ſaluberrima, diutiſſimeque expectata indigeret, & vaticinia ubertim explenda ſperaret, quibus prædictum fuerat ipſum Dei Unigenitum præceptoris munere functurum; mirum ſanè viſum eſt, ut è brevi triginta trium annorum periodo annos triginta ſilentio, tres prædicationi deſtinaret. Quis unquam hoc excelſum, & abſtruſum Dei conſilium ſibi perſuaſiſſet, niſi Deus ipſe id ob divinam auctoritatem ſuam credendum Evangelico textu expreſſum evulgaſſet? Aruerat mundus ſpirituali rore deſtitutus, & ad verborum Chriſti optatiſſimam pluviam anhelabat: & tamen Dei Verbum decuplo plus ſilentio, quàm ſermoni tribuit? Quid eſt hoc? An hoc fortuitò ſucceſſit? Nonne æternum Senatus conſultum eſt? Quid ergo dicemus? Profectò dicendum videtur, Chriſtum non minus ſilendo, quàm loquendo in admiratione habendum, credendumque omnino, illud Unigeniti Filii Dei ſilentium Divinæ Sapientiæ fuiſſe congruentiſſimum, ut homines exemplo tanto erudirentur. Quid Monachus adverſus exemplum hoc poſſit excipere? Quomodo non univerſi Monaſticæ diſciplinæ profeſſores ſilentii amore capiuntur?

Chriſti ſilentium ante tribunal Pilati.

Silentium Religioſis præceptum.

Non dubium, Patres, quin ad Chriſti ſcholam cœleſti munere vocati fueritis. Non dubium, quin ſilentii decorem ametis. Non enim obduruiſtis, ut tam ſalutaris doctrina cordi non hæreat. Cæterum non ſat eſt ſilentium utcumque obſervare. Altiùs aſcendendum eſt, ut ſciat ubi juſta loquendi ratio urget, parcè, & modeſtè admodum dicatis. Quod ut vobis perſuaderi poſſit, non rationes, aut exempla multa congeremus. Inſiſtite propoſito Chriſti noſtri præceptoris exemplo. Contemplamini illum ad Pilati tribunal multis teterrimis criminationibus accuſatum, & videte, an multa verba faciat, longamque orationem ad ſui defenſionem ſubtexat. Inſtant acerrimi calumniatores, & tacet: & urget judex, ut quicquam loquatur, & tacet, atque ita tacet, ut præſes miretur vehementer. Quare ſilentium eſt hoc? An non de vita innocentis agebatur, poteratque ſeipſum efficaciſſimis rationibus, & cœleſti eloquentia ſine ullo linguæ lapſu tueri, & obiecta omnia diluere? Cur ergo ſilet? An Verbo Dei verba deſunt? Altum eſt ſecretum hoc, & volucres cœli latet. Nos ergo ne ſecretum rimemur, ſed miremur ſilentium tam arctè ſervatum, ubi loquendi cauſa perurgere, & penè cogere videbatur. Si ergo Dei Filius in ejuſmodi occaſione tacet, quid mirum, ſi Monachum hortemur, ut parcè, ac modeſtè loquatur, ubi tandem loqui neceſſe eſt? Profectò Chriſti ſilentium diſertiſſimos homines in Clauſtra, vel deſerta abditos quodammodo fecit elingues. Et ne longinqua petamus, ſcitis inter noſtros ſeveriſſimam viguiſſe ſilentii diſciplinam, ita ut per nutus, ac ſchedulas plerumque negocia expediri conſueverint, ut ab uno, vel altero verbo, nocturni preſertim ſilentii tempore, abſtinerent. Hæc, aliaque antiquorum Patrum geſtis ſimilia propoſito Chriſti ſilentis exemplari mirificè conſentiunt, & loquaces Monachos Chriſto diſſimiles, ſine ullo linguæ uſu tacita, & Divina quadam energia redarguunt. Quid ergo expectatis? An Chriſto in re tam decora,

Scripta An. 1614.

cora, & ſtatus veſtri propria congruere non vultis? Compeſcite linguam, & ori cuſtodiam oſtiumque circumſtantiæ tandem apponite. Eſtote taciti rerum divinarum contemplatores, divinamque eloquentiam, qua in Civitate Dei uſuri eſtis, addiſcite.

CAPUT XXXIV.

A

Exhortatio de linguæ lapſibus.

Lapſus linguæ exitioſus dictus.

MAla, quæ ex linguæ lapſibus oriuntur, adeo à Regula exaggerantur, ut quemlibet ſuæ ſalutis cupidum movere debeant ad aliquid peculiare ea de cauſa meditandum, quo ſe à lapſibus ope divina ſervet immunem. Quis enim ita ſtupidus ſit, qui non ſubſiſtat, & ſibi proſpiciat, dum legit verba illa: *Faciat ergo unuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo, ne fortè labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus ejus ad mortem?* Profectò ſi linguæ lapſus ad mortem uſque animum ſauciant, accuratiſſimè cavendi ſunt, quod his rationibus monetur.

Prima ratio.

B

Ratio prima. Statuamus, Monachum aliquem loquacem eſſe, idque vitium reſpuere nolle. Rogamus nunc, quid de hoc homine verboſo ſperandum ſit? Certum eſt quippe, eo ipſo, quod linguam ſolvat, præfixam virtuti metam tranſgreſſurum. Si etenim, qui taciti eſſe ſtudent, in re nulla frequentiùs, quàm in ſermone ſe errare fatentur; quid de homine loquaci cenſebimus, qui immoderata verborum conglobatione lætatur? Profectò abſque numero labetur.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Quotidiana liquet experientia, eos, qui Dei timorem non prorſus abiecerunt, ſtimulos conſcientiæ pati ex verbis otioſis dumtaxat, vel damnoſis: aut enim tempus ſe vanè conſumpſiſſe, aut alicui loquendo nocuiſſe, cum ad ſe redeunt, deprehendunt. Hoc experiuntur timorati, quid ergo ſi Dei timor abſit? Porrò & culpa, & ſtimulus culpæ mala ſunt, quæ præcaveri debent.

C

Tertia ratio.

Ratio tertia. Satis frequens malum eſt detractio, quæ inter crebros lapſus verboſi Monachi recenſetur, & quaſi lepra quædam linguæ non coercitæ eſt: eoque ſolet excreſcere, ut vix loquax Monachus linguam exerat, niſi ad alios carpendos, vel mordendos. Quàm ergo ſalutare conſilium foret, pietatis fræno ab hujuſmodi lapſibus linguam præſervare?

Quarta ratio.

D

Ratio quarta. Nihil familiarius verboſo Monacho, quàm altercatio in cœtu Patrum, ubi parcè & modeſtè loquendum eſſet. Quale autem malum ſit altercatio, ex bono pacis, quod aufert, cenſeri poteſt. Pax bonum quoddam divinum eſt, quod in Clauſtris quamdam cœleſtis Patriæ imaginem refert: atque adeo altercatio peſſimum peſtis genus eſt, quod pia linguæ moderatione vitare plurimum intereſt.

Pax, quid?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Satis crebrò loquaces Monachi in vanæ oſtentationis culpam prolabuntur, dum laudes proprias amplificant, quod ab humilitatis ſtudio longè abeſt. Huic autem malo præſentaneum remedium parcitas ſermonis expenſi eſt, cum Dei timore connexa: quod memoriæ imprimi debet ab iis, qui de ſpiritus cultura non ſegniter agunt.

Sexta ratio.

E

Ratio ſexta. Chriſtianorum Concionatorum cura verbis impenſa argumentum efficax ſtruit, ad lapſus familiaris ſermonis præcavendos. Illi enim accuratè ſententias, & verba præmeditantur, ſtudioque prævio demum enunciat, & tamen multi ab auditoribus lapſus deprehenduntur, quos ipſi minimè dignoſcunt. Quos ergo lapſus non incurret, qui abſque conſilio ullo linguæ indulget, & nunquam dicendi finem facere vellet?

Septima ratio.

Ratio ſeptima. Graviores lapſus mendacii, periurii, calumniæ, & aliorum peccatorum, quæ lingua perpetrantur, licet à loquacibus Monachis, ſe nihil grave committere velle prætexentibus, non formidentur, proclive tamen eſt, ut poſtquam loquendo incaluere, in illa ſe quoque præcipitent, caſuſque ſubſequatur ille, quem Regula inſanabilem appellat, non ſanè quòd ſanari nequeat, ſed quòd de reſipiſcentia Monachi loquacitati aſſueti, & in errata gravia prolapſi modica ſpes ſuperſit.

Loquacitatis exitioſi effectus.

F

Lapſus, quos attigimus, ſatis multi ſunt, cum tamen alios multos reticere oportuerit, quos prolixum foret hoc loco referre. Incredibile quippe iis, qui rem hanc minimè ſunt contemplati, videtur linguæ lapſus in tantum excreſcere numerum, & diſciplinæ Monaſticæ tantopere officere. At ii, qui rem perfectam habent, facilè conſentiunt in florentibus Ordinibus Monaſticis numeroſiùs multò, & graviùs linguæ lapſibus, quàm aliis actibus peccari ſolere, qua de re ſæpe inter prudentes Monachos prævia obſervatione collatum eſt. Cum ergo tot mala è linguæ licentia originem ducant, quis adeo Inſtituti noſtri capitalis inimicus ſit, qui non exiſtimet linguam quodam timoris Dei cauterio potius urendam, quàm licenter ad verba laxandam? Vos ipſi dicite, quoties verba feciſſe pœnituit? Veriſimile autem eſt, vos etiam de ſilentio rogatos reſponſuros, nunquam ob linguam coercitam ullam pœnitudinem ſubiiſſe. Unde putatis, tot Monachos duabus quotidie ſtatis horis orationi vacantes, & rerum divinarum ſcientia ſatis inſtructos, poſt annos multos tam eſſe aridos, & à Dei guſtu alienos, ac ſi in ſeculo remanſiſſent?

G

H

Prudens veteranorum conjectura eſt, Monachos iſtos ob frequentem linguæ licentiam aruiſſe, ac propemodum obduruiſſe, ut jam ſpes profectus penè nulla ſuppetat. Ut enim deſperatur vita ægroti ingeſtum ſtomacho cibum diu evomentis: ita & profectus iſtorum, qui tametſi aliquot ſpiritus alimentum quotidie traiiciant, eodem die lingua laxata reiiciunt, atque adeò ſpiritus mi-

Scripta An. 1614. minimè alitur, & ferè ad interitum ægrotat. Utinam doctrinam hanc dignè æſtimatam non calamo, ſed Spiritus ſui digito cordium veſtrorum tabulis Deus inſcriberet. Lapſus linguæ quantopere devitandi? Quàm feliciter progrederemini, ſi lapſuum linguæ ſylvam cæderetis! Quàm ſuavis vobis accideret ſermo Dei intus loquentis, & ſubtractum ipſius cauſa ſermonem repenſantis? Imperate vobis ipſis, & inſtrumento linguæ ad pietatem duntaxat utimini. A Otioſa verba à Chriſto judice improbantur, quantò magis noxia? Ne judicem irritate. Exerite potiùs linguam ad Dei laudes celebrandas, & eloquiis caſtis ad legis divinæ lineam exactis eruditi, erga cætera taciti, æternorum deſideriis conflagrate.

TEXTUS XV.

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

Tu autem, Frater Brocarde, & quicunque poſt te Inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, B & obſervetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit iter vos major fieri, erit miniſter veſter: & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu peti poſſunt ad exhortationes ſolitas.

C

Dici poterit de humilitatis cultu: Poterit etiam agi de actibus ad humilitatem parandam opportunis?

CAPUT XXXV.

Exhortatio de humilitatis cultu.

Tametſi lecti textus titulus Priori duntaxat deſtinetur, cauſa, de qua agitur, communis eſt, cum perſpectum ſit, humilitatis cultum ad omnes pertinere. Humilitatis præcepta. Ergo & me ipſum, & vos ad tantæ virtutis ſtudium hortabor, quod tantò diligentiùs D impendendum eſt, quantò rariùs humilitas imis radicibus nixa provenit, & quantò eſt feliciùs in ſelecto paucorum humilium numero recenſeri. Ut verò res cedat ex ſententia, has rationes expendite.

Prima ratio. Ratio prima. Nemo prudens extruendæ alicujus fabricæ cupidus de fundamento benè firmo non cogitat. Cum ergo humilitas ſit ſpiritualis fabricæ fundamentum, ſine quo nihil ſatis tutum, firmumve conſtruitur, omnino neceſſe eſt, ut Monachus ejus virtutis cultui ſe accuratiſſimè dedat, neque ſine hoc ſtudio; ſpiritui quantumvis ſublimi credendum exiſtimet.

Secunda ratio. Ratio ſecunda. Humilitas hoc parit bonum ſanè maximum, ut animum divinorum munerum capaciorem efficiat. Depellit quippe ſuperbiæ ventum, quo mens vana diſtenditur, & quamdam velut cavitatem relinquit, quam Clementiſſimus Deus E donis cœleſtibus explet ea fidelitate, qua in rebus naturalibus locum depletum implet, ne quid vacuum remaneat. Cui certè doctrinæ fidem conciliat pietas, quæ non obſcuris indiciis deprehenditur in viris humilibus, quos in ſchola Chriſti feliciùs proſperatos, quàm alios virtutum cultores animadvertimus.

Tertia ratio. Ratio tertia. Vir humilis cordium dominus eſt. Experientia quippe conſtat, ejus conſuetudinem eſſe omnibus acceptiſſimam, eumque cordibus ſine reniſu imperare, quod & ratio ipſa perſuadere videtur. Cùm enim omnibus cedat, nihil in eo aſperum deprehendunt, cujus prætextu diſpliceat: E contrario F verò mores ſuaviſſimos experiuntur, quorum vi efficaciſſima capti ei ſemper hærere vellent. Quod adeo verum, ac teſtatum eſt, ut in cœtibus Monachorum ii, quos humilitate præcellere exploratum eſt, ab omnibus impensè amentur, & omnes ab eorum conſortio ſeparari timeant, quod vos obſervaſſe credimus. Si ergo Monachus humilis impensè diligitur, ac proinde omnibus dominatur, & velut regno quodam non quidem affectato, ſed ab aliis ſpontè delato potitur; cur non omnes hoc modo imperare, ſive regnare velimus?

Quarta ratio. Ratio quarta. Humilitas pacis feraciſſima eſt. Nihil enim affectat ex iis, quæ diſcordiam parere ſolent: non honorem, non primos accubitus, non commoda, vel utilia. G Credit quippe vir humilis, ſe omnium viliſſimum eſſe, rationique congruere, ut noviſſimo in loco recumbat, & poſtrema ſors ei in rebus quibuislibet obtingat. Sublata verò bonorum honorificorum, utilium, delectabilium appetentia, libenter aliis defert, quæ ipſi cupiunt, ſibique attribuit, quæ alii reiiciunt: quò certè poſito, pax dulciſſima, & conſtantiſſima ſuccreſcit. Cum ergo creaturæ omnes pacem appetant; profectò Monachus humilitatis neglector extra rationis metas vagatur, ſibique ipſi conſulere neſcit, dum diſcordiæ ſementem ſpargit.

Quinta ratio. Ratio quinta. Clariſſima ſunt exempla H Sanctorum, qui virtutis hujus ardentiſſimo amore capti rara mundo ſpectacula exhibuere; ut Alexius, Alexander Carbonarius, Sancti humilitatis cultores eximii, qui? Franciſcus, aliique permulti, quibus nihil fuit antiquius, quàm ut ſe ipſos aſpernarentur, & aliis deſpicabiles apparerent: quos tamen luculentiſſima gloria in hac etiam mortali vita Deus illuſtravit. Si ergo exempla Sanctorum pondus habent, quo no-

Scripta An. 1614.

nomine dignus erit Monachus, qui eis inſiſtere renuerit?

Sexta ratio.

A

Ratio ſexta. Recolite genus veſtrum, eſtis enim Beatiſſimæ Virginis filii. Quò autem non pertingit Mariæ humilitas, quæ Unigeniti Filii Dei cor permulcere potuit? profectò non ſine ſublimiſſimo conſilio Divina Majeſtas ad Incarnationis myſterium Virginis aſſenſum per nuncium cœleſtem poſtulavit, expectavitque reſponſum profundiſſima humilitate redditum; quo accepto, mox ſeſe Virginis viſceribus infudit, & Verbum caro factum eſt. Si ergo quidam perfectiſſimæ humilitatis actus fuit, velut ultima ad Incarnationis myſterium diſpoſitio in ea Virgine, quam ut Matrem diligitis, ac veneramini, aut genus negetis, aut humilitatem impensè colatis neceſſe eſt.

Septima ratio.

Joan. 13. 12. 14.

B

Ratio ſeptima. Contemplamini Chriſtum pedes diſcipulorum abluentem, & obſtupeſcite. Audite illum poſtquam recubuit, humilitatis ſcholam inſtituentem his verbis, quibus feræ indomitæ miteſcerent. *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Hæc mitiſſimus, cordeque humillimus Redemptor noſter. Quomodo ergo univerſorum hominum colla non flectuntur, & ſtudium Chriſtianæ humilitatis cupidiſſimè arripiunt?

Chriſtus, quid egerit ad humilitatem docendam.

C

Apoſtoli purgamenta mundi hujus facti.

D

Publicani juſtificatio notata.

Profectò rationes hæ & me, qui à Regula moneor, & vos, quos ad neceſſariæ virtutis cultum adhortor ego, pervincere, & ad humilitatis cultum vehementer inflammare deberent. Quid enim non fecit Unigenitus Dei Filius ad mortalitatem noſtram delapſus, ut nos humiles efficeret? Quænam improperia non pertulit? Si pedum ablutio dura pectora mollit, cur non & facies ſputis reſperſa? Si Chriſtus æternus Deus ad diſcipulorum pedes genuflexus humilitatem efficaciſſimo docet exemplo; cur non & Crucifixus, ac publicè irriſus illam perſuadeat? Contemplamini ſtatum veſtrum, & Chriſti diſcipulos repræſentate. Apoſtoli hoc Chriſti magiſterio eruditi facti ſunt tanquam purgamenta hujus Mundi, improperium crucis Chriſti ſuſtinentes, ut magiſtro congruerent ſuo. Vos ergo cum eumdem nacti ſitis præceptorem, quid cogitatis? Nondum Salvator noſter ſalutem operatus fuerat in medio terræ, & David coram fœderis arca tripudians, ſe humiliter acturum juravit: Cur ergo nos prævio tanti præceptoris exemplo, humilitatis ſtudio nos totos addicere non decernamus? Quid dicam vobis? Porrò ſi prudentes negociorum geſtores eſſe velitis, modus cum Divina Majeſtate feliciter agendi, eſt ipſa Chriſtianæ humilitatis affectio, quæ tam eſt efficax, ut Dei cor, quò velit, inflectere poſſe videatur. Sit peccator quilibet tartaro penè demerſus, humiliterque clamet; & ſtatim ira poſita illum Deus amplecteretur. Nonne Publicanus humili ſenſu, ſuique deſpectu Deum precatus confeſtim inter amicos relatus eſt? Si ergo eos, qui cum in peccatorum cœno jaceant, divina gratia excitati humiliter agunt, Deus amplexurus accurrit, ut ex dulciſſima Filii prodigi parabola cenſere quoque poteſtis; quid non præſtabit iis, qui cum à peccatis abſtineant, tantæ virtutis ſtudio ſe totos dedere certant? Non dubium, quin Clementiſſimus Deus eos in delitiis habeat. Pergite ergo, Patres, & Chriſtianæ humilitatis cultu bona immenſa comparate.

E

CAPUT XXXVI.

Exhortatio de actibus ad humilitatem parandam opportunis.

Via vitæ arcta.

F

EX Evangelico textu liquet viam, quæ ducit ad vitam, eſſe arctam, & à paucis carpi, quod tam lugendum quàm verum eſt. Quid enim luctuoſius, quàm à ſalutis via exorbitare, ac proinde ad tartari præcipitium ferri eos, qui Chriſti ſanguine redempti ſummo, ac ſempiterno bono frui poſſent? Profectò deflenda eſt raritas hæc, cui fidem aſtruit humilitatis penuria, quæ in iis quoque deprehenditur, qui eam profitentur, ut rarò vir humilis appareat unus è plurimis, qui mundum deſpexiſſe videndur. Nimia ſanè ſterilitas eſt hæc, cujus cauſam ſi perveſtigare velimus, comperiemus proculdubio, fugam humilium actuum tanti mali originem eſſe. Ut enim ad exercitium humilitatis ventum eſt, incipit degener animus à propoſito reſilire, neque vult pretioſiſſimam humilitatis gemmam duro humilium actuum exercitio comparare. Erit ergo ad rem, ut ejuſmodi actus animosè obire decernamus, quod hæ rationes expoſcunt.

Humilitas gemma pretioſiſſima adpellata.

Prima ratio.

G

Ratio prima. Omnes in ſententiam conſpiramus hanc, virtutem ſcilicet humilitatis eſſe præſtantiſſimam, meritòque per agones, laboreſque quærendam, ut è proxima exhortatione cenſere poteſtis. Cum ergo humilia obſequia, & univerſi actus illi, quibus ſe quis neglectui habendum oſtendit, ad eam virtutem parandam magnopere conferant; quo judicio valet, qui actus illos paſſim detrectat?

Secunda ratio.

H

Ratio ſecunda. Familiare eſt Monachis in quotidianis occaſionibus verſari, quibus poſſent miniſteria poſtrema diſciplinæ Monaſticæ exercere, à doctrina, vel prudentia oſtentanda abſtinere, obiectis culpis nullam excuſationem obtendere, ſolitos humilitatis ritus, puta aliis cedendi, genua flectendi, vel ſe proſternendi obſervare: quibus actibus omni dubio procul norunt ipſi ſterni viam ad virtutem acquirendam. Quomodo ergo eam parabunt, ſi eas occaſiones vitent, iiſve abutantur rationibus ducti humanis? Nonne manifeſtum eſt, ea vivendi ratione non modò humilitatem non parari, ſed ſuperbiam ali? Nonne luce clarius eſt, ejuſmodi Monachos veſte, quam geſtant,

Scripta An. 1614.

ſtant, indignos, hypocritas cenſendos eſſe, qui animi elationem humili veſtimento contegunt?

Tertia ratio.

Ratio tertia. Vehementer ad pietatem commoventur animi, ubi qui in cœtu Monachorum antiquiores, & variis dotibus doctrinæ, ac prudentiæ cultiores ſunt, humilibus inſiſtunt obſequiis, quod in Congregatione noſtra ab origine huc uſque obſervatum eſt. A Quo quidem exemplo & humilitas colitur, & aliorum animi ad æmulationem incitantur. Qua ergo mente levibus ex cauſis miniſteria humilia recuſentur, aut lentè exerceantur?

Quarta ratio.

Ratio quarta. Quàm indecorum eſt patritio ſeculari mechanicis actibus ſe dedere, tam ſpecioſum eſt Monacho poſtrema Cœnobii miniſteria exequi, rebus quoque juxta hominum opinionem expenſis, patetque omnino, Monachum propriæ exiſtimationis cauſa iis ſe ſubtrahentem apud ſeculares, nedum apud Monachos alios, boni nominis decrementum pati. Si ergo humiles actus apud Deum, & homines honorifici Monacho ſunt, quam ob cauſam illos refugit? B Nonne aperta fatuitas eſt?

Quinta ratio.

Ratio quinta. Profectò inter noſtros mos percrebuit, ut magna fieret concertatio ad humilia obſequia aliis præcipienda, vel precibus impetranda: qua ex contentione inſignis Dei gloria cum miro Monachorum profectu exſtitit. Noſtis hoc. Qualis ergo auſus foret, adverſo flumine navigare, & conſuetudinem hanc antiquæ ſanctitatis æmulam, ob indomitas paſſiones auferre vel remorari? Abſit hæc dementia, vel protervia.

Sexta ratio.

Ratio ſexta. Exprimi nequit, quàm Deo ſpectatori placeat ſtrenuitas fortium militum ſuperbiæ ſenſum humilium actuum aſſiduitate extinguere conantium; quando videlicet in palæſtra Monaſtica Monachus propriæ exiſtimationis ſtimulo excitatus à Prælato anxiè flagitat imponi ſibi poſtremum aliquod Miniſterium, cui aſſueſcat, donec ſenſus ille deficiat, dæmonque timidus recedat, veritus ne fortè dimicantis meritum augeatur. C Porrò gratiſſimum eſt Divinæ Majeſtati ſpectaculum hoc, deberemuſque nos omnes id Clementiſſimo exbibere Deo, cui velle placere, filiorum, quales nos eſſe decet, proprium eſt.

Quid ergo moramur? Quomodo ſitim humilium obſequiorum, & actuum ſedare poſſumus? Obſervate motus naturæ, & gratiæ. Natura cupit honorari, gratia deſpectum ſuggerit. Motus naturæ & gratiæ, eorumque diſcrimen. Natura dotes claras oſtentat, gratia celat, & vilia prodit. Natura optat præeſſe, gratia ſubeſſe. Natura primum accubitum, gratia poſtremum exquirit. D Quid ergo vultis? An naturam gratiæ præferatis? Abſit. An prudentius conſilium non probetis eorum, qui ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati? Ne cœptum iter intermittite, Patres, ſed qui collum jugo Chriſti ſubdidiſtis, animadvertite, quo conſortio digni exiſtimemini, & quàm foret turpe ſubiectas Chriſto cervices erigere. Optabilius eſt, noviſſimo, quàm primo ſpiritualium nuptiarum loco recumbere, ut audiatur poſtea honorifica, & lætitiæ plena monitio illa: Amice aſcende ſuperius. Votum humilitatis notatum. Benè eſt, ut votum non ambiendi emiſeritis, quod humilitatis votum inter noſtros cœpit appellari. E Cæterum non ſatis officium expleretis, qui ad eximiam ſanctitatis celſitudinem aſpirare cœpiſtis, ſi votum illud à Deo inſpiratum frequenti humilium actuum exercitio minimè confirmaretis. Agite ergo, & in ſchola manſuetorum, & humilium de profectu contendite. Ne ſinatis lucri immenſi occaſiones elabi, ſed oblatas arripite, quin & non oblatas quærite. *Caſſ. Coll* 20. *Cap.* 1. Utinam adeſſet Pynuphius aliquis, qualis ille, qui cum in Ægypto Sanctitatis fama clareret, humanam refugiens laudem, à Monaſterio numeroſo, cui præerat, clam recedens, ad intima Tabennenſium Monachorum ſecreta contendit; ubi veſte mutata, prolixis precibus ut ſuſciperetur, obtinuit, Monachoque horti cultori in adminiculum deſtinatus cum triennium humillimè miniſtraſſet, à Fratre quodam, qui ex Ægypto advenerat, cognitus, & à Tabennenſibus, quibus occultus inſerviverat, ſtupentibus honoratus ſumma cum mœſtitia, & lacrymis, quòd miniſterii illius occaſionem amiſiſſet, in Cœnobium, cui præfuerat, reductus eſt. Humilitatis exemplum in Pynuphio. F Hæc digna eſt tantæ virtutis æſtimatio. Nos minora ſuademus. Ne ergo animo concidite, ſed ad humilitatis palmam per humilia obſequia properate.

TEXTUS XVI.

Exhortatio fratrum, ut Priorem ſuum honorent.

G

Vos quoque cæteri fratres Priorem veſtrum honorate humiliter, Chriſtum potius cogitantes, quàm ipſum qui poſuit ipſum ſuper capita veſtra. Et Eccleſiarum præpoſitis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: *Luc.* 10. 16. ut non veniatis in judicium de contemptu, ſed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. H Hæc breviter ſcripſimus vobis, converſationis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundum quam vivere debeatis. Si quis autem ſu-

Scripta An. 1614.

ſupererogaverit, ipſe Dominus, cum redierit, reddet ei. Utatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix.

A

Obſervatio thematum, quæ ex hoc textu duci poſſunt ad exhorationes ſolitas.

DIci poteſt de honore Prælatis deferendo, mox de operibus ſupererogationis, eorumque modo.

CAPUT XXXVII.

Exhortatio de honore Prælatis deferendo.

ULtimus hic Regulæ textus, ſi ad me referatur, non modica ex parte ſua carebit energia; neque enim is ſum, qui ullum honorem merear. Quia verò res, de qua agitur, universè accepta momenti maximi eſt, dicendum videtur de honore Prælatis deferendo, qui ad Monaſticam diſciplinam magnopere confert, ut è rationibus ſubjectis cenſeri poterit.

B

Prælati honore proſequendi.

Prima ratio.

Ratio prima. Filii univerſi ductu quodam naturæ parentes honore afficiunt, neque gens ulla adeo fera & inculta eſt, quæ in hanc ſententiam minimè conſpiret. Cum ergo Monachi Prælatos ſuos parentum loco habeant, cum ipſa naturæ propenſione pugnabunt, ſi eis honorem deferre recuſent. Etſi enim ab eis, quod ad naturam ſpectat, geniti non ſint, naturæ tamen lumen dictat, ut poſtquam parentum vices gerunt, paternum honorem accipiant. Et quidem ratio hæc vim multam acquirit, ſi Prælatorum noſtrorum mores verè paterni ſpectentur, ſive culturam ſpiritus, ſive corporis neceſſitatem contemplemur: utroque enim ex capite carnales parentes vel æquant, vel certè ſuperare contendunt. Qualis autem deformitas eſſet, his honorem debitum adimere?

C

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Prælatus non ut Pater tantùm, ſed ut Magiſter, & ut Dei vices gerens honore maximo afficiendus eſt. Ut enim parentis & magiſtri functiones ſileamus, quiſnam titulus illuſtrior, & honore dignior excogitari poteſt, quàm qui ex munere illo enaſcitur, quo Prælatus Dei vices gerit? Porrò qui perſpicaces mentis oculos nacti ſunt, profunda animi demiſſione Prælatum venerantur, memores ampliſſimi honoris, qui debetur iis, quos Chriſtus in excelſiſſimum faſtigium evexit, ajens: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. Nihil enim altius in hoc genere mente concipi poſſe videtur.

D

Tertia ratio.

Ratio tertia. Prælatus eſt quidam canalis, vel aquæductus, per quem cœleſtia dona in ſubditos derivantur: Illi quippe Deus affulget, inſtruit, ut ſubditos moderetur, eamque divinæ lucis & conſilii gratiam in bonum ſubditorum cedere compertum eſt. Quis ergo non offerat honorem ei, per quem Deus tot bona largitur? Nimia cæcitate plerique laborant, qui in Prælato nihil altius, quàm corporis præſentiam cogitare norunt, quos humi repere, & parum ſpirituales eſſe palàm eſt. At eis rependitur, ut ſteriles ſint.

Quarta ratio.

E

Ratio quarta. E contrario abuſu, vel enormi errore judicare licet, quàm ſit debitus Prælatis honor. Profectò, qui eo proceſſit, ut Prælatum aſpernetur, peſſimus Monachus, & damnationi proximus eſt. Quem meritò reponimus in illo numero infelicium Monachorum, quibus pejores homines nuſquam reperire licet. Ita enim ſe res habet, & Sanctus cenſuit Auguſtinus: qui neque meliores, quàm qui in Cœnobiis profecerunt, neque pejores, quàm qui ibi deliquerunt, ſe expertum fuiſſe commemorat. Quod licèt in aliis peccatorum generibus ad proportionem ſanctitatis, quam ſtatus exigit, creſcentibus verum quoque probetur; cæterùm in ea impudentia, qua Prælati contemnuntur, maximè verum eſt, cum in contemptu illo plus multo malitiæ, quàm in aliis peccatis, quæ à Monachis committi ſolent, ineſſe credatur.

Epiſt. 137. ad plebem Hipponenſem.

F

Quinta ratio.

Ratio quinta. Quàm ſit turpe Prælatos non venerari, facilè perſpiciet, qui iram Dei conceptam in eos, qui in hoc genere peccant, dignè perpenderit. Sanè cum Aaron, & Maria adverſus Moſem parum reverenter locuti eſſent, apparuit Deus, & è nube velut è tribunali graviter reos reprehendit, lepraque Mariam continuò in pœnam reſperſit. Cumque Moſes, ut erat mitiſſimus, pro ea precaretur, minimè, ut optabat, exauditus eſt, donec Maria ſeptem diebus caſtris excluſa, ultimoque revocata, cœptum iter perſequi permiſſum eſt, Deo iniuriam Moſi illatam exemplo tremendo ulciſcente, ut diſcerent poſteri, quem honorem iis, qui præſunt, deferre deberent. Nimirum injuria Prælatis irrogata in Deum, cujus nomine præſunt, refunditur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Num. 12.

G

Luc. 10. 16.

Contemplamini nunc, Patres, quid de honore Prælatis debito opinari debeamus. Quid de re hac porrò grandi dicam vobis? Incredibile planè videtur, Monachum officio ſatisfacere ſuo, qui Prælatum non intuetur iis penè oculis, quibus Chriſtum ipſum aſpiceret. Si autem hoc intuitu candido, ſimplicique illum ſpectet, ardua quæque pervincet, debitoque illum honore venerabitur, quod clariſſimo David erga Saulem tunc Regno præſidentem exemplo patebit. Venerat Saul, tribus electis militum ſeptus millibus, ad perveſtigandum David, quem interficere cupiebat, ut in Regum hiſtoria memoriæ proditum eſt. Cumque in antrum quoddam egrediendi cauſa ſe recepiſſet, & in receſſu antri interiore David cum comitibus lateret, peropportuna inſonti occaſio Saulis necandi oblata eſt, quod milites vehementer hortabantur, promentes,

H

David reverentia in Saul.

Scripta An. 1614.

tes, ut credi debet, juſtiſſimas tyranni occidendi cauſas, præſertim cum in ſummo ipſi vitæ diſcrimine verſarentur, niſi cum inculpatæ tutelæ moderatione inimicum perimerent, qui ad ipſos interimendos eò furens acceſſerat. Rationes profectò validiſſimæ urgebant. Et tamen David oram chlamydis Saul tantummodò præcidit: hominem omninò nec tetigit, neque attingi à A militibus paſſus eſt. Quin etiam conſcientiæ remorſum ſenſit, quod oram chlamydis præcidiſſet. Quid eſt hoc? Qua de cauſa non infert manus tyranno, à quo parum abeſt, ut capiatur innocens, ac necetur? Ergone conſcientia innocentis torquetur, quod veſtis oram præſecet, qui jure potuit hoſtem iniuſtè perſequentem trucidare? Quid cauſæ ſubeſt ad tyrannum tantopere reverendum? Cur confringit militum animos, ne in hoſtem inſiliant? Ipſi enim urgent. Cur eos retardat?

Rex Chriſtus Domini dictus.

Audite verba David: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Ecce quam rationem profert, cur eum attingere non audeat, B neque cædi à militibus ſinat, quia ſcilicet Chriſtus Domini, quaſi diceret: Benè animadverto, quàm ſit Saul crudelis, & quàm iniuſtè me perſequatur. Animadverto etiam me, & vos milites meos in periculo extremo conſtitutos eſſe, ut ab eo capiamur, ac necemur. Cæterùm omnia hæc mihi ferenda videntur, quia Chriſtus Domini eſt, quia videlicet rex eſt, loco Dei præſidet. Ratio verò hæc altè adeò illius animo inſedit, ut egreſſus è ſpelunca Saulem nihil tale opinantem pronus in terram adoraverit, & crudelis tyranni feritatem ad fletum uſque lenierit. Expendite nunc, quo affectu, & quibus externis actibus eum, qui præerat, honoraverit. Si ergo David C tunc miles puro intuitu regni præſidem ſuſpiciens, & non qualis eſſet, ſed cujus loco præeſſet conſiderans, interim dum ad necem ab eo quærebatur, illi honorem tantum detulit, cur Monachus Prælatum, qui non vitam adimere, ſed tueri cupit, non honore afficiat? Cur Monacho ſatis non ſit, noſſe Prælatum Chriſtum Domini eſſe, ut æquo animo illius mandata ferat, nec audeat ullam vel leviſſimam ei iniuriam irrogare, tametſi ab eo acerbè tractetur?

Prælatus maximo ſemper honore proſequendus.

Porrò exemplum hoc adeo videtur efficax, ut Monachus quiſque timoratus non ſolùm ubi à Prælato ſuaviter accipitur, verùm etiam ſi fuſtibus, & alapis cædatur, debeat illum & amare, & honore pariter afficere? D Ne rationibus humanis viam aperiatis, & opus fidei politicè interpretari velitis; Chriſtum ipſum in Prælato intuemini, eique reddite honoris tributum, quod lex ipſa exigit. Certò ſtatuite, mitem Prælatos honorandi morem ritum eſſe Sanctorum antiquiſſimum, Deoque gratiſſimum, & in cœleſti patria cumulatè remunerandum. Ergo in opus incumbite, & quod debetis, officium explentes, ſpe altè nixa, in præmia vobis parata mentis aciem, & pia vota collimate.

CAPUT XXXVIII.

Exhortatio de ſupererogationis operibus.

POſtquam Regulæ auctor leges paucas ſelectas, & ad Inſtitutum noſtrum appoſitas tulit, E adiecit verba illa: *Si quis autem ſupererogaverit, ipſe Dominus, cum redierit, reddet ei.* Quaſi apertiùs diceret:

Opera ſupererogationis commendata.

Præſcripſimus pauca, quæ prudens exigebat legiſlatio: cæterùm nobis exploratum eſt, vos his limitibus ita includi velle, ut majora moliri neutiquam prohibeamus. Majora interdicere minimè debuimus, imò admonemus, Chriſtum vobis majora parantibus mercedem, cum redierit, redditurum. Hæc Regulæ auctor, qui Patrum illorum, quibus leges ſcripſit, ſpiritum ſanè validum contemplatus, monuit denique prudentiam, nequid nimis. Erit ergo majorum noſtrorum exemplis conſona ſupererogationis tractatio, quam hiſce rationibus digeremus.

Prima ratio.

Ratio prima. Filii hujus ſeculi, qui juxtà F Chriſti oraculum prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt, ſibi minimè ſatisfaciunt, ſi ea tantùm bona utilia, honorifica, & delectabilia exquirant, quæ ad vitam decenter ducendam ſufficiant: ſed inexplebili cupiditate plura, & majora conantur, ut ex congeſta in annos multos pecunia, ex horreis plenis, ex curribus, equis, hortis, palatiis, ex honorificis titulis pretio multo emptis facilè perſpicitis. Cur ergo, ubi de bonis æternis parandis agitur, meta vobis præfigatur, quam tranſilire nolitis? Porrò ſeculi cupiditas à bonis Monachis in argumentum cœleſtis prudentiæ vertenda eſt.

Secunda ratio.

Ratio ſecunda. Viri, qui in ſeculo cordati cenſentur, ſi quid mediocre in regum G aulis quærant, eam vim, ac navitatem adhibent, quæ ad majora ſat eſſe videatur. Si enim mediocri honori mediocrem curam duntaxat impenderent, vix aut nunquam voti compotes evaderent, ſi expertis fides habenda ſit. Quocirca ut tutiorem agendi morem ſectentur, ea ſolicitudine mediocria conquirunt, quæ ad magna ſatis foret; atque ita ſecurius eis res ex ſententia ſuccedunt. Si ergo hic cordatorum virorum mos in temporalibus eſt, cur id prudentiæ genus ad res non traducatur æternas, ut ſecurior earum fiat acquiſitio? An in rebus divinis perquirendis ea deſideretur prudentia, quæ affluenter impenditur humanis?

Tertia ratio.

Ratio tertia. Experientia conſtat, Mo- H nachos etiam fervidos, qui annis prioribus ſupererogationis opera neceſſariis addebant, decurſu temporis conflaceſcere, ac vix neceſſaria opera præſtare. Quid ergo ſi ſub initium ultra neceſſaria nihil majus cogitaſſent? Profectò & è neceſſariis temporis proceſſu aliquid demerent, ut crebris etiam experimentis probatur. Et hæc profectò ratio

Scripta An. 1614. tio experentia confirmata apud ſapientes Monachos hoc efficit, ut grandiora exequi conentur, præſagientes, quod futurum creditur, ut ubi diſciplinæ Monaſticæ pondere ſe fatigatos ſenſerint, omittant aliquid eò uſque ſupererogatum, & quod legitimum eſt, perſeveranter retineant.

Quarta ratio. Ratio quarta. Profectò generoſi animi in A re hac, quam pertractamus, domeſticum, & ſatis efficax exemplum habent B. Tereſiæ Fundatricis noſtræ, cui adeo modicum viſum eſt, quod ex legibus noſtris Deo redditur, ut ſponte rarum illud votum emiſerit, exequendi, quod inter multa occurrentia Deo gratiſſimum crederet. Non enim animo illi grandi ſatis fuit, quæ nobis imperata ſunt, explere, & ut ſibi ſatisfaceret, quod in quovis eventu Deo acceptius eſſet, ſe facturam pollicita eſt. Parum ergo Parenti noſtræ congruunt, qui ſibi metam lege præfigunt.

Quinta ratio. Ratio quinta. Chriſtus Redemptor noſter genus humanum una ſanguinis ſui gutta perfectè redimere potuit: tamen quaſi ruptis fontibus abyſſi magnæ, ac diruptis cœli B cataractis totum profudit ſanguinem, & noſtræ ſalutis ſiti rapidiſſimum dolorum, ac irriſionum torrentem exhauſit. Qualis ergo gratitudo eſt illa tepentium Monachorum, qui fatentur quidem ſe, quæ præſcripta ſunt, efficere velle, nolle tamen majora moliri? Si enim ideò nolunt ampliora, quia legitima ſufficiunt; an minor dolorum acerbitas à Chriſto perlata ad eos redimendos non ſufficeret? Profectò ratio hæc nobiliſſimam orbis terrarum partem domuit, domitamque ad egregia virtutum opera ſine meta præſtanda vehementer impulit.

Vos ergo, Patres, Chriſti caſtra oculis internis luſtrate, & lectiſſima Martyrum, Confeſſorum, Virginum agmina recenſete: comperietiſque permulta, & planè grandia ultra Dei præcepta, & conſilia voto promiſſa patraſſe. Neque enim divina lege, aut Eccleſiaſtica, aut Monaſtica adige- E bantur ad tot, tamque gravia pœnitentiæ opera, jejunia, vigilias, verbera, & id genus alia, quibus parum abfuit, ut modum excederent. Cæterùm ſcriptum eſt: *Si de- Cant. 8. 7. derit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*; atque ita cum Chriſtum amore ſummo diligerent, nihil ſe magnum agere crediderunt, tametſi ſe ipſos amore incenſi laboribus penè conficerent, aut ſanguinem quoque profunderent. Hæc altè recondite, neque diſcretio illa, ſive prudentia, quæ virtutum eſt moderatrix, vos ab hoc propoſito retardet. Si enim grandia conceſſu Prælati tentetis, prudentia minimè deerit, uti deeſt iis, qui arbitratu proprio virtutis opera emetiri geſtiunt. Qui verò obedientiæ ductu reguntur, non eſt cur ſcopulus formident, cum Deum moderatorem, ac fautorem nacti ſint, majoraque interdum efficiant, quàm ſe præſtare poſſe putaſſent. Chriſtum ergo impensè diligite, & vos totos obedientiæ credite, grandiaque audete: ut Chriſtus ipſe rediens coram univerſi mundi theatro vos ampliſſimis honoribus æquus remunerator exornet.

IN SEQUENTEM OPELLAM PRÆMONITIO.

QUÆ duæ ſequuntur Opellæ nil aliud ſunt, quam binæ velut Paſtorales Epiſtolæ ad ſuos miſſæ dum Præpoſiti Generalis munere Ven. Auctor fungeretur, quæ una cum alia in fine ejuſdem Præfecturæ ſcripta in ſecundo Tomo Editionis Colonienſis a pag. 750. continentur, ex Italico in Latinum translatæ per P. Paullum ab omnibus Sanctis, eademque in ſuo Italico originali leguntur in ſimilium Epiſtolarum Præſidum noſtrorum Conlectione, Mediolani edita an. 1617. in 4°. ſub num. II. & III. niſi quod in ſecundo illo Operum Tomo deeſt alia quædam præambula brevior Epiſtola, quæ heic refertur Prologi inſtar, qua alteram de Cuſtodia Legum *Tractationem ad omnes Italiæ Praeſules mittit, quæque a nobis nunc primum Latine redditur. Apparet autem manifeſtiſſime, eas primo ipſo ſui Regiminis Anno ſcilicet 1611. expeditas fuiſſe. Has ergo quamquam inter Epiſtolas cenſeri poſſent; huc melius transferre autumavimus, tum quod eorum, quæ in ſuperiori Libro acta ſunt, ſumma D quædam videantur, tum quod generalia potius complectantur ad omnes Monaſticæ Iſtitutionis viros argumenta, quam ad Domeſticos Litteras.* H

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA

TRACTATUS DE CUSTODIA LEGUM

PRIOR.

Scriptus An. 1611. Al. Epiſt. 2. in Collect. Mediol.

I. INſtituenti mihi de cuſtodia legum ad Clauſtri diſciplinam tuendam ſcribere, nullum aptius occurrit exordium, quàm cuſtodiæ ipſius contemplatio, atque deſcriptio. Nihil enim ad reliquam orationem, & rerum executionem lectorum animos æquè allicere poſſe videtur, ac obſervationis legum meditatio: ſuccedet autem honeſti, utilis, ac delectabilis boni, quod ibi ſuccreſcit, expenſio.

II. Principio igitur cum obſervatio, ſive cuſtodia hæc nihil aliud ſit, quàm rationalis creaturæ per increatam rectitudinem directio, & humani cordis cum divino corde conjunctio: profectò manifeſtum efficitur, viros Clauſtris incluſos, ad ſtudium cæleſte legum ſpiritualium, quibus Chriſtiana perfectio paratur, ſorte vocatos, honeſtiſſimam conditionem in Eccleſia conſecutos. Quid enim glorioſius viro Religioſo potuit evenire, quàm ſublata propriæ mentis fragilitate, ac obliquitate, ad firmiſſimum, ac rectiſſimum mentis divinæ ſtatum, è quo primus homo exciderat, divinis inſtructionibus erigi? Divinis inſtructionibus, inquam: leges quippe Monaſticæ (eæ præſertim, quas Congregatio noſtra colit) non legum ſeveritatem, ſed inſtructionum lenitatem exhibent, & ob ſuavitatem ſpiritus ibi latentis, mites animos non terrent, ſed ſolantur.

III. Sub hoc igitur initium, harum legum Monaſticarum obſervatio quàm ſit honeſta, cogitandum, & animo imprimendum eſt. Ne verò quæ Clauſtri propria ſunt, cum iis, quæ ſunt univerſis Chriſtianis communia, confundamus; beneficium illud planè ſupremum divinæ legis, ſeu veteri Teſtamento acceptæ, ſeu novo gratiæ Teſtamento à Jeſu Criſto Domino Noſtro latæ, leviter attingentes, ad peculiarem dignationem, qua Clementiſſimus Deus Cœnobiticum Inſtitutum regit, accedemus.

IV. Magnitudo quippe dignationis hujus tanta eſt, ut omnem ſuperet eloquentiam, & infinita viris Religioſis claritatem, ac dignitatem conciliet. Nam præter Chriſtiani populi nobilitatem pretioſiſſimo Chriſti ſanguine partam, quæ divinis legibus regitur, & excolitur, contulit Dei providentia ſtatui Monaſtico ſublime quoddam gubernationis genus, quo is adiutus, & erectus, per leges puriſſimas, ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium, velut aquila terram faſtidiens, convolaret.

V. Et ſanè ſummæ nobilitatis argumentum eſt, earum legum obſervatione clareſcere, quæ notam omnem terrenæ contagionis expungat, & Deo ipſi, qui ſublimitas, & nobilitas ipſa eſt, animos propinquiores efficiat. Si enim Hebræi populi antiquam laudem velimus expendere, in eo præſertim poſitam perſpiciemus, quod ipſe ex univerſo Adæ genere à Deo cooptatus fuerit, ut legem ſcriptam cuſtodiret. Cætera quippe temporalis felicitatis privilegia, quibus Hebræi fruiti ſunt, eò direxit Deus, ut legi cælitus latæ parerent, ſicut ſcriptum eſt: *Dedit eis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant.*

Hebræorum laus, quæ?

Pſal. 104. 44. 45.

VI. Hinc extitit non vetita jactantia illa: *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi;* & illa: *Non fecit taliter omni nationi.* Omnes nimirum, qui ex antiqua gente illa divinæ lucis radiis ſplenduerunt, vehementer admirati ſunt, à Divina Majeſtate illa, ſub qua curvantur qui portant orbem, & quæ tribus digitis molem terræ appendit, ſtirpem Abrahæ honorificè valde amicitiæ divinæ titulo decoratam, & peculiaribus legibus inſignitam.

Deut. 4. 7. Pſal. 147. 20.

VII. Hinc legiſlatio Sinai montis ritu perpetuo culta, & intima gratitudine, ac feſtorum ſolemnium dedicatione celebrata, cordibus Patrum Teſtamenti veteris inſedit: immenſum quippe divinæ dignationis pondus animi rerum divinarum conſcii ferre non poterant, & cantu ſacro laudabant. Quod unus pro millenis teſtibus Propheta regius evincit: qui legem à Deo latam tanti fecit, ut in volumine Pſalmorum divina ſuavitate fœcundiſſimo, tum alibi, tum præſertim Pſal. 118. vix aliud cantet, aut celebret, quàm legem, judicia, teſtimonia, mandata, vias, juſtificationes, præcepta, & alia permulta ejus generis nomina, quibus rem unam, hoc eſt, legem à Deo acceptam, ſibi cordi eſſe, dulciſſima modulatione teſtatur.

Pſal. 1. Pſal. 118.

VIII. Et profectò vix mitiſſimus, & planè dignus Rex Hieruſalem, cor fidele nactus, ut per omnia Deo congrueret, legiſlationis divinæ beneficium, quo Deus Iſraelem univerſis nationibus antepoſuit, jure optimo celebravit, & obſtupuit: & tanti boni magnitudine incitatus, gratitudinis ergo gò ſic ſemetipſum aſtrinxit: *Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*, ut ſe tanti muneris memorem jurejurando firmaret.

Scriptus An. 1611.
Pſal. 118. 106.

IX. Jam verò, ſi veteris Teſtamenti animi divinæ bonitatis, ad inſtruendos legibus homines tam propenſæ, vim ſenſerunt; quid de novi fœderis viris, quibus ipſe unigenitus Dei Filius factus homo leges amore, ac luce divina plenas tulit, aſſeremus? Quàm cupidè & Apoſtoli, & Eccleſiæ militantis acies tota, ex ore Jeſu Chriſti, qui ſola olim aperiebat ora Prophetarum, verba vitæ hauſit, & ad fidiſſimam obſervationem arripuit! Quàm altè lex Domini immaculata, convertens animas novo gratiæ jure juſtorum animis ſe ipſam impreſſit? Eloquia Domini, eloquia ſcilicet caſta ſuper argentum igne examinatum, nullo vel apice, vel cæremonia excepta, quàm arctè cordibus electorum adhæſerunt?

A

Lex Domini immaculata dicta.

X. Porrò ritus omnes, quos ab ſponſo ſuo Jeſu Chriſto intemerata Eccleſia recepit inviolata fide, ac conjugali fœdere ſervat, & jota unum præterire, velut immane piaculum, horret. Tanti quippè fieri debuit piiſſima legiſlatio, & rerum quoque minimarum accurata præſcriptio.

B

XI. Et quidem leges in gratiæ fœdere ſancitæ ad univerſos homines erudiendos deſtinantur, populumque totum infinita divinæ bonitatis propenſione devinciunt. Sapientia enim in mediis plateis clamitat, & omnes amanter iſtruit, ut convertat cor Patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum. Etenim à ſummo cælo egreſſio ejus; & occurſus ejus (peracto circulo) uſque ad ſummum ejus, & cum omnia luſtraverit, non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.

Pſal. 18.

XII. Hæc ſanè omnia bona quantumvis magna, communia ſunt, & iis ſolummodo perpenſis rogare poſſemus: Quid ultrà debuit Clementiſſimus Deus facere vineæ ſuæ, & non fecit? ſatis multa profectò fecit, & mirum eſt, quomodo illa pluſquam Monaſtica perfectio, quæ in primæva floruit Eccleſia, ad hæc uſque tempora non fauſtè procurrerit. Prærogativa nempe populi Chriſtiani in Jeſu Chriſti peculium adoptati, & lege gratiæ muniti, tam inſigniter illum honeſtat, ut erret enormiter, & intolerabilem deformitatem incurrat, quoties legi tam cæleſti, tam illuſtri, tam ſuavi, non obtemperat.

C

XIII. His ergo gradatim expenſis, ultrò eminet, ac jamjam ſeipſam oſtentat Monaſticæ profeſſionis gloria, quam dulciſſimus Deus conſtituit ſuper excelſam terram ſæculari vita multò altiorem, ut ſugeret divinæ dulcedinis mel de Chriſti petra, oleumque lætitiæ de auſteræ vitæ ſaxo duriſſimo. Tanta ſanè celſitudo eſt, quam divina ſapientia peculiari vitæ Monaſticæ legiſlatione conſtituit, ut nihil ab homine in hac mortali vita glorioſius excogitari potuerit.

D

Vita Monaſtica ſæculari multò altior.

XIV. Omnes quippe diei, noctiſque totius horas Clementiſſimus Deus emenſus eſt, & ad ſingulos diſciplinæ Cœnobiticæ actus, tam providè, ſuaviterque totum Religioſorum cœtum, ſingulosque Monachos moderatur, ut ſingulorum Pædagogus eſſe, ſingulorumque animos excolendos ſuſcepiſſe videatur, & quaſi cæterarum creaturarum oblitus, totus ille uniuſcujuſque Religioſi bonum intentiſſimè procuret. Exploratum eſt enim Clauſtri leges ita ſingulis Monachis, dulciſſima Dei Providentia, & ſuperiorum ductu coaptari, ut, quod ſummi orbis terrarum Principes primogenitis ſuis per educatorum ſtudia præſtant, id eis à ſuprema Dei Majeſtate per leges ſuaviſſimas, & paterna Prælatorum mandata præſtetur.

Mira Dei dignatio in Religioſos.

E

XV. Qua in re illud in primis ponderandum eſt, & perenni grati animi ſacrificio celebrandum; non leges graviores tantùm, aut graviora Prælatorum juſſa; ſed rerum quoque minimarum inſtructiones, ac mandata, minutiſſimas quoque cæremonias, & Congregationis ritus, divini conſilii, divinæque voluntatis inſcriptum præferre, adeò, ut quicumque ſpirituales cordis oculos nactus eſt, divinam voluntatem in re quantumvis exigua, à Congregatione uſurpata, velut aureis litteris inſcriptam legat.

F

XVI. Quod profectò adeò compertum eſt, ut non in eis tantùm rebus, quæ ad animum excolendum pertinent, ſed in iis etiam, quibus corpus reficitur, eo ipſo quod res à Congregatione præſcriptæ ſint, Dei voluntas expreſſa reſplendeat: quo nihil ad animos ſolandos efficacius dici poſſe videtur. Si enim ea, quæ corpori placent, non arbitrio humano, ſed divino conſilio, inſpiratis à Deo legibus, decreta ſunt (divina bonitate corporum quoque ſibi famulantium curam gerente) quis non videat, nihil in Monaſticis legibus, & actibus non ſanctum, non Deo gratum, non ſalutare contineri? imò quis non videat, ſuaviſſimum Deum ſingulorum Monachorum educatorem eſſe, & ad ſingula penè momenta quid fieri debeat, amantiſſimè dictare?

Monaſticæ leges Sanctæ adpellatæ.

G

XVII. Nunc ergo validiſſimæ rationis hujus firmamento Monachos ſingulos convenire vellem, ac timoratas conſcientias interrogare, an honorificum ſibi ducant, ad ſingulos actus Dei ducatum ſequi, & conſilio Dei collum ſubdere? An dæmoni tranſgreſſionem ſuggerenti morem gerere, honeſtum exiſtiment? Conſtat enim oraculum illud: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: Qui non colligit mecum, diſpergit*. Honeſtiſſima proculdubiò Dei eruditoris noſtri educatio eſt, à qua quicumque recedit, eodem pondere ſe in Dæmonis ſervitutem infeliciter detrudit.

Luc. 11. 23.

H

XVIII. Hæc ſapientia juſtorum eſt, quibus ad ſingulas actiones Deus præſentiſſimè adeſt, ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans. Si enim ſapientia eſt cognitio rerum per altiſſimam cauſam; neceſſe eſt, ſtudium cu-

Deut. 32.

Sapientia, quid?

Scriptus An. 1611.

ſtodiæ legum, ubi cauſarum cauſam intellectus ſpeculatur, ut per eam, & ad eam, ſuos actus dirigat & perficiat, veram eſſe ſapientiam, eò certè majorem, quò major inde exiſtit vitæ, ac morum rectitudo.

A

XIX. Propter hoc, viri ſapientia laudatiſſimi, abjurato ſeculo, quòd ad actus ſingulos, quid Deo acceptum eſſet, in eo ſtatu dignoſcere non valerent, ſub umbra alarum Dei perſeveraturi, ſe ipſos velut excæcantes, ne fortè arbitrio proprio fallerentur, Clauſtra cupidiſſimè petierunt; & quoddam felicitatis genus ſe paraſſe putarunt, leges ſuaviſſimas, & puriſſimas, quibus horarum ſingularum exercitia præſcribuntur, dies, ac noctes ſervaturi. Nihil enim viris ſapientibus æquè honeſtum viſum eſt, ac frequentiſſimè noſſe conſilia Dei: quid ſcilicet Deus ab eis inter hujus vitæ perplexitates exigeret, quem actum aliis anteferret.

B

Prudentia Religioſis commendata.

XX. Et verò, licet humano more grandem hanc rem penſitemus, facilè patebit, non ex capite ſapientiæ ſolùm, ſed ex prudentiæ ratione altè perpenſa, nihil Religioſo viro, ad vocationis ſuæ metam attingendam, accommodatius exacta legum obſervatione inveniri poſſe: & ex hoc ipſo capite omnes Clauſtri cultores Deo quàm plurimum debere, quod ad finem, quò tendunt, tutò, brevi, facilèque per leges Monaſticas pertingere valeant. Cum enim apud ſæculares ſummæ prudentiæ tribuatur, noſſe media, quibus in Prælationem, ſeu Principatum aliquem compendio perveniri poſſit; profectò divinæ prudentiæ vertendum eſt, noſſe, ac certò noſſe, ſuaviterque obſervare poſſe clauſtri leges, quæ non ipſorum Monachorum, ſed Dei conſilio, ad Regnum quò feſtinamus, parandum appoſitiſſimæ ſunt. Mirum eſt ſanè, quam ſedulò filii hujus ſeculi, prudentiæ fama, non veritate clari, modos innumeros gratiam Regum aucupandi, & ſuam qualemcumque felicitatem venandi perquirant, & quanto rubore imprudentes Chriſti ſervos iniqua comparatione ſuffundant.

C

Lacedemonii, eorumque prudentia.

XXI. Quid dicam? Humanæ prudentiæ fuit, ad temporalem felicitatem comparandam Lacedæmonios, à Lycurgo legibus excultos, florentiſſimam urbem, non mœnibus, ſed legum cuſtodia condere, & officioſo mendacio decipi, conditore ipſo ſuas leges à cœlo lapſas, & à Numine quodam ſuo acceptas ſimulante, ut religioſiùs obſervarentur. Obſervatæ ſunt: ſatis diù cuſtodia floruit; & tamen ea prudentia nec legiſlatorem, neque cives fideliſſimos ab incendio ſempiterno liberavit. Quod & de Athenienſibus, & Romanis, quoad leges conditas, & cultas æquè aſſerere poſſemus. Si ergo ethnici homines, æternis flammis urendi, tam diligenter legibus ab homine infelici latis paruerunt; cur viri non modò Chriſtiani, verùm etiam Religioſi, & in ſortem Dei adoptati, leges dulciſſimas à vero Deo inſpiratas, quibus immortalem vitam paraturi ſunt, ſegniter cuſtodiant?

D

Athenienſes, & Romani, eorumque prudentia.

XXII. Quomodo obſcuratum eſt aurum, & mutatus auri color optimus! Quomodo diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Dolendum profectò prodigium eſt, tot Clauſtra olim Deo ſacrata, & exactiſſima legum obſervatione inſtituta, legum ſuarum neglectu inclinata, & penè collapſa videri. Prælati non ceperunt vulpes parvulas, quæ demoliebantur vineas, & ſucceſſu temporis efferati quoque apri vineta devaſtarunt. Perſpectum enim, ac diuturna experientia compertum eſt, tantam adeoque funeſtam vaſtitatem non repentè ingruiſſe, ſed à parvis initiis originem duxiſſe, ac Sionis filias, Religiones inquam, olim Virgines, omni decore ſuo turpiter expoliaſſe.

E

Vulpes parvulæ extirpandæ.

XXIII. Norunt certè Religioſi omnes, Monaſticos Ordines Sanctiſſimis legibus primùm inſtitutos: Norunt certè, leges eas ad hunc uſque diem permanere, neque tamen inſignem ſanctitatem paſſim intra Clauſtra reperiri. Mores quippè, non leges mutatæ ſunt: non Inſtituta, ſed cuſtodia legum mutata eſt. Et qui judicio pollet, deformatam Religionem quampiam contemplantes; hæccine, inquiunt, eſt urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ? Væ illis, qui cùm eſſent Filii Sion inclyti, & amicti obſervationis antiquæ auro primo, reputantur modò in vaſa teſtea, opus manuum figuli.

F

Thr. 2. 15.

Ibid. 4 2.

XXIV. Hæc igitur luctuoſa portenta, quæ hac ætate viſuntur, nos extimulare debent, ut pro Legum obſervatione, antequam ſiccetur vertex Carmeli, generosè pugnemus, & in hoc Dei prælio prudentiam noſtram alta deliberatione ponamus. Nullum pactum (præter cæteros homines) cum inferno, & morte pepigimus, ſuſpicemur, Congregationem noſtram in cuſtodia legum in æternum permanſuram. Claruere nempe alii nobis meliores, quorum calor intepuit: nobis ne idem infeliciùs, quàm illis eveniat, enitamur oportet.

G

XXV. Hoc ſcilicet animo pertractandum eſt, aliorum caſu nos fieri debere cautiores, ad ſimilia damna, quam longè poſſumus, propulſanda. Quod ſanè conſequemur ſi Religioſus quiſque ad Cuſtodiam legum ſic animetur, pro virili parte ſua, leviſſimam quoque laxitatem exhorreat; & pro ea depellenda, nervos omnes intendat, neque ullam requiem, donec parvulum vulpem capiat, invenire velit. Hæc enim generoſitas Filios Dei, ac Beatiſſimæ Virginis alumnos decet, ut cum obſervantiæ detrimento nihil boni parare, nihil mali vitare velint, ſeu victus, ſeu veſtitus, ſeu habitationis, ſeu exiſtimationis, ſeu vitæ quoque ipſius cauſa tractetur. Quale enim id cor, quam profanum eſſet, quod oblata levis commodi ſive honoris occaſione, (qualis Religioſis frequenter occurrit) mallet ſibi conſulere, & ſcientiam Dei repellere, quam in promiſſa fidelitate perſtare?

Generoſitas, quæ commendata?

H

Quam

Scriptus An. 1611.

Quam, obſecro, partem haberet Deus in animo illo, qui res modicas cæca mente non curaret, & leves Conſtitutionum, ſive Inſtructionum traſgreſſiones deglutire aſſueſceret? utinam abſcindantur, ſi qui ſunt, qui virgineum Congregationis candorem ſic obſcurant! Tollatur impius, ne videat gloriam Domini, niſi fortè ſupervivere ſinendus ſit, ut videat, & confundatur.

A XXVI. Benè profectò eſt, omnibus votis nos omnes cupiamus, & Clementiſſimum Deum deprecemur, ut qui cuſtodiæ legum operam minimè navant, de medio tollantur, ne aliorum pia ſtudia relaxentur, & Dei gloria obtenebretur. Genus enim quoddam extremæ dementiæ id eſt, quod in Clauſtro ferri non decet: dementiæ, inquam, genus eſt; vix enim homo quantumvis ferus, niſi inſanus ſit, legum Monaſticarum obſervationem vilipendere poſſe videtur. Cùm enim poſt multa conſilia, ſæculo renuntiaverit, & quinque juga boum, hoc eſt, quina ſenſuum pondera excutere conſtituerit, ut ſpiritui ſerviret: quomodo, ſi amens non eſt, leviſſimum legis Monaſticæ B onus, quo bonum omne complectitur, & malum omne vitat, ferre recuſat?

Quinque juga boum, quid?

XXVII. Pondus rationis, & admirationis hujus hoc eſt: quoties actus aliquis vitæ communis, ac Regularis exercendus occurrit, fert ſecum expreſſam Dei voluntatem, ac ſi Deus ipſe corporeis oculis ſpectabilis, verbiſque aure corporea perceptibilibus actum eum Religioſo injungeret, ac profiteretur, ſe ab eo tunc temporis, non modò alia obſequia non requirere, ſed apertè nolle, aliud quippiam, quantumvis pium aut egregium, præſtari. Quod à viris ſapientibus neutiquam dubitari poteſt, cum eo ipſo, quòd animum ad opus unum deſignatum Deus vocet, tantundem agat, ac ſi ab aliis omnibus disertè avocaret; cum opus illud unum deſignatum, ſi perfectè exercendum ſit, prout à Deo repoſcitur, totum C hominem ſibi vendicet. Cum ergo juxta doctrinam hanc, in uno deſignato actu, quem Deus voluntate ſua inſignivit, totum Dei beneplacitum Religioſus complectatur: profectò & totum bonum amplecti cenſendus eſt, cum nihil veri boni contra Dei placitum ei accidere poſſit; ſi autem totum bonum, quod tunc in mortali vita ei accidere valet, uno actu illo comprehendit; abſque dubio, & totum malum, quod ei tunc evenire valet, excludit: quod alta mente reponendum eſt.

XXVIII. Propterea quippe Inſtituti Monaſtici conditores, ac Majores noſtri, ut paucis plurima diſciplinæ ſpiritualis D præcepta concluderent, nihil junioribus Monachis impenſiùs commendabant, quàm, ut ad unumquemque Clauſtri actum vires omnes ſuas, ſenſuſque contraherent. Cum enim actum quemlibet deſignato tempore à Deo iniunctum circumſpicerent, & omnes alios licèt eximios tunc prohiberi animadverterent, diligentiſſimè ſtudebant unum illum totis viribus amare, cæteros omnes tunc non amare, ſed odiſſe.

XXIX. Ex quo apertè perſpicitur, quàm graviter aberrent, qui ordine perturbato, cum horis, exempli gratia, canonicis interſunt de injuncta ſibi concione, ſcriptione ſeu lectione, aut de quovis alio actu poſtmodum obeundo ſolliciti ſunt. Gens profectò ſine conſilio eſt, & ſine prudentia, E utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Si enim attentè meditarentur, quid tunc agant, & quò Deus per actum illum præſentem eos vocet: grande malum ſollicitudinis intempeſtivæ repellerent, & Deo ſe totos adaptarent. Mens nimirum Clementiſſimi Dei eſt actu illo lege præſcripto animum ſibi tunc medullitus intentum adſtringere, & ad inſignem ſpiritualis vitæ perfectionem promovere.

XXX. Neque ſanè timendum eſt, ne tunc alicujus boni majoris jactura fiat: ſi enim unicus ille actus unicum, ac totum bonum, tempore illo, à Deo mihi proviſum eſt, nullius boni majoris detrimentum pati poſſum; nec ullum malum formidare debeo. F Ultimum quippe malorum terribilium mors eſt, & tamen genus felicitatis foret, tunc ſanè mori, cum quis Dei placitum ab ipſo Deo iniunctum, & requiſitum exequitur. Moriatur certè anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilium.

Ultimum malorum terribilium quale?

XXXI. Sed quid de internis ſolatiis addemus, quibus fideles legum obſervatores affluunt? profectò quicunque intra Clauſtrum, hanc cuſtodiæ legum rectiſſimam regulam ſequuti ſunt, pacem ac voluptatem, quæ exſuperat omnem ſenſum, & quoddam futuræ Beatitudinis initium præguſtarunt. Nam vera bona à falſis ſecernentes, neque litteraturam, neque famam, neque ſanitatem, neque vitam magnifecerunt, dummodo cuſtodia legum, quoad per eos fieri poterat, illæſa conſtaret, cui cœleſti cordis libertati gaudia divina ſpe gloriæ altè defixa ſucceſſerunt. G Hæc ſunt agmina ſexaginta fortium Jſrael, qui lecti Salomonis cuſtodiæ præſunt; qui neque aliis, neque verò ſibi parcunt, ut promiſſam Deo fidem inculpatiſſimè ſervent. Quocirca Clementiſſimus Deus inter ipſos cuſtodiæ labores illos roborat, ac cœleſti voluptate perfundit, ut in fœdere ſancto diutiùs perſeverent.

Legum cuſtodia commendata.

XXXII. Huc nos aſpirare, ad hanc gloriam animari opus eſt, ut pro tuenda legum obſervatione, quiſque noſtrum fortiſſimè depugnet, & rationes quaſvis obſtantes communis boni zelo diſiiciat: ſive enim H in Patrum cœtu communiter agatur, ubi de legis alicujus obſervatione ſermo fiat, ſive privatæ occaſiones occurrant, ubi de rigore legum quidquam remitti poſtuletur, ſive graves tentationes urgeant, ut quis aliqua licentia utatur, ſive morbi, aut laſſitudines moveant, ut præter legem ſenſui aliquid indulgeat, ſive quavis alia ſub for-

Scriptus An. 1611.

forma noſtræ ſalutis hoſtis, vel palàm pulſet, vel clam ſe inſinuet: veri Monachi partes ſunt, in quovis horum eventuum, non adverſus perſonas, ſed adverſus remiſſionem vehementer excandeſcere, & pro communi bono certare. Non erit certè de ſanguine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael, qui adverſus Antiochi ſatellites cum Mathathia non commove- A tur, & cujus renes non exardeſcunt ſecundum judicium legis. Nec verò inter primos Dei amicos recenſebitur, qui cum Eleazaro, non citò reſpondet, præmitti ſe malle in infernum, quam legis apices violare, velleque proinde honeſta morte perfungi.

XXXIII. Cum igitur occaſio tulerit, aut Regulæ, aut conſtitutionis alicujus tranſgreſſioni aſſentiendum, aut etiam de ritibus Congregationis quidquam remittendum, indignus ſanè Religioſi nomine, Deoque ac veris Monachis inviſus erit, qui è noſtris, quod ad ſe attinet, legum cuſtodiam ſenſu, verbo, ac opere non fortiter propugnaverit. Unum autem importuni prælii B genus, & inter omnia nocentiſſimum eſt, quod rationes politicæ, neſcio quo jure in Clauſtrum ingreſſæ, veros Religioſos infeſtare ſolent, cum à ſeculi Principibus, vel ab aliis viris Illuſtribus aliqua parum ſtatui Monaſtico congruentia petuntur, quaſi nobilitas, aut potentia ſeculi generoſis Religioſorum animis debeat imperare: ſed abſit hoc à Chriſti militibus juratis, qui ſemel ſeculum contempſerunt, & in cælum ſuſpirarunt. Cedant alii qui honores, vel lucra temporalia captant: filii autem Dei tanquam generoſi catuli ex antris exilientes, arcem cuſtodiæ legum à mundi ſuggeſtionibus tueantur.

XXXIV. Verùm alia fortaſſe non minùs acria bella ab amicis, aut conſanguineis imminebunt: ſæpè enim ob neceſſitudinem, C aut conſanguinitatem, cum quodam pietatis prætextu, ſyncerus legum ſenſus detorquetur, ut paſſioni immoderatæ ſubſerviat, ſed avertat Deus à Beatiſſimæ Virginis Filiis, ut ob ullum quantumvis pium obtentum in almam Parentem, Congregationem inquam noſtram velint eſſe crudeles: ſive igitur aliquis veſte noſtra induendos, ſive profeſſionem emiſſurus, ſive quid aliud apud nos, vel noſtri cauſa acturus ſit, ne ſimus fidei proditores, & domeſtici Congregationis hoſtes.

XXXV. Sanè modicam expectationem de ſe movebunt, qui modò nihil, aut leviter tentati legum obſervationem aut deſerunt, aut remittunt, ſi ad exteras nationes diſciplinam noſtram condituri mittantur. Non D enim deerunt viri apparenter prudentes, viri potentes, ac Principes, qui pro Regnorum diverſitate laxitatem aliquam perſuadere nitantur. Quin etiam, & Prælati fortaſſe alii, & viri pietatis fama inſignes temeritatis arguent Fratres noſtros, quòd eaſdem leges in Italia ſuaves, in Septentrione exempli gratia, nimium arbitratu ſuo ſeveras ad unguem obſervare velint: promentque rationes arte coloratas, quibus animos parum fortes commoveant. Verumtamen procul abſit ſuggeſtio hæc, & pietas artificioſè picta. Armentur potiùs milites noſtri amore legum, & fidei rationibus adhæreſcant; certoque ſibi perſuadeant, fruſtra ſe de miſſionibus cogitare, quantumvis doctrina & eloquentia & aliis E dotibus exculti ſint, ſi cuſtodiam legum, quaſi armaturam primam non acquirant. Exurgat Deus, & diſſipentur laxitatis fautores inimici ejus; & fugiant, qui oderunt legum obſervationem, à facie ejus.

XXXVI. Utinam hæreret intimis viſceribus doctrina hæc, & nullus humanitatis ſenſus pro tuendis legibus, ac cæremoniis in fratribus noſtris appareret. Utinam parentes, cognatos, propinquos, amicos, ſeque ipſos animoſè negarent, ut quicquid ſanctum in Congregatione noſtra à majoribus noſtris conditum, & nobis quaſi teſtamento relictum eſt, ad poſteros noſtros immaculata generatione tranſmitterent. F Profectò benedictiones Patrum noſtrorum apparerent capitibus noſtris, ſicut in vertice Joſeph, & in capite Nazaræi: Lucerna Dei ſplenderet ſuper nos, & ad lumen ejus incederemus in tenebris. Unus è nobis perſequeretur mille, & duo fugarent decem millia. Campi noſtri replerentur ubertate, & pingueſcerent ſpecioſa deſerti.

XXXVII. Utinam inter nos furor quidam ſobrius flammeſcat, ut unanimes, idem ſentientes, & in unam legum cuſtodiam conſpirantes, quicquid à noſtris legibus alienum eſt, anathematiſmo quodam execremur: & divinæ bonitatis amore, ad eam juxta leges nobis traditas colendam incendamur. Aderit illa quidem, nec fidelibus animis ſubtrahet auxilium: verùm colendæ legis ſtudium accuratiſſimum à nobis cum divinæ gratiæ adiutorio adhibendum eſt. G Quod certè præſtabimus, ſi verborum legis intellectui ſyncero, ac planè litterali aſſueſcere curemus. Nihil enim eſt, quod, ſub ſpecie recti, leges ſaluberrimas tam facilè ſubvertat, quàm proclivitas ad interpretandum, qua multi laborant; vix enim quidquam integrùm, & incorruptum relinquunt; ſed ad propriam voluntatem explendam, in textu quoque ſimpliciſſimo multiplices ſenſus velut allegoricos, nedum tropologicos inveniunt.

Legum ſubverſio, quæ?

XXXVIII. Cæterùm ſpiritus hic non divinus, ſed nimis humanus eſt: quem Deus a Clauſtris longiſſimè avertat. Profectò mites animos decet à legum interpretatione abſtinere, nec officium legiſlatorum uſur- H pare: & ſanè, ſi peccandum ſit, minùs detrimenti ſimplex verborum intellectus, quàm interpretandi licentia pariet. Hæc enim arrogantis animi, ſed ille manſueti ac humilis indicium eſt.

XXXIX. In verba igitur ſyncero ſenſu concepta, & expoſita mites animi jurent, ac

Scriptus An. 1611.

ac Monaſticum decorem ex uniformi legum obſervatione ſurgentem per ætates multas, & regna multa protendant. Hæc ſit hæreditas noſtra, & amplum patrimonium noſtrum, quo per univerſum terrarum orbem, ſine vanitate gloriemur. A Habemus certè acerrimum calcar B. Virginis, ac Parentis noſtræ Tereſiæ, quæ cum morti proxima inſtantiſſimè rogaretur, ut virginibus, quæ aderant, conſilia poſtrema daret; nihil tam graviter, tam ſeriò, tam ſæpè, ac Regulæ, Coſtitutionumque obſervationem ſupremo ſpiritu commendavit. Et quidem nefas eſt, conſilium illud, à Fundatrice noſtra, divina inſpiratione, prolatum, non ſtudioſiſſimè complecti, & verba illa vitæ, jure hæreditario ad poſteritatem noſtram religiosè tranſmittere.

Quid S. M. Tereſiæ filiabus ſuis in morte commendaverit.

XL. Vacent alii, quos mundus admiratur, humanæ Juriſprudentiæ, apiceſque ſummos ſpeculentur, ut honores vel divitias E avidiſſimè conquirant: nos hanc Jurisprudentiam noſtram, ſine qua verè prudentes eſſe non poſſumus, ſine defectione contemplemur: & cuſtodiam legum noſtrarum exactiſſimam, ritus omnes intemeratos, conſuetudines almas, quibus Congregatio noſtra, velut columba deargentata reſplendet, cum firmiſſimo, ſi oportuerit, mortis oppetendæ propoſito, tueamur.

* PROLOGUS
SEU
EPISTOLA

B F

Ad omnes Cœnobiorum Italiæ Præſides, qua ſequentem Tractatum commendat, ex Italico exemplari, in Conlectione Mediolanenſi anni 1671. Paſtoralium Epiſtolarum inſerto, Latine nunc primum reddita.

Scripta An. 1611. Alias Epiſt. III. Collect. Mediolan. edit. 1671.

PAtrum in Comitiis Generalibus congregatorum plerique, quum ad S. Sylveſtrum (*a*) de extirpandis abuſibus ageretur, ut noſtræ definiunt Conſtitutiones, 3. par. c. 5. num. 1. atque de iis ego nonnulla diſſererem, eadem per me digeſta habere optarunt, & pluries petierunt; arbitrantes maximi eſſe ponderis, quidquid in eo Cœtu, bono totius Congregationis convocato, C actum eſt, exſequutioni mandare. At quum minime tunc huic Patrum voto reſpondere potuiſſem, intelligens vero deinde, non ſolum pietatis eſſe, ſed officii quoque mihi a Domino commiſſi ejuſmodi petita facere, capto nunc demum tempore præcipua illius Congreſſus capita Reverentiæ Veſtræ tranſmitto, ut ea legat, aut coram ſe omnibus Profeſſis Patribus, & Fratribus alicubi congregatis bis, vel ter legi curet, & quidem biduanæ, vel triduanæ exhortationis loco. Quæ omnia ex obedientia præſtabit, ut tam Reverentia Veſtra, quam cæteri merito ex his cumulatiori augeantur. Serio autem Reverentia Veſtra cogitet, eximium, quod Monachis adferre poſſumus, D bonum, illud eſſe, ut aptiora ſemper ſtatuamus, quibus ii ad tenuiorum occurrentium lapſuum turpitudinem, virtutiſque, quam perſequi debent, honeſtatem dignoſcendam excitentur, & illuminentur.

Poſtquam autem has litteras Reverentia Veſtra legerit, aut legi curaverit, Patres, Fratreſque nomine meo commonefaciat, ut Deo fideliter famulentur, nec inferioris hominis ſenſa pernutriant, quandoquidem nihil iis proficient; quum mihi, quamdiu præero, id maxime enitendum ſit, ut, quovis abiecto hominum reſpectu, una in omnibus vigeat virtus, nec iis adſentiri, & favere permittar, qui ex humanis rationibus ſive ad Ordines Eccleſiæ aſcendere, G ſive concionari, ſive confeſſiones Fidelium audire, ſive domum mutare ſatagerent; verum nec aliorum Cœnobiorum facta curioſe veſtigantibus, nec importuna nuncia, lamentis, ac detractiunculis plena ſcriptitantibus: ſed tantum ſinceros obedientiæ, humilitatis, ſolitudinis, ſilentii, litterarum, & aliarum id genus virtutum cultores ſemper ex corde recreare, iiſque præſto eſſe. Quod quidem ita ratum habeant, & inconcuſſum, ut quemadmodum in Monaſtica diſciplina promovenda neminem a me reperient, qui eos magis ſit ſolaturus, ita culpis fovendis, permittendiſve nullus fortius, ac ego, obſiſtet. Quorum ratio ea potiſſimum eſt, quod hæc Evangelii Doctrina H ſit, & conſcientiæ fidelis negotium, cui contradicere ex nullo unquam mundi obſequio fas eſt.

TRA-

(*a*) Scilicet in Comitiis ad Montem Tuſculanum eo an. 1611. habitis.

TRACTATUS
DE CUSTODIA LEGUM
ALTER

In modum Epiſtolæ, ad ſuos Monachos, partim ad conſervandum, & augendum ſpiritum, & regularem obſervantiam, partim ad mala eiſdem contraria evitanda rationes ſuggerens. Omnibus quidem ea Religionibus perutilis eſt, atque iis inprimis, in quibus primus adhuc fervor, & flos viget.

CAPUT I.

Quantopere Religiones, in quibus obſervantia regularis viget, conniti debeant, ne quas imperfectiones quantumlibet leves, in ſe admittant.

Scriptus An. 1611. Alias Epiſt. III. in Collect. Mediol.

NON ſine ratione, Reverendi in Chriſto Patres, Fratreſque cariſſimi, dixit in Canticis Dominus noſter Jeſus, Doctores, Prælatos, & Magiſtros aliorum, animarum culturæ vacantes, alloquens, Cant. 2. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Hæc A Chriſti verba tum ad Eccleſiæ Prælatos, tum ad Religionum Præpoſitos dicta ſunt: ac proinde etiam mihi dicta exiſtimo, cùm Deo Optimo Maximo hanc mihi Reverentiarum, & Caritatum veſtrarum curam committere viſum ſit: vos quippe eſtis velut quædam vinea, quæ jam flores emiſit, cujus mihi culturæ ex obligatione, & debito incumbendum eſt. Itaque prædicta verba debeo ceu quoddam ipſiuſmet Chriſti Jeſu mandatum accipere, quaſi ipſe mihi dicat: vide, ut vulpes parvulas, quæ vineas deſtruere ſolent, capias, & occidas, & vigila ſedulò nequid vinea noſtra, quæ jam floruit, detrimenti capiat; B nam ſi flores intermoriantur, de fructu quoque deſperandum eſt.

Hæc Chriſti monitio, ac præceptum ſingillatim ponderandum eſt; *Capite*, inquit, id eſt, prædæ intendite, nolite dormitare, induſtrias omnes adhibete, laqueos ad prædam hanc illiciendam tendite. Notanda quoque ſunt verba illa, *Vulpes parvulas*, his enim duæ inimici, congregationibus Religioſorum ſpiritualium, & obſervantiæ primævæ tenacium, maximè inſidiantis, nequitiæ, ac verſutiæ deſignantur. Harum prima per verbum *vulpes* denotatur. Sunt autem C vulpes inprimis aſtutæ, pluſque nocent aſtutia, quàm feritate, & violentia. Denotare ſcilicet vult, plus dæmonem florentibus congregationibus Religioſorum aſtu, & doloſis tectinis, quàm vi aperta, & violentia nocere. Novit ipſe quippe, homines in virtute ſolidatos, & exercitatos, apertis ſe tentationibus, & oppugnationibus in oculum incurrentibus expugnare non poſſe, atque ideo, arte aliqua, & tecto dolo ſibi opus eſſe, quò paulatim animam decipiat, & eò, quò intendit, affectum tandem rapiat. Ita ſcilicet vulpes illa, ſalutis noſtræ adverſaria, facere ſolet. Sed in eo non ſiſtit: videns namque, Religioſos velut exarmatos, in diſciplina Monaſtica nonnihil ſegneſcere, ſub vano cujuſdam convenientiæ, in variis materiis parvis, prætextu eos tentat: atque hæc eſt ſecunda ejus malignitas, indicata per verbum, *parvulas:* tamquam ſi ad nulla graviora mala eos, ſed tantùm ad D parvas quaſdam imperfectiones vellet inducere, inobedientiam ſcilicet, aut violatæ humilitatis, aut neglecti ſilentii, aliaſque id genus plurimas: quæ etſi ſingulæ per ſe parvæ ſint, ſi tamen adeò frequentes ſint, & multiplicentur, magnam edunt ſtragem, & pulcherrimum obſervantiæ florem, & conatum ad perfectionem, ac fervorem ſpiritus auferunt, utpote qui cum tanta imperfectionum frequentia, & numero benè conſiſtere non poteſt. Adeò ut, quamvis vulpes parvulæ ſint, vineas tamen demoliantur, è quibus Chriſtus Dominus E lectiſſimum virum, ſuoque palato ſapidiſſimum exſpectabat. Quamobrem conſultum fuerit, Patres, ac Fratres mei, ut quotquot ſumus, qua poſſumus diligentia, vulpes haſce parvulas inſectemur, & obſervantiæ florem, & ſpiritum, quem Dominus huic Congregationi communicare dignatur, ſummo ſtudio, & conatu conſervare ſtudeamus, eas ſcilicet imperfectiones fugiendo, de quibus in ſequentibus ſumus capitibus, divina juvante gratia, locuturi.

Vulpes, ejus natura.

Vulpes parvulæ, quid?

CAPUT II.

De Imperfectionibus circa legem Dei, deque earumdem remedio.

F

NIhil magis in Communitatibus Religioſorum, Domini noſtri Jeſu Chriſti oculos offendit, quàm vel obliviſci, vel parum curare ea, quæ ad legem divinam ſpectant, non quidem in magni momenti, & gravioribus caſibus, (qui, Deo largiente, hìc locum non habent) ſed etiam in leviori-

bus

Scriptus An. 1611.

bus. Dæmonis id accedere aſtu & induſtria ſolet, inordinatis quibuſdam paſſionibus vel zeli indiſcreti, vel alicujus oppoſitionis è naturali conditione manantis, vel alicujus differentiæ opinionum, aliiſque id genus cauſis, quæ ſubinde etiam in Religioſorum ſpiritualium animis occurrunt, Religioſos excæcantis. A Ab his cauſis, quæ nonnunquam honeſto aliquo, pioque prætextu velantur, tamquam ſi aliquod in proximo malum impediendum, aut aliquod bonum procurandum foret, multæ imperfectiones tum animi, tum linguæ in Religioſis naſcuntur; quibus ſi remedium adhibere negligant, magnum hæ damnum adferunt, mutuam caritatem violant, & concordiam diſſolvunt, ſine qua obligationi, ac debito ſtatus Monaſtici, quem profitentur, commodè ſatiſfacere nequeunt.

Religioſorum imperfectiones, quæ?

Imperfectiones autem hæ ſunt animi quædam averſio, quæ leviſſimis è cauſis, & occaſionibus oriri ſolet; deinde parum caritativè, ac modeſtè de aliorum cùm rebus, tum factis loqui; talia quoque ad alios foris Conventus perſcribere; B rigidum factorum & operum proximi cenſorem agere, atque aliæ ſimiles imperfectiones, quæ perfectionis ſtudio, & acquiſitioni remoram magnam iniicere ſolent. Deberent ſanè Religioſi illi, qui paſſiones ſuas licenter ſequuntur, advertere, quidnam ipſi in aliis Diſciplinæ Religioſæ materiis faciant, & dicant: nam verbi gratia, magnas turbas coram univerſa Congregatione ciebunt, quod ſecundò campana pulſata non ſit, vel parva aliqua cæremonia, quam Rituale præſcribit, omiſſa ſit; & non intelligunt, quantò pluris interſit, affectum cum proximo ſuum componere, benè de illo loqui, inordinatos affectus, quos ipſi contra, vel præter caritatem proximi ſentiunt, aliis tam verbis, quàm ſcripto non ſignificare. Vera quippe caritas de proximo non cogitat, vel ſuſpicatur malum: C & conſequenter, quicumque malum non cogitat, malum etiam non loquetur, vel faciet. Huc trahi non incommodè queat illud Domini Jeſu de Scribis, & Phariſæis pronuntiatum; *Væ vobis, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem*; id eſt, qui facitis ea, quæ parvi ſunt momenti, perinde ac ſi illa ad veſtri juſtificationem ſufficerent; & quæ pluris interſunt, omittitis, dum in juſtitiam peccatis, caritatem violatis, & fidelitatem infringitis. Hæc ſunt, quæ præcipuè facienda ſunt, ut tamen non omittantur alia, quæ obligationis ſunt; uti D Dominus commonet verbis in loco præallegato proximè ſequentibus, dicens, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Horrenda illius ſententiæ, quam ad Scribas & Phariſæos Chriſtus protulit, pars ad Religioſos imperfectos pertinet, pro majori, vel minori imperfectionum ante poſitarum gradu. Nolite permittere, Patres, ac Fratres mei, ut hæc peſtis caritatis deſtructrix in Congregationem noſtram, quæ hodie per Dei gratiam floret, & in ſimplicitate & candore animi incedit, intret; ſed date operam, ut animi ſemper erga alios compoſiti ſint, quia per Dei miſericordiam nullæ ibi occaſiones ſunt, quæ aliquam in animis adeò piis, rerumque divinarum ſtudio deditis impreſſionem faciant: E ſtudete iis præſentem concordiam verbis, & operibus fovere ac nutrire, quæ veram & cordialem caritatem oſtendant; quin etiam tenerum, fraternum ſemper erga alios affectum exhibete, benè de illis loquendo, illis compatiendo, ſerviendo, eorumque opera, & verba in bonam partem interpretando, illorum item imperfectionem excuſando, ea, ob quæ diſpliceant, diſſimulando, neu quidquam dicendo, vel faciendo, quod aliis grave ſit, aut moleſtum: quæ puncta quamdam maximi momenti doctrinam excludunt, & quæ ſi obſerventur, ſpiritualis Congregationis noſtræ fabrica non ſine magna Dei gloria, & proximorum ſalute aſſurget.

Matth. 23. 23.

Ibid.

F

CAPUT III.

De Imperfectionibus circa obedientiam occurrentibus, illarumque remediis.

RElIgionis forma, ipſa eſt ſincera, & fidelis obedientia: unde etiam diabolus, qui Religioſum ſtatum deformare deſiderat, omni, quo poteſt, modo Religioſorum animos ab excellentiſſimæ hujus virtutis cultura alienare ſatagit: adeò ut multi, qui initio veri obedientiæ cultores erant, eò aliquando infirmitatis, in intellectu, & voluntate, quo ad hanc partem redigantur, ut vix unquam bene de ſuperiorum juſſis ſentiant, niſi fortè tum, dum quæ imperantur, per accidens cum illorum guſtu coincidunt, & arrident. G Inde tantam ſibi inimicus prædam colligere ſolet, ut qui ſpiritualiter eam expendit, non poſſit non contremiſcere; uti hoc, quod ſequitur argumentum, liquidò, & ad oculum oſtendet. In Religionibus quibuſque magna in imperando proceditur caritate, & ſuavitate; adeo ut rariſſimè admodum præceptum aliquod formale, quod ad peccatum mortale obliget, cuiquam iniungatur: reliqua quæ à ſuperioribus imperantur, tam modeſtè præſcribuntur, ut non tam jubere Superiores, quam ſubditos rogare videantur ea, quæ facienda occurrunt. Diabolus porrò hunc eorum procedendi modum commodam ſibi occaſionem eſſe ratus, quod ea quæ H Superiores injungunt, ut plurimum levia ſunt, & vix mandati formam habent. Religioſos etiam maximè ſpirituales, ſubdolè, & tectè, tentando aggreditur, non quidem ut apertè ſe nolle obedire dicant, & Superioribus præcipientibus obloquantur; ſed ipſum obedientiæ præſcriptum elevando parvi faciant, è proprio id ſenſu interpretentur, ipſum etiam prætergrediantur,

Scriptus An. 1611.

tur, aliquas ſe habere rationes dicendo, ob quas ipſum non adimpleant, quas Superiores vel ignorent, vel non advertant; atque alii varii modi ſimplicem & litteralem obedientiæ ſenſum pervertendi. Hinc ita faciendo & innumera perdunt merita, & interdum quamvis multis annis voto obedientiæ vivant obſtricti, virtutis tamen

A

Imperfectiones Religioſorum circa obedientiam, quæ?

obedientiæ actus nullos practicant. Quæ ſanè infeliciſſima quædam vivendi ratio eſt. Huc ſpectant multæ, variæque imperfectiones, uti ſunt, tum verbis, tum reipſa erga Conſtitutiones, & ſtatuta Patrum in Capitulis decreta, nec non erga ſingularia Superiorum mandata parum ſe affici oſtendere, aliæque id genus; quæ omnes cum ſimplicitate, & fide, quæ ſanctæ obedientiæ debetur, repugnant. Hæc gravis eſt filiorum Adam infirmitas, quam ut curaret ipſe Filius Dei venit obedientiam exercere modo quodam adeò mirabili, & efficaci, ut ipſas etiam petras emollire queat, & neſciam quomodo Religioſi eum non conſiderent, & ejus conſideratione à multis ſibi caveant imperfectionibus, quas in hoc

B

genere committunt. Et ſanè in Chriſti Domini obedientiæ laudem ſic ſcribit Apoſtolus,

Hebr. 5. 8.

Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex eiis quæ paſſus eſt obedientiam: tanquam ſi diceret: Ipſe erat Dominus, & ipſius erat mandare; verumtamen obedivit, dolores & afflictiones ſubeundo, & obedientiam, non in rebus delectabilibus, ſed laboribus gravibus exercendo, & in iis ita ſe gerendo uti ſe gerunt diſcipuli, multas difficultates & gravamina tolerantes, quò artem aliquam in ſcholis ſeculi hujus addiſcant.

Chriſtus noſtrum exemplar ſequendum.

Reſpicite, Patres, & Fratres mei, hoc exemplar noſtrum, & perpendite, longè quid mirabilius fuiſſe, Redemptorem noſtrum Chriſtum uni ſuarum creaturarum vel uno ſolo actu obedire, quàm ut omnes Angeli ſimul, & homines in æternum illi obedirent. Nolite itaque ullis interpretationibus, vel congruentiis, vel probabilitatibus

C

mandato, & verbo Chriſti, quod ipſe per Superioris juſſum profert, contrariis locum dare: hoc enim modo, numquam nobiliſſimæ hujus virtutis habitum acquiretis; ſed unuſquiſque, quemadmodum hominem ſpiritualem decet, & illuminatum, in iis, quæ occurrunt ita ſecum ratiocinetur: Quod obedientia jubet, ipſum ſaltem probabile eſt: aliqua quidem mihi ratio in contrarium occurrit, non quidem planè evidens, ſed ſolummodò probabilis: itaque omnis modeſtia, civilitas, aut potiùs ſtatus ipſe Religioſus exigit, ut ego cedam jubenti, & obedientiam exequar, quia in multis opinionibus probabilibus conſentaneum eſt, ut Superioris mei opinio prædominetur, &

D

locum ante omnia habeat. Ita ſecum ratiocinatur quilibet honeſtus ſubditus, & ita ſe cum ſuo hero, & ſuperiore gerit, à quo panem corruptibilem exſpectat; cur non ergo Religioſus ita ſe cum ſuo Superiore gerat, qui ei in vitæ æternæ acquiſitione opitulatur? Ne igitur, Patres mei, per viam Domini ſine certa quadam methodo ambulate, ſed aliquam ſcientiam habetote rerum ſpiritualium, & inter bonum, ac malum noveritis diſtinguere. Si Superior interdum quid Regulæ, Conſtitutionibus, Ordinationibus, aut aliis ſtatutis,

E

& decretis noſtris repugnans imperet, nefas eſt, ſubditum putare id ſtudio, & ſponte ab ipſo ita fieri (impium quippe hoc foret in ea Congregatione, in qua conſtat, Superiores quàm maximè timoratos eſſe, & nulla in cauſa vel mininum peccatum veniale facturos) ſed ex oblivione aliqua, vel inadvertenter id fieri credendo, licitum eſt ſubitò modeſtè dicere, Pater, Reverentia Veſtra recordetur hujus vel illius Conſtitutionis, vel Regulæ, Ordinis, &c. atque hoc ſine ulla alterationis, vel indignationis oſtenſione. Quo in caſu Superiores mitiſſimè, & manſuetiſſimè audire debent id, cujus ſubditus illos commonefecerit. Sed in rebus indifferentibus, quæ legi nulli, vel conſtitutioni adverſantur, non eſt ſubditi ſuam Superiori

F

ſententiam declarare, penitus volendo ut eam ipſe, ſua relicta, ſequatur: ſed eam ut plurimum nudè proponere, ſenſumque ſuum declarare, ſine ulla perturbatione, aut paſſione illi ſe ſubiiciendo; adeò ut, ſi Superior ſecus agat, animum quietet, ſibique perſuadeat, ſuperiorem bene facere, & præterea nihil. Dico autem vobis, velut rei hujus gnariſſimus, quique ſæpiùs, ac dudum ſuper eo cogitarim; quod ſi ſecus faciatis, nunquam pacem habebitis, neve obedientiæ virtutem, nec humilitatem, nec manſuetudinem acquiretis, nec eum, quem debetis, erga Superiorem amorem, & reverentiam præferetis; quibus rebus qui caruerit, fruſtrà is ſibi perſuadet ad perfectionem ſe poſſe tendere.

Superior ei honor, & obedientia debita.

Beati verò illi, qui Superiorum mandata non exaudiunt, ſed hac in parte à ſola, cæca, & obſcura fide regi ſe ſinunt; illi enim oculis animæ puriſſimam Dei lucem intuebuntur.

G

Unde non miror, eſſe hinc inde aliquos Religioſos ſteriles, urbibus deſtructis, ac ſale conſperſis ſimiles: tales quippe continuò vivunt, non ſicut veri quidam obedientiæ filii, ſed velut cenſores Superiorum & judices dicentes, Cur facit Superior ita? non deberet niſi tali, & tali modo facere. Hoc deberet conſtituere, & ordinare, non hoc, &c. & perpetuam quamdam à Superioribus ſuis averſionem habebunt, & ſemper, & in omnibus rebus, contra omnem rationem iis adverſantur, nolentes ſubmittere ſe, vel humiliari; ſed hoc unum omnimodis ſtudent, ut Superiores illis ſe ſubiiciant, & conforment. Unum Deus ſingulis Conventibus Priorem providit, Dæmon verò

H

multos in omnibus Conventibus Priores, & Iudices facere intendit. In hos cadit maledictio illa, qua Noe impium Cham maledixit, eò quòd Patres hi ſuos ignominioſè, contemtimque habeant, quibus tamen

ma-

Scriptus An. 1611. magnum amorem debent, & reverentiam. Difficulter admodum ſuam Religioſus is juſtificare cauſam poteſt, qui contra quàm Superior ſuus, ſentire incipit, etſi ad ita ſentiendum vel caritate erga proximum, vel majori paupertatis ſtudio, aliiſque id genus argumentis impellatur. Et rariſſimum eſt, ſubditi cum Superiore bellum à parte ſubditi juſtum eſſe, quando præſertim ta- A les in Religione Superiores ſunt, qui ſpiritui, & obſervantiæ intendunt; quales, (Deo laus) noſtra hæc habet. Vivite in fide, Patres, & Fratres cariſſimi, veſtro nolite ingenio, aut prudentiæ fidere; ſed id ut ſummam prudentiam ducite, quod à Superiore vobis iniungetur, eumque ſimplicibus columbæ oculis intuemini, & ipſe Dominus Jeſus alas vobis dabit, quibus ad æternæ quietis nidum evoletis.

CAPUT IV.

De Imperfectionibus circa paupertatem, illarumque remediis.

B OBſervantia paupertatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, cor exigit ab omnibus vitæ hujus rebus divulſum, & ſequeſtratum, & animum ita elevatum, ut ſemper ad Dominum Deum, unicum bonum, & hæreditatem ſuam, reſpiciat. Hæc veri Religioſi eſſe debet reſolutio, & affectus, ejus, inquam, qui cum Principe Apoſtolorum dicit, Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Doctrina hæc exemplari, & prototypo noſtro Chriſto gratiſſima eſt, dæmoni autem intolerabilis, qui ſumma contentione, ac dolo noſtros à ſummi, & æterni boni amore animos ſtudet divertere, ut qui probè perſpectum habeat, quò quis erga res terrenas magis afficitur, eò etiam magis affectum erga cœleſtia, & æterna langueſcere. Unde cum Religioſis ſpiritui ſtudentibus perſuadere ipſe nequeat, ut aperti & C evidentes ſint proprietarii, temporalia quædam contra obedientiæ præſcriptum apud ſe retinendo, falſa boni alicujus apparentia eos decipere allaborat, illis nimirum perſuadendo, ut facultatem ſibi dari petant, privatim minutias quaſdam ad devotionem ſpectantes, puta crucifixos, breviaria, reliquiaria, aliaque his ſimilia poſſidendi; Imperfectiones circa paupertatem; earum effectus. non quidem ob eorum formam; ſed ob materiam; id eſt, non quòd imagines ſint Chriſti, vel Breviaria, quibus Divinum Officium continetur; ſed quòd è tali vel tali materia pretioſiori, & magis ad guſtum noſtrum facienti compoſitæ ſint. Similiter ſub prætextu alicujus neceſſitatis, inducit eos, ut D alias quaſdam reculas tanta aviditate ambiant, ut pari, imò etiam intenſiore erga quid harum recularum affectu ferantur, quàm in ſeculo vel erga primogenituram aliquam, vel dignitatem, vel ampliſſimum cenſum ferebantur. Unde varii enaſcuntur effectus, perfectioni Religioſæ admodum contrarii. Primus. Primus eſt, ut quòd animæ hoc modo enerventur, & languidæ fiant, & nullam in amore Dei, ob inordinatum erga res creatas affectum, progreſſionem faciant. Secundus. Secundus, quòd paulatim degenerando, habere etiam velint alia pretioſa, parum paupertati, quam profitentur conformia, nonnunquam etiam inſciis Superioribus, & illorum non impetrata licentia. Tertius. E Tertius, quòd eadem celare, & abſcondere connitantur; dum timent, ne, ſi reſciat Superior, illa ſibi auferat. Quartus. Quartus, quòd offendant eos, quibus purior affectus eſt, & à creaturis alienatior, quibus mirum, ac peregrinum videtur, Religioſum, qui omnia cum libertate filiorum Dei reliquit, novam quamdam ſervitutis ſpeciem, ſub prætextu boni alicujus, ſervire. Si porrò affectus iis, quæ aliquam etiam ſpeciem boni habent, adhærens latum animabus Religioſorum malum creet; qui erit quando erga ea, quæ commoda, & delectabilia ſunt, & ſæcularium rebus ſimilia, feretur? Qualia ſunt, tale genus veſtis, talis lectus, talis cella, & alia, quæ quamvis minima, & contemptibilia ſint, exceſſivè tamen amari ſolent. F Remedia. Non eſt bonum, proprios hoc in genere appetitus ſequi, nec cor in tot idolidia dividere; hæc enim affectum erga Divinam Majeſtatem inſigniter exſtinguunt, & deſtruunt. Religioſis porrò, qui ſupradicta inordinato affectu diligunt, & cum tanto perfectionis, quam profitentur, detrimento, apud ſe detinent, dici, & aggeri poteſt id, quod olim Samuel ad filios Iſrael: 1 Reg. 7. 3. *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri*. Certè ſi Religioſi imperfecti, dignè, & prout oportet, ponderatè reſcirent, quantum per hujuſmodi reculas animabus ſuis damnum adferant, remedium certè aliquod illi quærerent: quàm primum ſcilicet Superiores ſuos adirent, inque eorum manus hæc conſignarent, & quamdam ſpiritus libertatem, præ omnibus, quæ in terra amabilia habet, amabiliſſimam ſibi conpararent. G Religioſi, qui ex animo & ſeriò ad perfectionem adſpirant, tales habere nolunt veſtes, Breviaria, cellas, vel imagines, in quibus aliqua affectus ſubſit adhæſio, ſed talia ad vitæ preſentis uſum quærunt, ut nullam in iis inordinatus affectus partem habeat. Omnem itaque, & unicum amorem veſtrum, Patres, Fratreſque, in Chriſto Jeſu ponite, & cordis libertatem tam vili pretio nolite vendere, cùm pretioſiſſimo ſanguine ſuo eam Chriſtus nobis compararit.

CAPUT V.

De Imperfectionibus circa humilitatem, & quæ earum curandi ratio. H

HUmilitatis Religioſæ exercitium appetitui excellentiæ, & gloriæ vanæ, quem ab Adamo hæreditavimus, imprimis contrarium eſt. Atque ideò depravata, & corrupta creatura contra conſilia Evange-

Scriptus An. 1611.

lica, quæ in ſtatu Monaſtico exercentur, acerrimè decertat: qualia ſunt aliis libenter priorem locum cedere, in actibus humilibus ad aliorum ſervitium ſe occupare, & exercitia, quæ in Novitiatu addiſcuntur, uſurpare, aliaque ſimilia.

A

Tum potiſſimum habere locum imperfectiones illæ ſolent, quando jam ſtudiis vacare Religioſi incipiunt: &, niſi ſedulò advigiletur, & magna rerum interiorum æſtimatio concipiatur, illæ continuantur, ac quotidie magis & magis, etiam per Sacrorum Ordinum ſuſceptionem, & concionum exercitium invaleſcunt, adeò ut, quò magis Religioſi creſcit obligatio ad humilitatem ſectandam, eò ipſe ab exercitiis humilitatis ſe magis ſequeſtrare ſoleat:

Imperfectiones circa humilitatem.

qualia ſunt, libenter ſe ſubiicere aliis minoris ætatis & doctrinæ, qui interdum præſides diſputationum conſtituuntur; deinde mortificationes tam ordinariæ, quàm extraordinariæ, tum libenter manualia exercitia, & ad aliorum deſtinata obſequium, ſubire; adhæc, in laudibus, & vituperiis aliorum humiliter ſe gerere, aliique actus ſimiles; tacitè apud ſe reputando, ejuſmodi actuum exercendorum tempus jam pertranſiſſe.

B

Sed intellectus, & cogitatio talis non eſt ſcholæ Chriſti conſentanea. Cujus rei alios opus non eſt teſtes adferre, quàm hos ipſos Religioſos parum perfectos; quorum conſcientiæ, niſi fortè jam ad infelicem inſenſibilitatis ſtatum pervenerint, magnos, & multos remorſus ſentiunt, ſi quando hujuſmodi actus intermittunt, & dolenter, indignanterque perſpiciunt, nullum ſe in perfectionis via progreſſum facere. Sunt enim duræ cervicis, nec ſuavi Domini jugo collum ſnbdere cupiunt. Miror, quomodo tales Religioſi in mentem illa Chriſti verba non revocent dicentis, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*.

Matth 11. 29.

Non poteſt fieri, quin ſub humili veſtitu animus ſuperbus, & elatus in multas incidat imperfectiones, magnamque averſionem ſentiat in ordinariis humiliandi ſui occaſionibus, in quibus niſi quis aliis ſe ſubmittere proponat, magnas introrſum, etiam in rebus minimis, patiatur difficultates, & diſplicentiam.

C

Earum remedium unicum, & quale?

Unicum earum tollendarum remedium eſt, eam Religioſam diſciplinam retinere, & conſervare, quam quis in tirocinio didicit, & ut honorificum ducere (uti etiam revera eſt) coram aliis ſe humiliare, uti quotidiana exempla fidem faciunt; cum ab omnibus, in ipſa Religioſorum Congregatione laudari ſoleat is, qui ita ſe humiliat, cunctique de eo, velut de viro ſingulari, magnaque æſtimatione digno, benè loquantur; è contra contumelioſè, & animo averſo de iis, qui in loco publico actus humilitatis, quos Religio ipſa profitetur, exercere aut erubeſcunt, aut detrectant.

D

Adeò ut etiam in hac vita, in illis Religioſis graviſſima illa ſententia locum habere comperiatur, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur*.

Luc. 14. 11.

Rei hujus ratio eſt, quia in bonorum Religioſorum Congregationibus, in quibus Dei viget lumen, & eo res quælibet modo æſtimantur, quo Chriſtus eas facit, & in conſpectu Chriſti ſuperbi habentur ut infames, & abominabiles, humiles verò honorantur, & amantur. Nolite proinde, Patres cariſſimi, res ipſas oculis carneis intueri; ſed quò jam ſeniores, & provectiores eſtis, eò attentiùs oculis interioribus eas conſiderate,

E

Humilitatis actus quanti faciendi?

& poſtrema, abiectiſſimaque officia, & humiles Congregationis actus, ceu ſublimes quaſdam dignitates habetote; itaque & Majeſtati Divinæ quàm maximè placebitur, & illorum exemplo creſcet perfectio, ac ſpiritualis felicitas, & magnus hinc ad proximum fructus, & ædificatio derivabitur.

CAPUT VI.

De Imperfectionibus circa Dei præſentiam, & earum remediis.

CErtum eſt, Religioſum, qui Dei non exercet præſentiam, ceu corpus eſſe anima deſtitutum, & brevi inſtar ſterilis agri ſilveſcere, nec dulciſſimos actuum meritoriorum fructus producere, quos iis proferunt animi, qui Divinam Majeſtatem, quæ omni loco præſens adeſt, ſibi ſemper præſentem imaginantur.

F

Dei Præſentia commendata.

Hinc, ne in hanc ſterilitatem incidant, boni Religioſi in perpetua quadam vivunt vigilia, multaſque ſanctas adinveniunt praxes, ne Dei præſentiam, etiam breviſſimo tempore, amittant. Eſt hæc maximi momenti doctrina, quam accuratiſſimè quidem Novitii addiſcunt, mirabilibus etiam quibuſdam inde ſequentibus effectibus, (uti ipſorum magiſtri, & directores norunt;) ſed poſtquam jam aliquot in Religione annos vixere, nocentiſſimus quidam obrepit, & oboritur tepor, qui ſpiritualiter animos eorum debilitat, & conſtantiam, ac vigorem illum interiorem aufert, quo antea continuò mentem ad cœleſtia ſurrigere ſatagebant:

G

ac proinde anima, quæ divinam converſationem, & familiaritatem, uti ſolebat, jam non quærit, humanas ſtudioſiſſimè conſectatur. Atque inde libertas illa in oculis hinc inde gyrandis naſcitur, licentia linguæ, quædam in rebus ad ſe non pertinentibus ſciendis curioſitas, conſectari ea, quæ ſuo placent appetitui, quin & quædam ab exercitiis ſpiritualibus, & ſtudio mortificationis Chriſti alienatio, nec non alia multa damna Religioſam diſciplinam enecantia.

Imperfectiones circa Dei præſentiam, earumque effectus.

Tantopere verò Deo hic ſui præſentiæ neglectus diſplicet, ut in Religioſos, qui hac in parte imperfecti ſunt, gravi quadam caſtigatione, cujus tamen multi non meminerunt, ſoleat animadvertere:

H

talem ſcilicet inſtabilitatem eis immittendo, nunquam ut quietem inveniant, ſed modò hoc velint, modò aliud, modò in illo habitare velint Conventu, & modò habitatio hæc ſubitò eis tædium creet, & quamdam cordis ſuffocationem; modò illis

Scriptus An. 1611.

lis talium Religioſorum ſocietas arrideat, eadem modò faſtidio ſit: atque adeo in hiſce inquietudinibus paulatim affectus erga patriam, & parentes, aliaſque ſeculi res creſcunt, cum continua quadam novorum ſtudiorum, & impreſſionum mutatione. Rei hujus cauſa eſt, quòd cor per præſentiam Dei veræ ſoliditati non applicent; atque idcirco poſtea anima ab uno A appetitu in alium diſcurrit, & divagatur, idque in infinitum, quòd in nulla re mundi ſatisfactionem ſufficientem, aut quietem inveniat. Veriſſima proinde & tremenda illa Prophetæ ſententia, Thren. 1. 8 *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, per creaturas ſcilicet omnes divagando, ita tamen, ut in illarum nulla veram quietem inveniat. Quare ut indubitatum id tenete, Patres, Fratreſque dilectiſſimi, affectuum inordinatorum, à quibus imperfecti Religioſi exagitantur, inſtabilitatis remedium in eo conſiſtere, ut Deum in omni loco, & aſſiduè ſibi præſentem imaginentur: ſicut unica navis, à marinis fluctibus agitatæ, & hinc inde jactatæ, ſiſtendæ B ratio eſt, ſi ea ad ſcopulum anchorâ jactâ firmetur. Earum remedium. Remedium itaque hoc omni qua poteſtis diligentia exercete, ea, quæ in principio vocationis veſtræ didiciſtis, documenta in memoriam revocando, & reipsâ exercendo: non modò, ut hoc pacto perfectionem vobis acquiratis (quod ſolum vos ad exercitii hujus uſum emovere deberet) verùm etiam, ut multas inquietudines mentis, & turbationes, quas neceſſariò alioqui patiemini, evitetis, quòd innumeris deſideriis, quæ inde naſcuntur, quòd unico, & infinito bono ſuo anima ſe per præſentiæ divinæ ſtudium non applicet, ſatisfacere planè non poſſitis.

CAPUT VII.

C *De Imperfectionibus circa converſationem exteriorem Religioſi, earumque emendandarum modus.*

RELigioſa converſatio, & geſtus exterior è modeſtia, hilaritate, & civili humanitate eſſe debet compoſitus; quod ad verarum ſolidarumque acquiſitionem virtutum ita neceſſarium eſt, ut ſatis verbis exponi non queat. Etſi verò veritati huic ſtabiliendæ multæ rationes ſuppetant, eæque efficaces; unam tamen tantùm hîc, ob Epiſtolæ hujus brevitatem, afferam, quæ in vitiis, ſupradictæ temperaturæ converſationis Religioſæ directè adverſantibus, fundatur: quæ ſunt, diſſolutio, quæ opponitur D modeſtiæ; exterior melancholia, quæ hilaritati; & ruſticitas, & incivilitas, quæ Religioſæ civilitati. Imperfectiones circa Religioſam converſationem. Negari non poteſt, quin hominum immodeſtorum, melancholicorum, & incivilium conventus, quædam ſit barbarorum, & moribus intolerabilibus præditorum congregatio; è contra communitas modeſtorum, hilarium, & Religioſè civilium, quædam ſit congregatio Angelorum, hierarchiis cœleſtibus propemodum ſimilis. Certiſſimum porrò eſt, quòd ſi hæc morum temperatura, & compoſitio (quæ ut plurimum in Novitiis relucet) ita poſtmodum duraret, ut in Religioſis provectioribus, & ſenioribus etiam perſeveraret; res hæc præ aliis omnibus proximum ædificaret, & ejus animum ad ſe attraheret, quin E ipſis etiam animæ inimicis terribilis, & timenda foret; itaque hac in parte verè locum haberet illud Salomonis, Cant. 6. 3. *Pulchra es, & decora ſicut Jeruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Oculis, inquam, tum animæ, tum corporis, caſtè & ſpiritualiter rem videntibus, jucundiſſimum, ſpectaculum, eorum Religioſorum ſocietas, & Congregatio foret, in quorum operibus decorus ille civitatis Dei ornatus, & civiliſſimus relucerent; Inferno verò, in quo contraria vitia dominantur, exercitus ille Dei per hanc compoſitionem, & ordinatiſſimam in vitæ Religioſæ operibus diſpoſitionem, terribilis foret. Amabiliſſimum hoc decorum ſtudioſè & accuratè quidem in primis Religionis F annis addiſcitur; ſed poſtea, temporis progreſſus, paulatim tum per occupationes externas, tum per dæmonis tentationes emoritur, & quotidie à prima ſua perfectione magis magiſque in aliquibus Religioſis deficit: qui ſcilicet exteriori incompoſitioni, & mœſtitiæ, quæ à variis capitibus ortum habet, (ut etiam exteriùs ſe prodat) & neſcio quibus in converſatione cum aliis ineptiis locum dant, quæ partim ruſticitatem, vel inurbanitatem, partim inordinatam quamdam in loquendo, reſpondendove libertatem, partim parvam in agendo cum proximo manſuetudinem, aut ſuavitatem ſapiunt. Quod qui perfectionis deſiderio tenentur Religioſi, inprimis conſiderent oportet, cum hujuſmodi vitiis, & imperfectionibus concordiæ, & divinæ caritatis, (quam Chriſtus Dominus in novo, G & æterno ſuo Teſtamento tam ſedulò commendavit) dulcedo conſiſtere ægrè queat. Remedia. Pulchrum eſt, Patres mei, Religioſos columbinam quamdam ſuis moribus præferre ſimplicitatem, ita tamen, ut prudentiæ, aut civilitatis, & illorum reſpectuum Religioſorum, per quos cæli civibus aſſimilantur, non obliviſcantur. Atque ideo indecens eſt, inconſideratè, ineptèque ſe gerere, maximè ubi univerſa communitas ſimul congregata eſt, ſed ſemper maxima civilitatis, & urbanitatis, qualem honorati viri dum apud invicem converſantur, ſervare ſolent, ratio habenda eſt. Adeò ut Religioſus, qui in ſeculo agens ſeriò cavebat, ne quos H geſtus inſulſos ederet, vel verba inconvenientia loqueretur, dum apud viros prudentes, & honorabiles verſabatur, ipſum jam in congregatione hominum & doctorum, & ſanctorum, ſine quodam ſuperiore, ut nimirum caritativæ converſationi, & communicationi cooperetur, præſtare debeat, ea à ſe excludendo, quæ proximum queant of-

Scriptus An. 1611.

ſendere; ea verò uſurpando quæ eum poſſent ædificare, & ad majorem perfectionem promovere. Doctrinam hanc unicè Reverentiis, & Charitatibus veſtris commendo, utpote Spiritui Dei, modeſtiam, hilaritatem, ac gaudium inſpiranti, & animos ad ſuaviſſimam converſationem in Religionibus, in quibus & obſervantia, & ſpiritus primitivus adhuc floret exercendam, A emoventi propriam.

CAPUT VIII.

De Imperfectionibus circa functiones Sacras; earumque tollendarnm modus præſcribitur.

FUnctiones Sacræ ſunt, Verbum Dei prædicare, Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare, aliæque ſimiles; quæ magna deberent caritate exerceri, cùm actus ſint ad animas proximorum tum purificandas, tum ſanctificandas deſtinati. Functiones hæ, in principio, & ortu Religionum, in quibus viget obſervantia, & ubi eſt abundantia ſpiritus Dei, magno illorum, qui eis funguntur merito, B nec non proximorum utilitate exercentur; at poſtquam Dei præſentia, & virtutum exercitium à primo illo primorum annorum vigore deficere incipiunt, interdum hinc inde aliquis, etiam in Religionibus perfectiſſimis, apparet, cui, per ſupradictorum actuum exercitium, quotidie aliquid de ſui ipſius perfectione deperit, tametſi alioquin juſto Dei judicio, aliquod proximo bonum fiat. Mali hujus perſonalis, quod in omnium Religioſorum id videntium offenſionem cedit, ratio eſt, quòd tales veræ mortificationi Chriſti, & doctrinæ, quam prædicant, parum conformiter vivant; verbi gratia, quòd communibus Conventus exercitiis pluſquam oporteat, deſint; tacitas aliquas libertates aſſumant cum diſciplina Religioſa parum convenientes; in iis, quæ ad propriam æſtimationem ſpectant, liberi ad- C modum ſint in honore ſuo propugnando; ſi quid vel parum arduum, ac difficile illis injungitur, humanis ſeſe rationibus allatis excuſent; ſi quis verbum aliquod aſperius in ipſos proferat, indignentur, & non manſuetè, ſed auſterè reſpondeant, & alia ejus generis plurima. Hæ imperfectiones in nonnullis ita in habitum, & conſuetudinem tranſeunt, ut, ſi ſpiritualibus rem oculis diſpiciamus, iis, quas peragunt, functionibus indigni cenſendi ſint. Peto namque ego ab illis, quænam inter functionem, quæ ad alios mundi contemptum, veram animi demiſſionem, patientiam in laboribus arduis, & in occaſionibus iraſcendi manſuetudinem D perſuadendam deſtinata ſit, & inter Religioſum, qui in occaſionibus occurrentibus ut plurimum contra doctrinam, quam prædicat, impingendo facit, proportio, ac convenientia? Peto adhæc, quomodo ſuam tales Religioſi conſcientiam quietare, & excuſare poſſint, dum in pulpito ea ſæcularibus inculcare magna vi connituntur ad Chriſti imitationem ſpectantia, quæ ipſimet præſtare negligunt; quòd certi ſunt, ſecùs longè ſe domi, & in Clauſtro facere? Eſt hoc reverà inprimis ſtupendum; & ſanè, neſcio, quomodo ipſis brachia non diffringantur, & propter conſcientiæ remorſum, ex ipſa facti evidentia (quam hoc loco propono) orientem ſibi calorem deficere non ſentiant; cùm in hominibus orationis ſtudium profi- E tentibus id habere locum poſſe videatur incredibile. Aut enim aliquem conſcientiæ remorſum ſentiunt, vel non ſentiunt; ſi nullum ſentiant, ingens eſt cæcitas, & efficax argumentum, parum illos divinæ lucis habere; cùm tamen illo commorentur loco, in quo magna Dei lux eſt: ſi quem verò ſentiant, quomodo animum inducere poſſunt, ad alios efficaciter, & acriter ad ea facienda exhortandos, quæ ipſi non faciunt? Certè viri ſpirituales hæc perpendentes non poſſunt non ſummoperè indignos hos Dei operarios, tam concionatores, quàm confeſſarios obſtupeſcere: quippe mirum ipſis, & ſtupendum videtur, quòd hi rigidi juſtitiæ exactores eſſe velint in pro- F ximo, maximèque indignentur, ſi ad minimum ipſorum nutum aliis, etiam in iis, quæ ſupererogationis ſunt, non obediant; cùm ipſi tam ſæpè deficiant in adimplendis etiam iis, quæ juſtitiæ obligatoriæ ſunt. Hiſce ergo Religioſis aggeri illud Apoſtoli ad Romanos ſcribentis, vel quid ſimile, poteſt: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces; qui prædicas, non furandum, furaris.* Rom. 2, 21. Mali hujus remedium eſt, ut interiùs quis magna cum juſtitia vivat, exteriùs verò caveat, ne quid faciat, vel dicat, quod non ſit doctrinæ Chriſti Domini conforme. Sic ſi fiat, mirum, quomodo animus aſſurgat, & quàm in animis auditorum impreſſionem faciat, quidquid Religioſus vitæ exemplaris pro ſuggeſtu monet. Experientia ſiquidem conſtat, Religioſos humiles, mites, obedientes, tacitos, quietis amantes, ſuiſque appetitibus non indulgentes tantum ſuis ver- G bis efficere, & ita movere poſſe, ut ipſa etiam ſaxa, dum vel concionantur, vel in privato colloquio cum proximo agunt, emota ei videantur. Doctrinam hanc, Patres, Fratreſque dilectiſſimi ſeriò notate, quò quando opera veſtra Superiores uti voluerint, digni operarii eſſe poſſitis; de eloquentia verò, & multorum annorum ſtudio parum laborate, quando ſcilicet ea in ſpiritu, & mortificatione Chriſti Jeſu fundata non ſunt.

Imperfectiones circa functiones Sacras.

Earum remedium.

CAPUT IX.

De aliis Religioſorum tepidorum Imperfectionibus, & de earum curatione.

H

MAgna eſt infirmitas Religioſorum imperfectorum tepor, dum iis neſcio quod exercitiorum ſpiritualium faſtidium & nauſea oboritur, non ſecùs atque olim Iſraelitas in deſerto mannæ cepit faſtidium.

Non

Scriptus An. 1611. Non quòd, dum tepor hic, & averſio Diſciplinæ Monaſticæ enaſci incipit, in gravia Religioſus peccata impingat; ſed idcirco gravis hæc infirmitas dicitur, quòd in graviores culpas prolabendi tunc ſit periculum; tum verò, quòd multis imperfectionibus hæc viam ſternat, quæ dein magnis hominem bonis, & fructibus ſpiritualibus privant, & magnam ſuo tempore in com- A munitate ſtragem, & damnum pariunt, tametſi ipſæ ſecundum ſpeciem imperfectiones gravia, & enormia peccata non ſint. Verbi Tepidorum imperfectiones. cauſa: Religioſus intepeſcens, qui ob aliquod rerum ſpiritualium faſtidium, nimiam linguæ permittit licentiam, atque ideo omni in loco, & occaſione ſilentium frangit, Conſtitutionum, & Ordinationum à Superioribus ſuper hoc decretarum parum curioſus, & negligens, ingens haud dubiè cauſatur damnum, dum abuſum magni boni, & pulcherrimi ornamenti Religionis, (ſancti inquam ſilentii) deſtructivum in eam introducit. Quod ſedulò ponderare, & cavere deberent illi, qui in loquendo faciles, & proclives ſunt, & gratiſſimum Divinæ Majeſtati ſacrificium B facerent. Doctrina hac reſponderi queat illis, qui, cum parum divinæ lucis habeant, imperfectiones ſolum reſpiciunt quoad exteriorem earum ſpeciem, & magnum illud non conſiderent bonum, quo ſe privant, nec abuſus quos introducunt; & proinde dicunt: Non tantum malum eſt ſine licentia Superiorum, vel parum ſpiritualiter, vel extra debitam loquendi horam, &c. loqui. Væ autem hujuſmodi conſcientiis ſtupidis, & pinguibus: ſic enim ſi ſentiant, nec Dei habebunt lucem, nec ullum in vita Religioſa progreſſum facient. Jam verò brevem quemdam imperfectionum, ab animis tepidis, qui brevi velut inculta quædam ſilva, (in qua nimirum ingens ignis materia eſt, fructus autem nullus) ſilveſcunt, enaſcentium catalogum texamus. Prima. Prima imperfectio, eſt illa averſio, vel po- C tiùs nauſea rerum ſpiritualium, per quam fit, ut quamvis ſpirituales actus exequantur, (cùm in communitate aliorum vivendo, non poſſint non exequi) iiſdem tamen minimè, ad inſtar ſtomachi debilitati, & cachexta laborantis, paſcantur, aut nutriantur, ſed quodam cum faſtidio eos ſuſcipiant, & qualibet occaſione oblata, cum magno aliorum offendiculo, ab iis ſeſe ſubducant. Secunda. Secunda imperfectio eſt, affectibus illarum indulgere rerum, quæ aliquod in parte inferiore ipſis afferre poſſunt ſolatium, aut voluptatulam; uti ſunt, exempli loco, agere cum ſæcularibus, rerum curioſarum potiùs, quàm utilium cognitioni, ac ſtudio incum- D bere, Superiorem inducere, & attrahere conari, ut ſibi plauſibilia, & ſenſibus placentia in cibo, ſomno, lecto, veſtitu, egreſſu in publicum, indulgeat, nec non aliæ ſimiles imperfectiones: quæ omnia ceu cibi quidam inſulſi, & inſipidi ſunt, quos ſtomachus ſpiritualis malè ſanus non minori aviditate concupiſcit, quàm cibos ſpirituales abhorret. Tertia. Tertia imperfectio eſt, Conventum, aut exercitia mutare velle: id in illis quærendo quod ſenſualitati commodum futurum cenſent, pro affectu ſcilicet, quo ſe moveri ſentiunt: & hac in parte tam magna eſſe ſolet perplexitas, ut Superiores ſæpè quò ſe vertant non inveniant; ſi enim id negent, quod tanto illi ſtudio concupiſcunt, metuunt, ne in aliud quid gravius impingant. Quarta. Quarta imperfectio eſt, inordinatus E erga patriam, parentes, & conſanguineos amor; cùm enim nullam in domo Dei, & ſpiritualibus fratribus conſolationem inveniant, appetitus immortificatus, aliò ſpectans, conſolationes humanas conſectatur; atque hanc ob cauſam tales Superioribus ſuis rationes, & convenientias proponunt, ut, ſi vero erga perfectionem, quam profitentur deſiderio, & affectu ferrentur, de iis verbum cum illis ullum de hac re non loquerentur. Quinta. Quinta imperfectio eſt, quoddam honoris, & eminentiæ deſiderium, non quidem in iis, quæ apertè, & prima fronte peccata videantur; ſed in iis, quæ ſibi licita eſſe putent, uti, verbi cauſa, in prædicando, & converſando in tali loco, vel cum talibus, qui aliquam ipſis afferre poſſe æſti- F mationem, auctoritatemve videantur: quod verò huic directè adverſatur, omni id contentione fugiendo; adeò ut opera, quæ aliàs eſſent pura, magnam ſic hujus ſuæ puritatis, & conſequenter exiſtimationis, & pretii, quod apud Dominum Deum haberent, partem amittant. Hæc eſt ſylva quædam inculta, ad quinque capita reſtricta, quæ ſi amoris divini igne ſuccenderetur, ſpiritualis animæ terra fœcunda redderetur, & quidam fieret deliciarum paradiſus, in quo Divina Maieſtas habitare, ac deliciari, tum magna nominis ſui gloria, tum utilitate noſtra, dignaretur. Alia quidem, ad hæc quinque prædicta capita addi poſſent; ſed ſi Religioſi magna contentione, & ſtudio quinque hæc evitarint, certus ſum, & indubi- G tatum eſt, etiam alia, quæ hoc afferre loco poſſem, illos evitaturos: & ſanè ad praxim conducibilius eſt, ad pauca, eaque primaria, capita ſemper reſpicere. Hæc itaque, Patres, Fratreſque in Domino cariſſimi, conſiderate, cum vitam ſpiritualem profiteamini, vobiſque ut indubitatum perſuadete, Religioſum, ſi ſpiritualiter, & mortificatè non vivat, in vanum ſeſe in conſectandis appetitibus ſuis cruciare: nullam enim ſic in ſtatu Religioſo conſequi utilitatem, voluptatem, aut honorem poteſt; quin imò, omnia illi longè ſecùs ſuccedunt: nam & contemptibilis fit, & proximorum animos H excitat; ut ipſum contemnant, & ut talem habeant, qualis revera eſt; ita quidem, ut quotieſcumque talis ad alicujus momenti rem peragendam denominatur, ſemper is cum quadam infamiæ ſpecie, (ſi ita mihi loqui fas ſit) reiiciatur: quia ſi de aliquo ad Prælaturas, Conventuum fundationem, ad miſſiones, ad Sacramentorum adminiſtrationes, ad Verbi Divini prædicationem eli-

gen-

Scriptus An. 1611.

genda tractetur, & Religioſus aliquis imperfectus ad ea munia tractanda denominetur, ſtatim is quaſi denominatione indignus excludatur. Si quis verò roget, cur talis præ aliis excludatur, ut plurimum reſponderi ſolet, quia non vivit ſpiritualiter, quia regularum obſervans non eſt, quia terrenas conſolationes ambit, quia patiens non eſt, quia manſuetudine caret, quia ſatis humilitatis non habet ad ſuperiorem aliquem ferendum, qui ſibi non arrideat; denique, quia humiliter ſe, aut manſuetè cum proximo gerere non vult. Et ſanè ſcrupulo, & anxietate non caret, hujuſmodi perſonis aliquid, in quo de gloria Dei, animarum ſalute, & Congregationis fama, & bono odore controvertitur, fidere.

Earum remedium.

Itaque qui tum ſibi, tum proximo utilis, ac bonus eſſe cupit, verum imperfectionum ſuprà inſinuatarum remedium quærat, ipſum videlicet orationis, & mortificationis ſtudium, quodam cum vigore, & conſtantia per vitæ viam incedere conando, & ſe ipſum per continuas jaculatorias, & aſcenſiones cordis, quæ, & ad teporem expellendum, & ſpiritum accendendum conducunt, exhortando. Ita enim ſi fiat, Dominus Deus, qui ipſamet bonitas eſt, abundanti quadam miſericordia concurret, & ſi quod in noſtra Congregatione eſt bonum, (uti equidem ſpero), per interceſſionem Beatæ Virginis Mariæ, glorioſiſſimi Patris noſtri S. Joſephi, & Beatæ Matris Tereſiæ, fundatricis noſtræ, adaugebit. Deus Optimus Maximus omnes Reverentias, & Caritates veſtras, (uti equidem opto, & deſidero), ſoſpites, & incolumes tueatur.

Rever. & Caritatum Veſtr. omnium
ſervus in Domino

Fr. Joannes a Jesu Maria.

IN SEQUENS OPUS PRÆMONITIO.

HOC etiam Opus omnibus Monaſticis Ordinibus perutile condidit Ven Scriptor, defunctus jam totius Congregationis Præfectura, & longa rerum cum meditatione, tum experientia cumulatus ſupremo vitæ ſuæ anno, Domini vero 1615. *in quieto illo ad Montem Tuſculanum receſſu, velut unam ex poſtremis Teſtamenti tabulis. Quod vel ipſe ſatis innuit in Præfatione ad Lectorem, tum etiam adparet ex Auctographo, quod ex noſtro Romano Archivo præ manibus habemus, in quo ſubiecta heic legitur Ordinis facultas, ut typis, quibus totum comparatum erat, jam tunc mandaretur; quamquam forte, quæ proxime ſubſequuta eſt dolenda Viri mors idipſum interceperit Quin quod mirandum ſubeſt, nec in prima Operum editione hæc lucubratio exſtabat, tantumque in altera quarto Tomo addita eſt ad pag* 147. *Prælaudatum Auctographon elegantiſſime ſcriptum propria Auctoris manu inſpicitur, ac ſi juvenis, valentiſque Johannis foret; habetque præter Dedicationis exſultantem Epiſtolam Divæ Parenti Tereſiæ, recenter in album Beatorum relatæ, & Præfationem ad Lectorem, Capitum Indicem in principio, & quæ ſequitur Ven. Ferdinandi adprobatio.*

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Præpoſitus Generalis Carmelitarum Di-*
„ *ſcalceatorum Congregationis S. Eliæ, concedimus, ut Liber hic* De Regi-
„ mine Monaſtico *a R. P. Fr. Joanne conſcriptus typis mandetur. Datum*
„ *Genuæ in Cœnobio S. Annæ die* 3. *Aprilis* 1615.

„ Fr. Ferdinandus a S. Maria, Præpoſitus Generalis.

AUCTORIS EPISTOLA NUNCUPATORIA.

B. VIRGINI THERESIÆ
CARMELITARUM DISCALCEATORUM FUNDATRICI
FR. JOANNES A JESU - MARIA
FELICITATEM GRATULATUR.

COndidiſti gentem candidatam, clariſſima mundi contemptrix, & prudentiſſima Virgo: inſtituiſti familiam, quæ conſiliis tuis in leges redactis, propitio Deo, temperatur feliciter: tibique acceptum fertur, quidquid proſperè cedit. In animi ergo grati ſignum, tibi ſupplex nuncupo ſcriptum hoc, quod ex iis oraculis, quæ à te, filiiſque tuis emeritis accepi, contextum eſt; ut fauſtè inchoata, & hucuſque progreſſa gubernatio, occaſione doctrinæ hujus, in artis modum digeſtæ, feliciùs ultra procurrat. Ne filii, tametſi degeneris, votum aſperneris: ſed, qua humanitate inter mortales ſolebas, exiguorum munerum oblatores admittere, me offerentem excipe, atque tuere.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

ROgarunt nonnulli, quibus obſequi debui, ut de Regimine Monaſtico aliquid ſcriberem. Hac de cauſa, quæ obſervatione, prudentum conſilio, propriaque experientia comperire potui, in partes digeſſi quatuor; in quarum Prima de Comitiorum generalium, in Secunda de Generalium, in tertia de Provincialium, in Quarta de Priorum Regimine diſſerui.

Capita gubernationis monaſticæ ſelecta, quam potui breviter, perſpicuè, & appoſitè ad praxim pertractavi: tenuia verò multa, quæ potiore doctrina altè concepta a Prælatis ipſis facilè deciduntur, ſilere malui; quo ſanè conſilio, in libris aliis ad praxim deſtinatis, uſus ſum. Opto eo animi candore liber excipiatur, quo exaratus eſt, ut ad divinæ Majeſtatis gloriam, & Monaſticorum Ordinum bonum referatur.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA LIBER

DE REGIMINE MONASTICO, COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

De Regimine Comitiorum generalium.

CAPUT I.

Præmonitio.

Scriptus An. 1615.

CUM ſit animus de gubernandi ratione appoſitè ad praxim ſcribere, ducemus initium ab ea doctrina, A quæ niſi animis hæreat, inanis propemodum eſt omnis labor, qui à ſcriptoribus in hoc genere ſuſcipitur. Et verò doctrina, quæ primo in loco tradenda videtur, ad Comitiorum generalium moderationem ſpectat; ut ubi ſuprema viget Ordinis Monaſtici poteſtas, accurata ſit actuum graviſſimorum, è quibus communis præſertim ſalus pendet, obſervatio. Si enim, ubi Ordinis totius caput cooptatur, legeſque univerſales conduntur, imprudenter peccetur, malo huic primum impreſſo, per bona ad rectè gubernandum B conſilia, nunquam, aut rarò ſuccurritur. Et quidem quidquid de aliis afferatur actibus, exploratum eſt, Generalis electionem eam eſſe, quæ ſi benè cedat, vitam, ſi ſecus interitum afferat. Conſtat quippe, Generalem bonarum legum, velut corporum multorum animam unam eſſe, parumque prodeſſe ſcriptas leges, imò tanquam totidem cadavera jacere, ſi anima illa bene affecta careant: quod ſervata proportione, de Prælatis aliis Generali ſubiectis, qui velut inferiores cæli à ſupremo, ſicut à mobili primo cientur, cenſendum eſt. Accedit ad hoc, ſeries tota actuum in Comitiis, electo jam Generali, ſuccedentium, & ad Ordinis to- C tius bonum ſpectantium; qui rivorum inſtar, velut è copioſo flumine, in Provincias, ut in agros, certis limitibus diſcretos, derivantur: ac ſi piè, & prudenter Comitia celebrentur, fœcunditatem promittunt, alias in nihilum recidunt. Ab hoc ergo principio, ut à totius rei cardine, gubernationis ſermo ducendus eſt.

CAPUT II.

Convocatio, & acceſſus tempeſtivus ad Comitia.

PAtres in Comitiis ſuffragaturi ita convocandi, ut tempus longiùs diſtantibus ſuppetat, ad itineris prolixi, & laborioſi dif- D ficultatem pervincendam. Cavendum tamen, ut in Ordinibus bene inſtitutis fieri conſuevit, ne nimis maturè accedant, & præter expenſas voto paupertatis adverſas, ex otio, & variis eventibus, anſam factionum arripiant. Hoc autem malum multiplex, quod ex prolixitate temporis exoritur, præſertim fugiendum, ubi crebrior eſt Comitiorum celebratio; ne Provinciæ, & Cœnobia aliquot, tam frequenter à Provincialibus, & nonnullis Prioribus per menſes multos deſerantur, quod bono communi graviter officeret.

CAPUT III. E

Tractatus prævius ad Generalis electionem.

Quomodo ſe gerere debeant electores?

TRactatus electioni prævius, ut Deo acceptus, Ordinique ſalutaris evadat, debet eſſe ſincerus, nullo impuro affectu, vel artificioſo fœdatus: qui bene docti ac pii ſunt, in hunc modum ſe gerunt: ſi perſpectum habent, quiſnam Prælationum inter omnes digniſſimus ſit, orationi vacant, ſilent, ſe abdunt, & quo ad poſſunt colloquia detrectant: ſi rogentur ſententiam, parcè & modeſtè reſpondent, oculatèque cavent, ne aliorum bonum nomen obſcu- F rent: ſi eis minimè exploratum ſit, quis aliis omnibus ad Prælationem anteferri debeat, non invenes, non ſciolos, non præfervidos, ſed unum, vel alterum veteranum, ab integritate, ac mentis ſenectute laudatum conſulunt, tacitique acquieſcunt. Hæc eſt praxis, quæ viros pios, ac cordatos decet; hinc effi-

Scriptus An. 1615.

efficitur, ut qui abundè loquuntur, qui non rogati conſilia obtrudunt, qui alios ad ſuam ſententiam pertrahere conantur, bonis cenſoribus, ut mitiſſimè dicamus, ſuſpecti ſunt: quantumvis bonum animum, zelumve prætendant. Experimentis quippe multis deprehenſum eſt, ſimiles Monachos plerum- A que aberrare, prudentiæ, charitatis, & juſtitiæ metam excedere, frenoquæ ſaltem indigere. Experientia ſimiliter conſtat, in pleriſque Ordinibus, ubi Monachi hoc apparente bono animo, ſeu zelo, quem reprehendimus, linguæ indulgere cœperunt, non ad graves duntaxat detractiones, verùm ad promiſſa, pactaque jurata, & ad ſordidas largitiones, ut ii, quos ipſi laudaverant, eligerentur, alii repellerentur, fuiſſe progreſſos; quocirca ſub initium, antequam vires acquirant, immodicus zelus, paſſiones, & lingua coercenda ſunt, ut prævio caſto tractatu, felix ſuccedat electio.

CAPUT IV.

Generalis electio.

B Quid in Generali requiratur?

SEX præſertim Dotes expetendæ ſunt, quibus Generalem deligendum oportet excellere: Vitæ ſcilicet integritas, prudentia, doctrina, zelus, miſericordia, juſtitia. Integritas vitæ. Vitæ integritas requiritur, cujus perſuaſio animis totius gentis inſederit: niſi enim hæc priùs concepta fuerit, quidquid Generalis ſuadeat, vel præcipiat, languidum, & ineſficax erit, obſtante exceptione hac, fragilibus ingeniis uſitata, quod quam ipſe non colit pietatem, velit ab aliis exigere: quæ quidem obiectio, licet æqua non ſit, obedientiæ tamen alacritatem adimit, vel extenuat. Prudentia. Prudentia quàm ſit neceſſaria, ex eo liquet, quod potiſſimus ejus virtutis actus ſit, præcipere, quod in re qualibet fieri expedit; quæ eſt ipſa Prælati functio. C Is ergo aliis præferendus, qui judicio, rerum experientia, & maturitate præcellit; ut Doctrina. benè imperet. Doctrina ad ipſam Comitiorum celebrationem, ubi varia Theologica, & Sacrorum Canonum dubia decidenda occurrunt, & ad futuræ gubernationis decurſum magnopere confert; quod expertis Zelus. probè notum eſt. Zelus prudentia temperatus, animum Prælati erigit, ut vigilet, omnia perluſtret, mala præcaveat, indecora procul arceat, bonum alat, & promo- Miſericordia. veat. Miſericordia à charitate orta, ejuſque imperio directa, apprimè neceſſaria eſt, ut Generalis Chriſto ſimilis fiat, velut mitis Pontifex, qui aliis compati aſſueſcat, & abundè miſereatur, priuſquam de punitione Iuſtitia. cogitet. Juſtitia, quæ ad legum cuſtodiam, & ad inferendam tranſgreſſoribus, quibus D impenſa miſericordia non prodeſt, pænam attinet, omnino requirenda eſt, ut Prælatio ſuis partibus conſtet. Hæc ſunt capita ad Generalis electionem præ oculis habenda, quæ obſervata proportione ad electiones aliorum Prælatorum, quæ in Comitiis Monaſticis fieri ſolent, aptari debebunt.

CAPUT V.

Obſervatio erga Prælatorum inferiorum electiones.

VAria ſunt Ordinum Monaſticorum conſilia, diverſis rationibus, ac experimen- E tis innixa, erga inferiorum Prælatorum electiones in generalibus conſeſſibus fieri ſolitas, quæ ad quatuor capita referuntur. Vel enim fiunt à toto Patrum conſeſſu, vel à Definitorio dumtaxat generali, vel à Generale ſolummodo, vel denique certus aliquis numerus ad Prælationem idoneus, à conſeſſu toto cooptatur; è quo Definitorium, prævia conſultatione, Cœnobio cuique juxta loci, aliarumque circumſtantiarum congruentiam, quem è numero illo aptiſſimum cenſet, aſſignat. Nihil in hac conſiliorum varietate reprehenditur. Verùm ubi numerus ſuffragatorum excrevit, experientia ipſa evincit, vix Cœnobii cujuſcumque indigentiæ, qua expediret proportione ſuccurri, niſi vel tota electio, vel aliqua electionis cooptatio, quæ à multis vix F appoſitè fieret, ad paucos redigatur, qui locorum, & perſonarum circumſtantias expendant; ne qui digniores ſunt, minus dignis locis præficiantur, ſubeatque diſciplinæ Monaſticæ, & boni nominis detrimentum.

CAPUT VI.

Legiſlationis modus.

SApientum conſenſio eſt, legiſlationem modicam, & accuratè perpenſam eſſe debere. Quocirca quoad fieri poteſt, legibus antiquis inſiſtendum, & à mutatione, ac nova legiſlatione abſtinendum eſt. Profectò in condendis legibus facilitas crebræ tranſgreſſionis occaſio eſt; paulòque poſt, G Leges novæ an in Capitulis condendæ? legiſlatores facti pœnitet. Satis onerata eſt mortalis fragilitas jam legibus, neque pondus adiiciendum, niſi aperta cogat neceſſitas. Accedit, quod Monaſtici Ordines, etiam qui deferbuerunt, optimis legibus inſtructi ſunt: ſatius ergo videtur antiquis ſanctionibus, hortando, urgendo, robur addere, quàm nova ſancire. Accedunt præterea multiplices alii providendi modi, ubi quicquam imminet, quibus uti conſuevere prudentes Prælati, qui privatis inſtructionibus, aut mandatis excitatos motus, abſque legiſlatione componi poſſe obſervarunt.

CAPUT VII.

Monita Cœnobiorum, & Monachorum ad Comitia generalia ſcripto, ſeu verbis deſtinanda.

H

PRæter graviores Comitiorum actus, qui ad electionem, & legiſlationem pertinent, leguntur, vel audiuntur monita varia cordatis viris digna, ad extirpandos abuſus,

Scriptus An. 1611.

ſus, & commune bonum promovendum aptè directa. Erga hæc, qui monent, animadvertere debent, conſeſſum illum adeo gravem, non eſſe levibus de cauſis gravandum, neque decere, ut quæ conſueta diſciplina dirigi poſſunt ad ſupremum tribunal referantur: qua quidem in re per imprudentiam, & præpoſterum zelum errari ſolet. Si au-
A tem, quæ levia ſunt, & quotidianæ diſciplinæ remedio reformari, vel perfici poſſunt, à loco illo adeo digno arceri fas eſt, quantò erit æquius, ut ſcripta deformia, quæ proximis nocent, nec pacata conſcientia evulgari poſſunt, eo minimè deſtinentur? Hæc obſervent, qui rectæ adminiſtrationis curſum retardare nolunt.

CAPUT VIII.

Obſervatio erga alios generalium Comitiorum actus.

QUÆ hactenus prompſimus, ad ſupremam Ordinis Monaſtici poteſtatem facilè ſpectant, & à quovis ſuffragatore, pro
B virili parte ſua curanda ſunt, non certè novis inventis, ſed uſitata moderatione, dum quiſque Officium explet ſuum, & à multis quaſi militibus in ſtatione propria conſiſtentibus componitur una velut caſtrorum acies ordinata, quam Tartarus, ubi nullus eſt ordo, formidat. Quod, ut feliciùs fiat, navanda opera eſt, ut domitis paſſionibus, & externis motibus venuſtè temperatis, ubi tempus acceſſerit, in tam gravi conſeſſu quiſque ſuffragetur, vel tacitus annuat, vel ſententiam ſuam parcè, ac ſedatè proferat, paratus maturiori conſilio acquieſcere. Ex qua certè doctrina, diſciplinæ omnium Monaſticæ conſultorum ſuffragiis aſſerta, judicium fertur de inconcinnis actibus, nimis, aut licenter loquentium, ſententiæ propriæ
C tenacium, aliorum dicta intemperanter reſpuentium, ordinem præfixum perturbantium, aliiſque modis metam excedentium: quos admonere Generalis eſt, ut omnia decorè fiant, ſolique rationi cedatur, in loco ubi Divina Majeſtas, peculiari quadam ratione, inter multos ejus nomine congregatos, juxta Evangelicam pollicitationem, præſens creditur eſſe.

CAPUT IX.

Doctrinæ traditæ derivatio ad alios Patrum conſeſſus.

PRoderit doctrina omnis hucuſque tradi-
D ta Definitoriis omnibus, & Comitiis Provincialibus, piè, ac prudenter celebrandis: quocirca eam repetere minimè oportebit. Sat erit, ſi ad proportionem cuique actui applicetur ab iis, qui conſeſſibus præerunt, vel ſuffragabuntur, aut ſententiam dicent: quod difficilè non fore videtur, cum ſimillima in cœtibus omnibus capita pertractentur, & ſimilitudine conſtante doctrinæ deductio pervia ſit.

CAPUT X.

Doctrinæ traditæ ponderatio.

PArtem hanc opportuna doctrinæ depromptæ conſideratio claudet, quæ, quia E
multis defuit, Monaſtica diſciplina calamitosè labefactata eſt. Conſeſſus Monachorum piè, ac ſincerè celebrati, Deo acceptiſſimi, Ordinumque Monaſticorum ſaluti congruentiſſimi ſunt; at ubi eò ventum eſt, ut cœtus illi, genere quidem ſuo caſti, humanis affectibus vitientur, in peſſimam peccatorum ſentinam degenerant; quod utinam non adeo vulgatum foret. Conſiderent ergo, qui boni communis zelo flagrant, quàm ſit accuratè ſtudendum Cœnobiticorum conſeſſuum puritati, & juxta ea, quæ præſcripſimus, animum, & linguam moderentur. Caveant, ne quod Athenienſes Paulo ſtultè exprobrarunt, eis ſapienter, & cum doloris ſenſu obiici poſſit, ſi verborum ſemi-
natores, & novorum Dæmoniorum annun- F
ciatores ſint; qui verò graviſſimorum conſeſſuum ſanctitatem, tanquam intemeratæ virginis pudorem tueri curarint, ſperent ſanè laborem ea de cauſa ſuſceptum, à Clementiſſimo Deo ampla mercede repenſandum.

PARS SECUNDA.

De Regimine Generalium. G

CAPUT I.

Communis doctrinæ ad gubernationem appoſitæ ſtudium.

Gubernationis capita, quæ, & quot?

PErmulta ſunt communia gubernationis capita, quæ à nemine quovis nomine præfecto decet ignorari; qualia, quæ nos in *Arte gubernandi* (1) breviſſimè perſtrinximus: cujuſmodi eſt, primus ad Majeſtatem Divinam recurſus, exploratio ingenii ſubditorum, amoris oſtenſio, diſſimulatio, ſollicita providentia, & pleraque alia, quæ Pontificibus, Regibus, Prælatis, & quovis no-
mine præſidentibus mirifice congruunt. Hæc H
ergo cum ad genus præfecturæ pertineant, huc intexere non oportebit, atque adeò ad propriam Monaſtici regiminis ſpeciem, iis conſultò ſuppoſitis, & Generali commendatis, deſcendemus.

(1) Vide infra in hoc Tomo.

CAPUT II.

Creditæ gubernationis cognitio.

PRincipio Generalis creditæ ſibi gubernationis ſpeciem curet habere perſpectam. Norit ergo, an ſimplex, an mixta ſit; & in quam potiùs ſpeciem mixta propendeat. Nonnulli quippè Ordines Monarchicum ferè regimen ſectantur, modicamque Ariſtocratiæ, & Democratiæ mixtionem admittunt; etſi enim ex omni Ordinis corpore bene meriti ad prælationem aſſumantur, quod Democraticum eſt; licet etiam Definitorium è gravioribus Patribus ad conſilium deſtinetur, quod eſt Ariſtocraticum, rerum tamen deciſio, paucis exceptis, ad Generalem refertur, quæ Monarchica prælatio eſt; qualis enim regiminis ſpecies quæque ſit, non tam ex conſilio adhibito, quàm ex decidendi, ac imperandi conſortio, cenſeri debet. Regnum quippe ubi Rex univerſè imperat ex admiſſo multorum Senatuum conſilio à Principatu Monarchico minimè degenerat. Alii tamen Ordines Monaſtici ſunt, qui plus Ariſtocratici generis admiſcent, auctoritate Generalis arctiùs aſtricta, ut Definitorii ſuffragiis gravia multa, vel propemodum omnia, decernantur. Congregatio verò noſtra, ut eſt Hiſpanica, ad hanc formam mixtam, & in Ariſtocraticam propendentem, cæleſti munere, feliciter temperatur. Cujus certè rei cognitio prodeſt, ut Generalis ſe intra legum metas contineat, neque abſolutum meditetur imperium, quod divino conſilio mixtum, & multis experimentis probatum eſt.

Varia gubernandi ratio in Religioſis Ordinibus.

CAPUT III.

Functionum propriarum recenſio, & prudens executio.

GEneralis debet inprimis functiones proprias, cujuſmodi ſunt, Comitiis præeſſe, cœnobia viſitare, in conſeſſibus deciſa exequi, aliaſque omnes recenſere; & circa eas duo præſertim obſervare: unum, ne alias quàm proprias, niſi in eventu aliquo legibus permiſſo, uſurpet; alterum, ut ad proprias obeundas, modos prudentes excogitet. Primi moniti ratio in promptu eſt, nam functiones, quæ ad Comitia Generalia, vel Provincialia, ſive ad Definitorium generale jure ſpectant, nequit legitimè exercere: quæ verò ad inferiores Prælatos attinent, licet quoad multa capita poſſit efficere, rectæ tamen gubernationi parum conſonat, ut ſe iis ingerat, qui ad graviora à Deo deſtinatus eſt. Quocirca ſalubrius videtur, ut propria curet, non propria, aliiſque commiſſa, more conſueto ſinat decurrere. Accedit ad hujus moniti confirmationem experientia, qua conſtat ſupremos Prelatos inferiorum actibus ſe ingerentes, modicè amari, & pacis bonum ea de cauſa decreſcere.

Neque huic obſtat Doctrinæ, quòd inferiores Prælati nonnumquam labuntur: cum remedium viſitationis, vel privatæ quoque correptionis, quæ quovis tempore fieri poteſt, ſuppetat. Quòd ſi in eventu aliquo raro expedire videatur, actum aliquem inferiorum Prælatorum proprium, boni alicujus parandi, aut promovendi, vel abuſûs cujuſpiam extirpandi, malumve præcavendi cauſa efficere, minimè id improbandum eſt, cum traditæ doctrinæ non adverſetur. Non hic ſilendum prudentis eſſe Generalis, multa, quæ jure ſolus ipſe poſſet expedire, ad Comitia, vel Definitorium referre: quo quidem conſilio facilè convincit, malle ſe jure ſuo cedere, quàm jus aliorum ſibi arrogare.

Quæ Præpoſito Generali commendata?

Quod autem ad modos obeundis functionibus congruentes excogitandos ſpectat, oratione, prudenti obſervatione, conſilioque obtinetur: quæ omnia Generali impensè commendanda ſunt. De orationis, conſiliive neceſſitate nihil ambigitur. De prudenti obſervatione, quæ memoriam præteritorum, intelligentiam præſentium, providentiam futurorum, circumſpectionem, ſolertiam, cautionem omnino requirit, dicemus per ſingula capita, appoſitè ad rem quæ penſitabitur, quæ ſpeculatione, ac experientia comperire potuimus.

CAPUT IV.

Quomodo Generalis conſeſſibus præeſſe debeat.

NON fert animus de iis hoc loco diſſerere, quæ in Ordinibus Monaſticis Generali præſcribuntur, ut legitimè præſit; quæ in Conſtitutionibus, ubi gubernationis forma traditur, digeruntur: ſed de præſidendi modo; qui ad animum, corpus, ſermonem, agendorumque directionem fertur.

Primum ergo, ne Generalis imparatus accedat, ſed ope cæleſti prius poſtulata, affectum ita componat, ut omnino ſtatuat, quidquid acciderit æquo animo ferre, eique prorſus adhærere ſententiæ, quæ majore ſuffragiorum numero aſſeretur. Etſi enim quamdiu res in conſultatione verſatur, opinionibus variis locus inculpatè pateat, cæterum poſtquam res canonicè deciſa eſt, non decet adverſam opinionem ita hærere animo, ut ea de cauſa perturbetur. Quod adeò verum, & divino conſilio conſentaneum eſt, ut vix credi poſſit, animum hoc in genere renitentem Spiritu Dei agi; quandoquidem unum è primis diſciplinæ Monaſticæ principiis, quo Dei voluntas innoteſcit minimè complectitur. Quod ad corpus attinet, modeſtè ſedat, gravitatem comitate temperatam exhibeat, nihilque turbulentum vultu præferat, licet opinio in quam ſe incumbere fortaſſe ſignificavit, à majori ſuffragiorum parte, ut interdum contingit, minimè pro-

Quomodo ſe gerere debeat Generalis in Generalibus Comitiis?

Scriptus An. 1615.

probetur. Si enim aliter agat, neque paſſiones domuiſſe, neque ſe ſanctè præeſſe, ut par eſt, oſtendet. Quod ab eo, qui perfectionis magiſter conſtituitur, procul abſit. Obſervandum hìc, Prælatos à prudentia laudatos, præſagientes in gravibus conſeſſibus, ubi plerique doctrina, & ingenii perſpicacitate præcellunt, cauſas ancipites fore, A validaſque hinc inde rationes producendas, cautè admodum agere, ne ſignum aliquod certæ opinionis tenaciter apprehenſæ prodant, & in hunc modum paci, & propriæ etiam exiſtimationi conſulere, ne unquam reprobari videatur, quod ipſi probaſſe creduntur. Erga ſermonem obſervet, ne affectatè, affluenter, vehementer dicat: affectatio quippè mulieribus nota: affluentia, vitium gravitati, & rerum brevi agendarum multitudini diſſentaneum: vehementia, niſi circumſtantia quæpiam maximi ponderis urgeat, moleſtus viris rationi cedentibus ſtrepitus eſt. Dicat ergo ſincerè, moderatè, ſedatè, ut aliis ad ſententiam dicendam exemplo ſit. Hactenus prompſimus, quæ Generalem ad ſe ipſum in conſeſſu componendum B præſtare decet, ſupereſt, ut de aliorum directione dicamus. Hæc ad perſonas relata exigit, ut Patres omnes pro antiquitatis ratione ſedeant, rogati, aut ex officio dicant, ſuffragentur, cæteraque omnia legalia obſervent; quod à Generali curandum eſt. At extra ea, quæ legibus ſcripta ſunt, alia meditari expedit, ut omnia exactè dirigantur; cujuſmodi eſt rerum propoſitio, reſponſa, rogatio ſententiæ, ſtrepitus ſedatio, & id genus alia. Rerum propoſitio debet eſſe diſtincta, neque ad ſententias audiendas procedendum, niſi ab omnibus percepta fuerit. Conſtat autem, eam interdum repeti oportere. Reſponſa, quæ Generalis de incidentibus dubiis conſultus reddit, decet eſſe perpenſa, & ex anteacto ſtudio certa; C quia verò plerumque ex tempore promenda ſunt, qualia quæ interim, dum electiones fiunt, occurrunt, ubi omnis dilatio foret incommoda, ſi Generalis, quid reſpondeat, exploratum non habet, non erit indecorum, ſi unum vel alterum è gravioribus moneat, ut quod ſuccurrit enunciet, quod ipſe probabit, aut confirmabit, jubebitque ut cœpta electio, vel actus alius procurrat. Sententiam Patrum ita roget, ut ſuperflua reſecet, & parum apta coaptet. Pertinet quippè ad Generalem, ubi confuſa redditur, aliove vitio laborat, eam diſtinguere, & in bonam formam redigere: quod ſuaviter efficiendum eſt. Qui in ſententia dicenda licenter agunt, vel ſtrepitum D aliquem excitant, vel aliqua de cauſa excandeſcunt, leniter monendi, ut omnis vitetur offenſio. Sunt, & alia, quæ per hæc ipſa, quæ tradidimus, prudenter dirigi poterunt, ut opus non ſit, minuta quælibet percenſere. Obſervandum hoc loco, Generales, alioſque Prælatos traditis conſiliis innitentes, conſeſſus Patrum non modò prudenter moderari, verùm & ſeria negotia citiùs, quam alios abſolvere: quod minimè negligendum eſt.

CAPUT V.

Quomodo monendi Patres, qui ad ſuas Provincias à Generali dimittuntur.

PEramanter dimittendi, monendique, ut E quàm citò poſſint, provincias, vel Cœnobia decreta petant, ne grex eis creditus tamdiu deſeratur. Promittendum eſt, eis eſſe officium, quod ad curam ſibi demandatam explendam pertineat, & quidquid ad eorum ſolatium, juxta communes leges concedi decebit, expeditque maximè, ut hoc ipſum certis ſibi argumentis perſuadeant, ut reciprocus coaleſcat amor, & unà cum Generale ad Monaſticam diſciplinam alendam impigrè concurrant. Solent Generales ſub conſeſſuum finem Patres diſceſſuros hortari, & aliqua ex his, quæ indicamus capita attingere. Verùm efficacior eſt privatus ſermo cuique ſeorſim impenſus, & quædam charitatis confœderatio, cui in F futuris ſucceſſibus hærendum eſt.

CAPUT VI.

Quænam mandata recedentibus à Generali danda.

GEneralis rectè aget, ſi cœnobiis per Provinciales, Prioreſve ſalutem nunciaverit, ſcripſeritque, ſe ad omnes ſolandos affectu paterno comparatum eſſe, & ab eis nihil aliud, quàm fidam legum cuſtodiam exigere; hoc impensè commendare, hoc repetiturum eſſe: hoc ſi præſtiterint, ſe velut emptum mancipium fore. Optare etiam, ut nulla ultricis juſtitiæ occaſio ad ſpiritum lenitatis intermittendum cogat, cum in ejuſmodi eventibus, velit nolit ad G eos plectendos adigatur, quibus mallet, ſi conſcientia ferret, indulgere. Monita hæc initio impreſſa, bonos exhilarant, minus bonos coercent. Solent autem Generales cordati, per nutus, aut verba, vel nuntios ſignificare, ſibi conſtitutum eſſe, de nemine ad prælationem aſſumendo cogitare, qui diſciplinæ Monaſticæ lentus credatur obſervator: quod profuiſſe experimentis multis perſpectum eſt.

CAPUT VII.

Executio deciſorum à Generalis curanda.

NIſi Generalis, quæ in Comitiis ac H Definitoriis deciſa ſunt, fideliter exequatur, viam ſibi ad rectam gubernationem præcludit: cum enim omnium oculi in eum intenti ſint, eo utuntur argumento, ut ei minimè pareant, quod ipſe ſuperiori poteſtati nequaquam obtemperet. Quod æquo Dei judicio reprehenditur, gravi totius Ordinis damno, ex omiſſa vel prorogata deciſo-

Scriptus An. 1611.

ciſorum executione coorto. Hinc efficitur, ut prudentes Generales qualia efficiunt ſe paſſuros præſagientes, Comitiorum ſanctiones, velut oracula cæleſtia accipiant, de iis honorificè loquantur, eaſque executioni celeriter mandent: quod animis omnium ſubditorum magnam profectò venerationem ingenerat.

A

CAPUT VIII.

Generalis debet auctoritatem Prælatorum inferiorum aſſerere.

VAria eſſe poteſt commune bonum procurandi methodus, neceſſe tamen eſt, ut omnium rei Monaſticæ conſultorum ſententiam Generalis quiſque ſectetur. Omnes autem ad commune bonum apprimè conferre cenſent, inferiorum Prælatorum auctoritatem à ſupremo Ordinum Prælato roborari. Quod planè verum, ac perſpicuum eſt. Si enim Monachi ſibi perſuadeant ſe in variis poſtulatis, querimoniis, ſiniſtris interpretationibus, à Generale facilè exaudiendos, B vel audiendos, obedientiæ cultus concidet, crebritas litterarum intemperantium excreſcet, bella inteſtina inter Prælatos, ac ſubditos perenniter ardebunt, vitæque licentia exoſo quodam appellationis nomine graſſabitur. Accedit huc experientia, qua doctrina hæc poſt damna frequentia ſatis aſſeritur. Generalis ergo, ne Prælatorum auctoritatem enervet, ſed rebus ad eos vulgò remiſſis, verbis, ac ſcriptis augere aſſueſcat. Obſervandum hìc, viſum fuiſſe nonnullis, ad rectam gubernationem conferre, ſecreta quædam nuntia ab aliquo deſignato, è quovis Cœnobio ad Generalem tranſmiſſa. Verùm res hæc lubrica, & multis dolis expoſita videtur, cum eo ipſo, quod aliquis C velut delator Prælatorum conſtituitur, eorum auctoritas minuatur, & calumniis, atque diſcordiæ aperiatur via, quæ deberet intercludi. Suppetunt conſueta Monaſticæ diſciplinæ præſidia, quibus abſque novis, ac ſuſpectis actibus uti ſatis eſt.

CAPUT IX.

A præceptis, & cenſuris, quoad poſſit, Generalis abſtineat.

AD laudatum gubernationis genus, ac modum pertinet dexteritas, qua ſubditi ſine violentis impulſibus flectuntur ad D honeſtum; quocirca cum præcepta & cenſuræ violentum imperium repræſentent, ab eis, quamdiu cauſa non coget, abſtinendum eſt. Hinc efficitur, ut qui prælationis laude claruerunt, rarò admodum præceptis, & pœnis Eccleſiaſticis uſi fuerint, & quidem res ipſa oculatè ſpectata, pios animos angit: tremendum quippe videtur, hominem ullum, niſi ratione palam cogente, ſub æternæ mortis reatu ad quippiam agendum, vel omittendum adigere; præſertim, cum tam multis ejuſmodi vinculis aliàs innexi ſimus, & tam pauci juxta Evangelicam doctrinam æternam vitam adipiſci credantur. Quòd ſi rationibus humanis locus hic pateat, conjectura eſt, gubernandi talento carere, parumve valere, qui crebra præceptorum, & anathematum coactione utitur, cum ſubditos, quo velit, ſe flectere E non poſſe demonſtret.

CAPUT X.

Generalis, ne facilè diſpenſet.

UBI primævus Monaſticorum Ordinum flos elanguit, peſtis quædam creberrima diſpenſationis graſſatur, & ad Generalem, non ut Monaſticæ diſciplinæ conſervatorem, ſed tanquam ad relaxatorem paſſim recurritur; ut dolendum ſit, quàm multa exemptionum monſtra probentur. Res nimirum nota, & frequens eſt; quapropter Generalis, qui benè præeſſe, & ad tribunal Chriſti non accuſari cupit, ne liberaliter legum vincula ſolvat: ſed ubi omnino F diſpenſandum eſt, re prius expenſa, & adhibita cautione, ne in exemplum cedat, neve regulari diſciplinæ officiat, demum inſtantibus annuat.

CAPUT XI.

Ordinis propagatio moderata à Generali curanda.

NON valdè optandum eſt, ut Ordines ferè collapſi propagentur, è re tamen Eccleſiæ eſt, ut qui florent, in varias nationes, tanquam piæ quædam coloniæ deducantur; qua certè in re Generalis eſt, gubernandi modum ex fide, ac prudentia temperare, ne in humanam politicamve degeneret. Opus quippe Dei eſt, cujus procuratio cæleſti auxilio, & rationi admixtæ debet inniti, quod graviſſimis Sanctorum, G qui Ordinum Monaſticorum Patriarchæ fuere, teſtimoniis attribuitur: ii quippe, tunc per varia regna Monachos diſtribuerunt, cum numerus minor, ſed meritis auctior extitit; in quo fides eluxit. Obſervarunt tamen rerum proportionem, quam ſtatus præſens ferre potuit, neque hominum piorum auxilia reſpuerunt, in quo prudentiæ laus quoque reſplenduit. Hæc ſanè temperies probanda; hinc effici videtur, ut propagatio ad ſtatum florentem omnino pertineat: poſtquam enim diſciplina deflorata eſt, quorſum propagetur? Efficitur etiam, ut nimius timor fidei adverſus depellendus, nimia H etiam fiducia prudentiæ diſſentanea compeſcenda ſit: cavendumque prorſus, ne propagatio immoderatè procurrat. Profectò intemperans extenſionis cupiditas, Ordines aliquot Monaſticos, qui florere cœperant, diſſipavit, & primas quaſi vitium gemmas immodicus ardor ille decoxit.

Scriptus An. 1611.

CAPUT XII.

Temperata Miſſionum cura Generali cordi ſit.

NON eſt animus decernere, an univerſis Ordinibus Miſſiones congruant, ſed iis, quibus quadrant, modum ſuadere. Modus autem appoſitus videtur is, qui cum A legum propriarum obſervatione cohæret, quem unicuique Generali perſpectum eſſe ponendum eſt. Si ergo Generalis præſit Ordini, qui profitetur Inſtitutum, quod in regione aliqua longinqua retineri magna ex parte nequit: puta, ſi interdictus lege carnis eſus concedendus eſt, vel habitus, ſeu veſtimentum mutandum, vel Chori actus omittendi, vel frequenter intermittendi ſint, rectæ gubernationi non conſonat, ut Miſſiones in ejuſmodi regionem inſtituat; niſi ſummus Pontifex, qui diſpenſare poteſt, id fortaſſe jubeat. Ubi enim agitur de aliis exercitiis, cum quibus legitimi actus jam Deo conſecrati, ex quibus Cœnobitica vita B contexitur, commutandi ſunt, non videtur ad Generalis, ſed ad Summi Pontificis officium pertinere, de iis cogitare: cum ejuſmodi cura, ſupremi diſpenſatoris auctoritatem requirat. Ubi verò intacto Inſtituto Miſſiones fieri poſſunt, Generalis eſt, proximorum ſaluti quàm poſſit proſpicere: quæ quidem doctrina, ipſo divinæ legis, de proximo diligendo præcepto ſubnititur. Cæterum res hæc temperanter tentanda, & alenda eſt. Nam cum in locis ipſis, ubi Chriſtiana Religio floret, ſint innumera ſceleratorum hominum millia, quorum converſio non ſegniùs, quàm hæreticorum, ac ethnicorum expetenda, & curanda eſt: ſi C Generalis animadvertat, à ſubditis ſuis id bonum procurari, neque ſupereſſe numerum idoneorum aliorum, quos infidelium converſioni deſtinet, non videtur carpendus, ſi à Miſſionibus abſtineat, donec operarii ſuppetant. Jam autem, ſi excuſatio legitima prætexi nequeat, & Miſſio inſtituenda ſit, ii potiſſimum mittendi, qui ſpectatæ virtutis, & Regularis obſervantiæ tenaces ſunt; cum ii proximorum ſalutem ita curaturi credantur, ut propriæ ſaluti, & vitæ regularis ſtudio curam primam impendant. Zelus verò illorum, qui cum actibus vitæ Monaſticæ, quam profitentur, parum intenti ſint, ſe totus in curam Miſſionum D effundunt, præpoſterus, ac ideo reſpuendus eſt.

Ubi inſtituendæ miſſiones?

CAPUT XIII.

Generalis, quam diu poteſt, uno in loco conſiſtat.

FRequentia, & neceſſaria monaſticæ gubernationis negotia, per litteras expediuntur. Generalis quippe nequit in ſingulis Cœnobiis, niſi per dies paucos dum viſitat immorari, illaque adeò brevis ejus præſentia, Monachorum animos non ſatis explet. Cum ergo litteris ultro, citroque datis, perpetuæ gubernationis tenor decurrat, & reſponſa tempeſtiva ad ſolatium, dilata ad deſolationem ſcribentium conferant, manifeſtum videtur, certam in loco uno Generalis manſionem, excepta viſitationis cauſa, ad rectam gubernationem non E parum conducere. Ubi verò viſitationis, vel gravis cauſæ alterius neceſſitate coactus, à loco certo abeſt, enitendum eſt, ut litteræ ad eum ocyſſimè perferantur: quamdiu enim alius, quicunque tandem ſit, ab eo ſufficitur, non ipſe, ſed ſuffectus, quem Ordo totus non cooptavit, ac proinde non æquè placet, ac prodeſt, proculdubio gubernat. Ex quo perſpici poteſt, quàm noceat prolixa Generalis abſentia, quam major aliqua, omnibuſque nota utilitas minimè expoſcat.

CAPUT XIV.

Generalis à Provincialibus rationem ſtatus Provinciæ crebrò per litteras exigat. F

INtereſt multùm, ut Generalis de ſtatu Ordinis totius, qui variis de cauſis mutari ſolet, per litteras certior fiat; quod per ſe ſatis perſpicuum eſt. Qua quidem in re curandum inprimis eſt, qui ſolida virtute, ac doctrina præſtant, Generali innoteſcant, ut eis ad ſucceſſuros eventus uti poſſit. Huc confert catalogus nominum, ac meritorum, quem ex provinciis omnibus collectum, Generalem habere decet: ut ergo omnia perluſtrare, & prævidere poſſit, à Provincialibus rerum rationem frequenter exigat, & nihil, è gravibus ſaltem negotiis ignoret. G

CAPUT XV.

Generalis utatur opera Definitorum Generalium ad expediendia negotia, ubi numerus excrevit.

ORdines aliquot, Definitores, ſive Aſſiſtentes à regnis denominant, ob peculiarem curam lege illis creditam hujus, illiuſve regni: alii non ita denominant, functioneſque diſcernunt. Cæterum quocunque tandem conſilio id fiat, bene eſt, ubi moles negotiorum excrevit, ut labor dividatur, H iique fiant ejus participes, qui ſunt gubernationis conſortes. Si autem vires id ferant, bene eſt, ut Generalis omnia expediat, quod in Ordinibus recenter natis non videtur uſque adeo difficile; præterquam quod gratius eſt. Accedit huc moderati laboris diviſio, cujus pars Procuratori Generali obtingit. Accedit & Prælatio credita Definitoribus, qui in Cœnobiorum Priores eligi ſolent; cum pateat eos ſine communis boni damno poſſe præfici, & Generali ſtatis temporibus adeſſe. Ergo pro vario rerum ſtatu, Definitorum opera,

Scriptus An. 1615.

magis minusvè utendum eſt. Definitores autem inprimis eniti debent, ut ſubditos erga Prælatos benè afficiant, cavendumque eis eſt, ne occaſione functionum, quas obeunt, ſubditorum animos à Generale divertant.

CAPUT XVI.

A

Quomodo Generalis ſe gerere debeat erga Nationes varias, quibus præeſt.

NOn ſcripta dumtaxat, ſed verba, & nutus, quibus pronior in unam, quàm in alias nationes videatur, accuratè evitet. Indignè quippe accipitur ejuſmodi affectio. Si autem uberiorem charitatem aliis, quàm propriæ nationi nonnunquam oſtendat, minus ea de cauſa carpendus eſt, cum pateat, affectum propriæ nationis ſuſpectum aliis videri, amoris autem oſtenſionem in nationes diſſitas longè puriorem exiſtimari. Cum verò perdifficile ſit, benevolentiæ ſigna omni ex capite æqualia omnibus exhibere, Chriſtianæ charitati congruentius videtur, nationibus longè remotis auctiora ſigna præferre, ne deſeri, vel non æquè curari credantur. Solent autem Generales bene providi, ex aliis nationibus, in locum ubi vulgò morantur, adoleſcentes variis diſciplinis excolendos, & in ſchola Monaſticæ perfectionis accuratiùs educandos accire; ut eo luculento amoris argumento, nationes omnes reciproca charitate concilient, unamque diſciplinæ regularis formam ubique retineri faciant. Mos hic divinæ charitati, ac prudentiæ congener eſt.

B

CAPUT XVII.

Quænam ſint utiliora monita, quibus Generalis Prælatos inferiores, & Monachos univerſos debet urgere.

C

Monita. Primum.

TRia ſunt ferè: hortari nempe, ut orationis, & mortificationis ſpiritum alant: ut obſervantiam regularem tueantur: ut pacem conſtabiliant. Primum monitum cæterorum fons eſt. Si enim Monachi Prælatorum exemplo, & hortatu, orationis ſtudio ſe dent, propriaſque paſſiones ſubiugare conſtituant, firmiſſimum ſanè fundamentum ad Monaſticæ perfectionis ædificium defodient. Spiritu quippe cæleſtibus bonis intento, corporeque domito, nullis dæmonis infeſtationibus à communis, ac Regularis vitæ curſu, ſe retardari, aut pacis bonum ulla ex parte labefactare comperient. Res apud Monaſticæ rei conſultos omninò certa, & diuturna obſervatione deprehenſa eſt.

D

Secundum.

Secundum monitum omnium legum cuſtodiam amplectitur; ſed in ſolemnium votorum obſervationem præſertim incumbendum eſt; ut norit Ordo univerſus, Generalem inſtare, ut obedientia, caſtitas, paupertas exactè colantur, licentiamque in rebus tantis ferre nolle.

Tertium.

Tertium monitum mixtionem quamdam charitatis, patientiæ, ac prudentiæ requirit; ut Prælati inferiores, monente Generale, amanter, patienter, ac prudenter agant, pacemque nutriant, quæ bonum quoddam divinum eſt, cujus gratia multa ferre, ac diſſimulare oportere clariſſimi Ordinum Patriarchæ docuerunt.

E

CAPUT XVIII.

Quænam res à Generale Provincialibus, ac Prioribus præſertim commendandæ.

Novitiorum delectus, & accurata educatio commendata.

QUinque potiſſimum: Novitiorum delectus, & accurata educatio: modus officii divini religiosè admodum perſolvendi: Confeſſariorum inſtructio, & cautio: Prædicatorum ſimiliter inſtructio, & exemplum: Studentium cultura, erga ſpiritum, & doctrinam. Novitiorum delectus maximi ponderis eſt; qui ſi deſit, felix ſucceſſus ſperari nequit, ut tragicis multorum Ordinum liquet exemplis. Sanè homines obtuſi, naturam parum bonam ſortiti, & vitiis aliis naturalibus, ſeu moralibus fœdati, raro ita corriguntur, ut dedecori non ſint: præterquam quod nefas eſt, eos à mundo velut rejectos, ſine delectu ad divinæ Majeſtatis famulatum cooptare, cum Deo, quod in unoquoque genere lectiſſimum eſt, conſecrari debeat. Accedit huc Ordinum monaſticorum contemptus, ubi ſacra clauſtra, hominibus inertibus, & aliàs nullius exiſtimationis implentur. Delectus ergo habendus eſt, & qui ſatis idonei probantur admittendi, ac perfectiſſimè educandi, nec niſi profecerint, ad profeſſionem recipiendi. Res porrò graviſſima, & Generalis auctoritate planè digna eſt.

F

Officium divinum, quomodo perſolvendum?

Officii divini modus decorus, ac religioſus, ex ſacrorum rituum peritia, & modeſtia multa compoſitus, pars maxima decoris Eccleſiaſtici, & diſciplinæ Monaſticæ eſt. Quocirca à Generale meritò curandus, præſertim cum experientia conſtet, Monachos in re tanta paſſim ad Clericorum mercedem captantium abuſum degenerare, & in Miſſæ ſacrificio, & choro, deformia multa committere; quod modici ſpiritus, & collabentis diſciplinæ argumentum eſt.

G

Confeſſariorum inſtructio commendata.

Confeſſariorum inſtructio, ut modeſtiſſimè agant, duo ſunt minimè negligenda. Quàm autem ſint à Generale commendanda, portenta multa, quæ hac ætate contigerunt, & Ordinibus nonnullis tetram notam injuſſerunt, ſatis apertè demonſtrant.

Et Prædicatorum.

Prædicatorum opus Apoſtolicum à pleriſque adulteratur, expeditque valdè, ut auctoritate Generalis permoti Concionatores, & ſubjecti Chriſtum crucifixum prædicent, & in unam ferè Apoſtolicam dicendi formam omnes benè inſtructi conſpirent, exemploque vitæ ſe functione tanta dignos exhibeant.

H

Atque Studentium.

Studentium ſpiritus, qui ſolet teſcere, à Generale alendus eſt, peculiari aliquo remedio interdum adhibito, le-

cto-

Scriptus An. 1615.

ctoreſque graviter monendi, ut doctrinam ſolidam novitatibus exploſis edoceant. Hæc à Generale Provincialibus, & Prioribus imperata, ejuſque nomine vulgata prodeſſe ſolent. Neque decet, ut Generalis, qui reddituum, vinearum, aliarumque rerum ad Ordinem ſuum attinentium curam gerit, quæ monemus oblivioni tradat, vel A negligat; cum graviora, & ad ſalutarem gubernationem opportuniora ſint.

CAPUT XIX.

Quænam mala Generalis præcipuè depellenda curabit.

QUæ graviora ſunt, pejuſque nocent, inprimis arceri debent, præſenti remedio. Cæterum diſtinctione opus eſt: nam in Monaſticis Ordinibus jam collapſis, aut defloratis, mala, quæ altas radices egerunt, non alio, quàm efficaciſſimo aliquo Divinæ Potentiæ auxilio revelli, propulſarique poſſunt. In Ordinibus autem florentibus, mala, quæ ſerpunt, neque valde gravia ſunt, B neque adeò altè infixa, ut Generalis animo concidere debeat. Ex hoc ergo malorum genere, obſervandum eſt, quænam potiùs officiant, & ad ea depellenda præcipuus conatus adhibendus eſt. Res hæc diu cogitata, & inter prudentes collata eſt, multique in hac ſunt ſententia, ut Monachi ad primum Ordinum ſuorum florem vocati divinitus, ubi lenteſcere incipiunt, non modò frequentiùs, ſed pejùs lingua, & calamo, quàm aliis actibus peccent. Hi enim cum conſcientiæ, ac divini timoris curam non prorſus reſpuerint, & ex alio capite parum bene affecti ſint, non ſtatim ſe in peccata mortis inſcriptum gerentia præcipitant, ſed quæ leviora videntur, minimè horrent: imo licenter conglobant: qualia C ſunt, otioſa verba, detractio, mordacitas, ſiniſtræ interpretationes, colloquia vana, & planè ſæcularia, laus propria, altercatio, frequens conſcriptio inutilium, vel etiam noxiarum litterarum, quas importunis poſtulatis, curioſis nuntiis, querimoniis, & ejuſmodi aliis diſtracti animi ſignis implent. Hæ ſunt parvæ vulpes, quæ tamen gregatim irrumpentes demoliuntur vineas pietate, ac multo labore ſatas, & cultas. Quocirca Generalis prudens, & vigil, qui linguas, & calamos ſuaviter, ac efficaciter coërcere norit, feliciter gubernabit. Profuit nonnullis Generalibus ad rem hanc, Ordinem univerſum per inferiores Prælatos, aut litteras hortari, ut Monachi linguam calamumque parcè, ac modeſtè exercerent, D ſeque tacitis, & modeſtis fauturos, alios ſermone, ſcriptoque proprio convictos, pro culparum modo punituros. Ergo res hæc penſitanda eſt, & aliquod remedii identidem repetendi genus adhibendum, ne ſilva, quæ recens facilè cæderetur, neglectu ſuccreſcat, & obdurata difficulter falcem, & ſecurim admittat.

CAPUT XX.

Quibus mediis, ſeu remediis bona proximis capitibus tacta, Generalis obtinebit, malaque indicata propulſabit.

AD tria propemodùm capita referri poſſunt media, ſeu remedia illa: ad viſitationem: E ad communes exhortationes, & litteras: ad privatas etiam litteras, & correptiones prudenter adhibitas. Viſitatio antiquum, & canonicum remedium eſt, multaqne parit bona, ſi prudenter fiat. De hac, ut de re planè graviſſima, ſuo loco dicemus. Communes nunc exhortationes ad perfectionem tuendam, & promovendam commendare, ſatis eſt: habet quippè miram quamdam energiam, Generalis pii, & cordati vox, neque debet, ubi præſens eſt, officium ſermonis ſubtrahere. Litteras verò communes ſalutaribus conſiliis, paucis ſelectis expenſis inſtructas, ad Monaſticam diſciplinam ſuſtinendam, & abuſus evellendos efficaces eſſe ſolere, multis experimentis F perſpectum eſt. Hæ ſolent typis mandari, & in cænaculis, vel conſeſſibus Patrum legi. Privatæ litteræ à Generale eis, qui ignorant, & errant humaniter ſcriptæ, efficaciores, quàm communes evadunt, obtinentque plerumque, quod per inferiores Prælatos, nec blanditiis, nec minis impetrari potuit, quod de privatis colloquiis, ut multiplici patuit experientia pariter aſſerendum. Prodeſt interdum, ut Generalis Patri alicui, quem integerrimum eſſe fama eſt, committat officium hoc privatarum litterarum, & colloquii ſecreti, quaſi nihil ipſe reſcierit, quod experientia quoque confirmatum eſt. Prodeſt, quem in una Provincia vel Cœnobio inſoleſcere conſtat, alio deſtinare. Prodeſt incluſio per dies, vel hebdomadas aliquot indicta: prodeſt ſuſpenſio à miniſterio ſacrarum confeſſionum, vel G concionum ad tempus imperata: proſunt, & alia legibus præſcripta, vel à Generale excogitata: in quibus tamen omnibus, ante auſterum remedium, multiplex charitatis officium commendatur, & ſpiritus lenitatis ex Apoſtolico conſilio in remedio ipſo admovendo ſuadetur.

CAPUT XXI.

Quid à Generale obſervandum, ubi errantium deſperatur correctio.

ORdines univerſi ad malum hoc compeſcendum præſcripta legibus remedia in promptu habent, quæ recenſere minimè H neceſſarium eſt. Hìc tamen univerſè monendum, ut qui eo audaciæ prolapſi ſunt, ut aliis noceant, impunè agere nequaquam ſinantur. Hoc quippè inſigne diſcrimen, inter fragiles ſibi dumtaxat ipſis, & audaces aliis contagio ſuo nocentes, à bono Generale obſervari oportet, ut illis ſæpe, his non

Scriptus An. 1615. non tam ſæpe parcat. Imò, & hos poſt remedia legalia in caſſum adhibita à conſortio juſtorum arceat. Qua in re profectò tremenda obſervatum eſt, Prælatos nonnullos parum cautos, nimia temporis prorogatione, in cauſa fuiſſe, ut aliqui, qui jam ſatis deliquerant, quos ſaltem includere oportuiſſet, licenter agere permiſſi alios graviter perverterint, qui ut culpæ, ita & A pœnæ conſortes demum effecti ſunt. Monaſtica certè vita, velut intemerata virgo, oculatiſſimè à corruptione præſervanda eſt: cavendumque ſummopere, ne, quod proclive eſt, catena conſeratur aliqua, quæ multos ad interitum pertrahat.

CAPUT XXII.

Quid à Generale præſtandum, ſi contingeret à Sæcularibus, præſertim Principibus, quidquam diſciplinæ Monaſticæ parum conſonum poſtulari.

PRincipes non rarò litteris, aut precibus velut extortis Generales urgent, ut errantibus ignoſcant, aliquos parum idoneos B ad ſtudia mittant, vel Sacris Ordinibus initiari ferant, aut alia non abſimilia indulgeant. Profectò tantorum virorum animus carpendus non eſt, cum afflictis opitulari æquum eis videatur. Cæterùm, quod ad Monaſticam ſpectat diſciplinam, pervium eſt, ingens iis de cauſis damnum inferri. Quocirca Generalium partes ſunt, ubi ad quicquam in hoc genere indulgendum adiguntur, primum quidem rerum ſtatum deſcribere, mox precari ne inſtetur; demum ſi alia officia neutiquam proſint, generosè reniti: hic enim agendi modus, è ſuo quidem genere ſpectatus, pietati, ac prudentiæ, quin & juſtitiæ conſentaneus eſt: at- C que adeo credendum, Principibus ipſis, poſtquam rerum, & circumſtantiarum capita animo complexi fuerint, eum ſanè placiturum, eaque de cauſa Generales invictos gratiores ipſis futuros. Ubi verò ſine ſpirituali damno viris tantis obſequi poſſunt, ut planè interdum poſſunt, æquum eſt, ut ſe Generales faciles exhibeant.

CAPUT XXIII.

Quiſnam modus bonis temporalibus à Generale imponendus.

BOnorum temporalium nomine, bona quæcumque temporalia, etiam uſibus ſacris deſtinata, brevitatis gratia comple- D ctimur. Modus ergo iis præfigendus eſt, qui Monaſticam parcitatem deceat: ubi ſcilicet neceſſaria Eccleſiarum inſtructioni, victui, veſtitui, aliiſque ſimilibus ſuppetant: cætera neque avidè accipiantur, neque appetantur. Quocirca ſuperflui redditus, nimium ſumptuoſa ædificia, immoderata ſupellex, vel ejus generis alia à Generale ad congruentem voto paupertatis formam redigenda ſunt. Nam præterquam quòd opulentia etiam in commune poſſeſſa, ſtatui pauperum Apoſtolicorum diſſentanea eſt; omninò conſtat, ea de cauſa ſæcularium animos alienari, & Monachos (ut ipſi ajunt) divites odiſſe. Ne ergo ferat Generalis, ut Cœnobia eo modo diteſcant, neque felicem exiſtimet ſtatum, in quo divitiæ affluunt, ſed in quo ſpirituales opes augentur. Si quid autem ſplendidum in Eccleſiæ E ornatu, & Bibliothecis emineat, minus hoc quàm bona alia, offenſioni obnoxium eſt.

CAPUT XXIV.

Quis modus uſui privilegiorum à Generale præſcribendus.

EA Privilegia, quæ, cum in ſalutem cedant animarum, ſine ſtrepitu, & aliquo ſpirituali damno, in morem induci poſſunt, liberaliter ſuis permittere poterit. Quæ verò animos aliorum exaſperant, præſertim quæ ad bonorum temporalium acquiſitionem, augmentumve pertinent, circumſpectè admodum concedat, vel conceſſis uti ſinat, hæc per ſe rationi conſo- F na, & perſpicua ſunt.

CAPUT XXV.

Modus agendi cum Eccleſiæ Prælatis, & aliorum Ordinum Monachis à Generale præfigendus.

VUlgatum ſatis eſt, inter Epiſcopos, & Monachos diſſidia variis ex cauſis oriri, quod & inter diverſi generis Monachos frequenter accidit. Prudens ergo Generalis, quoad poſſit, cauſas diſcordiæ præcaveri jubeat, & iis jam excitatis moderationem ſummopere commendet. Nam G præter rei ipſius honeſtatem, exploratum eſt, pios animos ægrè ferre Monachos hujuſmodi litibus perſequendis intentos, vehementerque laudare eos, qui cedere, & Chriſtum mitem, & humilem imitari aſſueſcunt.

CAPUT XXVI.

Litteræ familiares Generalis, quales eſſe debeant.

DEbent eſſe breves, ac per capita, ſeu puncta diſtinctæ in iis, quæ ad reſponſa, ſive deciſiones attinent: eritque ad rem, ut ad eumdem modum ſibi reſponderi, ſcribique præcipiat. Creſcente quippè negotio- H rum mole, vix niſi experti credunt, quàm ſit moleſtum in prolixas, & inordinatas litteras incidere; in iis verò, quæ ad ſolatium, & inſtructionem ſpectant, expedit nonnumquam longiùs agere. Cavendum, ne ſcribendi modus ſit gravis, aut aſper, ſed comitate, ac ſuavitate temperatus. Parcendum Generali, ſi fidos, ac induſtrios Secre-

Scriptus An. 1615. tarios nactus, eis reſponſa compendio dicta,
digerenda quandoque committat. Cæterùm
intereſt multum, ut ipſe id officium
expleat, litteraſque dictet. Litteras acceptas
ordinatè diſpoſitas aſſervari curet, quæ
ad pleroſque eventus momenti maximi ſunt.

CAPUT XXVII.

A *Quid in viſitatione à Generali obſervandum.*

HOC loco ſtatuendum eſt, in unoquoque
Ordine Monaſtico decretam eſſe
Viſitatorum praxim, inſtructionemque neceſſaria
capita complectentem: puta quàm
modeſtè iter facere, ac in Cœnobiis excipi,
quàm humaniter accedere, quando viſitationem
inchoare, Eccleſias, & officinas
perluſtrare, de quibus divinæ legis, votorum,
Regulæ, Conſtitutionum capitibus
quemque appoſitè ad commune bonum interrogare,
quomodo cujuſque ſpiritum explorare,
de Orationis modo, de Præſentia
Dei, paſſionum mortificatione, tentationibus,
B ſolatiis, deſolationibus ſciſcitari debeat.
Quæ Generali in Viſitatione commendata? Inſtructione ergo Viſitatoris Generali
commendata, nonnulla proferemur, quæ
præ oculis præſertim habenda ſunt. Primum,
Primum. omnis Viſitatoris labor, in ſcopum
duplicem dirigitur: in abuſuum extirpationem,
& conſervationem, promotionemque
boni, quod ſubſiſtit; quocirca in hanc duplicem
curam, Viſitator debet incumbere.
Secundum. Secundum, Viſitator imprudens peſſimè nocet,
pius, ac prudens maximè proficit,
& quoddam reformationis genus canonicum
inducit. Quapropter neceſſe eſt, ut
opus viſitationis, ubi illud Generalis nequit
per ſe ipſum explere, viris valde piis,
doctis, & cordatis demandet. Tertium, Viſitator
Tertium. omnia oculatè circumſpiciat, & Patrem
potiùs, quàm judicem ſe exhibeat;
C præſertim ubi Monaſtica diſciplina viget,
cum ibi admiſſæ culpæ, non tam malitiæ,
quàm fragilitati vulgò adſcribendæ ſint.
Quartum. Quartum, ſatis crebrò, in utriuſque ſexus
Monaſteriis erratur in opere viſitationis,
tùm ob ignorantiam, tum ob imprudentiam,
non denunciantium, vel reſpondentium tantum,
ſed Viſitatorum quoque aliquorum,
qui correptionis ordinem invertunt, atque
confundunt; ſive ob Theologicæ doctrinæ,
& ſacrorum Canonum imperitiam, ſive ob
incogitantiam, & negligentiam. Quod licèt
in iis culpis levibus, quæ paſſim committuntur
ferri utcumque poſſit, tolerari
tamen non debet, ubi fama proximorum
in periculum adducitur, juxta doctrinam
D S. Thomæ, cujus verba Viſitatorum animis
hærere debent. Sanctus quippe Doctor
de Monachorum culpis agens, & reſpondens
argumento petito ex conſuetudine
Religioſorum, qui in capitulis monentur
ſic ait: *Dicendum, quod hujuſmodi proclamationes,*
22 quæſt. 33. art. 7. ad quart. *quæ in capitulis Religioſorum fiunt,*
ſunt de aliquibus levibus, quæ famæ non derogant:
unde ſunt quaſi quædam commemorationes
potiùs oblitarum culparum, quàm accuſationes,
vel denunciationes. Si eſſent tamen
talia, de quibus frater infamaretur, contra
præceptum Domini ageret, qui per hunc
modum peccatum fratris publicaret. Hæc S.
Thomas. Cum ergo Monachi ſimplices quicquam
inordinatè detegunt, Viſitator eos
inſtruat, caveatque ne ſcientia illa abutatur,
& ut ipſe officio ſatisfaciat ſuo, errantes- E
que erudiat, ubi de aliquo gravi peccato
(quod Deus avertat) agere contigerit,
ſubjectam doctrinam in capita diſtributam,
expenſam, & cum præclaris Theologis
communicatam obſervet.

CAPUT XXVIII.

Modus multiplex, quem ſubditi obſervare debent, in proximorum culpis detegendis.

QUatuor omnino modis ſubditi proximorum
culpas licitè poſſunt revelare
videlicet, via correptionis fraternæ, via
denunciationis canonicæ, aut juridicæ, via
accuſationis, ac denique dum Prælatus de F
aliorum culpis juridicè ab eis teſtimonium
exigit; modos ſingulos capitibus ſingulis
proſequemur.

CAPUT XXIX.

Quando, & quomodo fraterna correptio debeat exerceri.

SI quis novit peccatum fratris ſecretum,
ſoli auctori noxium, ſi ſperat ſuam monitionem
profuturam, eum leniter corripiat,
quo in actu, ſi reſipiſcat, quieſcendum
eſt. Si autem minimè reſipiſcit, & Primus correptionis fraternæ gradus, notatus.
adhuc monitor ſperat illum iterata correptione,
antequam teſtes inducat, corrigendum,
aliquoties eum moneat. Hic eſt
primus correptionis fraternæ gradus. Si monitione G
etiam iterata non corrigitur, monitorque
ſperat teſtibus inductis illum corrigendum,
inducat priùs unum, poſtea illum
ipſum, & alium, quibus præſentibus
fratrem ſuaviter admoneat. Hic eſt ſecundus
correptionis fraternæ gradus. Si adhuc Secundus.
non acquieſcit, ſpeſque ſubeſt, eum denunciatione
Prælato facta convertendum,
Prælato ut judici denuncietur. Hic eſt tertius
in hoc proceſſu gradus. Poterit etiam Tertius.
correptor, poſtquam ſuam correptionem
non prodeſſe perſpicit, antequam teſtes inducat,
Prælatum tanquam patrem, ſi profuturum
credat, de peccato fratris admonere,
& tunc hic erit ſecundus in hoc proceſſu
gradus. Qui ſi Prælato paternè hortante H
profuerit, ibi ſubſiſtendum: ſecus, addendus
eſt gradus tertius, adductis, uti ſuperiùs
dictum eſt, teſtibus: ac demum, ſi
correptus non reſipiſcit, Prælato ut judici
denunciandus; qui eſt quartus, & ultimus Quartus, & poſtremus correptionis fraternæ gradus.
in hoc proceſſu gradus. In quo, quid Prælatus,
ſeu Viſitator agere debeat, in praxi
Viſitatorum inferiùs tradetur. Aſſertum eſt,

Scriptus An. 1615.

poſſe Prælatum de peccato fratris certiorem fieri ante inductionem teſtium, ſi fructus ſperetur: quod intelligendum, niſi alius meliùs, aut æquè benè errantem reducturus credatur; tunc quippè Prælato culpa detegenda non eſt. In proceſſu hoc, qui totus dirigitur ad fratris ſalutem, ubi primus ejus gradus creditur inutilis, omiſſo eo A incipiendum eſt à ſecundo, qui ſi etiam putetur inefficax inchoandum eſt à tertio; at ſi tertius exiſtimetur non profuturus, incipiendum à quarto, qui eſt ipſa denunciatio Prælato, ut judici facta; quòd ſi & hæc inutilis credatur, omittenda eſt. Præſcriptus hìc ordo ſervandus eſt, ſi peccatum proximi ſecretum ſit, eique ſoli noceat; cæterùm ſi publicum ſit, vel communi bono Congregationis, aut Conventus, aut alicui innocenti officiat, aliæ regulæ ſunt obſervandæ, quas in capite proximo trademus.

CAPUT XXX.

B

Quæ, & quomodo debeant canonicè denunciari.

Denunciatio, quid?

CAnonica denunciatio, eſt manifeſtatio criminis facta Prælato, ut judici, propter bonum publicum, vel privatum, ſine obligatione probandi, quod denunciatur. Quæ Prælato denuncianda? Peccata publica, vel de quibus aliquis laborat infamia, quilibet obligatur denunciare Prælato, nulla correptione prævia, quod etiam aſſerendum de publicis culpis, etiam levibus, quæ ex conſuetudine à Communitate tota, vel ab aliquo ſingulari perpetrantur. Peccata ſecreta, communi Congregationis, vel Conventus bono pernicioſa, quilibet obligatur denunciare Superiori tamquam patri, ſi teſtes non habeat, & tamquam judici, ſi teſtem ſaltem unum C producere poſſit, niſi certò ſperaret, ſecreta correptione malum, quod ſerpit avertendum. Peccatum ſecretum innocenti proximo noxium, quilibet, qui correptione ſua non valet peccantem coercere, malumque depellere, aſtringitur denunciare Superiori, aut cuivis alteri, qui à periculo inſontem redimat, quin etiam & ipſi innocenti, ſi aliter eripi non poſſit; non tamen poteſt cuilibet paſſim malum detegere, ſed ei, vel eis, qui ad malum propulſandum neceſſarii ſunt: ac ſi ſufficiat detegere crimen, debet celare perſonam. Si peccatum ſecretum fratris, ei dumtaxat nocet, quicumque correptione ſua privata, teſtiumque inductione, modo in capite præcedenti deſcripto, illum minimè corrigit, debet Su- D periori ut judici denunciare, ſi teſtem ſaltem unum habeat, quia ipſe poterit eſſe ſecundus; vel tamquam Patri, ſi teſtis deſit, dummodo in utroque eventu ſpes emendationis ſuppetat. Eademque praxis obſervanda eſt, ubi privata correptio, vel teſtium inductio, vel utraque omittitur, quia non creditur profutura, & ſpes adhuc ſupereſt reſipiſcentiæ, ſi alterutra ex denunciationibus fiat. Quando frater in veriſimili peccandi periculo, a quo ſolus Prælatus creditur poſſe illum liberare, quilibet obligatur Prælatum, ſaltem ut Patrem, certiorem facere, etiam dum peccatum ſoli noceat auctori, ſive monitionem ſecretam, & inductionem teſtium præmiſerit, ſive ſecus. Dum Prælatus inquirit non ad punitionem, E ſed ad electionem faciendam, quilibet ſciens culpas, ſive defectus Officio repugnantes, aut noxios, etiamſi ſecreti ſint, debet eos aperire Prælato ipſi, vel alteri profuturo, nulla monitione præmiſſa, niſi credat ſe privata adhortatione remedium allaturum.

CAPUT XXXI.

Quæ, & quando non debent denunciari Prælato.

QUoties quis ſperat bonum, quod per denunciationem quæritur, alio modo, aut medio æquè obtinere poſſe, ſine ulla, vel cum minore fratris infamia, non obligatur denunciare, imò ex charitate aſtrin- F gitur omiſſa denunciatione, medium ſive remedium illud adhibere: oportet autem ſi damnum, quod timetur commune ſit, vel alicujus innocentis, ut ſpes illud per tale medium vitandi, ſit valdè firma, ſive certa. Cæterum ubi damnum ſolius eſt peccantis, minus certa ſpes ſufficit, ut quis denunciare non debeat. Nemo obligatur denunciare, accuſare, aut ſecretò corripere, cum gravi, ſeu notabili ſuo detrimento, niſi boni communis intereſſet. Nemo poteſt culpas etiam pubblicas, à quibus frater reſipuit, & pro quibus legitimè punitus fuit, denunciare, niſi eas iteraverit, aut non ſatis punitus fuerit. Nemo poteſt peccatum de quo eſt dubius, vel quod à le- G vibus relatoribus accepit, denunciare, niſi bono communi, vel innocenti noceret; tunc enim ſimul cum dubio, & referentium levitate deferri deberet, ut Prælatus vigilaret. Nemo poteſt culpas ſecretas, bono communi, vel alicui innocenti noxias denunciare, ſi ſecreta credat auctorem correptione certò corrigendum: ſecus ſi non ſit omninò certus. Non obſtat huic doctrinæ praxis ſanctæ Inquiſitionis, jubentis ut hæretici, aut malefici ſtatim denuncientur; ſuppetit enim cauſa juſta præcepti, cui abſque diſcuſſione parendum eſt. In aliis ergo criminibus, ubi nullum obſtat præceptum, doctrina à nobis tradita obſervanda eſt. Nemo poteſt culpas ſecretas, quas novit ſub ſecreto, aut per conſultationem, H denunciare, etiamſi adiuretur, vel præcepto, vel cenſura conſtringatur; niſi ſint contra bonum commune, vel innocentis alicujus, & tunc proximè tradita, majoris minoriſve certitudinis regula ſervari debet: Nemo poteſt culpas ſecretas ſoli peccanti noxias, Prælato tamquam Patri denunciare, ſecreta monitione, ſi creditur profutura, ra, non præmiſſa, niſi proximus ſit in periculo recidendi, à quo ſolus Prælatus creditur eum liberaturus. Nemo poteſt culpas ſecretas ſoli peccanti nocentes, Prælato tamquam judici denunciare, ſecreta monitione, ac teſtium inductione, ſi profuturæ creduntur, non præmiſſis, & tunc debet habere unum ſaltem criminis teſtem, & ſpem, quòd proximus ea denunciatione corrigendus ſit.

A

CAPUT XXXII.

De quibus, & quando accuſatio fieri debeat.

Accuſatio quid?

ACcuſatio eſt manifeſtatio criminis, facta Prælato tamquam judici, ad punitionem propter bonum commune deſtinata; quæ in ſcriptis fieri debet, & ad probandum obligat. Nemo aſtringitur accuſare eum, à quo iniuria affectus eſt, cum ſit Chriſti conſilium offenſionibus ignoſcere. Solos, & omnes bono communi nocentes obligatur quis accuſare, ſi crimen probare poſſit, non verò ſecus. Imò ſi per denunciationem judicialem ſufficienter proſpicitur B bono communi, nemo cogitur accuſare, ſed tantùm denunciare: ac ita fieri debet, niſi quando Prælatus non facilè inveniret teſtes ad crimen probandum, & periculum eſſet in mora, tunc enim qui teſtes haberet, accuſare obligaretur, ut bono communi poſſit citò ſuccurri.

CAPUT XXXIII.

Quæ, & quando ſubditi debeant teſtificari, dum Prælatus teſtimonium exigit.

Teſtis quando debeat vera dicere.

QUilibet obligatur ſe in teſtem offerre, dum perſpicit ſuum teſtimonium eſſe neceſſarium ad commune, vel alicujus innocentis damnum vitandum. Teſtis legitimè interrogatus aſtringitur vera dicere, quòd ſi ex hoc grave damnum patiatur, C poteſt ſine mendacio veritatem celare, niſi boni communis intereſſet teſtimonium ferre; tunc enim privatum damnum pro communi bono ſubeundum eſt. Juridicè, ſeu legitimè interrogatur, tam teſtis, quàm reus, cum eis oſtenditur à competenti judice, unum ſaltem è tribus: ſcilicet infamia probata, vel indicia expreſſa ſimiliter probata, ubi crimen, cujus auctor indicatur, publicum, vel notorium eſt, aut ſemiplena denique probatio, quæ componitur ex accuſatore, ac uno teſte, qui ſit omni exceptione major, ſive (quod idem eſt) qui omni ſuſpicione careat. Si reus juxta doctrinam hanc legitimè interrogetur, ſemper obligatur fateri veritatem; ſi autem ipſe, D vel teſtis contra hunc juris ordinem rogentur, poteſt reus reſpondere, ſe non feciſſe, teſtiſque ſe nihil ſcire, ſubintelligens, quod fateri debeat. Quando in proceſſu accuſationis aliquis accerſitur, ut teſtificetnr, etſi ſit primus è duobus, qui ſoli rem noverant, obligatur verum proferre, oſtenſa ei à judice accuſatione ſola, quæ ſufficit ad eum legitimè interrogandum. Quando ſunt multi criminis complices, & unus eorum tantùm infamatus eſt, vel ſufficientibus indiciis notatus, non poteſt ipſe, vel teſtes alios ab infamia, & indiciis liberos propalare, niſi crimen bono communi, aut proximo innocenti noceret. Hactenus egimus E de doctrina communi in compendium redacta, quam Generalis, & quilibet alius Viſitator in promptu debet habere, ut ſubditos in quovis procedendi modo inſtruere norit: modo ad proportionem, ac numerum quatuor capitum, quæ digeſta ſunt, de praxi Viſitatorum, ſive de iis, quæ ſunt à Viſitatoribus præſtanda, ſcribemus.

CAPUT XXXIV.

Quot modis Viſitator ad officium ſuum explendum, procedere poſſit.

QUatuor omninò modis agere poteſt: via nempè paterna, ubi ei tamquam Patri ſubditus denunciatus eſt: via juridicæ, ſeu canonicæ denunciationis, ubi ad eum F quaſi ad judicem ſubditus defertur: via inquiſitionis, quæ eſt ex officio: via denique accuſationis, quæ ad punitionem communis boni gratia deſtinatur, de ſingulis per capita diſſeremus.

CAPUT XXXV.

Quomodo Viſitator ſe geret erga ſubditum fraternè, ſive, ut alii loquuntur, Evangelicè denunciatum.

PRimùm debet illum ad ſe delatum paternè admonere, & ſecretò recidendi occaſiones, ſi quas habeat amputare. Poterit interdum, ſi expedire crediderit, coram teſtibus fraternæ correptionis jam adductis, aut ſi ſalubriùs putaverit, etiam coram G aliquo, vel aliquibus Patribus prudentibus, illum corripere, ac ſi prodeſſe poſſe videatur, minari ſe cautè vigilaturum. Poterit etiam coram iis, ſi culpam fateatur, illum verberare, ut incuſſus timor ad firmiorem correptionem proficiat. Si Viſitatoris, aut Prælati monitis, culpam confeſſus obtemperet, cum emendationis propoſito, non poteſt juſtè puniri, aut modo ullo ita tractari, ut malè audiat; aliter grave peccatum à Viſitatore committitur. Dum frater admonitus, Prælato, ſeu Viſitatori non paret, vel crimen inficiatur, ſi nocet communi bono, Viſitator juridicè procedat, ipſo Evangelico delatore juridicè denunciante, ac teſtis vicem gerente. Dum H crimen ſoli nocet auctori, ac deſunt teſtes, ſubditusque crimen protervè negat, ibi ceſſandum eſt; donec adſit infamia, vel alia, quæ ſufficiunt ad inquirendum, ut inferiùs de inquiſitione tradetur. Si verò in prædicto eventu, teſtes criminis adſint: tunc rebellione, ſeu protervia accuſatoris vicem ge-

Scriptus An. 1615.

gerente, cum duobus teſtibus poterit juridicè plecti; dummodo bono communi damnum non inferatur, & ſpes ſit pœnam ei ad ſalutem profuturam; nam ſi deſit ea ſpes, deſiſtendum eſt, ac orandum pro eo, niſi communi bono expediret, eum etiam pertinacem juridicè punire.

A

CAPUT XXXVI.

Quomodo Viſitator ſe geret in denunciatione juridica.

ETSI in denunciatione juridica, ſive canonica, quemadmodum in accuſatione, crimen defertur ad Prælatum tanquam ad judicem: at in denunciatione non obligatur delator ad probandum, ſicut accuſator, ſed in eo eventu obligatur Prælatus ad teſtes criminis inquirendos. Si Prælatus, aut Viſitator deprehenderit, denunciationem juridicam eſſe falſam, vel contra charitatem, vel ortam ex notitia confeſſionis, obſervet, quæ in capite de accuſatione præſcribuntur: ſi autem nihil horum noverit, B debet eam recipere, & inquirere, ſervatis iis, quæ in ſequenti capite trademus.

CAPUT XXXVII.

Quomodo Viſitator ſe geret, in criminis, & delinquentis inquiſitione.

Inquiſitio duplex, & quæ?

MEminerit, duplicem eſſe inquiſitionem: alteram, quæ fit de alicujus meritis ad electionem quampiam: alteram, quæ fit de culpis ad correptionem, vel punitionem: quæ duplex eſt: una generalis, cum ſine expreſſione alicujus culpæ, vel perſonæ ſingularis, inquiritur de culpis, ac perſonis generatim: C altera particularis, dum inquiritur ſigillatim de aliqua culpa, vel perſona particulari, vel de utraque ſimul. Inquirendum eſt de perſona eligenda, tametſi nulla præceſſerit infamia. Inquirendum eſt generatim ad correctionem, vel punitionem, nulla pariter infamia præcurrente. Inquiſitione particulari utendum non eſt, niſi in ſubiectis eventibus. Si ex inquiſitione generali conſtiterit, crimen, & ejus auctorem eſſe publicum, de utroque ſigillatim inquirendum eſt. Si crimen ſit publicum, vel notorium, auctor verò ſit omninò occultus, inquirendum eſt, quiſnam fecerit? non, ſi Petrus fecerit? donec contra Petrum appareant ſaltem indicia expreſſa. Quæ, ſi per duos teſtes probentur, ſtatim inquirendum eſt, an Petrus fecerit? D Si crimen non eſt publicum, nec notorium, de eo tamen eſt aliquis infamatus, inquirendum eſt diſtinctè de infamato. Animadvertat autem Viſitator, infamiam non debere eſſe apud paucos, nec à malevolis, aut levibus ortam: & præterea debere, per duos ſaltem teſtes, juridicè probari, ut jus tribuat ſigillatim inquirendi. Sola indicia etiam expreſſa, & juridicè probata non ſufficiunt ad particularem inquiſitionem, niſi crimen ſit publicum, aut notorium. Si crimen ſit omninò ſecretum, aut tribus, vel quatuor notum, ſi non ſit infamia, vel noceat communi bono, fieri nequit particularis inquiſitio: ſi verò communi noceat bono, denunciatione judiciali accuſatoris vicem gerente, E debet Viſitator peculiariter inquirere, cum uno tantùm teſte, etiamſi ſit idem denunciator, præſertim ſi indicia adſint.

Inquiſitione particulari quando utendum?

CAPUT XXXVIII.

Quomodo Viſitator ſe geret in accuſationis eventu.

ACcuſationes quoad poſſit ſine ſcandalo, aut detrimento boni communis impediat: nam præter damna, quæ invehunt, vix unquam in Clauſtris neceſſariæ ſunt. Si norit, accuſationem eſſe falſam, obligatur nihil non agere ex iis, quæ Deus ſuggeſſerit, ut à judicio repellatur, & innocens cuſtodiatur illæſus. F Prodeſt tunc accuſatori minari, judicium ſuſpendere; ſimulata verò ſimili ſuſpenſionis cauſa, niſi ſcandalum, aut communis boni damnum inde oriatur. Si noverit, accuſationem eſſe veram, ſed charitati contrariam: puta, quia eſt de crimine occulto, vel ſit non præmiſſa correptione, cum præmitti deberet, obligatur tanquam pater, & tanquam proximus accuſatorem monere, ut ab accuſatione deſiſtat, & ſuæ conſcientiæ conſulat. Si conſpexerit, accuſationem ex notitia confeſſionis oriri, quocunque damno, vel ſcandalo poſthabito, eam reiicere adſtringitur. Si quando Prælatus, aut Viſitator accuſationem impedire nequiverit, accuſatorem præmoneat, quod accuſati pœnam ſubiturus ſit, G ſi in probatione defecerit; quod & exequeretur, niſi rerum ignoratione, aut immoderato zelo potiùs, quàm odio eum accuſaſſe conſtiterit. Omiſſa juris ſolemnitate multiplici, procedat ſimpliciter, ac de plano, eam dumtaxat obſervans, quæ jus divinum, & naturale, Chriſtiana charitas, & veritatis declarandæ neceſſitas exigunt. Quemadmodum Bonifacius VIII. aliique Pontifices conceſſerunt; quæ autem ea ſint, infra conſtabit.

Accuſatio quomodo recipienda?

Accuſationem ſcripto recipiat, per capita diſtinctam, quam ſubſcribet accuſator, aut ſi ſcribere neſciat, ejus nomine ſecretarius deſignatus, die, menſe, annoque notato: ſtatimque accuſatori tempus aſſignet, intra quod teſtes producat, ad accuſationem probandam, H teſtes adductos examinabit, citabitque reum, & confeſſionem exiget, ac denique damnabit, vel abſolvet. Quæ autem in his actibus obſervari debeant, proximis capitibus tradentur.

CA-

CAPUT XXXIX.

Quomodo Prælatus, aut Viſitator teſtes interrogare debeat.

SI per accuſationis viam proceditur, primo teſti accuſationem oſtendet: ſecundo, & aliis accuſationem, & teſtis ſaltem unius teſtimonium, nominibus accuſatoris, teſtiumque ſuppreſſis; ſic enim conſtabit, eum legitimè interrogari, illoſque ad verum fatendum aſtringi. Si per viam inquiſitionis proceditur, quando hæc non fit de delicto, ſed de infamia, vel indiciis (prius enim quàm fiat particularis inquiſitio de delicto, fieri debet de infamia, vel indiciis delicti) nihil oportet præcedere, niſi præceptum teſtibus impoſitum; nam ad inquirendum de infamia, non requiritur alia prior infamia. Si fiat inquiſitio particularis de delicto, & de perſona, Viſitator oſtendat teſtibus publicum, vel notorium factum cum indiciis juridicè, hoc eſt, per duos teſtes omni exceptione majores, & juratos probatis, aut etiam infamiam juridicè probatam, ut ſe ad reſpondendum obligari conſpiciant. Singulorum teſtimonia per capita diſtincta, Viſitator à Secretario deſignato ſcribi jubeat, vel eiſdem præſcribenda committat, præmiſſo formali præcepto, in ſcriptis impoſito, ac eorum juramento. Deinde teſtes ſua teſtimonia ſubſcribant, aut ſi neſciant, eorum nomina Secretarius ipſe annotato loco, die, menſe & anno.

Non minetur teſtibus, vel urgeat ad teſtificandum, ſed ſinat eos teſtimonium liberum ferre, & ſi tempus ad conſilium capiendum poſtulaverint, leniter concedat, vel ipſe tamquam pater eos inſtruat, ut ſciant quid ſilere, quid aperire debeant; quod certè officium iis præſertim, qui ex ignorantia labuntur, impendendum eſt.

Ne interroget de ſociis criminis, niſi fuerint diffamati, vel niſi crimen officiat bono communi.

CAPUT XL.

Quomodo Viſitator à reo confeſſionem exigere debeat.

SI accuſationem non comitatur ſemiplena probatio, quæ ex accuſatore, unoque teſte, omni ſuſpicione carente componitur, ac ſi, dum per inquiſitionis viam proceditur, infamia, vel expreſſa publici, ſeu notorii criminis indicia juridicè per duos ſaltem teſtes non probantur, non poteſt Viſitator à reo confeſſionem expoſcere.

Si ſubſit ſemiplena in accuſatione probatio, vel infamia, ſive indicia juridicè probentur, reum citare debet, & impoſito præcepto, eum ad fatendum adigere: oſtenſa prius accuſatione ſemiplena probata, vel infamiæ, indiciorumve juridica probatione, tacitis accuſatoris, teſtiumque nominibus; ſic quippe conſtabit jus interrogandi, & obligatio reſpondendi.

Non interrogabit de ſociis, niſi fuerint diffamati, vel niſi crimen officiat bono communi.

Si reus fateatur, nihil ſupereſt peragendum, præterquam ferre ſententiam, ut capite proximo dicetur.

Si reus voluerit accuſationi reſpondere, vel teſtibus quippam opponere, & ob id exemplum accuſationis, ac probationum poſtulet, illud ei tacitis ſemper nominibus concedendum, & tempus ad teſtes pro ſui defenſione producendos, præſcribendum eſt.

Adductos à reo teſtes, juxta ordinem cap. XXXIX. præfixum, examinabit in iis, quæ reo ipſi favere poterunt: quo peracto ad ſententiam ferendam, vel reum abſolvendum deveniet, ſervatis quæ capite ſequenti ſubiiciemus.

CAPUT XLI.

Quomodo Viſitator abſolvere, vel damnare reum debeat.

SI rei exceptiones, vel oppoſitiones ſufficientes ſint, vel ſaltem culpam ejus dubiam reddant, abſolvi debet; nemo enim in dubio condemnandus eſt.

Si reus culpam juridicè fateatur, aut ſi, quamvis neget, ea legitimè probetur per duos teſtes oculatos, fide dignos, concordes, juratos, quorum quilibet integrè de culpa deponat, puniendus eſt.

Nemo ſine prædicto duorum teſtium numero condemnari debet. In gravioribus autem criminibus major numerus quærendus eſt.

Si pœna criminis per canones, vel leges, in quibus Viſitator nequeat diſpenſare, definiatur, totam illam reo irrogabit, niſi communi bono expedire judicaverit, ut aliquando leniatur.

Si pœna criminis ſit arbitraria, ad clementiam potiùs, quàm ad ſeveritatem propendeat; caveat autem ne quid nimis.

Has ſententias Viſitator in Patrum conſeſſu, ſeu Capitulo feret, moxque faciet executioni mandari, appellatione quavis executionem impediente repulſa.

In ſententiis ferendis, ac pœnis irrogandis, caveat, ne paſſione ulla immoderatè agitetur; quod ut obtineat, ad ejuſmodi actus, prævia oratione, ac ſi opus fuerit, conſilio accepto, procedat.

Culpas publicas in Capitulo puniat, niſi communi bono opportunius cenſeat, errantes privatim aliquando plectere.

Si Viſitator contra juris ordinem à reo confeſſionem extorſerit, obligatur, quoad ſine ſcandalo poſſit, eniti, ut abſolvatur; ſi tamen ſcandalum oriatur, eum puniet quam mitiſſimè poterit; pro iniuria ei ſatisfacere, bonis officiis, laudibus, precibus, aliiſque id genus actibus, conabitur.

Scriptus An. 1615. De nulla culpa fiat à Viſitatore proceſſus, niſi ejus pœna ſit alicui tribunali, vel Prælato Superiori reſervata, in cæteris de plano, ac ſine ſtrepitu proceſſus agere, diſciplinæ Monaſticæ congruentius videtur: niſi ex circumſtantiis prudenter judicetur, proceſſum fore neceſſarium, ut Viſitator oſtendat, quam rectè ſe geſſerit.

A

CAPUT XLII.

Obſervatio erga traditam viſitationis doctrinam.

Redegimus in compendium, quod ab Auctoribus multis prolixè diſputatur, & ad praxim ita coaptavimus, ut non modò Generalis, ſed Prælatus, ac Viſitator quilibet, labore noſtro commodè uti poſſit. Monemus autem, ut qui eo ad viſitationem utetur, attentè legat, ne aliquid in re planè gravi, parum conſideratè prætereat.

B

CAPUT XLIII.

Generalis eſt eniti, ut totius Ordinis bonum, extraordinario aliquo providentiæ genere, integrum conſtet.

Licèt viſitationis opus certis temporibus à Generale, vel aliis ab eo deſtinatis expleatur, non propterea quieſcendum, ſed perpetuò vigilandum, cavendumque eſt, ne inferiores Prælati, vel ſubditi exiſtiment, Generalem abſoluta ſemel viſitatione remiſſiùs acturum, diſciplinamque Monaſticam lenteſcere permiſſurum. Hæc enim perſuaſio vehementer nocet, ac bonum ipſum, quod viſitatione paratum eſt, breviter demolitur. Quo ergo bonum acquiſitum diutiùs conſervetur, bene eſt, ut C Generalis extraordinario aliquo viſitationis genere, perluſtret ea loca, quæ eiuſmodi auxilio indigere perſpexerit. Quod certè officium Patri alicui ex gravioribus credere interdum poterit. Erit etiam ad rem, ut Provinciales, ac Prælatos alios ad officium præſtandum impensè per litteras hortetur, attingatque capita illa communis, ac regularis vitæ, quæ novit peculiari tunc indigere adminiculo, vel quia langueſcere cœperunt, vel quia abuſus aliquis irrepſit, vel quovis alio modo diſciplina Monaſtica paſſa eſt, ſive etiam timetur, ne brevi labefactetur.

D

CAPUT XLIV.

Generalis eſt cavere, ne Cœnobia conditionibus Monaſticæ diſciplinæ diſſentaneis graventur.

Quilibet Ordo Monaſticus bene inſtitutus leges habet, quibus oneroſæ E conditiones interdicuntur. Cæterum non omnia capita vilibus ſtatutis percenſeri poſſunt, exploratumque eſt, Generalem hac in cauſa poſſe multa promittere, quæ noceant, & ad ipſius partes proculdubio ſpectare, ut iis tantum conditionbuis præſtetur aſſenſus, quæ Inſtituti proprii actus nec impediant, nec invertant, neque ullo modo pertubent: quid enim proſint pingues reditus, largæve eleemoſynæ, ſi iis de cauſis, Horæ canonicæ ſtatis temporibus cani, aut recitari plerumque non poſſint, quod ad ſæcularium benefactorum arbitrium anteverti, aut differri debeant? Quid ſi importuno tempore Miſſæ ſacrificium, inverſo quotidianæ diſciplinæ ordine, offerendum, F aut oratio decreta omittenda, ſeu brevianda ſit! Hæc, ne graviora proferamus, bonis Generalibus ea videntur, ut malint Cœnobia non condi, aut condita deſeri, quàm iis diſciplinæ Monaſticæ damnis annuere: quod prudentiæ, ac pietati vertendum eſt.

CAPUT XLV.

Generalis eſt, ſpiritum charitatis in Ordine univerſo alere.

Charitas vīculū perfectionis dicta

Quo quis Ordo Monaſticus perfectiùs agit, eò charitas, quæ vinculum perfectionis eſt, apertioribus ſignis, inter Ordinis ipſius profeſſores exercetur, non erga G ſpiritualia tantùm, qualia ſunt reciproca ſacrificia, & orationes, verùm erga temporalia quoque, quæ cum notiora ſint, veri amoris perſuaſionem ingenerant. Hunc ergo ſpiritum Generalis fovere debet, hortans inferiores Prælatos, ac ſubditos, ut officiis, ac beneficiis, mutuè de ipſius venia certent. Hunc ſpectat charitas, a Cænobiis uberioribus impenſa iis, quæ penè victu, ſacris veſtibus, aliiſve rebus neceſſariis carent: tametſi ejuſdem Provinciæ, aut Regni non ſint. Huc etiam pertinet, plurimum commendata hoſpitalitas, & ægrotorum ab uno in aliud Cœnobium, vel Provinciam ſanitatis gratia migrantium cura, & ejuſmodi alia, quæ ſi deſint, modica ſalutis ſpes in Clauſtris ſupereſſe videtur. H Si autem hæc mutuæ charitatis officia iis, qui aliunde veniunt, abundè, promptè, hilariter impendi debent, manifeſtum eſt, iis, qui in eodem Cœnobio commorantur, familiaria eſſe debere, quod ſanè ex voto ſuccedet, multoque ſtabilius perſeverabit, ſi omnes intellexerint, id à Generale expeti & commendari.

CA-

Scriptus An. 1615.

CAPUT XLVI.

Varia monita à Provinciis miſſa, quomodo à Generale accipienda.

FAmiliare eſt, non Prælatis inferioribus modo, ſed aliis, qui zelo flagrant, Generalem de ſtatu rerum certiorem facere, & interdum, quæ eis agenda videntur, modeſtè proponere; præſertim, ubi Generalis mitis, & conſilii cupidus eſt. In his ergo monitis ea temperies obſervanda eſt, ut Generali id officium minimè diſpliceat, imò gratum ſibi accidere ſignificet. Cæterùm lentè procedendum, tum in fide adhibenda, ubi mala moralia nunciantur, tum, & multò magis in remedio admovendo. Evenire quippe ſolet, ut ob antipathiam, vel cauſas alias profectò leves, multa ſcribantur, quæ cordatum virum movere neutiquam debent: experientiaque conſtat, Prælatos nonnullos ſpiritu vehementi correptos, rerum ſibi nunciatarum occaſione permotos, aliqua ſtatuiſſe, quorum eos paulò poſt, rebus maturè cognitis, pœnituit. Primùm ergo Generalis monitus, rerum ſtatum exactè cognoſcat, iis perſonis, ac mediis uſus, quæ ei aptiora videntur, mox remedium adhibeat, ſi opus fuerit. Quod non temere dicitur: plerumque enim rebus diligenter perquiſitis patet, non tam eos, de quibus ſcribitur, quàm ſcriptores ipſos eſſe carpendos. Hac enim doctrina minimè obſtante, ubi aliquis ſanctitate, ac prudentia clarus Generalem monet, major adhibenda fides, & maturiùs occurrendum eſt. Hucuſque diximus de iis, qui zelo ardent, quos tamen falli nonnumquam contingit; ex quo palàm efficitur, quid de iis ſentiendum, qui immoderatè multa ſcriptitant, quos compeſci debere perſpectum eſt. Hæc erga nuncia malorum, quæ ad mores attinent: nam quæ ad infortunia, ſive ad mala temporalia ſpectant, prudentiùs creduntur, citoque remedium expeditur.

CAPUT XLVII.

Quid à Generale præſtandum, ubi à ſcriptoribus fortè pungitur.

NON in Ordinibus dumtaxat laxis, ſed in florentibus quoque ſolet evenire, ut uno, vel altero verbo parum expenſo Generalis vellicetur; quod non lædendi animo, ſed zelo nimis ardenti frequenter adſcribitur. Tunc ergo acris reprehenſio, quæ vindictæ ſpeciem præfert, non tam ſolet commendari, aut prodeſſe, quàm mite reſponſum: quo, ut multiplex convincit experientia, qui parum temperanter ſcripſerunt, & reprehenſionem exſpectabant, mirificè capiuntur, & miteſcere diſcunt. Doctrina hæc Evangelica eſt, & ſcholæ Chriſti apertè congruit. Cæterum non eſt univerſè retinenda, cum Chriſtus ipſe, qui velut agnus coram tondentibus obmutuit, vel mitiſſimè reſpondit, quandoque ſuos reprehenſores acriter repulerit, ut ex ipſo Evangelico textu perſpicitur; atque adeò, qui Chriſti perſonam gerit, poterit interdum inconſideratos ſcriptores, aut monitores coercere. Verùm mitia reſponſa vulgò utiliora, & efficaciora ſunt. præſertim ubi Generalis, aliuſve Prælatus vir magnanimus eſt, qui non ob puſillum animum, ſed ob cultum virtutis leniter agere creditur.

Lenitas Generalis in Litteris cōmendata.

CAPUT XLVIII.

Recurſus ad Generalem parcè ab eo permittendus.

AB ineunte ſtatu Monaſtico, inter Sanctos unus, vel alter minimè ſanctus à Deo permiſſus fuit, ad verarum virtutum exercitium. Quocirca non eſt viri ſapientis admirari, ſi in cœtibus Monachorum auſteram diſciplinam profitentium, pauci aliquot non uſque adeò perfecti ſint, & Prælatos exerceant. Qui ergo hujuſmodi ſunt, cauſas multas ex uno in aliud Cœnobium migrandi, & ſupremos Prælatos adeundi prætexunt: qui ſi Generalis eis conniveat, ſupervacaneis itineribus, & ſui Ordinis, & ſuum nomen obſcurant, ſumptus ſuperfluos faciunt, & ex uno in aliud Cœnobium dogmata parum ſana invehunt. Partes ergo Generalis ſunt, hos reprimere, omnibuſque perſuaſum velle, ne ad ipſum, niſi per litteras recurrere tentent. Qua certè perſuaſione, multam malorum ſilvam ictu uno præcidet.

CAPUT XLIX.

Integritas Generalis bonæ gubernationis compendium eſt.

INtegritas Generalis bonis calcar, malis reprehenſio eſt. Integritas autem hæc ex inculpatæ vitæ contextu, & legum cuſtodia componitur. Debet quippe Generalis, quam exactè poſſit, ab omni non ſolum culpa, ſed etiam mali ſpecie abſtinere, communem ſectari vitam, nihilque in victu, veſtitu, lecto, aliiſque ſimilibus ſingulare, niſi morbo, aut alia neceſſitate coactus admittere, actibuſque communibus, dum per negotia licet, intereſſe. Hæc ſi præſtet, mirificè ſanè proficiet, tacituſque ſubditorum animis, vim quamdam Monaſticæ perfectionis altricem imprimet, cuſtodiamque legum efficaciter perſuadebit. Hæc vitæ ratio, recti regiminis quædam complexio eſt.

CAPUT L.

Obſervatio.

POſſent alia minuta ſubiici, ſed quæ tradidimus, cum communibus artis gubernandi, Scriptus An. 1615. nandi, & propriarum cujuſque Ordinis Conſtitutionum præſcriptionibus coniuncta, ea eſſe videntur, quæ Generalem erga potiſſima officii capita ſatis inſtruant. Viris quippè ſapientibus, quales Generales eſſe ponendum eſt, ſelecta conſilia, velut fontes ſunt, è quibus ad eventus varios minimè deſcriptos, doctrinæ moralis rivos, facili obſervatione derivant. A

PARS TERTIA.

De Regimine Provincialium.

CAPUT I.

Admonitio.

B QUemadmodum doctrina illa, quæ ad Generalia Comitia moderanda ſuperiùs tradita fuit, ad Provincialia, ut monuimus, derivanda eſt; ita quæ de Generalis regimine præſcripſimus ad Provincialis officium coaptanda ſunt. Excepto enim uno, vel altero actu Generali proprio, in cæteris conſtat ſimilitudo, & ad piam, prudentemque praxim multa proportio. Quocirca eadem conſilia repetere, minimè oportebit; ſubiiciemus tamen nonnulla, quæ Provinciali altiùs imprimi par erit.

CAPUT II.

Cœnobia ſibi ſubiecta Provincialis frequenter perluſtret.

C PRovinciæ unius terminus, non ita latè patere ſolet, ut à Provinciale non poſſit ſæpe luſtrari. Expedit autem, ut illam velut vineæ partem ſibi creditam, quàm diligentiſſimè poſſit, excolat: quod crebra præſentia feliciùs, quàm litteris obtinebit. Caveat ergo ne abſentia noceat.

CAPUT III.

Monachos aptè diſtribuat.

COmmendanda eſt Provinciali æqua ſubditorum in Cœnobia diſtributio, ob internum ſuorum bonum, & ob decorum illud, quod à ſæcularibus ſpectatur. D Æqua verò diſtributio decentem idoneorum Monachorum ad communes actus, & ad conciones, ac ſacras confeſſiones numerum requirit. Hanc tamen diſtributionem vitiare ſolet facilitas annuendi ſæcularibus, præſertim conſanguineis, vel Monachis ipſis, patriæ amore captis: quod memoriæ mandandum eſt.

CAPUT IV.

Litteras patentes ad ſacros Ordines, conciones, & confeſſiones ſacras oculatè concedat

SCandala non pauca peperit immatura Sacerdotum, concionatorum, confeſſariorumque promotio. Hæc à Provinciale perſpicaciter exploranda eſt, E bonuſque delectus habendus; vitæ integritas, mentis maturitas, ætaſque ſpectanda, in iis præſertim, qui ſacras utriuſque ſexus confeſſiones audire jubentur. Debet autem domeſticum examen valde accuratum præmitti, & cautio multa commendari.

CAPUT V.

Studiorum abuſum extirpet.

NImia ſubtilitas, & quæſtionum inutilium prolixitas ſinceram ſcholarum formam corrupit. Quapropter Provincialis, re cum Generale communicata, curet hiſce F doctrinæ vitiis, dum in ſtudiorum Cœnobiis moratur, modum imponere, qui ad tutam, ſolidamque ſcientiam comparandam, & praxim deducendam conferat.

CAPUT VI.

Novitiorum curam exactam gerat.

EXprimi nequit, quàm ſuo graviter Ordini noceat Provincialis, qui ſordidam, & ineptam turbam veſte Monaſtica indui permittit. Error eſt, qui vix, aut numquam corrigitur. Ne ergo Provincialis ſe importunis precibus, vel humanis rationibus vinci ferat, & Priores, ac Novitiorum Magiſtros de re tanta, totaque receptorum cultura ſeriò moneat. G

CAPUT VII.

De Profeſſorum profectu attentè cogitet.

QUI recenter profeſſionem emiſerunt, ut Novitiis locus pateat, ſolent à Provincialibus in alia Cœnobia deſtinari, ubi facilè dediſcunt, quæ nuper didicerant. Quamobrem boni Provincialis eſt, ſedulò curare, ut in Cœnobiis, quò migrant, cœpta cultura perficiatur; neque enim anno uno opus tam egregium abſolvitur: intereſtque plurimum, ut cura hæc inter potiſſimas, ac facilè primas reponatur.

H

CAPUT VIII.

Culturam Monialium minimè negligat.

PRovincialis, cui Moniales ſubſunt, eas viſitare, inſtruere, ſolari, prædicatores, confeſſarios, cæteraque neceſſaria providere ita meminerit, ut cautè admodum

cum

Scriptus An. 1615.

cum eis verſetur. Ita quippe charitatis officia iis impendenda ſunt, ut omnis occaſio, ſpecieſque mali ſolerter vitetur, præſertim ubi primitivus ſpiritus deferbuit.

CAPUT IX.

A

Exemplo vitæ præcellat.

SI Provincialis integritas exemplo bono aſſerta, ſuorum ſubditorum animis impreſſa ſemel fuerit, ubi ad Cœnobia ſua obiter divertit, ne dum ibi moratur, licet de viſitatione non agat, mirificè prodeſt. Confert huc, ut modeſtiſſimè, ac ſi vires id ferant, intra ſuam Provinciam pedes iter faciat, & communi menſa utatur. Hæc quippe ſpectata diſciplinæ Monaſticæ cuſtodia, ipſo ſilente acerrimum aliis calcar eſt.

CAPUT X.

Concluſio.

B

PRæter communia omnium, qui præſunt, documenta, & ea, quæ de regimine Generalium prompſimus, Provinciali quoque proderunt, quæ de Priorum mox trademus.

PARS QUARTA.

De Regimine Priorum.

C

CAPUT I.

Admonitio.

PRincipiò Prior communia boni regiminis capita perluſtret: mox gubernationis ſuæ ſpeciem expendat, quæ ab iis, quæ Generalis, & Provincialis propriæ ſunt, longè diſcrepat. Illi quippe commune quoddam regimen exercent, neque, ut ita dicamus, ſubditorum capitibus proximè incumbunt, atque adeo multa, quæ proxima cura requirit, prætereunt, quæ à Priore attentiſſimè conſideranda, & ad praxim in promptu habenda ſunt. Omnia ergo exploret, & planè perſpiciet, ſe communibus, D ac peculiaribus obſervationibus, in horas penè ſingulas indigere, ut in varias quaſi formas mutatus, tamquam Pater, Mater, Nutrix, Magiſter, Judex, Cuſtos, vario paſſim officio fungatur.

CAPUT II.

Prior ſubditorum animos initiò ſibi conciliet.

PRimus Prioris ingreſſus, primumque ſuæ præfecturæ tempus ad conciliandos animos deſtinandum eſt, quod exhortatione E communi partim, ſed privato cujuſque colloquio pleniùs obtinebit. Inducet autem ſubditos in ſui amorem, miti ſermone, morum ſuavitate, actibuſque nonnullis ad benevolum animum ſignificandum directis; è quorum numero victus, & veſtitus recognitio erit, & adhortatio, ut pro ejuſmodi rebus ad ipſum fidenter accedant. Experientia quippe conſtat, hunc agendi modum non utilem tantùm, ſed neceſſarium eſſe; neque ſubditis perſuadere poſſe, ſe à Priore, uti optant, amari, niſi hæc benè aſpectabilia ſigna videant, iiſque convincantur. Si autem amoris perſuaſio ſemel animis inſederit, ſubditi curam ſui in ſuum Priorem facilè referent; quæ ſanè animorum diſpoſitio, ad Monaſticam gubernationem peropportuna eſt. F

CAPUT III.

Quid à Priore ſub initium ſubditis in commune proponendum.

SAtis erit in conſeſſu primo litteras patentes oſtendere, fidemque Catholicam ut aliqui ſolent profiteri, ac peramanter ſe omnibus in Patrem, fratremque offerre: quod, ut altè imprimatur, Deus prævio ſacrificio, & oratione propitiandus eſt. Niſi enim conditor ipſe animorum, eos ſpiritu ſuo afflet, ac uniat, induſtria omnis impar erit.

G

CAPUT IV.

Quid in conſeſſu ſecundo monebit.

POſtquam in conſeſſu primo, & iis diebus, qui à primo in ſecundum interfluunt, ſubditos ſibi conciliare, verbis, officiiſque curaverit, prudenter aget, ſi in capitulo, ſeu conſeſſu ſecundo, capita duo pertractaverit: quæ, ſi animis jam diſpoſitis hæſerint, ad ſpirituale regimen viam ſibi rectam, & expeditam aperiet. Capita duo ſunt, velut pacta duo cum ſubditis ineunda: quorum alterum in virtutum verarum cultu, alterum in oppoſitorum vitiorum deteſtatione conſiſtit. Summa verò doctrinæ ad pacta illa duo pertinentis eſt, ut Prior profiteatur, ſe à ſubditis numquam, niſi ve- H rarum virtutum actus exacturum, niſi vitiorum actus deteſtaturum: quod ipſis ita gratum debet accidere, ut primos actus exercere, ſecundos execrari conſtituant, & cum Priore eis à Deo præfecto, de aliis actibus obeundis, aliis vitandis paſciſcantur. His ſubtexet ſe paterno affectu eis ſemper aſ-

tutu-

Scriptus An. 1615.

futurum, dummodo nihil quod extra virtutis cultum ſit, ab eo poſtulent, vel attentent. Addet præterea, ſe, quod virtuti adverſum eſt, ferre nolle, cum Chriſtus id improbet, quemadmodum, & ipſi, coſcientia teſte, improbandum cenſent. His ergo conſtitutis, & cauto, ne quid mali fiat, ſubiicet, ſe impensè optare, ut vitam pace Sanctorum fœderatam, & juſtitiæ teſtimonio **A** hilarem ducant, & in cæleſtem patriam multa ſedulitate feſtinent.

CAPUT V.

Quomodo doctrinam omnem hucuſque traditam deducet ad praxim.

EXpedit maximè, ut quæ hucuſque monuimus, exemplo aliquo Prior ſubditis perſuadeat; ut ipſi apud ſe omnino ſtatuant, res eo planè modo, quo à Priore propoſitæ ſunt, temporis decurſu proceſſuras. Cum ergo inprimis exhortationibus ſe omnibus favere, nihil niſi virtutis cultum, vitiorumque fugam repetere velle prædi- **B** xerit, appoſitè aget, ſi iis, quos laceris, nimiumve abſoletis veſtibus indutos conſpexerit, aut novas, aut non ita conſumptas dederit, & iis in cœnaculo, quos indigere animadverterit, aliquid ſolito melius, aut copioſius apponi juſſerit; dedita ſcilicet opera, ut omnes apertè cognoſcant, ſe, quæ promittit explere. At in hunc ipſum finem, ubi culpæ leves more ſolito proponentur, per occaſiones primas, ita errantes reprehendet, ut omnes facilè animadvertant, ſe perſonis compati, culpas tamen ſeorſim acceptas, & velut à perſonis ſeparatas odiſſe, ac execrari: ut iis exemplis ſubditi permoti, firmiùs credant, vitæ licentiam non eſſe permittendam, ſolumque virtutis ſtudium probandum, & à Priore **C** fovendum. Poſtquam verò deformitatem culparum deteſtabilem eſſe convicerit, quod ad pœnam imponendam ſpectat, clementer aget, præſertim ubi Ordinis diſciplina ſatis auſtera eſt. Universè autem caveat, ne dum ſubditos corripit, paſſiones proprias commoveri ſinat, ſed intus quieſcat, & niſi officio coactus correptionem in tempus ſedati animi differat. Tempore autem & occaſione cogente, ſi paſſiones excitatæ ſint, ſibi temperet, ac ita externè agat, ac ſi nullis paſſionum motibus concuteretur.

CAPUT VI.

D *Moneat ſe die, nocteque paratum ad quamlibet ſubditorum audientiam.*

ANimi, qui benè affecti ſunt, facilè alienantur, ſi audientiam ſibi denegari, aut levibus ex cauſis differri videant. Ex quo efficitur, ut alia oracula conſulant, ubi facilior patet aditus. Quapropter Prior ſit ad ſubditos audiendos facilis, idque non obſcuris probet exemplis; ſi prodeſſe velit: neque rem hanc parvi exiſtimet eſſe momenti, quam prudentes Prælati magni procul dubio faciunt. Erit ergò ad rem, ut moneat, ſe die, nocteque ad quemlibet audiendum, inſtruendum, ac ſolandum eſſe paratum, libenterque negotia alia, & ſomnum quoque intermiſſurum. Hic bonorum Prælatorum mos eſt. **E**

CAPUT VII.

Cellas & officinas perluſtret.

CEllas ita viſitet, ne reprehenſionis, ſed beneficentiæ anſam videatur inquirere. Modus idoneus erit, ſi hanc, illamve cellam incerto tempore ingreſſus exploret, an quidquam deſit ex iis, quæ inſtituto congruunt, & humaniter admodum, ſtatimque provideat. Ubi obiter, ſi quid incompoſitum, aut parum neceſſarium viderit, poterit, quaſi aliud agens, admonere; impenſa quippè priùs charitas animos ſuavis admonitionis bene patientes efficit. **F** Officinas circumſpiciat, ne quid ex neceſſariis deſit. Utrumque viſitationis genus, cum non ad correptionem, ſed ad providentiam, & charitatis oſtenſionem fiat, identidem repetendum eſt.

CAPUT VIII.

Aegrotos viſitet, ac ſoletur.

SI bene valentium cura Priori debet eſſe cordi, perſpectum eſt, ægrotos ab eo, peculiari charitatis ſignificatione fovendos. Hoc autem charitatis officium ex tribus componitur. Ex præſentia Prioris eos frequenter viſitantis, ex rerum neceſſariarum accurata providentia, ex admonitione miniſtrorum ægris inſervientium, qui à Prio- **G** re ipſo ad decumbentes ſolandos urgendi ſunt. Cavendum, ne aſperè tractentur, neve deſerantur.

CAPUT IX.

Quanti ſit ponderis valentium, ægrorumque cura deſcripta.

ARgumenta ab experimentis petita, in rebus moralibus validiſſima ſunt. Conſtat autem experientia multiplici, bonos aliàs Monachos, rebus neceſſariis parum promptè, ſive alacriter adiutos, graviter tentari cœpiſſe, & in calamitoſum poſtea ſtatum incidiſſe. Cœperunt adverſus Præ- **H** latos bellum gerere, prætexentes ſibi neceſſaria deeſſe, & poſtquam à conſanguineis, vel amicis, obſcurato Priorum bono nomine, multa acceperunt, in culpas demum graviores prolapſi ſunt. Sanum ergò conſilium eſt, ut Prior hæc cogitet, & quæ Deus providerit, ita diſpenſet, ut in exceſſum aliquem potiùs, quàm in defectum

Scriptus An. 1615. propendeat. Exceſſus quippe modicus, charitatis nomine honeſtatur, & ſpiritualium bonorum, puta amoris, pacis, fiduciæ occaſio, vel fomentum eſt: at defectus, avaritiæ, vel duritiei ſuſpicionem ingenerant. Neque obſtat paupertatis votum; nulla enim via ad id votum violandum brevior, ac proclivior, quàm exquiſita Prioris, quæ A dicitur juſtitia. Si enim is eſſe credatur, qui minuta puncta rerum providendarum obſervet, eo ipſo ſubditis ſtimulum infigit, quo illi ad gerendum ſui curam incitantur. Quo certè aditu patefacto, votum Paupertatis modicis ſaltem in rebus, ſtatim incipit violari. Hæc ſatis nota, & experientia probata ſunt.

CAPUT X.

Ingenia ſubditorum Prior exploret.

OMninò compertum eſt, Priorem non ſatis officium explere poſſe, qui ſubditorum ingenia explorata non habet. Alii enim faciles, alii tenaces, alii hilares, alii B melancholici, alii vehementes, alii lenti, alii denique variè affecti ſunt, quos eiſdem mediis, aut modis æque moderari non poterit. Quocirca & ingenia exploranda, & mandata iis adaptanda ſunt; ne violenta fiat prælatio, & ſpes fructus evaneſcat.

CAPUT XI.

Faciles, quomodo regendi.

SUnt aliqui ingenium quaſi cereum ſortiti, quibus nullo negotio imprimitur, quod ſocii ſuadent, & pro varia ſua ſorum ſorte proficiunt, atque deficiunt. Navet ergò operam Prior, ut hi nullum peculiaris, aut ſingularis amicitiæ genus cum aliis ineant. Nam ad eam facilitatem in C bonos uſus vertendam ſat eſt communis omnium diſciplina, quæ ex bonis actibus tota contexitur, ad eamdem verò pervertendam, vel à communi perfectionis ſtudio alienandam, ſatis eſt unius parùm perfecti conſortium.

CAPUT XII.

Tenaces, quomodo regendi.

TEnaces gravioris mali, quales in laxo Ordine aliquo fortaſſis reperiuntur, acrioribus indigent remediis, quæ adhibere valdè operoſum eſſe ſolet. Adhibenda tamen ſunt, ſi Prior conſcientiæ conſulere velit. Tenaces verò ſententiæ, D propriive judicii, ubi non rerum, ſed ſolius tenacitatis deformitas eminet, duobus ſolent mediis corrigi: aut ſublatis contentionis occaſionibus, quod enitendum eſt: aut ubi id fieri nequit, gravi aliquo verbo, & ſevero vultu Prioris, impetum paſſionis, quæ erupit, reprimentis. In hunc quippe modum efficitur, ut qui eo vitio laborant, ſemel coerciti, non tam ſæpe altercari audeant. Bene autem eſt, ut Prior, qui perennem manſuetudinem præſefert, in eventu aliquo graviter loquatur, & mox ad ſolitam redeat ſuavitatem. Prodeſſe ſolet generalis quædam admonitio, à Priore in Patrum conſeſſu facta, ne ſcilicet mutuò E diſceptent, ſive contendant, ſeque id, ubi ſimul erunt, per oblatas occaſiones moniturum; in præcidendis autem occaſionibus laudatur ſagacitas Priorum, qui ſtatim ac profertur aliquid, quo ingenia diverſè affecta tanguntur, puta cum inter variæ nationis Monachos, natio una commendatur, ſermonem divertunt, & tenaces à contentione præſervant.

CAPUT XIII.

Hilares, quomodo regendi.

HIlares modeſtiæ cultores, in eo, quo ducuntur, ſpiritu alendi ſunt. Lætitia enim in exercitio diſciplinæ Monaſticæ exhibita, virtutis argumentum eſt. Qui verò F modum excedunt, non quidem acriter, ſed leniter admonendi ſunt, ut modeſtiam præferant: patienterque ferendi, ſi interdum relabantur. Si enim vitæ conſtet integritas, exceſſus ille tenue quiddam eſt quod à viris rerum divinarum conſultis non valde reprehenditur.

CAPUT XIV.

Melancholici, quomodo regendi.

SI Melancholia nativa ſit, difficulter curationem admittit. Danda tamen opera eſt, ut non excreſcat, eaque de cauſa melancholicis ſæpe parcendum, velut morbo perenni gravatis, providendumque, ut G eis neceſſaria ſuppetant, & quæ intra legum metam ſolatio eſſe poſſunt. Cæterùm ſi externè quid deforme, præſertim coram aliis committant, compeſcendi ſunt; enitendum, ut quamprimum quieſcant, ne concepta ex reprehenſione mœſtitia opprimantur. Quod Priores cordati obtinere ſolent, ſeorſim illos alloquentes, ac inſtruentes, ut mœſtitiæ collectionem diſcutiant. Hæc ipſa praxis obſervanda, ubi melancholia acquiſita eſt, cum compertum ſit, quo tempore vexat, ſimillimos effectus producere. Si denique melancholia fortuita ſit, qualis illa, quæ ex adverſo aliquo ſucceſſu, vel re quapiam negata, ſine tentatione urgente infeſtat: regimine vario, pro rei diverſitate utendum eſt, ac univerſè curandum, ut ex quocumque capite H oriatur, quantocyùs exterminetur. Animus quippè mœſtus, terra ad excipiendam dæmonis ſementem proſciſſa videtur, excepta triſtitia illa, quæ juxta ſenſum Apoſtoli ſecundum Deum eſt. Solent minus perfecti aliqui, ut exemplo utamur hoc, ex fortuito

Scriptus An. 1615.

to honoris decremento triſtari, puta ſi concio aliqua auditoribus diſplicuit, quàm placituram ſperaverant. Hi leniter tractandi, & à conſilio tunc laudandi, ut ſibi contraria iis, quæ crediderant, perſuadeant. Neque enim is ſenſus extinguitur, niſi poſt victorias multas, quæ temporis proceſſu comparantur. Expedit autem, ut animi tunc dejecti erigantur, eo ſaltem laudis remedio, A quod velut medicina mœſtitiæ expultrix eſt. Porrò experientia conſtat, remedium hoc viris aliàs bonis, à ſenſu propriæ exiſtimationis non prorſus liberis profuiſſe, ne inutili, aut certè noxia mœſtitia contabeſcerent.

CAPUT XV.

Vehementes, quomodo regendi.

PRæmuniendi ſunt ad futuros eventus, ne per incidentes occaſiones, zelo etiam Dei in ſpeciem moti, pietatis fines tranſiliant, ne res exaggerent, ne immoderato affectu laudent, aut vituperent, ne B ardentiùs, quàm par eſſet, orent, ſeque periculo illuſionis, imaginatione inflammata, paſſim exponant. Quibus de rebus privatim à Priore monendi ſunt, & ubi coram aliis errant, leniter carpendi.

CAPUT XVI.

Lenti, quomodo regendi.

SEdatum, ſive tranquillum ingenium laudi vertitur, lentum minimè; illud quippè ad veritatis perceptionem, rectumque rerum judicium temperatum eſt, hoc verò C in remiſſionem, ſeu torporem degenerat. Quamobrem Prior, ſi quem lentum ſubditum habuerit, propoſitis iis bonis, quibus eum præſertim capi, trahive cognoverit, illum extimulet, ut ad Monaſticæ diſciplinæ actus fiat expeditior. Prodeſt privata, repetitaque vitii dehortatio, moderata, publicaque reprehenſio, & aliorum ferventium æmulatio propoſita, & in conſeſſu Patrum commendata. Sunt multa in Ordinibus bene inſtitutis pigritantium, tardorumvè remedia, quibus Priores uti conſueverunt, quæ huc intexere minimè oportebit.

CAPUT XVII.

D *Curioſi, quomodo regendi.*

EVenire ſolet, ut Monachus unus, vel alter alias bonus, curioſitatis vitio laboret, omniaque cognoſcere, ac referre velit. Huic exitus è clauſtro, ſæcularium conſuetudo, & frequens litterarum ſcriptio interdicenda eſt. Monerique debet, ut nihil, niſi Chriſtum ſcire velit, quod Apoſtolus in ſe expreſſit ipſo. Prodeſt occupatio à Priore imperata, qua intellectus paſcatur, ut aliquod ſtudii genus, cui multum temporis impendendum ſit.

CAPUT XVIII.

Minores natu, quomodo regendi.

ITA ab eis diſciplina Monaſtica exigenda eſt, ut habeatur ratio ætatis, ne in via deficiant. E Ignoſcendum eſt etiam, ob ſenſum non ſatis maturum: ſed licentia coercenda eſt. Curandum præterea, ut in ea ætate rerum ſpiritualium ſcientiam ediſcant, quæ poſtea ab occupatis difficilè paratur. Studiis demum Philoſophicis, ac Theologicis, ſi à moribus, & ingenio laudentur deſtinandi ſunt.

CAPUT XIX.

Ætate provecti, quomodo regendi.

ITA regendi, ut ætati, quæ in Ordine præſertim exacta eſt, honor deferatur, parcaturque facilè, niſi ipſi ætate ad elationem abutantur. F *Cani quippè ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4 8. 9. Quapropter ſi ætas provecta partis virtutibus exculta non ſit, non tam integrum promeretur honorem. Hæc ipſa praxis iis, qui licet ſenes non ſint, antiquitate alios antecellunt, aptanda eſt.

CAPUT XX.

Inſigniter illuſtres, aut docti, quomodo regendi.

HIS etiam Prior propitius ſit, ut de ſenibus aſſertum eſt, juxta communem prudentum doctrinam, & praxim. Similis quippè G agendi modus morali ratione ſubnixus, qui diſciplinæ Monaſticæ non adverſetur, intra clauſtra exercitus, non reddet ſæculares abuſus: ſed eſt partus legitimus prudentiæ, humilitatis, aliarumque virtutum, quibus ſtatus Monaſticus exornatur. Nihil ergo Prior ſingulare admittat, quod extra diſciplinam regularem ſit, erga ſenes illuſtres, doctos, aliiſve dotibus excultos: at iis imperium attemperet, dum quippiam præcipit, exigit, diſpenſat, quæ bonæ gubernationis, diſcretio, ſive moderatio eſt.

CAPUT XXI.

Valetudinarii, quomodo regendi.

CHaritatis officium ita his impendendum eſt, ut caveatur, ne adverſæ valetudinis H occaſione, ad vitæ licentiam abutantur, alioſque ad otium, & loquacitatem alliciant. Qua de re monendi ſunt ii præſertim, qui numquam fere convaleſcunt, quorum ſpiritus ſolet tepeſcere, prolixitate mali dilaſſatus. Hos ergo Prior leniter interdum corripiat, obſervetque rarò inveniri

Scriptus An. 1615. niri diuturnos valetudinarios, qui ut par eſſet, in cultum virtutis perſeveranter incumbant.

CAPUT XXII.

Qui in ſeculo, vel in alio fortaſſe Ordine prælationem geſſerunt, quomodo regendi.

A FAmiliare eſt iis, qui Eccleſiæ alicui, vel alterius ordinis cœnobiis, præfuerunt, peregrina aliqua dogmata, quibus primùm imbuti fuerunt retinere, ac per occaſiones oblatas aſſerere; quod in ſtatus præſentis reprehenſionem aliquam cedit. Hi ergo à Priore amanter ſimul, & graviter cohibendi ſunt. Tam verò hi, quàm alii, qui ſapere ſibi, aut aliis etiam videntur, ita redargui debent, ut ratione vincantur, quod à Priore docto, & prudente fieri poterit. Quòd ſi Prior non uſque adeò doctrina excellat, prudentiùs aget, ſi loquentibus ſilentium imperet. Ratio quippe illa communis, quòd ſcilicet aliena dogmata ſtatui præſenti diſſentanea, obtrudenda non ſint, ſatis apta, & efficax eſt, ut Prior rectè B agere cenſeatur, dum ſilentium indicit.

CAPUT XXIII.

Qui capite parum firmo ſunt, quomodo regendi.

HIS moderatè valdè exercitia ſpiritualia, vel ſtudia concedi debent, ne graviter caput lædatur. Præſtat, ut activæ vitæ exercitiis, quoad per leges licet aſſueſcant: ſomno etiam, & cibo frequenter reficiendi ſunt; licèt id ipſi, mortificationis, vel ulterioris perfectionis imagine ſeducti ægrè ferant; quod à Priore ſolerter animadvertendum eſt.

C

CAPUT XXIV.

Qui in ſeculo ſpirituales fuere, quomodo regendi.

HI variè ſolent aberrare: nunc enim exercitia in ſeculo conſueta monaſticis præferunt, nunc modica videtur eis clauſtri auſteritas, nunc ſpiritualis doctrinæ magiſtri fiunt; quæ ſanè omnia corrigenda ſunt. Moneat ergo Prior, ut obedientiæ acquieſcant, & quidquid non ſanum didicere, dediſcant, neque ulla conſilia externa cum ſtatus proprii documentis conferant. Quod ſi coram aliis in hoc genere aberrent, eos corripiat. Privatæ admonitiones D inſuper addendæ, ac repetendæ ſunt; non enim facilè evellitur, quòd altè impreſſum eſt.

CAPUT XXV.

Iracundi, quomodo regendi.

QUI ad iram proclives ſunt, quotidianis occaſionibus irritati, bonum pacis de medio tollunt, & animos mitium Monachorum graviter afficiunt. Quocirca E quàm diligenter pax alenda, tam vigilanter iracundi compeſcendi ſunt. Hos ergo Prior privatis monitis præmuniet, rationibus erudiet, exemplo Sanctorum, Chriſtique præſertim mitis hortabitur: ubi verò relapſi fuerint, corripiet. His, niſi ſpiritu incaluerint, exercerique optaverint, bene eſt, ut ſubtrahantur occaſiones, in quibus ſe labi experti ſunt. Si autem paſſionem ſubjugare ſeriò cupiant, proderit occaſionem parandæ manſuetudinis præbere. Exploret ergò Prior animum, & virtuti materiam adaptet, vel fragilitati ſubducat.

CAPUT XXVI.

Aſſiduè laborantes, quomodo regendi.

F TEmperandus labor eſt ſomno, cibo, & intercalatione; ne fatigati ſuccumbant. Prudentia, & charitas Prioris laborantibus parcentis, & ante cura illos recreantis commendatur. Si enim incurioſus ſit, alii, ne amore decipiantur proprio, priùs ægrotant, quàm ſibi credant, alii opem quidem implorant; ſed id officium dilatæ charitatis argumentum videtur. Expedit autem citò miſereri, ubi cauſa ſuppetit.

CAPUT XXVII.

Ferventes ſpiritu, quomodo regendi.

HI proſunt, ne communes actus languidè exerceantur, optandumque, ut multi ejuſmodi in unoquoque Cœnobio degant. G Cæterùm, quod ad ipſorum regimen attinet, neceſſe eſt, ut Prior medium virtutis teneat; nempe, ut aliqua poſtulata, quibus fervor, velut ignis oleo paſcitur, concedat, alia neget, qualia illa, quibus corpus immoderatè maceratur. Experientia quippe conſtat, hos libenter ſe ipſos vigiliis, inedia, ciliciis, verberibuſque conficere, exiſtimantes obſequium ſe præſtare Deo. Ex quo efficitur, ut poſt menſes paucos ægrotent, vixque unquam convaleſcant. Fervor ergo temperandus eſt.

CAPUT XXVIII.

Scrupuloſi, quomodo regendi.

H INter maximos Prioris labores ſcrupuloſus ſubditus recenſetur, qui iteratis confeſſionibus, & conſultationibus tempus adimit rebus planè ſeriis. Hic ergo à Priore communibus ſcrupulorum remediis, ſed præ-

Scriptus An. 1615. cipuè fidei, ac obedientiæ antidoto curandus eſt; ut ſcilicet credat, ſi Priori, qui loco Dei præeſt, pareat, ſe tutiſſimam per viam incedere. Quia verò non eſt æquum, ut aliis rebus neceſſariis tempus præripiat, bene eſt, ut Prior curam illius alicui docto, & cordato Patri credat, & ne mœſtitia opprimatur, ſtatis horis, aut certis hebdomadæ diebus illum audiat, & breviter expe- A diat. Hæc idonea temperies eſt.

CAPUT XXIX.

Variè, graviterque tentati, quomodo regendi.

PRodeſt, ut Prior graves tentationes pertulerit, ut mederi ſciat; ſi autem eo experientiæ bono careat, prodeſt lectio, & veteranorum conſultatio, qua utatur ad ſubditos inſtruendos, & ſolandos. Cum ergo ad ipſum ſubditi graviter infeſtati decurrerint, eos die, nocteque humaniſſimè recipiat, & ſe illis ex animo compati, multis primùm benevolentiæ ſignis oſtendat; mox ad remedia adhibenda deſcendat, jux- B ta variam doctrinam, de qua nos in *Schola Orationis, in Tractatu de Tentationibus* egimus. Hoc unum erga omnes trimembre monitum obſervet, ut ſuadeat, ne unquam animo concidant, ut ſe pro eis oraturum, & ſacrificaturum promittat, & quamdiu in agone verſantur, ſæpe illos revocet, ac roboret.

CAPUT XXX.

Qui patiuntur Divina, quomodo regendi.

PRior, cui ſorte obtigit ſpiritus aliquis, qui in Oratione ſolatiis internis recreari, viſis, revelationibus illuſtrari conſuevit, oculatiſſimè agat, & omnia ea capita per- C quirat, ex quibus judicium de ſpiritu illo ferre poſſit. Nam cum hæc res abſtruſa ſit, ſtudium requirit accuratum. Legat ergo quæ Theologi myſtici docent, quæ nos in *Schola Orationis* in compendium redegimus, & ne ipſe ſeducatur, viros doctrina, & rerum divinarum intelligentia claros conſulat. Duo hìc monita obſervet: unum, ne ſta- Monita duo. tim probet, aut improbet, cum res diſcuſſione multa indigeat: alterum, ne miretur, ſi res à viris etiam veteranis non prorſus decidatur; conſilio quippè divino efficitur, ut cauſæ aliquot hinc in hac vita mortali indeciſæ maneant, quarum deciſio ad ſalutem minimè neceſſaria eſt. Conſulat igitur, ut ſubditus in eum modum affectus, veras virtutes colat, paſſiones verò illas, D quæ divinæ videntur, non magni faciat, ſed iis obedientiæ ductu ad pietatem utatur. Si enim ita ſe gerat, licèt dæmonis figmenta ſint, minimè nocebunt, imò ipſe ſalutem ex inimicis eliciet.

CAPUT XXXI.

Qui graviter depravati ſunt, quomodo regendi.

SI quis Judas in domicilio Sanctorum, velut in Apoſtolorum collegio, quandoque verſetur, Prior ita illum regere ſtudeat, quemadmodum Chriſtus Judam ad extre- E mum rexit. Primum parienter ferat errantem, pedes abluat, buccellam porrigat, amicum appellet; hoc eſt, ad imitationem Chriſti, charitate, humilitate, ac manſuetudine multa illum emollire nitatur, & quamdiu poteſt, toleret; at denique beneficiis abutentem puniat. Quæ quidem praxis ſervanda eſt, in errore ſecreto, qui ſoli nocet auctori; ſi autem error publicus ſit, vel aliis officiat, non diu miſerendum, ſed ad ignem initiò extinguendum, ſollicitè feſtinandum eſt.

CAPUT XXXII.

Qui egregiè perfecti ſunt, quomodo regendi. F

HI majora præſtant, quàm quæ legibus præſcribuntur. Cavendum ergo, ne modum excedant. Prior quoque cautè conſideret, quæ iis præcipit, cum enim obedientiæ opus cupidiſſimè arripiant, ſi eis immoderata imperentur in periculum planè coniiciuntur; quod certis experimentis ea de cauſa graviter ægrotantium deprehenſum eſt.

CAPUT XXXIII.

Qui à dæmonibus vexantur, quomodo regendi.

NON agimus de energumenis, ſed de G aliis, quos dæmon variis terroribus exagitare ſolet. Hi à Priore roborandi ſunt, & multa amoris ſignificatione crebrò viſitandi, variiſque ſacræ Communionis, aquæ luſtralis, ſacrarum reliquiarum munimentis armandi, præcipueque ſuadendum, ut dæmonem aſpernantur, & nihil de vexatione ſua cum aliis loquantur, ne, ut fieri conſuevit, natu minores timore inde concepto perturbentur. Vexatio hæc, ut experientia conſtat, interdum ob culpas, interdum ob exercitium virtutis immittitur; ſed neutro modo nocet, ſi patienter ſub obedientiæ ductu feratur.

CAPUT XXXIV.

H

Qui non graviter depravati ſunt, quomodo regendi.

QUI non graviter errant, longa tamen conſuetudine, à recta ſemita deflectunt, pejùs nocere ſolent, quàm ſi graviter nonnumquam laberentur, citòque reſipiſce-

Scriptus An. 1615. piſcerent. Cum enim culpas leves, quas paſſim admittunt, non exhorreant, tantùm abeſt, ut de vitæ correctione cogitent, ut hac ſola ducti ratione, quod nihil grave committunt, in depravata conſuetudine perſeverent, & alios ab auſtera diſciplina divertant. His Prior ita debet occurrere, ut nunc deliniat, nunc deterreat, nunc quas poſſit occaſiones ſubtrahat. Obſervet tamen A aliquos ex hoc genere ita obduruiſſe, ut ſpes ferè nulla reſipiſcentiæ ſuperſit. His potiſſimùm occaſiones ſubtrahendæ ſunt, aliique ſecretò monendi, ne horum dogmata ſectentur.

CAPUT XXXV.

Prior multa diſſimulet.

PErfectis, ac imperfectis adſit: ſed nec ab illis ſummum jus exigat, nec his ob jus non ſemper æque redditum iraſcatur. Multa quippe parva à conſilio præterire decet, ne rigidus credatur exactor, ac exinde fiat inviſus, & in virtutum nobiliorum, puta Obedientiæ, & Humilitatis cultu pe- B jora ſuccedant, quàm exigua illa, quæ ſe non animadvertere ſimulat. Quocirca ſi quod verbum parum expenſum excidit, ſi aliqua interdum repugnantiæ nota deprehenditur, non confeſtim culpa illa levis ponderanda, & amplificanda eſt. Chriſtus enim Prælatorum exemplar multa ejuſmodi in Apoſtolis tulit, ac in eum modum rudes, donec informentur, tolerandos oſtendit.

CAPUT XXXVI.

Ne facilè tædio afficiatur.

SOlet Prioribus ob quotidiana, ac frequentia negotia nonnumquam obrepere, C ut facilè tædio afficiantur, ac proinde acribus reſponſis venientes, conſulentes, interrogantes malè affectos dimittant; quod certè damnum tanto accuratiùs cavendum, quantò certius eſt, iis etiam Prioribus, qui ſuave ingenium ſortiti ſunt, quandoque contingere. Danda ergo opera eſt, ut læto vultu Prior omnes excipiat, atque dimittat.

CAPUT XXXVII.

Ne imperioſè agat.

PRælati aliqui, præſertim novelli, ut gravitatem officio congruentem retineant, D imperioſè jubent, vetant, diſponunt; quod animos ſubditorum avertit. Prior ergo mitem, ac humilem jubendi modum ſectetur, ut potiùs rogare, quàm præcipere videatur. Sic enim gravitas, ut proſit temperanda eſt; quod familiaria prudentiam Prælatorum exempla demonſtrant.

CAPUT XXXVIII.

Singularis amoris ſigna devitet.

COmpertum eſt, Monachos omnes Priorem tamquam communem parentem tueri; qui ſi à Patre unum præ cæteris diligi conſpiciant, in eum, qui præponitur, ac in Patrem ipſum, ut olim fratres Joſe- E ph, commoventur. Quapropter in verbis, actibuſque quidquid ſingulare eſt, velut diſſenſionis origo à Priore vitari debebit.

CAPUT XXXIX.

Suſurrum coerceat.

PIetatis, ſive zeli ſpecie ſolent aliqui ſpontanei conſiliarii Priorem vexare, multa ferre, atque referre, quibus ſi ille annuat, de pace, bonoque regimine actum eſt. Quamobrem hi ſuſurrones, tamquam diſcordiæ ſatores, repellendi ſunt. Si autem Prior, uti ex officio debet, quicquam perquirere voluerit, aderunt, qui juſſi, quæ decet, modeſtè referant. F

CAPUT XL.

Monitores humiliter audiat.

QUI Priorem de tam varia rerum ſpiritualium, ac temporalium adminiſtratione, quicquam modeſtè monent, ſine ullo reniſu, aut perturbationis ſigno audiendi ſunt. Qui quidem audiendi modus efficacior eſſe ſolet, ad ſubditorum animos permovendos, quàm ſi Prior coram eis, ut ita dicamus, miracula patret. Ne ergo Prior triſtem vultum præferat, vel excandeſcat, G ſed amplectatur potiùs eos, qui candidè loquuntur. Quod ſanè officium præſtandum eſt, tametſi quæ monentur, juſtis de cauſis fieri non debeant. Prior quippe, qui non obſcuris ſignis ad exequenda monita, ſi expediret, ſe paratum exhibet, monitores benè affectos, lætoſque dimittit.

CAPUT XLI.

Conſeſſum Patrum, ſive Capitulum prudenter moderetur.

COnſeſſus Monachorum per hebdomadas ſingulas ſpirituali profectui, & culparum levium correctioni deſtinatus, tanti ponderis eſt, ut ſi à Priore, qua decet, prudentia regatur, gubernationi ei creditæ H viam brevem, ac facilem aperiat. Ibi quippe quæ obſtant depelluntur, quæ conducunt aluntur, ac promoventur. Prior ergo utiliter, efficaciter, ac breviter concionem profectui, & correctioni congruentem habeat, & benè currentes incitet, tardos urgeat, correptione indigentes amanter admoneat, & in pœna imponenda clementiam præ-

præ-

Scriptus An. 1615.

præ ſe ferat. In tractatu verò rerum, quas ibi Patres proponere, aut monere ſolent, hortetur ut brevi, ac modeſtiſſimè dicant: neque abundè loquentes, aut eadem inculcantes, ſive alios pungentes, vel quovis modo pertinaces ferat. Sic enim ex adhortatione, correptione, & rerum utilium tractatu modeſtè habito, actus ille gravis, ac A ſalutaris temperandus eſt.

CAPUT XLII.

Januis, & officinis idoneos miniſtros aſſignet.

INtereſt plurimum, ut officinis interioribus, putà Bibliothecæ, veſtiario, promptuario, ii præficiantur, qui rerum intelligentia, charitate, ac modeſtia præſtant. Cæterùm hoc in januis, & ſacriſtia præſertim curandum, cum ex eo, quod ſæculares iis in locis cernunt, de univerſo Ordine judicium ferant. Monendi ergo ſunt miniſtri, ut læto vultu, parcoque ſermone venientes admittant, atque dimittant. Prior autem Eccleſiæ, rerumque ſacrarum curam B exactiſſimam gerat, ut nihil ſordidum, aut indecorum appareat.

CAPUT XLIII.

Confeſſariis, ac Sacerdotibus celebraturis ordinem præſcribat.

NEceſſe prorſus eſt, ut Prior ita functiones Confeſſariorum, & Sacerdotum diſtribuat, ut quoad fieri poſſit, officia ſua tempeſtivè expleant, & communibus Regularis diſciplinæ actibus interſint; niſi occaſio aliqua frequentioris concurſus, & ſpiritualis proximorum fructus, aliave ſimilis res oppoſitum perſuadeat. Debet præterea Prior eniti, ut Confeſſarii doctrinæ morali C ſtudeant, Sacerdoteſque ſacros ritus calleant, & utrique, dum ad ſacras confeſſiones audiendas ſedent, vel Miſſam celebrant, modeſtiſſimè agant.

CAPUT XLIV.

Iis, qui foras prodeunt, decorem ſuadeat.

PRioris eſt, quàm poſſit, parcè exitum permittere; at ubi cauſa exeundi juſta urget, eos, quos minus tacitos, ac modeſtos novit, nonnumquam modeſtiæ admoneat, quod prodeſſe ſolet, præſertim ſi univerſi ſciant, Priorem id attentè meditari, nolleque parum modeſtis egreſſum indulgere.

D

CAPUT XLV.

Familiarem de rebus divinis ſermonem inducat.

REM Deo gratiſſimam faciet Prior, qui familiariter de divinis rebus loqui, & alios ad eumdem morem inducere ſuaviter curarit. Nam præter Dei cultum, occurrit in eo exercitio multiplex proficiendi occaſio, & culpæ vitantur innumeræ. Res hæc à multis in Ordinibus florentibus expetitur, illique meritò laudantur, quibus Dei ſermo dulceſcit.

E

CAPUT XLVI.

Sæcularium familiaritatem, niſi parcè, ac piè non admittat.

EXpertis fides habenda eſt; ii autem concorditer aſſerunt, familiaritatem ſæcularium diſciplinæ Monaſticæ nocere. Ratio ſuffragatur: quia eorum gratia, exiguis ſaltem in rebus arcta diſciplina laxatur; quod minimè ferendum eſt. Prior ergo ſit gratus, comis, ſuavis in ſæculares, ſed parcè cum eis verſetur, parciuſque illos, & tunc pietatis cauſa, in Clauſtrum admittat. Hæc bonorum Priorum praxis eſt.

CAPUT XLVII.

F *In Cœnobiis, ubi Novitii educantur, vigilantiùs agat.*

Quomodo ſe gerere debeat Prior cum Magiſtro Novitiorum.

PRior, cui Cœnobium Novitiorum culturæ deſtinatum creditum eſt, ſollicitè curet, ut accuratum in receptione fiat examen capitum omnium ad ſtatum, ac Inſtitutum proprium attinentium, ſed ingenii potiſſimum naturalis: an ſcilicet naturam bonam (vulgo bonam conditionem) fortiti ſint; quod planè momenti maximi eſt. Mox Novitiorum Magiſtrum, quàm poſſit, adiuvet, cum quo paſciſcatur, ut fraterno quodam fœdere ſibi mutuo adſint, & Magiſter ad illum, quoties expedire videbitur, Novitios deſolatos, tentatos, tepentes, & quovis modo male affectos mittat: ut cum eo ad idem pietatis opus concurrat. G Experientia quippè conſtat, hunc agendi modum, ad Novitios ſolandos, & inſtruendos eſſe appoſitiſſimum. Ubi verò tempus Profeſſionis acceſſerit, juſtitia præcipuè commendatur; nam, ut experimentis plurimis, & ſera pœnitentia perſpectum eſt, florentibus Ordinibus miſericordia potiùs, quàm juſtitia in hoc genere nocuit. Quod autem ſpectat ab bona temporalia, quæ tunc profeſſuri diſpenſant, caveat Prior ne avaritiæ ſuſpicionem in ſæcularium animis excitet. Sinat, diſpenſatores, ut libet, cuncta diſponere, neque aliud, quàm pietatis lucrum exquirat.

H

CAPUT XLVIII.

Prior domi maneat, quàm perſeveranter poſſit.

NON modò quæ de ipſius regimine ſcripſimus, ſed ne alia quidem multò minora præſtabit Prior, qui domo frequenter egredi conſueverit. Quòd adeò perſpicuum

Scriptus An. 1615.

cuum eſt, ut mirum ſit, quomodo tam tenuiter ponderetur. Porrò Prioris præſentia juri divino valde conſentanea eſt, atque adeò abſentia diuturna, vel crebra à ſuperioribus Prælatis ob majus aliquod Ordinis bonum non imperata, vix coram Di- A vina Majeſtate honeſtari, & abſque Prioris culpa, & ſubditorum gravi damno conſiſtere valet. Debet ergo Prior domi manere, & communibus actibus intereſſe, aliaque importuna apparentis pietatis officia, quæ frequentem è Clauſtro exitum requirunt, tamquam dæmonis laqueos cavere.

C A P U T XLIX.

Quanam doctrina compendiaria Prior omnia ei præſcripta præſtabit.

AMet impensè ſubditos, & levibus ex cauſis ne animum erga illos tepeſce- B re patiatur: & hoc uno compendio, officium totum explebit; *Plenitudo* quippè *legis eſt dilectio*, & *In hoc verbo inſtaurantur* omnia, *diliges proximum tuum*. Accedit ratio efficax: nam *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non irritatur, non quærit quæ ſua ſunt*, multiſque aliis pollet viribus, quas recenſuit Apoſtolus; quibus ſi Prior armetur, erit ad omnia comparatus, bonumque ſubditorum, tamquam proprium quæret, atque tuebitur. Hoc perfectæ Prælationis compendium eſt.

C A P U T L.

C *Quibus mediis impetrabit, ut bene præſit.*

ORatione, Miſſæ ſacrificio, piorum precibus, provectorum conſilio id obtinebit: quod ſanè, poſtquam ambitione nulla elatus, ſed à Deo ad Prælationem promotus fuit, fidenter poſcere poterit, atque debebit. Timeant ſanè illi, qui adverſus Chriſti conſilium primos quærunt accubitus: verùm qui à Deo vocatur tamquam D Aaron, ſperet procul dubio, Deum ſibi fidiſſimè affuturum.

C A P U T LI.

Provincialem frequenter, Generalem interdum de ſtatu Cœnobii certiorem faciat.

DEcet, ut Prior, qui officio, quàm poteſt, accuratè ſatisfacit, Provincialem crebrò, Generalem quandoque de rebus ſuccedentibus moneat, non modò ubi quicquam occurrit negotii, verùm ubi ordinarius diſciplinæ Monaſticæ curſus, vel progreſſus nuntiandus eſt; ut felici rerum ſuc- E ceſſu lætentur, precibuſque, ac ſacrificio in operis cœpti perfectionem unà conſpirent.

C A P U T LII.

Concluſio.

PErſecuti ſumus potiſſima Regiminis Monaſtici capita. Supererat pars, quæ Novitiorum Magiſtro, ad rudes tyrones inſtruendos, regendoſque debetur, quæ ſanè ponderis maximi eſt: ſed hanc nos ante annos multos edidimus, quam, ut & ſcriptum hoc, quod abſolvimus, proximorum F ſaluti prodeſſe vehementer optamus.

Sit Laus Deo, Virginique Matri, & B. Thereſiæ.

IN SEQUENS OPUS PRÆMONITIO.

HÆC Monachis, & Aſcetis viris univerſis perutilis Opella, toties, ac tot idiomatibus recuſa, primo Italice a Ven. Auctore ſcripta eſt, dum Novitiorum Magiſtrum Romæ ageret, Anno circiter 1598. ut ex ejus Vitæ cap. 10. non obſcure deducitur, & ut adfirmat Ven. P. Fr. Ferdinandus a S. Maria in ſubjecta heic ejus nuncupatoria Epiſtola junioribus Fratribus ſcripta, quum Vicarii Generalis nomine, ob mortem Ven. P. Fr. Petri a Matre Dei, toti Congregationi præeſſet: tunc enim ejus juſſu Romanis typis primum vulgata eſt, an. 1608. Deinde vero Latine redditam altero omnium Operum Tomo, a pag. 311. inſeruit Colonienſis Editor an. 1622. Ejus porro utilitatem ideo tam alte celebarant, quam ſcitum eſt, vitæ ſpiritualis Moderatores, quod initiatis brevior quædam, & compendioſior via ſit ad rebelles animi affectiones compeſcendas, virtuteſque parandas, proficientibus autem ceu calcar inſiſtens ad omnem Evangelicæ perfectionis metam citius adſequendam; quod quotidianis experimentis laudatiſſime confirmatum eſt.

EPISTOLA
VEN. P. FR. FERDINANDI
A S. MARIA VICARII GENERALIS.

FRATRIBUS NOSTRIS

CARISSIMIS PROFESSIS, ET NOVITIIS ORDINIS B. V. MARIÆ DE MONTE CARMELO DISCALCEATIS, SALUTEM IN DOMINO.

Deſiderium commune omnium veſtrum Fratres chariſſimi diſciplinæ Clauſtralis, directioniſque actuum religioſorum (è quibus tota via noſtra componitur) me impulit, quatenus dictam diſciplinam clauſtralem, quemadmodum eam R. P. Johannes à Jeſu Maria in ſuorum Novitiorum gratiam compoſuit, Typis mandarem. Fructus verò, qui ex hujus exercitio decerpitur, quantus ſit, tam eorum, qui eam exercuerunt, quàm qui adhuc exercent, cùm noſtri, tum aliorum Ordinum, imò & ſæcularium teſtimonia confirmant. Accipite itaque, Fratres chariſſimi, voluntatem, qua offertur, & precibus veſtris authorem, & me, ut vos noſtris, Domino Deo commendate.

Fr. Ferdinandus à Sancta Maria
Vicarius Generalis.

TRACTATUS
DISCIPLINÆ CLAUSTRALIS
PROLOGUS AUCTORIS.

Utiliſſima omnium in libris ſpiritualibus comprehenſarum inſtructionum illa eſt, quæ clarè & breviter praxin actus religioſos cum ſpiritu unicuique eorum proprio exercendi docet. Cùm enim generaliter verum ſit, omnem doctrinam moralem in praxin reductam maximè fructiferam fieri, neceſſariò ſequitur, & doctrinam, quæ modum actus nobiliſſimos, multorumque meritorum fœcundiſſimos (quales ſunt hi diſciplinæ monaſticæ) exercendi demonſtrat, eſſe utiliſſimam. Quapropter bonum erit per omnes diſciplinæ religioſæ actus diſcurrere, in duas eos diſtribuendo partes. Quarum prima ſit actuum magis communium, altera verò officiorum, unicuique eorum verum modum ſpiritualem aſſignando, quo ad gloriam Domini Dei, ac progreſſum in ſtatus religioſi perfectione exerceri debent.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
DISCIPLINA CLAUSTRALIS
SIVE
PRACTICA ACTUUM

VITÆ RELIGIOSÆ, UT CUM SPIRITU, ET PERFECTE EXERCEANTUR,
CARMELITIS DISCALCEATIS PROPRIA.

PARS PRIMA

Actuum Diſciplinæ Clauſtralis magis communium.

CAPUT PRIMUM.

De directione Actuum mane exercendorum.

Scrip. An. circ. 1598.

NON Religioſis ſolùm, ſed & Christianis mediocriter piis in cordium ſuorum primitiis Domino Deo conſecrandis incumbendum; ita ut primum omnium, quod ſimul ac A mane evigilarint, quærunt, idem ille ſit, brachia deſideriorum ad eum cupidè apprehendendum extendentes, inſtar itinerantium, qui gemmas, & pecunias per viam conferunt, ac ſubitò expergiſcuntur, manuſque extendunt, ut theſaurum (ſtimulati ſollicitudine, eumque perdendi timore) apprehendant. Volenti verò ſacrificium matutinum Majeſtati Divinę gratiſſimum offerre, in hoc, ne breviſſimo illo, quo cor ſurſum elevat, tempore locum det cogitationibus mundanis, elaborandum eſt: & ut primum omnium, quod animam ſuam B occupat, ſit Jeſus Chriſtus Dominus noſter, tamquam thalami ſui patronus, diligenter animadvertens, dæmonem, qui capiti vanas, & nocivas cogitationes ingerit, in hujus habitaculi præoccupatione ſtudere, ne Deus primitiis, à rationalibus creaturis ipſi debitis, honoretur.

Sacrificium matutinum, quomodo offerendum?

Directionis hic modus eſſe poterit. Altiſſime Domine, & Deus meus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſummum bonum, infinitè amabile, principium, & finis meus, in C quo vera mea felicitas conſiſtit, ego me totum in æternum, ſpecialiter verò hoc die tibi offero, & in honorem, ac gloriam Divinæ Maieſtatis tuæ omnes meas cogitationes, verba, & opera dirigo: creaturas omnes tam cœleſtes quàm terreſtres tibi gratas per affectum ad me attrahendo, meque cum iis uniendo, ad ſic me tibi conſecrandum, uti verè me tibi conſecro. Supplico infinitæ ſapientiæ, & bonitati tuæ, Domine mi Clementiſſime, quatenus me in ſervitio tuo dirigere, & ab inimicis animæ defendere digneris, ut in omnibus, & per omnia, ſine minima tui offenſione D tibi placeam. Similiter me tibi, Beatiſſima Virgo, Regina cœli ſereniſſima, cum omnibus meis cogitationtibus, dictis, & factis particulari tibi ſerviendi deſiderio offero, tibique, Domina mea Clementiſſima, ſupplico,

Scrip. An. circ. 1598.

co, ut me in ſervitio, & gloria tua dirigere, ac protegere digneris.

CAPUT II.

De directione actuum reliquorum de die exercendorum.

A NEC ſolent, nec debent unquam famuli Domini Dei opus aliquod inchoare, non dirigendo illud ad gloriam Majeſtatis Divinæ, auxiliumque pro pia, & perfecta ejuſdem executione implorando. Quare non abs re erit certis quibuſdam directionum formulis (rebus quæ fiunt accommodatis) uti ad directionem matutinam directionibus particularibus conjunctam, operibuſque ejus convenientem attendendo. Verbi gratia, ſi colloquium de quodam negotio inſtituendum, vel manualiter laborandum foret, famulus Dei directionis mane factæ meminerit, cor ad Dominum Deum, & Beatiſſimam Virginem elevans, iis ſervire, eoſque hoc opere in unione omnium creaturarum, quæ ſunt in ſtatu gratiæ in cœlo, & in terra glorificare volens.
B Deinde huic directioni propriam exercendi actus adiunget, ſicuti exempla ſequentia demonſtrabunt.

Dum ſe veſtit.

Directionum agendarum exempla.

ALtiſſime Domine, & Deus meus in ſervitium Majeſtatis tuæ Divinæ me veſtio: cedat hic actus, Domine mi, ad gloriam tuam, & me pretioſiſſima veſte nuptiali gratiæ indue. Idem à te, Beatiſſima Virgo, rogo.

Dum exit è cella.

CLementiſſime Domine mi duc me extra cellam, & fac, ut in omni, quod mihi accidet, tibi placeam, ut inculpabilis eam repetam. Idem à te, Sereniſſima Virgo, & Regina cœli, peto.

C *Dum cum proximis loquitur.*

GUberna linguam meam, Domine mi, ne tibi diſplicentia proferat. Idem à te puriſſima Virgo, & Domina mea, obſecro. Hæc exempla ſufficient pro formulis inveniendis in rebus variis, quæ cum ſint incertæ, tum etiam ſunt innumeræ. Nam quantùm ad actus diſciplinæ Clauſtralis, in unoquoque capitulo, qua ratione ad Dominum Deum, & Beatiſſimam Virginem dirigendi ſint, demonſtrabimus, additis brevibus aliquot obſervationibus horum actuum propoſito conducentibus.

CAPUT III.

D

Modus peragendi officium divinum.

DIrectio Officii Divini in Choro, vel privatè dicendi erit ſequens.

Officii Divini Directio.

ALtiſſime Domine, & Deus meus, ego te laudare, & huic obligationi omnibus viribus meis ſatisfacere deſidero, omneſque ad hanc laudem creaturas convoco, uniendo mihi affectus omnium Angelorum, & Sanctorum in cœlo, & in terra, ut te cum iis collaudem. Similiter tibi, Sereniſſima Regina cœli, hoc actu placere conor. E

Modus dicendi officium hic erit.

DIrectione facta, qui Divinum officium peragere vult, univerſitatem Angelorum, & hominum in cœlo, & in terra exiſtentium ſibi repræſentabit imaginatione, tamquam præſentes eſſent in loco, in quo officium peragitur, ut ſimul cum ipſo dicant: ac in illa multitudine creaturarum, ad laudandum Deum congregatarum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in throno regio ſibi quoque ante oculos ponet.

Nota, figuram Chriſti eam eſſe poſſe, quam ſibi illo die pro Dei præſentia eſt imaginatus.

F Divinitas, cui comparata?

QUin & juxtà illum Beatiſſimam Virginem, & ſuper omnia mare quoddam ſine termino, per quod Divinitas intelligitur, ad quam actus ille cultus divini dirigitur, ſibi repræſentabit. Fiet autem repræſentatio hæc ſine vi, ne caput lædatur, imò ſimplici applicatione, quæ ad animam recolligendam, atque ad devotionem movendam ſerviat. Dixi ſimplici applicatione, non ſolùm ut vim, qua aliqui indiſcretè ſe debilitant, ſed ut & figurationem perſonarum in imaginatione ſe offerentium excluderem. Non enim ita contemplandum, ut fiat diſtinctio inter partes corporales capitis, brachiorum, veſtium &c. ſed modo ſimplici, veluti præſentes eſſent, abſque rerum particularium contemplatione, mare iſtud Majeſtatis Divinæ cum tota illa feliciſſima ſocietate cupidè ingrediendo, ac eo modo G
officium divinum peragendo, ut id, quod dicitur, intelligatur, illudque Divinæ Majeſtati abſque animæ, & corporis inutili defatigatione offerendo, nec artificioſa nimis exercitia cum divino officio peragenda; qualia ſunt, adorationes in certo numero, quibus quidam tanto ſtudio inhiant, ut neceſſariò ab officio, quod peragunt, alienentur. Dico non videri mihi illud exercitium conveniens, ſiquidem ipſummet ab officio divino divertit, nec præter damnum, quod capiti infert, locum ei attendendi dat. Et ſanè melius longè æſtimo, ad ſenſum eorum, quæ recitantur attendere, interdum in meditatione verſuum actus aliquot amoris, ſpei, ſive adorationum ſine artificio, H
certoque numero, ſed maximo affectu magnoque Dei deſiderio exercendo. Mihique planè perſuaſum habeo, hoc modo feciſſe Sanctos, quando modo ſancto, gravi, Eccleſiaſtico, & tam animæ, quàm corpori ſecuro officium divinum peragebant: nec dubito, quin modus ille officium di-

Qua cum attentione officium Divinum recitandum?

Scrip. An. circ. 1598.

Quomodo Moniales?

A

B

divinum dicendi ſit utiliſſimus, non iis ſolummodo, qui illud intelligunt, ſed & qui ejus ſenſum non percipiunt. Etenim qui ejus ſenſum non comprehendunt (ut communiter Moniales) in hoc toto pectore incumbunt, ut ſaltem illud aliqua animi ad rem applicatione dicant: vel enim ad verba attendunt, ne errent, vel ad Dominum Deum, qui præſens eſt, aliquot virtutum actus exercendo, cogitationes dirigunt. Verùm enim verò ſuppoſita hac animi applicatione, & in recitando occupatione, non video, qua ratione modorum illorum artificioſorum, certorumque adorationum numerorum ratio ſine affectuum enervatione, corporalique ſanitatis damno haberi poſſit: itaque melius eſſet, ut ii mentalibus aliquot elevationibus adiuti ad præſentiam Dei attenderent, nullo certo numero nec artificio, ſed ſimplici pioque affectu adhibito. Quippe ſi certo ordine volent actus multiplicare, ac uno Pſalmorum verſu lecto actum aliquem exercere, ut primò manum dextram, dein ſiniſtram, porrò pedem dextrum Jeſu Chriſti crucifixi adorare, paucorum dierum ſpatio debilitarentur, & ad orationem inidonei, & inepti redderentur, præterquam quòd modus ille recitandi adeò ſit inquietus, & ſolicitudine plenus, ut nullam reſpirandi det moram. Et certè deceptio eſt perſonarum parum intelligentium, credere excellentiam officii divini in multiplici, & artificioſa elevatione mentali conſiſtere, & non potiùs in affectibus quietis, & cordialibus ſine ſolicitudine, & artificio.

Modus orandi mentaliter.

Directio orationis mentalis, quæ?

Directio hujus actus erit eadem, quæ Divino officio aſſignata eſt.

C

Præparationis ad Orationem mentalem forma.

D

Modus orandi hic erit. Præparatione facta, quæ in conſideratione Majeſtatis, & bonitatis Divinæ, propriæque humilitatis, & malitiæ conſiſtit, in ſe affectus reverentiæ, & amoris erga Divinam Majeſtatem, & contemptus, confuſioniſque erga ſe ipſum excitandi erunt, actus aliquot contritionis de ſuis peccatis in genere exercendo, demum inſtar publicani cum profundiſſima humilitate, miſericordiæque Dei deſiderio ad orationem ſe accingendo. Porrò hoc modo dicere poterit: Domine mi altiſſime, infinitæ magnitudinis, & bonitatis mihi viliſſimæ creaturæ tecum in Oratorio negotiandum eſt: ego Divinam tuam Majeſtatem adoro, ac me ut creaturam dignam contemptu infinito, quia te offendi, coram te humilio. Ego cor meum tibi offero, & cordialiter de meis peccatis, puritati, bonitatique tuæ contrariis doleo, firmiterque ſtatuo, te in æternum non offendere. Oſtende mihi Domine bonitatem, & miſericordiam tuam, ad ſecretam Divinæ Majeſtatis tuæ communicationem me aſſumendo.

Hæc præparatio ante Oratorii ingreſſum facienda: qui verò eam primò non fecerit, is poterit, & debet, abſoluto directionis hujus actu, facere.

Præparatione facta, lectionem ad meditandum propoſitam audiet, quæ per dies hebdomadæ diſtributa eſt.

Nota, uniuſcujuſque eſſe, lectionem illam ante Oratorii ingreſſum prævidere, ut majorem fructum animæ adferat.

E

Et quidem punctum illud, quod in animo ipſius veſtigia majora reliquerit aſſumet, ſuper eoque meditabitur, hoc eſt aliquantulum temporis in ejus diſcurſum impendet, attendendo bene, ut voluntatem moveat. Exempli cauſa: ſi lectum, qua ratione Chriſtus crucem humeris geſtarit, & inter alia punctum illud viſionis Chriſti tanta manſuetudine eam humeris imponentis magis cordi ejus impreſſum fuiſſet, tum ſic meditari poterit.

Meditationis exemplum.

F

G

Maximum eſt, in quo conſiderando occupor. Quid facis, Domine mi manſuetiſſime? Quid lignum illud ad te, ut tibi in eo juſtificandus imponas? Tu, Domine mi, es innocentiſſimus, & publicè viſum eſt, nullam in te mortis cauſam inveniri: cur igitur ſiles, & te ſine reſiſtentia ligno crucis ſubmittis? Certò ſcio, te verum Dei Filium eſſe, coram quo Seraphim cœli genuflexi procumbunt: cur itaque te inclinas, & hoc ligno, quod pro deteſtandis peccatoribus mundi juſtificandis ſervit, te gravari permittis? Certè magna mea eſt durities, quandoquidem pro te mori, & tecum crucem portare nolim. Si neſcirem Majeſtatem tuam hunc actum ſummè ſtupendum pro me viliſſimo vermiculo æterna infamia, & pœna propter hoc, quod te offendi, digno exercuiſſe, aliquo modo ingratitudo mea excuſabilis videretur: cum autem optimè ſciam, te altiſſimum Dei Filium extremum hunc cruciatum pro me perpeſſum, nullam profectò excuſationem invenio, niſi ut te omnibus rationibus inſtigantibus ſequar, tuæque infinitæ charitati correſpondeam.

Meditatio brevis, & efficax.

Affectus quales?

H

Ecce exemplum meditationis, quam brevem, & efficacem eſſe oportet, ut voluntatem moveat ad alias orationis partes affectivas, qui fructus ſunt proprii bonæ meditationis, exequendas: ita ut plus temporis affectibus, quàm diſcurſui tribuatur, ſiquidem diſcurſu ſolùm ut medio ad partes affectivas producendas utamur, ac proinde exerceri non debet, niſi in quantum ad eas requiritur, & non ulteriùs. Finita itaque meditatione, campus affectuum intrandus eſt. Sunt autem ii, gratiarum actiones, oblationes, & petitiones, qui toto corde exercendi ſunt, quoniam ab impreſſione, quam meditatio in animo facit, naſcuntur. Verbi gratia: facta meditatione ſupradicta, ex conſideratione illius puncti, quod eſt videre Chriſtum Dominum noſtrum ſub ligno crucis, naſcuntur affectus gratitudinis, quam anima concipit, videns actum illum à Redemptore ſuo pro ipſa exercito:

naſ-

naſcuntur affectus ſeipſum, & mille mundos ſi haberet, in hujus inæſtimabilis beneficii recompenſationem offerendi: naſcuntur rerum neceſſariarum in ſervitium talis Domini, qui res tam admirabiles pro ipſo operatus eſt, petitiones ferventes; veluti paſſionum mortificatio, virtutum conſecutio, tentationum victoria, cæteraque omnia in hunc finem ſervientia. Nec etiam in hiſce partibus tantum ad ordinem, quantum ad effectum prædominantem attendendum; quamvis enim pro incipientibus bonum ſit, poſt meditationem primò gratiarum actionum, deinde oblationum, demum petitionum affectus excitare, nihilominus regula hujus ordinis ſervandi non obligat, ſed ſecundum affectum prævalentem hæ tres partes commiſceri poſſunt.

An in hiſce affectibus ordo ſervandus?

Hæc de forma ordinaria orationis mentalis propoſuimus; circa cujus partes operæ pretium non eſt dicere notabiliora, quandoquidem in quarta parte Inſtructionis Novitiorum ea conſcripta ſint.

CAPUT V.

Modus audiendi Miſſam.

DE celebratione, & auditione ſacrificii Miſſæ ſolent ſcribi res minutiſſimæ, quas parum, ordinariè, prodeſſe puto. Cum enim illi, qui peragunt vel audiunt, ad ea, quæ fiunt, attendere debeant, non ita facile eſt ſimul conſiderationibus minutis, & multis incumbere, ut maximè veriſimile videatur multoties affectum tepeſcere, animamque à rebus principalibus abſtrahi. Quare bonum erit uti modo altaris ſacrificio aſſiſtendi devoto, & moderato, ut miniſtri etiam eum ſine ceremoniarum neceſſariarum intermiſſione exercere poſſint.

Pro auditione Miſſæ directio, quæ?

Primum itaque, quod audituro Miſſam incumbit, eſt directio, quæ erit eadem cum Officio divino, adiungens oblationem iſtius Miſſæ ſacrificii, ſimulque ſeipſum cum omnibus creaturis, quæ ſunt in gratia Domini in cœlo, & in terra offerendo; ita ut poſtquam verba directionis pro Officio divino aſſignatæ protulerit, hoc modo dicere poterit. Meipſum, omneſque creaturas in gratia tua exiſtentes ſimul cum hoc divino ſacrificio Majeſtati tuæ quatuor de cauſis offero. Primò, ut pro peccatis meis ſatisfaciam. Secundò, ut ratione beneficiorum acceptorum gratias referam. Tertiò, ut beneficia ad finem vitæ æternæ perveniendum neceſſaria impetrem. Quartò, ut Divinæ tuæ Majeſtati honorem deferam, meque cum ea uniam.

Hæ quatuor oblationes cum præparatione ad Communionem, capitulo octavo aſſignata, ante, & poſt Sacrum etiam Sacerdoti proſunt.

ABſoluta hac directione, maxima, qua poterit attentione in hoc erit, ut ſi id, quod in Sacro dicitur, intelligat, maximæ devotionis loco habeat ad ea verba attendere, eorumque affectum in ſe excitare, ad Majeſtatem Divinam, cui ſacrificium illud offertur, mentem intentam dirigens, repetendo aliquoties quatuor illas oblationes, & quoſdam actus fidei, ſpei, amoris, alioſque ſimiles exercendo. Si verò ſenſum verborum non intelligat, itidem in præſentia Dei attentiùs ſit, eoſdemque actus, & oblationes ſumma reverentia, & deſiderio Domino Deo placendi offerat: ſiquidem modus ille maximè devotioni accomodatus eſt, pro actibus meritoriis utiliſſimus, nec caput perturbat, nec animam ſpeculatione diverſorum myſteriorum, qua aliqui ex una in aliam diſcurrente ſe occupare ſolent, avertit.

Sacrum quomodo audiendum?

CAPUT VI.

Modus confitendi.

DIrectio fiet hoc modo: Domine Deus meus, ego me ad confeſſionem diſpono, ut anima mea purificetur, ac Majeſtati tuæ magis placeat. Vellem, me Magdalenæ, omniumque Sanctorum pœnitentium, qui fuerunt à principio mundi, contritionem habere, ut hunc actum perfectè ad gloriam tuam exercere poſſim. Da mihi, Clementiſſime Domine, gratiam, parteſque hunc actum pro tuo beneplacito exequendi requiſitas. Similiter à te Beatiſſima Virgo rogo, ut tuo favore me adiuves, quatenus hunc actum, quo tibi placere deſidero, perfectè perficiam.

Pro Confeſſione directio.

Modus ſe præparandi, & confitendi erit præſens.

IS, qui confiteri vult, antequam Sacerdotem adeat, parumper ſolitarius eſſe, ac ante pedes Chriſti Domini noſtri ſe humiliare debet, imaginando ſibi eum inſtar ſummi Pontificis ad confeſſionem ſuam audiendam ſedentis præſentem eſſe, eoſdemque actus, quos in adeundo Confeſſario, exercere conabitur: quorum duo ſunt, nempe memoria, ſive examen ſuorum peccatorum, & eorum contritio. Quantùm ad memoriam ſeu examen, per tria capita ordinaria, cogitationum, verborum, & operum diſcurret, ſine ſcrupulis, & minutiis inutilibus, id, cujus in unoquoque recordatur, dicens, adiungetque omiſſiones, quæ quarti puncti loco, & maximi momenti ſunt: Sæpius namque accidit, perſonas ſpirituales magis Dominum Deum omiſſione, quàm imperfectionibus commiſſis offendere. Denique cum accuſatione omnium peccatorum vitæ præteritæ ad præſens momentum uſque commiſſorum concludet, determinatum aliquod vitæ anteactæ peccatum ſubiungendo, ut foret mendacium, aut juramentum, ut materia certa abſolutionis deſignari poſſit: quandoquidem ordinariè ſatis perſonæ ſpirituales quædam confitentur, quæ certò ſciri non poſſit, num peccata ſint. Hæc quantum ad examen

Præparatio ad Confeſſionem quomodo facienda?

Scrip. An. circ. 1598.

Peccata venialia, non omnia neceſſariò confitenda.

men ad ſecundum caput quod attinet, Religioſus, qui ordinariè nulla præter venialia peccata committit, majorem circa contritionem, quàm examen diligentiam adhibere debet; non enim ad confeſſionem omnium peccatorum venialium adſtrictus eſt; ſi tamen ea confitetur, ad contritionem, ſive attritionem cum vero ſe emendandi propoſito obligatur. Cum autem materia, circa quam confeſſio A ejus verſatur, ſit leviſſima, magnoperè timendum eſt, multos eam non deteſtando, emendationemque, ea, qua convenit, ſtabilitate proponendo, errores committi. Quare ſummoperè in perpendendo malo, quod peccato veniali ineſt, laborandum, illud abominando, firmiter vitæ in melius mutationem proponendo. Atque hæc eſt ad bene confitendum principalis præparatio; quæ omnia Religioſo coram Chriſto Domino noſtro facienda incumbunt, multos ſuper imperfectionibus confitendis, contritionis actus exercendo, cum eaque diſpoſitione Confeſſarium ſuum accedet, ſeque humilians confeſſionis generalis partem recitabit. *Confiteor Deo* &c. Dein ſe ratione præparationis fortè non competenter factæ accuſare incipiet, ac per puncta, ſicuti in præſentia Chriſti B Domini noſtri fecit, diſcurret, confeſſionem, ut dictum eſt, mendaciis, & juramentis vitæ tranſactæ concludendo, ſimulque formalem contritionis actum cum propoſito ſe emendandi exercebit, veluti: Me peccaſſe pœnitet, & peccata propter amorem Domini Dei deteſtor, firmiterque propono me numquam ampliùs Divinam Majeſtatem offenſurum.

CAPUT VII.

Modus quotidiani examinis conſcientiæ.

Examen quotidianum, quomodo faciendum?

Circa examen conſcientiæ aliud nihil opus eſt dicere, quàm ut idem fiat, quod capitulo præcedenti in modo, quo C confiteri volens ante Chriſtum Dominum noſtrum utitur, diximus: ita ut examen quotidianum eodem modo fiat, ac ſi jam jam confeſſio inſtituenda. Quantùm ad directionem, contritionem, imperfectionumque recordationem, per quatuor illa puncta diſcurrendo, aſſignationem illam mendaciorum, & juramentorum vitæ anteactæ omittendo, ſolùm de imperfectionibus, modò in particulari commiſſis, omnibuſque ſuis in communi peccatis dolendo, firmamque emendationem proponendo. Demùm pœnitentiam aliquam leviſſimam ſimilem ei, quam Confeſſarius pro ſimilibus imperfectionibus injungere ſolet, aſſumendo, concludendum.

D

CAPUT VIII.

Modus communicandi.

Pro Communione, directio.

Directio fiet hoc modo. Domine mi amabiliſſime, ego te hodie in animam, & corpus recipere debeo: vellem itaque me habere munditiem infinitam, ut dignum Majeſtatis tuæ habitaculum eſſe poſſim. Fac Domine, ut tua gratia purificer, meque tibi arctiſſimè uniam hoc actu, quem ad gloriam tuam exercere volo complacendo. Similiter te, Beatiſſima Virgo, in adiutricem invoco, ut dignè Sacramentum hoc, & Panem vitæ, cujus receptione animæ tuæ placere E deſidero, ſumere queam.

Facta directione, qui communicare volet, valde humiliando ſe præparabit, ac ſingularem gratiam, quam Dominus ei vult facere, æſtimabit, multoſque fidei, ſpei, amoris ſequenti forma actus exercebit.

Ad Communionem Præparationis exemplum.

Altiſſime Domine Deus, & Redemptor meus, ego ſum creatura viliſſima, indigna quæ beſtiis tuis cohabitem, & tua infinita bonitas mihi vult gratificari miſericordia tam inæſtimabili, ut habitaculum ſuum in anima, & corpore meo ponat. Neſcio quid aliud, Domine mi altiſſime, agam, quàm ut pondus infinitum maximæ hujus miſericordiæ ſentiam, eamque omnibus viribus meis deſiderem. Firmiſſimè credo, Majeſtatem F tuam, verum Deum, verumque hominem in hoc Sacramento realiter eſſe, ac pro ea confeſſione mille, ſi haberem, vitas darem. Indubitanter quoque ſpero me virtute divini hujus Sacramenti eo modo confortatum iri, ut ad deſideratum vitæ æternæ finem perveniam. Ego me ſacrifico, & cordialiter me tibi, Domine mi, offero, ut me cum Majeſtate tua in illa communione ad animarum in te transformationem deſtinata uniam. Deſidero, o Bonum meum infinitum, te in cordis mei penetralia recipere, cuperemque habere munditiem infinitam, qua te attraherem, ut in æternum in anima mea habitares.

Quo nam tempore à noſtratibus conſuevit fieri?

Hæc præparatio poteſt, & debet pro tempore unicuique ſuperfluo amplificari. Et quidem noſtri Religioſi ſolent horam orationis matutinæ pro præparatione ſumptionis Sanctiſſimi Sacramenti eligere, exceptis G actibus, quos immediatè ante Communionem exercent. Conſueverunt etiam pœnitentia aliqua moderata, vigilia Communionis corpus mortificare.

Dum jam ad ipſam ſumptionem perventum fuerit, Religioſus maximo ſe cum Jeſu Chriſto uniendi deſiderio ad Communionem accedet, conſiderando ſe Dominum altiſſimum, & Creatorem ſuum ſumere, ubi ſumma erit ſervanda modeſtia, nullo modo actus incompoſiti exercendi, ſed compoſitione, & verecundia quadam virginali perſeverandum.

Poſtquam verò Sanctiſſimum Sacramentum ſumpſerit, cordialiter gratias aget, ac ea, quorum maximè indiget, petet: ut H tentationum eum affligentium victoriam, virtutumque principaliorum obtentionem.

Gratiarum actionis exemplum.

Gratiarum actiones aget hoc modo: Domine mi infinitæ bonitatis, & magnitudinis, qui ad me creaturam adeò vilem venire dignatus es, quàm gratum me pro hac mi-

Scrip. An. circ.1598.

miſericordia exhibebo? Si ſolus ego omnia Angelorum, & Sanctorum in cœlo, & in terra corda poſſiderem, omnibuſque illis Divinam tuam Maejſtatem laudarem, vix minimam illius gratiæ, qua mihi gratificatus es, partem adæquarem. O Domine mi amabiliſſime, quàm immenſa eſt tua bonitas, & liberalitas. Ego te ſine fine omnibus viribus animæ meæ laudo, vellemque A me omnia corda, & dicta habere, ut te in æternum laudarem, miſericordiæque tuæ magnitudinem decantarem. Cum autem realiter unius ſolummodo corporis, animæque ſim dominus, omne id, quod poſſum & habeo, Majeſtati tuæ Divinæ in recompenſam hujus viſitationis dignæ viſceribus æternæ tuæ charitatis offero &c. Hæc gratiarum actio pro tempore, & Religioſi devotione exaggerari poterit.

Petitio quando facienda?

Quantùm ad petitionem, notandum tempus illud immediatè Communionem antecedens aptiſſimum eſſe inſtituendæ negotiationis cum Chriſto, qui venit, ut animam illam miſericordia repleat. Atque hoc modo unuſquiſque beneficia ſibi maximè neceſſaria petet. B

CAPUT IX.

De præſentia Dei.

Præſentia Dei, quid?

PRæſuppono, Religioſum ſine præſentia Dei eſſe inſtar corporis ſine anima: quod enim vitam ſpiritualem Religioſis tribuit, eſt illud ſtudium, quo ſemper Domini Dei memoriam ſibi refricant. Suppono etiam, præſentiam Dei piam eſſe quamdam animi applicationem de Deo intellectualiter, vel imaginariè cogitandi, circa quod unuſquiſqde magiſtri ſui ſpiritualis conſilio acquieſcet.

Ulteriùs ſuppono, applicationem illam C animi in uberioribus fructibus proferendis frequentibus orationibus jaculatoriis, cordiſque elevationibus irrigandam eſſe, diverſos virtutum actus exercendo, maximè fidei, ſpei, amoris, contritionis, humilitatis, reſignationis; quippe ſic multorum meritorum fiet fœcundiſſima.

Præſentia Dei commendata.

His ſuppoſitionibus factis, quiſque Religioſus in hoc det operam, ne præſentia Dei umquam careat: ita ut numquam rerum unioni divinæ parum correſpondentium cogitationes aſſumat, cum reſolutione fideliter memoriam Dei reſumendi, ſi fortè ejus oblivio aliqua irrepſerit, eamque diligentiam loco ſpeciei altiſſimæ ſapientiæ reponat, qua in terra vitam ducet Angelicam.

D In cujus rei uſum boni Religioſi in more poſitum habent, aliquot memoriam renovantibus remediis uti, utpote funiculum brachio, manui, aut cingulo alligando, ut quandocumque eum attigerint, memoria Dei reviviſcat, præter ſtudium, quod in communitatibus Religioſorum reformatorum adhibetur, ſigna publica certa hora in periſtyliis dando, quæ ad memoriam excitandam conducunt.

Cæterùm conſpectus hic Dei, ſimul ac Religioſus evigilarit, aſſumendus eſt, totoque die reliquo reſervandus, cum eo ſemper incedens, omniaque ſua negotia tractans, interdum ſe humiliando, aliamve pœnitentiam leviſſimam ſibi iniungendo, dum ſe Chriſti præſentia privatum eſſe ſentit; E ſic enim in perfectione Monaſtica multum proficiet.

CAPUT X.

Modus in Capitulo Conventuali ſe habendi.

Ad relligioſe ſe habendum in Capitulo Conventuali, Directio.

DIrectio erit hujuſmodi. Domine mi Clementiſſime, ſum vocatus ad Capitulum, in quo de promovenda perfectione, corrigendaque imperfectione agetur. Fac Domine mi, ut peccatorum meorum commonefiar, & ut reprehenſionem, eoſque, qui me reprehendunt, diligam, ac ut me per medium horum actuum veræ charitatis emendem, F quatenus oculis tuis ſim gratior. Tuque, Beatiſſima Virgo, in hac eadem intentione mihi ſuffragari digneris, ut tibi ſimiliter in hoc diſciplinæ religioſæ actu magis placeam.

Modus Capitulum frequentandi erit modeſtiſſimus: attentio, & ponderatio rerum in illo loco, in quo Religioſi in nomine Domini congregati ſunt, agendarum erit maxima, ſumma itidem vigilantia, & fidelitas præcepta communia propriæ perſonæ applicandi. Si verò quiſpiam (quiſquis ille ſit) admoneatur, unicuique benè, num fortè imperfectionis in altero corrigendæ ipſe ſit particeps, conſiderandum eſt, ſibique eamdem admonitionem veluti particulariter dictam eſſe putet.

Citato tamen ad culpam ſuam dicendam G hæc præcepta non ſufficiunt, ſed & alia obſervanda ſunt: nimirum ut ſumma manſuetudine, & gratitudine, nulla excuſatione, nec faſtidii ullius demonſtratione prævia, caſtigationem acceptet; & ſi fortè partem inferiorem propter hæc, & alia obmurmurare contingat, non propterea verus Religioſus, quia debilitatem illam, & carnis rebellionem experitur, ſe triſtem fingat; ſed interiùs ſe humiliet, firmiterque in Dominum confidat, & exteriùs ſingularem dulcedinem, gratitudinemque erga correctorem oſtendat, quippe ſic in domo Dei indies magis magiſque proficiet.

CAPUT XI.

Modus audiendi exhortationem.

H

Ad exhortationem fructuoſe audiendam, directio.

DIrectio ſit hæc. Domine mi Clementiſſime, eſt mihi audienda exhortatio, quæ per ordinem ſanctæ obedientiæ à ſervis tuis habebitur. Effice, tibi ſupplico Domine, ut per hæc verba illuminer, ac

Scrip. An. circ.1598.

in me tuæ Majeſtatis notitia, & amor propter gloriam tuam augmentum ſumat.

Capitulum hoc pro concionibus quocumque in loco habendis proderit.

A

Quomodo audienda exhortatio.

ET tu, Sereniſſima Virgo, ſervum tuum in eumdem finem adiuva: per hujus medium tibi in hoc actu placere deſidero. Exhortatio (quocumque in loco ſit) ſumma cum modeſtia, verborumque Dei æſtimatione, ac maxima attentione audienda eſt, omnem inquietudinem ex anima, & corpore pellendo, doctrinæque ſpiritualis puncta obſervando, ut animæ executioni mandanda imprimantur. Illudque tanti momenti negotium eſt, ut boni, fideleſque Religioſi exhortationum ſpiritualium frequentia breviſſimo tempore maximum cœli lumen, maximamque vitæ perfectionem acquirant, quemadmodum in noſtra Religione experientia edocti ſumus. Cæterùm cum hæc res tanto ſpirituali commodo ſit fulta, ſolent Religioſi noſtri quotidie exhortationum puncta notabiliora annotare, eaque in ſuis enchiridiis ſive, *vade mecum*, ut vocant conferre, ac interdum maximo animarum ſuarum fructu, & conſolatione revidere. Et certè hac in re factum quoddam Congregationis noſtræ diligentiſſimè annotandum, quo videbatur ipſam juſtitiam divinam exhortationum præſtantiam confirmaſſe, Novitios in exhortationibus parum quietos, & attentos è domo ſua exturbando.

B

CAPUT XII.

Modus frequentandi Chorum.

IN capitulo tertio de Officio divino tractavimus, ejuſdemque actus, ac modi officium recitandi directionem aſſignavimus, ideoque in hoc capitulo præter modum Chorum frequentandi nihil dicendum. Cum autem hæc res convenienter peracta proximos ædificet, inconvenienter verò ſcandalizet, particulares ad eam obſervationes requiruntur.

C

Officium quomodo in Choro recitandum?

Unuſquiſque in Choro officium adinſtar Angeli peragere debet: ſiquidem actus ille ita cultui divino immediatè, & propriè annexus eſt, ut ſit una rerum ad vivum repræſentantium Hierarchias Spirituum beatorum, eorum, qui in æterno quodam officio divino perpetuam Divinæ Majeſtatis laudem decantantes permaneant. Itaque Religioſus ſacrum illum locum cum modeſtia virginali, & fervore Saraphico frequentabit, totam animam, & corpus in Creatoris ſui laudem componens. Oculis corporeis aliud nihil, quàm Breviarium, ſpiritualibus ſolum Deum intuebitur. Breviarium ambabus pectori applicatis tenebit manibus, brachia non dimittens, ne animo languere videatur. In ſtando, vel ſedendo ſit compoſitiſſimus, ita ut ſtans non ſit inquietus, & ad lapſum proclivis, brachia, vel corpus, vel aliquam corporis partem movendo. Sedens verò commoditatem non quærat, ſed devotè ſe componat, ut talem decet, qui aliud, quàm vivam Divinæ Majeſtatis laudem non quærit. In cantando, recitando cum aliis conveniat, verba benè exprimat, tono chorali ſe conformet, & ſeniorum veſtigiis in omnibus inſiſtat, nullum omnino pigritiæ, ſive animi relaxationi locum det; ſed ſe voluntariè, & libenter Domino laudes decantare oſtendat. In exercendis Chori officiis ſit circumſpectus, eo modo ceremoniis incumbens, ne modeſta corporis compoſitio, animæque paſtus, qui præſentia Dei eſt, minuatur.

D

Quomodo breviarium tenendum?

E

CAPUT XIII.

Modus legendi Roſarium.

Ad Roſarium recitandum, directio.

QIrectio ſit hæc, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, ad gloriam Domini Dei, tuamque Roſarium legere cupio. Fac, tibi Sereniſſimæ Reginæ cœli ſupplico, ut opus inchoatum perfectè abſolvam, ac Majeſtati Divinæ, animæque tuæ placeat.

F

Modus dicendi hic erit.

Quomodo roſarium recitandum.

LEcturus, Beatiſſimam Virginem in imaginatione ſibi repræſentabit, & in uniuſcujuſque Decadis principio, in myſterio decem *Ave Maria* accommodato contemplando ſtudebit, ſecundum ordinem myſterii gaudioſi, vel doloroſi &c. ita ut poſtquam B. Virginis præſentia potitus fuerit, cum illa ſermonem inſtituat, ſenſum proprium verborum Salutationis Angelicæ obſervando. Ille namque modus legendi Roſarium eſt ſimpliciſſimus, valdeque proprius, & aptiſſimus cum maximo affectu recitandi, quoniam mentem cum conceptibus, & devotionibus artificioſis non divertit, videturque multis modis aliis præpollere: quandoquidem omni rationi conſentaneum ſit, ut dum Beatiſſima Virgo verbis apertis ſalutatur, unuſquiſque ea optimè intelligat, ſenſum eorum verborum, quæ dicit, non perdat, aliiſque cogitationibus impropriis ſe dedat, quæ vix patiuntur, ut quis eorum, quæ dicuntur meminiſſe poſſit.

G

CAPUT XIV.

Breviſſima & utiliſſima Dominicæ Orationis expoſitio.

QUamvis *Pater noſter* multoties in Officio divino, & Roſario dicatur, tamen non ſpero, nos olei, & operis jacturam facturos, ſi illud clarè & breviter exponamus: ut unuſquiſque majori cum fructu, quàm communiter in multis perſonis videre eſt Eccleſiaſticis, illud recitare poſſit.

H

Pater noſter.

QUaſi dicerem: Domine Deus, qui nobiſcum, adinſtar veri Patris, agis in filios tuos adoptivos pretioſiſſima gratiæ tuæ fi-

Scrip. An. circ. 1598.

liatione nos aſſumens, inæſtimabilemque æternæ gloriæ hæreditatem conferre volens.

Qui es in cœlis.

TU, Pater ſummè miſericors, in cœlo modo divino habitas, teipſum, ſummum, & infinitum bonum clarè electis tuis oſtendendo.

A

Sanctificetur nomen tuum.

PRæſuppoſita fide, qua infinitam magnitudinem, & Majeſtatem tuam credo, agnitaque obligatione, qua, quia es, qui es, ad te laudandum obſtrictus ſum; prima petitionum mearum eſt, ut nomen tuum per omnem creaturarum univerſitatem honoretur.

Adveniat regnum tuum.

SEcundum, quod peto eſt, ut regnum tuum æternum, ad quod creati ſumus, nobis conferatur, ac demum tui clara viſione, ac fruitione fruamur.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.

B

TErtia petitionum eſt, ut tua voluntas fiat, ſicut in Cœlo, ita & in terra: ut in hoc mundo ita voluntati tuæ conformiter vivamus, quo regni æterni adeptione digni effici mereamur.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

QUartum, quod peto eſt, rerum neceſſariarum hodierna ſuppeditatio: ut corporaliter in ordine vivendo, anima ſpiritualem vitam ducat.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

QUinta petitio mea eſt, ut nobis debita noſtra, pœnamque iis correſpondentem dimittas, quemadmodum modò hæc dimittimus debitoribus noſtris.

C

Et ne nos inducas in tentationem.

SExta petitionum mearum eſt, ne nos tentationibus afflictos labi ſinas, ne divina gratia, veniaque peccatorum miſericordia tua obtenta privemur.

Sed libera nos à malo.

SEptima petitio eſt, ut nos ab inferno & dæmone liberare digneris, vitam noſtram perſeverantiæ dono finientes.

D

BRevis hæc expoſitio omnia ad ſalutem neceſſaria complectitur. Nam poſtquam primo loco gloria Dei petita eſt, unuſquiſque pro ſe regnum cœlorum petit, quod eſt finis, & beatitudo noſtra: petuntur dein media, quæ ſunt ſpiritualia, & corporalia: ſpiritualia petuntur dicendo, ut ſemper fiat voluntas Dei, quod omnia ſuæ legis præcepta comprehendit: corporalia verò ſub nomine panis quotidiani intelliguntur. Poſt has petiones manemus debitores peccatorum præteritorum, ſive præſentium, quæ ſunt vitæ æternæ impedimenta, eorumque remiſſionem quinto loco petimus. Demum, quandoquidem ei, qui hanc remiſſionem obtinuit, aliud nihil petendum eſt, quàm ne relabatur, & conſequenter ut feliciter ultimum diem claudat, & ut à dæmone, & inferno liberetur, oratio Dominica hiſce duabus petitionibus concluditur, nimirum in tentationes ne incidamus, & in fine vitæ à dæmone, & inferno, ut immunes ſimus.

E

CAPUT XV.

Actus ad pulſum Ave Maria exercendi.

SIgno dato, quàm mox cor ad Dominum Deum elevandum eſt, infinitam bonitatem ejus conſiderando, qui pro remedio noſtro ſacratiſſimum Myſterium Incarnationis inſtituit.

Ad ſalutationem Angelicam directio.

Directio erit hæc: Domine mi infinitæ bonitatis, cedat hic actus ad gloriam tuam. Similiter à te ſereniſſima Regina rogo, ut tibi placeat.

F

Facta directione, tria illa, Ave Maria, cum Antiphonis ſolitis dicenda, altiſſimum illud Incarnationis Myſterium perpendendo, breviterque his quatuor actibus concludendum.

Gratiarum actio.

Tibi gratias ago cordialiter, Pater æterne, quòd unigenitum tuum Filium pro me incarnandum miſeris.

Tibi gratias ago cordialiter, unigenite Fili Dei, quòd pro me carnem aſſumpſeris.

Tibi gratias ago cordialiter, Sancte Spiritus, quòd ut mihi benefaceres Beatiſſimam Virginem fœcundaveris.

Tibi gratias ago cordialiter, Virgo Beatiſſima, quòd Filium Dei, qui ad me viſitandum venit, conceperis.

G

CAPUT XVI.

Modus in proceſſionibus, aliiſque publicis actibus obſervandus.

Directio publicis actibus præmittenda.

DIrectio fiet hoc modo. Domine Deus meus, confer mihi gratiam, ut in hoc actu ita me geram, quò eum perfectè exercendo, Majeſtati tuæ placeam. Idem à te Beatiſſima Virgo, & Regina cœli obſecro.

H

Quomodo faciend. proceſſio?

Compoſitio corporis hunc actum frequentanti ſit Angelica, locis, & temporibus convenienter nunc incedendo, nunc inclinando, nunc conſiſtendo, confuſionem nullam cauſando, nec alicujus ruſticitatis, aut nimiæ ſimplicitatis ſigna dando. Animo verò in præſentia Domini Dei, cum proprietate ad hunc actum requiſita, commorabitur. Exempli cauſa, ſi proceſſio in honorem Reſurrectionis eſſet inſtituita, unuſquiſque corpore erecto, ſumma cum modeſtia incedat, prædeceſſoris veſtigiis non nimium inhærendo; ſed in medio competens ſpatium relinquendo, ſimulque cum omnibus ita preces fundendo, ne propter devotionem

Scrip. An. circ.1598.

nem, aut inconſiderationem cum aliis in hoc actu communi non concurrat. Quantùm ad animam, ea contemplationi Jeſu Chriſti Domini noſtri reſuſcitati ſtudebit, cum ipſo de hac mortis, & inferni victoria triumphando.

A

Exemplum hoc ſerviet & aliis actibus, qui ſuas conſiderationes proprias ſolemnitatibus celebrandis conformes habent, ſiquidem omnes hi actus in corpore modeſtiam, in anima contemplationem requirunt.

CAPUT XVII.

Modus exercitiis ſpiritualibus incumbendi.

Directio ſpiritualibus exercitiis præmittenda.

DIrectio erit hæc. Da mihi gratiam, Domine Deus, quatenus exercitia hæc, aliorum conſortium diebus aliquot fugiendo, tibi cum majoris perfectionis acquiſitione placeant. Idem à te, cœli Regina Sereniſſima, peto.

Modus hic erit.

B

Quomodo examen ad generalem Confeſſionem inſtituendum?

QUi generali Confeſſione ſe expiare vult, aliquot diebus horas aliquot ad examen neceſſarias impendet, reſiduum verò eorumdem dierum orationibus, piiſque lectionibus pro vera, & cordiali ſuorum peccatorum contritione ſuſcitanda accommodatis conſumet. Nec ſolùm ille, verùm & is, qui confeſſionem generalem inſtituere non cogitat, à principio exercitiorum in reformandis imperfectionibus, quas in ſe eſſe novit, totus eſſe debet, in eum finem ad gloriam Domini Dei orationes, lectiones, diſciplinas, jejunia, cæteraque omnia dirigendo. Verbi gratia, qui in loquela aut riſu liberior eſt, ſi exercitium velit facere fructuoſiſſimum, in hoc elaborabit, ut in anima ſua fundamenta reſolutionis maximè cordialis in hoc particulari vitam corrigendi jaceat: nova quadam vitæ forma ornata ſilentio, & modeſtia, in bono pertinacia, & perſeverantia, è loco exercitii exeundo; gravis enim error eſſet in alium ſcopum oculos figere, ut quidam non admodum providi faciunt, paucis illis diebus ſe jejuniis, & vigiliis affligentes, quique poſt ejus loci egreſſum aliud nihil inde reportant, præterquam meritum, quo ſe bona intentione macerarunt, in primis nihilominus imperfectionibus permanentes. Sunt & alii, qui quidem paucorum dierum ſpatio emendationem aliquam præ ſe ferunt, cum autem in corrigendis ſuis vitiis principaliter non incubuerint, ſola apparentia eſt, eaque brevis, & caſualis. Summæ itaque ſapientiæ conſilium erit exercitia ad hanc vitiorum extirpationem, ac virtutum ipſis contrariarum plantationem deſtinare, ſicuti per experientiam ſcimus de veris quibuſdam Religioſis, qui in ſimilibus cum maxima Domini Dei gloria, proximorumque commodo mirabiliter converſi ſunt.

C

D

CAPUT XVIII.

Modus precibus invigilandi mentaliter.

IN capitulo quarto de oratione actum eſt, illiuſque actus directio, moduſque exercendi aſſignatus: ſupereſt, ut aliquid de modo corporali, quod ſingulari conſideratione dignum eſt, in medium proferamus. Verùm quoniam hìc immediatè cum Majeſtate Divina agendum, & cum aliis multis eidem orationis ſtudio intentis converſandum, rationi omnino conſentaneum eſt, Religioſum ita compoſitum eſſe, ne Domini aut proximorum oculos lædat. Quare optimum erit genibus flexis (ni obedientia aliud agere non jubeat) manibus complicatis, cinguloque aut in modum crucis pectori applicatis, vel ſaltem unius manus digitis alteri inſertis orare, eligendo modum ex his ſuæ devotioni, ac quieti magis convenientem. Porrò diligentiſſimè ad ea, quæ Dominus ſuggerit, attendendum, neve cæteri perturbentur, omnis ſpuendi, ſuſpirandi, ſe movendi, brachia extendendi, aliave hujuſmodi faciendi occaſio fugienda; quæ ſi quis ſolus eſſet, aliquando tolerari poſſent, & fortè utilitatem aliquam adferrent. Nec etiam ſub Officio divino ſe quiſquam Religioſorum in terram proſtrabit; id enim caput aggravat, & finis eſt ſomnolentus, ſed omnes corporis partes ita diſponent, ut animæ proſint, non jam magnam vim corporalem adhibens, ſed diſpoſitionem quamdam pro fuganda pigritia, animaque excitanda deſervientem.

E

Externa corporis compoſitio in Oratione, quæ?

F

CAPUT XIX.

Modus faciendi diſciplinam communem, & recipiendi particulares.

G

Directio flagellationi præmittenda.

DIrectio erit hæc. Domine mi infinitæ Majeſtatis, cedat ad gloriam tuam hæc diſciplina, qua corpus meum, quo te offendi, caſtigare volo. Offero eam Divinæ Majeſtati tuæ in unione paſſionis unigeniti tui Filii Domini, & Redemptoris mei, ut tibi gratior, peccatorumque meorum ſit ſatisfactio. Similiter te Beatiſſimam cœli Reginam obſecro, ut oblationem hanc, qua tibi placere deſidero, acceptare, ac Divinæ Majeſtati in unione pœnarum tuarum offerre digneris.

Flagellatio quomodo facienda?

H

Fiet autem ſumma modeſtia, & pudicitia, brevi illo tempore viva Chriſti Domini noſtri columnæ alligati, & flagellati repræſentatione corpus mortificando. Et quidem equus ferox, ubi maximè rebellis, caſtigandus, & feriendus eſt, quemadmodum boni, conſtantes, & zeloſi Religioſi ſumma dæmonis confuſione, maximoque ſuo merito faciunt. Quare & is, qui diſciplinam facit, hoc curabit, ut in diverſis locis percutiat: ſic enim dolor major erit,

unius

unius namque plagæ continua verberatio ſenſum doloris ſenſim minuit, imò & ictibus aliquot inflictis dolor planè evaneſcit, & reliquum diſciplinæ parvi eſt meriti. Hactenus de diſciplinis communibus obligatoriis, & moderati faſtidii dixi. Si jam extraordinarias illas, quas interdum fortiſſimi Religioſi cum circumſtantiis ſumma laude dignis exercent, in quibus & cum Jeſu Chriſto ad columnam alligato conveniunt, referre vellem, rem in immenſum augerem. Et licet quidem hæ non obligent, intima tamen peccatorum contritio, amorque Dei cordialis non attendit, num obligent, vel non, ſed num magis Domino Deo placeant.

A

Quod verò ad diſciplinas, quas Superiores iniungere ſolent, attinet, aliud notandum non eſt, quàm ut eadem directio in recipiendo ab alio adhibeatur, quæ ſi proprio motu, ac ſpiritu exerceatur, adhibenda, eademque Chriſti Domini noſtri columnæ alligati conſideratio, ſummam manſuetudinem, ſingularemque gratitudinem erga ſuperiorem hunc actum charitatis exercentem oſtendendo.

B

Nota, directionem, & reliqua hujus Capituli in uſu catenarum, & ciliciorum, aliorumque inſtrumentorum pro carne mortificanda utilium prodeſſe.

CAPUT XX.

Modus exercendi devotionem erga Sanctos.

Devotio in quo conſiſtit?

VTemur exemplo particulari de devotione Sancti unius, quod pro aliis ſerviet, ſupponentes primò devotionem, in reſolutione quadam voluntatis conſiſtere ejus, qui efficaciter Sanctos imitari vult, ex qua ſtudium particulare eos honorandi, & in eorum gratiam particularia quædam faciendi naſcitur.

C

Quomodo exercenda devotio erga B. Mariam Virginem.

Verbi gratia: qui ſingularis Beatæ Virginis cultor eſt, ſingularem etiam diligentiam in ejus virtutum, ut modeſtiæ, ſilentii, ſolitudinis recordatione, ſeque cum iis conformandi, quæ principalis ejus eſt devotio, adhibere debet. Suppoſito jam hoc erga Reginam cœli affectu, indies in honorem ejus rem aliquam particularem exequetur: vel enim ejus commemorationem aget, vel ſepties Antiphonam *Salve Regina*, aliudve ſimile moderatæ quantitatis recitabit, ſed maximo ſpiritu ejuſque ſervitii deſiderio. Appropinquante verò ejus feſto, ſex, vel octo diebus ante diem ſolemnem ſe præparabit, particulari quadam in ejus honore diligentia utens, ſingulis octo dierum quinquies, aut ſepties ſe humiliando, antiphonam *Salve Regina*, dicendo, diſciplinam quamdam extraordinariam exercendo, vigilia deinde ejus majori ſolito abſtinentia jeiunando, demum in ipſa feſtivitate majori devotione, ipſi placendi deſiderio Euchariſtiæ Sacramentum ſumendo.

D

Nec tamen dico, Religioſum Beatiſſimæ Virginis cultui debito hiſce ſatisfacere: ſed hoc exemplum ita propoſui, ut & aliis Sanctis applicari poſſit; licèt enim devotio erga hos ſit magna, majori tamen hæc Sereniſſima Regina cœlorum, & Domina mundi colenda eſt.

Directio.

E

Inſtanti ſolemnitatum ejus tempore, hac directione Religioſus uti poterit. Domina mea Clementiſſima, ego meipſum in æternum tibi offero. In hac verò ſolemnitate tua offero particulariter has humiliationes, diſciplinas, jeiunia &c. cum deſiderio te honorandi, tibique placendi. Suppliciter rogo, hanc à paupere oblationem accepta, meique miſerere.

In hujuſmodi ſolemnitate bonum eſt, à Beatiſſima Virgine (ut & aliis Sanctis) gratiæ alicujus donum ſibi maximè neceſſarium efflagitare.

Directio ſupradicta conducet in oblatione exercitiorum, quæ quis in honorem Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum toto vitæ tempore elegit.

F

CAPUT XXI.

Modus celebrandi Feſta Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Directio ſolemnitatibus Jeſu Chriſti Domini Noſtri præmittenda.

OIrectio totius exercitii, quod aliquot diebus Feſta Jeſu Chriſti Domini noſtri præcedentibus faciendum eſt, cum præcedenti Capitulo propoſita concurret, ſolum ut majori cum affectu in honorem talis Domini infinitæ Majeſtatis fiat.

Præparatio ad illas, quomodo facienda?

G

Modus celebrandi hæc magna Feſta ſit myſteriis, maximè quantum ad actus interiores, conformis. Verbi cauſa; ſi inſtet Natalis dies Domini, cum particulari ſtudio cor ante feſtum præparandi fiet, ut Dominus noſter in animabus noſtris ſpiritualiter, naſcatur, eaque gratia maximis gemitibus, cordialiſſimiſque deſideriis expetenda. Si Feſtum Reſurrectionis, ea intentione fiet, ut à Domino reſurrectionem ſpiritualem impetremus. Si Pentecoſtes, ea, ut viſitationem, & inhabitationem Spiritus Sancti obtineamus. Si Paſſionis, ut cum paſſione ejus configuremur.

CAPUT XXII.

Modus ſe mortificandi in Refectorio.

Pro mortificationibus directio.

H

HIrectio erit hæc. Domine mi clementiſſime, Superiorem meum, ut mortificationem ipſi placitam exerceam, adire cogito, & ut te in exercitio paſſionis tuæ imiter: hoc tibi placeat, teque glorificet. Similiter tibi Beatiſſimæ Virgini in hoc actu complacere conor.

Mortificationes ordinariæ quomodo exercendæ?

Modus exercendi mortificationes ordinarias erit hic. Is, qui mortificandus, ſurget ex menſa, & ſumma modeſtia Superiorem accedet, genibuſque flexis mortificationem, quæ ipſi placuerit, petet, non ipſe eligat,

nec

Scriptus An. 1598.

nec affectu huic, vel illi inhiet, ſed ſententiæ Superioris, per quem Deus loquitur, acquieſcet. Nec tamen huic reſignationi repugnat deſiderium, quo quiſquam deſiderat mortificationem magis difficilem ſibi à Superiore aſſignari, imo bonum eſt, ut petens hoc deſideret, & ad eligendum ſit diſpoſitus, ſi fortè ipſi electio offerretur.

A

Conſiderationes verò ſint mortificationi, quæ fit, conformes. Exempli cauſa: ſi Religioſorum omnium pedes exoſculandi eſſent, coram unoquoque actum humilitatis exercens, dicet: Ego, Domine Deus meus, non mereor eſſe famulus hujus famuli tui: & ſic de actu ſimili. Si cruci aſtet, in Jeſum Chriſtum crucifixum cogitationes dirigat, actus aliquot ipſi convenientes exercendo, ut: Domine mi da mihi hanc gratiam, ut me tibi crucifixo configurem. Et ſic de mortificationibus aliis.

CAPUT XXIII.

Modus ſe extraordinariè mortificandi.

B

Pro extraordinariis, directio.

DIrectio ſit hæc. Domine, & Redemptor meus manſuetiſſime, eſt mihi mortificatio quædam extraordinaria facienda, humiliando me, imperfectioneſque meas coram tuis ſervis confitendo. Largire mihi, Domine mi, verum ſpiritum contritionis, gratiamque, ut eam in tuum beneplacitum perficiam. Et tu, Sereniſſima Regina cœli, ad perfectum hujus actus, quo animæ tuæ placere deſidero, complementum me adjuva. Modus erit ſuperiori diſpoſitioni conformis: hoc eſt, mortificandus in humeris crucem, vel in manibus crucifixum portando, ac humeros leviter pulſando, aut verò caput mortui geſtando, cinereque faciem, & caput aſpergendo, genibus flexis ad medium Refectorii uſque proreptet, ac tum demum ſignum à Superiore pro ſuis culpis recenſendis expectans conſiſtet.

Mortificationes extraordinariæ quomodo exercendæ?

C

Modus enarrandi erit ſimplex, brevis, plenus affectibus, quaſi realiter ante Jeſu Chriſti noſtri tribunal eſſet. Demum preces Religioſorum flagitans concludet; & quidem ſequenti exemplo, quod forma aliorum erit, uti poterit. Pater, confiteor meam culpam, qui ſum creatura viliſſima, quia Dominum Deum offendi. Non mereor in hac ſancta Societate vivere, quia ad quæ obſtrictus ſum, ea ut oportet, non obſervo, particulariter verò modeſtiæ, & ſilentii limites ſum tranſgreſſus, nullamque mihi in recolligenda anima vim infero, ut cum Jeſu Chriſto Domino noſtro penitiùs ingrediar. Rogo V. R. & PP. & Fratres, orate pro me apud Dominum Deum noſtrum.

D

De corporis compoſitione in illis ſervanda.

Circa compoſitionem corporis det operam, ne in veſtibus induendis, vel exuendis ſit nimis exquiſitus, aut indecens, aliave faciat, quæ riſum provocare, aut ſingularem honeſtatem in hoc loco requiſitam lædere poſſint. Cæterùm in introitu leviter diſciplinam exerceat, non enim hujus actus præſtantia in modis exquiſitis mutandi habitum, aut verberibus nimia vi infligendis, ſed in contritione cordiali, humilique noxæ confeſſione conſiſtit.

CAPUT XXVI.

Modus cellam inhabitandi.

E

Pro tempore ſolitudinis, directio.

DIrectio temporis ſolitudinis hæc erit. Domine mi Clementiſſime, ex ſancta obedientia ſolitarium me eſſe convenit, da mihi gratiam, ut tecum illo tempore, ita ut tibi placeat, converſari poſſim. Idem à te, Sereniſſima Virgo, rogo cui in hac mea ſolitudine placere deſidero.

Modus cellam inhabitandi erit hic: Aut genua flectenda, aut corpore erecto ſtandum, aut compoſitè modeſtia quadam Angelica, velut is, qui in præſentia Dei eſt, ſedendum erit.

Cellulæ exercitia, quæ?

Exercitia ſint, vel oratio ſola, vel devotæ lectioni commixta, modò genua flectendo, modò ſe in terram proſtrando, modò brachia in modum crucis extendendo, additis aliquot virtutum actibus, ut fidei, ſpei, amoris, contritionis, humilitatis, reſignationis, &c. cum enim diabolus graviter Religioſos ſolitarios tentet, viriliter ſanè contra deſidiam, & ſomnolentiam dimicandum eſt, nec ita vita agenda, ut ſi ex improviſo eos quiſpiam non rebus piis intentos reperiret, parum ipſum ædificarent.

F

CAPUT XXV.

Modus in lecto quieſcendi.

SUppono, Religioſum in veſtibus induendis, & exuendis eo modo pudicum eſſe debere, ne quantùm ipſi poſſibile, ullam corporis partem videat.

G

Directio quieti præmittenda.

Directio erit hæc. Domine mi, qui te in duriſſimo crucis lecto collocaſti, ego ex ſancta obedientia quieti me trado. Intentio mea eſt non diutiùs, quàm tibi placuerit, quieſcere, idque ut ſurgens majori robore tuum honorem concernentia exequar. Tibi ſupplico, ab inſidiis inimici me cuſtodi, ut tibi placeam. Idem à te Beatiſſima Virgine, & Domina mea obſecro.

Quomodo Religioſus quieſcere debeat.

Modus quieſcendi in lecto ſit caſtiſſimus, lateralis, prout unicuique commodior, nullam corporis partem non admodum decentem detegendo.

H

Conſideratio, qua Religioſi, dum ſe in lecto collocant, utuntur, eſt imaginari lectum inſtar ſepulchri eſſe, quod, cum figura mortis ſit, ad componendum corpus, carniſque appetitus refrænandos multum conducit.

Nota, ſumma laude dignum eſſe rogare Angelum cuſtodem, ut nos tempore quietis defendat, & ab immunditiis à dæmone cauſari ſolitis liberet.

Scrip. An. circ. 1598.

CAPUT XXVI.

Modus frequentandi Refectorium.

Directio refectioni præmittenda.

A

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, corpus meum reficere teneor; tibi ſupplico, da gratiam, ut ſim temperans, Majeſtatiquæ tuæ hoc actu placeam. Similiter te B. Virginem in adiutricem invoco, ut purè hunc actum, in quo tibi placere deſidero, perficiam.

Quomodo ſe habere debeat Religioſus in Refectorio.

Modus frequentandi Refectorium ſit modeſtiſſimus, nulla in explicando mantili, & pane ſcindendo feſtinatione utendo, nullaque in comedendo aviditatis ſigna dando; ſed ſedendo, ut eum, qui in præſentia Dei eſt, decet, illumque actum maximo ſpiritu exercendo, aliud nihil, quàm neceſſaria unicuique data, intuendo, diligentiſſimeque ad ea, quæ leguntur attendendo.

Interdum actus aliquot virtutum exercendi, fruſtulum aliquod propter amorem Dei relinquendo, & fellis Jeſu-Chriſti Domini noſtri recordando.

B

CAPUT XXVII.

Modus ordinariè, & extraordinariè ſe recreandi.

Pro ordinariis & extraordinariis recreationibus directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus parumper cum ſervis tuis recreationi vacandum. Cedat in beneplacitum, & gloriam tuam, & da mihi gratiam, ut hic actus tibi dein majori robore ſerviendi mihi proſit. Idem à te, Sereniſſima Regina cœli, peto. Modus ſe recreandi ſit temperatus modeſtia, & lætitia, ut nullo modo, aut ſine licentia loquendo, aut alteri moleſtiam aliquam creando, aut aliud aliquid incompoſitè peragendo, imperfectio aliqua committatur, ſed præſentiæ Dei recordando, ac interdum actus aliquot interiores virtutum exercendo, & demum omnia, quæ fiunt, in bonum animæ aſſumendo.

Religioſus, quomodo ſe recreare debeat?

C

In recreationibus extraordinariis eadem directio fiet, eademque præcepta obſervabuntur, maximam habendo rationem licentiæ, quæ concedi ſolet in collocutione, ut intelligatur de rebus ſpiritualibus, aut ſaltem talibus, quibus nihil noxii, vani, aut ſæcularis commixtum ſit.

In his recreationibus unuſquiſque conetur agere cum Religioſis vitæ exemplaris, cum quibus ſe ſpiritualiter recreare poſſit, multa, modo ſe recreandi ſancto, & fructifero, addiſcendo.

CAPUT XXVIII.

Modus ſcopandi.

D

Pro verritione directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, effice, ut in beneplacitum tuum purgem. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus ſcopandi ſit hic. Unuſquiſque partem togæ anteriorem cingulo accinget, ne maculetur, vel per terram fluat, & ſcopas arripiens, actum hunc cum diligentia, & munditie exercebit ſine diſtractione aſpiciendo, aut loquendo, ſed merita ſpiritualia multiplicando.

E

Pro hac multiplicatione quamprimum quis ſcopas apprehendet, cum Domino Deo paciſcetur, toties ſe Divinæ Majeſtati ſuæ offerre, quoties ſcopas commovet, munditiem cordis cum affectu petens: ac multoties oblationibus illis, & jaculationibus interioribus utendo, modo Domino Deo gratiſſimo, ſibique utiliſſimo ſcopabit.

CAPUT XXIX.

Modus obſervandus in raſura, vel tonſura.

Pro Tonſura directio.

DIrectio poterit hæc eſſe. Domine Deus meus, da mihi gratiam, ut hunc actum in tuum beneplacitum excerceam. Idem à te, Sereniſſima Regina cœli, peto.

F

Modus erit hic: Singulari modeſtia, & ſilentio uti, ut tonſor officium illud compoſitè Religioſorum modo peragat, ne tondendo moleſtus ſit. Tondendus verò conſiderationi alicui piæ nullam impatientiæ in tondendo anſam offerendo incumbet.

Conſideratio apta propoſito ſit, quam malueris, modo modeſtia, & ſilentio ſit fulta. Boni Religioſi in hiſce occaſionibus multos maximi meriti actus exercere ſolent, deſiderantes ut tonſor eis alicujus patientiæ ſit cauſa, & ut martyrii corona, ſi occaſio talis foret, hoc actu participes fieret.

CAPUT XXX.

Modus accipiendi tabulas pro excitandis Religioſis.

G

Pro pulſatione tabellarum ad Religioſos excitandos, directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, ego ante omnes in accipiendis tabulis omnem lapidem moveo, da mihi gratiam, ut ſervos tuos modo Angelico excitem, ut ſimul omnes Majeſtati tuæ laudes decantemus. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Regina cœli, rogo.

Modus erit talis. Poſtquam unuſquiſque primum campanæ pulſum audierit, ſe eriget, ac diligentiſſimè veſtiet, ſi primò veſtitus non fuerit, ordinemque circa hoc à Superiori aſſignatum obſervando, ſubitò locum tabellis ordinatum petet, & in hoc evigilabit, ut ante omnes alios eas apprehendat, ſola Dei laude in aliis primò excitandis incitatus. Et ſi aliorum quiſpiam fortè in iis apprehendendis diligentior fuerit, ſtatim ad Chorum vel Oratorium, in quo Communitas congregatur, ſe conferat, gratias Domino agens, qui ſervis ſuis illam ipſi ſerviendi occaſionem præbuit. Victor autem ſolitas per Dormitorium orationes recitabit, multoſque actus interiores deſide-

H

Scrip. An. circ. 1598.

riorum creaturas omnes ad laudandum Deum cordialiter congregando exercebit.

CAPUT XXXI.

Modus in exitu, & introitu cellarum obſervandus.

A

Pro exitu, & introitu Cellulæ directio.

Directio in exitu cellæ ſit præſens: Domine Deus meus, da mihi gratiam, ne præſentia tua extra cellam priver, ſed ut tibi ſemper uniar in tuum beneplacitum. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

B

Fiet autem directio hæc genibus flexis breviter: & deinde in pace procedetur ſummam modeſtiam obſervando, principaliter illo tempore, quo è cella poſtquam quieverit, quis exit: ſiquidem tunc multæ incompoſitiones, ſomnolentia, & inconſideratione cauſatæ videri ſolent, & propterea ſibi adeſſe oportet, habituque compoſito, nullo pigritiæ, vel immodeſtiæ inditio exire. Atque hac occaſione quidem Religioſi in hoc elaborare debent, ut in primo cellarum exitu lectum benè componant, idque maximè tempore æſtivo, illuceſcente aurora.

Dum Religioſus denuò cellam ingreditur, genua flectet, ac Deum, Beatiſſimamque Virginem invocabit, gratias iis, quòd ſalvum reduxerint, agens.

Quandoquidem cella locus pro bono Religioſo maximè ſecurus eſt, in qua ſolus cum ſolo Deo agit.

C

CAPUT XXXII.

Modus legendi, & cantandi.

Pro Lectione & cantu directio.

Directio ſit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, ut in tuum beneplacitum, meumque, & auditorum commodum cantem, & legam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Leget autem clarè, diſtinctè, devotè, nihil affectans, ſolùm ut auditorum cordibus verba imprimat, quatenus lectione ſpirituali accendantur; quod maximi momenti eſt in Congregationibus Religioſorum.

Nota, idem eſſe dicendum de cantu Religioſo.

Conſideratio, qua is, qui legit, uti debet, eſt, ſe inſtrumentum Domini Dei eſſe, ut animabus ejus verbis aures præbentibus det pabulum. Adhæc advertet, ut & ſe ipſum nutriat, nec proximos malè legendo defraudet.

CAPUT XXXIII.

Modus ſtandi, ſedendi, & eundi.

Directio.

Horum actuum directio hæc. Domine Deus meus, cedat hic actus ad gloriam tuam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, peto.

Modus ſtandi qualis?

Modus ſtandi ſit compoſitus, non nimium collum erigendo, nec caput inclinando, ſed mediocritate quadam religioſa utendo, compoſitis brachiis, manibuſque conjunctis, cinguloque applicatis, ut tales, qui in præſentia Dei ſunt, decet.

Modus ſedendi, qualis?

Modus ſedendi ſit ſummè modeſtus, non more ſæcularium ſe accommodando, nec unum pedem alteri imponendo, vel inquietè ſe movendo, aut verò alium aliquem actum Religioſo non convenientem exercendo. Et quidem hæ obſervationes licèt ubique, maximè tamen in locis ſacris, in quibus rerum ſpiritualium habetur cura, proſunt.

E

Modus incedendi qualis?

Inceſſus nec celer, nec tardus nimis erit, ſed religioſus: non caput huc illucque movendo, nec brachiis geſticulando, vel alio quocumque modo recollectioni interiori parum conformi, incedendo. In omni loco, maximè tamen in dormitoriis, ſine ſtrepitu ambulandum, ne orantes, ſtudentes, vel quieſcentes turbentur. Idem & in januis aperiendis, & claudendis, tempore nocturno maximè obſervandum. Conſideratio omnibus hiſce actibus ſummopere utilis eſt, imaginari ſibi Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum perfectiſſimæ modeſtiæ exemplar, & conſiderare, quanam ratione ille hoſce actus exerceret, ipſique ſe configurare.

F

CAPUT XXXIV.

Modus cum aliis Religioſis, vel ſæcularibus converſandi.

Pro converſatione cum aliis Religioſis directio.

Directio ſit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam eo modo hac occaſione cum proximo meo converſandi, ut Divinæ tuæ Majeſtati placeam, ipſumque ædificem, ne ſpiritus mihi proprius à me recedat. Idem à te, puriſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

G

Modus tractandi erit, ſpiritualiter perſonam, cum qua converſatur, intueri tamquam animam, pro qua Jeſus Chriſtus Dominus noſter ſe vita exuit. Et hac conſideratione communicatio fraterna inſtituenda, ut ſit modeſta, non in faciem alterius oculos coniiciendo, nimiaque licentia utendo, aut aliud quid incompoſiti committendo, ſed ut omnia verba, & opera ſint manſueta, & ſuavia, maxima humanitate coniuncta, ut veros Chriſti diſcipulos decet.

Quomodo Religioſus ſe habere debeat cum aliis?

Hoc modo communiter cum omnibus procedendum; verùm quando cum ſæcularibus converſandum eſt, præter hæc, in amorem, & deſiderium Dei, animarumque ſuarum ſalutem inducendi ſunt, benè eos ædificando, ac pii quippiam ad bona opera exercenda iis inculcando.

H

CAPUT XXXV.

Modus utendi, vel tractandi res neceſſarias ab obedientia Religioſis permiſſas.

Quando ſancta obedientia Religioſo alicui dat habitum, librum, aliudve quip-

Scrip. An. circ. 1598.

quippiam, hac directione uti poterit.

Directio pro rerum uſu.

Domine Deus meus, hoc mihi à ſancta obedientia datum eſt, da mihi gratiam, ut eo in beneplacitum tuum utar, non ut re propria, ſed tamquam tibi conſecrata, utendo ea parcè, ne cum affectu ei adhæream. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, obſecro.

Notanda circa modum utendi.

Modus rebus ſupradictis utendi ſit ſummè parcus, & mundus ſecundum diſciplinam ſanctorum. Cum enim utens earum non ſit Dominus, ſed ſint communes, & tamquam Jeſu Chriſto Domino noſtro conſecratæ, & hodie ipſi dentur, cras verò auferantur, concedanturque alteri, rationi certè maximè conſentaneum eſt, ut unuſquiſque ita utatur, ut cùm alteri dantur, nullam ratione immunditiei moleſtiam capiat. Idcircò Religioſi ſpirituales lectulos, lucernas, libros, aliaque ab obedientia iis data munda reſervant, rigida paupertatis cuſtodia, propter quam iis ita utuntur, ut multis annis durent, maximoque charitatis zelo propter Religioſos alios, qui iis etiam uti debent.

CAPUT XXXVI.

Modus ex Monaſterio exeundi.

Pro exitu è Clauſtro directio.

Directio ſit talis. Domine Deus meus, ego Monaſterio per ordinem ſanctæ obedientiæ egredior, concede, quæſo, ne præſentia tua priver, vel aliud quidpiam indecens committam, ſed ut tibi placeam, proximoſque ædificem. Idem à te, Sereniſſima Virgo, & Regina cœli, peto.

Notanda circa modum exeundi.

Modus hic erit: Accepta benedictione, directioneque facta, Religioſus maximè compoſitus exibit, animam ad Deum, qui ubique eſt, dirigens, corpore verò compoſito incedens, nullum indecentiæ in inceſſu locum dando, ſed ſemper ambulando, ac ſi omnes mundi Principes ipſum aſpicerent, actionumque ſuarum cenſores eſſent.

Si duo illorum ſint, ut communiter in exitu ſunt, junior ſeniorem inſtar Superioris ſui honorabit, nec cum aliis ſæcularibus, vel Religioſis, ſine ejus licentia verba miſcebit, imò nec cum ipſo, niſi in negotio neceſſario, aut utili, vel ſi ab ipſo interrogetur.

Senior in hoc erit, ut modeſtia ſocio ſuo in rebus tractandis præluceat; & ſi cum ipſo loqui contigerit, de rebus ſpiritualibus cum eo aget, quæ ipſum ædificent, & lætificent.

CAPUT XXXVII.

Modus exercitia diei religioſè ordinandi.

Religioſus, cui vera placendi Deo cupido inceſſit, vitam ſuam artificio quodam ſancto ordinare debet, ita ut ſemper proficiat, modo Religioſorum imperfectè viventium non contentus; ſiquidem ſi caſualiter procedunt, eorum, quæ ſtatus hic requirit, non recordantes, nec quotidianis Domini Dei inſpirationibus aures præbentes.

Exercitia diei quomodo ordinanda.

Modus ſanctus erit hic. Circa actus communes totius Communitatis, vel particulares ipſi ab obedientia impoſitos, aliud obſervandum non eſt, quàm eos maximo ſpiritu exercere, quemadmodum in hac prima parte docuimus, & in ſecunda demonſtrabimus. Quantùm ad temporis reſiduum, ſciendum, unumquemque Religioſum, qui negotiis Communitatem concernentibus, aliiſque particularibus à Superiore ordinatis præpeditus non eſt, firmiter ſibi proponere debere actibus ad glorificandum Deum, perfectionemque religioſam promovendam aptiſſimis ſe occupandi.

Qui in duo capita reducuntur: in orationem ſcilicet, & mortificationem, è quibus vita Religioſi fundata, & ſecura componitur: quandoquidem oratio ſine mortificatione, vel mortificatio ſine oratione ſuſpecta eſt, maximiſque periculis expoſita; duobus autem illis capitibus ſimul junctis, via ſecura eſt, communi ſententia Sanctorum, perſonarumque ſpiritualium id comprobante.

Verùm modus hæc duo conciliandi, erit tempus ex actibus communibus, aut particularibus ab obedientia impoſitis reſiduum orationi, & mortificationi deſtinare, ita ut bonus Religioſus tempus (quo ordinariè ſolitarius in cella eſſe conſuevit) fideliter impendat in orationem ſolam, vel pia lectione mixtam, pabulo hoc ſpirituali, quod primum caput eſt, animam impinguando, omnique meliori modo ſe mortificando. Verbi gratia, interdum corpus incommodando, interdum in pedes ſe erigendo, dum ſedere mallet, interdum ſe humiliando, dum ſtare cuperet, interdum brachia in modum crucis extendendo, dum pigritia eſt præ foribus, & fulcrum optaret, interdum à rebus placitis viſum removendo, linguamque occaſione oblata refrænando, interdum bolo aliquo boni cibi ſe privando; ac demum gladium mortificationis Jeſu Chriſti Domini noſtri contra appetitus proprios vibrando, atque id caput ſecundum eſt.

Religioſi fideles pro hujus doctrinæ executione hoc artificio ſancto, deſiderium, quo in diſciplina religioſa ſe exercendi tenentur, cum Superiore ſuo communicant, & cum iis in certo numero mortificationum quotidianarum videndi, loquendi, ſe humiliandi &c. conveniunt: adeò ut indies Domino Deo tributum quoddam mortificationum ſumma fidelitate, & perſeverantia perſolvant. Solent autem eæ mortificationes rerum ſupradictarum quinario, vel ſeptenario numero comprehendi, & tales eſſe, ne damnum ſanitati inferant, ſed animæ maximum fructum adferant, ſiquidem iis habitus mortificationis Chriſti acquiritur, magnuſque in perfectione Monaſtica naſ-

Scrip. An. circ.1598.

fit progreſſus. Quantumuis verò numerus ille certus ſit tributum quotidianum, non tamen in hoc Religioſi conſiſtunt; ſed ulteriùs multò progrediuntur, ſe ipſos in omnibus mortificare conantes, aliquot dierum ſpatio cilicio, vel catena, aliiſque mortificationi accommodatis inſtrumentis maximo ſuo ſpirituali commodo utendo.

A Venientes itaque ad particularia, ſi Religioſus taliter diem diſtribuat, ut ſemper actibus communibus, vel particularibus ab obedientia impoſitis incumbat, ac tempus reſiduum cum ordine Superioris orationibus, & mortificationibus modo, quo dictum, impendat, ſequitur, eum in terra vivere Angelicè, maximiſque paſſibus ad vitam æternam properare. Et ſi dies unus modo dicto ordinetur, aliud nihil reſtat ad ſemper hoc ordine, & perfectione vivendum, quàm ut dies cæteri eodem modo conſumantur; & ſic vita eſt maximè ordinata, ſummaque laude Dei, Religioſique fructu ſociata. Non eſt dubium, quin modus hic vivendi ſit maximi, experientia teſte, momenti, ſed parum prodeſt veritatem confiteri, ſi B cordialiter, & perſeveranter manus operi non adhibeantur.

Finis primæ Partis.

PARS SECUNDA

Tractatus Diſciplinæ Clauſtralis.

C

De Officiis Religioſorum.

NOta, hanc ſecundam partem aliud non complecti, quàm directionem omnium officiorum, cum admonitione bona pro felici eorum executione, nutriendo ſpiritui accommoda. Cum autem alia ſint officia, poterit Magiſter Novitiorum formulas earum hiſce ſequentibus capitulis poſitis conformes invenire.

CAPUT I.

De officiis in communi.

D QUàm primùm obedientia Religioſo alicui officium aliquod aſſignarit, cor ad Dominum Deum elevabit, felicemque ejus executionem ad gloriam ipſius, Beatiſſimæque Virginis petet.

Certò ſibi perſuadeat, ſe numquam illud benè facturum, ſi ſuæ ſcientiæ, vel potentiæ volet confidere. Et quamvis Doctor eſſet excellens, nihilominus credat, ſe unam lectionem Breviarii in choro benè non lecturum, niſi gratia Domini Dei adiuvante.

Leget inſtructionem officii ipſi impoſiti, eamque accuratè obſervabit.

Capitulum ſequens ſervit Diaconis, & Subdiaconis (officio mediatoris excepto, ſiquidem id iis non eſt proprium) ut, & Cantoribus, Verſiculariis, aliiſque Chori officialibus. E

CAPUT II.

De officio Hebdomadarii.

Pro Hebdomadario directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, quatenus officium hoc dignè ad gloriam Majeſtatis tuæ Divinæ peragam, & animam, corpus, linguamque meam in actibus hac ſeptimana exercendis guberna. Idem à te Beatiſſima Virgo, & Regina cœli rogo.

Modus erit hic: prævidere accuratè cæremonias, conando actus altaris, & chori, aliosque ad hoc officium pertinentes ſingulari modeſtia, & devotione exercere; ſeptimana F illa ſpiritu majori, quàm ordinariè vivendo, ac pro tota Religione apud Dominum intercedendo, inſtar mediatoris à ſancta obedientia conſtituti, ut cum Divina Majeſtate pro tota Communitate negotietur.

CAPUT III.

De officio Zelatoris.

Pro zelatore directio.

DIrectio erit hæc. Concede Domine Deus meus, ut officium hoc cum vera charitate, & prudentia ad gloriam tuam exerceam. Idem a te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus erit; ſe charitatis, & zeli viſceribus moderatis ſcientia, aut prudentia veſtire: G humiliando ſe, ac ſe ipſum ante alios reprehendendo, imperfectiones proximorum non exaggerando, nec ſenſibus partis inferioris locum dando, ſed ſimpliciter, & paucis verbis iis dicendo, eoſque quantùm poſſibile erit excuſando; quippe hac ratione indubitanter majorem fructum reportabit.

CAPUT IV.

De officio Confeſſarii.

Pro Confeſſariis directio.

DIrectio ſit hæc. Domine Deus, illumina, & dirige me in exercitio ſancti Sacramenti Pœnitentiæ, ne me ſpiritu, & fructu meo privando, aliis utilitatem adferam ad gloriam tuam. Idem à te, Beatiſſima Regina cœli, poſtulo. H

Confeſſarius quid agere debeat quando ad Confeſſiones audiendas vocatur?

Modus erit hic: (ſtudio, & conſilio aliorum magis expertium præſuppoſito, id enim requiritur) cum Religioſus pro excipiendis confeſſionibus vocatur, ſubitò cor ſurſum elevet, directionemque ſupra dictam repetat. Deinde actum aliquem contritionis exerceat, eodem, quo vellet pœnitentem

Scrip. An. circ. 1598.

tem ad Dominum ſe modò convertendo, maximè ut cautela majori procedat, quandoquidem obligatus ſit Sacramentum hoc pura conſcientia adminiſtrare. Ipſo Confeſſionis actu ſit ſuavis, & charitate fervens, ut pœnitentes ad bonum inducat, regulas ſcientiæ, & prudentiæ ab authoribus datas obſervando. Quantùm autem ad diſciplinam Religioſam, ſit valdè circumſpectus, præſertim ſi pœnitentes ſint ſæculares, & multò magis ſi fœminæ, cum quibus moderatè loquatur, & confeſtim expediat. Nec ſolùm in hoc conquieſcat, ſi pœnitentes ad ſtudium gratiæ Dei pellexerit, ſed & ita inſtruat, ut proficiant, exercitium aliquod orationis, vel mortificationem aliquam uniuſcujuſque ſtatui proportionatam iis imponens, eoſque inſtruendo, quanam ratione in præſentia Dei ſe exercere, ac ſpiritualiter vivere debeant, cum perfectio Evangelica omnibus conveniat.

A

CAPUT V.

De officio Concionatoris.

B

Pro Concionatore directio.

Directio fiet hoc modo. Domine mi, & Magiſter vitæ, me inſtrue, & cor meum linguamque guberna, ut ad gloriam tuam, animæque meæ, ac proximorum utilitatem concioner. Idem à te, ſereniſſima Regina cœli, peto.

Modus erit (ſtudio, obſervationibuſque requiſitis præſuppoſitis), ut quamprimùm Religioſus pro concione habenda accerſitus fuerit, cor ad Dominum elevet, ac ſupradictam directionem cordialiter repetat, ac dein ipſo concionis actu Jeſum Chriſtum crucifixum in cathedra annuntiabit, res graves, ſpirituales, & utiles gloriæ Dei, animarumque ſalutis deſiderio proferendo, offenſiva, profana, & affectata omnia in materia doctrinæ, aut in modo loquendi evitando.

C

CAPUT VI.

De officio Lectoris.

Pro Lectore directio.

Directio ſit hæc. Domine Deus meus infinitæ ſapientiæ, concede, quæſo, ut mentem, linguamque meam regam, ut officium hoc ad gloriam tuam, ac meam, proximorumque ſalutem exerceam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus (ſcientia partibuſque requiſitis præſuppoſitis) erit, dicta directione uti, quamprimùm Religioſus ad legendum vocatus fuerit. Ipſo actu leget res graves, ſecuras, ſolidas, breviter, & clarè, ut animis diſcipulorum pietatem cum ſcientia, & reverentiam Sanctorum Patrum, horroremque novitatum, maximè in rebus Theologicis, ſcholaſticis, aut poſitivis imprimat.

D

Sequens Capitulum omnibus Superioribus, & Novitiorum Magiſtris utile eſt.

CAPUT VII.

De officio Superioris.

Pro Superiore directio.

Directio erit hæc. Domine Deus meus da mihi tuam ſapientiam, gratiamque largire, quatenus officium hoc ad gloriam tuam exerceam, ſubditis ſine mei damno benefaciendi. Idem à te, Sereniſſima Regina cæli, precor.

E

Suppoſito, diverſa Superiorum eſſe officia, nec brevi hoc tractatu obſervationes omnium conſcribi poſſe, ſufficiet loco omnium dicere, verum gubernandi modum donum eſſe Dei, quod humilibus communicari ſolet, qui propriæ ſcientiæ, aut prudentiæ non confidunt, ſed ſpem omnem in bonitate divina collocant. Ut verò aliquid ſpeciatim dicamus, experientia antiquiſſima comprobavit, efficaciſſimum ad obſervantiam, perfectionemque Religioſorum promovendam regimen eſſe amoris demonſtrationem, licèt & aliquando rigor requiratur.

CAPUT VIII.

F

De officio Procuratoris.

Capitulum hoc omnibus rerum temporalium Conventus curam habentibus prodeſt.

Pro Procuratore directio.

Directio erit hæc. Domine Deus meus da mihi gratiam, ut officium hoc ad gloriam tuam exerceam, ædificando proximos, & res pauperum, quemadmodum profeſſione mea obligor, adminiſtrando. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus erit (præſuppoſita inſtructione) ita cum Religioſis agendi, ne reſpectu rerum temporalium punctum pacis, aut charitatis perdat, & cum ſæcularibus modo religioſo tractandi, ne res Monaſterii minuantur, bono exemplo, quo prælucere cogitur obligatus.

G

CAPUT IX.

De officio Sacriſtæ.

Pro Sacriſta directio.

Directio erit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, quatenus officium hoc eo ſpiritu, munditie, & diligentia exerceam, ut divinæ tuæ Majeſtati placeat, proximique exemplum bonum capiant. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo. Modus erit hic, (inſtructione præſuppoſita) ut in hoc elaboret, ne, quia Divino Sacramento ſemper eſt proximus, propterea reverentia rerum ſacrarum, ob frequentationem, conſuetudinemque ordinariam, minuatur, ſed potiùs in dies augeatur, devotionemque nutriat.

H

Adhæc ſilentii, & modeſtiæ maximus erit cuſtos: & ut eadem in Sacriſtia, ac in aliis locis ſacris obſervetur, attendet.

Scrip. An. circ. 1598. Velociter iis, qui ut Miſſæ Sacrificium, aliave peragant, veniunt, ſatisfaciet: paucis tamen verbis, & magna charitate, ac benevolentia.

CAPUT X.

A

De officio Janitoris.

Capitulum hoc Janitori Novitiatus ſervit.

Pro Janitore directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, quatenus officium hoc in tuum beneplacitum, proximorumque ædificationem peragam. Idem à te, Sereniſſima Regina cœli, peto.

Modus (ſuppoſita ejus inſtructione) erit hic: uti ſingulari modeſtia, humanitate, & promptitudine in dando reſponſo, perſoniſque dimittendis, pauca loqui, ſemperque actum aliquem virtutis exercere; verbi cauſa: Utinam Domine Deus, illi, qui per hanc portam Conventus ingreditur, cœleſtem aperirem.

B

CAPUT XI.

De officio Campanarii, aut Nolæ curatoris.

Pro Pulſatore directio.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, ut officium hoc perfectè ſecundùm ordinem ſanctæ obedientiæ ad gloriam tuam, bonumque proximorum exerceam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus erit hic: ſummam diligentiam in hoc adhibere, ut ſemper ſecundum regulam Ordinarii cordæ campanæ adſtet, prius quam ſignum pulſationis adveniat, maximè quum ad ictum horologii pulſandum eſt: parva enim ex mora quantacumque, parva ædificatio ſequitur.

C Semper cum campanæ trahendæ eam moturus adſtat, ut ſuo tempore trahat, actus aliquot cordiales exercebit, non ſolùm in Religioſis, ſed & toto mundo ad laudandam Divinam Majeſtatem convocando.

CAPUT XII.

De officio Lychnuchi, aut Lucernarii.

Directio facienda a Lucernario.

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, da mihi gratiam, ut officium hoc perfectè, promptitudine, charitate, & munditie, gloriæ tuæ debita exerceam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, rogo.

Modus erit; uti ſumma modeſtia, & munditie in dando lumine Religioſis; neminem D prætereundo. In dando lumine verò actus aliquis coram unoquoque exerceri poterit; exempli gratia: Vellem Domine Deus meus, huic ſervo tuo lumen æternæ gloriæ dare.

CAPUT XIII.

De officio Infirmarii.

Directio facienda ab Infirmario.

DIrectio ſit talis. Domine Deus, & Redemptor meus Jeſu Chriſte, effice, quatenus officium hoc perfectè exerceam, infirmis, uti tibi, ad gloriam tuam ſerviendo. Idem à te, puriſſima Virgo, & Domina mea, rogo. E

Animadvertenda circa modum.

Modus erit hic, (inſtructione ejus ſuppoſita) uti ſingulari charitate, ita ut infirmi conſolationem, & beneplacitum, quo iis gratificari deſiderat, ſentiant.

Uti maxima diligentia in iis, quæ à ſancta obedientia, & Medicis ſunt ordinata, ſuo tempore accuratiſſimè exequendis.

Omnia ſumma munditie perficere, ne cellæ, lecti, vaſa aliquam infirmis moleſtiam generent.

Hæc omnia, & multa alia pro hujus officii executione requiſita debitè miniſter infirmorum faciet, ſi in unoquoque eorum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſibi repræſentet. F

CAPUT XIV.

De officio ſerviendi hoſpitibus.

Directio facienda a miniſtro hoſpitum.

DIrectio erit hæc. Domine Deus, & Redemptor meus Jeſu Chriſte; da mihi gratiam, ut hiſce tuis perfectè propter te inſerviam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus erit; maxima charitatis, modeſtiæ, & humanitatis demonſtratione, eos omnibus neceſſariis, obedientia dictante, inſtruere, pedes iis lavando, ſudorem abſtergendo, refectionem dando, lectos accommodando, eaque omnia neceſſitate urgente ſumma lætitia, doctrinæ Sanctorum conformiter perficiendo. G

Miniſter hoc attendet, ne cum iis inutilia verba conferat, ne curioſa ex iis percunctetur, novaque audire velit; omniaque Superiori indicare, ne occaſione hujus officii charitativi decipiatur.

CAPUT XV.

De officio humilitatis.

Directio ab eo facienda, cui humilitatis officium demandatum eſt.

DIrectio erit hæc. Domine mi Ieſu Chriſte, magiſter humilitatis, concede, quæſo, ut officium hoc perfectè ad imitationem tuam tibique in eo placendi exequar. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Regina cœli, rogo.

H Modus erit hic; id eſt, ſummam adhibere diligentiam, ut loca communia rebus omnibus neceſſariis inſtruantur, velut aqua, panniculis, aliiſque: ſedes, & vaſa, cæteraque benè purgare, & maximi honoris loco officium illud aſſumere, eoſque actus ad imitationem humilitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Beatiſſimæque Virginis Mariæ exer-

Scrip. An. circ.1598.

exercere: ſiquidem boni Religioſi officium illud ſingulari humilitate, & ſolertia peragere conſuerunt, multumque in eo temporis inſumere.

CAPUT XVI.

De officio Veſtiarii.

A

Capitulum hoc (mutando nomina) prodeſt ſutoribus.

Directio a miniſtro veſtiarii facienda.

DIrectio erit hæc. Domine, & Redemptor meus Jeſu Chriſte, concede, quæſo, quatenus huic meo officio in honorem tuum, & Religioſorum ſervitium perfectè ſatisfaciam. Idem à te, Beatiſſima Virgo, & Domina mea, rogo.

Modus erit hic: magnam in rebus ſanorum, & infirmorum mundis conſervandis diligentiam adhibere: eas ut res Chriſti Domini noſtri bene habere, ac reficere: ſuo tempore maxima charitate ad unguem diſtribuere: eum accedentes promptè, & alacriter expedire: Superiorem in quo ſtatu ſint res certiorem facere, ut tempeſtivè loca vacua impleantur, vel res inutiles permutentur.

B

Quotieſcunque per cellas, vel januam ſuæ officinæ quædam diſtribuet, veſtiarius actum aliquem ſpiritualem exercebit; verbi cauſa: Vellem, Domine Deus, hunc Religioſum pretioſiſſima veſte tuæ gratiæ veſtire.

CAPUT XVII.

De Officio Coqui.

Capitulum hoc famulis coqui prodeſt, qui præter hoc coqui mandatis obtemperare debent, ſumma humilitate ejus ordinationibus acquieſcentes.

C

Directio a Coco facienda.

DIrectio erit hæc. Domine mi Jeſu Chriſte, da mihi gratiam, ut officium hoc perfectè ad gloriam tuam, Religioſorumque ſervitium peragam. Idem à te, Sereniſſima Regina cœli, rogo.

Modus erit: diligentem eſſe in rebus benè ordinandis, quemadmodum paupertas ſtatus Religioſi requirit, mundè, & accuratè, ne famuli Dei, negligentia coqui, plus æquo patiantur.

Animadvertenda circa officium.

Omnia ita ordinabit, quaſi Jeſus Chriſtus Dominus noſter cum ſuis diſcipulis menſæ aſſideret, & ipſi eos cibis inſtruere incumberet, & hac cogitatione omnia bene ſuccedent.

Erit taciturnus, & manſuetus valde cum omnibus, præſentia Dei ſemper fruens, ac ignis Inferni memorans ſub eo igne, quo fercula parat.

D

Boni coqui ſolent locum quemdam in culina, vel juxta eam habere, in quem, rebus omnibus perfectis, ſecedant, certaſque orationes, quaſi furtivas, Dominoque Deo gratiſſimas recitent.

CAPUT XVIII.

De officio miniſtri Refectori.

Capitulum hoc miniſtris menſæ accomodum.

Directio a miniſtro refectorii facienda.

E

DIrectio erit hæc. Domine Deus meus, concede, quæſo, ut officium hoc maxima perfectione ad gloriam tuam, famulorumque tuorum ſervitium exequar. Idem à te, Sereniſſima Regina cœli, rogo.

Modus erit, omnia accuratè, mundè & diligenter perficere, ac Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cum Apoſtolis, ſedibus Refectorii inſidentem ſibi imaginari: multos actus ſpirituales in purgandis, & complicandis mantilibus, paneque diſtribuendo exercere, ac modeſtiæ, ſilentiique limites nullo modo tranſgredi.

Finis ſecundæ, & ultimæ partis.

* * *

F

ACTUS INTERNI VIRTUTUM.

QUandoquidem iis, *qui doctrinam, ſive diſciplinam Clauſtralem exercent, proprium eſt continua Dei præſentia interiores virtutum actus ſæpè iterando frui, inconveniens non erit partim in lectoris commodum, partim etiam, ut eorum practica à multis ardentiùs deſideretur, infraſcriptos virtutum magis principalium actus adiungere.*

Actus fidei.

AUctor Fidei Jeſu Chriſte, firmiſſimè credo, vera eſſe omnia, quæ te revelante credit Sancta Mater Eccleſia, & pro aſſertione hac libenter moriar.

G

Impoſſibile eſt, veraciſſime Domine, aliquid falſum Eccleſiæ tuæ à te revelari, quod morte teſtabor.

Omnino verum eſt, tres eſſe Sanctiſſimæ Trinitatis in una divinitate perſonas: pro qua veritate occumbere deſidero.

Verum eſt profectò, Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, te Deum, & hominem, ſed unam tantùm perſonam eſſe: atque utinam pro hoc aſſerto diriſſimè comburar.

Certè verum eſt, te, Clementiſsime Domine Jeſu Chriſte, Deum, & hominem perfectum in Sacramento altaris exiſtere: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.

Actus ſpei.

H

CLementiſſime Deus, firmiſſimè ſpero, me tandem ex auxilio, & bonis operibus gratia tua præſtitis, gloria ſempiterna fruiturum.

Tametſi graviſſima peccata commiſerim, liberaliſſime Domine, proculdubiò veniam indulgebis.

Quam-

Scrip. An. circ. 1598.

Quamvis ad horas ſingulas in multas culpas deformiter labar, certè Chriſtianam perfectionem, te juvante, aſſequar.

Etiamſi licenter nimis, tua abutens clementia, graviora peccata perpetrarem, tu, mitiſſime Jeſu Chriſte, educeres me de lacu miſeriæ.

A Quamquam ſolus ego peccatorum omnium, quæ ab ineunte mundo commiſſa fuere, reus eſſem, tu, benigniſſime Deus, libenter ignoſceres.

Spero equidem, tuo munere, miſericordiſſime Domine, omnem à me hujus vitæ difficultatem ſuperandam, & in terra viventium me ſemper victurum.

Si conſiſtant adverſum me caſtra, & exurgat contra me prælium extremum, ac Inferni portis videar propinquare, adhuc miſericordiam tuam magnam expectabo.

Actus charitatis erga Deum.

DUlciſſime Deus, oro te, ut cordis mei principatum geras.

Amantiſſime Domine, ſacrifico tibi præcordia mea.

B O Jeſu, optatiſſimum bonum meum, abſit, ut aliquid amem præter te.

Suaviſſime Deus animæ meæ, te ſolum quæro pretioſſimum patrimonium meum.

Amabiliſſime auctor vitæ meæ, ſacrifico tibi viſcera mea.

Specioſiſſime ſupra omnem mundi pulchritudinem, ure me incendio decoris tui.

O Jeſu, Sereniſſime Princeps cordis mei, trahe me poſt te.

Nolo, Rex forma præſtantiſſime, aliam hæreditatem niſi te.

Diſcedant à me, Splendor illuſtriſſime animæ meæ, affectus omnes peregrini, ut totis viſceribus perpetuò requiram te.

Vive, Jeſu, potentiſſime Imperator cordis mei, & dominare, ſicut decet te.

C Sede, excelſiſſime Rex gloriæ, in æterna ſede Majeſtatis tuæ.

Benè eſt, opulentiſſime Deus viſcerum meorum, ut ſis feliciſſimus intra te.

Infinitè gaudeo, ſempiterne Rex, ut regnes in æternum, & ultra.

Utinam, puriſſime Splendor cordis mei, poſſem ſubdere tibi omnia colla filiorum Adæ, ut requirerent ſolam pulchritudinem tuam.

Utinam innumera millia cordium, quotquot tibi placuere, a creatione mundi, vel placere poſſunt, ipſe poſſiderem, ut immenſis tui deſideriis æſtuarem.

Da mihi, dulciſſime Deus, ut nihil mihi placeat præter decorem tuum.

Actus Charitatis erga proximum.

D UTinam, Clementiſſime Deus, peccatores omnes reſipiſcant, & requirant te.

Fac, Domine benigniſſime, ut qui Eccleſiam oppugnant, ſe dedant Vicario tuo.

Per viſcera miſericordiæ tuæ obſecro te, ut qui terrenas dignitates ambigunt, inceſſanter potiùs aſpirent ad te.

Convetantur, precor te, mitiſsime Deus, quos voluptas carnis illexit.

Fac, amantiſsime Domine, ut avari omnes affectum divitiarum traducant ad lucra dilectionis tuæ.

Actus Obedientiæ.

E CLementiſsime Deus, quoniam per Superiorem mihi tuum beneplacitum ſignificas, firmiſsimè conſtituo ei, quaſi tibi, parere.

Profectò, ſapientiſsime Domine, quamvis Superior homo agreſtis, & ignarus eſſet, quicquid mihi diceret, quaſi cœleſtia oracula ſuſciperem.

Profiteor, Domine Superiorem meum propter te veneratione digniſsimum eſſe, ac propterea me totum illi libentiſsimè ſubdo.

Certiſsimum eſt, Domine, Superiorem meum quaſi Deum eſſe; aliam ergo ſapientiam, vel eruditionem minimè requiram.

Sanè, tametſi videretur carneis oculis meis Superior meus ſtultè loqui, verba vitæ me audire putarem.

F Eo certè modo, fideliſsime Domine, quo tibi obedirem, ſi te corporeis oculeis cernerem, Superiori meo parebo.

Abſit à me, Domine, ut improbem, quod Superior meus probat.

Actus Caſtitatis.

PUriſſime, ac toto omnium cordium amore digniſſime Deus, conſtituo ab omni oblectatione abſtinere propter te.

Caſtiſſime Fili Virginis, etſi abſque culpa omnibus carnis voluptatibus, quas homines affectant, frui poſſem, me ab eis vigilantiſſime continerem.

G Candidiſſime Deus cordis mei, non modò carnis delectationes reſpuo, ſed imagines quoque formoſorum corporum concipere nollem.

Amabiliſſime Jeſu Chriſte, pango fœdus cum oculis meis, me rerum corporearum elegantiam propter te non intuiturum.

Suaviſſime decor animæ meæ, certò ſcias, me à rebus corporeis nec tactu, nec auditu, nec aſpectu, nec alio modo (quoad mea fragilitas feret) ullam oblectationem percepturum.

Dulciſſime Domine, non tantùm oblectamenta carnis non recipiam; ſed, quod ad me attinet, neque ſpiritus delectationes requiram.

Actus Paupertatis.

H CLementiſſime Deus, nolo aliorum bonorum poſſeſſionem, niſi tantummodo tui.

Utinam, Pater amantiſſime, millenos mundos auro plenos haberem, non ut poſſiderem, ſed ut relinquerem propter te.

Benigniſsime Domine, quod ad me ſpectat, promptiſsima voluntate omnia, quæ deſiderare poſſum, relinquo propter te.

Miſericordiſſime Deus, utinam carerem

hac

Scrip. An. circ.1598. hac veſte, qua tegor, ut tibi mea nuditate placerem.

Dulciſſime Pater, ego ſum hac cella planè indignus: utinam ſub ſcala, vel in angulo domus incommodè pernoctarem.

Satis benè mecum ageretur, Domine, ſi ederem reliquias ciborum, quibus famuli tui veſcuntur; oro te, ut me ad convivium fragmentorum panis, qui ſupereſt, admittas.

A Abſit à me, ò tota hæreditas mea, ut libri, cellæ, veſtis, ſeu aliarum rerum cupiditate præpediar, ne toto deſiderio in te quieſcam.

Actus Pœnitentiæ, ſive Contritionis.

MIſericordiſſime Deus, deteſtor peccata mea propter te, ac decerno potiùs interire, quàm in poſterum peccare.

Clementiſſime Domine, iniquitatem meam, quia tibi ſoli peccavi, odio habeo, & abominor: legem autem tuam diligere, nec ullo modo tranſgredi propono.

Execror, mitiſſime Deus, peccata mea, quia tibi diſplicent, & vindictam de illis pro te ſumere ſtatuo.

B Utinam, benigniſſime Domine, priùs occubuiſſem, quàm peccaſſem: in poſterum potiùs moriar, quàm te vel leviter offendam.

Diſplicet mihi valdè peccatum meum, dulciſſime Deus: abſit, ut culpam ullam deinceps admittam.

O ſuaviſſime Deus, utinam poſſem peccata præterita proprio cruore delere: pro univerſis mundi bonis nec venialem culpam committam.

Utinam, amantiſſime Deus, omnes Inferni cruciatus potiùs toleraſſem, quàm tibi diſplicuiſſem: potiùs gloriæ fruitione priver, quàm te offendam.

Actus Abſtinentiæ.

C TEmperantiſſime Jeſu Chriſte, decerno eſca, & potu eo tantùm uti, ut natura ad tibi ſerviendum conſiſtat.

Nolo, mitiſſime Domine, ullam in menſa voluptatem percipere.

Abſit à me, Domine, ut lauta, vel ullo modo palato ſuavia quæram.

Vellem, dulciſſime Deus, ut omnia, quæ ſumpturus ſum, abſynthium ſaperent propter te.

Propono, amantiſſime Domine, cor à menſa ſubtrahere, ac lectioni ſacræ admovere.

Propono, Domine, corpus fame, ac ſiti vexare propter te.

Utinam, Clementiſſime Deus, quoties accumbo menſæ, portio deterrima mihi contingat. D

Utinam, benigniſſime Jeſu Chriſte, felle, quod guſtaſti, omnia mea prandia condiantur.

Actus Humilitatis.

MItiſſime Jeſu Chriſte, profiteor coram te, eſſe me univerſorum hominum viliſſimum.

Nemo eſt, benigniſſime Domine, tam tibi ingratus, & infidelis, ac ego.

Latrones ipſi, & ſacrilegi, o miſericordiſſime Domine, perfectiùs tibi famularentur, ſi eos, ac me, tot, & tantis beneficiis affeciſſes.

Nihil novi, neque amo, Clementiſſime Domine, niſi terram: & propterea non ſum dignus aſpicere cœlum, nedum ingredi. E

Animalia omnia pro captu ſuo, Domine, tibi appropinquant: ſolus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

Deformior certè ſum, Domine, ob culpas meas, omnibus leproſis, & ulceroſis, qui ſanie fluunt.

Profectò, piiſſime Deus, ego deberem in ſterquilinio jacere, à cæterorum hominum convictu ſequeſtratus, ne illos peccatorum contagiis inquinarem.

Abſit à me, Domine, ut velim ambulare in magnis, vel mirabilibus ſuper me.

Utinam, æquiſſime Deus, univerſi homines cognoſcerent vilitatem meam, & deſpicerent me.

Utinam multis ignominiis exprobrarent
mihi homines indignitatem meam, Domine, F
ut ſpernerer propter te.

Actus Manſuetudinis.

MAnſuetiſſime Jeſu Chriſte, certiſſimè ſtatuo, quoties læſus fuero, me quaſi agnum coram tondente futurum.

Dulciſſime Domine, ſi pungar, & importunè tenter, dono tuo, læſoribus arridebo.

Suaviſſime Deus, etiamſi expolier, ac cædar ab inferiore quovis, amoris ſigna exhibebo.

Clementiſſime Domine, abſit à me, ut ob ullum damnum contra amabiliſſimos proximos meos excandeſcam.

Mitiſſime Fli Dei, ſi quis me tentaverit, lætabor ſuper exercitia illa, ſicut qui invenit ſpolia multa. G

Benigniſſime Domine, ſi quando vexatus à proximo fuero, obliviſcar mei, & compatiar illi propter te.

Actus Patientiæ.

PAtientiſſime Jeſu Chriſte, quicquid laboris mihi ex obedientia unquam acciderit, propter te patienter feram.

Mitiſſime Jeſu Chriſte, ſi Religionis auſteritas gravis fortaſſe videatur, æquanimiter eam tolerabo.

Clementiſſime Deus, ſi tentationibus exercear, pectus firmum opponam.

Benigniſſime Domine, ſi Tartarus deſæviat, conſtanter ictus excipiam.

H Dulciſſime Deus, ſi mœror importunus ingruat, nulla ratione me deiici feram.

Amantiſſime Jeſu Chriſte, ſi morbi ſubeant, omnia tædia, dolores, anxietates fortiter exhauriam.

Suaviſſime Deus, ſi totius corporis contritio, membrorum diviſio, ignis, & quævis acria tormenta inferantur, invictè conſtabo.

Opta-

Scrip. An. circ.1598. Optatiſſime Deus, ſi hominum mores adverſi, & faſtidia moleſtiſſima contingant, pacata mente conſiſtam.

Jucundiſſime Jeſu Chriſte, ſi me ariditate, diuturnaque repulſa exerceas, libenter pœnam amplectar.

Actus Modeſtiæ.

A MOdeſtiſsime Jeſu Chriſte, firmiſſimè decerno, me oculos à rebus minimè neceſſariis averſurum propter te.

Nolo, mitiſſime Domine, aliquid in hac mortalitate pulchrum intueri.

Profectò, amantiſſime Deus, quamvis ex aſpectu corporum immenſam voluptatem percepturus eſſem, illa non aſpicerem propter te.

Abſit à me, Domine, ut aliquid curioſè intuear.

Quin etiam, optatiſſime Deus, quæ videre licet, intueri nolo, ut te tandem videre queam.

Ex animo delibero, dulciſſime Domine me numquam (quod ego animadvertam) B rem aliquam, quæ à te animum divertat, intuiturum.

Malo, Domine, ut mihi oculi eruantur, quàm vel ſemel iis abuti.

Averte deſideratiſſime Deus, oculos meos, ne videant vanitatem.

Actus ſilentii.

MOdeſtiſſime Jeſu Chriſte, pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

Statuo, mitiſsime Domine, ab omni verbo, quod neceſsitas, vel utilitas non exigat, abſtinere.

Si oportuerit mori propter ſilentii cul- C tum à Congregatione præſciptum, non te negabo.

Si exploratum mihi fuerit, verbum aliquod otioſum eſſe, etiamſi occidar, ſilebo.

Abſit à me, Clementiſsime Domine, ut conſcientia renitente loquar.

Si ad loquendum invitatus fuero, & rationes humanæ ob perſonæ gravitatem, vel cauſas alias verba ſuggeſſerint, rationi divinæ ſilentii obtemperabo.

Utinam, Benigniſsime Deus, potiùs obmuteſcam, quàm vel uno verbo tibi non grato abutar.

Actus Gratitudinis.

DUlciſsime Deus, habeo tibi gratiam pro immenſis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus bonis, quibus me ſemper D cumulas.

Miſericordiſsime Domine, quid tibi pro creatione, conſervatione, redemptione, juſtificatione, præſervatione, auxiliis, inſpirationibus reddam? Amantiſsime Domine, quid pro malis, quæ non committo, rependam, cum tot ſint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata.

Benigniſsime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante, à me conceptis, & præſtitis referam? Quippe qui, niſi te largiente, nihil boni cogitarem?

Optatiſsime Deus, hac ipſa hora, ut commerui, flammis Inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus ſum: quid ergo tibi retribuam? E

Liberaliſsime Domine, contuliſti in me jus hæreditatis æternæ, ut ſpero: quid agam?

Fideliſsime Deus, providiſti Sacramenta, verbi tui paſtum, conſilia, ſolatia, & alia multa, quibus adiuver, ut ad te citiùs, commodiùſque perveniam: quid reſpondebo? Reddo tibi Domine cor meum: offero viſcera mea: ſacrifico tibi in hoſtiam laudis præcordia mea.

Utinam, amabiliſsime Deus, univerſa & Angelorum, & Sanctorum, & quotquot in univerſo mundo tibi placent, Filii præſertim tui Unigeniti, ac Matris ejus corda poſſiderem, quæ tibi gratiſsimo affectu conſecrarem.

Quo pacto poſſum, dulciſsime Domine, F Jeſum Chriſtum Redemptorem meum, ac Beatiſsimam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum reliquorum juſtorum animas, quos rogo mihi ad gratitudiuem ſociari, tibi pro beneficiis reddo.

Actus Magnanimitatis.

EXcellentiſsime Deus, quem ſine cordis erectione non poſſum attingere, cupio Apoſtolicas virtutes comparare.

Imprime, fortiſsime Deus, robur magnum cordi meo; deſidero enim heroicos virtutum actus producere propter te.

Deſpicio, altiſsime Domine, omnes mun- G di honores, & faſtus calco, ut ſupra mundum extollar ad te.

Utinam, potentiſsime Deus, univerſam mundi claritatem, & famam nunc haberem, non ut poſsiderem, ſed ut contemnerem propter te.

Opto, Domine, Iob patientiam aſſequi.

Utinam te, more Pauli, diligerem.

Utinam me, ſicut Magdalenam, peccatorum meorum pœniteret.

Certè, Clementiſsime Deus, daturus ſum operam, ut Angelico more in terris vivam.

Conabor, Domine, occaſionem pro te martyrium ſubeundi perquirere.

Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego, dulciſſime Deus, me offeram pugnaturum pro te.

Abſit à me, Domine, ut animum deſpon- H deam à Chriſtiana perfectione comparanda,

In mandatis tuis excellenter exercebor, & conſiderabo vias tuas: in juſtificationibus tuis intentiſſimo corde meditabor; non obliviſcar ſermones tuos.

Scrip. An. circ.1598.

Actus Diligentiæ.

AMantiſſime Deus, decerno ad opera tibi grata me per totius vitæ curſum expedire.

Dulciſſime Domine, exultabo ut gigas ad currendam viam.

Clementiſſime Deus, ſomnum, acediam, & quicquid grave mihi obſtiterit, excutiam.

Optatiſſime Domine, ad Canonicas horas, orationem, concionem, & reliquos Inſtituti noſtri actus omnium primus accurrere nitar.

Abſit à me, Domine, ut ſigno dato vel per momentum immorer.

Benigniſſime Deus, in actibus exercendis, ut in Officio Divino, oratione, cæteriſque communibus actibus attentiſſimus ero propter te.

Non feram, Domine, ut ob calorem languor, vel ob frigus inertia prævaleat.

Ero, Domine, vigil, & alacer ad omnem obedientiæ, ac omnium aliarum virtutum actum obeundum.

Actus Perſeverantiæ.

CLementiſſime Deus, firmiſſimè ſtatuo, me uſque ad mortem tibi famulaturum.

Fideliſſime Domine, ſi per annos mille in hac vita moleſtiſſima laborandum eſſet, à propoſito tibi vacandi non deſiſterem.

Miſericordiſſime Deus, abſit à me, ut ob ullam adverſitatem conſilium mutem.

Potiùs, amantiſſime Domine, uri me ſinam, quàm ab inſtituto deſiſtam.

Etſi oporteret, benigniſſime Deus, univerſis mundi miſeriis obrui, numquam de alio ſtatu cogitarem.

Utinam, deſideratiſſime Domine, moriar, antequam à te recedam.

Mihi certè adhærere tibi, Domine, bonum eſt, propterea perenniter adhærebo.

Donec ſupereſt, halitus in me, à te non divellar.

De formula præparationis, qua profeſſuri, & induendi uti debent.

QUiſquis induendus, vel ſolemniter profeſſurus eſt, in hunc modum ſe comparabit, qui & induendis, & profeſſionem emiſſuris communis eſt: nam qui vellet indui, & quod ad ſe ſpectat, profiteri formidaret, veſte noſtra parum ſe dignum exhiberet.

Hoc ergo dumtaxat diſcrimen ſit oportet, ut quamvis uterque profiteri velit, alter tamen non poſſit.

Quamobrem, quod ad animi firmitatem, & affectum attinet, cum æqualis eſſe debeat utriuſque voluntas, æquali ſanè modo utrumque oportet inſtrui, ut idem, quod profeſſurus vovere parat; induendus firmiſſimè obſervare proponat.

Primùm ergo, per tempus ſibi decretum ad actum illum præmeditandum, cogitabit ſe jam morti propinquum, & actu illo moriturum: eritque ſatis ad rem, ſe quaſi vitulum quemdam ſtatim cædendum, ac Deo immolandum exiſtimare: & ſic aget, quàm ardenter poterit. Opto Clementiſſime Deus ad mortem hanc felicem duci, ac mihi mori, ut proprio ſenſu prorſus interempto, tibi feliciùs vivam: ſic enim fiam holocauſtum.

Cupio ſola voluntate tua regi, ut in rebus etiam minimis obedientiæ præceptum ſequar: ut per exercitium voti, inter omnia potentiſſimi, intellectum tibi, ac voluntatem immolem.

Deſidero certè omnem carnis, & ſenſuum voluptatem abdicare, ac vitæ auſteritati accuratiſſimè ſtudere, ut per caſtitatis cultum corpus tibi ſacrificem.

Opto univerſas mundi divitias, & commoditates procul arcere, ut Chriſtianam paupertatem mundi dominam amplectens, omnem, quæ cogitari poteſt, opulentiam tibi offeram.

Quia verò in hoc myſtico ſacrificio, tibi a me reddendo, affectus ardere debet, ac latiſſimè patere, cupio, clementiſſime Deus, Unigeniti tui, & Beatiſſimæ Virginis, & univerſa Angelorum, & hominum corda tibi grata intra me condere, & unà cum corde meo in holocauſto actus iſtius, quem ſtatim obiturus ſum, ad æternam laudem tibi devovere, &, quàm poſſum, religioſiſſimè devoveo.

Clementiſſime Deus, cui multis de cauſis me totum debeo, deteſtor omnem anteactæ vitæ turpitudinem propter te, ac firmiſſimè propono tibi ſemper, ac per omnia famulari.

Suſcipe, dulciſſime Deus, victimam hanc multis deſideriis plenam, offero quippe tibi intellectum, ac voluntatem arbitrio tuo regenda, carnem auſteritate domandam, & totius opulentiæ mundi contemptum, ad comparandam trino ſacrificio veram cordis libertatem, quam inquiro.

Nolo intelligere, ſeu velle niſi te, ut obediens fiam: nolo amare niſi te, ut caſtus fiam: nolo poſſidere, aut cupere niſi te, ut dives pauper fiam.

Oro ergo te, ſuaviſſime Deus cordis mei, ut in poſterum utaris me, velut mancipio tuo; nec patiaris per ſanguinem Filii tui me degenerare à perfectione hujus Congregationis tuæ.

Et tu, Virgo puriſſima, & fidiſſima tutela Congregationis hujus, quæ gaudet patrocinio tuo, recipe me, obſecro, inter candidatos filios tuos fœderatum votis eiſdem, quæ tibi reddere decerno, quemadmodum & dulciſsimo Deo, ac Filio tuo.

Praxis hæc ſæpè repetatur, quoaduſque induendus, vel profeſſurus evocetur.

De renovatione Votorum.

QUemadmodum ſolemnis Religioſorum profeſsio ſacrificiorum omnium (martyrii

Scrip. An. circ.1598. tyrii corona ſalva) eſt maximum, Divinæ Majeſtati gratiſsimum, ſummeque meritorium; ſic ejus renovatio ſimiliter Deo gratiſsima, Religioſiſque eſt utiliſsima. Quare & ad perfectionis culmen aſpirantes multoties profeſsionem ſuam, votaque ſolemnia renovant. Fiet autem particulariter A ea in majoribus Feſtis, ac tempore, quo vitia votis factis contraria ingruunt, quamvis multi indies, idque ſæpius reiterent.

Modus renovandi erit; poſtquam quis animam ſuam conſideratione gratitudinis, aut charitatis, alteriuſque affectus boni ſa- Pſal. 115.3.4. tiarit, dicat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*. Calice illo reſignationem, ac mortificationem votis incluſam intelligens, ac facto lætatus ſubiungat: Domine amantiſsime, quia tu vis, me tibi votis obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis conſecraſſe gaudeo; quæ ſi non emiſiſſem, certè de novo emitterem, ſicuti modò perfectione, qua potero maxima, facere deſidero, vellemque devotionem, & affectum omnium creaturarum mihi ſoli obtigiſſe, ut mei- E pſum tibi in unione ſacroſanctæ oblationis, qua te ipſum pro nobis à primo ſanctiſsimæ Incarnationis inſtanti ad mortem crucis uſque Patri obtuliſti, hiſce votis immolarem, firmiſsimèque vocationis meæ ſtabilitatem, ac morum reformationem ſanctiſsimæ voluntati tuæ acquieſcens propono. Atque hunc, alioſque actus exercendos in corde dulciſsimo Jeſu offero, ut in eo emendentur, perficiantur, & gratificentur.

B MONITUM. F

SUB idem temporis, ſcilicet dum Magiſtri Novitiorum munere fungeretur, inter multa, quæ ad Tyronum ſuorum utilitatem exaravit, etiam hoc breve ad Perfectionem Regularem Exercitium, tamquam ſuperioris Operis appendicem, ſcripſiſſe Ven. Virum credimus, circa ann. 1599. *& quidem Italico idiomate, ut Laicis etiam Fratribus prodeſſet; quod poſtmodum Latine verſum a P. Paullo ab Omnibus Sanctis, quarto Colonienſis editionis Tomo ad pag. 326. inſertum fuit Forte ob ejus brevitatem illud fugit a cenſu ejus Operum P. Martialem a S. Jo. Baptiſta, in ſua* Bibliotheca *Scriptorum noſtrorum*.

VEN. P. FR. JOHANNIS
C A JESU MARIA G
CARMELITÆ DISCALCEATI.

Exercitium ad perfectionem obtinendam Regularem Inſtituti noſtri.

Scrip. An. circ.1599. QUia Regularis vitæ perfectio, quam profitemur, quarumdam virtutum actibus Inſtituto noſtro propriis acquirenda, conſervanda, & augenda eſt, ſalutare viſum eſt D harum virtutum actus peculiares in ſingulos hebdomadæ dies diſtribuere, ut hujus perfectionis cupidi ſingulis diebus actus, ſeu exercitia virtutum unicuique diei aſsignata, ſibi præſcribant exercenda; ſicque hebdomada una poſſint omnia, vel præcipua virtutum exercitia percurrere, quibus Regularis perfectio continetur.

DIE DOMINICA.

HAC die potiſsimùm in divino amore, & puritate cordis te exercebis; quæ autem Statuta Regularia circa iſta diſponunt, hæc ſunt. H

Induenda eſt, ait Regula, lorica juſtitiæ, ut *Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, & tota virtute diligatis*. Marc. 12.30.

Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, *in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. Epheſ.c.6 16.

Scrip. An. circ. 1599. Matt. c. 1.

Galea ſalutis capiti imponenda eſt, ut de ſolo Salvatore ſperetis ſalutem, qui *ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum*.

Gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris.

DE PURITATE CORDIS.

A QUæcumque vobis agenda ſunt, ait Regula, in verbo Domini fiant. In omnibus ergo, quæ agenda, vel dimittenda ſunt, intentionem puram ad Deum dirigamus.

Deum ſemper, & ubique in conſpectu noſtro provideamus, & ad eum crebrò, & ardenter aſpiremus.

Omnia, quæ nobis eveniunt, de manu ejus æquali animi reſignatione ſuſcipiamus.

Bis ad minus quotidie quiſque propriam examinabit conſcientiam, ſcilicet ante prandium, & ſomnum nocturnum.

Fiet hoc examen in Choro, ſi quis tamen Chorum adire nequiverit, ubicumque fuerit, examen hujuſmodi omnino faciat.

B Crebrò etiam ad puritatem cordis tuendam Sacramento Confeſsionis, & Communis utantur; ideoque dum valent, curent bis in hebdomada ſuo ordinario Confeſſario confiteri, à quo non paſsim ad alium divertant, crebrò etiam proprio Prælato confiteantur.

Dum autem decumbunt, ad minus ſemel in hebdomada, ac in principio infirmitatis id faciant.

Fratres Profeſsi, non Sacerdotes alicui dumtaxat, è duobus Confeſſariis ſibi à Priore aſsignatis, confiteantur.

Sacerdotes quotidianam celebrationem non omittant, niſi de licentia Prælati.

C Non Sacerdotes verò Euchariſtiam ſumant omnibus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Domini, & Beatiſsimæ Virginis Mariæ, Angelorum, Apoſtolorum, omnium Sanctorum, Eccleſiæ tituli, Patroni Ordinis, item SS. Eliæ, & Tereſiæ, S. Joſeph Protectoris noſtræ Congregationis, S. Eliſæi, aliorumque ſimilium.

Feriis etiam quintis, ſi intra hebdomadam nullum feſtum occurrat, Fratres ſacram Communionem recipiant.

Ut verò tantum Sacramentum quietiùs recipiant, & gratias agant, aliquantum poſt Primam dictam privatæ miſſæ omnes ſimul interſint, & Euchariſtiam ſimul recipiant.

FERIA II.

D HAC die in charitate, ac beneficentia in proximum te exercebis, & ex ordine ſtatutorum tuorum ſequentia ſervabis.

Dominicis diebus, ait Regula, vel aliis, ubi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractandum eſt.

Tunc etiam exceſſus, & culpæ Fratrum; ſi quæ in aliquo deprehenſæ fuerint charitate media corrigantur; eo tamen ordine, ut zelator primò, mox alii Patres juſſi à Præſidente, culpas leves in unoquoque deprehenſas uno contextu proferant, ſincerè tamen, & ſine ulla exaggeratione.

E Solemniſsimis anni diebus, hac omiſſa correptione, ad mutuum fervorem, & amorem fovendum, poſt de rebus ſpiritualibus factam collationem, vel exhortationem, ſe mutuò fratres amplectantur. At in Epiphania Domini, & in Exaltatione S. Crucis votorum renovatio, ſponſioneſque fient.

DE BENEFICENTIA.

EX communibus Monaſterii bonis diſtribuatur unicuique à Priore, vel ab alio ab eo deputato, prout cuique opus fuerit, tam in victu, quam in veſtitu, & aliis, juxta ſingulorum neceſſitatem.

Sint in quotidiano ſermone valdè comes & ſuaves, mutuiſque ſe obſequiis demereantur, ac invicem morem gerant. Sint ad ignoſcendum faciles, miſericordes admodum in alios, unanimes, idipſum ſentientes.

F In quotidiana recreatione (ubi communiter de rebus ſpiritualibus agendum eſt) læti ſimul colloquantur, & ordinariè ad id, quod in communi dicitur, attendant.

Erga Purgatorii animas ſint valdè miſericordes, & pro quolibet Fratre defuncto (præter officium defunctorum, quod in communi ſolvitur) quilibet non Sacerdos tertiam partem Roſarii, Sacerdos verò unam Miſſam recitabit; pro Patre verò Præpoſito, & aliis Religionis Prælatis dupla ſuffragia fiant.

Sint erga Fratres infirmos benigni, & eos conſilio, & obſequio conſolentur.

G Is maximè, ut eis inſerviat, eſt deſignandus, qui quaſi nutrix eos fovere, ſolarique poſſit, qui omnia à medicis præſcripta diligenter exequatur.

Prior autem de corporali, & ſpirituali ægrotantium ſalute curam geret exactiſſimam, ac quotidie per ſe ipſum eos inviſat, vel impeditus alteri id officium committat.

Exploretque, qua charitate eis inſerviatur, ac de victu, & de aliis provideatur.

Sint etiam hoſpitales in omnes, maximè Religioſos alios inopes, ſed potiſſimè erga noſtros, quibus Superiores omnia neceſſaria miniſtrabunt, & ut à labore recreentur, permittant, ut per duos dies poſt acceſſum ad Conventum communibus actibus Chori non interſint.

H Hoſpites tamen ſæculares in noſtris ædibus non immorentur, niſi ob exercitia ſpiritualia, vel niſi ſint de Congregatione benemeriti, & tunc curandum eſt, ut quàm breviſſimè maneant apud nos.

Qui ad hoſpites recipiendos deſignatur, eis benignè neceſſaria ſubminiſtret, & ei tantùm licebit cum hoſpitibus ex profeſſo agere.

Scrip. An. circ. 1599.

FERIA III.

HAc die in obedientia, & humilitate te exercebis, circa quæ ex præſcripto ſtatutorum ſequentia ſervabis.

Unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi, omniumque aſſenſu, vel majoris, A & ſanioris partis ad id officium eligatur.

Huic obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare.

De arbitrio, & diſpoſitione ipſius poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant.

Illum honorate humiliter, Chriſtum potiùs cogitantes, quàm ipſum, qui poſuit ipſum ſuper capita veſtra; & Eccleſiarum Luc. c. 10. 16. Præpoſitis ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*, ut non veniatis in judicium de contemptu, ſed de Obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem.

Ad omnem obedientiæ nutum, excuſata omni tarditate, convolent, & incœpta opera dato obedientiæ ſigno, relinquant.

Ad communes actus ſigno convocati ſe- B duli occurrant.

Officia quævis in communi tabula, vel alias cuique aſſignata diligenter perficiant.

Litteras ſine ſcitu Prælati, nec dent, nec recipiant ab aliquo.

Nihil, quamvis minimum, etiam ad corporis refectionem, cujuſmodi eſt aquæ potus, præter communes horas, vel ad animæ alimoniam, cujuſmodi eſt Euchariſtiæ Sacramentum, præter deſignatos cunctis Fratribus dies, ſine Superioris venia ſumant; quod & in rebus ad veſtitum, & libros, totamque Clauſtri diſciplinam pertinentibus obſervandum eſt.

Sincero verborum intellectu Prælatis obedire nitantur.

DE HUMILITATE.

C

QUI ex vobis inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeat in mente, obſervetque in opere, quod Dominus dicit in Matt. c. 20. 6. 27. Evangelio: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit miniſter veſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.*

Fratres Clerici quartum votum emittant, numquam directè, vel indirectè, per ſe, vel per alios, intra, vel extra Congregationem, Prælationem ullam procurandi, aut oblatam acceptandi, niſi coacti præcepto jure præcipientis. Et quamdiù Sacerdotes non ſunt, ſub magiſtro ſibi aſſignato permanebunt, & vocem non habebunt in Capitulo.

D Ibique dum quis ab aliquo de culpa fuerit admonitus, proſternet ſe, dicens: mea culpa.

Neque ullam excuſationem adferet, niſi à Præſidente jubeatur, ſed ejus correctionem humiliter ſuſtinebit.

Si à nullo admonitus, velit ſeipſum accuſare, culpam ſuam genuflexus expetita licentia dicat, poſtmodum ſe proſternat, donec caput attollere jubeatur.

Idem obſervatur in quotidiana culparum poſt cœnam, vel collationem correctione, & dum quis ab alio laudatur, vel reprehenditur.

Sacerdotes dicantur Patres, alii Fratres: E illis Reverentiæ, iſtis Charitatis Veſtræ nomen detur, nullus tamen Doctoris, vel Magiſtri nomine vocetur, nec ob id ulla gaudeat exemptione.

Omnibus etiam Prælatis officia quævis humilia in communi tabula aſſignentur.

Etſi ultimum locum quiſque deſiderare debeat, externè tamen diſcrimen ob confuſionem vitandam obſervetur, ſic, ut poſt Prælatos ſedeant Sacerdotes ſecundùm antiquitatem Profeſſionis; deinde Fratres ſacris initiati ſecundum dignitatem Ordinum, poſtea Profeſſi juxta Profeſsionis antiquitatem, ultimò Novitii.

FERIA IV.

F HAC die te exercebis in paupertate, & ſilentio: circa quæ ex vi ſtatutorum hæc debes obſervare.

Nullus ſibi aliquid proprium eſſe dicat; ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eo ad id officium deputatum, prout cuique opus fuerit; inſpectis ætatibus, & neceſsitatibus ſingulorum.

Nullus quidpiam etiam minimum, tamquam proprium poſſideat, vel ſuo dumtaxat uſui domi, foriſve reſervet; ſed omnia in communibus officinis condantur, indeque à miniſtris communiter diſtribuantur.

Statim atque aliquis non eguerit uſu rei ſibi traditæ, in communes officinas eam referat.

Nullus ſine Superioris venia aliquid ab G alio recipiat, vel donet, vel permutet.

Quidquid ſemel alicui datum eſt Prior auferre, mutare, ac permutare pro ſuo libito valebit.

Uſus clavium non permittatur, aliquod tamen inſtrumentum, quo cellæ ſæcularibus clauſæ à Fratribus claudi, recludique poſſint.

Cellulæ Fratrum niteant munditia, & paupertate, & ab eis ſuperflua quæque, & curioſa arceantur.

Veſtes ſint ex rudiori panno, coloris griſei, ſed Cappa, & tunica interior albæ erunt.

Sint ejuſdem formæ in omnibus quoad longitudinem, & latitudinem, ut præſcribitur in Conſtitutionibus. H

De Silentio.

ADicto Completorio uſque ad primam dictam ſequentis diei ſilentium teneatis. Sicque verba omnia, quæ ſine detrimen-

to

to in aliud tempus differri poſſunt, evitentur.

Reliquo tempore, licèt ſilentii non habeatur obſervatio tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur, quoniam ſicut ſcriptum Prov. c. 10. 19. eſt: *In multiloquio peccatum non deerit.* Et, *qui inconſideratus eſt ad loqnendum ſentiet mala.* Prov c.13.3. Eccl. 20. 8. Item, *qui multis utitur verbis, lædit animam ſuam:* Et Dominus dicit in Evangelio: Matth. 12. 36. *De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* A Eccli. c. 28. 29. 30. *Faciat* ergò unuſquiſque *ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo, ne forte labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis* Iſa.c.32.17. *ſit caſus ejus ad mortem,* cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua, *& ſilentium,* in quo *cultus juſtitiæ eſt,* diligenter, & cautè ſtudeat obſervare.

Nullus cum alio, ſeu Religioſo, ſeu ſæculari loquatur ex profeſſo, ſine expreſſa Superioris venia, & tunc voce ſubmiſſa.

In Choro, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, & Cellis, quæ loca ſanctiora ſunt, arctius Fratres ſilentium ſervent.

Cum in communi aliquod opus efficiunt, ſileant, vel Pſalmos recitent, vel de rebus B ſpiritualibus loquantur, vel aliis audientibus, unus è libro pio aliquid legat, & ſic verba non tantùm otioſa, ſed etiam noxia accuratè vitent, & ex more Sanctorum, de piis rebus juxta oblatas ſibi occaſiones ſermonem inſtituant.

Sæculares, cum quibus agent, piis ſententiis ad rem prudenter accommodatis, ſemper ad pietatem hortari conentur.

FERIA V.

HAC die in caſtitate, & corporis afflictione te exercebis, ad quæ ex vi ſtatutorum iſta ſunt obſervanda.

Accingendi ſunt, ait Regula, lumbi veſtri cingulo caſtitatis: muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis; ſcriptum eſt e- C nim: cogitatio ſancta ſervabit te.

Faciendum eſt vobis aliquid operis, ut ſemper Diabolus inveniat vos occupatos, ne ex ocioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire.

Familiaritatem mulierum etiam pudicarum vitent, & cum eas neceſſariò allocuturi ſunt, ita modeſtè ſe gerant, ac ſi in Eccleſia ipſa cum populi frequentia verſarentur.

Motus internos, & ſenſus externos, oculos præſertim ita moderentur, ut nihil non caſtum patientur, aut præſeferant.

De Corporis afflictione.

D

CAro domanda eſt veſtium aſperitate, jejuniis, abſtinentiis, clauſura Cellæ, operum exercitatione, prout Regula præſcribit.

Feria ſecunda, quarta, & ſexta totius anni (exceptis diebus Nativitatis, Reſurrectionis, & Pentecoſtes) ſumant Fratres diſciplinam communem in Choro, quæ duret dum canitur Pſalmus *Miſerere*, cum quinque orationibus aſſignatis.

FERIA VI.

E

HAC die te in jejunio, & abſtinentia exercebis, ad quæ ex vi ſtatutorum hæc debes obſervare.

Jejunium, ait Regula, ſingulis diebus obſervetis à Feſto exaltationis ſanctæ Crucis, uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis, niſi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia juſta cauſa jejunium ſolvi ſuadeat.

Jejunent etiam omnibus Feriis ſextis totius anni, & omnibus Vigiliis Beatiſſimæ Virginis, Corporis Chriſti, S. P. N. Eliæ, & in Rogationibus, ac die S. Marci, niſi fuerit Dominica.

Iis diebus ovis, & lacticiniis uti licebit, præterquam in Adventu, Quadrageſima, & Vigiliis Beatiſſimæ Virginis.

F Nullus niſi in menſa communi, ac tempore refectionis aliquid commedat, aut bibat, niſi de expreſſa Prioris venia.

Et eo tempore in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, ſumantur, Lectionem aliquam Sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit obſervari.

Ex iis, quæ ad Conventus noſtros Chriſtiana charitas miſerit, æquales partes omnibus miniſtrentur, nulli tamen diverſum quid, aut diverſè conditum miniſtretur, abſque neceſſitate, & expreſſa Prioris venia.

Feria ſexta majoris Hebdomadæ in pane, & aqua jejunent.

De Abſtinentia.

G AB eſu carnium, ait Regula, abſtineatis, niſi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio ſumantur. Et quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, ne ſitis hoſpitibus oneroſi, extra domos veſtras ſumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus.

Hac Regulæ indulgentia Fratres, extra Clauſtra juſta de cauſa exiſtentes, non facilè utantur, quod efficient, ſi levi de cauſa non credant ſe fore hoſpitibus oneroſos.

Qui è Clauſtro egreditur ad urbem, oppidumve, in quo Conventum habemus, nullam eſcam, neque potum in eo ſumat, niſi rarò, & ex gravi neceſſitate, ac de Superioris expreſſa venia.

SABBATO.

H

HAC die te in ſtudio ſanctæ Orationis exercebis, & in ejus comite ſancta Clauſtri, & Cellæ cuſtodia; quæ verò circa hæc ſtatuta diſponunt, hæc ſunt.

Maneant ſinguli in Cellulis ſuis, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in Ora-

Scrip. An. circ. 1599. rationibus vigilantes, niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur.

Muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis, ſcriptum eſt enim: Cogitatio ſancta ſervabit te.

Verbum Dei abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris.

Manè per ſingulos dies ad audiendum A Miſſarum ſolemnia in Oratorio convenire debeatis.

Clerici horas Canonicas dicant ſecundùm conſtitutionem SS. Patrum, & conſuetudinem Eccleſiæ approbatam: idque fiet ſimplici voce, uno parique ſono. Laici pro ſingulis horis ſepties dicant Pater noſter, cum Ave Maria; at pro veſpertinis illud quindecies recitabunt, & pro matutinis viginti quinque vicibus, & in feſtis quinquaginta; in quibus Miſsæ, & Veſperis intererunt.

Matutinum, niſi obſtet urgens neceſſitas, ſemper media nocte dicatur, & Completorium in crepuſculo.

Audito primo quarumvis horarum ſigno Fratres ab aliis operibus deſiſtant, & ante B ultimum ſignum expletum ad Chorum, vel locum deputatum celeriter conveniant.

Præterea bis in die, ſcilicet manè, & veſperè omnes in loco deputato per unam horam mentali orationi vacabunt, præmiſſa in principio Antiphona, *Veni Sancte Spiritus*, & pia aliqua lectione ad meditandum opportuna, & in fine dicitur Antiphona, *Sub tuum præſidium confugimus*, &c.

De Cuſtodia Clauſtri, & Cellæ.

JUxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli ſingulas habeant Cellulas ſeparatas, ſicut per diſpoſitionem Prioris, cuique fuerint aſſignatæ.

Non liceat alicui Fratrum Cellulam ſibi deputatam permutare cum alio, niſi de licentia Prioris. C

Maneant ſinguli in Cellulis ſuis, vel juxta eas die, ac nocte; ita quidem, quod in Eremis, ubi Cellæ ſeparatæ conſtruuntur, in eis, vel juxta eas manere debeant; ubi verò Cellæ ſunt conjunctæ, nulli unquam liceat ex profeſſo extra Cellam manere, aut deambulare, niſi de Prioris expreſſa venia.

Hoc à Completorio dicto arctiùs obſervetur, & tunc Fratres in Cellas ſe recipere feſtinent, à quibus, niſi ad neceſſaria naturæ, aut Superioris venia non exeant, & ab omni ſtrepitu abſtineant.

Parcè admodum è Clauſtro exeant, præſertim diebus feſtis, quibus domi attentiùs Deo vacandum eſt.

Exeuntes è Clauſtro, & redeuntes à Prælato D benedictionem genuflexi poſcant, & in loco deſignato breviter orent, ut Dominus illorum exitum, introitumque cuſtodiat, & id ſolum perficiant, ad quod mittuntur, niſi aliud quid agendum neceſſariò ſeſe offerat, quod ſimul ac domum pervenerint, Priori aperiant.

Eos, cum quibus extra Clauſtra agunt, verbo, & exemplo ædificent.

ANIMADVERSIO.

Omnia, & ſingula hujus Tractatus documenta in totidem Ordinis Conſtitutionum capita evaſerunt.

* * *

IN SEQUENS OPUS PRÆMONITIO.

EN integram non tam Monaſticæ, quam Chriſtianæ Perfectionis ſummam potius, quam Novitiorum noſtrorum auream Inſtitutionem. En divinam illam Opellam tanto quidem cæleſti doctrina pretioſiorem, quanto mole breviorem, cui non modo Familia noſtra, aliique bene multi Monachorum Cœtus, qui ea laudabiliter utuntur, ſed Eccleſia ipſa, ferme dixerim, plurimos accepto referunt inſigni ſanctitate viros, hac una lectione partos. En denique Librum cum ſolida, profunda, tutiſſimaque ſapientia Chriſti refertum, tum quoque perſpicuitate methodi, latinique ſermonis elegantia quaquaverſus nitentem, unde juniores Evangelicæ vitæ alumni, una cum ejus præceptionibus, puriſſimam eloquentiam ebibere poſſint. Quamobrem jure, ac merito in prima noſtrarum Conſtitutionum editione, 2 par. cap. 6. num. 1. ſanctiſſime cautum erat „ ut educatio, quoad fieri poſſit, Novitiorum fiat juxta In„ ſtructionem tam Magiſtri, quam Novitiorum, a R. Admod. P Joanne a „ Jeſu Maria Congregationis noſtræ olim Præpoſito Generali, viro ſancti„ tate, & doctrina inſigni, editam. „ Quod etiam in cæteris editionibus, ſubpreſſo tantum Viri nomine, ferme legitur. Hunc igitur tantis, ac tam dignis laudibus auctum Commentarium, extra omnem dubitationem, Venerabilis, & expertiſſimus Magiſter Tyronibus ſuis dictabat, ab anno 1598. quo id muneris Romæ celebratiſſime reſumſit, ut ex ejus Vitæ cap. 10. ſatis compertum eſt, diuque, inter ipſos manuſcriptus delatus eſt, donec novis quotidie curis a doctiſſimo Auctore cumulatus, digeſtus, ornatus, & in Codicem defœcatiſſimum redactus publicam videre lucem juſſus eſt, vigilantiſſimi Ven. P. Fr. Ferdinandi a S. Maria Præpoſiti tunc Generalis decreto, quod heic ſubiicimus, ac typis Romanis commiſſus anno 1605. apud Carolum Vulliettium. Quo anno quum numeris ſuis abſolutum undequaque Opus arbitremur, eum conſueto Chronologiæ loco adponimus. Illud autem Ven. P. Fr. Dominicus a Jeſu Maria Italice traductum edi iterum curavit Romæ, an. 1612. ac pluribus aliis idiomatibus alibi ſæpius, eximia ubique utilitate, vulgatum eſt. In Colonienſi editione exſtabat Tomo ſecundo, a pag. 212.

PRIMA ORDINIS FACULTAS.

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Præpoſitus Generalis Congregationis*
„ *Italicæ Carmelitarum Diſcalceatorum, Inſtructionem hanc a R. P. Fr. Jo-*
„ *anne a Jeſu Maria prædictæ Congregationis Sacerdote profeſſo compoſi-*
„ *tam, & a probatis Theologis perluſtratam, & commendatam probo,*
„ *ut de conceſſu Reverendiſſ. D. Viceſgerentis, ac Reverendiſſ. P. Magiſtri*
„ *Sacri Palatii typis mandetur. Datum Neapoli 14 Kal Julii 1605.*

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Præpoſitus Generalis.*

VETERIS THEOLOGI CENSURA.

„ *Reverendiſſ. D. Apoſt. Sacri Palatii Magiſter.*

„ *Perlegi hunc librum eleganti ſermone conſcriptum, & inoffenſo pede*
„ *tranſegi. Conſona ſunt enim omnia Divinis Orthodoxæ Fidei decretis,*
„ *pro recte efformandis moribus ad Regularis diſciplinæ exercitationem,*
„ *cunctis ad Evangelicam perfectionem aſpirantibus ſummopere profutura,*
„ *ſi quantocius excudatur.*

„ *Ita refero D. Gabriel Lotterius Congreg. Cler. Regul. S. Silveſtri.*

EPISTOLA NUNCUPATORIA AUCTORIS

R. ADMODUM

PATRI FR. PETRO A MATRE DEI

CONGREGATIONIS FRATRUM CARMELITARUM DISCALCEATORUM PROCURATORI GENERALI DIGNISSIMO.

FR. JOANNES A JESU MARIA S.

UNiverſæ Reſp. quantumvis legibus armatæ, R. P. parum accurata pueritiæ, ac adoleſcentiæ diſciplina interire ſolent: quod & ſacris oraculis, & profanis aſſertis vulgatiſſimum eſt, nec ulla peſtis (ut ad rem noſtram accedam) communi, ac divino Inſtituti Monaſtici bono exitior unquam accidit, quàm ætas illa prima negligentiùs inſtituta. Quod enim ſemel hauſit, ad ſenectutem uſque ſervat; & periculum perfectioni Patrum antiquorum multis laboribus conquiſitæ præſentiſſimum creat. Nec verò temerè ſperandum eſt, ut vitæ licentia, quaſi ſuctu lactis concepta, & annorum excurſu in callos multos obdurata, increpationum, vel exercitiorum ſeveritate ſit coercenda: rem quippe hanc difficiliorem multò, quàm ſceleſtorum hominum ſæcularium reſipiſcentiam, graviſſimos Patres cenſuiſſe, compertum eſt.

Cùm ergò exactior educatio bona immenſa pariat, & mala imminentia præcaveat; non ex propria (qua me carere facilè perſpicio) ſed è Sanctorum doctrina Inſtituto noſtro appoſitam novorum Fratrum inſtitutionem excerpſi: quam (velut opus imperfectum acriore judicio tuo, & prudentia multis experimentis parta limandum, & perficiendum) tibi, R. P. dicandum exiſtimavi. Mihi certè labor hic exiguus eò contulit, ut dum, quid facto opus ſit, ad aliorum mores expoliendos, & animos Deo conciliandos cogito, inopiam meam introſpiciam, & culpas innumeras à Clementiſſimo Deo deprecer: ſperemque fore (poſtquam opus te authore, R. P. abſolutum fuerit) ut illi, qui lectione hac ad profectum utentur, Deo cultum, tibi laudem, mihi emolumentum aliquod allaturi ſint. Accipe igitur humanè, R. P. ſubditi votum, ac eruditione cæleſti, qua polles, perfice, & ad Congregationis noſtræ bonum, quod multis acceſſionibus à te promovetur, diutiſſimè vale.

PRÆFATIO EXHORTATORIA AUCTORIS.

UT elementa exordii ſermonum Dei, Beatæ Virginis nova proles in ſcholam juſtitiæ ingreſſa perdiſcat, Fratres noſtri, quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, dulciſſimum lac matris amantiſſimæ concupiſcant. Avidos quippe ſuaviſſimæ illius eruditionis animos fœliciter progreſſuros deſideria primùm concepta demonſtrant: ut ſpe gaudentes perfectionis Chriſtianæ curſum tantò alacriùs arripiant, quantò majora confidunt. Quid autem majus vel ſperari, vel mente concipi poſſit, quàm ſub auſpiciis Reginæ cælorum ſereniſſimæ, quæ poſt ortum Filii ſui primogeniti Fratres noſtros ſecundogenitos virgineo partu in Congregationis noſtræ lucem edidit, viam ſalutis carpere, & ad regnum feſtinare? Profectò ſpes animos exhilarat, ut exultent ad percurrendam viam optatiſſimæ Hieruſalem, quæ ædificatur ut Civitas, ævo ſempiterno permanſura: nec ulla lætitiæ cauſa uberior eſſe poteſt, quàm in exilio Babylonis, è cujus ſalicibus organa ſuſpenduntur, quaſi nullum unquam lætitiæ ſonum redditura, firmitudine ſpei, quæ ſolvendos compeditos pollicetur, ad ſupernæ vocationis bravium animari.

At ut Fratres noſtri ſe ad futura pro regno certamina comparent, opus eſt, rerum gerendarum ſe præmeditatione diſponant; animadvertere quippe debent, quo è ſtatu eruti, in *quem ſtatum aſſerti fuerint, & in quem demum ſtatum aſpirent: quid ab eis clementiſſimus Deus ad ruinam culparum reparandam, & quod moliuntur, ædificium abſolvendum exquirat. Gratis nempe vocati gratiam pro ſupplicio receperunt: at æquiſſimus Deus, qui ſolus cœpit opus bonum, ſedulitatem multam ab eis requirit, ut unà cum ipſis opus cœptum perficiat: qui enim ſine operibus gratiam indulſit, non niſi pro bonis operibus præmium cœleſte rependet.*

Juxta conſilium ergo Magni Præceptoris Fratres noſtri ſemetipſos introſpiciant, ſumptus, qui ad opus perficiendum neceſſarii ſunt, comutaturi, & partes hominis per culpam lapſi auxilio gratiæ reparandi perſpicaciter explorent. Communis quippe univerſorum hominum, qui è culpæ morte ad vitam gratiæ divinæ reſurgunt, conditio eſt, ut licet mente ſerviant legi peccati: quibus verbis Apoſtolus de ſe ipſo agens uſus eſt, ut inferiorem hominis partem à ſuperiore diſcerneret. Poſtquam enim Adam prolapſus in culpam originalis juſtitiæ, vincula, quæ hominis partes in officio continebant, infœliciter diſſolvit, quicumque ad ſtatum gratiæ ſuſcitantur, tametſi, quod ad ſuperiorem hominis partem, intellectum ſcilicet, ac voluntatem ſpectat, reformentur, ut æternæ legis rationes intelligere, ac diligere poſſint; partis tamen inferioris, quæ ſenſibus, tum internis, tum externis, & appetitu ſenſitivo conſtat, rebellione vexantur, quam ſenſit Apoſtolus ajens: Sentio in membris meis aliam legem *repugnantem legi mentis meæ.*

Hæc palæſtra eſt, in quam Fratres noſtri exuentes veterem hominem, & Spiritus ſancti unctione delibuti luctaturi deſcendunt, ut ſui partem inferiorem turpiter deformatam cœleſti auxilio, ac labore multo ad ſuperioris partis præſcripta reforment. Opus certè arduum, quod & interno, & externo conflictu peragendum eſt, dum homo ſibi ipſi bellum indicit, & ad paſſiones proprias expugnandas, virtutes exquirendas, ſenſus ab imaginibus creaturarum repurgandos armatur. Cæterum merces ampliſſima eſt, quæ illum quoque movere potuit, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, quo nihil in hoc genere ſublimius, vel efficacius dici poteſt. Quapropter miles novus ſpe tantæ mercedis erectus, timorem quemvis obrepentem excutiat; & idem, quod olim Abrahæ, modò ſibi oraculum redditum exiſtimet: Noli timere Abraham: ego protector tuus ſum, & merces magna nimis. Non poterunt ſanè milites ignavi è ciſterna Bethlehem aquam puriſſimam haurire, hoc eſt, ad honeſtiſſimum Virginis Filium, fontem aquæ vivæ, pervenire, qui per media obſtantium inimicorum caſtra non audacter irrumpunt. Fortiſſimè igitur pro tanto bono, ſub protectore tanto ad operis arduitatem ſuperandam animus erigendus, & rerum excelſarum cogitatione incitandus eſt, ne quid ex propria fragilitate formidet. Nihil enim Chriſti militibus ad grandia vocatis timore pejus nocere, aut compendioſius magnanimitate prodeſſe poteſt: timor quippè innumera Iſraelis millia Ægypto dedita conſumpſit; magnanimitas verò paucos plurimis meliores in feraciſſimam promiſſionis terram invexit.

Qui ergo recenſeri cupiunt inter paucos illos, qui contendunt intrare per anguſtam portam, arctamque viam, quæ ducit ad vitam, multa expeditione conficere, ipſo propoſito aſtringuntur ad ignaviam omnem depellendam, & more ſexaginta fortium Iſrael enſes ad prælia diſtringendos. Qui vicerit, accipiet calculum candidum ineffabili quodam nomine inſcriptum, quod erit æternum partæ nobilitatis monumentum: & in regione vivorum, qui exultant perenniter in gloria, & lætantur in cubilibus ſuis, comparabit domum abſque tributo: non enim erit ampliùs neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia vetera tranſierunt. Tranſit nempe labor multitudinis, & remanet pax unitatis, quam fidelia corda requirunt: momentaneum quippè hoc, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in cœlis (ajente Jeſu Chriſto) qui eſt pax, & gloria noſtra: Vos qui ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Hæc ſunt verba, quæ Monachis clauſtra replent, deſerta Anachoretis: hæc ſunt verba, quæ Ægyptum expoliant, & optima quæque ejus vaſa diripiunt: hic ſermo vivus, & efficax convertens animas fœlici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli.

E terra igitur ſæculi deſerta, loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis evocati Fratres noſtri; & ſuper excelſam Religionis terram, ut comedant fructus agrorum, & ſugant mel de petra viva, conſtituti propoſitam inſtructionem attentiſſimè legant, & obſervent. Habent enim ad capita certa redactam doctrinam omnem, quæ ad Clauſtri diſciplinam ſpectat, paſſionum, tentationum, virtutum, vitiorum, donorum Spiritus ſancti, fructuum, beatitudinum, orationis, devotionis, ac demum exercitiorum, quibus Inſtituti noſtri perfectio paratur: ut quamvis juniores Fratres librorum aliorum lectione carerent, ſatis hinc inſtitutionis ad explenda noſtri ſtatus officia poſſent haurire. Quamobrem ſepoſitis curis aliis, quæ minus proſunt, huc omnes vires animi cogant, & per oſtenſam eis viam ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium ſub Jeſu Chriſti D. N. ac Beatiſ. Virginis vexillo feſtinent.

VEN.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI.

INSTRUCTIO NOVITIORUM

PARTITIO TOTIUS INSTITUTIONIS, AC STATUS NOSTRI.

I. Scrip. An. 1605.

A

Ad vitam monaſticam perfecte inſtituendam, quid?

OMnis Fratrum noſtrorum diſciplina ad quatuor redigitur partes, ad mortificationem paſſionum, ad virtutum acquiſitionem, ad ſtudium orationis, ad Cœnobiticæ vitæ actus, ſive omnibus communes, ſive alicui peculiares. Oportet quippe, ad vitam Monaſticam rectè inſtituendam, indomitas paſſiones, quæ in ſæculo vitiorum ſeminaria fuere, ſubjugare: virtutes, quæ defuere, animo inducere, ac mentem rebus caducis olim intentam Deo per orationis ſtudium conciliare, ut iis demum officiis ſtatui noſtro, per communes actus ſatisfiat. Perfectio enim ſtatus noſtri tanta eſt, ut partes eas omnes à cultoribus ſuis expoſcat, & ad obtinendum, quod requirit, appoſita valde media præſcribat. Fert enim ſecum quotidianis vitæ communis exercitiis multiplices actus ad paſſiones edomandas, ad virtutes acquirendas, ad orationis peritiam comparandam; ut ad divinæ charitatis, ac proinde totius legis finem pertingat.

Quatuor vota notat.

B

C

II. Tribus primùm votis, obedientiæ ſcilicet, quæ animum Deo ſociat; caſtitatis, quæ carnis curam; paupertatis, quæ bonorum externorum ſollicitudinem excludit, animos ad Dei unionem acriter urget: & ut ab omnibus eos laqueis expediat, quartum non ambiendi votum apponit. Utitur Regulæ præſcriptionibus ad ea vota perfectiùs obſervanda mirum in modum opportunis: nihil enim tametſi minimum, niſi in verbo Domini, hoc eſt, Superioris juſſu fieri permittit, qui obedientiæ cultus eſt: orationem perennem, receſſum, abſtinentiam ab eſu carnium, longa jejunia, ſtrictiſsimum ſilentium, & id genus alia præcipit, quæ caſtitatem velut arce tuta ſeptam cuſtodiunt: rerum temporalium uſum neceſſarium adeò parcè concedit, ut non res ſuperfluas, etſi modicas tantùm, ſed verba quoque prohibeat: ne quis aliquid ſibi proprium eſſe dicat: qui paupertatis eximius decor eſt. Utitur etiam ſtatus noſter monitis Conſtitutionum, quæ ſunt quædam Regulæ derivationes, multa Patrum noſtrorum conſilia Regulæ ipſi affinia complectentes; quibus, quicquid ad hominem totum perfectionis Monaſticæ partibus componendum ſpectat, comprehenditur, & adjunctis inſtructionibus perficitur.

Inſtituti noſtri finis duplex, & qualis?

III. Denique cum Inſtituti noſtri finis duplex ſit, alter & potior, contemplatio, alter verò, actio; ſic ſtatus noſter omnia prædicta temperat, ut non modò ad propriam, ſed ad proximorum quoque ſalutem animos inſtruat: ne quid ad Chriſtianæ perfectionis abſolutionem deſideretur.

D

IV. Hæc ſi novi Fratres initio curſus exactè præſtare poſſent, inſtructione alia non indigerent: at quia nequeunt, opus eſt peculiarem quamdam methodum eis proponere, qua ſtatus noſtri, quam totius vitæ decurſu ſervaturi ſunt, doctrinam ediſcant. Partes ergo quatuor ſuperiùs recenſitas eadem ſerie, qua propoſitæ ſunt, tractatibus quatuor perſequemur.

PARS PRIMA

De Paſſionibus.

A

CAPUT I.

De Paſſionibus in commune.

FIeri nequit, ut victoriam quis pariat, qui hoſtes ſuos minimè dignoſcit: ac eò quidem magis hoſtium ingenia pernoſcere opus eſt, quò acriùs infeſtant, & gravius nocent: Scripturæ autem ſacræ, ac Sanctorum Patrum aſſertionibus conſtitutum eſt, impugnationem propriorum ſenſuum eſſe omnium ſæviſsimam, & gravium periculorum feraciſsimam. Sævitiam ſatis Apoſtolus indicavit illo mortis voto: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Graviſſima verò pericula illo planè Apoſtolico effato: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar: quaſi diceret: Nihil mihi conſcius ſum, & viribus divinis armatus incedo, at ne ſenſus vehementer efferveſcat, tempus anteverto, & matura caſtigatione præcaveo.

Propriorum ſenſuum impugnatio omnium ſæviſſima. *Rom.* 7. 24.

B

1. Cor. 9. 27.

II. Ratio verò apta ſuffragatur: hoſtes enim domi ſunt nati, qui cum expelli non poſſint, quos ſævitia proſtrare nequeunt, improbitate delaſſant: ut virorum ſanctitate illuſtrium multiplex caſus inſperatus oſtendit. Ex quo ſanè liquet, paſſionum doctrinam iis præſertim, qui eas minimè domuerunt, eſſe ſummoperè neceſſariam: præterquàm quòd ad affectiones divinas intelligendas, quibus opportuno tempore Fratres noſtri erudiendi ſunt, mirificè prodeſt.

C

Paſſionis Definitio.

III. Paſsio ergo, ut à definitione ducamus initium, quod ad noſtrum pertinet inſtitutum, nihil eſt aliud, quàm motus appetitus ſenſitivi ad imaginationem boni, vel mali, cum aliqua corporis immutatione: quaſi clariùs diceremus: Eam impreſſionem, qua excitatur appetitus, ex imagine boni, vel mali, internis ſenſibus concepta, unde corporis immutatio ſubit, eſſe paſſionem.

Ejus ſedes.

IV. Paſsio autem ſic deſcripta in ſolo reſidet appetitu ſenſitivo, qui ex duabus partibus, Concupiſcibili, quæ in jecore, & Iraſcibili, quæ exiſtit in corde, componitur. Actus verò voluntatis, qui nominibus paſſionum appellantur, non paſſiones propriè, ſed actus ſimplices ſunt.

D

Paſſiones quot?

V. Paſsiones ergo propriæ ſunt numero undecim, è quibus ſex, quæ bonum, ſeu malum abſolutè reſpiciunt, in Concupiſcibili; quinque autem, quæ bonum, malumve arduum inſpectant, in Iraſcibili naſcuntur; ſed omnes undecim perficiuntur in corde, quod omnibus iis motibus urgetur. Sex illæ Concupiſcibilis paſsiones ſunt, amor in bonum primò conceptum: deſiderium, ſeu concupiſcentia in bonum, quod nondum adeſt: gaudium, ſeu delectatio in bonum præſens: odium, à malo primum concepto: fuga, ſive abominatio, à malo nondum præſenti: triſtitia, ſeu dolor, ex præſenti malo. Quinque illæ, quæ in Iraſcibili ſedem habent, ſunt ſpes in bonum arduum: audacia adevrſus malum arduum; deſperatio à bono arduo; timor à malo arduo; ira contra malum arduum.

Paſſiones concupiſcibilis, quæ, & quot?

E

Iraſcibilis, quæ, & quot?

VI. Omnes undecim paſsiones verſantur circa res, quæ ſenſibus externis percipiuntur; & tria illa bona mundo jucundiſſima, honeſtum, utile, & delectabile proſequuntur, malaque contraria perhorreſcunt: honeſtum autem non pro decoro, quod à veris virtutibus exoritur, ſed pro exiſtimatione, honoreve mundi poſitum eſt.

Quæ indoles Concupiſcibilis?

F

VII. Eſt autem hoc ingenium Concupiſcibilis, ut bona illa tria, & oppoſita eis mala juxta propriam illorum naturam expendat, & ſic aut benè, aut malè afficiatur. Verùm quia bonis frui ſæpè non valeret, ob difficultates multas, quibus obſidentur, ad naturæ opus pertinuit, ut pars Iraſcibilis adeſſet, quæ obſtaculorum arduitatem ſuperaret, & Concupiſcibilem in tranquilla bonorum poſſeſsione conſtitueret. Sed bona hæc, cum mente noſtra indigna ſint, & præſentis oblectationis irritamento totum hominem vehementer commoveant, paſsiones illo pabulo tractæ, ac efferatæ, in ſuperioris partis arcem impetum faciunt, & aut enervatam proſternunt, aut renitentem perturbant.

G

VII. Quamobrem vel ex iis, quæ hucuſque deprompſimus, qui è ſæculi luxu in Monaſticæ diſtrictionis ſcholam traducti ſunt, perſpicere poſſunt, quale bellum inteſtinum eis immineat, & à quot hoſtibus infeſtandi ſint. Eſt ad rem colliſio illa Jacob, & Eſau in utero Rebeccæ pugnantium, quæ adeò torſit matrem, ut (paulò minùs) anteacti conceptus illam pœniteret: Sed conſuluit Deum, qui reſpondit: Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur: populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori. Sic certè in uno velut utero, qui ad clauſtra confugiunt, duos quaſi populos gerunt, quos in ſæculo geſtavere concordes; ſed in veſtibulo domus Dei ſentiunt eſſe diſcordes, quia jam alterum impugnare, ac pro altero ſtare cœperunt: ſed bono animo ſint; quia oraculum eſt, alterum alteri, non ſanè, ut olim, majorem minori, ſed inferiorem hominem ſuperiori, pace de bello parta, ſerviturum. At poſtquàm in commune de paſſionibus, quæ ſcitu digniora ſunt viſa, protulimus, ad ſingularum examen accedamus. Illud verò præmonere opus eſt, opor-

Pugna Jacob, & Eſau in utero Rebeccæ notata. *Gen.* 25. 23.

H

Scrip. An. 1605.

portere partis hujus primæ capita oculatiùs, ac lentiùs, quàm reliqua legere, quòd ſingulæ ferè lineæ totidem aſſerta ſaluberrima ſint: quæ niſi altè percipiantur, interioris hominis peritia parari nequit.

CAPUT II.

De amore, concupiſcentia ſive deſiderio, delectatione ſive gaudio.

A

Concupiſcibilis, an prior iraſcibilis?

I. Concupiſcibilem Iraſcibili priorem eſſe, ac proinde illius paſſiones primo loco excitari, eaſdemque originem, ac finem paſſionum Iraſcibilis eſſe, univerſorum Philoſophorum, ac Theologorum conſenſio eſt. Succurrit idonea ratio: non enim quis ſperat, ſive deſperat (quæ ſunt paſſiones Iraſcibilis,) niſi quod priùs amat, & cupit (quæ ſunt Concupiſcibilis:) neque per Iraſcibilem audet contra malum, aut verò timet malum, niſi quod per Concupiſcibilem priùs odit: odiſſe verò non poteſt, niſi quod bono priùs amato diſſentit.

Amor omnium paſſionum origo.

B

II. Ex his efficitur, non ſolùm Concupiſcibilem Iraſcibili priorem eſſe, verùm paſſiones omnes ab amore, prima videlicet Concupiſcibilis paſſione, cui reliquæ omnes conſertæ ſunt, originem ducere: nemo enim cupit, aut delectatur, niſi eo, quod amat, aut odit, fugit, ſeu triſtatur, niſi ob malum, quòd opponitur bono, quod amat: aut ſperat, ſive deſperat, niſi bonum, quod amat: ſeu timet, audet, iraſcitur, niſi in malum, quod obſtat bono, quod amat.

Amoris definitio.

III. Amorem ergo ſic deſcribere poſſumus: Amor eſt primus motus, quem bonum infert appetitui: quaſi diceremus apertiùs: illam impreſſionem primam, qua ex cognitione boni alicuius appetitus afficitur, dum ei bonum cognitum placet, eſſe amorem. Congruit ſimilitudo ex naturæ operibus petita: quemadmodum enim unumquodque generans confert primum genito formam, mox verò motum formæ conſentaneum; ut cum ignis aerem inflammat, formam prius igneam, deinde motum igneum in altiora imprimit; ſic bonum quodvis non ſolùm ſenſui, qui boni concipit imaginem, ſed appetitui quoque, media illa ſenſus imagine, quamdam velut formam imprimit; hoc eſt, amorem, qui eſt quaſi amantis forma, & per amorem excitat motum deſiderii, quo appetitus in bonum ipſum circulo peracto recurrit.

C

Concupiſcentia quid?

IV. Hinc liquet, quid ſit concupiſcentia, (quæ cum rationem comitatur, dicitur deſiderium:) eſt enim quædam amoris extenſio ſive progreſſio; ac ſi diceremus: Eum motum, vel greſſum, quo appetitus, cui bonum arridet, ad bonum ipſum tendere incipit, eſſe concupiſcenitiam. Poſtquàm enim appetitui placuit bonum (qui eſt amoris motus) ſe ipſum appetitus expandit, & ad bonum capiendum exporrigit (qui eſt motus concupiſcentiæ, ſive deſiderii) quo ſanè motu à bono ipſo trahi dicitur. Rapidè fertur, quia voluptate trahitur: ideò ſolet deſiderium invaleſcere, ſi voluptate frui non detur uſque ad ardorem quemdam, qui appellatur fervor. & eſt amoris effectus, quem ſolet comitari languor, alius ſcilicet amoris effectus, qui eſt graviſſima quædam mœſtitia, quæ ſolet hominem interimere.

D

Fervor amoris effectus.

E

Delectatio quid?

V. Si verò bonum concupitum ex voto ſuccedat, ſubit delectatio, (quæ ſi cum rationis opere fit, gaudium appellatur:) & eſt motus animæ in bono, quod ſibi placet, conſtitutæ: quaſi planiùs diceremus; Motum illum, quo appetitus percipit bonum, quod cupiebat, in cujus amplexu, ſeu poſſeſſione conſtitutus eſt, eſſe delectationem, ſeu (quod eſt idem) fruitionem. Paſſio hæc una è potiſſimis eſt, & videtur omnium efficaciſsima: complet enim amoris motum: & in ea vires ſuas omnes amor exercere videtur: nam cum effectus amoris multi ſint, putà (præter fervorem, & languorem nuper explanatos,) ecſtaſis, liquefactio, unio, mutua inhæſio, penetratio, zelus, in amplexu præſentis boni ferè omnes invaleſcunt.

Amoris effectus enumerantur.

F

VI. Ecſtaſis quippè, quæ ſignificat exitum appetitus à ſeipſo, ut exiſtat in bono; quod affectat, dum bonum adeſt, vires acquirit; liquefactio, quæ eſt quædam cordis emollitio, & rarefactio, ut poris quaſi patefactis, bonum citò ſubintret, licèt abſente bono vigeat, potu tamen boni præſentis expletur: unio, quæ eſt quidam velut amantium contactus; mutua inhæſio, quæ eſt ſe jam tangentium aſtrictio; penetratio, quæ eſt quidam ad intima cordis velut illapſus; non niſi bono præſente contingunt: zelus, qui nihil eſt aliud, quàm conſortis impatientia, ſi quis fruentem interpellare vellet, ferociſſimè pugnaret.

Delectationis vis.

G

VII. Patet ergò, delectationis paſſionem multis ambiri circumſtantiis, quæ illius vim facilè demonſtrent. Quin etiam res adeò experimentis probata eſt, ut ſine teſtibus aliis, ſi quis rogetur, quanam re trahatur efficaciùs, quicumque ille ſit, reſpondeat: Trahit ſua quemque voluptas. Adhuc enim duo illa bonorum genera, honeſtum, & utile, ſi voluptatem adimamus, cor humanum minimè traherent: quod ſcitu digniſſimum eſt, & hac ratione convincitur. Multos quippè rure natos ſi quis Princeps in urbem ducere, honoribus, & lucris augere velit, non aliunde reſiſtent, quàm ex una voluptate, quæ inter ſaxa, & ſpineta illos aſſuetudine capit, quam in urbe deſperant. Cum ergo cor humanum voluptatis amore, ac deſiderio, quaſi multa febre graviter ægrotet, remedium aliquod his tribus paſſionibus adhibere opus eſt: quod & aliis genere ſimilibus, in caput unum contractis, præſtare curabimus.

H

CAPUT III.

De remediis amoris, concupiſcentiæ, ſive deſiderii, delectationis, ſive gaudii

A

Cordis humani cupiditas in bonis præſentibus.

I. VT ægrotantis ingenio, & morbo conſentanea medicina paretur, iis, quæ de paſſionum curatione dicenda ſunt, præmittendum eſt, cor humanum, bonorum præſentium cupidiſſimum ab illorum amore, niſi meliorum bonorum permutatione non poſſe divelli: fieri quippè nequit, ut appetitui honorifica, utilia, delectabilia non placeant, cum nativam pronitatem non poſſit exuere. Quapropter ille medendi modus videtur omnium prudentiſſimus, qui propoſitis melioribus bonis (quorum appetitus ipſe capax eſt) à præſentium affectatione ad æternorum amorem cor hominis traducere tentat. Si enim divinæ ſapientiæ opus in hominis conditione perſcrutemur; inveniemus profectò, noluiſſe Clementiſſimum Deum his undecim paſſionibus paſtum auferre, ſed ad meliora bona transferre, ut unà cum hominis parte ſuperiore, ſenſus, & appetitum, & carnem quoque ipſam erudiat: ut Deum, pro captu ſuo, ſitiat, & in Deum aſſurgat. Quod enim in Adam ante lapſum paſſiones agebant, ad id mundi contemptores aſpirant, & plerumque quantum in naturæ corruptione gratia divina præſtat, voti compotes fiunt: è quorum numero fuit ille, qui dixit: Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum: & alibi: Sitivit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea. Juxta doctrinam ergo hanc, quod ad modum paſſiones à bonis interdictis abducendi, & ad meliora ducendi pertinet, (nam de corpore macerando, & externis actibus huc ſpectantibus in tractatu virtutum agemus) ad Monaſticæ diſciplinæ propoſitum hæc exempla proferimus.

Paſſionum uſus rectus.

B

Pſal. 83. 3.

Pſal. 62. 2.

C

Exemplum.

Adpetitus motus amoris dictus.

D

II. VIdet quis ſe veſtem, cellam commodiorem, librum, & ejus generis alia, quæ ſubitaneo motu, mox, ut conſpecta ſunt, placent appetitui: qui eſt motus amoris, ſtatimque cor ſe ad veſtem illam extendit, qui eſt motus concupiſcentiæ, cupit enim indui veſte illa potiùs quàm ſua: Si concedatur, ſuccedit quædam lætitiæ perceptio de re, quæ convenire videtur appetitui, per amorem & concupiſcentiam præcedentem allecto, qui eſt motus delectationis: & in hunc modum dominatur veſtis illa cordi ejus amore capto, & quodam fruitionis genere illud oblectat; qui eſt finis delectationis, quæ amoris motum denique complet. Qui ergo ſic tentatur, culpam in primis à tentatione ſecernat, in hujuſmodi enim ſubitis motibus amoris, & concupiſcentiæ plerumque non ſubeſt culpa, quia conſenſum rationis in viris quoque provectis antevertunt: Si qua verò culpa latet, ob rationis negligentiam, ea leviſſima eſt: quod pro univerſis tentationum generibus dictum ſit, ne ſit opus eadem fruſtra repetere. Mox igitur, ut quis animadvertit celeres illos amoris, & concupiſcentiæ motus excitatos, multifariam poteſt appetitum reprimere, ne pergat ulterius. Poteſt quidem è veſtigio per rationem appetitui ſic imperare: Abſtine ab hac noxia concupiſcentia: non enim decet hominem rationis compotem, ac rebus his corporeis mente præſtantiorem, & ſtudio ſapientiæ, ac virtutum honeſtati natum, rem hanc, qua mens à melioribus bonis avertitur, appetere. Verùm hic reprimendi modus Ethnicis quoque Philoſophis, qui coluere virtutem, uſu receptus fuit: nihil enim ratione altius habet.

Adpetitus quomodo cohibendus? Prior modus.

E

Alter.

III. Modus verò Chriſtiano dignus, altior, & ex fide, quæ per dilectionem operatur, efficacior eſt: cujuſmodi eſſet hoc rationis fide illuſtratæ, appetitumque domantis præceptum: Abſtine ab hac noxia concupiſcentia: non enim fas eſt hominem bonis æternis fruiturum, & pretioſiſſima immortalitatis veſte decorandum, veſte hac rudi, ac vili à meliorum bonorum ſtudio diverti.

F

Tertius.

IV. Modus adhuc altior, & Monacho dignior eſſet hic: Abſtine ab hac noxia concupiſcentia: non enim expedit mihi nudum Chriſtum imitaturo veſtem hanc affectare. Ex his tribus paſsiones coercendi modis, primus humanus, ſecundus Chriſtianus, tertius videtur propriè Monaſticus: verùm quia non omnes, qui ſe Clauſtro abdiderunt, ad tertium modum ſublimem continuò uſurpandum idonei ſunt; non enim crucifixi Jeſu Chriſti nuditas animum amori proprio aſſuetum uſque adeo movet: ſecundus fortaſſe acriùs urgebit: exploratum eſt enim, præmia quævis ad permovendos animos degeneres vim magnam habere.

G

Quomodo adpetitus rationi obtemperet?

V. Quod ſi appetitus minimè cedit, non propterea incaſſum laboratur: nam præterquàm quòd appetitus non obtemperat rationi ad nutum, quemadmodum exteriora membra; ſed modo quodam politico; & frequenter validiſsimè repugnat: compertum eſt, hoc modo meritum augeri, Chriſtianam mortificationem parari, & conſuetudine pugnandi rationem tandem appetitus dominatu potiri.

H

VI. Sed cum paſsim evenire ſoleat, ut quæ quis appetit, à Superiore ſecretæ concupiſcentiæ ignaro concedantur, & tunc modi tres recenſiti parum ſunt efficaces, eò quòd ultra motus amoris, & concupiſcentiæ, jam ad delectationem, quam res concupita ſuggerit, perventum ſit: modus efficax, Novitiique proprius eſt, Magiſtrum de occulto morbo certiorem facere: ut rem illam auferat, vel conſultò permittat. Si autem permittatur, (& univerſè, quoties quid appetitui delectabile tribuitur) modus opportunus erit, ſi multis actibus internis enitatur ab ea re affectum divellere, & quaſi re contagioſa parciſsimè uti.

VII.

Scrip. An. 1605.

Actus interni ad adpetitum cohibendum.

VI. Actus verò interni hujuſmodi erunt: Clementiſsime Deus, appetitui placet res hæc; ſed nullam inde, actu deliberato, delectationem haurire volo. Mallem, Domine, ut res hæc mihi foret injucunda, & tunc illa uterer, propter te. Utinam, mitiſsime Jeſu Chriſte, res hæc mihi moleſtiam citò generet, ne quid mihi placeat præter te. Denique omnia, quæ in exemplo veſtis allato produximus, in re quavis alia ſive honorifica, ſive utili, ſive delectabili, à novis Chriſti militibus vigilanter exercenda ſunt: dandaque opera eſt, ut paſſionum harum potiſsimarum motiones internoſcant.

A

Monitum.

VII. Sed ut caput hoc monito ſaluberrimo, ac omnium breviſſimo claudamus: quicumque paſſionibus necem afferre ſeriò cupit, ſi amorem, unde omnes oriuntur, moderari noverit, victoriam proculdubiò reportabit. Nec ſolùm vincet; ſed compendio miro, citiùs quàm alii, vincet, & majore merito, ac ſuavitate vincet. Modus autem agendi hic erit: ut ſolers ſit, animadvertens in re quavis exercenda, ne cor apparente rerum ſpecie capiatur; ne videlicet rebus adhæreat: ſed ſtatim ac videt quid jucundum; cor avertere, ac cœleſtia ſuſpirare feſtinet. Eſt enim prorſus impoſſibile, ut paſſiones cæteræ ingraveſcant, vel noceant, ſi amoris radices amputentur. Sit exemplum; Videt quis bonum utile: nempe ſedile commodum: extemplòque dum excitatur amor, cor in ſedes permanſuras extollit, ajens: Quantò mihi commodior erit ſedes ſuper domum David? Videt bonum delectabile, eſcam ſcilicet, aut potum; & dum amore invaleſcit appetitus, cor feſtinatò in cœlum effert, ajens: Quantò mihi ſuavius convivium erit, ubi eſca erit panis Angelorum & potus ipſe fons vitæ? Videt bonum honorificum, videlicet aliorum exiſtimationem de ipſius ingenio, litteratura, ſeu dexteritate conceptam, & dum amor incipit ad honorem ferri, accurrit, & cor in gloriam cœleſtem attollit, ajens: Quantò mihi honorificentior erit concepta de me in ampliſſima Dei curia, & univerſi mundi theatro exiſtimatio? Sed ad tres alias paſſiones contrarias accedamus.

B

Amoris radices ſecandæ.

C

CAPUT IV.

De paſſionibus odii, fugæ, ſive abominationis, & triſtitiæ, ac earum remediis.

D

Odium, quid?

I. QUemadmodum bonum ſtatim, ac inſpicitur, generat ſui amorem, ſic malum confeſtim, ac agnoſcitur, ſui odium parit. Eſt autem odium, motus quidam Concupiſcibilis diſſonantis malo, quaſi apertiùs diceremus: eum motum averſionis, qua appetitus afficitur, cum aliquid ſibi diſſonum, hoc eſt, contrarium, ſeu repugnans repræſentatur, eſſe odium; ſicut enim inter appetitum, & bonum conſenſio, ita inter appetitum, & malum diſſenſio eſt.

Fuga quid?

II. Hinc exiſtit fuga, ſive abominatio, qui eſt motus retractionis, quo appetitus à malo recedit: quaſi diceremus, eum receſſum, ſeu declinationem, qua appetitus ſe retrahit à malo, quod ſibi diſplicuit, eſſe fugam, ſive abominationem, quæ fugæ intenſio eſt; poſtquam enim per imaginationem malum repræſentatum eſt, non modò appetitus diſcrepat, ſeu diſſonat (quod eſt odium) ſed retrocedit, quæ eſt fuga.

E

Triſtitia, quid?

III. Succedit triſtitia, ſeu dolor, cum malum præſens eſt: dolor quidem ex malo corpori conjuncto, cum apprehenſione ſenſus: triſtitia verò de malo per interiorem apprehenſionem concepto, quæ propterea de rebus etiam præteritis, ac futuris, quæ interiùs concipiuntur, eſſe poteſt, cum dolor præſenti ſolum tempore vigeat, dum corpus opprimitur. Eſt ergo triſtitia, ſeu dolor motus quidam, quo appetitus à malo præſenti vexatur: quaſi diceremus; eum motum, quo appetitus opprimitur pondere mali præſentis, & incumbentis, eſſe triſtitiam, ſive dolorem.

F

IV. Paſſiones hæ contrarii ſunt motus illis, quos in Cap. proximo penſitavimus: odium quippe eſt averſio à malo, amor converſio ad bonum: fuga eſt receſſus à malo: deſiderium progreſſus ad bonum: triſtitia eſt oppreſſio à malo, delectatio eſt expanſio ad bonum. Sicut autem amor cum reliquis duabus paſſionibus fertur in bonum honeſtum, utile, delectabile: ſic odium cum reliquis duabus inde ortis paſſionibus declinat triplex malum, inhoneſtum, inutile, inſuave. Bonum verò, & malum intelligimus verum, vel apparens: quicquid enim appetitui placet, bonum, quicquid repugnat, in hoc genere malum eſt.

G

Triſtitia veræ virtutis capitalis inimica.

V. Verùm inter omnia hujus capitis aſſerta, quod modò ſubiicimus, attentiſſimè obſervandum eſt: triſtitiam ſcilicet è principibus paſſionibus unam (quæ ſicut delectatio amoris, ita odii motum complet) eſſe veræ virtutis capitalem inimicitiam: nam præter corporis nocumentum, quod inter paſſiones omnes maximum eſt (habet enim contractionis motum vitali motui à dilatato corde prodeunti contrarium) animo graviſſimè officit: quod ſubjecta ratione patet. Animus quippe præſentis mali pondere deprimitur, actiones debiliùs fiunt: torpor quidam frigidus totum hominem permeat, & artus penè diſſolvit: ex quo ad virtutis opera, quæ cum ardua ſint, extenſione animi ad aggredienda difficilia egent, ægrè movetur, aut omnino ſuccumbit, quod ex adiuncta ratione perſpicitur. Exploratum eſt, ſæviente quovis dolore corporis, totum hominem brevi confici: nec poſſe imaginationem ad opus aliud inde divertere: dolor enim, quaſi animi vinculum eſt. Jam verò ſi triſtitia propriè accipiatur à dolore diſcreta, pejus, quam dolor animum excruciat: anxietates nempè animi moleſtiores, quàm corporis ſunt: quod à contrario ſic evincitur.

H

VI.

Scrip. An. 1605.

Delectatio, quid?

VI. Concors Philoſophorum & Theologorum ſententia eſt, majores ſpiritus, quàm corporis delectationes eſſe: cum enim delectatio ſit motus ex conjunctione boni proveniens: quò bonum eſt majus, & conjunctio ſtrictior, & appetitus ad percipiendam voluptatem habilior, major erit delectatio: at animi bona majora quàm corporis A eſſe, utpote ſpiritualia, arctiùs conjungi, utpote ſine interiecto corpore, vivaciùs percipi, utpote intellectu boni eſſentiam penetrante certum eſt. Per rationes igitur eaſdem animi mala interiùs apprehenſa majora ſunt, quia ad animum ſpectant, coniunctio major eſt: malum enim interiùs conceptum proximè coniungitur, & repugnat appetitui; ſed exteriùs apprehenſum propinquè repugnat corpori: at ſi corpori tantùm noceret, appetitu non reſiſtente, levius fieret: quin & interdum delectaret: multi enim cum appetitus oblectamento, turpibus etiam de cauſis, inediam, & ictus, & verbera ferunt. Denique malum percipitur intenſiùs, quia ſenſus internus habilior eſt.

Mæſtitia excutienda.

VII. Hinc jam novi Fratres noſtri conicient, quam diligenter mœſtitiæ origines præcidere debeant; quantique ponderis ſit, B morbis hujus capitis prudenter occurrere. Norunt enim experti, paſſiones has, tertiam præſertim, inexpertos Chriſti cultores à cœpta ſalutis via frequenter avertere: ut non immeritò Apoſtolus inſtiterit monens; Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. *Phil.* 4. 4. Iterum quippe dici oportuit, quod immenſi ponderis erat; ſed remedia proferamus.

Exemplum.

VIII. Videt quis cellam incommodam, porta, feneſtravè non benè inſtructam, æſtate calidiorem, vel frigidiorem hyeme: confeſtim ſubit quædam appetitus averſio, (quod eſt odium) motuque C celerrimo, quantùm ad ſe attinet, appetitus refugit (quæ eſt fuga) & juſſus in cella morari, mœſtitiæ mole deiicitur, quæ eſt triſtitia. Tunc ergò qui ſui curam gerere decrevit, mox ac exoritur odii motus, ſibi ſic poterit imperare: Abſtine ab hac averſione: Odii remedia quæ? non enim res odio digna eſt, ſi rationi obaudire velim: multa nempè incommodiora Primum. pro virtute colenda, & animo à corporis retinaculis expediendo ferre decet: libertas quippè hominis his motibus læditur, dum odit, quæ verè mala non ſunt; & à ſtudio rationis elanguet. Hic modus (ut de amore dictum eſt) Ethnicis quoque congruere poteſt.

Secundum.

IX. Modus alius planè Chriſtianus eſt, proponere appetitui vera mala, quæ per- D horreſcat per eruditionem fidei, quæ à ſuperiore hominis parte præbetur in hunc modum: Abſtine ab odio: nihil enim hìc odio dignum ſubeſt, cum abſit peccatum, cui ſoli debetur deteſtatio: nam quod incommoditatem ſpectat, ſi culpa vacat, Deo certè placet.

Tertium.

X. Modus alius Monaſtica Diſciplina dignus eſt, qui à Chriſti petitur imitatione, ad hunc modum: Abſtine ab odio: quantò enim incommodior cella fuit Chriſto Crux, in qua libenter pro te pependit? Hæccine eſt imitatio Jeſu Chriſti Crucifixi? qui, cum vulpes haberent foveas, & volucres cœli nidos, non habuit, ubi caput ſempiterna requie dignum reclinaret? E Hujuſmodi adhortationibus ſolet pars ſuperior adeò prævalere, ut ejus imperio, ac efficaci motione appetitus enervetur; quin & interdum repentina converſione incipiat amare, quod oderat. Sed frequenter hi modi reprimendi non proderunt, quaſi appetitus rationes honeſti non capiat, vel à ratione, ob excandeſcentiam paſſionis erudiri nolit: & tunc erit ad rem, alia mala graviora ei repræſentare, quæ per minorum experimenta formidet, ad quæ vitanda, ſi non libenter, at patienter, præſens malum, quod cœperat deteſtari, non oderit. Poterit autem ſic moneri: Deſiſte ab odio: imò & ama, & incommoditatem amplectere: Numquid enim non tecum indulgenter agitur, qui tartari anguſtias commeruiſti? F An hac cella non debeat igneus inferni lectus permutari?

XI. Hæc, & alia præſentanea remedia exquirenda ſunt, antequàm triſtitia radices altas defigat: ſi enim non de re levi, qualem exempli gratia propoſuimus, ſed de gravioribus animæ cauſis mœſtitia increverit, qualis hominibus ſcrupuloſis, aut de anteactæ vitæ peccatis vehementiùs æquo mœrentibus accidere ſolet, efficaciora remedia requirunt. Hujuſmodi enim ægritudini, quæ ad interiora ſerpit, & vires ſimul animæ, & corporis extenuat, Remedia triſtitiæ, quæ? variiſque formis induitur, non tam conſilia ſcripta, & quaſi mortua, quàm vivæ vocis oracula Magiſtri, qui pro ratione mali medeatur, aſſignanda ſunt. Quapropter Fratres graviter affecti Magiſtrum crebriùs, G quàm alii conveniant: non enim à culpa immunes erunt, ſi mœrore dejecti, ſine præſenti, qua pro libito uti poſſunt, medicina tabeſcant. Habent ſanè plurimas ad mœſtitiam depellendam appoſitas rationes: quibus Regius Propheta lætabatur, ajens: Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis, *Pſal.* 39. 3. & ſtatuit ſupra petram pedes meos: quaſi luculentiùs diceret: Multæ mihi lætitiæ cauſæ ſuppetunt. Eram enim in ſordibus, & in luti volutabro jacebam; Clementiſſimus verò Deus non ſolùm inde gratis eduxit me: ſed ne iterum luto inquinarer, conſtituit me ſupra petram, quæ eſt Chriſtus, & ut per hanc viam ſublimem fæliciter graderer, inſtructione cæleſti direxit greſſus meos: H ut nihil jam mihi deſit, niſi ad fœlicitatem, in quam tendo, pervenire.

XII. Hæc profectò, Fratres noſtri, ſi attendere velint, adepti ſunt: nec, niſi ſponte obcæcari ſe ſinant, ullam in ſæculo æqualem cauſam lætitiæ inter divitias, hono-

Scripta An. 1605.

nores, ac voluptates invenire poſſent: præterquàm quòd illa remedia, quæ Scriptores ad triſtitiæ curationem excogitarunt, nullibi tam opportunè reperient, cum perſpectum ſit nullibi tam fideles amicos, tam miſericordes animos, tam ſpontanea corporis obſequia, & quicquid ad totum hominem tempeſtivo ſolatio recreandum ſpectat, à Deo provideri, quàm ubi Chriſti charitas non ſolùm animos, ſed corpora quoque connexuit.

Quæ paſſiones, & cur excitandæ?

XIII. Denique ad calcem hujus capitis annotandum eſt, tribus his paſſionibus, quas expendimus, non ſolùm occurri poſſe, allatis rationibus, quibus pars ſuperior illas comprimat, ut oſtenſum eſt: ſed poſſe, ac debere etiam veros Chriſti imitatores illas ſæpius excitare (quod in proximo capite patuit) ut quemadmodum amor, deſiderium, delectatio ad animi bona proſequenda ſuſcitantur, ita odium, fuga, triſtitia ad animi mala deteſtanda expergeſiant: quod ad hunc modum fieri poterit, parte ſuperiore inferiorem erudiente. Animadvertit pars ſuperior, appetitum à laboribus, deſpectu, vitæ auſteritate deterreri: & ſic urget illum: Si odiſſe vis, non hæc, quæ turpia non ſunt, ſed peccati deformitatem oderis; ſi fugere vis, quaſi à facie colubri fuge peccatum: Si triſtitia ſerpit, non ob pœnam, ſed ob culpam ingraveſcat, ut in ſalutarem pœnitentiam convertatur. Quod ſi peccati turpitudinem non ita horreat, cum eam non uſque adeò percipiat: oderit, fugiat, mœreat, ob judicii extremi, ac inferni pœnas, quas imaginatio faciliùs repræſentare poteſt; ſed ad Iraſcibilem tranſeamus.

CAPUT V.

De paſſionibus ſpei, & audaciæ, ac earum remediis.

Spes, ejuſque definitio.

I. PArs Iraſcibilis (ut ſuperiùs indicavimus) Concupiſcibilis aſſertrix eſt: cum enim multiplex arduitas, bona, quæ cupiuntur, ambiat: Iraſcibilis velut armata cum arduitate congreditur, eamque depellit: ac ita Concupiſcibilem in liberam fruitionem aſſerit. Inter quinque autem Iraſcibilis paſſiones, ſpes primum ſibi locum vendicat: quæ nihil aliud eſt, quàm motus in bonum arduum, quod creditur poſſe comparari; quaſi diceremus: eum motum, quo appetitus excitatur, ad acquirendum bonum paratu difficile, quod Concupiſcibilis amavit, & quod parari poſſe judicatum eſt, eſſe ſpem.

Audaciæ definitio.

II. Huic ſuccedit audacia, quæ eſt motus appetitus malum arduum imminens proſequentis; quaſi diceremus: eum motum, quo appetitus progreditur contra malum propinquum, eſſe audaciam. Ut ſicut deſiderium amoris, ita & audacia ſpei quædam progreſſio ſit. Cum autem dicimus, audaciam eſſe motum in malum, mali nomine ipſam arduitatem intelligimus, quam ſuperare conatur, & quæ circumſtat bonum, quod propriè reſpicit ſpes: licet mali ardui difficultatem, de qua vincenda ſpes ſubeſt, audacia quoque reſpiciat.

Ad ſperandum, & audendum, qui habiliores?

III. Erga duas paſſiones has obſervandum eſt, eos, qui amori dediti ſunt, eſſe ad ſperandum, & audendum habiliores; cum enim utraque paſſio ſit motus progreſſionis, & calor, qui amoris proprius eſt, ad progreſſionis motum dilatatione conferat: efficitur, ut amantes ſint ſpei, & audaciæ promptiores: ii præſertim, qui ad res divinas benè affecti ſunt: juſtitiæ quippè conſcientia, auxilio divino freta ſecuritatem quamdam parit: quæ ad ſpem, & audaciam apprimè conducit.

Quæ non ſperanda?

IV. Quod eò ſpectat, ut noverint Fratres noſtri, præclarè ſecum actum fuiſſe, cum ad eum ſtatum vocati ſint, qui ex amoris divini, ac rerum cœleſtium affectu, & conſcientiæ teſtimonio ſpem parit, & audaciam: ita ut paſſiones iſtæ magno cum emolumento ab eis poſſint exerceri. Sed verum à falſo dignoſcere opus eſt, cum paſſiones hæ incautis imponere valeant, dum malè collocantur: ſperari quippè non debent, quæ imitatoribus Chriſti digna non ſunt: nec audere decet, ad ea, quæ mala non ſunt, acriter propulſanda: quæ ſubjecto exemplo patebunt.

Exemplum.

V. VIdet quis ſe à Magiſtro, vel Superiore frequentiùs, quàm alios corripi, & coniicit ſe non uſque adeò amari: & amari amat: ſed res ardua videtur Superioris gratiam inire: oporteret quippè modos aliquos excogitare ad illius animum ſibi conciliandum, ac proindè ad increpationes vitandas opportunos: qui & tempus, & mentis diſcurſum, & aliqua etiam obſequia, non ſine labore, requirerent. Videtur tamen poſſibile: ac propterea tametſi ſtatæ orationis horæ, cæteraque Clauſtri exercitia, Deique præſentia detrimentum patiantur, decernit de re hac ardua ſeriò agere; erigitur ſpe, audaciaque progreditur; ſed paſſiones has ſic poterit coercere. Quid captas appetitus effrænis? quæ non ſunt vera bona, ſperare hominis mente indignum eſt: at ſic velle amari, ut non corripiaris, rationi diſſentaneum eſt, ac exinde verum bonum nequit eſſe: abſit ergo, ut tempus, & laborem impendam hominis gratiæ ineundæ: abſit, ut ad ea, quæ corpori moleſta ſunt, audacter depellenda progrediar, majorem fortaſſe corporis indulgentiam, ſed virtutis damna majora paraturus: ſed primus hic modus naturali virtuti conſonus eſt. Ex allato tamen liquet exemplo, ad amoris indulgentis bonum apparens: ſed verum malum paſſionem ſpei, è contrario verò audaciam adverſus circumſtantem arduitatem, quaſi contra malum falſa opinione prodire: ac propterea ſuperior pars ſic debet appetitum erudire.

Remedia.

Remedia ad ſpem, & audaciam compeſcendam.

VI. Si ſperare juvat, emendatio, quæ

Scrip. An. 1605.

Quid ſperandum, & audendum?

verum eſt bonum, per correptionem ſperanda eſt: ſi audere vis, adverſus ea, quæ obſtant emendationi, progredere: aude contra motus mœroris, congredere illis, & vultum hilarem exhibe, ut Superior correptionis fructum deprehendens te corripere pergat: ſcriptum eſt enim: Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem, hoc eſt, blanda ſimulatio peccatoris non impinguet caput meum, hoc eſt, afficiat delectatione mentem meam.

Pſal. 140,5.

A

VII. At ſecundum modum Chriſtiano viro conſentaneum adiiciamus, quo pars ſuperior ſic utatur: Deſiſte ab ſpe hac amoris hamani exquirendi: ſpera potiùs in Deo, & fac bonitatem: inhabita corde terram viventium, & paſceris in divitiis ejus. Quantò tibi honeſtior, utilior, ac delectabilior erit Clementiſſimi Dei animus erga te benevolus? qui profectò erit, ſi ſpreto favore hominum, des operam, ut ſpes, & portio tua ſit in terra viventium. Quapropter aude contra difficultates, quæ te à dulciſſimi Jeſu Chriſti amplexu remorantur, & fœlix eris.

B

VIII. Tertius verò modus imitatore Chriſti dignus erit: An Chriſtus in hominibus ſperavit, vel hominum gratiam inivit? Num à Principibus amari curavit? An declinavit correptiones? Quoties cum hominum corda demulcere poſſet, pœnaſque vitare, ſiluit, & opus ſalutis meæ peregit? Abſit ergo, ut à tanto diſcrepem exemplari. Spes ergo tota in Deo collocanda eſt, & ad bonum tantum audaciæ conatibus aſſurgendum. Nonnulla hîc de his duabus paſſionibus attexenda eſſent, niſi deſperationis, ac timoris tractatio eadem quoque requireret: aliæ quippè paſſiones, ſi benè temperentur, aliarum remedia ſunt: quamobrem unum in locum monita congeremus.

Spes in quo ponenda.

C

CAPUT VI.

De paſſionibus deſperationis, timoris, & iræ, ac earum remediis.

I. TRes nunc paſſiones à nobis explorandæ ſunt, quarum expenſione tractatum abſolvemus: hæ ſunt deſperatio, & timor, quæ ſpei, audaciæque opponuntur, & ira, quæ contraria paſſione caret: ſi enim malum arduum non incumbat, ſed vincatur, & ſuccedat boni poſſeſſio, jam nihil arduum ſupereſt, in quod Iraſcibilis pars inſurgat: ſed ſuccedit delectatio, quæ eſt paſſio Concupiſcibilis. Deſperatio ergo eſt motus appetitus à bono, quod acquiri non poſſe creditur: ac ſi diceremus; eum motum, quo appetitus opprimitur, ſeu deiicitur, cum quis exiſtimat ſe conſequi nequire bonum, quod amat, eſſe deſperationem.

Deſperatio, quid?

D

Timor, quid?

II. Hinc exoritur timor, qui eſt motus appetitus recedentis à malo futuro, cui reſiſti non poteſt: quaſi diceremus: eum motum, quo appetitus contrahitur, ac deprimitur, quando malum arduum imminet, antequam ſit præſens, eſſe timorem: non enim eſt ſimplex receſſus, ut fuga, ſive abominatio: ſed appetitus depreſſio, ob arduitatem mali propinquantis.

Ira, quid?

III. Quando verò malum arduum præſens habet rationem iniuriæ, exiſtit ira: eſt autem ira motus appetitus ad vindictam: quaſi diceremus; eum motum, quo appetitus læſus ad pœnam pro iniuria rependendam excandeſcit, eſſe iram; quæ reſpicit vindictam, ut quod ſibi bonum, & eum, à quo illata iniuria eſt, ut malum, unde mixtum habet objectum.

E

IV. Paſſiones hæ negotium faceſcere ſolent iis, qui inter Chriſti milites aſcripti ſunt; ut meritò remedia providere debeant, & de graviſſimis rebus ſeriò cogitare.

V. Deſperatio enim non ſolùm exiſtit, ob arduitatis obſtantis malum, verùm ob ſolum boni exceſſum, qui licet in idem arduitatis caput redire videatur, oſtendit tamen multiplices deſperationis motus in cordibus ignavorum militum modò difficultate, modò ſola rei ſublimitate repræſentata ſubortos: ex quo fit, ut gaudia non cogitent, ſine quorum propoſito vix mediocriter proficient.

F

Timor, ejus effectus.

VI. Timor verò adeo ſolet naturam ſegnitie gravare, ac totum hominem, vel ipſa formidine eximiarum virtutum, nedum laborum imminentium metu compedire, ut ſubeat ſtupor, hoc eſt, inſolita imaginatio mali: & ipſa operationum inſtrumenta naturalia hebetet, ac velut paralyſi diſſolvat: Unde ſuſpiciones, & conſultationes, propter figmenta malorum, quæ numquam evenirent. Denique ſtudio virtutum, quæ à generoſis cordibus parantur, nihil timore nocentius.

Ira efferati paſſio, ejuſque effectus.

G

VII. At ira efferatiſſima paſſio eſt: quæ cum ex ſolo deſpectu, vel iis, quæ ad deſpectum reducuntur, concitetur, tantò pejus lædit, quantò vitio pejori, hoc eſt, ſuperbiæ conſonantior eſt. Fervet enim, quoties ſe parvipendi credit: nam cum ex ignoratione, aut paſſione peccatur, non ita flammeſcit, cum ſe non contemni animadvertat: & eò magis exaſperat appetitum, quò ſe juſtius agere opinatur: appetit quippè malum ſub ratione boni, hoc eſt, vindictam ſub quadam ratione æquitatis, quam conſtituere conatur inter parvipenſionem, & vindictam, rationis opere quodam imperfecto paſſioni commixto: confert enim ratio vindictam cum injuria; ſed ſtatim deficit, opere non abſoluto: deberet enim ratio progredi, ut præciperet, non eſſe fas inferre vindictam: & ſic lux ipſius adeo motu paſsionis extinguitur, ut inter paſſiones omnes ob maximam commotionem, ira præſertim, judicium obturbet. Quapropter enitendum eſt, belluas has, Deo manum porrigente, domare; & quoad fieri poſſit, ad res divinas quoque traducere: quod ſubjecto præſtabimus exemplo.

H

Paſſiones domandæ.

Scrip. An. 1605.

Exemplum de paſſione deſperationis.

VIII. Videt quis ſe à Superiore frequenter admoneri de oculorum modeſtia comparanda: doctrina, & adhortatio placet: rem ſæpè conatus eſt: adhibuit preces, & corporis macerationem; res minimè ſuccedit: ſubit animi dejectio, appetitu ſic ſuggerente. Quid te fruſtra contorques? uſus es creberrimè iis remediis, quæ Patres ſancti præſcripſerunt: identidem relapſus es: nec modò adſunt vires novæ, aut fides, quæ rem pro voto eventuram perſuadeat. Deſiſte igitur a re hac impoſſibili, & inde perſpice, fieri non poſſe, ut qui rem hanc minimam præſtare nequis, ad Sanctorum virtutes altiores umquam pertingas.

IX. Dum ſic appetitus malè afficitur, ratio quantociùs accurrat, & ſecundo è tribus illis domandi modis utatur, ajens: Quare triſtis es anima mea, & quare deſperans conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc poſt tot meæ fragilitatis lapſus confitebor illi, hoc eſt, ſpe laudabo illum, qui eſt ſalutare vultus mei, id eſt, qui eſt ſalus, ſeu remedium, in quod fertur intuitus meus: ac demum (ut omnia uno verbo complectar) eſt Deus meus, cujus eſt eliſos erigere: & cum facile illi ſit ſubitò pauperem honeſtare, non ſine culpa deſperarem. Multa ſunt victæ fragilitatis exempla; multa ſunt affectionibus hujuſmodi proviſa remedia; rationes adſunt ad ſperandum efficaciſſimæ, quæ ex tractatu virtutum (ubi de ſpe Theologica dicemus) peti poterunt; ſed nunc ad timorem accedamus.

Remedia deſperationis.

Exemplum de Timore.

X. Videt quis rerum ordine obſervato, laborem aliquem graviorem ſibi à Superiore imponendum: puta ægrotantium curam, vel nocturnam ad horas matutinas vigiliam, & pulſationem, vel alia ejus generis uſitatiſſima. Mox appetitus timore correptus, quaſi vehementem quamdam procellam, vel imminentem fabricæ ruinam incipit metuere, ac reſilire: amat enim commoditatem, unde oritur laboris timor. Tunc ratio ſecundo è tribus illis domandi modis ſic agere debet: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, quam ſæculo abdicato ſuſcepi: à quo trepidabo? Profectò non modò labores hos Dei gratia ſubeundos nolo formidare: ſed etiamſi conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Quod ſi adhuc ſenſus renititur, tertius ille modus, qui conſtat imitatione Chriſti, hic (ſi uſpiam) tempeſtivus eſt: cum enim Chriſti pars inferior paſſionis acerbitatem uſque ad ſanguinis ſudorem formidaret, audaciæ paſſionem rationis actu deliberato excitavit, ut cum timore confligeret, ac prævaleret: ſic ſurrexit, ac diſcipulos monuit: Surgite eamus: ecce appropinquat, qui me tradet. Sic ergo Chriſti pugnator agat: Eja ſurgamus, & ſicut timore contracti refugiebamus inſtans penè malum, ſic per audaciam excitatam adventanti labori fortiter occurramus. An Chriſto dignus ſit, qui Chriſtum in agone non comitatur?

Remedia timoris.

Matth. 26. 46.

Exemplum de ira.

XI. Videt quis ſe à Fratre aliquo fortaſſe inferiore non adeo magni fieri: quod nutibus, aut verbis oſtendit: è veſtigio ira diſſultat, & eodem modo æqualem ſaltem vindictam referre cupit: conqueritur enim appetitus ajens: Non debuit me parvipendere: debuit aſſurgere: debuit caput aperire: debuit, quæ dicebam, non improbare: debuit mihi non contradicere: debuit me non corripere: debuit mihi roganti mitiùs reſpondere; multaque ſimilia, quæ propriæ excellentiæ amor obiicere ſolet. Pars verò ſuperior ſic aget: Miteſce appetitus ferox: non enim decet hominen rationis compotem quaſi belluam excandeſcere: & ebrietate quadam furoris hujus dementari: turpitudo enim paſſionis hujus in ipſo vultu ſe prodit, dum oculi micant, labia tremunt, ſermo concitatione ipſa interciditur, & totus homo à manſuetudine, quæ cum ſit animal ſociale, ipſi nativa eſt, alienatur. Sed modus hic naturalem rationem non excedit, quamvis efficax videatur.

Remedia iræ.

XII. Modus ſecundus Chriſtiano dignus erit: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt viventium terram. Ergone jure illius hæreditatis, quam fides oſtendit, expolier ob ferinam paſſionem hanc? Sed modus imitatoribus Jeſu Chriſti potiſſimum congruens erit: Tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit: quaſi ovis ad occiſionem ductus eſt: cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: & tradebat judicanti ſe injuſtè: & ego non miteſcam?

Matth. 5. 4.

Chriſti manſuetudo notata.

XIII. Rationes aliæ è tractatu virtutum, ubi de manſuetudine dicemus, peti poterunt: Hîc autem (quod in aliis paſſionibus annotavimus) animadvertendum eſt, paſſiones has poſſe utiliter exerceri, ſi ad res divinas transferantur: & quidem uſus deſperationis, licet minùs proprius, quàm aliarum paſſionum (non enim habet bonum ſpirituale, quod ob arduitatem deſperandum ſit) hic eſſe poterit juxta Regii Pſaltis conſilium: Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus; ac ſi diceret: Ne ſperetis, immo deſperate ſalutem ab hominibus qui ea carent: deſperanda quippè ſalus eſt, quam mundus impudenti mendacio pollicetur. Timor latiſſimum campum habet: ſi enim labor diſciplinæ Monaſticæ timetur, multò magis improviſa mors, inferni cruciatus, judicii ſeveritas timeri debent: immò nulla quantumuis terribilia mala præſentis vitæ timorem incutere de-

Pſal. 145. 2.

Scrip. An. 1605.

Luc. 12 5.

bere, ſic Chriſtus dixit: Nolite timere, eos qui occidunt corpus, ſed timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.

Quomodo ira exerceri poſſit?

Ira pariter multis modis exerceri poteſt: ſunt peccata, ſunt hoſtes animæ, & inter alios ferociſſimos ſunt ipſæ paſſiones rationem jugiter oppugnantes: A Adverſus hoſtes autem iram ſalubriter poſſe ſuſcitari Chriſtus ipſe demonſtravit, cum in Templi corruptores, dum eſſet mitis, excanduit: & in hunc modum ſingularum paſſionum examen abſolvimus.

CAPUT VII.

De nonnullis annotationibus in tractatum paſſionum.

I. EX iis, quæ tradidimus, Fratres noſtri non obſcurè cognoſcent, quali animorum diſcrimine, qui paſſiones proprias & pernoſcere, & ſubiugare conantur, ab iis, qui utrumque negligunt, ſeparentur: illi enim more cuſtodum lectuli Salomonis inter ſexaginta fortiſsimos recenſentur: quorum prudentia militaris eſt, ut uniuſcujuſque B enſis ſit ſuper fæmur ſuum propter timores nocturnos.

Fæmur, quid notet?

Illud enim inprimis curant, ut fæmur, hoc eſt, ſenſum, ſeu partem inferiorem (per Synecdochen) fæmore notatam, mortificationis enſe ſuccidant; ne timores nocturni, hoc eſt, nox culpæ ſubintret: neglectores verò thalamum Salomonis, animam ſcilicet ita deſpiciunt, ut quod in atrio Dei olim Machabæi fleverunt, culparum ſentibus, & virgultis nulla falce ſectis, inculta ſylveſcat. Quamobrem navanda opera eſt, ut propriarum paſſionum ortum, aſcenſum, & occaſum quiſque conſideret: nam præter ea, quæ ſcripta ſunt, multa ad profectum utilia deprehendet: modò quippe hanc, modò illam paſſionem, velut à diverſis parentibus natam, miros effectus producere animadvertet: C quod è ſubjecto patebit exemplo. Nihil ſanè minùs iræ conſonum videtur, quàm delectatio, & tamen iræ ipſi frequenter adnaſcitur, cum quis ſe furens ulciſcitur: ſed directiùs triſtitia cum delectatione, quàm ira pugnat: & tamen triſtitia in ipſomet motu mœroris ex rei abſentia concepti cauſa delectationis eſt, dum amatæ rei memoriam parit. Planiora ſunt alia, ut ſcilicet ex amore boni odium mali adverſantis exiſtat, & ex concupiſcentia boni dilati dolor ob dilationem excreſcat: illud etiam duarum paſſionum confligentium duellum ſatis vulgatum eſt, cum erga rem unam, puta ſilentium, vel jejunium appetitus & audet, quia D victoriam ſperat, & timet, quia difficultate terretur: quæ conferent eò, ut & variæ paſſionum conjugationes agnoſcantur, & remedia varia ſuccedant.

II. Illud autem ſtudioſiſſimè Frater quiſque dignoſcere curet: à qua videlicet paſſione moleſtiùs infeſtetur: quoſdam enim amor, alios odium, timor alios, alios ira ſæviùs vexat: & ſicut animæ viribus ad actum unum intentis, in aliis anima remiſſiùs agit; ita dum per paſſionis unius motiones pars inferior furorem exhalat, paſſionibus cæteris languidiùs moveri ſolet.

Paſſione cognita, quid agendum?

Poſtquàm verò capitalem ſuum hoſtem agnoverit, ad ineundam cum eo pugnam exurgat: E & ejus nece reliquas impugnationes extinguet. E remediis verò, ſive domandi modis, quos in ſingulis ferè capitibus ternos protulimus, vel ex aliis, quos de Magiſtri conſilio non erit difficile invenire, illum ſeliget, quo ſe fortiùs moveri perſpexerit. (Ad certamen cum paſsione moleſtiore ineundum, doctrinam in cap. 10. ſecundæ partis, ubi agitur de virtute una ſeligenda, præſcribitur.) Universè autem obſervandum eſt, ex actibus externis (nam nos internorum præſertim actuum modos, qui ſunt externorum origines, tradidimus) pro cujuſque paſſionis remedio contrariæ paſſionis actum externum exerceri poſſe, ſi paſsio, & rerum circumſtantiæ id ferant: non enim ad omnes paſsiones actus externos F ejuſmodi neceſſarios opinamur; quippè deſperatio, & ſpes internis actibus reformantur: ſed mens noſtra eſt, cum id fert opportunitas, expedire actus externos obire, qui contrarium affectum generent, vel paſsionem extinguant: non enim propriè agimus de contrario: ira quippè contrariam paſsionem non habet, ſed extingui poteſt.

III. Exempla documenti hujus plura, & ſatis uſitata ſunt: nam qui puerili timore, verbi gratia mortuorum, afficitur, ſi cadavera aliquoties audacter contrectet (quod in Xenodochiis paſſim accidit) timorem expellit. Si quis iracundus opprobriis frequenter exagitetur, in dies ſingulos minùs iraſcitur: nam ut vulgò dictitatur (ab aſſuetis non fit paſsio) ac denique miteſcit.

Acedia triſtitiæ ſpecies.

Si quis acedia, quæ triſtitiæ ſpecies eſt, G laboret, violenter aqua conſperſus, vel alio acriore modo à ſomno excitatus, torporem illum brevi excutit. Si quis veſtis novæ, ac mundæ concupiſcentia teneatur, indutus veſte lacera, & ſordida, intra dies paucos affectum illum deponit. Hæc ergo externa remedia, & alia multa, quæ in tractatu virtutum, quibus paſsiones domantur, expreſsimus, qui vincere cupit, non tantùm injuncta libenter ferre, ſed à Magiſtro exquirere debet. Jam verò ſi modis illis internis, quos præſcripſimus, & his externis remediis, ſtudium orationis addatur, res pro voto ſuccedet: ſtudium quippe hoc ad paſsiones domandas efficaciſsimum eſſe hac fortiſsima ratione concluditur. Conatus ipſe cor ad divina erigendi, H naturali quadam conſecutione, inferiorem hominis partem enervat, & à ſuis irritamentis avertit, quod ſic patet; paſsiones quippe, niſi præcurrente ſenſuum notitia non excitantur: qui ergo ſenſus internos

Paſſiones quomodo excitentur?

Scrip. An. 1605.

rerum divinarum imaginibus gerit intentos, radices paſsionum cognitionis illius, quaſi gladio amputabit. Remedium eſt è Regula noſtra natum, quæ Fratres noſtros orationi jubet eſſe deditiſsimos, inter omnia vero remedia conſtans divini auxilii imploratio potiſsima eſt.

A

Paſſiones vitiorum, & virtutum fontes.

IV. Illud præterea oculatè notandum; paſsiones undecim ſi licenter agere ſinantur, totidem eſſe vitiorum fontes: ſi verò ad rationis cœleſti auxilio roboratæ præſcripta imperioſè regantur, prope totidem eſſe virtutum ſeminaria; cum ex paſsionum motibus, ſi ratio ſuccumbat, vitiorum habitus producantur, & ex eiſdem ratione temperatis virtutum habitus generentur. Iræ quippè vitium, ex paſsione iræ indomita, manſuetudinis verò virtus ex ea domita comparatur: ex quo liquet, quam ob cauſam multæ virtutes, & vitia eiſdem nominibus paſsionum appellentur: ſortiuntur enim nomina paſsionum, quarum actibus, aut victoria procreantur.

B

V. Ex his effici videtur, ut de vitiis, ac virtutibus proximè agendum ſit: quod (juvante Deo) poſt nonnullas tentationum notationes præſtabimus. Sed cum de vitiis tractatu proximo ſeorſim ſcribi poſſet ob majorem cum paſsionibus affinitatem; utilius viſum eſt de virtutibus agere, ac eo, quod ad vitia præſertim capitalia ſpectat, intexere: Compendioſior quippè, & ad praxim commodior doctrina eſt, quæ ſimul rationem virtutis parandæ, ac vitii extirpandi demonſtrat.

CAPUT VIII.

De tentationibus.

C

I. INter emolumenta maxima, quæ paſſionum cognitio, & debellatio parit, tentationum notitia, & victoria meritò ponendæ ſunt. Ut enim ex modis paſsiones primùm excitatas domandi patet, potiſsimus, & inter omnes efficaciſsimus tentamenta pellendi modus, qui à Patribus traditur, eſt ipſemet, quem multis in locis ſuperiorum capitum præſcripſimus. Si enim mox, ut paſsio aliqua quavis de cauſa excitatur, Fratres noſtri modum coercendi ſuperiùs deſcriptum teneant, nulla eis tentamenta nocere poterunt, ſed meritum inſigniter augebunt: primo quippè inſultu repulſa, occaſionem paſsionis ſubjugandæ, virtutis parandæ, contrariique vitii extirpandi ſtrenuis pugnatoribus offerunt.

D

Tres vires in homine.

Prima vis, quæ?

II. Verùm, quò ſedes tentationum, & inſinuationes noverint, diviſionem virium animæ à Theologis tradi ſolitam ſic accipiant. Tres in homine vires cognitioni ſerviunt, triplexque ad proportionem eis reſpondet appetitus. Prima vis appellatur ſenſitiva, quæ ſenſus omnes tum externos, tum internos, ſenſum videlicet communem, phantaſiam, ſive imaginationem, cogitativam, ſive æſtimativam, memoriam, ſive reminiſcentiam amplectitur; & cognitionem his ſenſibus hauſtam ſequitur appetitus ſenſitivus ex parte Concupiſcibili, Iraſcibilique compoſitus, quem unà cum motibus, ſeu paſsionibus undecim ſatis apertè deſcripſimus. Vis hæc appellatur inferior hominis pars ſive anima: unde qui neglecto rationis ſuperioris lumine huic indulgent, animales ab Apoſtolo nuncupantur. Vis hæc præterea à Theologis myſticis infimum cœlum nominatur.

E

Secunda vis quæ?

III. Secunda hominis vis dicitur rationalis, quæ una cum tertia ſtatim adiicienda ſuperiorem hominis partem componit, & eſt ipſe intellectus, prout notitiam ex notitia deducit: ita ut ſi ratiocinetur humano more erga temporalia, portio rationis inferior, ſi erga æterna, vel temporalia per legem æternam, portio rationis ſuperior nuncupetur. Huic reſpondet rationalis appetitus, ſeu liberum arbitrium, quæ eſt ipſa voluntas, qua ratione ab inferiore, vel ſuperiore rationis portione movetur. Vis hæc præterea medium cœlum appellatur, ex cujus parte ſuperiore, ac vi tertia mox deſcribenda ſpiritus hominis conflatur.

F

Tertia, & ſuprema vis, quæ?

IV. Tertia, & ſuprema vis (in qua eſt ſyndereſis, naturalis videlicet habitus practicus, cujus actus eſt conſcientia) eſt ipſe intellectus, quatenus à Deo lumen proximè recipit, prima principia conceptis dumtaxat terminis, naturali, vel occulta divinæ ſapientiæ vi ſupernaturali cognoſcat, & vocatur intelligentia, quamvis ab aliis non ipſe intellectus ſic acceptus, ſed ejus actus intelligentia dicatur. Huic reſpondet voluntas, prout quamdam naturalem propenſionem ad bonum ſimplici conceptu intellectus ſibi repræſentatum à Deo proximè recipit. Vis hæc ex intellectu, voluntateque compoſita ſpiritus, ſeu tertium cœlum appellatur.

G

Spiritus quomodo ſenſus externos & appetitum regat?

V. Spiritus ergo, qui ſuperiorem rationem, & intelligentiam, reſpondenteſque (ſervata proportione) voluntatis gradus amplectitur, in rationem inferiorem dirigendam, ſenſuſque tum externos, tum internos moderandos, & appetitum regendum incumbit: inſigni tamen diſcrimine, cum externis ſenſibus, & (excepto pudendo) membris omnibus, dominio quodam deſpotico, hoc eſt, quaſi Dominus ſervis, appetitui verò politicè, hoc eſt, tanquam civibus imperet: membra quippè, ac ſenſus externi nequeunt reniti: appetitus autem pertinaciter quoque reluctatur.

H

VI. Modus tamen illum reprimendi oportuniſſimus eſt (quem in cap. 3. de remediis amoris oſtendimus) ut vis uni, præſertim amori, velut omnium paſſionum capiti inferatur, bono meliore appetitui propoſito, ut eo trahatur: ut ſic conſpecta pulchritudine carnea, Concupiſcibilis amore flagret, Chriſti formam elegantiſſimam imaginativa ex rationis imperio componat, & appetitum paſtu non ablato, ſed mutato permulceat.

VII.

Scrip. An. 1605.

Dæmon quibus magis infeſtus?

VII. Eſt autem impendiò animadvertendum, noſtræ ſalutis hoſtem veros Jeſu Chriſti famulos invidentiùs infeſtare, quàm Chriſtianos reliquos ei parum infeſtos, ac propterea oportere illius inſultus, ac nocendi artes habere perſpectas: Inſerit quippe ſe in ſenſus internos, & præter eam feritatem, quam paſſiones nativam habent, ipſe appetitum vehementer irritat: quamobrem opus eſt, tentationes recenter excitatas, ne malum ingraveſcat, vigilanter, fortiter, celeriterque diſcutere. Sive ergo (exempli gratia) re turpi ſenſibus externis percepta, & ad imaginativam uſque perlata, ſive ſine exteriorum ſenſuum uſu ſola imaginatione compoſita, ſive à dæmone quoque formata (quæ tria paſſim accidunt) quis tentetur in rationis præſertim ſuperioris officium, debet accuratiſſimè reflecti, & ex eo quaſi regis ſubſellio vires omnes moderari.

Varia peccandi ratio tentationis occurſu.

VIII. Tunc ergo tentationis impetu inferiorem hominis partem commovente, ſi ratio quovis modo negligat exortas in appetitu ſenſitivo paſſiones in turpia ferri, ſi ad plenam deliberationem non pertingat, culpam dumtaxat venialem admittit. Si verò ratio inferior, hoc eſt, quæ humano modo de rebus judicat, à ſuperiore, quæ divino modo juxta Dei legem de rebus cenſet, non correcta; vel (quod eſt planiùs) ipſa ratio ſuperior ſaltem tacitè aſſentiatur (dum eſt ſufficiens deliberatio) culpam mortalem committit, niſi res fortaſſe levis ſit: nam in rem levem, ſuperioris quoque rationis conſenſus, culpa venialis eſt: ſed principaliter aſſerti exemplum afferamus.

Ratio ſuperior, & inferior, quomodo de rebus judicent?

Exemplum.

IX. Tentatur quis impudicè, poſtquam rem pulchram imaginari cœpit: extemplò concupiſcentia fervet: tunc ratio inferior, hoc eſt, intellectus humano more diſcurrens, velociſſimè concipit, excretionem verbi gratia ſeminis ad gravatam naturam exonerandam, & corporis valetudinem prodeſſe; voluntatique conceptus ille ſanitatis proponitur, tamquam bonum quoddam utile, ac delectabile: Tunc ergo ſi ratio ſuperior, hoc eſt, ipſe intellectus, quatenus ad Dei legem æternam ordinatus eſt, permittente ſibi voluntate negligit conſiderare, rem illam eſſe legi Dei adverſam, vel quamvis eſſe notet, ita tamen permittente voluntate tepidè notat, ut ſinat placere ipſi voluntati, tacitus conſenſus mortalis eſt: quem tacitum conſenſum (qui verè deliberatus eſt) delectationem moroſam Doctores appellant, non à temporis, ſed à rationis tacitè aſſentientis mora, quæ in temporis momento accidere poteſt. Si verò & ipſa ratio ſuperior expreſsè conſentiat (quod accidit, cum rem turpem intellectus deliberatè cogitat, & voluntas illi hæret) manifeſtum eſt culpam gravem admitti: niſi res levis ſit, ut nuper aſſeruimus. Conſenſus quippe ſuperioris rationis, quantumvis expreſſus in rem levem, ſolam venialem culpam involvit. Quin etiam in re graviſſima ſi ratio ſuperior non perfectè deliberet, culpa ſolùm venialis ineſt, ut in ſubitis motibus infidelitatis (quæ propriè ad ſuperiorem rationem attinet) ſolet accidere.

Moroſa delectatio, quæ?

Culpæ omnes unde exoriantur?

X. Ex his patet, univerſè verum eſſe, ex uno expreſſo, vel tacito rationis, voluntatiſque conſenſu culpas omnes, præſertim graves exoriri: adeo ut ſi per incogitantiam, vel evagationem, vel quamvis aliam ejus generis cauſam, non ſolùm appetitus ſenſitivus, verùm & intellectus ipſe vanis illicitis, vel turpibus per horam integram, & diutiùs inopinus adhæreat (quod in Officio Divino, & aliis functionibus ſeriis, & ſacris ſolet evenire) culpa mortalis non admittatur. Poſitis ergo duobus, diſtractione, vel turpi, aut inutili cogitatione, etiam importuniſſima, & quantumvis diuturna, & voluntate ſeria, illam ſtatim, ac animus advertit, depellendi, mentemque colligendi, numquam mortalis culpa ſubintrat.

Scrupuli abiiciendi?

XI. Quapropter cum Fratres noſtri (Dei munere) ita ſint affecti, ut prava opera nolint, res illicitas cogitare, nedum committere, ſcrupulos quaſi tentationis vaniſſimæ, ac nocentiſſimæ genus obrepere non ſinant. Navent autem operam, ut tentationem à conſenſu dignoſcant, & fortiſſimè ad primos inſultus repugnare conſueſcant: quamdiu autem notitia tentationum, & pugnandi voluntas viguerint, ne credant ſe inſcios in gravia peccata (quæ Dei bonitas eſt) prolapſuros. Si graviora tentamenta ingruant, certò ſperent Dei eſſe, vires non ſolùm pares, ſed ex liberalitate majores ſuggerere, & facere cum tentatione proventum. Expediant ſeipſos, & ament probari; ut cum probati fuerint, accipiant coronam vitæ. Fœlix exitus tentationum eſt, quem Dei Filius tentatus per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato notavit, dulciſſimè ſua caſtra ſolatus per hæc verba: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam.* Quid autem tam lautè in menſa illa epulaturis deſit, ut non fortiter congrediantur. Tranſeant ergo Fratres noſtri per ignem, & aquam, ut in ſuaviſſimum educantur refrigerium.

Luc. 22. 28.

PARS SECUNDA.

De Virtutibus.

CAPUT I.

De virtutibus in commune.

I. DE virtutum bonis acturi, nullo ad earum laudem aptiore principio, quàm vulgata definitione uti poſſumus, quæ

Scrip. An. 1605.

quæ ſic habet: Virtus eſt habitus, quo rectè vivitur, quo nullus malè utitur. S. Thom. 1. 2. q. 55. art. 4. Oportet quippè rem pulcherrimam, & laude, ac amore digniſſimam eſſe, quæ vitæ humanæ ſupremum bonum, id eſt, rectitudinem præſtat: & adeo invictè tuetur, ut nullus poſſit abuti. Præſagivit hoc ille, qui dixit, eam eſſe virtutem, quæ ſi ab hominibus perſpici poſſet, mirabilem ſui excitaret amorem: ſed cum Chriſtum ignoraret, ſine quo vera virtus exiſtere nequit, facilè illo effato demonſtravit, quid de virtute vera fuiſſet aſſerturus.

Virtus, ejus decor, & ſplendor notatus.

II. Tantus quippe decor, tam cœleſtis ſplendor Chriſtianæ virtutis eſt, ut ſi cum ejus forma totius antiquitatis virtus miris encomiis à Philoſophis celebrata, fidei tamen ignara comparetur, ſupra naturæ metam, quam illi vix attigerunt, celſitudine quadam penè incredibili caput extollat. Habet enim, ſingulari Chriſti beneficio, quidquid honeſtum, utile, ac delectabile mundus eorum bonorum cupidiſſimus excogitare non potuit. Quæ enim honoſtas æquè ſublimis ei, quam virtus parit, quæ homines ejus cultores honore ſempiterno dignos efficit? quæ totius mundi gloriam, quaſi ſordidam luti concretionem proculcat? quæ animum adeo generoſum procreat, ut nihil ei niſi Deus ſatis eſſe poſſit? Quæ verò utilitas adeo compendioſa, quàm quæ bonorum æternorum lucro conſtat? quæ opulentiam ſine ullo decremento permanſuram exquirit? Quæ autem delectatio cum ſynceriſſimis veræ virtutis gaudiis, è vivo Jeſu Chriſti fonte profluentibus, uti ſpes fœlicitatis coaleſcit, queat ullo pacto componi?

III. Hæc omnia profectò cumulatiùs, quàm ſcribi, aut dici poſſit, virtus Chriſtiana producit, quaſi fructus ſtirpi congeneres, non homini tantùm, qui virtutem colit, ſed ipſi quoque Deo ſuaviſſimos. Pulchritudo quippe virtutis tam exacta eſt, ut ſubtiliſſimam illam mentem alliciat, quam certè amore captam Scriptura Sacra non obſcurè demonſtrat: ut enim cætera ſileamus, totum ferè Salomonis Canticum per multiplices imagines, quas homines corporeis aſſueti ſimulachris intelligerent, quædam diverſarum virtutum abſolutam unam formam componentium expreſſio eſt. Jam verò, quàm amanter Clementiſſimus Deus illius imaginibus ſe oblectari profitetur? Profectò ad virtutum decorem commendandum nihil majus invenire poteſt.

Virtus, ejus pulchritudo notata.

IV. Quapropter æquum erit, Fratres quoque noſtros ea, qua Deus ſe capi fatetur, pulchritudine mulceri: & illam omnium bonorum affluentiam, quæ virtutis ipſius fructus eſt, impenſiùs affectare. Rectè ad rem hanc illud Baruch licet uſurpare: *Diſce Iſrael, ubi ſit prudentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus: ut ſcias ſimul, ubi ſit longiturnitas vitæ, & virtus, ubi lumen oculorum, & pax.* Et infra: *O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus.* Magna certè domus, & locupletiſſima poſſeſſio eſt, ad quam noſtri Fratres adoptati extremæ dementiæ arguendi eſſent, ſi pro ea bonorum immenſitate ad virtutes perquirendas non fortiter decertarent: quæ enim fœlicitatis pars hoc in exilio illis accidere poteſt, qui ad æterna bona intentiſſimè non aſpirant?

Cap. 3. 14. 24.

De virtute theoremata.

V. Sed iis, qui ad opus tantum accinguntur, nonnulla communia de virtutibus aſſerta tradenda ſunt. Et primùm neminem latere decet eaſdem eſſe Incipientium, Proficientium, Perfectorumque virtutes, ſi ſpecies illarum contemplemur, licet in tribus iis Eccleſiæ militantis agminibus, in earundem virtutum progreſſionibus ſint multa diſcrimina. Incipientes quippè (quales conamur inſtruere) ſi maximo illi divinæ legis præcepto (Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo) minimè pareant, à primo agmine protinus expelluntur: ſi pareant, eam ſane virtutem, id eſt, charitatem, in qua ſecundi agminis profectus, & tertii perfectio conſiſtit, exercent: quod & de cæteris virtutibus charitatem divinam comitantibus ejuſdem rationis efficacitate aſſerendum eſt.

Incipientes, Proficientes, & Perfecti, quomodo virtutem colant?

VI. Verùm intra charitatem ipſam, quæ longiſſimè procurrit, ac proinde intra reliquarum ſpatia virtutum, Proficientes longè, Perfectos longiùs ab incipientibus diſtare omnino compertum eſt. Hinc efficitur, ut longè diverſos virtutis colendæ modos inire debeant: Incipientes enim virtuti navant operam, ut vitia, & paſſiones elidant: Proficientes, ut virtutum ſplendoribus illuminentur: Perfecti, ut Deo jugiter adhæreant.

VII. Ex hoc Fratres noſtri perſpicere poſſunt, quò ſuos conatus intendere debeant: habent enim hoſtes infeſtiſſimos, ad quorum acres conflictus virtitubus armandi ſunt. Etſi enim Clementiſſimus Deus novos cultores ſuos indulgenter habere, virtutis arduitatem lenire, ac infeſtationes inimicorum prohibere ſoleat, ne ab hoſtibus territi reſiliant: verùm eſt tamen hoſtes adeſſe, ſed reprimi quoad ratione cognoſcent. Ante dies paucos tentationes ingruebant: indomitæ paſſiones æſtuabant: nunc verò virtutum opera expeditè, ac ſuaviter obeunt: nec tamen egregia opera præſtiterunt: aut cum ſenſibus propriis fortiter congreſſi ſunt: ſed inſtillatam devotionem repentè ſenſerunt; quæ omnem difficultatem condivit. Animadvertant ergo, qui adhuc imbelles ſunt, externos hoſtes coerceri, internos verò non eſſe mortuos, ſed ſopitos: ac ita ſublata devotione, quæ ſomnum induxit, ferociter pugnaturos: proptereaque non ſegniùs de virtutibus parandis agant, quàm ſi acriùs oppugnarentur.

Virtutum diſcrimen.

VIII. Sed cum virtutes plurimæ ſint, nec omnium tractatio ſit ad rem noſtram neceſſaria, illas dumtaxat ſeligemus, quæ ſtatum

Scrip. An. 1605.

tum noſtrum præſertim deceant, & ad Inſtituti noſtri finem, expenſa temporum, ac locorum ratione, conducant.

IX. Quamvis enim virtus quælibet, genere ſuo excelſa, & cuique honeſta, utilis, ac delectabilis ſit, & ad eventum omnem conferre poſſit: hominum tamen captus, A tot capitum numeris, impar, ad virtutes acquirendas, multitudine non juvatur, ſed obruitur. Hoc ſanè virtus quæque apud idoneos rei tantæ ponderatores efficere debet, ut ſui excitet deſiderium; Dei quippe ſemen eſt; quo nihil amabilius. Sed quo ad numerum, modumque virtutum, quibus potiſſimum quiſque pro captu ſuo ſtudere debet, certa ratio ineunda eſt, de qua in tractatus calce dicemus.

X. At verò, ut virtutum doctrinam, quæ ſapientiæ noſtræ pars maxima eſt, perſpicuè tradere poſſimus: primùm de Theologicis, mox de moralibus accomodatè ad Clauſtri diſciplinam, & ad peculiarem Inſtituti noſtri rationem agemus. Tria verò præcipuè in cujuſque virtutis expoſitione præſtare conabimur; Virtutis ſcilicet deſcriptionem B cum adhortatione ad ipſam colendam: contrarii vitii, vel paſſionis expugnationem: actuum, quibus acquiritur, vel augetur, præſcriptionem. Sed ſub auctoris virtutum Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ tutela, earum virtutum, quas delegimus, doctrinam aggrediamur.

CAPUT II.

De Fide.

Paullina fidei definitio.
Hebr. 11. 1.

I. FIdem primo loco ponendam, ex ipſa patet definitione, quam tradit Apoſtolus ajens: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, *argumentum non apparentium*: quaſi diceret, fidem eſſe baſim ædificii illius, C quod extruitur in cœlis, & cujus poſſeſſio ſperatur ex terris; hanc enim vim habent illa verba: ſperandarum ſubſtantia rerum: & quia, quæ non videntur non adeò animos urgere, nedum convincere ſolent, ſubdit eſſe argumentum, hoc eſt, perſuaſionem non apparentium: quo ſubnotat divinam auctoritatem: quæ firmiùs non viſa perſuadet, quàm quæ naturali lumine apertè cernuntur.

II. Statui autem Obedientiæ, quàm ſit neceſſaria, non illa tantùm fidei menſura, quam cæteri Chriſtiani adepti ſunt, ſed major alia, multoque procerior, ex illo ſanctorum Patrum aſſerto perſpicitur: Obedientia eſt opus fidei. Obſcuritas enim fidei cœcitati ultrò ſuſceptæ, quæ Obedientiæ ſtatum perficit, dum non ratione, ſed auctoritate divina duci optat, mirificè conſentit: D ut nefas ſit, virtutes duas ingenio uno à Deo conjunctas ſeparare; proptereaque Apoſtolus in eodem capite, ubi fidei definitionem tradit; opus illud heroicum Abrahæ filium immolare parantis, fidei tribuit; cum ſit eximiæ actus Obedientiæ: idem quippe pollere putavit Apoſtolus, ac ſi opus illud Obedientiæ tribuiſſet. Cum ergo Fratres noſtri ad Obedientiæ ſtatum aſpirant, ipſo vinculo, quo necti cupiunt, aſtringuntur ad virtutem hanc diligendam, & ejus peritiam comparandam; quod rei nobilitate allecti præſtabunt. E

Obedientia fidei opus dicta.

Fidei, Spei, & Charitatis objectum, quale?

III. Conſtat enim, Fidem Theologica nobilitate præditam eſſe: hoc eſt, ultra omnem reliquarum virtutum non Theologicarum celſitudinem, una cum Spe, & Charitate Deum (ut Scholaſtici loquuntur) pro objecto habere: & ſicut Spei, & Charitatis eſt, voluntatem ad naturam divinam afficere, ita Fidei eſſe, intellectum divinis aſſertionibus erudire. Quanta verò ſit ejus eruditionis altitudo, vel ex eo patet, quòd non ſolùm univerſæ Philoſophorum ſcholæ inani ſapientiæ nomine celebratæ, ſed ne ipſæ quidem Angelicæ mentes naturali tantum perſpicacitate ſpectatæ, unam ſaltem veritatem revelatam conſequi valeant. Et tamen viri clariſſimi per tot ætates naturalem ſciendi ſitim explere cupientes, eas rerum cognitiones multis nebulis F obductas, quas natura lapſa parare potuit, adeo magni fecerunt, ut alii abjectis divitiis, alii peregrinationibus ad illuſtria gymnaſia ſuſceptis, alii ſibi quoque oculos eruentes, laboribus immenſis modicam Philoſophiæ notitiam comparare honeſtum exiſtimaverint. Quid ergo pro illuſtriſſima Fidei cognitione comparanda, vel augenda fieri debeat, hoc potiſſimum tempore, quo Fratres noſtri ad eam propagandam divinitus electi videntur? Aut quo ſupplicio dignus non ſit, qui myſteria fidei pernoſcere, ac ſapientiæ tantæ lucra nova in dies ſingulos conquirere negligit? Certè hàc patet acceſſus ad Deum, qui utilitatem ſalutis immenſam parit, quippè res pretioſiſſima eſt index ejus viæ, G quæ recta in theſauros tendit æternos: fides autem index eſt; quo qui ducuntur, à regione illa vivorum, quæ auri feraciſſima eſt, minimè aberrant.

Fidei eruditio

Voluptas.

IV. Quam verò voluptatem affert? Profectò qui compendio tantam ſitim ſciendi ultra omnem humanæ ſapientiæ metam fide ſedari cogitaverit, ſummopere delectabitur: & rectiùs quàm Hebræi poterit gloriari per verba hæc: Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis. Res quippe mira eſt, & ad emollienda corda efficaciſſima: ruſticis quoque mulierculis, quæ vix animi ſenſa indicare norunt, incerta, & occulta divinæ ſapientiæ per fidem patuiſſe. Sanè bonus ille fidei æſtimator Auguſtinus, cum ei Catholica fides illuxit, & prioris cæcitatis tenebras diſcuſſit, H non ſatiabatur (ut ipſe ait) dulcedine mirabili conſiderans altitudinem Divini conſilii ſuper ſalutem generis humani.

Pſ. 147. 20.

S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. c. 6.

Certitudo notata.

V. Et quidem ineffabilis letitiæ origo eſt, illa virtutis hujus certitudo, quæ ſine ullius erroris ſuſpicione, quis ſit ille noſtræ fœlicitatis auctor, quàm excelſus, quàm potens,

Scrip. An. 1605.

tens, quàm nobis propitius, quàm ſuavis oſtendit. Ediſcant alii hujus ſæculi prudentiam, & inutilem rerum variarum eruditionem acquirant, ut albo ſapientum inſcribantur, & uſque ad miraculum celebrentur: nos autem inter mites Chriſti diſcipulos Præceptori magno colla ſubdamus, & ad lucernam, quæ lucet in caliginoſo loco, æternitatis, itinera ſectemur. Hæc eſt ſapientia illa, quæ domuit orbem, & ingenia ſubtiliſſima ſuſpendit, ac Jeſu Chriſto crucifixo præclariſſimos ex omni natione viros addixit. Hujus vel ſola confeſſione (nam cætera neſcire compertum erat) ſimplex ille, at fide rectus vir philoſophum diſertiſſimum, qui in Concilio Nicæno fidei detrahebat, ſtupente illo graviſſimo Senatu, ſubiugavit; ubi, quod multæ argumentorum ſubtilitates efficere nequiverant, ſolius fidei firmitudo perfecit. Hanc ergo Fratres noſtri magni facere, ac ejus myſteria, quæ Chriſtiana doctrina continentur, ita perdiſcere curent, ut eis armis (eſto alias inermes eſſent) pugnare, ac vincere poſſint. Sed actuum fidei exempla proferamus.

Sapientia.
A

B

Exemplum.

Huiuſque virtutis actus.

VI. Actus fidei, quorum incuria in repentinis congreſſibus multos læſit, ſic exerceri debent: Auctor fidei Jeſu Chriſte, firmiſſimè credo, vera eſſe omnia, quæ te revelante credit ſancta Mater Eccleſia, & pro aſſertione hac libenter moriar.

Impoſſibile eſt, veraciſſime Domine, aliquid falſum Eccleſiæ tuæ a te revelari: quod morte teſtabor.

Omnino verum eſt, tres eſſe Sanctiſſimæ Trinitatis in una divinitate perſonas, pro qua veritate occumbere deſidero.

C

Verum eſt profectò, Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, te Deum, & hominem, ſed unam tantùm perſonam eſſe: atque utinam pro hoc aſſerto diriſſimè comburar.

Certè verum eſt, te, Clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, Deum, & hominem perfectum in Sacramento altaris exiſtere: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.

Animadverſio

Notandum quicquid boni cogitatur, dicitur, aut efficitur, ad quamcunque virtutem ſpectet, ſi fiat eo animo, ut fides firmetur, & augeatur, præſertim ſi quis deliberet, illum actum exercere, quaſi profeſſionem fidei, eſſe hujus virtutis actum; quod de reliquis virtutibus pariter aſſerimus: contrahunt enim honeſtatem virtutis, ad quam diriguntur, quod in c. 20. luculentiùs oſtendimus.

D

Actus fidei frequenter exercendi.

VII. Hujuſmodi ergo frequenter exercendi ſunt: & ut fides his conatibus validior fiat, erit ad rem martyrii occaſiones mente verſare, & quaſi coram Tyrannis ad actus illos fortiùs producendos cor impellere, dandaque opera eſt, ut multa cum deliberatione, ac animi firmitate fidei veritates proferantur.

VIII. Verùm in tertia hujus capitis parte, & ad virtutem ipſam perficiendam, & ad vitia contraria, ſeu tentamenta depellenda, capita rationum, quæ Sancti Patres docuerunt, attingere operæ pretium erit. Animo quippe certa fide ſubnixo, rationes veritatum divinarum, non ut credat, ſed ut res altiùs concipiat, penſitare, ad fidei robur ſatis prodeſſe ſolet: quapropter Fratres noſtri, ut ad omnem eventum parati ſint, ſubiecta percipere conentur.

Fidei motiva.

IX. Nulla unquam veritas apud homines fide digna viſa eſt, quæ tot ambiretur circumſtantiis fidem facientibus, ac veritas Jeſu Chriſti Domini Noſtri; quod ſic evincitur à locis communibus breviter indicatis. Fides aſtrui poteſt, vel ab aſſertore ipſo alicujus veritatis, vel aliis, ſive amicis, ſive inimicis. Aſſertor ipſe ſi ſapiens, ſi nobilis, ſi bonis moribus conſpicuus ſit, communi hominum ſenſu non ſine imprudentia reſpui poteſt: at Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum (etiamſi humano more dicamus, & auctorum ejus temporis, quo inter mortales egit, ſcripta conſulamus) ſapiens fuit, quod in templo duodennis, & publicè poſtea demonſtravit, cum vulgò diceretur: Quomodò hic litteras ſcit, cum non didicerit? & numquam ſic locutus eſt homo cum aliis publicis acclamationibus: Ingenuus fuit: non enim ignorari potuit genus, quo ad matrimonium Virginis, & Joſeph neceſſariò explorandum: & Paulus ait: *Manifeſtum eſt, quod ex Juda* (quæ Regia tribus erat) *ortus ſit Dominus Noſter Jeſus Chriſtus*. Inculpatus fuit, nullius enim peccati reus eſſe, vel convinci ab invidentiſſimis obtrectatoribus potuit: ac proinde peccata teterrima non perpetravit, qualia commiſiſſet, ſi ea, quæ docuit, non vera fuiſſent. Pertinebant enim ad Religionem, ſine qua cultus Dei, vel ſalus hominum conſtare nequibant. Cum ergò ipſe ſapiens, nobilis, inculpatus diſertiſſimè Trinitatis myſterium, ſe Dei Filium, Euchariſtiæ Sacramentum, & alia fidei capita prædicarit, & ob id mortem ſubierit, aut contra vim rationis allatæ fuit blaſphemus, & damnatus, quod eſt incredibile: aut eſt Dei filius, & cætera, quæ docuit, ita ſe habent, quod veriſſimum eſt. Ad ipſius etiam aſſertoris perſonam ſpectant opera, quæ ad ſuam doctrinam aſſerendam præſtat: ſi enim præter ſapientiam, nobilitatem, probitatem edit miracula, quæ ſunt propria Dei teſtimonia; nemo niſi planè demens, exceptionem aliquam obiicere poteſt: at Chriſtus plurima miracula edidit (ipſis inimicis ſpontè fatentibus:) Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum. Veritatem ergo prædicavit. Certè ut cætera ſileamus, famoſiſſima Lazari ſuſcitatio totius Jeruſalem, & vicinorum oppidorum animos excivit.

Chriſti ſapientia.
Ioan. 7. 15.
Nobilitas.
Hebr. 7. 14.
Vita inculpata.
Miracula.
Ioan. 11.48
Ioan. c. 11.

Evangeliſtæ eorumque teſtimonia.

X. Si verò fides aſtruitur ab amicis: nuſquam incorruptiores amici, quam Evangeliſtæ quatuor, quorum ſcripta vulgatiſſimam con-

A

continent hiſtoriam, quæ à nullius conditionis hominibus potuit ignorari. Hos autem quatuor Hiſtoricos fide dignos eſſe, cum inculpatiſſimè vixerint, magnam orbis partem converterint, & nullius mendacii, per tot ſecula, à tot fidei hoſtibus convinci potuerint, ac denique cum ipſorum reliquiæ ad hæc uſque tempora, tot ſanctitatis ſigna prætulerint, nemo niſi apertè ſtultus inficiari poterit. At Scriptores hi, ut oculati teſtes, Chriſti myſteria memoriæ prodiderunt: vera ergo ſunt.

Martyres.

XI. Inter amicos præterea, ut proprios teſtes, Martyres innumeros, qui nobilitatem, divitias, voluptates abjurarunt, ut pro Chriſto mortem oppeterent, jure poſſumus recenſere. At quî fieri potuit, ut bona illa mundo, & carni ſuaviſſima, puellæ quoque tenerrimæ, ac ad Regum connubia expetitæ (quod notiſſimis patet hiſtoriis) tam fortiter aſpernarentur, & acerbiſſima nece permutarent, niſi divina veritas eſſet, quam Jeſus Chriſtus earum ſponſus evulgavit?

B

Confeſſores, & Monachi.

XII. Amici quoque fuere clariſſimi Confeſſores, ac Monachi, qui abdicatis aulæ delitiis antra ſpinis obſita, ſaccis aſperrimis accincti ſubierunt: quos (ut ipſorum elogiis conſtat) ſola Jeſu Chriſti veritas ab anteactæ vitæ licentia compedivit. Quid de corporum incorruptione, ac odore? quid de miraculis hujus tempeſtatis? ut antiquiora Apoſtolorum, & aliorum Patrum ſigna taceamus? Prolixum foret amicorum caſtra percenſere: res ipſa clamat: & aut nullius rationis compotes homines ſunt: aut rebus etiam humano more perpenſis, ſola Jeſu Chriſti fides vera eſt.

Teſtimonium Pilati, & Uxoris ejus, de innocentia Chriſti.

C

Matt. c. 27.
Ioan. 12.

Phariſæorum

Ioan. 8. 46.

XIII. Quid jam de inimicis adiungendum? Profectò inter inimicos & Pilatus, qui Chriſtum morti addixit, & uxor ejus numerari queunt: at Pilatus coram tota Hjeruſalem confeſſus eſt, ſe nullam in Chriſto culpam invenire. Uxor ejus ſic illum admonuit: Nihil tibi & juſto illi. Pontifices, & Phariſæi crudeliſſimi hoſtes cogitaverunt, ut non ſolum Chriſtum, ſed & Lazarum interficerent, qui miraculo ſuſcitatus Chriſti famam protendebat. Et ſæpè inſperatis Chriſti prodigiis calumnias obiicere tentantes, ut in cæco nato, & alias ab ipſo Chriſto incitati per illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* numquam culpæ ullius victoriam obtinuerunt. Denique ipſi, qui navabant operam neci ejus, videntes portenta mundi, qui auctorem ſuum interire ægrè ferebant, ipſum juſtum, ac Dei Filium acclamarunt: quæ omnia ex ipſis Evangeliis facilè conſtant.

D

Magorum Chriſtum natum adorantium.

Adparitiones.

Romanorum Pontificum non interrupta ſucceſſio.

E

Nationum conſenſus.

XIV. Quid de ipſius natali, Regum Orientalium adoratione, paſtu tot millium hominum in deſerto? quid de Reſurrectione, terræ motu, Cuſtodum metu, Pontificum pecunia militibus data? quid de Aſcenſione, ac Spiritus S. miſſione, & aliis ſub illud tempus tam publicè geſtis, ut oporteat eum, qui res teſtatiſſimas negat, palàm inſanire? Quid de apparitionibus coram iis hominibus, tam veracibus, tam probis, tamque toti terrarum orbi conſpicuis, ſcilicet Apoſtolis, de quorum animis nulla umquam apud cordatos ſuſpicio ſuboriri potuit? Quid de tot ſæculorum ſerie, quæ Petro ſuccedentibus Chriſti Vicariis hucuſque invicta perſeverat, nec ullis totius orbis adverſantis bellis occubuit. Quid etiam de tot Imperiis, ipſoque Romano, cui omnia ceſſerunt, inopum hominum non potentia, aut opulentia, vel eloquentia, ſed fide Chriſti ſubjugatis? Quid de tot nationum viris inſigni ſanctitate, ac ſapientia clariſſimis, qui & ſcriptis, mirificè conſentientibus, & culto fideliſſimo in unam eam fidem Chriſti gratia conſpirantibus? qui cum ſe de facie minimè noſſent, unam fidei faciem ore, ac ſcripto ſemper exhibuerunt?

F

Argumentum a ratione petitum.

G

XV. Et ſanè tametſi deſiderarentur rationes omnes, quas induximus, quæ fidei veritatem perſuadent: una certè ratio, quæ à viris Chriſtianis ignorari non debet, & ſectæ cujuſlibet Infidelibus neceſſariò vim affert, non eſt reticenda: quæ ſic habet. Aut nullus in terrarum orbe cultus veri numinis eſt, aut ſecus: primum à nemine, niſi Atheo aſſeri poteſt: qua enim fronte dici queat, nullam à rerum conditore religionem hominibus, qui ei cultum lege naturæ afferre debent, inſpiratam fuiſſe? Si autem ſecus: omnino dicendum eſt, eam ſolam à vero Numine legem inſpirari debuiſſe, quæ ſapientiam, & bonitatem infinitam, qualem de ſuo Numine ſecta quæque concepit, apertè deceat: quapropter veram ſanctitatem à cultoribus ſuis, & univerſarum cultum virtutum humanæ naturæ congruentium expoſcat neceſſe eſt: non enim divino candori cultores immundi placere poſſunt: at mundi eſſe nequeunt, ſi virtutibus omnibus omnia vitia non deleant: una qnippe virtus ſi abſit, homo labe non caret.

H

XVI. Cùm ergo ſola fides, lexve Jeſu Chriſti D. N. veram, omniumque virtutum perfectione conſtantem vitæ ſanctitatem à nobis requirat, nec ullam vel leviſſimam cogitationem rationi adverſantem admittat: quin potiùs eam, licet hominibus celari poſſit, præſcriptis Eccleſiæ remediis expiari velit; efficitur profectò, ſolam Chriſti veritatem eſſe divinam, cæteras verò infidelium doctrinas omnes, quæ huic apertè diſſentiunt, eſſe Satanicas: quod ex earum veritate Chriſti comparatione, ex ritibus vaniſſimis cultorum ſuorum, ex vitæ turpitudine, quam velut rem licitam complectuntur, & multis aliis capitibus, quæ inſtructione brevi tradi nequeunt, facilè perſpicitur: præterquàm quòd vel ex hoc ſolo capite, quod à Chriſti lege, quam perpetua fidei confeſſio per tot ſæcula tenuit, ſectæ, vel diverſæ leges ſint, revincuntur: ſi enim ſola Chriſti lex, ut probavimus, vera eſt, reliquæ omnes ab ea diverſæ falſæ ſunt. Tot igitur rationum agminibus eos, qui de fide Jeſu Chriſti non modò tenaciſſimè amplectenda, vel imis radicibus defigenda, ſed in alios quoque derivanda cogitaturi ſunt, eſſe oportet inſtructos: & ut ipſi primùm ſibi conſulant, ad virtutis tantæ cultum ſic affici debent, ut initio ſtatus obedientiæ Superioribus ſuis intellectum argumento non apparentium cedentem, & non humanis rationibus, ſed auctoritati divinæ parentem exhibeant: & ea diſciplina tot in fide progreſſus facere pergant, ut pro ea tuenda, ſi fœlix ſors detur, occumbant.

A

CAPUT III.

De Spe.

Spes Theologica ejuſque definitio.

I. SPes Theologica eſt virtus, qua voluntas (in qua reponitur) auxilio freta ad Deum acquirèndum aſſurgit. Ad cujus definitionis intellectum, quæ de paſſione ſpei à nobis dicta ſunt, non parum conferent. Fertur quippe Theologica ſpes in bonum illud immenſum, ac ob id arduum, viribus divinis innixa: & ejus actus erectio quædam voluntatis grandia molientis eſt. Nihil enim æque magnum aliarum virtutum non Theologicarum conatibus animus aggreditur. Ex quò nobiliſſimæ virtutis hujus ingenium dignoſcere licet: poſtquàm enim intellectus fidei lumine perfuſus ſempiterni boni magnitudinem voluntati propoſuit, ſtatim ſe illa per ſpem divinam erigit, confidens, eò ſe perventuram: ex quo liquet, quàm ſignificanter Apoſtolus (ſpem incedentem) illam appellaverit; quaſi ſuis actibus, velut quibuſdam greſſibus, in bonum fide oſtenſum contendat.

B

Ejus indoles

Quomodo a Paullo adpellata? *Hebr. 6. 19.*

Ejus utilitas.

II. Quàm verò utile ſit virtuti huic aſſueſcere, graviora pericula demonſtrant; animus enim, qui multis actibus ſpe ſe non exercuit, dum repente aliquo mortis diſcrimine corripitur, mirum eſt, quantopere langueat, & (paulò minòs) deſperet. Ratio in promptu eſt: cum enim perquàm raro ejuſmodi graviſſima pericula inſtent, qui in eis dumtaxat eventibus ſpem exercere meminit, hebes eſt, more gladii, qui diu ſuperiùs rubiginem contrahit, ac ægrè diſtringitur. Qui verò ejuſmodi actibus aſſueſcit, quamdam bene affecti animi præparationem ad omnem eventum acquirit, quæ propria juſtorum eſt, qualem Propheta commendavit, ajens: Paratum cor ejus ſperare in Domino: cujus fructum mox adjunxit: Confirmatum eſt cor ejus: non commovebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos. Hæc profectò utilitas maxima eſt; quæ hominem cordis ſtabilitate, quaſi dicamus, ſtabilibus bonis locupletat; qua Sanctorum poſſeſſione lætabatur Apoſtolus ajens: Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.

C

Pſ. 111. 7.

D

Hebr. 6. 19.

Delectatio.

Rom. 12. 12.

III. At quam pariat delectationem ſpes immortalitatis immota, ipſemet Apoſtolus indicavit, cum dixit: Spe gaudentes; nihil eſt enim, quod animum inter medias mundi procellas fatigatum ita recreet, exhilaretque, ac firma regionis vivorum expectatio. Spes hæc vires ſuggerit, ardua quæque adoriri facit, & præ gaudii magnitudine, omnium aliarum voluptatum contemptum inducit.

Honeſtas, & nobilitas.

E

IV. Honeſti verò laus in hac excelſa virtute tanta eſt, ut animos generoſiſſimos creet: ac omnem propriæ vilitatis memoriam expugnet; quaſi enim nullo carnis pondere animus premeretur, validiſſimè in Deum extollitur: ſicut ſcriptum eſt: Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, ut aquilæ volabunt, & non deficient.

F

Iob. 13. 15.

Efficacia.

V. Sublimem ergo virtutem hanc Fratres noſtri accuratiſſimè colant, & occaſiones rariùs occurrentes ipſi ſua ſedulitate præveniant: nec ſolùm ea communi, & valde lenta ſpe, quæ Chriſtianis multis ſatis eſſe videtur, contenti ſint: ſed eò pertingere nitantur, ut in deſperatiſſimis quoque rebus ſperare perdiſcant: more illius, qui cum immenſis calamitatibus obſeſſus, à Deo repulſus, ab amicis vexatus, ab uxore ad deſperationem impulſus, & ſibi ipſi gravis effectus, mortem ad ſingulos ferè halitus expectaret, ajebat: Etiam ſi occidat me, in eo ſperabo. Si enim noſſent homines, quàm ſit Clementiſſimo Deo dignum parcere proſtratis, ob infinitam miſericordiæ magnitudinem, & quàm facilè ſit ei ſubitò pauperem honeſtare, non dubium, quin è mediis teterrimorum peccatorum fluctibus fidentiſſimè reſpirarent. Et quidem cor illud Dei nobiliſſimum decet, magna largiri, & ad ipſius gloriam, quò cuncta opera ſua refert, apprimè facit ſperantibus propitiari. Cum enim intuetur hominem multis peſſimorum ſcelerum millibus obnoxium, quem propriorum conſcientia peccatorum accuſat, nihilo ſeciùs de divina bonitate tam excelsè ſentientem, ut veniam ſibi certò promittat, quantùm coniicere licet, ſic agere videtur. Peccator hic ære alieno ſupra vires gravatus numquam niſi de me ad iram provocando cogitavit; & tamen nunc, quando pœnam de illo ſumere paro, in me firmiter ſperat. Profectò, cum certò ſciat, conſcientia teſtimonium perhibente, ſe veniam non mereri, non ita fidenter in me ſpem totam ſuam collocaret, niſi me nobiliſſimum, & ad indulgendum propenſiſſimum certò ſibi perſuaderet. Parcam ergò ei: *& quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum; quoniam cognovit nomen meum*. Porrò ſic multis errata condònavit. Ex quo Fratres noſtri, divino munere non jam tantorum ſcelerum rei, cognoſcent, quàm turpe, ac Jeſu Chriſti famulis indignum ſit, alia minora, hoc eſt alicujus paſſionis victoriam, vel virtutis obtentum non firmiſſimè ſperare: ſed actus, quibus hæc virtus exercenda eſt, præſcribamus.

G

Pſ. 90. 14.

H

Scrip. An. 1605.

Actuum ſpei exempla.

Exemplum.

CLementiſſime Deus, firmiſſimè ſpero, me tandem ex auxilio, & bonis operibus gratia tua præſtitis, gloria ſempiterna fruiturum.

Annotatio. Spes, quæ ſola miſericordia, ſine operum bonorum oppoſito nititur, in præſumptionem degenerat.

A

Tametſi graviſſima peccata commiſerim, liberaliſſime Domine, procul dubio veniam indulgebis.

Quamvis ad horas ſingulas in multas culpas deformiter labar, certè Chriſtianam perfectionem te juvante parabo.

Etiamſi licenter nimis graviora peccata perpetrarem, tu, mitiſſime Jeſu Chriſte, educeres me de lacu miſeriæ.

Quamquam ſolus ego peccatorum omnium, quæ ab ineunte mundo commiſſa fuere, reus eſſem, tu, benigniſſime Deus, libenter ignoſceres.

Spero equidem tuo munere, miſericordiſſime Domine, omnem à me vitæ hujus difficultatem ſuperandam, & in terra viventium me ſemper victurum.

B

Si conſiſtant adverſum me caſtra, & exurgat contra me prælium extremum, ac inferni portis videar propinquare, adhuc miſericordiam tuam magnam expectabo.

VI. Hujuſmodi actus validè poroducendi ſunt: vix enim credi poteſt, quàm viriliter his motibus cor auxilio divino fretum erigatur. Sed tertiam capitis partem ad vitium, paſſionemque, ac tentamenta deſperationis extinguenda ſubiiciamus. Ad omnem vitiorum, paſſionum, & tentationum incurſum animosè propulſandum rationes plurimæ ſuppetunt adeò efficaces, & ad cor benè afficiendum opportunæ, ut ſaxa quoque movere poſſent: at noſtras inter omnes potentiſſimas ſubdemus.

Rationes ad paſſionum & tentationum incurſum propellendum.

C

Prima ratio.

VII. Prima. Deus, tametſi nec Incarnationem, paſſionem, ac mortem unigeniti Filii ſui, nec Sacramentorum remedia, nec Beatiſſimæ Virginis, ac Sanctorum patrocinia hominibus providiſſet, ſua tantùm bonitate, ac naturali ad benefaciendum propenſione ſpectatus, miſericordiſſimus eſt, nec bonitatem, ac miſericordiam ſuam operibus aliis æquè ſublimiter, ac parcendo manifeſtare poteſt: ſupremus quippè bonitatis, ac miſericordiæ gradus eſt, iis benefacere, à quibus irrogatur injuria: Cum ergò propter ſempiternum, hoc eſt, ad manifeſtandam bonitatem ſuam omnia operatus ſit Deus, & nihil ad eum finem divinæ gloriæ, ac manifeſtationis æquè conferat, ac hominibus, præſertim graviſſimis peccatoribus, miſereri: certò ſperari poterit præſtiturum eſſe petentibus veniam, daturum gratiam, & gloriam.

D

VIII. Augetur vis rationis vehementer. Propenſior eſt Deus ad benefaciendum, quàm ignis ad comburendum: ſi ergò ignis quoties nihil contrarium obſtat, materiam quamvis appoſitam exurit: Deus quoque, quoties nihil obſtiterit, miſerebitur: at nihil obſtat, quoties homo ſeriò vult, ut Deus illius miſereatur, & gratiam quoque largiatur: Sperari ergò poterit, peccatoribus etiam ſceleſtiſſimis, ſi ſeriò velint, eum errata condonaturum.

E

IX. Sed adhuc accomodatiùs vim rationis ponderemus. Nemo unquam ab initio mundi tam perditè fuit deditus vino, vel intemperantiæ, qui æquè illa voluptate delectaretur, ac oblectatur Deus miſerendo: Si ergò ebrius, vel intemperans non ſolùm voluptates ſuas libenter captat, ſed rapidè ad illas fertur: Deus quoque ſine ullo tantæ Majeſtatis dedecore, immò ſumma cum dignitate, ad captandam illam ſuam miſerendi voluptatem feſtinus accurret. Certè rem probavit eventus: propterea quippè miſit eloquium ſuum, hoc eſt, Filium ſuum terræ: quia celeriter miſerendo delectatur: erat autem ad rem Filius ejus, quia velociter currit ſermo ejus. Jam igitur, ſi Deus, cum miſeretur, rem efficit ſibi honorificam, id eſt, ad ſuæ gloriæ famam conducentem, naturæ, ac palato proprio conſentaneam, propterea delectabilem; addamus etiam, utilem, lucratur enim tot famulos, quot hominibus miſeretur: quis adeò ſit rudis, vel inſanus, qui ſpem inconcuſſam non altè concipiat, & de munificentiſſimo Domino, quicquid ſeriò poſtulaverit, ſibi promittat?

Pſal. 147. 15.

F

Secunda ratio

X. Secunda ratio. Clementiſſimus Deus ab æterno (ubi nullus eum deprecari potuit, cum mundum minimè creaſſet) ſua bonitate propenſus, prævidens Adæ lapſum, Jeſum Chriſtum Redemptorem noſtrum incarnari decrevit, & ubi venit plenitudo temporis, ille ex Beatiſſ. Virgine incarnatus, & natus, per annos 33. incommoda multa paſſus, demum toto ſanguine profuſo, meam à Patre ſalutem emit, & pacto pretio ſemetipſum totum ita pro me uno Patri obtulit, ac ſi de nullo alio redimendo cogitaſſet, quod eſt idem, ac ſi diceremus; ita pro me Chriſtum totius ſanguinis pretium obtuliſſe, ut non minùs pro me totus ille ſanguis effuſus fuerit, quàm ſi pro alio nullo illum Chriſtus effudiſſet: nec magis à me vel una ejus ſanguinis gutta divertatur, quàm ſi præter me nemo redimendus fuiſſet: quòd ſenſiſſe videtur Apoſtolus, ubi ait: Vivo in fide filii Dei; qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: aliquid enim peculiarius ſenſit, quàm ubi dixit; *qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.* Statuamus ergò (ad vim rationis expendendam) propoſito totius ſanguinis, laborum, ac mortis pretio, Jeſum Chriſtum pro me uno Patrem interpellare, nec ab eo per ſudorem horti ſanguineum aliorum hominum remedium, ſed ſolam ſalutem meam cum clamore valido, & lachrymis depoſcere, tantumdem eſt enim: nec interpellatio pro aliis negotii mei expeditioni quicquam ademit. Quis ergo ſit tam delirus, qui dum hæc meditatur, non fortiſſimè, ſi jacet, reſurgat, & corde medio ſpem quamdam invictiſ-

G

Epheſ. 5. 2.

H

Scrip. An. 1605.

victiſſimam condat? Profectò ratio hæc non modò ægris ſalutem, ſed mortuis quoque vitam reſtituere poteſt: & obſtinati cordis argumentum eſt, efficacitate tanta non urgeri.

Tertia ratio.

A

XI. Tertia ratio. Præter excellentiſſimam Dei charitatem, quam nobis exhibuit in Chriſto, qui ſpei noſtræ fundamentum eſt: ipſemet Chriſtus multa dixit ad ſpem noſtram excitandam opportuniſſima, quale illud: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* Quod eſt grande promiſſum. Sed illud eſt maximum: *Quicquid perieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Certè quaſi auctor impetrandi, quæ poſcimus, ſupplicum libellorum formulas nomine ſuo notari conſuluit. Cæterùm illa pollicitatio ampliſſima, & ad corda dejecta ſuſcitanda validiſſima eſt, quam per Marcum Evangeliſtam expoſuit: poſtquam enim ſic præfatus fuit: *Habete fidem Dei: Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat: fiet ei.* Poſt hanc, inquam, præfationem adjecit: *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.*

Matt. 7. 7.

Ioan. 14.13.

Mar. 11.23.

B

Ibid. 24.

XII. Profectò verba hæc ad animos extimulandos, & ſpei robur ipſis quoque fractis cordibus inferendum tam appoſita ſunt, ut aptiora excogitari non poſſint: ille quippè dicendi modus: *Propterea dico vobis*; quaſi quoddam fideliſſimi Jeſu Chriſti chyrographum eſt, quo ſe debilibus etiam hominibus veluti obligavit: hanc præſertim iis verbis ab eis conditionem requirens, ut non juxta propriam fragilitatem, ſed, ut Deo dignum eſt, benè de bonitate illius opinentur; & credant, ipſum velle largiri quæ poſtulant: quod quàm ſit rationi conſonum, ſic evincimus.

C

Comparatio.

XIII. Nullus in orbe toto Princeps mediocriter liberalis, aut pius eſt, qui die natalis ſui, vel alio feſtivo tempore polliceatur ſe quibuſcumque petentibus argenteum nummum donaturum, modò fidenter poſcant, exiſtimantes eum velle ſtare promiſſis, qui non præſtet, quod promittit: nec in hoc genere à quoquam prudenter dubitari poteſt, vel ſi politicè res agatur, tametſi Princeps ille aliquod argenti detrimentum ſit paſſurus. Si ergo ſummus ille rerum Princeps, qui jacturam divitiarum ſuarum facere nequit, immò (humanum dicimus) quo plura donat, eò locupletior eſt, pollicetur ſe poſtulata, quæ ſolo nutu præſtare poteſt, largiturum: quis adeò mentis impos erit, qui firmiſſimè non ſperet, ac poſtulet? immò, qui quod poſtulat, non prorſus obtineat?

Deus donando locupletior.

D

XIV. Jam igitur, ſi Deus natura ſua ad benefaciendum propenſiſſimus eſt, quod prima ratione conſtitit, & ſponte ſua Filium ſuum unigenitum, ut ego impetrem bona, quæ poſco, morti acerbiſſimæ tradidit, quod ſecunda ratione patuit: ac denique Filius ipſe Deus, ac Redemptor noſter, ad largienda, quæ poſtulo, ampliſſima, & ſe digniſſima pollicitatione ſeipſum aſtrinxit: oportet ſanè, aut me à Chriſtiana diſciplina, quin & à rectæ rationis uſura longiſſimè abeſſe, aut æternæ ſalutis, quæ poſco bona, conſtantiſſimè ſperare. Ex tot ergo ac tantis ſpei noſtræ firmamentis Fratres noſtri per quotidianos, & multiplices hujus virtutis actus fœliciter agere, ac novis progreſſibus invaleſcere curent.

E

CAPUT IV.

De Charitate.

Caritatis natura, & definitio.

I. CHaritas filiorum Dei nota, quæ Hieruſalem à Babylone diſcernit, eſt virtus, qua voluntas hæret Deo propter ipſius bonitatem. Eſt virtutum omnium princeps, ac domina, quæ à Theologis forma virtutum appellatur: quod virtutes cæteræ, ipſæ quoque Theologicæ, de quibus egimus, rude quoddam, & informe ſint, niſi pulcherrima divinæ Charitatis forma decorentur. Cum enim hæc excellentiſſima virtus ſit vera Dei amicitia, neceſſe eſt quicquid eò non pertingit, deforme quiddam eſſe: utpote, cui deſit purus ille cordis affectus, qui non ſua, ſed quæ Dei ſunt, ſine ullius proprii boni reſpectu perquirit. Ex quo fit, ut Charitas ipſa, more Aquilæ pullos ſuſpendentis elata, cæterarum virtutum actus ad veri Solis aſpectum extollat; ut quò per ſe perferri nequirent, nobiliſſima virtutis hujus directione pertingant.

Forma virtutum.

F

Dei amicitia.

1. Cor. 13.

II. Quamobrem meritò Apoſtolus eam, quaſi virtutum, animæque ipſius vitam miris laudibus effert, nec Angelorum linguas, nec prophetiam, nec virtutem miraculorum, nec eleemoſynarum largitionem, nec ipſius etiam mortis tolerantiam, abſente Charitate ullius pretii, vel meriti, quòd ad æternitatem ſpectat, eſſe profitetur. Charitas ergo, cum vita ſit, iis virtutibus, quæ ipſam comitantur, quaſi tactu ſuo vitam impertiatur, eo certè affectu coli debet, quo ab hominibus vita ſolet exquiri. Quod & ipſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eò ſe veniſſe fatetur, ut vitam homines abundantiùs habeant, non obſcurè demonſtrat, cum reliquarum virtutum veluti oblitus, *Hoc*, inquit, *eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos:* quaſi diceret: Hoc unum Charitatis, qua vivitur, bonum exquirite, & ego me adeptum fuiſſe arbitrabor, quod præſtiturus è cœlo deſcendi. Hæc ipſius Jeſu Chriſti præceptio mira univerſorum, & Apoſtolorum, & reliquorum Eccleſiæ Patrum cordibus adeò impreſſa fuit, ut Charitatis encomia propemodum infinita protulerint.

G

Cæterarum virtutum vita

Ioan. 15.12.

H

III.

Scrip. An. 1605.

Ejus decor & honeſtas.

III. Cæterùm licet auctoritas Patrum nulla ſuppeteret, ipſa ſe Charitas incredibili decore, ac honeſtate præſtat amabilem: ut ferreum oporteat eſſe hominem, qui pulchritudine tanta minimè capitur. Candor enim formoſiſſimus eſt, à divina luce, virgineo quodam partu in cor hominis illapſus: cujus decor tam eximius eſt, ut ſponſi thalamo cenſeatur idoneus. Nihil enim A creatum affectat: nullam porrò laboris mercedem requirit: nullum malum niſi culpam timet; ac denique tam elegans forma eſt, ut quamvis fides, & ſpes deficiant, numquam excidat; quòd nulla inſit imperfectio, quæ ſtatum cæleſtis patriæ dedeceat. Utilitas. Nobiliſſimo certè pollet ingenio: ſed, quamvis honeſti laus minor eſſet; ipſa profectò boni utilitas animos efficaciter invitaret. Cum enim omninò legi Dei parendum, aut intereundum ſit; quantò ſit prudentius, dilectionem impenſiùs colere, quæ cuſtodia legum, & plenitudo legis eſt: & actus, qui minore lucro aliàs exercendi ſunt, auctiore lucro Charitatis obire? Verum eſt B quippè, cumulatius meritum pro menſura Charitatis ſingulis actibus accreſcere. Voluptas. Jam verò virtus hæc cæleſtis appoſitè ad mores hominum, illud etiam bonum inſigniter præſtat, ut ipſi debitos non modò in actibus ſingulis majore merito augeat, ſed uberiore voluptate perfundat: Exploratum eſt quippè, amoris actus delectabiliores eſſe, ac eo ipſo faciliores, ac diuturniores: expeditiùs enim, ac diutiùs, vel ipſo naturæ ductu inſiſtimus iis, unde voluptatem haurimus. Cum ergò ex tot capitibus excellentior ſit illa Charitatis via, quam laudat Apoſtolus: pro captu ſuo Fratres noſtri virtutis hujus officia conentur explere, & initio curſus eniti, ut erga Clementiſſimum Deum benè afficiantur; & ex affectu, quicquid cogitandum, loquendum, agendumve occurrit, exequantur. Rectè quippe hoc C primum animo concipere debent, (quæ eſt concors univerſorum Philoſophorum, Theologorumque doctrina) quod ultimo loco ſucceſſurum eſt: Finis enim, quòd ad actus ſpectat humanos, eſt agendi principium. Summum igitur bonum, quò tendunt, & cujus gratia Diſciplinam Clauſtri ſuſcipiunt, animo primùm inſculpant, eoque ſuos conatus omnes, ſine defectione, colliment: id enim ab eis repoſcimus, quod in juſtificationis actu ab univerſis peccatoribus Deus exquirit, Amor contritionem præcurrit. ſcilicet, ut amor præcurrat ipſum contritionis actum, quo convertuntur, ut finis amoris, in quem tendunt, ſit vitæ ſalutaris initium. Ut autem bonum illud immenſum, quod totius amo- D ris origo eſt, diligere incipiant, rationes opportunas penſitare debebunt, quas, ne aliorum capitum ordinem invertamus, in tertiam capitis hujus partem reiiciemus; nam per rationes eaſdem, ſi quæ dæmonis tentamenta, vel appetitus ſenſitivi luctæ, vel mundi blandimenta obſtent, ſtrenuè ſe gerere diſcent. Nunc ergò aliquot Charitatis actuum exempla producimus.

Exemplum.

I. CHaritas binos generat actus, alios amoris erga Deum, alios verò erga proximum.

Actuum caritatis erga Deum forma.

Erga Deum actus erunt hujuſmodi:

Dulciſſime Deus, oro te, ut cordis mei principatum geras.

E Amantiſſime Domine, ſacrifico tibi præcordia mea.

Optatiſſimum bonum meum, abſit, ut aliquid amem, præter te.

Suaviſſime Deus animæ meæ, te ſolum quæro patrimonium meum.

Amabiliſſime Auctor vitæ meæ, ſacrifico tibi viſcera mea.

Specioſiſſime ſupra omnem mundi pulchritudinem, ure me incendio decoris tui.

Sereniſſime Princeps cordis mei, trahe me poſt te.

Nolo, Rex forma præſtantiſſime, aliam hæreditatem, niſi te.

Diſcedant à me, ſplendor illuſtriſſime a- F nimæ meæ, affectus omnes peregrini, ut totis viſceribus requiram te.

Vive potentiſſime Imperator cordis mei; & dominare, ſicut decet te.

Sede, excelſiſſime Domine, in æterna ſede Majeſtatis tuæ.

Benè eſt, opulentiſſime Deus viſcerum meorum, ut ſis fœliciſſimus intra te. Placet mihi certè, ſempiterne Rex, ut regnes in æternum, & ultra.

Utinam, puriſſime Splendor cordis mei, poſſem ſubdere tibi omnia colla filiorum Adæ, ut requirerent ſolam pulchritudinem tuam.

Utinam innumera millia cordium, quotquot tibi placuere, vel placere poſſunt, ipſe poſſiderem, ut immenſis tui deſideriis æſtuarem.

Da mihi, dulciſſime Deus, ut nihil mihi placeat, præter decorem tuum.

G II. Actus hi, non ſolum ubi percipitur aliqua delectatio, verùm ubi animus areſcit, & videtur ſibi operam perdere, ſunt exercendi, juxta commune Sanctorum conſilium: pars quippè hominis ſuperior benè afficitur, quoties ſeriò Deo placere vult, licèt appetitus renitatur: quod de aliis virtutum actibus pariter aſſerimus.

Actuum charitatis erga proximum exempla.

III. At erga proximos, quos diligere nihil eſt aliud, quàm eis beatitudinem, & quæ ad illam ſpectant, ſeriò velle, ſic charitatis actus exercendi ſunt.

Utinam, clementiſſime Deus, peccatores reſipiſcant, & requirant te.

Fac, Domine benigniſſime, ut qui Eccleſiam oppugnant, ſe dedant Vicario tuo.

H Per viſcera miſericordiæ tuæ obſecro te, ut qui terrenas dignitates ambiunt, potiùs aſpirent ad te.

Convertantur, precor te, mitiſſime Deus, quos voluptas carnis illexit.

Fac, amantiſſime Domine, ut avari omnes affectum divitiarum traducant ad lucra dilectionis tuæ.

Et

Scrip. An. 1605.

Et in hunc modum per innumeras formas poſſunt actus excurrere: ſolent autem hi actus ferventiùs produci, cum peculiare quippiam erga privatas perſonas, ut lapſus in peccatum, morbus, infamia, perſecutio, aut quid ſimile contingit.

A

IV. Sed erga proximum, qui obſequiis noſtris egere poteſt, externi quoque Charitatis actus obeundi, non ſanè abſque diſcrimine; nam intra clauſtrum ipſa Charitatis officia ad obedientiæ lineam exigenda ſunt: at ubi per Superiorem licet, ſive injuncta, ſive poſcentibus conceſſa, debent alacriter præſtari. Huc ſpectant ægrotantium obſequia, laſſorum famulatus, mœſtorum conſolatio, & ejus generis alia, quæ vulgatiſſima ſunt.

B

VII. Verùm quod ad actus ſpirituales Charitatis pertinent, gaudere aliorum bonis, mœrere malis, & pro eis precari Fratres noſtri debebunt, at erga cæterorum correptionem, eruditionem, alioſque ſimiles actus, non eſt juniorum Fratrum quicquam attentare; ſed ſi quid non rectum appareat, exiſtimare, ſe decipi: aut ſi tentationem pellere nequeant, Superiorem convenire. Potiſſimùm verò illorum ad proximi Charitatem ſtudium eſſe debet, ut ſe aliorum moribus accommodent, quantùm ſine virtutis damno fieri valet, ac in ſemetipſis corrigant quicquid ob deformitatem aliis diſplicere poteſt: deinde, ut aliorum errata, vel deformia patienter ferant, nec ſibi moleſta eſſe ſignificent: ex his enim partibus notatu digniſſimis verus amor proximi componitur. Sed ad tertiam capitis partem veniamus.

Totius cordis humani œconomia, unde?

C

VIII. Non amor proximi tantùm; ſed totius œconomiæ cordis humani ratio ex bono erga Deum pendet affectu: quo quæ in proximis amara ſunt, condita dulceſcunt, & adverſa tentamenta validè repelluntur: quapropter ſubjectis rationibus amorem Dei, primogenitum ſcilicet Charitatis partum, Fratres ediſcant.

Caritatis motiva.

D

Dei attributa

E

Celſitudo.

Pſal. 62. 9.

Vera generis claritas unde

Pſal. 33. 6.

IX. Nihil excogitari, poteſt, quod ad amorem excitandum conferat, quod in Clementiſſimo Deo cumulatiùs, quàm dici poſſit, non exiſtat. Sed ut è materia dicendi tam ubere quid appoſitum ſeligamus, ad duo capita poteſt amor totus referri: ad perſonam ſcilicet, & ad actus; poteſt quippè quis amari ex eo, quod ipſe eſt, aut ex eo, quod efficit. Evenire videlicet nonnumquam ſolet, ut principem aliquem, quòd nobilitate, quòd pulchritudine, quòd ſapientia præſtet, quis ſtatim, ac videt, amare incipiat, cum tamen ab eo nihil propriæ utilitatis expectet: è contrario verò plebejum hominem deformem, ac ſtultum, quòd ab eo commodum ſperet, conſultò amet: ſi verò in unum illum principem commodi expectationem referamus, omnem amoris vim complexi videbimur. Cum ergo ſummus ille mundi princeps ſit ipſa nobilitas, ipſa ſapientia, ipſa pulchritudo: qua mente quis, ex iis præſertim, qui ad æternitatem aſpirant, in amorem boni tam immenſi non incumbat? Profectò nobilitas ſola magnam orbis terrarum partem quaſi dementat: nituntur quippè homines in ſe neſcio quid divinum exprimere, quòd ſe nobilitate adepturos exiſtimant: quæ certè ratio ſcriptorum antiquorum mendaciis aſſeritur: illi enim ut homines laudarent, quamdam cum ſuis numinibus conſanguinitatem eis affingebant: & (quod paſſim cernimus) in aulis frequentiſſimis quiſque ſtudet Principibus nobilitate inſignibus, velut contactu ingenuitatem contracturus adhærere: quantò ergò conſultius ſit illud Regii Vatis deſiderium: *Adhæſit anima mea poſt te?* Inde quippè vera nobilitas, ſeu generis claritas contrahitur, ſicut ſcriptum eſt: *Accedite ad eum, & illuminamini*, hoc eſt, illuſtramini, vel nobilitamini; *& facies veſtræ non confundentur*, id eſt, non erubeſcetis ob ullam ignobilitatis notam, quippe vilitatem expungit antiquiſſima illa nobilitas principii expers, ille candor puriſſimus, illa celſitudo ſublimiſſima, ad cujus aſpectum Spirituum beatorum vertices, quaſi humillimæ valles, vix apparent.

F

Sapientia Dei

G

X. Quid de ſapientia dicemus? modica ſapientiæ laus homines patria pellit, & per longè diſſita maria, vaſtiſſimaſque ſolitudines abducit; ſic ad unum Salomonem Oriens totus hiabat: ad Platonem, & Ariſtotelem innumeri viri clariſſimi confluebant, & ex Eccleſiæ luminibus ipſi Patrum primores regna multa ea de cauſa pererrarunt. Cur ergo infinitæ illi ſapientiæ ſociari homo non curet, qui aliter ſitim hanc ardentiſſimam explere non valet? Cur non familiaritatem tanti Præceptoris exquirat, qui momento temporis uno ſapientiæ potum infundit? Non, inquam, ſapientiæ illius, quæ hominem anxia ſpeculatione debilitat: ſed illius dulciſſimæ ſapientiæ, cujus impetus exhilarat Civitatem Dei: cujus dulcore nihil in terris poteſt eſſe optabilius.

Pulchritudo.

XI. At verò quid de pulchritudine ſubdemus? Nemo adeò mentis expers eſt, qui formæ vim non ſentiat, & admiretur: habet enim hoc inſigne pulchritudo, ut vel ſolo nomine delectet: ejuſque ſola opinio nobilitatem ipſam, & ſapientiam, nedum divitias, aliaque minora bona deſpicere faciat: quod & quotidiana, & nimium crebra experimenta declarant.

H

Chriſtus Servator noſter adpellatus.

XII. Habet magnetis vim efficaciſſimam: trahit enim, & voluptate trahit: & ſuaviſſimo quodam imperio cordibus dominatur: & hoc quidem præſtat ipſa carnis pulchritudo corruptioni obnoxia, & mille deformitatibus admixta. Cur ergo elegantiſſima forma Dei, cujus vel ſolo nomine videntur ſaxa liqueſcere, non capiat cor ejus, qui abdicato decore ſæculi, meliori vacat pulchritudini? Profectò ſolus ille candor, qui è Jeſu Chriſti Servatoris noſtri corpore ſplendet, omnem orbis terrarum decorem longiſſimè vincit: quid animæ, quid abſolutiſſima illa, & ad eliquanda corda efficaciſſima Divinitatis pulchritudo? At nos hîc exiliter ſcribimus, & rei magnitudinem parcè dicendo contrahimus: ſed fides majora credit, in quæ Charitas ſublimi volatu ſe proripit.

Dei beneficia.

XIII. Verùm ſi de ſecundo amoris capite, hoc eſt, de iis, quæ Clementiſſimus Deus cuique noſtrum præſtitit, ac præſtaturus eſt, ubi Divina bonitas plurimum elucet, pro rei dignitate ſcribendum eſſet, oporteret Jeſum Chriſtum ipſum, qui linguas infantiùm facit diſertas, ſcriptoris munus obire. Porrò, ut confertim dicamus: nulla feritas adeò ſæva eſt, quæ beneficiis non miteſcat: nam & Leones, & Urſos beneficiis manſueſcere, ac magiſtris blandiri quotidiè videmus: quàm ergò vim cordi hominis tot, tantaque dulciſſimi Dei beneficia, quæ fides docet, inferre deceat? Numquid parum eſt, hominem, qui ſempiterno cruciatu inferni torquendus erat, non ſolùm è tartaro ipſo eruere, ſed ſuaviſſimè quoque eruere, & quaſi Dei intereſſet, illum protegere, ſolari, ad ſtatum ſalutis promovere, ad æternam beatitudinem filiorum jura conferre?

Deus, ejus benignitas, & miſericordia in peccatores.

Numquid parum eſt, hominem ſæpe in peccata relapſum, qui divinæ bonitati protervè obluctatus eſt, cum jam nece ſubitanea, ob ingratitudinem corripiendus erat, ad excelſum Monaſticæ vitæ ſtatum benigniſſimè vocare? Num parum eſt, Deum hominem fieri, ac immenſis laboribus, & ignominiis pro ingratiſſimo peccatore mori, & æterno Patri ſatisfacere? Nunquid parum eſt dulciſſimo paſtu corporis, & ſanguinis ſui hominem paulò antè belluarum pabulo aſſuetum alere? Quid hîc de auxiliis gratis impenſis, de Beatiſſimæ Virginis tutela, Angelorum cuſtodia, Sanctorum precibus, de præſervatione à graviſſimis caſibus dicemus? Quid de ſuaviſſimo Dei corde voluntati hominis expoſito, & niſi homo illi deſit, numquam homini defuturo, & hæreditatem cœleſtem fideliſſimè collaturo?

XIV. Nemo eſt Chriſtiani nomine dignus, qui per momenta ſingula liberaliſſimo Deo, ex multis beneficiis, non ſe cognoſcit obnoxium; omnia quippe mala, ſeu culpæ, ſeu pœnæ, quæ vitat: omnia bona, quæ cogitat, loquitur, efficit, ipſa quoque naturalis reſpiratio, beneficia Dei ampliſſima ſunt, ex ipſo potiſſimùm largitoris corde perpenſa. Si ergo quocunque ſe homo vertat, divinorum beneficiorum pondere premitur, & nativum eſt ei benefactorem redamare: quàm ferus erit, qui poſita hujus amoris cura, quaſi Deo nihil deberet, aberrat? Aut quæ mens Religioſi illius erit, qui benefactori tanto gratiam habere, & quàm poſſit, referre non ſtudioſiſſimè curat? Dent igitur operam Fratres noſtri divinæ bonitatis amori; & impenſiſſimo ſtudio ſe totos amantiſſimo Deo devoventes tam labores, quàm ſolatia filiorum more ſuſcipiant: & quidquid agendum occurrerit, culpam quamvis tenuiſſimam accuratiſſimè vitent; nec mercedem aliam, quàm benefactori tanto placere, ullo modo requirant; ſic enim ex concepto Dei calore omnia quoque charitatis officia proximis exactè præſtabunt.

Labores, & ſolatia, quomodo ſuſcipienda.

Amor proximi.

XV. Si enim Dei amor, a quo amor proximi genus ducit, cordi ſemel hæſerit, eſto proximus ſit deformis, inſolens, iracundus, importunus, rudis, & aliis vitiorum labibus notatus, quæ odium parere ſolent, numquam Dei amatori ad proximi dilectionem ratio efficaciſſima deerit: Dei quippe bonitas, pulchritudo, manſuetudo, ſapientia, & virtutes univerſæ, quibus proximus fortaſse caret, luculentiſſimè ſplendent, & propter illas proximus diligendus eſt. Quis enim umquam amavit, qui ob decorem, quo trahitur, labores, tædia, & injucundia multa non tulerit? Sed licet proximus non amabilis appetitui modò diſpliceat, rationi placere poteſt: eſt quippe (præter rationem illam à Dei decore, virtutibusque petitam) Dei filius, eſt æternæ beatitudinis capax, eſt Jeſu Chriſti ſanguine redemptus, eſt mihi ad exercitium, & meritum utilis, eſt fortaſse is, à quo ex prædeſtinatione æterna ſalus mea dependeat. Quibus certè rationibus duriora quæque corda ſuccumberent. Ut enim ex una reliquarum energia ſe prodat, quis adeò ſit inſanus, ut proximum, quem ad regnum ſempiternum prædeſtinatum exiſtimat (quod inter noſtros ex multis capitibus prudenter credet) odiſſe, aut lædere, aut certè non amare poſsit? An corpus illud, quod cælos ſupergreſſurum, & ineffabili pulchritudine, ac luce in æternum decorandum eſt, mihi hoc ſperanti non placeat? Quomodo non ei arrideo, & ſempiternæ pacis cum rege illo fœdus inire feſtino? At verò quamvis ratio nulla ſubeſſet, auctoritas tamen D. N. Jeſu Chriſti ajentis; *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, omnipotens eſt: ſicut dilexi vos, inquit, id eſt; Quemadmodum ego Deus ſapiens, magnus, decorus, vos homines ſtultos, pravos, deformes per dolores, infamiam, & mortem amavi, ſic mutuò & vos. Hoc eſt Filii Dei teſtamentum, cujus exortes, hæreditatis expertes futuros eſſe, planiſsimum eſt.

Motiva ad proximum diligendum.

Iohan. 15. 12.

CAPUT V.

De virtutibus moralibus in commune.

Virtutes morales quot, & quæ?

I. Binæ ſunt virtutes morales, aliæ infuſæ, aliæ acquiſitæ; utræque verò, juxta ſuum nomen, ad mores perficiendos attinent. Perficiunt autem hominem, quoad omnes ejus partes: intellectum quippe prudentia, & agmen virtutum illi cognatarum; voluntatem juſtitia cum pluribus aliis virtutibus ei conjunctis; appetitum Concupiſcibilem temperantia cum virtutibus ei connexis; Iraſcibilem fortitudo, cum acie virtutum affinium perficit. Quatuor

Prudentia, quæ virtus?

tuor hæ virtutes principales ita hominem totum componunt, ut prudentia, quæ eſt rectà ratio agibilium, cæteris virtutibus apta media præſcribat, per quæ ad fines ſuos rectà pertingant: at ipſæ priùs hominem benè afficiant erga finem, quò à prudentia diriguntur.

Virtutum infuſarum, & acquiſitarum diſcrimen.

II. At verò inter infuſas, & acquiſitas (licet nominibus eiſdem nuncupentur, & numero pares ſint) eſt inſigne diſcrimen: acquiſitæ quippe ad principia rationis naturalis practica, & ſpeculativa; infuſæ verò ad virtutes Theologicas, quæ ſunt illarum principia, referuntur. Hinc exiſtit aliud diſcrimen ſcitu digniſſimum, quod ad modum operandi pertinet: modus enim acquiſitarum à ratione naturali; at infuſarum modus à lege divina, fideque præſcribitur: quod appoſito temperantiæ liquebit exemplo. In cibi, potuſve ſumptione, quæ ad temperantiam acquiſitam ſpectat, ratio præſcribit modum, ne noceat valetudini, vel rationis uſum impediat: at in eadem ſumptione, ſi per actum temperantiæ infuſæ fiat, modus à lege divina, quam docet fides, imponitur, ut ſcilicet parcitate cibi corpus caſtigetur, & in ſervitutem, ut Apoſtolus ajebat, redigatur.

A

B

III. Ex quibus facilè perſpicient Fratres noſtri, quibus à Deo ſint ornati virtutibus: diſcentque ſimul, ſublimiore quodam modo, quàm natura requirat, virtutibus ipſis naturalibus uti. Ipſos enim virtutum acquiſitarum actus non ob id tantùm, quod rationali naturæ conſentanei ſint, exercere debebunt: ſed præſertim, quod fidei congruant, & ad Theologicarum virtutum finem conducant. Hoc autem ſolerter animadvertant, ad judicium de ſua progreſſione ferendum, virtutes acquiſitas, licet infuſæ nobiliores ſint, hanc vim efficaciorem habere, quod vitia contraria illis conatibus, quibus parantur, extrudant, & ſingularem cordi tranquillitatem concilient.

Adquiſitarum virtutum actus, cur exercendi?

C

IV. Infuſæ verò contrarios, & vetuſtos vitiorum habitus non expellunt: ſed ad creberrimos congreſſus vires præſtant, ut pax bello comparetur.

V. Verum eſt (at mirum videtur) Fratrem aliquem è graviſſimis ſæculi peccatis ad Clauſtrum repentina converſione traductum, ipſo juſtificationis momento, virtutes omnes morales infuſas, prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem, ac earum prolem numeroſam accepiſſe: & tamen eoſdem vitiorum, quæ in ſæculo contraxit, habitus, & paſſiones indomitas habere. Ex hoc efficitur, ut ipſe rerum internarum adhuc ignarus miretur, dum eaſdem in ſe, quas in ſæculo patiebatur proclivitates, & effrænes motus perſentit: quin etiam cum melior ſit, pejor ſibi in Clauſtro, quàm in ſæculo videtur; cum motus rationi diſſentaneos, quos antea minimè curabat, ex deſiderio profectus, & lucta deprehendat. Hæc ergo eò conferent, ut Fratres verum à falſo dignoſcant, & habitibus infuſis virtutum utentes, in virtutes, quæ acquiſitæ dicuntur, acquirendas incumbant. Hic labor juſtorum eſt, qui virtutum infuſarum armatura, & cæleſtibus auxiliis roborati à ſpiritu aguntur in deſertum: ut multiplices coronas pariant, vel de puritate candidas, vel de paſſione purpureas. Hoc opus fortium militum eſt, quorum agonibus inſtituta Monaſtica decorantur, qui laboribus, & ſudoribus multis cæli gaudia comparare nituntur. Opus hoc verum Monachum, à ſimulato diſcernit: uterque enim decreto tempore communes actus exercet, & ſolemnia quoque vota edit: at vota ſunt, non virtutes, quod certè timendum eſt. Vota quippe quæ Deo nuncupantur, ſunt promiſſa quædam ſacra colendi virtutes, quæ (ut Philoſophicè dicamus) ſunt votorum obiecta: ſed evenire poteſt (quod præcavere cupimus) Fratrem aliquem ignavum obedientiæ voto totos viginti annos obligatum permanere; & obedientiæ virtutem minimè comparare. Enitantur ergo Fratres noſtri ſic ſe curſus initio gerere, ut antequam vota emittant, virtutes acquirant; ut cœptum iter fœliciùs, Deo favente conficiant.

D

E

Vota, quæ promiſſa?

F

Virtutes morales plurimæ.

VI. Sed cum virtutes morales plurimæ ſint, è quatuor illis Cardinalibus accommodè ad inſtitutum noſtrum has tantùm ſelegimus.

E Prudentia.	*E Iuſtitia.*	*E Temperantia.*	*E Fortitudine.*
Diligentiam, ſive Sollicitudinem.	Pœnitentiam. Religionem. Orationem. Devotionem. Obedientiam. Gratitudinem.	Humilitatem. Caſtitatem. Manſuetudinem. Abſtinentiam. Modeſtiam; ubi de ſilentio, verecundia, honeſtate.	Patientiam Magnanimitatem. Perſeverantiam.

G

VII. Quibus totam Clauſtri diſciplinam complectemur. Quicquid enim ad virtutes alias neceſſarias attinet, quarum actus frequentiores, quàm nomina ſunt, ad prædictas virtutes reducemus. De paupertate verò, quæ ad Beatitudines ſpectat, accuratè agendum eſt. Vitia quoque contraria, & paſſiones eiſdem ferè rationibus, quibus virtutes aſtruimus, convellemus: at eum ordinem virtutum obſervabimus, quem vocationis, & renunciationis ordini, & diſciplinæ Monaſticæ opportuniorem arbitramur; tametſi virtutum origo, & connexio, quam Theologi variè conſiderant, aliud expoſcere fortaſſe videatur: ordo quippè debet utilitati ſervire.

H

CAPUT VI.

De Obedientia.

I. Poſtquam de Theologicis virtutibus egimus, quibus animus hæret Deo, &

Scrip. An. 1605.

& quæ cum univerſis Chriſtianis communes ſint, à mundi contemptoribus debent religioſiùs coli: vocationi conſonum erit de illis virtutibus agere, quæ Monachum à cæteris Chriſtianis ratione ſtatus excipiunt, ut juxta rerum ordinem, quemadmodum ad virtutes Theologicas, præcipuèque charitatem perficiendam in obedientiæ ſtatum Fratres aſſurgunt: ſic illarum virtutum doctrinæ Obedientiæ ſcriptio ſuccedat.

Obedientia, quæ virtus?

II. Eſt autem obedientia (quod ad rem noſtram ſpectat) virtus, qua Superiorum Dei perſonam gerentium juſſis obtemperamus, nimirum juſtitiæ rationem habet, quæ iis, qui præſunt, reddit quod ſuum eſt. Habet præclariſſima virtus hæc ſublimitatem quaſi Theologicam: etſi enim cum Deo proximè non agat: ſic tamen agit cum iis, qui pro Deo præſident, ac ſi cum Deo ipſo verſaretur. Ex quo ſanè incipit eluceſcere cœleſtis ille obedientiæ ſplendor, qui cultores ſuos mirificè illuſtrat, & rebus humanis efficit altiores: licet enim inter homines agant, modus tamen divinus, & cæleſtis intuitus eſt. Quid enim ſublimius mente concipi queat, quàm ſynceriſſimus ille intuitus viri obedientis, qui nihil ratione humana metitur, quod nimiùm brevis menſura ſit, ſed ad perſpicaciùs cernendum à fide Theologica lumen mutuatur?

Quaſi Theologica.

Ejus honeſtas & nobilitas.

III. Quid honeſtius, quàm ſemper cum Deo verſari, verba facere, animi ſenſa conferre? quamdiù enim fidei oculus ille erga Superiorem viget, tamdiù cum Deo fideliſſimè agit: non enim magis hominis illius, qui fortaſſe præſidet, privatam perſonam intuetur, quàm ſi Majeſtas ipſa divina eſſet. Quid pretioſius ea virtute, quæ una cum ſit, cæteras omnes individuè ſociatas in animum inducit, & perpetuo fœdere ſervat? nam præterquam quòd quicquid præſtatur, cujuſcumque virtutis opus ſit, cum ad obtemperandum Deo ſuſcipitur, obedientiæ actus eſt, proprios etiam univerſarum virtutum actus à Superiore impoſitos obit.

Jucunditas.

IV. Quid verò jucundius, quàm inter medios maris hujus fluctus ita regi, ut ea ſit norma obedientis, qua Deus actus ſuos dirigit, dum facit omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ? Quæ conſcientiæ ſecuritas major, quàm in ſalutis graviſſima cauſa ſeduci non poſſe? nequit enim ulla impoſtura ſubeſſe, quamdiù quis obedientiæ conſilio paret. Non moritur certè, neque læditur vir obediens, quemadmodum Acatius ille obedientiæ deditiſſimus è ſepulchro, in quo non animus, ſed corpus conditum erat, non ſine Patrum ſtupore reſpondit.

Utilitas.

V. Tanta profectò eſt bonorum ubertas, quam virtus hæc fœcundiſſima parit, ut Patres, qui Monaſticum inſtitutum condiderunt, in hoc genere numquam finem dicendi faciant. Etſi enim viri obedientes, quos hac ætate noſtra quoque conſpicimus, non loquerentur victorias, & ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium celeriùs hac via, quàm aliis properarent: ipſa certè ratio pervinceret, virtutem hanc ſummo ſtudio colendam. Clementiſſimus quippe Deus hoc cum viris obedientibus paciſci videtur, quod in originalis juſtitiæ ſtatu cum Protoparente pepigerat: ut ſcilicet tamdiù ei pars inferior ſubeſſet, quamdiù pars ſuperior ipſi Deo paruiſſet: obtemperant quippe ſenſus obedientis menti Deo perſeveranter adhærenti, & cæli pacem delibanti.

VI. At licèt multa obedientiæ præconia congeramus, nihil propemodum honeſtate tanta dignum agemus: illud verò pro multis præconiis depromere poſſumus, quod à Jeſu Chriſti D. N. auctoritate deſcendit. Cum enim eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Qui ergo ſalutem æternam exoptant, virtutis hujus appoſitis actibus acquirendæ rationem inire conentur, quam ſubjecto cernent exemplo.

Chriſtus ex quibus obedientiam didicerit? *Hebr.* 5.8.9.

Exemplum.

VII. MUltifariam Patres de obedientiæ actibus egerunt: at ut methodicè procedamus, ad capita duo, Intellectum videlicet, ac voluntatem mentem intendere opus eſt. Conſtat quippe in his duobus cardinibus omne obedientiæ opus verti, ut quis ſubdat voluntatem, quod minùs perfectorum, ut ſubdat quoque intellectum, quod perfectiorum eſt. Plures enim vel appetitu reluctante, vel etiam ſine appetitus lucta obedire didicerunt, at proprii judicii cenſuram reſervant, qua quod voluntate tandem amplectuntur, intellectu non probant: quorum virtus imperfecta eſt: quamvis enim judicent eum, qui præcipit, eſſe Superiorem, cui omnino parendum ſit; ſe tamen judicant prudentiores. Perfecti autem obedientis eſt ita parere, ut judicet, quod præcipitur, eſſe opportuniſſimum: non modò, cum rei congruitas apparet, ſed cum nihil rationi conſentaneum repræſentatur, quod non ægrè Fratres noſtri præſtabunt, ſi attentè conſiderent, multa Superioribus patere, quæ ſubditos latent; & inſignis temeritatis eſſe, ſine perſpectis rei circumſtantiis latentibus, rem, quæ ex illis honeſta eſſe poteſt, improbare: præterquàm quòd exploratum eſt, Superiores à Deo uberiùs illuſtrari, & ſecretis modis ad ſubditorum examen profectumque moveri: quale igitur inſipientiæ genus erit, ſubditum eo lumine deſtitutum de iis, quæ ignorat, velle ferre judicium? Sed quod ad obediendi genera ſpectat, vulgatam illam diſtinctionem præ oculis habeant; aliud ſcilicet eſſe, quicquam cum obedientia, aliud ex obedientia præſtare: illud enim accidit, cum ſubditus primùm aliquid poſtulat, hoc verò, cum motu primo, & proprio Supe-

Obedientia in quonam verſetur?

Perfectus obediens qualis?

rior

Scrip. An. 1605.

rior ei quippiam injungit. Sed illud non eximit ſubditum à culpa: hoc verò, niſi corrumpatur, omni culpa vacat, quod ſic patet: Petit quis librum, veſtem, lucernam, vel ſimile quippiam: Superior annuit, ac proinde actus cum obedientia efficitur: ſed obedientia hæc actum minimè honeſtat, ſi honeſtate carebat: verùm in proprio genere relinquit: poteſt quippe actus ille petendi bonus eſſe, ſi neceſſitas ſubſit, malus, ſi ſecus. Quod verò actus ille non decoretur Superioris conniventia, inde liquet, quod plerumque Superior ſubditi poſtulantis imperfectionem dignoſcens, pejora vitans, rem indulget: ubi Superior prudenter, ſubditus imprudenter agit. Cæterùm, cum res ex obedientia præſtatur, ex ipſa illius actus natura malum obrepere nequit: ſuboritur tamen interdum ex ſubditi vitio; quapropter dictum eſt, non latere imperfectionem, niſi actus corrumpatur. Corrumpitur quippe voluntatis abuſu, dum rem à Superiore injunctam ideo ſubditus libenter amplectitur, quia genio proprio conſona eſt, ægrè illam peracturus, ſi parum genio congrueret.

Adpetitus ſenſitivus legi mentis infeſtus.

VIII. Sunt & aliæ obedientiæ circumſtantiæ, ſive modi, ab hilaritate, ab expeditione, ſive promptitudine: nonnumquam enim ſubditus voluntate, ac intellectu obtemperat; vult quippe, ac expedire judicat: ſed appetitus ſenſitivus legi mentis infeſtus triſtitiæ paſſione decumbit, vel aliis modis indecoris agitatur, ac animum prægravat: unde ſubit torpor quidam, qui ſubditum ab obedientiæ executione retardat: quem à veris obedientibus depelli opus eſt. Denique quicquid animum à puro Dei per Superiorem loquentis intuitu divertit; ut aliud, quàm parere Deo, propter ipſum Deum, exquirat, obedientiæ corruptela eſt. Si verò nihil niſi unius Dei beneplacitum ſpectetur, ſive cum Deus per Superiorem præcipit, ſive cum proximè inſpirat, ſive proſpera, vel adverſa diſponit, puriſſimus obedientiæ gradus eſt, quem Sancti reſignationem appellant. His ergo perpenſis, expurgato corde, ſic obedientiæ actus exercendi ſunt.

Obedientiæ corruptela notata.

Actus interni.

IX. Clementiſſime Deus, poſtquàm per Superiorem mihi tuum beneplacitum ſignificas, firmiſſimè conſtituo ei quaſi tibi parere.

Profectò, ſapientiſſime Domine, quamvis Superior homo agreſtis, & ignarus eſſet; quicquid mihi diceret, quaſi cœleſtia oracula ſuſciperem.

Profiteor, Domine, Superiorem meum, propter te, veneratione digniſſimum eſſe, ac proptereà me totum illi libentiſſimè ſubdo.

Certiſſimum eſt, Domine, Superiorem mihi, quaſi Deum eſſe, aliam ergo ſapientiam, vel eruditionem minimè requiram.

Sanè tametſi videretur carneis oculis meis Superior meus ſtultè loqui, verba viæ meæ audire putarem.

Eo certè modo, fideliſſime Domine, quo tibi obedirem, ſi te corporeis oculis cernerem, Superiori meo parebo.

Abſit à me, Domine, ut improbem, quod Superior meus probat.

Hujuſmodi actus ſaluberrimi ſunt: ſed de actibus externis nonnihil adiiciendum eſt.

Actus externi.

Quinam actus obedientiæ poſtulandi?

X. Quamvis, ut diximus, actus impoſiti, quàm petiti meliores ſint; ſunt tamen actus nonnulli, quos poſtulare, quàm expectare perfectius eſt: cujuſmodi ſunt carnis maceratio, & opera laborioſa, quæ Superiores ex prudentia, & charitate ſubditis imponere detrectant: Veri quippe obedientes non modò expreſſæ, ſed tacitæ quoque Superioris voluntati, quam præſagiunt, celeriter occurrunt, ajentes; Ecce ego, mitte me. Cum ergo quid Superioris proprio motu, vel ex laborioſis, à ſubdito poſtulatum exerceri debet, alacritas adſit, & quàm perfectè poſſit peragatur. Hic annotandum, ex appetitu ſenſitivo arduitatem metuente acediam ſurrepere: ac ipſam rerum difficultatem falsò exaggerari: quamobrem ne credatur timori, ſed fidei, quæ ait: neminem à Deo ſupra vires vexari.

Excellentiſſimum obedientiæ debitum, quale?

XI. At unum inter omnia excellentiſſimum debitum Obedientiæ, propriæ videlicet conſcientiæ rationem Superioribus Fratres noſtri reddant, adeo ut nihil prorſus, ſive proſperum, ſive adverſum celare audeant: licet enim erga omnes veritatem ac ſimplicitatem abſque omni ſimulationis imagine colere debeant: duplices enim animi nequeunt eſſe Virginis filii; at erga Superiorem exactiùs debent eſſe veraces. Certoque ſibi perſuadeant, hoc uno conſilio ſe laqueos omnes vitare, bonum omne parare poſſe. Noxia erubeſcentia procul abſit, procul timor, procul humanæ rationes; tametſi quæ aperienda ſunt graves, & ipſis quoque Superioribus contrariæ tentationes ſint: tantùm enim abeſt, ut inde amor decreſcat, vel alia damna exoriantur: ut Angelus Satanæ, qui rei utilitatem novit, & pertimeſcit, nihil ſubtiliùs curet, quàm ſpecie virtutis, ſi timore nequeat, ſubditos ab hac fidelitate divertare. At verus Obediens tam debet eſſe conſtans, & Superiori ſuo fidelis, ut non ipſi uni, ſed toti etiam urbi, ad illius nutum, non culpas leves tantùm, ſed turpiora, ſi quæ in ſæculo admiſit, peccata revelet. Hoc autem & ardua quævis alia vincet, ſi Superiorem quaſi Deum ipſum intueatur; quod eſt inter Obedientiæ documenta laudatiſſimum. Hinc enim exoritur amor, & reverentia, hæc ut non reſiſtat, ille ut rem celeriùs exequatur: columnæ duæ ſunt, quæ ſtatum noſtrum ſuffulciunt: quas Fratribus noſtris ſummopere commendamus.

Obedientiæ motiva.

XII. Verùm ad tertiam capitis partem venianiamus, & animis ad Obedientiæ cultum incitandis, & vitiis, ſeu paſſionibus, quæ obſtant, elidendis opportunas rationes depromamus. Primum. Princeps hominis pars intellectu, Quid per obedientiam ſacrificetur? ac voluntate conſtans per Obedientiam ſacrificatur: unde nobiliſſimum, ac Deo ſuaviſſimum holocauſtum eſſe nemo inficiari poteſt: at eſt arduum; & quò res nobilior eſt, & ad eam ex naturæ corruptione homo pronior, eò imminet ad eam abnegan- A dam difficultas major. Sed quantò major difficultas mundi ſectatoribus incumbit, qui pro modica mercede interdum, quandoque ſine pretio ullo Principibus ad nutum ſine ſomno, ſine honore, ſine pace, ſollicitè, exactè, diù famulantur; & poſtquam longa ſervitute conſenuerunt, in Xenodochiis intereunt, & fortaſſe in Tartarum detruduntur? Quantò ergo conſultius ſit humaniſſimo Principi, & amantiſſimo Patri non ſine ſpe mercedis immenſæ filiorum more Secundum. obtemperando principari? Deinde inter omnia, quæ ab hominibus magnificantur, ſunt Senatus conſulta, & Prudentum reſponſa, videreque licet Reges terrarum de graviſſimis negotiis anxios, quòd neſciant, quid fieri expediat, & ſi errent, regnorum in- B teritum pertimeſcant: quàm ergo pretioſum eſſe debeat Fratribus noſtris de graviſſima ſalutis, vel mortis æternæ cauſa ſollicitis in promptu habere ad actus ſingulos Dei per Superiorem reſpondentis oracula, adeo fidelia, ut ſeduci non poſſint obtemperantes, licet aliqua ex fragilitate Superior deciperetur? Profectò ratio hæc labores omnes Obedientiæ gratia ſuſceptos bene com- Tertium. penſat. Præterea, quamvis quiſque Fratrum prudentiſſimus eſſet, ſuique poſſet eſſe cuſtos, multò eſt honorificentius Deum eo ſingulari modo, quo cæteri Chriſtiani carent, pædagogum habere, ac ab eo per ſublimiorem quamdam duci viam, quàm ipſe ſeorſum, licet vir ſanctus foret, carpere nequiret. Perſpectum eſt enim, eum ope- C randi modum, qui propria voluntate à ſanctis quoque viris exercetur, ad illius modi, qui Obedientiæ proprius eſt, altitudinem non poſſe pertingere: quàm ergo libenter eos, qui grandia cogitant, Obedientiæ ſe dedere par ſit?

Quartum. X. Jam verò cum quis tentationibus urgetur, & quaſi mentis inops agitatur, compertum eſt, appoſitiſsimum habere remedium, ſi uſpiam in exilio vitæ hujus inveniri poſſit: nam præter lumen cæleſte, quod propter fideles ſubditos Superiori etiam indigno Deus infundit, præſtat quoque tenerrimum affectum, ut eo ipſo, quo ſubditum vexari noverit, peculiari cura illi ad bonum ſpirituale, & corporale proſpiciat. Cur ergo ſuperiori, quem corde materno D Deus erga ſubditos afficit, non exactiſſimè pareatur? aut quæ tentamenta hoc antidoto non depellantur? Certè non ſolum à Sanctorum, qui Superiores ſuos ardentiſſimè dilexerunt, diſciplina, ſed ab hominum natura longiſsimè diſtat, qui Obedientiæ virtutem non ſtudioſiſſimè colit: habet enim in homine uno Dei Viceſgerente, quicquid ad honorem, ſolatium, & commodum attinet: quibus profectò bonis cor hominis trahi planiſſimum eſt.

XI. Verumtamen licèt nulla ſubeſſet ratio, Quintum. quæ virtutis hujus amorem perſuaderet, una Jeſu Chriſti exemplaris noſtri au- Chriſti obedientia. ctoritas corda omnia ſubiugare deberet; ipſe quippe mitiſſimo corde obedivit Matri, & ei, qui putabatur Pater: E Erat enim ſubditus illis: & ab utero matris ad mortem uſque ab ejus virtutis cultura non receſſit, ſicut ſcriptum eſt: *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*; *Philip* 2. 8. quo nil legitur mirabilius. Adæ inobedientiam bene penſavit, ut per hoc pateat, primi peccati damna, Obedientiæ cultu reſarciri: quam ſane doctrinam qui non amplectitur, ſe Chriſti non eſſe, facilè demonſtrat. Obtemperent alii mundi præceptoribus, ut diſcant, ducibus, ut prudentia militari diteſcant, naucleris, ut corporalem vitam à naufragio ſervent: nobis & Præceptor, & ductor, & nauclerus non alius, quàm Clementiſſimus Deus ſit, cui in altaribus cordium noſtrorum, ſecundum exemplar, quod nobis in Calvariæ monte oſtenſum eſt, F Obedientiæ ſacrificium veſpertinum immolemus.

XII. Hæc eſt via, quæ ducit ad vitam, etſi ad mortem tendere videatur: via militaris eſt nullis erroribus obnoxia, & exitu fœliciſſimo clauſa. Deducit enim dulciſſimus Deus, ſicut oves populum ſuum, non ut olim in manu Moyſi, & Aaron: ſed in manu Unigeniti Filii ſui. Præeſt ſanè Obedientiæ Magiſter ſapientiſſimus in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Circumducit gentem ſuam, & docet, & cuſtodit, quaſi pupillam oculi ſui.

XIII. Hæc ſunt obedientium privilegia, quibus Clauſtra gaudent: quibus ſoli filii G alieni, qui claudicaverunt ab utero, carent, ob infidelitatem ſuam: Inobedientia, quale peccatum? & meritò quidem, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Cum ergo Fratres noſtri, qui Chriſtum diſcere cupiunt, Superiores ſuos quaſi Deum ipſum amore, ac reverentia ſingulari proſequi, & ad illorum præſcriptum non tantùm opera, ſed verba, & quoad fieri poteſt, cogitationes quoque metiri: ut poſtquàm Iinſtituti noſtri curſum obedientiſſimo Dei Filio ſimiles hac fide confecerint, immenſa præmii cœleſtis fœlicitate lætentur.

CAPUT VII.

De caſtitate.

H

I. Caſtitas (quod ad rem noſtram attinet) eſt virtus, Caſtitas, quæ virtus? & ejus dignitas? quæ carnis concupiſcentiam moderatur, & illicitas voluptates excludit. Virtutis hujus Angelicæ dignitas planè cœleſtis eſt, cui tribuitur peculiaris pulchritudo. Præſtat quippe homini (quod

Scripta An. 1605.

A

Chriſti amor in Virgin tatis cultores, notatus.

B

(quod à carnis concretione longisſimè diſtat) Angelicam videlicet honeſtatem, & mentis ſublimitatem; quæ cæleſtes procul dubio dotes ſunt. Ex quibus non obſcurè cerni poteſt, quàm virtus hæc hominem illuſtret, qui ſupra naturam elatus, cœleſtem quemdam candorem ſpirituali naturæ congenerem exhibet. Hinc exiſtit ſuavisſima quædam pulchirudo, quæ mira cum energia omnium oculos, & animos allicit: quantum enim luxuriæ turpitudo deterret, tantum caſtitatis forma demulcet. Quod non in creaturis modò, ſed in ipſo Creatore Jeſu Chriſto cernere licet: qui & Virgo, & Virginis Filius, & Virginum amantisſimus eſt, ut in amore Johannis, quem ſingularis prærogativa Caſtitatis ampliore dilectione fecerat dignum, apertè monſtravit. Decet quippe illum, qui candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula eſt, animos ſibi puritate ſimiles amore ſingulari proſequi, & peculiaribus donis augere: quod in Virginibus innumeris, quibus ſui copiam indulgentisſimè fecit, palam oſtendit. Ex quo certè liquet, quanta ſit pulcherrimæ virtutis hujus Jeſu Chriſti, cor velut ad nutum posſidentis, opulentia: nihil enim ea poſſeſſione pretioſius, nihil æſtimabilius. Sed bono tanto non quævis caſtitas, ſed perfecta potitur: qualem divino munere, ſine quo nemo continens eſſe poteſt, Fratres noſtri aſſequi contendunt.

Caſtitas ejuſque decor.

C

II. Perfectisſimus decor eſt, ardentisſimaque vota requirit, qualia pars magna Chriſtianæ nobilitatis ſumma cum laude concepit. Plurima quippe non ſolùm puellarum, quas mundus apparatu multo ad nuptias expetebat, ſed adoleſcentum quoque ingenuorum millia carnis pulchitudinem illata nece, aut ſuſcepta caſtigatione corporis delere maluerunt, quàm dulcisſimo caſtitatis decore carere. Honeſtius multo viſum eſt, ludibrio ab hominibus haberi, & propriorum etiam parentum odium pati, inſectationes, inediam, verbera, & id genus alia moleſtiſſima tolerare, quàm propoſito mutato à puriſſimæ virtutis amplexu divelli. Quod ſanè illa mentis ſenectus primis annis à Deo inſpirata non auſa fuiſſet, niſi colendæ caſtitatis ſtudium bonorum maximorum eſſet feraciſſimum. His ergo rationibus Fratres noſtri provocati enitantur hoc puriſſimo candore nitere: nec Beatiſſimæ Virginis adoptionem, quam plurimi faciunt, alio modo credant poſſe conſtare: ſed de præſcribendis actibus agamus.

Exemplum.

D

Caſtitas ejuſque gradus notati.

III. POnendum eſt, multos eſſe caſtitatis gradus: ſed perſpicuitatis gratia poſſunt ad duo capita reduci: unum eorum, qui à voluptatibus tantùm illicitis abſtinent, quod ſæcularium eſt: alterum eorum, qui nec licitis quidem fruuntur, quod eſt Monachorum, quamvis, & in ſæculo plerique hunc gradum attingant. Deinde notandum, in hoc ſecundo gradu alios ab iis tantùm licitis delectationibus ſe continere, quæ corporis ſunt: ſed ſi quid animo in ipſis Clauſtri exercitiis ineundum occurrat, amplectuntur: alios verò eſſe, qui ne ſpiritualia quidem oblectamenta captent.

E

F

Ad caſtitatem tuendam, quid?

IV. Fratres vero noſtri primum illud ſecundi gradus propoſitum omninò complecti, ad ſecundum verò, niſi degeneres eſſe velint, aſpirare debebunt: quemadmodum enim qui linguam ſeriò compeſcere decrevit, à verbis quoque bonis identidem abſtinet, ne dum bonis linguam explicat, in mala ſenſim relaxet: ita qui verè caſtus eſſe conſtituit, ita à caſtis delectationibus ſe cohibere debet, ne paulatim non caſtæ ſubintrent. Sic ex hiſtoriis probatiſſimis accepimus à ſuorum, & parentum colloquiis Patres antiquos accuratiſſimè abſtinuiſſe: ne aliorum non affinium vel ſola verba perciperent, tanta in hujus virtutis cuſtodia religio fuit. Nec immeritò: nam Patres ipſi pugnandi conſultiſſimi, qui congreſſiones hoſtium aliorum minimè formidabant, quod ad caſtitatis attinet prælia, ſemper fugam conſuluerunt. Corruptio quippe ſenſus tanta eſt, ut periculorum fugam rationi conſonam, quæ fortitudinis pars eſt, in hac pugna laudaverint, & multis exemplis docuerint. Uno tamen pronunciato ſupremum Caſtitatis gradum noſtri Fratres attingent, ſi nempe vigilantiſſimè conentur, ut nulli rei creatæ, quantumvis pulchræ cor adhæreſcat: ſed velut adulterii ſe reos exiſtiment, ſi ſoli Deo cor totum ubique non reddant: omnis quippe amor alius, etſi non ſemper corporis, ſemper tamen cordis caſtitatem lædit: ſed actus proferamus.

Actus interni.

G

V. PUriſſime, ac amore toto digniſſime Deus, conſtituo ab omni oblectatione abſtinere propter te.

Caſtiſſime Fili Virginis, etſi abſque culpa omnibus carnis voluptatibus, quas homines affectant, frui poſſem; me ab eis vigilantiſſimè continerem.

Candidiſſime Deus cordis mei, non modò carnis delectationes reſpuo; ſed imagines quoque formoſorum corporum concipere nollem.

Amabiliſſime Jeſu Chriſte pango fœdus cum oculis meis, me rerum corporearum elegantiam non intuiturum.

H

Suaviſſime decor animæ meæ, certò ſcias, me à rebus corporeis nec tactu, nec auditu, nec aſpectu, nec alio modo (quoad mea fragilitas feret) ullam oblectationem percepturum.

Dulcisſime Domine, non tantùm oblectamenta carnis non recipiam: ſed quod ad me attinet, neque ſpiritus delectationes requiram.

VI. Hujuſmodi actus animoſè producendi ſunt: ſed ad externos tranſeamus.

Actus

Actus externi.

Ad caſtitatem tuendam quænam cavendæ?

VII. AD capita duo referuntur, quæ pro caſtitatis cultu à Fratribus noſtris præſtari debent: unum ad ſenſuum correctionem: alterum ad carnis macerationem attinet. Capitis primi eſt, ſenſus cohibere, quoties aliqua ſuboritur delectatio: ut Frater quiſque omninò ſtatuat, ſtatim ac animadvertit, delectationem obrepentem excutere: quod duobus exemplis planius fiet. Videt quis Frater aliquem ſæcularem, ſeu Religioſum forma præſtantem, ubi naturali motu ex eo conſpectu ſubit aliqua licet non illicita delectatio. Tunc ergo, caſtitatis amore, ſic agere debet oculos avertens: abſit, ut corporis hujus aſpectu delectari velim: Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. Alterum exemplum petamus à tactu. Accidere poſſet in recreationibus, vel alibi, ut Frater quis inopinus manum alteriùs tangeret, vel contrectaret, unde oblectationem aliquam ſentiret: Tunc re deprehenſa, manum propriam debet confeſtim ad ſe referre, ac in Deum hoc modo aſpirare: Abſit à me Domine, ut aliquam delectationem quæram extra te. Ex his diſcent Fratres noſtri, quantopere debeant ſingularem aliorum familiaritatem, quæ illos actus indecoros parit, evitare: quin etiam ſi caſtitatem ament, & ſe ipſos, dum ſe in cellis exuunt, cubant, vel alios ejuſmodi actus exercent, vitaturi ſunt, ne quid viſu, vel tactu parum honeſtè fiat. Sed quod de duobus ſenſibus, duobus exemplis expreſſimus, de aliis pariter accipiendum eſt: nam nec auditu, nec olfactu, neque guſtatu, in quo major ſubeſt difficultas, niſi ob neceſſitatem, vel utilitatem, non ob ullam voluptatem, uſuri ſunt. Idem quoque de ſenſibus internis, vel potentiis aſſerimus: nam quicquid ibi delectationem parit, ſi neceſſarium, aut utile non ſit, expellendum, ſi expelli nequeat, vel non debeat, intentio purganda, & in Deum ſolum attollenda eſt: ſed ad caput ſecundum caſtigandi corporis accedamus.

Corporis mortificatio præcepta.

VIII. Fallax equus ad ſalutem, & in abundantia virium ſuarum non ſalvabitur. Propterea illa corporis afflictio, quæ Fratribus noſtris uſitata eſt, à cultoribus caſtitatis impenſiùs debet frequentari. Huc ſpectant vigiliæ, jejunia, incommodus lectus, cilicia, catenæ, & ejus generis alia, de quibus in capite de Pœnitentia dicemus: ſed hîc hoc volumus dumtaxat, ut Fratres juniores animadvertant, omnes auſteritatis actus, & ſenſuum, quas diximus, mortificationes, caſtitatis colendæ gratia ſuſceptas, actus quoque caſtitatis eſſe, nec ſine his munimentis eam virtutem ſolere conſiſtere. Hinc ſanctiſſimi, & ab omni carnis infeſtatione alieniſſimi Patres ſe moleſtiſſimis afflictionibus in antris, & ſolitudinibus conficiebant: etſi enim præſentibus præliis non impeterentur, tamen futura timebant: & uſque ad poſtremum halitum militabant. Quorum doctrina potiſſimum commendatur, quod carni neceſſitatem, aut morbum ſimulanti minimè crederent: ſed cum carnis detrimento, ut ſpiritus fieret ſalvus, decertarent. At verò cum caſtitatis propugnatio difficillima ſit, quòd homo adverſus carnem ſuam, quam nemo unquam odio habuit, armetur, & multiplices pugnæ, ac timores, laſſitudines, ac deliquia contingant, æquum erit, hac tertia capitis parte, pro virtutis tantæ præſidio oppoſitarum rationum agmen inſtruere.

Voluptatis temporales effectus.

IX. Prætexit amor proprius rei arduitatem, quaſi labor immenſus ſit cum hoſte implacabili perenne bellum gerere: ſed quantò duriora ſubeunt homines libidinoſi pro modica voluptate carnis furtim deguſtanda? Prodigunt patrimonia; nobilitatem generis, & honorem obſcurant: corpus voluptate obſcœna computreſcit: & anima ſempiternis, quos in hac vita præſentit, doloribus traditur.

X. Quantò ergo prudentius ſit caſtitatis decorem, & æternam fœlicitatem modico belli labore comparare, quàm exhauſto corpore tabem, & infamiam in præſenti vita; in futuro verò ſæculo mortem expertem mortis, fallaciſſima, & breviſſima voluptate mercari?

XI. Nullum non lapidem movent mundi cultores, ut aliqua ingenii, nobilitatis, fortitudiniſve laude Principum gratiam inire, ac præ aliis ab eis amari poſſint: cur ergo cum exploratum ſit, hoc eſſe caſtitatis privilegium, ut ob exactiſſimam, & dulciſſimam ejus pulchritudinem non ſolùm corda, ſed corpora quoque caſta à clementiſſimo Deo in delitiis habeantur, Fratres noſtri non impenſiſſimè curent puriſſima caſtitate nitere?

XII. Præterea omnes propemodum Eccleſiæ filii Beatiſſimæ Virginis auxilium, quaſi ſpem ſalutis æternæ firmiſſimam implorant: & ſi apud eam gratia valeant, ſe cauſam obtinuiſſe arbitrantur: cum ergo compertum ſit hac una virtute ad tantæ Reginæ favorem viam rectam ſterni, qua mente, qui inter ejus filios puritate candidatos recenſentur, licet laborandum ſit, in caſtitate tuenda poſſint eſſe degeneres?

Delectationes etiam licitæ cur a multis deſpectæ?

XIII. Deinde, illuſtriſſima orbis terrarum pars viris ſtudio Sapientiæ deditiſſimis conſtat, qui ſepoſitis curis aliis, æquum eſſe cenſuerunt, rebus divinis toto corde vacare: modica enim rerum cœleſtium cognitio ſcientiis aliis inferioribus longè antecellit: & ob eam cauſam à licitis etiam conjugii delectationibus mentem immunem ſervaturi, cœlibatum, & vitæ auſteritatem elegerunt: quod exemplis Patrum noſtrorum vulgatiſſimis, & plurimis patet: æquum ergo erit, Fratres noſtros ad ſapientiæ ſtudium fœlici ſorte vocatos carnis curam negligere, ut caſtitas, quæ inter virtutes omnes illi ſtudio mentem potiſſimum adaptat, in eorum quoque corporibus ſplendeat:

Scrip. An. 1605.

deat: modica enim ſapientiæ cœleſtis delibatio ſuavior eſt, quàm ſit laborioſa caſtitatis diſciplina.

Amor vitæ quantus?

XIV. Ulterius, impenſior eſt amor vitæ, quàm ſcientiæ, vel ſapientiæ, nec fugit quemquam, ſedulitas hominum ad quodlibet detrimentum vitæ declinandum, quanta ſit: jam autem perſpectum eſt, caſtitatem tam eſſe morti, ſeu corruptioni contrariam, quàm obſcœnitas vitæ, ſive integritati adverſatur: ſi quis ergo vult vitam, eo certè ipſo, quòd vita per ferrum, ignemque ſervata placet, caſtitas quoque per labores multos quæſita placere debet.

XV. Quid jam de certaminis exitu dicemus? non enim futuræ tantùm vitæ præmia cumulatiſsima caſtitati reſpondent: ſed poſt agones, cum jam Clementiſsimo Jeſu Chriſto ſatis pugnatum eſſe videtur, etiam in hoc exilio, caſtis cordibus amantiſsimè blanditur; quod à junioribus Fratribus attentè ponderandum eſt.

XVI. Omnium quippè Theologorum ſententia eſt, re quoque Philoſophicè perpenſa, majores multò animi, quàm corporis delectationes eſſe: bene igitur cum Fratribus noſtris agetur, ſi pro voluptatibus abdicatis gaudia divina prælibent.

XVII. Cæterum quamvis nihil aliud emolumenti è cuſtodia formoſiſſimæ virtutis hujus referendum eſſet, quàm Jeſu Chriſto conformes fieri, quo nihil eſt glorioſius: deberent profectò Fratres noſtri perpetuis laboribus, & angoribus ad hanc laudem aſpirare.

XVIII. At, cum peculiari quadam ratione hoſtem hunc carnis domeſticum nutrire, & ab eo ſimul infeſtari debeant: noverint, inſtantiſſimè orandum, ut Dominus pro ſuæ bonitatis, & noſtræ fragilitatis magnitudine præſentiſſimum ferat auxilium. Orationis ergo, & exercitiorum aſſiduitate ſtipendia militiæ noſtræ faciant: & nulla difficultate deterriti, nullo mœrore dejecti, pro decore virtutis, pro mercedis magnitudine, pro ſimilitudine Jeſu Chriſti chariſſimi Fratres noſtri decertent.

CAPUT VIII.

De Paupertate.

Paupertatis definitio.

Paupertas inter Beatitudines a Chriſto conlocata.

I. EDocturus Jeſus Chriſtus, veræ ſapientiæ Præceptore, æternæ beatitudinis viam à paupertate orſus eſt: quæ nihil eſt aliud, quàm ultronea rerum temporalium abdicatio, ob regnum cœleſte ſuſcepta: quæ bona externa, ſicut obedientia, & caſtitas interna ſacrificat. Ejus verò ſublimitatem, veram ſtatus Apoſtolici notam, commendare operoſum eſt: habet enim neſcio quid virtute altius, dum bona, quæ homines adorant, excelſo animo calcat. Quapropter inter beatitudines potiùs, quàm inter virtutes à Chriſto ejus laudatore collocari debuit: ut noſſent homines veros pauperes ſpiritu non qualemcunque virtutem, ſed quemdam fœlicitatis gradum in hoc etiam exilio conſecutos.

Paupertas Chriſti, quæ bona ſecum afferat?

Spiritus Sanctus pauperum Paracletus dictus.

II. Ex quo ratio efficax exoritur, quæ animos allicere poſſit. Nemo enim eſt, qui fœlicitatem avidiſsimè non expetat: ad cujus viam perveſtigandam præclariſsimos totius antiquitatis ex omni natione viros multis laboribus aſpiraſſe compertum eſt: quamobrem cum oraculo Dei Fratres noſtri acceperint, paupertatem Chriſtianam in beatitudinem cultores ſuos rectà ducere, ſtudium illius cupidiſsimè debent arripere. Sed præter oraculum hoc, multa ſecum bona Chriſti paupertas affert, quæ corda poſſint emollire. Singulari enim jure pauperes ſpiritu in Dei tranſeunt adoptionem; ut ii, quos mundus deſpicere videtur, ab eo paternè regantur, & alantur, tanquam filii excelſi omnes. At quid homini glorioſius accidere poſſit, quàm ex abjectione mundi Patrem excelſiſsimum acquirere? Novit hoc ille, qui dixit, Pater meus, & mater mea derelinquerunt me; Dominus autem aſſumpſit me. Nec ſolùm hæc tanti Parentis honorificentiſsima protectio, ſed intima quoque conſolatio pro cupiditatis abdicatione ſuccedit: Spiritus quippe ſanctus, qui corda ſolatur amore peculiari, pauperum Paracletus eſt, ut qui eſt Dei donum, iis potiſsimum detur, qui rerum omnium expulſione vacua illi corda ipſo tantùm explenda præbuerunt: propterea poſt illa verba: Veni Pater pauperum, proximè dicitur: Veni dator munerum. Ex quo pariter liquet, quàm ſint prudentes mercatores, qui tam eximiis donis cœleſtibus tam exilia terræ bona permutant. Nec verò quemquam movere debet, rationes has Chriſtianæ paupertatis aſſertrices ab iis, qui ſæculo implicantur, minimè capi, ſunt enim ſæculo altiores, & ſolidiſſima fide ſubnixæ: cui ſæculi contemptores facilè aſſentiuntur. Fratres igitur noſtri ad hunc ordinem gratis vocati, altiſsimo deſpectu bona omnia temporalia deteſtentur: & actus Chriſtianæ paupertatis acquirendæ opportunos ediſcant.

Exemplum.

Paupertas Chriſti ex quibus componatur?

III. NOtandum ex duobus capitibus paupertatem Chriſti componi, ex abdicatione externa, & interna. Externa conſtat illa relictione, quæ omnibus clauſtra petentibus communis eſt: Interna verò concupiſcentiæ, ſeu cupiditatis extirpatione, quæ non univerſis æquè communis eſt. Utramque Chriſtus indicavit illis verbis, Pauperes ſpiritu: non enim pauperes dixiſſe ſatis erat, quod externa bonorum privatio præſtat; ſed oportebat addere, ſpiritu, hoc eſt, voluntatis affectu, qui abdicationem creat internam. Poſtquam verò quis & opere, & affectu temporalia bona rejecit, non continuò paupertatis cultor perfectus evadit: multa enim ex affectu illo, & interna & externa in cœnobio exercenda ſunt, ad

eam

Scrip. An. 1605.

eam perfectionem comparandam, ut è ſubjectis actibus patebit.

Mundi ſubſtantia reſinoſa dicta.

IV. Reſinoſa mundi ſubſtantia eſt, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret: quamobrem poſtquam concupiſcentiæ paſſio bonis, quibus in ſæculo paſcebatur, ſe videt orbatam, ad ea tenuia commoda, quæ in clauſtris eſſe poſſunt, ardenter hiat: & totam eam vim, qua in A ſæculi divitias ferebatur, ad res quoque viliſſimas confert. Sic veſtem, librum, imaginem quodam avaritiæ affectu curat, & ſibi permitti, aliis tradi nollet. Nocendi genus miſerrimum eſt: ut qui ampla patrimonia reſpuerunt, libri, veſtis, vel aliarum nullius pretii rerum nimio amore capiantur: quod propterea vigilantiſſimè cavendum, & affectus his actibus internis repurgandus.

Actus interni.

V. Clementiſſime Deus nolo aliorum bonorum poſſeſſionem, niſi tantummodò tui.

B Utinam Pater amantiſſime millenos mundos auro plenos haberem, non ut poſſiderem, ſed ut relinquerem propter te.

Benigniſſime Domine, quod ad me ſpectat, promptiſſima voluntate omnia, quæ deſiderare poſſum, relinquo propter te.

Miſericordiſſime Deus, utinam carerem hac veſte, qua tegor, ut tibi mea nuditate placerem.

Dulciſsime Pater, ego ſum hac cella planè indignus, utinam ſub ſcala, vel in angulo domus incommodo pernoctarem.

Satis benè mecum ageretur Domine, ſi ederem reliquias ciborum, quibus famuli tui veſcuntur, oro te, ut me ad convivium fragmentorum panis, qui ſupereſt, admittas.

Abſit à me, ò tota hæreditas mea, ut libri, cellæ, veſtis, ſeu aliarum rerum cupi- C ditate præpediar.

VI. Hujuſmodi actus, ut ſatis patet, multis modis formari queunt; ſed ad externos accedamus.

Actus Externi.

VII. Animadvertendum eſt, multos, qui paupertatem profitentur, graviter ſeduci, dum ſola prima bonorum temporalium renuntiatione, & nonnullis actibus internis contenti, ſe opus abſolviſſe putant: nec externè ſibi quicquam deeſſe patiuntur. Gravis error eſt; quale enim genus paupertatis eſt, cui nihil deeſt? Profectò juxta Sanctorum doctrinam paupertatis comites ſunt, rerum neceſſariarum defe- D ctus, calor, frigus, ſitis, fames, nuditas, & multiplex incommoditas: quapropter timendum eſt, ne ii, quibus neceſſaria ſemper ſuppetunt, Chriſti ſententia pauperes veri non ſint. Propter hoc Fratres noſtri, ſi quando valentibus, ſive ægrotantibus quicquam deſit, gratiam Clementiſſimo Deo habeant, quòd experimento paupertatis, quam colunt, conſcientiam exhilarare velit. Verùm quia fragilitatis noſtræ miſeretur, indulgenter providere ſolet, ne quid neceſſarium deſideretur: quo non eſt æquum pauperes veros fieri remiſſiores; immò ſtudioſiùs eis in opus incumbendum, ne dum materia paupertatis exercendæ ſubtrahitur, meritum quoque decreſcat. Tunc ergo, & E universè, quoties poterunt, veſtes obſoletas, & laceras, cellam incommodiorem, duriorem lectum, vetuſtiores libros, cibos infirmiores, & ejuſmodi alia, quæ pauperibus congruere norunt, à Superiore poſtulare, aut impoſita libenter ferre debebunt. Quod ſi eis, quavis de cauſa res commodæ indulgeantur, affectum non ſinant adhæreſcere: ſed illas, quemadmodum & omnes alias, quaſi res alienas, parcè, & quaſi res Chriſto ſacras, illarum detrimentum devitantes, reverenter uſurpent.

Antiqua pauperum diſciplina notata.

Hæc eſt pauperum Chriſti antiqua diſciplina; quæ ſtatim, ac animo cujuſquam inſedit, miris incrementis Monaſticam perfectionem exaggerat: nam præter propriam excellentiàm, F plurium virtutum nobiliſſimarum ſocietate reſplendet. Sed cum carni refragetur, quam impenſiùs æquo frequenter homines amant: neceſſe eſt rationes firmas inducere, quibus ad paupertatem amplectendam corda roborentur.

VIII. Laborioſum eſt (ajunt) paupertatem tam exactè colere: genus enim cujuſdam ſervitutis duræ videtur. Sed quantò laborioſius vitam degunt homines innumeri, non electione, ſed coactione pauperes, qui vix pane ſaturantur, & ſine ſpe mercedis contabeſcunt: qui tamen homines ſunt, & Jeſu Chriſti ſanguine redempti?

IX. Nec obſtat ſanè, multos ad clauſtra vocatos, ex opulentis pauperes graviùs illis pauperibus neceſſariis (ut ajunt) divexari: nam præterquàm quòd opinio hæc hominum ſæcularium falſa eſt; eſto tamen G ita eſſet, quot homines locupletiſsimi, vel ob culpam, vel ob artis campſoriæ deliquium repentino caſu in extremam triremium egeſtatem ſine compenſatione ullius conſolationis incurrunt?

X. Nec eſt ad rem, illos peccaſſe: quis enim è vocatis adeo juſtus eſt, quem non accuſet alicujus peccati conſcientia: propter quod, ſi non in hac vita triremibus, in futura tamen flammis inferni tradi commeruerit? Non expedit certè illa ſolùm, quæ carneis oculis videntur, expendere: ſed æterna cogitare.

XI. Deinde quamnam voluptatem percipiunt viri divitiarum, dormientes ſomnum ſuum, qui cum intereunt, non ſu- H munt omnia, ſed nihil inveniunt, niſi peccatorum ſpinas in manibus ſuis: & quia dorſum incurvarunt ſub terrenorum bonorum pondere, demerguntur, quaſi plumbum, in aquis vehementibus, daturi pœnas cupiditatis ſuæ? Numquid colligunt de ſpinis uvas? An non mortuus eſt & dives, & ſepultus eſt in inferno?

Paupertatis corona.

Quantò ergo fæliciùs eſt,

Scrip. An. 1605.

Matt.19.27.

A

eſt, illa bona relinquere, quàm relinqui, & cum Lazaro quondam paupere requiem æternam invenire? Quantò lætius, & glorioſius eſt, cum eo, qui pro multis dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; ſuper ſedes duodecim cum pauperibus Apoſtolis in opulentiſsima gloria ſedere? Certè (ut ex hac ſeſsione patet) non eſt inutilis commutatio, pro eo, qui ſuper omnia eſt, omnia reliquiſſe.

XII. Præterea (ne quis ſolam futurorum bonorum pollicitationem parum movere dicat) præſentis ſæculi divitiæ eò tantùm conducunt, ut quis alatur; cætera enim, quæ ad faſtum expenduntur, culpa non vacant: quid ergo ex rebus temporalibus (excepto faſtu) deeſt Monacho, cui Deus peculiari cura providet alimenta? Profectò non deeſt, niſi ſollicitudo, niſi peccata, niſi cupiditas: at hæc abeſſe, melius eſt.

B

Pſal. 36.25.

Pſal. 33.11.

XIII. Jam autem bona illa terrea caſu perire poterant, & moleſtior egeſtas ſuccedere: at Chriſti famulis nulla calamitas panem adimere poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Numquam vidi juſtum derelictum; nec ſemen ejus quærens panem. Nec ſolus panis, ſed nec ullum bonum Jeſu Chriſti ſervis deeſſe poteſt: cum tamen divitibus mundi panis quoque deficiat, ſicut ſcriptum eſt: Divites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.

Pauperum procurator, quis?

C

XIV. Ulteriùs divites ſæculi ſui ipſorum curatores, pauperum verò Deus procurator eſt: & propterea ſingulas buccellas Deus, qui minutiſſima quæque contemplatur, in numero, pondere, & menſura ſuis alumnis apponit; eſca ergo tam amanter, tamque ſapienter proviſa, quantò ſit corpori utilior, quàm ea, quæ ab homine ipſo intemperante, & fortaſſe diabolo conſentiente, parata eſt?

Luc. 6. 24.

XV. Præter hæc, eſcam illam certè lautiſſimam conſolationis internæ, qua in hoc etiam exilio Chriſti pauperes per intervalla ſaltem aluntur, compertum eſt ſæculi divitibus deeſſe: Habent illi ſanè conſolationem levem, ſed Jeſus Chriſtus ait: Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram in hoc mundo. Melius ergo eſt, Dei ſolatio hîc recreari, & ſempiterna ſimul ſperare ſolatia.

Paupertas ſpiritus commendata.

D

Pſal. 87.16.

XVI. Cæterum, licet rationes allatæ parum valerent, amor ille, quo Dei Filius, cum eſſet dives, egenus propter nos factus eſt, vehementer Fratres noſtros urgere deberet, ut paupertati ſpiritus plurimam operam navarent. Si Deus tenerrimo quodam affectu ait: Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea: decebit ne Monachum dicere: Nollem ego paupertatem exactè colere? Quid de Beatiſſima Virgine dicemus, cujus inopiam fructuoſius eſſet lachrymis, quàm calamo proſequi? O quàm dives paupertas, vel ex ſolo dulciſſimæ Reginæ cœlorum amplexu? Etenim duo exempla hæc dura quoque corda domabunt. Fratres ergo noſtri puriſſimæ, ac pauperrimæ Virginis filii, tantæ Matris conſortium conſtanter exquirant, & paſſionibus, ac tentationibus minimè fracti, ad pauperum hæreditatem, hoc eſt, regnum cœlorum aſpirent.

CAPUT IX.

De Pœnitentia.

E

I. POſtquam è ſæculi declivio ad Monaſticæ vitæ verticem Fratres noſtri vocati ſunt: & Theologicarum virtutum finem per Obedientiæ, Caſtitatis & Paupertatis cultum ſe adepturos intellexerunt: illud imprimis ab eis Deus requirit, ut peccata, quæ in ſæculo commiſerunt, opportunitate novi ſtatus oblata expiare conentur: quod pœnitentiæ virtute præſtabunt. Eſt autem pœnitentia virtus, qua propter Deum peccata deteſtamur, cum propoſito non relabendi, ac Deo pro viribus ſatisfaciendi. Rationem quippe cujuſdam juſtitiæ virtus hæc habet: & quia peccator Deum laceſſivit injuria, illum bonis operibus placare, ac de ſe ipſo vindictam ſumere conſtituit. Ex quo non obſcurè virtutis hujus nobilitas elucet: quid enim generoſius, quàm fideliſſimo corde ſibi ipſi pœnam inferre, ac pro Deo contra ſeipſum, non propter ſe, ſed propter Deum conſtantiſſimè ſtare?

Pœnitentiæ definitio.

F

Ejus nobilitas & ſublimitas, quanta?

G

II. Nobilitas velut Theologica eſt: nam in ipſa deteſtatione, ac vindicta peccati intuitus dirigitur non ad propriam utilitatem, ſed ad ipſum Deum ſummè dilectum: quæ cum divina charitate ſublimis quædam cognatio eſt. Hinc efficitur, ut qui paulò ante diaboli mancipia erant, momento uno ad lectiſſimum Filiorum Dei numerum aſſurgant: tanta virtutis hujus claritas eſt. Quis autem adeo demens ſit, qui ſplendore tanto non alliciatur, & propter dignitatem Filiorum Dei, qua nihil majus quæri poteſt, peccata delere, & candore novo illuſtrari non curet? Lucrum profectò maximum eſt, quo jura cœleſtis Hieruſalem à Dei filiis emuntur: & antiquæ libertatis, quæ peccato detrita eſt, damna reparantur. Hoc lucrum Magdalenæ, Petri, Pauli, & latronis illius, qui momento tantam vim pœnitentiæ veræ contraxit, ut Paradiſum emere poſſet: nec aliqua debita tam immania ſunt, quæ virtutis hujus uno conatu extingui non valeant.

H

Pœnitentia virtus fœcundiſſima dicta.

III. Nec verò virtus mœſta eſt, licet ſacco videatur accincta: Gaudium quippe eſt in cœlo ſuper omni peccatore pœnitentiam agente: peccatorque ipſe, novo ſpiritu recreatus, quaſi corpus noxiis humoribus repurgatum, bono ſanctitatis habitu lætatur. Nihil boni ab homine optari poteſt, quod hac fœcundiſſima virtute non pariat: ſicut nihil mali excogitari valet, quod ejus efficacitate non vitet: quapropter æquum eſt, Fratres noſtros expurgare vetus fermentum, quos Clementiſſimus Deus evocavit, ut eſ-

Scrip. An. 1605.

ſent nova conſperſio: & quaſi juſti deleta culpa epularentur in azymis ſynceritatis, & veritatis. Sed actus virtutis hujus præſcribamus.

Exemplum.

A

Eccli. 25.17.

IV. Animadvertant Fratres noſtri, ſalutare conſilium eſſe: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Certò quippe ſciunt ſe peccaſſe: veniam verò licet ſibi datam confidant, certò tamen minimè norunt: quapropter ita pro peccatis Clementiſſimum Deum exorare meminerint, ac ſi noviſſent, ſibi non peperciſſe: In graviſſimis quippe negotiis, ob ſolam mali ſuſpicionem homines prudentia inſignes ea remedia adhibere conſueverunt, quibus uterentur, ſi certiùs mala prænoviſſent. Deinde, quamvis certò noſſent culpam ſibi fuiſſe condonatam: non continuò à pœnis acerbiſſimis Purgatorii exemptos ſe credere deberent: ex quo ad ſæviſſimum ignis illius cruciatum redimendum ſtultè agerent, ſi pœnitentiæ opera non præſtarent. Præterea, tametſi & culpam, & pœnam totam Deus indulſiſſet, non ſine rubore à caſtigando corpore deſiſtere poſſent: ipſa quippe miſerentis Dei bonitas immenſa generoſis cordibus ad labores ſubeundos acerrimum calcar eſt. Viri enim ſanctitate clariſſimi ſeveriùs poſt veniam, quàm antea corpus domuerunt. Ulteriùs licet minimè peccaſſent, ferocientem equum, ne illos in peccata præcipitet, coercere prudentum eſt. Denique quamvis nec peccaſſent, nec peccaturi eſſent, ob ea honeſtiſſima bona, quæ corpore macerato ſpiritus parit, pœnitentiæ opus animoſè ſuſcepturi eſſent.

Pœnitentia commendata.

B

C

Contritio veræ pœnitentiæ actus.

V. Quod ad actum veræ pœnitentiæ potiſſimum, qui eſt contritio, ſpectat, ne ſcrupulis torqueantur, noverint, veram contritionem non in dolore appetitus, qui ſenſu percipitur, ſed in ſeria deteſtatione culpæ propter Deum, & cavendi deliberatione poſitam eſſe.

Actus Interni.

VI. Miſericordiſsime Deus, deteſtor peccata mea propter te, ac decerno potiùs interire, quàm in poſterum peccare.

VII. Clementiſsime Domine, iniquitatem meam, quia tibi ſoli peccavi, odio habeo, & abominor: legem autem tuam diligere, nec ullo modo tranſgredi propono.

D

VIII. Execror, mitiſsime Deus, peccata mea, quia tibi diſplicent, & vindictam de illis pro te ſumere ſtatuo.

IX. Utinam benigniſsime Domine priùs occubuiſſem, quàm peccaſſem: potiùs moriar, quàm te, vel leviter offendam.

X. Diſplicet mihi valde peccatum meum, dulciſsime Deus: abſit, ut culpam ullam deinceps admittam.

XI. O ſuaviſsime Deus, quis poſſet peccata præterita proprio cruore delere: pro univerſis mundi bonis ne venialem culpam committam.

XII. Utinam amantiſsime Deus, omnes inferni cruciatus potiùs toleraſſem, quàm tibi diſplicuiſſem: potiùs gloriæ fruitione priver, quàm te offendam.

E

XIII. Hujuſmodi actus variis modis produci queunt: illud annotandum, oportere unà cum verbis prolatis, ſive interiùs conceptis internum voluntatis motum excitari (quod pro aliis virtutibus aſſertum volumus) etſi enim quis dicat: Deteſtor Domine peccata mea, niſi interiùs cor à peccatis, ſicut exteriùs oculos à venenati ſerpentis aſpectu avertat, non erit verus actus pœnitentiæ.

Actus Externi.

XIV. Actuum hujuſmodi Scriptura Sacra exempla plurima profert: qualia David cilicii, ac cineris peritiſsimus; & Rex Ninives cum tota urbe ſaccis operta; qualia Magdalena in antro, & Maria Ægyptiaca in deſerto: qualia omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, produnt. Cum enim, niſi peccatores pœnitentiam agant, omnes ſimul perituri ſint, & quò quis ſanctior eſt, eò ſe viliorem peccatorem opinetur, nemo à pœnitentiæ lege, opinione quoque ſua, prorſus excipitur. Propter hoc igitur, quò Religio perfectior eſt, eò ſeveriùs corpus exercet, ac multas carni leges imponit, quas tenaciſsimè obſervat: qualis eſt illa noſtris receptiſſima, ne quid carni propitium ſive ad valetudinem, ſive ſomnum, ſive ad veſtitum attineat (niſi neceſsitas Superiorem lateat, & alicujus momenti ſit) umquam expoſcant. Hinc ſacci ſetarum, panis tantùm, & aquæ jejunia, parciſſimus vini uſus, multa in cibo frugalitas, productiores vigiliæ, oratio nudis genibus diuturnior, acrior verberatio, ferreæ catenæ diebus aliquot per hebdomadas ſingulas decretis, caloris, & frigoris tolerantia, & ejus generis alia permulta, quæ noſtris familiaria ſunt. Hæc ſanè omnia ad culpam vindicandam pro Deo ſuſcepta, perfectionem Monaſticam mirificè promovent: & dum internæ pœnitudinis veritatem intendunt, propriam conſcientiam lætitiæ perfundunt, & ad æmulationem, cum cernuntur, alios quoque ſuccendunt. Sed rationes ad pœnitudinem concipiendam, & exercendam penſitemus.

F

G

Rationes ad pœnitentiam exercendam. Prim

H

XV. Prima ratio à Dei Majeſtate, cui irrogatur injuria. Nemo eſt inter homines ſæculo deditos, qui non magni faciat Principum magnitudinem, ac turpe ducat, illis injuriam inferre: naturalis quippe ratio dictat, indecorum eſſe iis, quibus reverentia maxima debetur injuriam irrogare, & ex ipſo naturæ lumine oritur pœnitudo quædam, quæ ad ſe demittendum, & offenſum Principem placandum urget offenſorem. Quanta ergo doloris vis eſſe debeat ob excelſiſſimam illam Majeſtatem irritatam cui ſummus amor, ſummaque reverentia de-

debetur? Et quidem ratio hæc ab ipſa ducitur injuriæ immanitate, quam ex magnitudine, ſapientia, pulchritudine, aliiſque Dei perfectionibus metimur, tanta quippe ſublimiſſimæ Divinitatis dignitas eſt, ut quamvis nihil boni nobis præſtitiſſet, ſummo eſſet honore colenda; nam & homines dignitatem Regum exterorum, à quibus nullum accepere beneficium, cum fortè illos A vident, apprime venerantur, culpa, ſupplicioque, niſi honorem eis deferant, non carituri.

Secunda ratio

XVI. Secunda ratio. At cum Divina Majeſtas, præter eam ſuam celſitudinem infinitam, innumeris, & immenſis beneficiis nos ſibi fecerit obnoxios: quale feritatis genus erit, ex dulciſſimi, ac fideliſſimi benefactoris iniuria dolorem minimè concipere? Nulla enim tam inculta, & barbara gens uſpiam exiſtit, quæ illos, à quibus beneficiis augetur, impenſiore gratitudine dignos non judicet, & eorum offenſionem perhorreſcat.

Tertia ratio.

XVII. Tertia ratio. Verùm illud apud homines inſignem vim habere videtur, quod à Regibus, aliiſve Principibus expectant: B ſpes quippè viros etiam illuſtres in aulis ſeneſcentes adeò afficit, ut ſi fortaſſe non ita placidè Principes reſpondeant, vel etiam aſpiciant, graviſſimo mœrore decumbant, & nonnumquam intereant: cùm ergo potentiſſimus ille Regum Rex peccatorem, ex quo peccavit, non comiter aſpiciat, ſed execretur (odio enim eſt ei omnis impietas) quomodo ſpe ſaltem fruſtrata, non intimo dolore corripiatur, & ad mortem úſque decumbat? Augetur rationis energia ex hominum ſceleſtorum conſuetudine: mirum eſt enim, cum peccato aliquo indignationem alicuius terreni Regis incurrunt; quomodo Regem illum mortalem fugiunt, & aliena maria, terraſque pererrantes, C ad omnem ſtrepitum Regis ſatellites ſuſpicantur, quomodo ergo, qui Regem immortalem, quem nullis navigationibus, vel terrarum tractibus evadere poſſunt, offenderunt, domi requieſcere, ridere, ludere poſſunt? immò quomodo illum exorare non feſtinant? quomodo mortis ſpicula ſubitanea non formidant?

Quarta ratio.

XVIII. Ratio quarta. Sed quamvis mors timenda non eſſet, ſolumque peccatoris damna, dum peccat, expendamus: dolendum eſt, quàm ingentem calamitatem incurrat: præter amicitiam quippe Dei, Beatiſſimæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum conſortia, quæ amittit, ſi animæ internam, D & funeſtam deformationem contemplemur, divinam gratiam, virtutes infuſas, Spiritus Sancti dona, jus ad gloriam ſempiternam, bonorum operum meritis partum peccato deperdit: quo quid ærumnoſius accidere poſſit? Profectò tam infœlix caſus eſt, ut univerſi mundi lachrymis dignè defleri, & plangi nequeat.

Quinta ratio.

XIX. Ratio quinta. Quid de malis aliis, præter bonorum jacturam dici poſſit? Filius Dei veſte candidiſſima togatus erat; ſtatimque ac peccat, diaboli mancipium eſt: omnis illa interna pulchritudo, quæ Dei oculos delectabat, in deformitatem intolerabilem convertitur: & ſicut juſtus in cœlum motu quodam gratiæ nativo ferebatur, ita peccator culpæ pondere nativo verſus tartarum, locum ſcilicet ſuum, deprimitur, E & agitatur, ut corruat, velut alter Judas, qui ſuſpendium maturavit, ut abiret in locum ſuum.

XX. Cum ergo tot mala, tamque gravia inſtent, peccatorum res agitur, dum tempus pœnitentiæ permittitur; admonitio enim quædam Dei eſt, qui diſtricto juſtitiæ gladio, cum iraſcitur, miſericordiæ recordatur; ſed niſi converſi fuerint, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit inſtrumenta mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Sexta ratio.

XXI. Ratio ſexta. Proponit Clementiſſimus Deus optionem, ut qui peccarunt, præſentis vitæ pœnam modicam ſubeant, vel obſtinato corde flammis urantur æternis: qua in re incredibile eſt, fore quempiam adeò dementem, qui modò nolit probari, F ne poſtmodum reprobetur.

Septima ratio

XXII. Ratio ſeptima. Expendant nunc Fratres noſtri, quàm ſit clemens erga peccatores, qui poſtea ſeverè puniturus eſt. Creberrimè homines ab hominibus, ob adulteria, furta, homicidia, capite plectuntur, & quod in hac vita ad homines attinet, tantumdem eſt, ac ſi in nihilum redigerentur: qualis ergo miſericordiæ laus ſit, peccatorem, qui capitis pœnam æternam commeruit, ad leviſſimam pœnam, quæ vitæ reformationem continent, invitare?

Octava ratio.

XXIII. Ratio octava. Accedit ipſius pœnitentiæ ſolatium; etſi enim nullis aliis rationibus ſpontè à peccatoribus agenda G foret; propter ipſam tamen, quam ſuggerit ſuavitatem, eſſet optanda: Verum enim eſt illud: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam: *Pſ. 93. 19.* Cum enim vera pœnitudo viget, ac vitæ auſteritatem, ut iniuriam pro Deo ulciſcatur, ſubit, exoritur lætitia ſpei tunc invaleſcentis filia: cui pœna ultrò quæſita dulceſcit.

Nona ratio.

XXIV. Ratio nona. Deinde vitiorum mali habitus, qui hominem, quaſi rubigo ferrum exedebant, vindicta pœnitentiæ revelluntur, & anima illis compedibus ſoluta perfectionis Chriſtianæ viam alacriter carpit, & omnia vitæ anteactæ damna celeri expeditione reſarcit.

Decima ratio.

XXV. Ratio decima. At enim, tametſi H nulla vis argumentorum peccati ultionem perſuaderet: nullum certè Chriſtianum cor eſſe deberet, quod aſpectu Jeſu Chriſti pro peccatis noſtris aſperrimam pœnitentiam agentis non emolliretur. Profectò cum cæderetur, conſpueretur, irrideretur, crucifigeretur, quæ non rapuit, tunc exolvebat, & adeò rigidè ſolvebat, quaſi nefariè rapuiſſet. Quare ergo moriatur juſtus (quod nemo conſiderat) & latrones, qui ejus bona diripuerunt, levem ſaltem pœnam ferre detrectent? Fratres ergo noſtri, ſuam cauſam agentes, peccata præterita ſeriò deteſtantes, dolorem (quoad ex auxilio gratiæ per eos fieri poterit) concipere ſatagant: deinde fortiter dimicantes corpori ſeveras leges imponant: ut amotis culparum veterum impedimentis ad portum ſalutis peracta navigatione pertingant.

CAPUT X.

De Abſtinentia, & Sobrietate.

Abſtinentiæ, & ſobrietatis definitio.

I. MUlta in capitibus de Caſtitate, Paupertate, & Pœnitentia protulimus, quæ ad proprios actus abſtinentiæ, ac ſobrietatis ſpectant: nec novo tractatu indigerent, niſi gulæ hoſtem tam infeſtum paterentur: adiiciemus ergo nonnullas obſervationes erga virtutes has, quæ pœnitentiæ familiariſſimæ ſunt. Abſtinentia eſt virtus, quæ ciborum uſum, ſicut ſobrietas potum moderatur: utraque eſt temperantiæ pars, Inſtituti Monaſtici conditoribus laudatiſſima. Honeſtatem virtutum harum adoleſcentibus maximè decoram inde coniicere poſſumus, quòd ſpiritus principatum Angelico more tuetur, dum perenniter vigilant (quod Chriſtus conſuluit) ne corda turpi crapula, vel ebrietate graventur. Mores nimirum Angelicos affectant, ut mens inde paſtum requirat, ubi ſpiritus alitur, tametſi ad tempus corpus extenuetur. Utiles certè conatus: tantò enim pinguior mentis, quantò tenuior corporis paſtus eſt: & cum alter alterum excludat, ingens diſpendium eſſet, ſpiritu jejuno, rudi paſtu corpus obruere. Nec ſolùm adeſt lucrum: ſed major certè è ſpiritus alimento, quàm è poculentis, vel eſculentis percipitur voluptas: quæ corda puriſſima nutrit. Hinc per omnem antiquitatem præclariſſimi Patres utriuſque Teſtamenti tam exactè virtutes has coluerunt, ut pelle dumtaxat, & oſſibus conſtare viderentur: quorum tamen in exhauſtis corporibus robur invictiſſimum fuit: quod plurima, & vulgatiſſima exempla demonſtrant. Fratres ergo noſtri Patrum tantorum veſtigiis inſiſtentes, eam gloriam æmulentur, ut res divinas, quarum ſtudium profitemur, corpore non impediti percipiant. Sed actus proponamus.

Patres Novi ac veteris Teſtamenti harum virtutum cultores.

Exemplum.

Gulæ concupiſcentia notata.

II. NOtandum, gulæ concupiſcentiam multis ſubtilitatibus propriam voluptatem exquirere: quærit enim lauta primùm: ſi ea deſint, ex iis, quæ apponuntur, explorat meliora: ſi omnia æque bona, vel non bona ſint, rem quantitate compenſat: quòd ſi quantitas modica ſit, edendi, ſeu bibendi mora, vel modo alio, qui guſtum pariat, actum illum vitæ neceſſarium vitiare contendit. Propter hoc quiſque Frater ſecum ſtatuere debet, velle ſe eam tantùm eſcam, & potum aſſumere, quæ naturæ non voluptati ſerviant: & modum Sanctorum tenere: ut omnis feſtinatio, vel affectatio abſit, & animus communi lectione paſcatur. Verùm quia Concupiſcentia neceſſitatem plerumque ſimulat, ne facilè credant, niſi re experimentis probata: extra horas autem conſuetas nihil ſumere non Monachis tantùm, ſed ſæcularibus, qui frugalitatem amant, familiare eſt.

Actus interni.

III. TEmperatiſſime Jeſu Chriſte, decerno eſca, & potu eo tantùm uti, ut natura ad ſerviendum tibi conſiſtat.

Nolo, mitiſſime Domine, ullam in menſa voluptatem percipere.

Abſit à me, Domine, ut lauta, vel ullo modo palato ſuavia quæram.

Vellem, dulciſſime Deus, ut omnia quæ ſumpturus ſum, abſynthium ſaperent propter te.

Propono, amantiſſime Domine, cor à menſa ſubtrahere, ac lectioni ſacræ admovere.

Propono, Domine, corpus fame, ac ſiti vexare propter te.

Utinam Clementiſſime Deus, quoties accumbo menſæ, portio deterrima mihi contingat.

Utinam, benigniſſime Jeſu Chiſte, felle, quod guſtati, omnia mea prandia condiantur.

Hujuſmodi actus (ut cuique patet) ſub formis variis produci poſſunt: ſed affectus commendatur.

Actus externi.

IV. EX antiqua Patrum diſciplina conſtat, modos ad gulam necandam multos excogitari oportere: nam in re quotidiana, qualis eſt corporis nutritio, fruſtrà quis ſe temperantem crederet, qui ſolos internos actus exerceret: qualis enim virtus eſt, quæ occaſione frequentiſſima non utitur? Hinc Fratres noſtri non ſolùm appoſitis meditationibus, ſanguinis, fellis, & aceti Jeſu Chriſti menſam inſtruere; ſed accuratiſſima circumſpectione, dum cibum, potumque ſumunt, virtutem colere nituntur. Hinc è ſingulis ferculis partem aliquam Chriſto pauperi erogare. Hinc aliquoties in ſingulis prandiis, aut cœnis buccellas aliquot, quibus concupiſcientia magis oblectatur, Chriſti cauſa relinquere. Hinc vino parciſſimè uti. Hinc certam ſibi panis, & potus quantitatem præfigere. Hinc fructibus benè olentibus, & gulam irritantibus per dies aliquot veſci nolle. Hinc pulmento modicam aquam ad extinguendum ſaporem interdum infundere. Hinc pulveres abſynthii, vel alicuius rei amaræ leviter inſpergere. Hinc dum ac-

Quæ ad abſtinentiam, & ſobrietatem parandam obſervanda?

accum-

Scrip. An. 1605.

Voluptas gulæ reprobata.

Ingluviei effectus.

cumbitur menſæ cilicium, vel catenam corpori aſtringere: vel pedem alterum è terra per intervalla ſublevare, ut moleſtia corporis cibi, & potus guſtum excludat. Hæc, & alia permulta, quæ ſalutis æternæ deſiderium ſuggerit, pro captu cujuſque ad abſtinentiam, ſobrietatemque parandam obſervanda ſunt: nec ſi prælia importuna inſtent, ab honeſto propoſito deſiſtendum eſt: quod his rationibus perſuaderi videtur. Homines, qui belluarum ritu propriæ carni nimis indulgent; cum à medicis victus ratio præſcribitur, mirum eſt, quàm rigidè pareant, ut parvi momenti ſanitatem acquirant, vel præſervent: quare ergo pro cordis ſanitate paranda, vel augenda Jeſu Chriſti famuli præſcriptam à ſanctiſſimis Patribus victus menſuram non teneant, ut æterna ſalute lætentur? Certè qui ſtudiis humanarum ſcientiarum impensè vacant, capitis offuſcationem veriti, frugalitatem cum famis, ac ſitis patientia colunt, ut peritiores evadant: cur ergo, qui cœleſti ſtudent ſapientiæ, quæ ſine temperantia non paratur, à gulæ voluptatibus non libenter abſtineant? Deindè, nativum eſt homini ratione uti, nemoque adeò inſanus eſt, ut non potiùs vellet oculis corporeis, quàm intellectus uſu carere: erit ergo ad hominis ingenium, quod intellectus uſuram non qualemcumque, ſed inſigniter perſpicacem confert, amare, ac pro virili ſua præſtare. Exploratum eſt autem, homines gulæ deditos in dies ſingulos magis hebetari, & rudiores effici: contra verò temperantes in quadam jugi mentis vigilia rebus divinis opportuniſſima, vaporibus non obturbata perdurare.

V. Præterea quid turpius Monacho ad Angelorum menſam invitato, quàm belluarum pabulo ſic affici, ut ibi cor defigat? Etenim non ab Angelis tantùm deſpicitur; ſed quaſi ſtatu, quem elegit, indignus, magnam omnium ſibi conflat invidiam: non enim veri Religioſi ab homine ventri dedito poſſunt non abhorrere.

Ejuſque pœna.

VI. Sed & ipſe Clementiſſimus Deus hujuſmodi homines vehementer odit; ut electi populi exemplo ad terrorem vulgatiſſimo latis oſtendit; quando poſtquam pluit ſuper eum, ſicut pulverem, carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, iratus eſt valde: adhuc enim eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos: & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit.

Ingluviei dediti deſcendentes Eſau dicti.

Ieſu Chriſti jejunium notatum.

Victus Ieſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis, qualis?

VII. Profectò Monachi voraces ad Eſau poſteritatem pertinent, qui eſca una vendidit ſacra primogenita: adoptavit quippe illos Deus in ſortem Iſrael primogeniti populi ſui, cum è millibus ſæcularium eos elegit: ipſi verò ſacra non curant, & pro ingluvie Dei præſentiam, orationem, devotionem, mentis puritatem, & alia primogenitorum privilegia vendunt. Et quidem eò magis horum profectus deſperandus eſt, quò minùs admonitiones Superiorum, & rerum ſpiritualium doctrinam percipiunt: etſi enim communibus Chori, Capituli, & Oratorii actibus eos intereſſe oporteat, tantundem eſt, ac ſi abeſſent; cum affectus eò feratur, ubi non animus, ſed concupiſcentia paſcitur. At verò Religioſi temperantes fœliciter progrediuntur: actibus enim ad profectum deſtinatis non interpellati vacant, & vegetiores inde prodeunt: ſunt vigiles, prudentes, comes, & omnibus omnia fiunt: inter omnes autem dotes caſtitate candidiùs nitent: ſicut enim gula obſcœnitatis, ita & abſtinentia caſtitatis ſeminarium eſt. Verùm quid de ſuavitate paſtus interni, qui pro externi ſubtractione ſuccedit, aſſerimus? Illud profectò temperantibus evenire videtur, quod ipſi frugalitatis exemplari noſtro Jeſu Chriſto poſt quadraginta dierum jejunium accidit, cum acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Sic enim Clementiſſimus Deus eos, qui à dapibus terrenis, ut ipſi vacent, abhorrent, lauto convivio ſolari conſuevit. Cæterùm ex hiſtoria modò tacta petitur ratio ad exquirendas virtutes has efficaciſſima: victus enim tam Jeſu Chriſti D. N., quam Beatiſſimæ Virginis, quamdiu inter mortales vixerunt, quid aliud, quàm perennis abſtinentiæ, ac ſobrietatis cultus fuit? Omnia ſanè hoc exemplo complectimur: nam quod de Apoſtolis ſpicas præ fame vellentibus, quod de multis Eremitis abſtinentiæ laude, uſque ad miraculum commendatis accepimus, minus quiddam, quanquam, ſi cum ignavia noſtra comparetur, per ſe maximum eſt. Certent igitur Fratres noſtri à probata Chriſto victus norma ninimè deſciſcere, ut mente in Deum ſublata, mentis, & corporis puritatem tueantur, & Chriſtianæ perfectionis viam velociſſimè percurrant.

CAPUT XI.

De Humilitate.

Humilitatis definitio.

Ejus celſitudo quanta?

I. Nihil iis, quos peccatorum ſeriò pœnitet, quique infenſum Deum exorare cupiunt, altiſsima Chriſti humilitate compendioſius eſt: quod multis parabolis, & hiſtoriis Scripturæ Sacræ convincitur. Eſt autem humilitas virtus, qua coercetur animus, ne ad ſe altiora feratur; & licèt in Jraſcibili exiſtat, temperantiæ pars, & virtus per ſe clariſſima eſt. Quàm verò ſit hæc virtus excelſa, quàm compendioſa, quàm ſuavis, nemo eſt, qui poſſit ignorare: licèt enim ejus vim planè divinam non omnes calleant: ſunt tamen adeò celebria ejus encomia, quæ ſcriptis, & verbis ab ineunte Chriſti Eccleſia ad hunc uſque diem perſonuerunt; ut maximi cujuſdam boni præſtantiam ſub humilitatis nomine ab univerſis hominibus concipi oporteat. Virtus Chriſtiana eſt, & vel ex eo capite illuſtriſsima, cujus celſitudinem nulla Ethnicorum Philoſophorum gymnaſia æquare potuetuerunt: ſola Jeſu Chriſti ſchola rem tantam edocuit, quæ pronos olim ad terram homines ad cœlos evexit. Quapropter jam hinc Fratres noſtri nobiliſsimæ virtutis hujus pulchritudinem noſſe deſiderent; ut avidè ſpectatam ardentiùs ament; ac bona proculdubio immenſa illius cultu conquirant. Eximiam ſanè oportet eſſe pulchritudinem, quæ cor Dei mirificè delectat, A & ad ſua vota ſuaviſsimè trahit: quam profectò energiam humilitatis eſſe propriam ſacris oraculis teſtatiſsimum eſt: nemo enim umquam ſe ex animo demiſit, quem Clementiſsimus Deus, velut moræ impatiens, non ſtatim amaret, & è pulvere ſuſcitaret; quamvis peccator ſceleſtiſsimus extitiſſet: quod vel illa dulciſsima filii prodigi parabola liquet: nihil enim filius ille alienus è ſubſtantia tota ſecum referebat: ægrotus, tabidus, deformis, lacer revertebatur: ſola tamen cordis afflicti demiſſione Dei cor è veſtigio flexit. Nec utilitas ulla major accidere potuit, quàm poſt ampliſsimam opulentiam diſsipatam ſuſpirio uno cæleſte regnum, quod adſpicere non audebat, citò lucrari: quid enim (hoc B excepto lucro) prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur? Porrò à mundo condito ars nulla tam lucroſa ab hominibus inventa eſt, quàm imis radicibus humilitas defixa: ob quam Pater amantiſſimus calceamentis, annulo, ſtola prima, & regalibus ornamentis inſtructum filium locupletiùs, quàm ante diſceſſum, ditare feſtinat.

Filii Prodigi parabola notata.

II. Qualia verò ſuccedant oblectamenta: ubi ſaginatus vitulus, & altilia multa menſæ lautiſſimæ inferuntur, & ſymphonia certè ſuaviſſima corda permulcet? Nequit enim ullis eloquentiæ viribus explicari, quot quantaque ſint interna hominis ſe demittentis gaudia. Quid enim ſentiat, cum propter admiſſa peccata ſe contrahe- C re, ac in tartarum quaſi detrudere nititur; contra verò amantiſſimus Deus accurrit, amplectitur, & bono animo eſſe jubet? Benè norunt, qui divina pertractant, inæſtimabilia eſſe Dei oblectamenta, ſed cum præter opinionem animo vilia de ſe cogitanti uberiùs indulgentur, ſtupore quodam miro ſuſpendunt, nec animus illa capere poſſe videtur. Cum ergo dulciſſimæ virtutis hujus ſit tanta fœcunditas, æquum erit, Fratres noſtros ejus decore capi, & per labores quoque graviores de illa perquirenda cogitare. Sed actus afferamus.

Dei oblectamenta ineffabilia.

Exemplum.

III. Perpendendum eſt, Regulam illius D demiſſionis animi, quæ propriè eſt humilitas, eſſe propriæ fragilitatis cognitionem: ac propterea duo ad hanc virtutem requiri, intellectum ſcilicet verum, & purgatum affectum. Debet enim quiſque ex propria fragilitate, potiſſimumque ex peccatis admiſſis, ſe dimittere: ac de proximo ſuo, in quo vel peccata ſimilia non dignoſcit, vel ſi qualia ipſe beneficia recepiſſet, ex peccatore juſtior eſſet, meliora, quam de ſe ipſo, animo concipere. Nec tamen ex hoc ea Dei dona, quibus actus eſt, parvipendere, ſed quaſi rem ſe meliorem gratis datam, & fortaſse ob ingratitudinem, & abuſum amittendam, æſtimare. Deprimunt enim animum, velut graviſſima pondera, Dei munera: & ex hoc capite bonos eorum exploratores degra- E vant, & rubore ſuffundunt. Gradus autem humilitatis à Patribus variæ deſignantur: poſſunt tamen perſpicuitatis gratia ad hos reduci: ex parte materiæ ad ſubmiſſionem, qua quis majoribus, qua æqualibus, qua inferioribus, qua univerſis etiam ſceleſtiſſimis ſe ſubiicit, qui ſunt quatuor gradus, obſervata ſerie, uſque ad quartum, qui omnium ſupremus eſt, aſcendentes.

Humilitatis gradus quot?

IV. Verùm, quia demiſſio hæc potiùs ad exercitium, quo paratur, quàm ad virtutis ipſius genus ſpectat: altera diviſio, quam à forma nuncupare licet, huic annectenda eſt: cujus primus gradus eſt, credere alios eſſe meliores: ſecundus, velle, ut alii quoque idem credant: tertius, vel- F le, ut alii cum ipſo quaſi cum inferiore ignominioſè agant: quartus, cum ſic agunt, eum deſpectum patienter ferre: quintus, illo contemptu lætari, & contemptores amare. Poſtremus gradus hic ſublimiſſimus eſt; & cum ad eum animus pervenit, incredibile eſt, quàm immenſa divini amoris incrementa pariat: annotandum tamen imperfectis adhuc, immò & recenter ad Deum converſis, præ ſenſu internæ ſuavitatis accidere, ut quos ſibi culpas exprobare vident, ardentiùs amare videantur: at affectio illa non eſt humilitas hæc, quæ provectorum eſt propria, ſed ſimilitudo quædam: præterquàm quòd innatum eſt homini, cum lætus eſt, ignominiis, quæ amarum animum exaſperant, non valde com- G moveri. Sed actus proferamus.

Poſtremus, ac ſublimiſſimus humilitatis gradus.

Actus interni.

V. Mitiſſime Jeſu Chriſte, profiteor coram te eſſe me univerſorum hominum viliſſimum.

Nemo eſt, benigniſſime Domine, tam tibi ingratus, & infidelis, ac ego.

Latrones ipſi, & ſacrilegi, o miſericordiſſime Domine, perfectiùs tibi famularentur, ſi eos, ac me, tot & tantis beneficiis affeciſſes.

Nihil novi, neque amo, Clementiſſime Domine, niſi terram: & propterea non ſum dignus aſpicere cœlum, nedum ingredi.

Animalia omnia, pro captu ſuo, Domi- H ne, tibi appropinquant: ſolus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo.

Deformior certè ſum, Domine, ob culpas meas, omnibus leproſis, & ulceroſis, qui ſanie fluunt.

Profectò, piiſſime Deus, ego deberem in ſterquilinio jacere, à cæterorum homi-

num

Scripta An. 1605.

num convictu ſequeſtratus, ne illos peccatorum contagiis inquinarem.

Abſit à me, Domine, ut velim ambulare in magnis, vel mirabilibus ſuper me.

Utinam, æquiſſime Deus, univerſi homines cognoſcerent vilitatem meam, & deſpicerent me.

Utinam multis ignominiis exprobrarent A mihi homines indignitatem meam Domine, ut ſpernerer propter te.

VI. Actus hi producendi ſunt, animo enitente vilia de ſe opinari, ac juxta eum ſenſum optante; qualia commeruit, ab hominibus recipere: ſed actus externos depromamus.

Actus humilitatis externi.

Ponendum eſt, omnes mundi totius vilitates, inopiam, lepram, infamiam, publica ſupplicia, & quicquid ad dedecus unquam orbe toto inventum eſt, hominem non ita contemptione dignum reddere, ac una ſaltem culpa, quo ad Dei, & verorum ſapientûm ſententiam, deſpicabilem efficit: nec in hoc ſanè apud expenſores B prudentes major eſſe poteſt controverſia, quàm erga poſitum hoc; Duo bis ducta ſunt quatuor. Ex quo efficitur, ut is, cui propriorum ſcelerum affulſit vera cognitio, ſe tam contemptu dignum exiſtimet, ut omninò ſibi perſuadeat, æquum eſſe, ab aliis ſperni, alioſque pro Deo ſtare, cum illum aſpernantur. Quin etiam honorari erubeſcit; quemadmodum, qui cum pannoſus, & elephantiaſi conſperſus ſit, veſte Regis purpurea indueretur.

VIII. Hoc ergo de ſe opinari Fratres noſtri conentur: & ex hoc propriæ abjectionis judicio in actus externos ad hanc virtutem colendam appoſitos incumbant: cujuſmodi ſunt: in Refectorio, ſive Oratorio culpas ſuas, ut corripiantur, aperire: C cùm per Obedientiam licet, viliora miniſteria exercere: aliorum lavare pedes: ſordidas veſtes, ſeu vaſa mundare: cum opus unum à multis efficiendum eſt, locum poſtremum eligere, aliis obviis caput cum multa demiſſione aperire: loquentibus attentum auditum, & animum facilem præſtare: dicentibus quicquam minimè contradicere: ſi contradicant, confeſtim cedere: quæ alii dicunt, aut efficiunt magni facere: cum occaſio fert, aliorum facta commendare: quæ contemptilia videntur, neutiquam ſpernere: totius corporis geſtu mitem animum, utpotè aliis non repugnaturum exhibere: quæ in ſe honorifica ſunt, ut ingenium, genus, literatura, (quoad per Charitatem licet) occultare: quæ de ſe ad deſpectum dici poſſunt, ut ruditas, D tarditas, inertia, facilè detegere: morem illum Superiorem, ac Magiſtrum flexis genibus alloquendi, ſeque quoties laudantur, ſive vituperantur, proſternendi tueri: aliaque plurima, quæ animi tantæ virtutis cupidi paſſim deprehendent. Nec in hoc rerum genere Fratres noſtros errare decet, cum actus hos appetitui validè adverſantes non ſine moleſtia, & difficultate ſe proferre conſpiciunt: hæc enim via militaris eſt: nec ſine arduitatis victoria ſereniſſimam humilitatis pacem comparabunt. Et quod in hoc bello durum modò videtur, merito pretioſiſſimo recompenſatur: qua de re non eſt rationi conſonum virtutis tantæ propoſitum, ob aſſiduas congreſſiones, ullo modo deponere: quod & E adjunctis rationibus confirmamus.

Actus externi ad humilitatem colendam quales?

Humilitatis motiva.

IX. Homines, quò ſunt ambitioſiores, eò ſe aliis indigniùs demittunt, & mille ritibus, & geſtibus animos ſupplices in aulis oſtentant, ut parent honorem: quia ſibi perſuaſere, ut voti compotes fiant, hanc eſſe viam omnium appoſitiſſimam: cur ergo, cum oraculo Dei acceptum ſit (Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur) qui ad honores æternos aſpirant, non ſe aliis ſtudioſiſſimè ſubmittant?

Luc. 14.11.

X. Rurſus, homines avari ſtudio auri ferventiſſimo patria excedentes, ubi nobilitate ſunt conſpicui, commigrant in exteras regiones, & omnem faſtum præcidentes, victu tenui, veſte non ſerica, operibus F non liberalibus ſe per annos multos, quaſi ſervitute damnant, ut diteſcant: Erit ergo prudens conſilium, quos Deus opibus immenſis aucturus eſt, in hoc regno peregrino cor humile gerere, & omni propriæ exiſtimationis pompa ſecluſa, compendio tanto ditari.

XI. Deinde indecorum eſt homini plebejo, veſte auro texta indui, nec ſine rubore in publicum prodiret indutus: quale igitur ignominiæ genus erit, Monachum, qui mundi contemptum interno propoſito, & externa veſte profitetur, poſita veſte plebeja, ſuperbiæ faſtum aſſumere? Profectò G deforme monſtrum eſt: & ſub ea veſte viliſſima elatus animus non perſeverabit.

XII. Præterea nemo eſt tam ſibi contrarius, qui ab aliis amari nolit: omnes quippe regnare cupiunt, & adeò cupiunt, ut (quod proverbio dicitur) ſi peccandum, pro regno quidem; regnum autem, quo quis aliorum cordibus imperat, omnium optabiliſſimum eſt; & regnorum regnum appellari poteſt; quia Regibus quoque dominatur, qui cordibus potitur. Cum ergò (experientia quotidiana teſte) qui humilis eſt, jucundiſſimo quodam imperio aliorum, à quibus impenſiſſimè amatur, animis principetur; neſcio ſanè, quomodo virtutem hanc non colit orbis univerſus. Vis rationis hujus à multis capitibus amplificari poteſt: humilis quippe animus, cùm alios ſe meliores exiſtimet, omnia eis bona, ſive honeſta, ſive utilia, ſive delectabilia potiùs, quàm ſibi deberi credit: item H cum ſe vituperatione dignum opinetur, opprobria, incommoda, dolores ſibi vendicat: unde illa, quæ alii oderunt, libenter accipit, quæ alii amant, libenter concedit: quo ergo pacto ſi aliis bona, ſibi mala tribuit, inter humilem, & alios poterit oriri diſcordia, cum cauſa nulla ſubſit? quòd ſi concordia viget, humilem amari, ac proinde

Humilis cæterorum princeps.

de

de cordium dominum eſſe neceſſe eſt. Et quidem non cordibus hominum tantùm, ſed (humanum dicimus) cordi quoque Dulciſſimi Dei ſic vir humilis hæret, ut quodammodo dominetur: quid eſt enim aliud dominari, quam poſſe, quod velis, alioſque trahere quò vis? Conſtat autem, humilem animum à Clementiſſimo Deo ſic amari, ut ad ejus nutum mundi totius molem velle moderari videatur. Profectò exemplis hoc illuſtriſſimis patet. Quid non præſtitit Davidi ad nutum, quando ſuſtulit eum de gregibus ovium, & de poſt fœtantes accepit eum paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam? Davidi inquam, qui coram arca fœderis Domini expoliaturus erat ſe, & ex animi demiſſione dicturus: Vivit Dominus, quia ludam, & vilior fiam: & humilis ero in oculis meis? Quid non humillimo Franciſco in fœdere novo indulſit, cui genere quodam amoris inaudito ſemetipſum, inflictis amoris vulneribus, impreſſit? Profectò impreſſionem hanc mundo univerſo laudatiſsimam humilitatis efficacitas videtur obtinuiſſe. Hîc autem expendi (ſi liceret) opportunum eſſet, quàm ſint ineffabilia humilium gaudia, quæ amantiſſimus Deus infundit: quomodo ſibi eos adſtringit, quomodo illabitur, quomodo ſibi configurat. At verò non eſt opus rationes alias corradere, & ad hauriendum è tenuibus rivis aquam ab humilitatis fonte divertere: notum eſt enim illum: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: à me, inquit, quaſi diceret, à me, qui ſapientiæ hujus idoneus præceptor ſum. Rectè quidem, quia cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſe formam ſervi accipiens. Quare ergo ſervi per humilitatis cultum non aſſurgant ad conſortium formæ Dei? Quàm tempeſtivè Fratribus noſtris accideret ex ore Jeſu Chriſti poſt pedum lotionem ſedentis audire: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis; ſum etenim: Si ergo ego Dominus, & Magiſter lavi pedes veſtros: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Iacob, & David, eorum humilitas notata.

2. *Reg.* 6.22.

S. Franciſci humilitas notata.

Chriſtus, ejus humilitas notata.

Matt. 11.29.

Iohann. 13. 12. 13. 14. 15.

XIII. Verum quamvis hoc infinitæ nobilitatis exemplar nobis deeſſet, iis tamen, qui in clauſtra Virgini ſacra ſe abdidere, ſatis eſſe deberet Filia Sion, & prudentiſſima Virgo; quæ cum tota formoſa, & ſuavis eſſet, & eam Reginæ laudarent, profundiſſimam humilitatis abyſſum, quaſi hujus lucis uſura indigna eſſet, ſui cognitione, ac mitiſſimi cordis demiſſione penetravit. Hæc nota Filii ſui primogeniti, quem pannis involvit: hæc quoque filiorum ſecundo, & virgineo partu genitorum nota eſt; illius ut docentis, horum quaſi diſcentium, ut ſint humiles corde, ut inveniant requiem fatigatis animabus ſuis, dum ſalutari humilitatis aura recreantur, & futuram inquirunt. Hæc nota civium dulciſſimæ Hieruſalem, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: qui ſuperbæ Babylonis faſtum abjurarunt, & per ſui deſpectum regnum cœlorum, quod vim patitur, violenti rapuerunt. Fratres ergo noſtri, puriſſimæ, ac humillimæ Virginis proles, à Parente tanta minimè degeneraturi, tametſi virtutum omnium partes explere debeant, hac tamen eximia, & reliquarum cuſtode virtute curent eſſe conſpicui: ſic enim breviùs, quàm ſine experimentis crederent, futuræ felicitatis primordia quædam guſtu pacis, quæ ſuperat omnem ſenſum, in hac valle perquirent.

Virginis Mariæ humilitas notata.

Humilitas aliarum virtutum cuſtos dicta

CAPUT XII.

De Manſuetudine.

I. MAnſuetudo, quæ inter partes temperantiæ recenſetur, eſt virtus, quæ moderatur iram, & proinde in Iraſcibili ſedem habet; ac ferè paſſionis illius ardorem extinguit: unde laudem profectò ſummam promeretur. Videtur autem (quod ad ordinem attinet) humilitati omnino ſocianda manſuetudo, cum à Chriſto ſimul commendata fuerit, ubi dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Cum autem manſuetudo, juxta rationis præſcripta iram, quæ inter paſſiones aſperrima eſt, moderetur, meritò ejus ingenium inter virtutes univerſas ſingulari ſuavitate videtur affluere, præter alia innumera bona, quibus hominem auget. Et quidem neminem fugit, animos mites aliis gratiſſimos, & jucundiſſimos eſſe: utpote qui alios tantùm abeſt, ut lædere velint, ut læſiones potiùs ſine reniſu excipientes, ipſis læſoribus vultum hilarem pro vulneribus reddant. Nec vulnera ſolùm libenter admittunt, ſed novis damnis expoſiti nihil ſe repugnaturos oſtendunt: donec virtutis hujus ineffabili ſuavitate alienæ iracundiæ furorem extinguunt. Ex quo ſatis liquet, quanta ſit Chriſtianæ manſuetudinis honeſtas: quæ, dum alii rationis metas prætergreſſi in ferarum naturam degenerant, decorem immota ſervat; & quodam immortalitatis genere inter ipſa vulnera intemerata perdurat. Hinc efficitur, ut aliquid homine altius vir mitis habere videatur; qui eventibus iis, quibus cor humanum acriùs extimulatur, tangi non poſſint, quaſi cœleſtem ſtatum fuerit aſſecutus: ſicut enim aere nebulis, nubibus, turbinibus, tonitruis, fulminibus agitato, ſuperior cœli ſerenitas intacta perſiſtit: ita mitis animus ultra omnem mundi perturbationem elatus, nullis terræ motibus, ſive rerum humanarum agitationibus ullam tranquillitatis jacturam patitur. Ex quo etiam patere poteſt, quàm ſit ingens hujus virtutis lucrum: jus quippe ad illam hæreditatem habet, quæ nullis perturbationibus deteri, vel concuti poſſit: ſcriptum eſt enim: Manſueti autem hæreditabunt terram; & ut omnis belli ſuſpicio auferretur, additum eſt; Et delectabuntur in multitudine pacis:

Manſuetudo, quæ virtus?

Matt. 11.29.

Ejus honeſtas notata.

Pſ. 36.11.

ut quod de florentiſſimo Salomonis, cognomento Pacifici, regno dicitur, de animo quovis manſueto aſſeratur: nullo ſcilicet armorum ſtrepitu interturbari. Nec pax effœta eſt, immò delectationum divinarum multiplici fœtu dives: propterea quippe dicitur: Delectabuntur in multitudine pacis: mirum eſt enim, ad ſolatia divina percipienda, quàm ſit opportuna manſuetudo: excludit enim omnia, quibus ab ea tranquilliſſima fruitione poterat præpediri. Fratres ergo noſtri tantorum bonorum cupidi virtuti huic ſe accuratiſſimè dedant, & ſtatum cœleſtem, ut Monachos decet, manſuetudine repræſentent; ſed actus proponamus.

Manſuetudinis fœcunditas.

Exemplum.

II. NOtandum eſt, quoſdam eſſe homines naturali conſtitutione ſic affectos, ut ſint ad excandeſcentiam velociſſimi; alios verò è contrario lentiſſimos eſſe: quod & de virtutibus aliis, ut de ipſa humilitate proximo capite tractata ſentiendum eſt: nonnullos enim excellentiæ propriæ ſenſus celerrimus, & ſubtiliſſimus torquet; alios verò parum movet, quod exemplis quotidianis intuemur. Virtutis ergo cujuſlibet cultura in incipientibus ibi potiſſimùm laude digna eſt, ubi contrarius affectus validè repugnat: nam qualis generoſitas eſt, eam virtutem colere, pro qua nullum prælium committendum ſit? Dictum eſt autem de incipientibus: nam ſi de provectis ſermo fiat: perfectior ſanè virtus quælibet erit, quæ poſt agones nullis jam præliis tentata quievit. Quod eò conducet, ut juniores Fratres, nec alios temerè judicent, nec verò ſe, ſi minimè tentantur, aliis anteponant: major quippe profectus eſt eorum, qui corruptæ naturæ habitudine ad vitia proni, nunc iræ, nunc ſuperbiæ, nunc invidiæ ſtimulis urgentur, & reſiſtunt, tametſi culpas aliquot interdum admittant, quàm illorum, qui ab his tentamentis immunes meliores eſſe videntur.

Cultura virtutis, quæ laude digna?

III. Annotandum prætereà, manſuetudinis gradus diverſè concipi poſſe: ſed ad quinque præcipuè reducuntur: primus eſt, eum qui læditur, commoveri, ſed iræ impetum cum mœſtitia reprimere: ſecundus commoveri quidem, at ſine mœrore, impetum compeſcere: tertius, ob anteactas iræ victorias non commoveri: quartus, ob ſpirituale ſuum bonum lætari: quintus, cum oblivione ſui ex proximi lædentis damno dolorem, compaſſionemque concipere. Hinc ergo quiſque de ſe judicium ferre poterit, quos in hac virtute progreſſus fecerit.

Manſuetudinis gradus, quot?

* *Annotandum, totidem eſſe patientiæ, quot manſuetudinis gradus.*

Actus Interni.

IV. MAnſuetiſſime Ieſu Chriſte, certiſſimè ſtatuo, quoties læſus fuero, me quaſi agnum coram tondente futurum.

Dulciſſime Domine, ſi pungar, & importunè tenter, dono tuo, læſoribus arridebo.

Suaviſſime Deus, etiamſi expolier, ac cædar ab inferiore quovis, amoris ſigna exhibebo.

Clementiſſime Domine, abſit à me, ut ob ullum damnum contra amabiliſſimos proximos meos excandeſcam.

Mitiſſime Fili Dei, ſi quis me tentaverit, lætabor ſuper exercitia illa, ſicut qui invenit ſpolia multa.

Benigniſſime Domine, ſi quando vexatus à proximo fuero, obliviſcar mei, & compatiar illi propter te.

V. Actus hi ex animo prodire debent: at tunc præſertim, cum Frater aliquis experimentis multis notavit, alium quempiam contrariis opinionibus, increpationibus, aut aliis ejuſmodi actibus ſibi infeſtum eſſe: tunc enim veriores actus patientiæ, ac manſuetudinis exiſtunt: quia paſſim animus exercetur: quod ſanè ſine culpa exercentis, vel ob incogitantiam, vel ob naturalem antipathiam (ne quis novus Frater erret) accidere ſolet, Deo ejuſmodi certamina in clauſtris ad profectum providente.

Manſuetudinis actus quando potiſſimum exercendi?

Actus Externi.

VI. AD Chriſtianæ perfectionis lucra, & decorem domus Dei non ſatis eſt, ſi quis proximo lædenti non ſuccenſeat, vel ob ſpirituale bonum lætetur, vel irritanti compatiatur; ſi eos bonos animi motus intra ſe Frater manſuetus ita contineat, ut mœrorem, aut iram ad tempus differre, vel conſervare videatur: qua in re nonnumquam per imprudentiam peccatur. Opera ergo danda eſt, ut manſuetudo irati proximi medicina ſit: quaproter ita vultus, & totius corporis geſtus, quem læſor intuetur, temperandus eſt, ut ille ſibi perſuadeat, nihil amaritudinis latere: hinc reſponſio mollis, quæ frangit iram: hinc riſus modeſtus, & placidus: hinc deprecatio culpæ: hinc emendationis promiſſio: hinc corporis proſtratio: hinc, cùm proximo diſplicet, ſermo, inceſſus, ſeſſio, & ejuſmodi alia, earum actionum correctio, aliaque permulta; quæ pro variis proximorum ingeniis omittenda, vel admittenda ſunt. Nec ſanè fas eſt ad ſuaviſsimæ virtutis hujus cultum Fratres noſtros ignavia torpeſcere, quaſi auſterior diſciplina ſit, & frequentia tentationum immineat: quin potiùs eò fortiùs æquum eſt dimicare, quò bella imminent plura, & majus pacis bonum expectatur, quod ſubjectis rationibus ſtabilimus.

Manſuetudo cujus medicina eſſe debet?

VII. Nihil in orbe frequentius, quàm alterna convivia: nihil in aulis, ubi ſenſus honoris ſubtilior eſt, crebriùs accidit, quàm injuriarum per nutus, verba, & actus, irrogatio: & tamen quò quis nobilior eſt, & honoris, ac lucri expectatio maior, eò patientiùs adverſa ferre diſcit: ne cum dedecore negotiis gerendis, ubi mille moleſtiæ perferuntur, ineptus videatur, vel loco excidat: quare ergo domeſtici Dei, qui ad

Scrip. An. 1605.

lucra, & honores æternos aſpirant, iram reprimere, pacatum cor præferre, ac proximis mites eſſe non curent?

Mites, eorum præmium.

A

Matt. 5. 4.

VIII. Profectò cum mitibus terræ viventium honorifica poſſeſſio promiſſa ſit, per illa verba; Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: ſtultiſſimè agent quicumque ob ingruentes occaſiones, ab opulentia tanta quærenda deſiſtent: quid enim boni eis evenire poſſit, qui ad hæreditatem illam adeundam ſe comparare non curant?

Pacis amor notatus.

B

Pacifici filii Dei nuncupati.

IX. Verùm, licet jura Civitatis Dei manſuetis cordibus non eſſent obventura; ipſo tamen virtutis hujus præſenti bono ita capi deberent, ut ab ejus ſtudio dimoveri nequirent; quod hac nervoſa ratione conficimus: Omnia pacem amant, nec ulla tam immanis fera eſt, quæ pace non delectetur; leones quippe, tigres, urſi pugnas numquam ſuſciperent, niſi tranquillo prædæ captæ paſtu (quæ ſua pax eſt) traherentur: homines verò, qui feris pejores eſſe ſolent, puta, pyratæ, ac homicidæ, ipſis irruptionibus, & hominum cædibus, ſpoliorum tranquillam fruitionem affectant: quin etiam dæmones ipſi, dum homines invadunt, & in tartarum detrudunt, id rabidè cupiunt, ut iis prædis, ſi fieri poſſent, ſaturentur, quæ pax eis optatiſſima eſt; cum ergo pyratæ, homicidæ, dæmones, quorum ſors diſcordia eſt, pacem avidiſſimè inſequantur: qualis erit dementia eorum, qui filii Dei ſunt, & pacifici propterea eſſe debent, ut, cum ſine contentionis prælio, & ſine vindictæ præda pace manſuetudinis frui poſſint, eam non ſtudioſiſſimè perquirant? Etenim Imperatores, qui ſine ſanguine urbes ceperunt, clariores, quàm alii, victorias reportarunt.

C

X. Sed quid de illo Dei oblectamento dicemus, quod è parta manſuetudinis pace ſuboritur? Pax quippe illa, & tuta cordis ſerenitas, inſtar quieſcentis aquæ cœleſtia ſimulacra Dei ſe jucundiſſimè quaſi ſpectantis repræſentat: dum hominem inter virtutes omnes mentis compotem inſigniter efficit: unde gaudia cumulata ſuccreſcunt; contra verò iracundum cor multis motibus perturbatum influxus cœleſtes intercidit, aut repellit. Erit ergo è re noſtra mitem animum, quaſi cœli ſpeculum gerere, ac rerum cœleſtium notitia delectari.

Manſuetudo ejus inlicia.

D

XI. At qui cœleſtia non uſque adeò æſtimare noſſet, ex hominum affectu manſuetudinis bonum ponderare valeret: vix enim dici poſſit, quàm leniter, ac efficaciter ea virtus corda trahat: ſicut enim corpora mollia contrectare, aſpera ne attingere quidem natura vellet: ita hominis ratio mites animos amplecti, ſed iracundis ne appropinquare certè vult, ſic in cœtibus virorum, quos ad iram proclives cæteri norunt, quaſi herinaceos refugiunt: mites verò ſemper adeſſe, ſecum agere, convivere cupiunt.

XII. Ut verò quid altius natura promamus; nemo tam ferus eſt, qui cum alium & irritari, & pro malis bona rependere, placido vultu offenſori ſubridere videt, non totis viſceribus commoveatur, & virtutis hujus amore digniſſimæ vim, ac ſuavitatem ſentiat, & admiretur.

Saulis ira in Davidem.

E

XIII. Verumtamen uno ſaltem exemplo famoſiſſimo rem hanc evincamus: norunt univerſi Chriſtiani. Saulem illum Regem Iſraelis infœlicem ſæpe quidem, ſed bis ardentiùs, quàm alias quaſi phrenitide correptum, armatis militibus ſeptum, ex urbe ad inveſtigandum Davidem etiam inter rupes abruptas, quæ ſolis ibicibus perviæ ſunt, prodiiſſe: & in altero eventu chlamydis oram in antro fuiſſe præciſam, in altero haſtam, & urceum dormienti Regi ſublatum: nec ullo vulnere, cùm facilè poſſet, à juvene mitiſſimo læſum, nedum necatum: quod ille ut reſcivit, ut erat ferus, obſtupuit.

Davidis manſuetudo in Saulem.

F

XIV. Poſtquam enim ex antro egreſſus, & aliquantum progreſſus Davidis oram oſtendentis vocem, opuſque percepit, & poſtquam excitatus Davidem ipſum tenerrimo affectu è regione clamantem, haſtamque, qua interimi potuit, & urceum offerentem audivit: manſuetudini tantæ reluctari non valens in lachrymas, virtutis hujus, non ſuæ teſtes, emollitus prorupit. Profectò cor illud adamante durius erat: ſanguinem ſitiebat: ad necem feſtinabat: militum agmen inſtruxerat: & tamen fractus animo fuit: flevit: Davidem ad tempus amavit: & exarmatus ſola Davidis manſuetudine urbem repetivit. Quid ergo in animis non efferatis manſuetudo non efficit?

Matt. 11. 29.

G

Filii Dei manſuetudo notata.

Luc. 18. 23.

Matt. 26. 50.

XV. Sed enim, quid opus eſt exempla minùs fortia, quàm quæ præbuit Verbum caro factum, afferre? nam præterquàm quòd manſuetiſſimus Dei Filius ad ſuaviſſimi, ac ſupremi magiſterii ſui laudem dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, plura operibus, quàm verbis, & efficaciora propoſuit. Certè tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt; & cùm cæderetur, non aperuit os ſuum: & cum frementes vituli multi circundarent eum, & innoxio ejus cruore paſcerentur, numquam ullum è ſæviſſimis latronibus illis torvè ſaltem aſpexit. At hæc ineffabilia ſunt: illa tamen duo mitiſſimi animi reſponſa commemorare decet: illud: Cur me cædis? quando miniſter ille ſatanicus alapam impegit: & illud: Amice ad quid veniſti? quando lupus ille crudelis paulò ante Apoſtolus, oſculum in horto venenatum impreſſit; campus latiſſimus eſt: qui poteſt capere capiat.

H

B. Virginis manſuetudo notata.

XVI. Cæterum ſtatus noſtri peculiari quadam ratione Beatiſſimæ Virginis mititas propria eſt: numquam enim oves genuere lupos: quis enim tale monſtrum audivit? Genuit ſanè agnum illa, nec ejus filii, niſi agni manſueti, qui portantur ad victimam, eſſe poſſunt. Quomodò ergo, quos Virgo inter omnes mitis in filios adoptavit, non miteſcent?

XVII. Denique, ut multa paucis ample-

Scrip. An. 1605.

plectamur, inter illuſtriſſimos manſuetudinis titulos, qui deſides quoque animos ad iræ necem incendere poſſunt, numerus ille trinus eſt. Manſuetudo quippe, & virtus eſt, & Spiritus Sancti fructus eſt, & beatitudo eſt: quaſi luculentiùs diceremus, ex tribus capitibus in ſolidum efficaciſſimis in lenitatis ſtudium ferventiùs incumbendum eſſe; quia & virtus ſublimis eſt, qualem ex parte depinximus: & fructus eximiæ charitatis, quæ Spiritus Sancti fructuum propria eſt: & beatitudo ob altiſſimam perfectionem, quæ beatitudinibus à Chriſto laudatis congruit, ut diſertiùs ſuo loco trademus. Funiculus hic triplex difficilè rumpitur: imo duriora ferro corda perrumpit. Orbem quippe totum pauci homines manſuetudine armati, non reſiſtendo, ſed perferendo domuerunt: & Chriſtiana lenitate imperium ferreum, hoc eſt, Romanum, quòd alia regna minùs dura contriverat, ſubjugarunt. Qua certè mira victoria homines mites corde velut inter lupos agni ſtupente mundo claruerunt, & Magni Præceptoris ſui, qui domuit orbem, non ferro, ſed ligno ſenſum evulgarunt. Hæc eſt laus Filiorum Dei, qui dulciſſimo corde pectora dura pulſantes, & iram fervere, ac deferveſcere ſinentes, eos potiſſimum capiunt, quos acriores hoſtes ad tempus ferunt. Feſtinent ergo Fratres noſtri ad hoc cœleſte bravium, & ſuaviſſimo ſpiritu lenitatis victoriam proximorum exquirant: ne præferant Chriſti ſimilitudinem, & intus ullam aſperitatem admittant. Currant ad propoſitum eis certamen, & corde tacito mens benè conſcia, filiorum Dei, quorum nomina liber vitæ ſervat, permanſuram hæreditatem acquirant.

A Manſuetudinis tituli quales?

B Filii Dei, eorum laus, quæ?

CAPUT XIII.

De Patientia.

I. CUM vulgò manſuetudinis actibus patientiæ actus permiſceantur (qui enim iniuria laceſſiti miteſcunt, patientes appellantur, cùm potiùs manſueti dicendi eſſent,) æquum eſt de virtute Patientiæ immortali laude digna, quemadmodum & de aliis propriè, ac ſeorſum diſſerere: cum & naturam, & ſedem à manſuetudine diverſam habeat: manſuetudo enim in Iraſcibili regit iram, patientia in Concupiſcibili triſtitiam moderatur: illa temperantiæ, hæc verò fortitudinis pars eſt. Patientia ergo eſt virtus, quæ contra triſtitiæ paſſionem rationis bonum tuetur, ac proptereà in appetitu Concupiſcibili, ubi ea paſſio viget, velut in ſede propria collocatur, & inter virtutes Chriſtianas miris encomiis à Patribus effertur. Inter ingenuos quippe divinæ charitatis fœtus, quaſi partus primogenitus ab Apoſtolo reponitur, dum in catalogo quodam ſic incipit: Charitatis fructus: charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. cœleſti enim lumine perfuſus nihil ad virtutum reginam commendandam patientiæ laude oportunius judicavit, quaſi ex ea potiſſimum nota ſyncera charitas internoſceretur, & omnem ſuſpicionem excluderet. Niſi enim charitatis aurum ictibus multis exploretur, quod patientiæ munus eſt, laudem primam minimè promeretur: ex quo virtutis hujus nobilitas præſertim elucet. Quid enim altius excogitari poſsit, quàm excellentiſsimæ charitati, quæ animi, ejuſque virtutum vita eſt, laudem primam conciliare?

C Patientia, ejus ſedes.

Patientia, quæ virtus?

D Patientia inter charitatis fructus ab Apoſtolo repoſita. 1. *Cor.* 13.4.

E Ejus L

II. Nec verò laudem ſolam, ſed utilitatem immenſam parit: numquam enim charitas cumulatè opulenta eſt, niſi poſtquam belli patientia pacem cordis acquiſivit. Tantò certè opulentior Iob poſt agones, & Paulus poſt inſectationes evaſit, quantò cœlum terra ſublimius eſt: præterquàm quòd animus verè Chriſtianus, niſi laboribus exerceatur, in quamdam ignaviam, inopiamque degenerat, qua nihil calamitoſius queat accidere. Quamobrem Clementiſsimus Deus generis humani tutor, & cuſtos, ut æternas augeat divitias, eos quoque laboribus immiſsis exercet, quos culpis non cernit obnoxios. Cenſuit enim ſapientia illa, hominis fœlicitatem, hac præcipuè via promoveri: maluitque, quos amore ſummo proſequitur, brevi vexari, quàm hæreditatis æternæ jure multo carere. Hinc non dæmonibus tantùm, & ſceleſtis hominibus permittit inſontes, ſed ipſe quoque meliore conſilio amicos fidiſsimos experitur, & innumeris calamitatibus urget, ut majora multò lucra conquirant. Proptereà quippe tentavit Abraham, cujus amicitia gloriabatur, ne tam acceptus amicus auctioribus divitiis non afflueret. Jam verò decor, & utilitas eximiæ virtutis hujus incredibilem cordi voluptatem ingenerat: nullo enim eloquentiæ apparatu ſatis expendi poteſt, quanta ex laboribus patienter exhauſtis lætitia ſubeat. Cum enim ſempiternæ mercedis ſpem firmam conſcientia creet, exoritur gaudium ſanè maximum animo ſe velut expandente, & ad cœleſtia bona capienda quaſi brachia porrigente: quæ futuræ fruitionis quædam prælibatio eſt. Expendant ergo Fratres noſtri præſtantiſsimæ virtutis hujus honeſtatem, ac fœcunditatem: & velut avari mercatores per Chriſtianam tolerantiam regni jura perquirant, ſed actus patientiæ deſcribamus.*

Utilitas.

Jobi opulentia poſt agones, notata.

F

G Patientia corona notata.

H

Actus interni.

III. PAtientiſsime Jeſu Chriſte, quicquid laboris mihi umquam acciderit, propter te patienter feram.

Mitiſsime Jeſu Chriſte, ſi Religionis auſteritas gravis fortaſſe videatur, æquanimiter eam tolerabo.

---

* *Gradus patientiæ in Cap. proximo una cum gradibus manſuetudinis recenſiti ſunt.*

Scrip. An. 1605.

Clementiſsime Deus, ſi tentationibus exercear, pectus firmum opponam.

Benigniſsime Domine, ſi tartarus deſæviat, conſtanter ictus excipiam.

Dulciſsime Deus, ſi mœror importunus ingruat, nulla ratione me deiici feram.

Amantiſsime Jeſu Chriſte, ſi morbi ſu- A beant, omnia tædia, dolores, anxietates fortiter exhauriam.

Suaviſsime Deus, ſi totius corporis contritio, membrorum diviſio, ignis, & quævis acria tormenta inferantur, invictè conſtabo.

Optatiſsime Deus, ſi hominum mores adverſi, & faſtidia moleſtiſsima contingant, pacata mente conſiſtam.

Jucundiſsime Jeſu Chriſte, ſi me ariditate, diuturnaque repulſa exerceas, libenter pœnam amplectar.

Actus Patientiæ externi, quales?

Job. 7. 10.

V. Hujuſmodi actus proculdubio neceſſarii, & ſchola Chriſti facilè digni frequenter producendi ſunt: multis enim ex capitibus mœſtitia ſuccreſcit, cum qua virtus patientiæ bellum gerit, ne fortè animum obruat, & quodam quaſi lethargo infœli- B citer interimat. Sed actus externos proponamus. Subit fortaſſe morbus, tentatio, labor moleſtus, ſcrupuli, ariditas, & ejus generis alia, quæ triſtitiæ paſſionem irritant. Et (quæ hominum imbecillitas eſt) è veſtigio lætitia omnis extinguitur, animæ, corporiſque vires, ac partes omnes obrepente mœrore torpeſcunt, & quod de ſeipſo Job extulit, fit homo ſibimetipſi gravis. Tunc ergo partes Monachi patientiam colentis ſunt, ſeipſum excitare, ac bilem atram coercere, ne rationem obumbret: quod & internis actibus, quales deſcripſimus, & externo etiam conatu debet eniti. Huc certè conferent remedia illa, quæ parte prima in triſtitiæ curatione tradidimus, aliaque permulta, quæ paſſim occurrent, juxta modum vexationis, quam C labor intulerit. Omnia tamen hoc uno pronunciato complectimur: navanda opera eſt, ut qualem affectum læti gerimus, talem in exercitio patientiæ parte ſaltem ſuperiore foveamus, & appetitui, ne langueat, imperemus. Hinc Fratres noſtri impoſturam quamdam dæmonis internoſcent; ſolet enim cum aliquid moleſtum occurrit, ubi patientiam exercere opus eſt, quoddam captioſè fictum rerum internarum ſtudium inſinuare, quod iis, qui captus modici ſunt, pro vera devotione ſupponit, cum abſque ulla controverſia ſit ipſa triſtitiæ paſſio, ob exercitium patientiæ commota. Quapropter alacritate opus eſt, ut virtutis hujus D proventus quàm uberrimus exiſtat: quam his rationibus perſuademus.

Magnates cur triſtitia affecti

VI. Nemo umquam vitam mortalem egit, quem labores multi non obſiderent: licet enim unum, vel alterum calamitatis genus non irrumpet, ipſo ſaltem mortalitatis pondere prægravatus prolixæ mortis, ac peccati tributum exolvit. Et ſi quis ab hoc tributo videatur immunis, ut princeps aliquis fortunatus, omnino compertum eſt, eum ab internis ſaltem anxietatibus diu non poſſe feriari, quod indulgenter dicimus. Conſtat enim, hujuſmodi homines graviore multò triſtitia, quam plebejos, inopeſque tentari, ob ſeria negotia, quæ non ex voto ſuccedunt, & gravia honoris, aut E opum damna, inimicitias, invidentiam, tædia, & alia ſatis multa mala, quibus invaduntur. Cum ergo mortalitatis lege univerſi homines multa pati ſine mercede cogantur, quantò ſit honeſtius, & utilius eos, qui ad imitationem Chriſti vocati ſunt, adverſa mala æquanimiter tolerare, ac immenſo lucro ex animo gaudere?

VII. Profectò quotquot illuſtres viri inter Ethnicos claruere, ſive ſcholas, ſive militiam expendamus, aut privata, aut publica patientia, quicquid habuere laudis, pepererunt. Quoties enim vigiliæ, inedia, corporis extenuatio, affectiones pravæ, ſollicitudines propter doctrinam, itinera, nives, fames, ſitis, pluviæ, ictus, vulnera propter victoriam perlata ſunt. Certè F mirum eſt hominibus, quos tartarus abſorpturus erat, tolerantiam penè incredibilem, ut exigua præſentis vitæ bona pararent, fuiſſe neceſſariam, & Chriſti famulos minimè paucos adeo degeneres eſſe, ut, cum ad æternum regnum iter inſtituerint, oblatas patientiæ occaſiones non alacriter arripiant?

Quæ perferant homines pro bonis caducis?

VIII. Accedit efficax ratio. Non enim tot, tantoſque labores Deus ab eis expoſcit, quot, quantoſque non ſolùm homines Ethnici, ſed ipſi Chriſtiani pro bonis perituris ſponte ſuſcipiunt: non enim bella cruenta, non certè navigationes longæ, non pluviæ, nives, cædes, vigiliæ prolixiores, & ejus generis alia imminent. Quin etiam neque domeſticæ diſcordiæ, ſollicitudo, egeſtas, faſtidia, & alia non le- G via, quibus anguntur, qui in mediis urbibus pace frui videntur. Cur ergo Monachi in æternam fœlicitatem contendentes leviora patientiæ experimenta detrectent, cum per majora pericula filii hujus ſæculi ad interitum feſtinent?

IX. Verùm, ipſis laboribus prudenter humano dumtaxat more penſitatis, liquet ſtultitiæ ſummæ vertendum, ſi quis impatienter agat. Ipſo quippe renutu laboris labor augetur, & mœror uſque ad conſumptionem ingraveſcit: contra verò animus patiens labores, ac dolores mirificè extenuat, & in laudis argumentum convertit. Quod certè diſcrimen liquebit, ſi duos homines H fame, ſiti, vel alio labore vexatos, alterum tamen patienter, alterum verò impatienter ferentem contemplemur. Secundus enim hic ipſo furore in rabiem agitur, primus ille cultu virtutis ſibi velut ægrotanti medetur.

X. Cæterùm hæc exigua ſunt: ſi enim oculos ad æterna extollamus, omnes fœliciſſimi regni illius coronæ patientiæ inſcriptum

Scrip. An. 1605.

ptum præferre videntur. Quot enim propriæ carnis infeſtationes, ut caſtitate niterent, Virgines pertulere? Quot agones, ut populos erudirent, Doctores exantlarunt? Quot vulnera, ut de Chriſto teſtimonium ferrent, Martyres acceperunt? Quàm ſpecioſa ibi corpora cicatricibus notata? Quàm pulchra membra verberibus A olim proſciſſa? Quàm nitidi vultus quondam laboribus deformati? omnia Dei caſtra patientiæ virtus exornat, & præmii cœleſtis magnitudinem exaggerat.

Vita hominis militia dicta

XI. At enim mirum eſt, cum militia ſit vita hominis ſuper terram, & omnino mala ferenda ſint, ſpe tamen ampliſſimæ mercedis illius, quæ pro vulneribus reddenda eſt, animos multos minimè commoveri. Ex quo ſana perſpici poteſt, quàm fuerit ſalutare patientis Chriſti conſilium, quo deſides homines ſtuduit perurgere. Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, illuſtriſſimum relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Immenſæ quippe bonitatis, & benignitatis erga nos ipſius erat, impenſa tanta torpentes Adæ filios excitare: quod attentiùs B ponderemus.

XII. Mos judicum rectè agentium eſt, ſontes patibulis addicere, inſontes abſolvere, ne pœnam ſine culpa ſubeant: qua certè ratione conficitur, homines univerſos, qui culpæ ſibi conſcii ſunt, & divino, & humano judicio pœnæ reos eſſe, & cum nemo ſit mundus à ſorde, ne infans quidem, cujus eſt unius diei vita ſuper terram, manifeſtum eſt, neminem poſſe innocentiam prætexere, ne quid patiatur. Jam verò ſi patibulo dignus omnis homo eſt, cur pœnam modicam à Clementiſſimo Patre, qui æquiſſimus quoque judex eſt, irrogatam, relaxato æterno patibulo, non patienter ferat? Profectò quem ratio hæc non pervincit, amentem eſſe neceſſe eſt. Verum C eſt tamen, amorem ſui (quem philautiam Græci Patres appellant) unicuique homini perſuadere, ſe quidem pœnæ reum eſſe, at non eſſe plectendum: amor quippe ille tantus eſt, ut in amentiam homines præcipitet.

Deus judex æquiſſimus.

XIII. Propter hoc ergo innocentiſſimus Dei Filius, qui pœnæ reus ob culpam ullam eſſe nequivit, ne quis ſe à pœnæ lege excipiendum exiſtimaret, ſed æternam temporali, ac brevi pœna præcaveret, ſe neci tam immani libenter expoſuit: quo quidem exemplo uſque ad ſtuporem miro, neſcio, quomodo univerſus orbis non emollitur, & ſempiternam impatientiam patientia brevi permutat.

XIV. Verùm, ut exempli tanti momenta demum ponderemus, quis adeo excors D eſt, qui Deum pœnas luentem, fami, ſiti, inopiæ, æſtui, frigori, cæteriſque mortalium laboribus obnoxium ſine imitationis, vel compaſſionis motu poſſit intueri? Sanè Davidem, cum Abſolonem fugeret, Ethai vir plane fidelis adeo individuè comitatus eſt, ut ab ipſo rege monitus, vicem illam adverſam declinaret, ac in urbis delitias cum Abſolone verſaturus rediret, ægrè monitum audierit, ac fidam laborum ſocietatem, ac delitiarum odium perenne juraverit. Cur ergo vir Chriſtianus Chriſti laborum conſortia non affectet, ac juret? Ergone Dei Filius inter labores deſeratur? Deſerant certè alii; Virginis enim filios hæc nota non decet.

E

B. Mariæ Virginis patientia notata.

XV. Innoxia quippe, ac nive candidior Virgo, quæ pœnæ tantæ reatu non erat innexa, nihil tam ardenter, quàm patientiæ Filii ſui conſortium expetivit: alias enim quid tam cœleſti puritati cum tanta pœnæ immanitate commune? Decuit certè, ut exemplari filii Mater ſimillima conſentiret.

XVI. Hinc quotquot in Chriſto piè vivere cupiunt, gloriam in ſummis laboribus jure ponunt: nihilque tantopere erubeſcunt, quàm ſine vulneribus apparere: quale enim militis decus erit, ſe benè curata cute, Regem verò ſaucium intueri?

F

S. Matris Tereſiæ patientia notata.

XVII. Et profectò licet aliis exempla propria deeſſent, Fratribus noſtris deeſſe minimè poſſunt: nam præter annos quadraginta, quibus B. Virgo, & Parens noſtra Tereſia diem nullum à dolore duxit immunem, hominum inſectationibus, dæmonum inſultibus, Dei quoque repulſis vitam laboribus multis, ac penè fidem ſuperantibus contextam egit; ut ejus filii, non ſine dedecore, molles, ac laboris impatientes eſſe poſſint. Sic enim Clementiſſimus Deus ad eruditionem noſtram illam exercuit, ut nihil in ea non tentatum extaret: neque enim in illud ſanctitatis faſtigium, niſi per aſcenſum purpureum, hoc eſt, patientiæ gradus pertigiſſet, quod illi cum reliquis imitatoribus Chriſti commune fuit. Hæc eſt ſapientia noſtra, quæ ſummum honorem, lucrumque parit, ſimileſque reddit iis, quibus ceſſit lacerans fortiter ungula, nec invictiſſima carpſit penetralia. G Hæc eſt nobiliſſima pars generis electi, & patrimonii Filii Dei: nihil enim animis, quos patientia compſit, in caſtris Dei viventis ſplendidius nitet. Deponentes ergo Fratres noſtri omne triſtitiæ pondus, & ſemetipſos ad æternos honores tot rationum, ac exemplorum armis inſtruentes, illud Parentis noſtræ votum, quàm fortiter poſſunt, animo concipiant: Aut pati, aut interire. Citò enim labor omnis evaneſcet, ſi tantillum Clementiſſimus Deus tentavit eos, & invenerit eos dignos ſe: & lætabuntur coram eo, ſicut exultant victores capta præda, quam non ſine cruore ceperunt. Enitantur, quæ retrò ſunt, obliviſci, & ad majora ſe conentur extendere.

Triſtitia excutienda.

H

CAPUT XIV.

De Modeſtia in commune.

Modeſtia quid?

I. EX virtutibus explanatis, ex caſtitate præſertim, humilitate, manſuetudine, ac patientia, Modeſtia, quæ motuum externorum moderatio eſt, originem ducere videtur: illa quippe interna bonorum affectuum ſeries externarum hominis partium compoſitionem, quaſi fructum viſu pulcherrimum edit. Modeſtiæ verò partes diverſè à Scriptoribus recenſentur; inter nobiliores autem convenit, omnem moderationem motuum corporalium, & rerum A exteriorum ad modeſtiam pertinere: quapropter multas temperantiæ partes illi affines huc poſſemus intexere, ſi de rebus ſingulis agere oporteret: at nec propriè virtutes ſunt, nec tractatum ſeorſum requirunt: quod vel uno exemplo verecundiæ liquet. Adoleſcentum quippe ornatus verecundia eſt, quæ non eſt virtus, ſed laudabilis paſſio, timor videlicet turpitudinis, quæ poſſit exprobrari: cui affinis eſt erubeſcentia, quæ ab illa diſcernitur, quod hæc ceſſet à turpi actu, illa verò turpem actum celet.

Ejus partes nobiliores, quæ?

Verecundia, quid?

II. Erga verecundiam igitur ſatis fuerit juniores Fratres admonere, ut ſeriò virtutes veras colant: ſi enim peccatorum deformitatem ex amore virtutum perhorreſcant, B paſſio verecundiæ utiliter, dum occaſio id exiget, excitabitur: meminerint autem, eam paſſionem ex fragilitate naturæ, animis etiam invitis, ſæpiſſimè ſuſcitari, ob eas res, & ubi ratio id non requirit: puta ob deformitatem corporis, ob inertiam, ob tarditatem ingenii, & alia ſimilia: ſed humilitatis cultu, quoad hæc, appetitus reformatur. Laudi autem à Patribus vertitur rubor ille, qui ſuffundit faciem modeſtorum adoleſcentum, cum in cœtum ſeniorum ingrediuntur, vel quippiam iniunctum publicè acturi ſunt: index enim animi benè inſtituti eſt: quod Fratres noſtri attentè conſiderent.

Honeſtas, quid?

III. Honeſtas etiam illa, quæ eſt ſpiritualis quædam in actionibus pulchritudo, C quæ & decor, & decorum, & honeſtum quoque appellatur, & pars temperantiæ eſt, non eget peculiari ſpeculatione, ubi veræ virtutes (quales deſcripſimus) coluntur: quæ naturali quodam ductu actiones decoras producunt: quod ex honeſtiſſimis actibus, quos in humilitate, ac manſuetudine deſcripſimus, perſpici poteſt. Regulas tamen ad exteriorem hominem juxta Sanctorum Patrum diſciplinam componendum, ut decorum illud ſervet, adiicimus.

Caput.

IV. SIC Monachus caput moderari debet, ut nec erectum, nec pronum, D nec in alterutrum latus deflexum gerat. Cum incedit, ſi ab aliquo ſe retrorſum vocari ſentiat: ne caput ſolum retorqueat, ſed corpus totum convertat. Nec tunc (ſicut univerſè, quoties caput movere neceſſe eſt) nimis feſtinatò, ſed ſedatè moveat. Alia nonnulla per ſe quiſque modeſtè præſtabit, ſi quæ diximus, memoriæ mandet: quod verò ad oculos ſpectat, ſeorſum tradetur.

Brachia.

V. SIC brachia movenda ſunt, quoties quid efficiendum, ut exceſſus vitetur: neque enim decet, ſæcularium more nimis ea porrigere, quaſi vires oſtentandæ ſint: nec verò egrè illa ad opus intendere, E quaſi pigeat laborare. At in Choro, ad pectus reducta ſic flectenda ſunt, ut utraque manu breviarium teneatur: turpis enim eſt ſub ventriculum demiſſio: turpis alterius manus abſconſio: & quidquid ignaviam præfert, turpe eſt. In oratione, ſub ſcapulari conſerta brachia, vel dumtaxat manus conjunctæ ita componantur, ut languorem orationis hoſtem excutiant. In Refectorio, cum ad eſum datur ſignum, lentè brachia extendantur: ne videatur concupiſcentia extimulare. In locis aliis (quæ ſigillatim percenſere opus non eſt) quoties nihil agendum occurrit, manus ad fibulam cinguli compoſitæ, & ſui, & brachiorum poſitum modeſtum obſervent.

Crura.

F

VI. SIC regenda ſunt crura, ut pari flexu, vel extenſione componantur, quoties peculiaris aliquis ritus crus alterum non excludit: cavendum autem, ne pes pedi, vel cruri crus incumbat: vel alio modo non uſitato deformitas ulla ſubintret.

Totum Corpus.

VII. COrpus totum in inceſſu ita componendum eſt, ut nec intenſum, nec remiſſum incedat (quod ad corporis habitum attinet) nec celeriter, vel cunctanter eat (quod ad motum ſpectat). In ſeſſione, ſive in Choro, ſive Oratorio, ſive Refectorio, ſive recreationis loco, ſive cella, G ſive alibi, ne ſit curvum, vel nimis erectum, vel detortum, aut alio deformatum modo, qui animi remiſſionem, vel è contrario affectationem prætendat. Nocte in lecto, velut in ſepulchro, tectum jaceat: ne aliqua pars detecta oculis noceat: die verò in cella, ſtatus, vel genuflexio, vel ſeſſio, ſine accubitu ita corpus componant, ut à repente ingredientibus ſine offenſione videri poſſit. Denique quidquid alios, vel ſeipſos aſpectu lædit, a Fratribus accuratè vitetur.

Corporis actio cum aliis.

VIII. CUM ſtatur, v. g. juxta Patrem, H vel Fratem alium, nimia propinquitas, vel diſtantia fugienda eſt: ſed medium, quod rei, de qua agitur, ſerviat, eligendum, quod ex circumſtantiis innoteſcet. Cum ſimul inceditur, animadvertendum, ne vel præeundo, vel cunctando, vel alios retardando; vel in aliorum latera impingendo, vel aliis modeſti proceſſus abuſibus mo-

moleſtia inferatur. Cum ſedetur, cavendum, ne quis aliis nimis hærendo, vel intuitum, ſive auditum eorum, quæ dicuntur, prohibendo, vel alio quovis modo, qui minùs deceat, faſtidium generet. In omni autem corporis poſitu veſtes corpori ſic adaptentur, ut habiles ſint, & omnia tegant: in quibus (ſicut & in cellis, libris, & aliis univerſis) ne proximis inferatur moleſtia, munditiam commendamus.

Actionum modeſtia erga alios.

Quid præſtandum erga alios.

Urbanitas ad virtutes alendas peropportuna.

IX. QUoties ſimul laborandum, vel à labore corpus recreandum, vel alio modo in commune agendum eſt, Religioſi veri partes ſunt, ita mores, & corporis geſtus aliis attemperare, ut nec nimia lætitia, ſeu riſu diſſolutionem, nec mœrore, & corporis contractione ruſticitatem præſeferat, & aliorum animos lædat. Hinc ſollicitè vitanda vitia hæc: clamor ſeu nimia vocis elatio: è contrario nimia vocis demiſſio, vel muſſitatio: cum ex neceſſitate oſcitandum, nimia oris apertio, vel ſonus inſuavis: excreatio frequens, vel violenta, vel ſtrepitu injucunda: concitata, vel nimis lenta motio, cum ambulandum: humerorum impactio: brachiorum colliſio: manuum tactio: nimia exaggeratio, cum quid dicendum: deſpectionis, vel improbationis ſigna, cum ab aliis quid agitur, vel dicitur: contradictio verborum, vel actionum importunitas: intruſio in aliorum officia, vel ad res ſibi non demandatas properatio; & alia hujuſmodi, quæ mediocri attentione à Chriſti famulis deprehendentur, ſi hoc documentum animo inſculpant: omnia ſcilicet quæ ad comitatem ſæculares modeſti, ac prudentes præſtare ſolent, à Monachis quoque ſanctiore modo præſtanda. Hinc aliis (quoad per Obedientiam licet) loco cedere: venientibus, iis præſertim, qui ſunt natu majores, aſſurgere, capite detecto cum antiquioribus verba facere: cum Patres aliquod onus geſtant, obviis ulnis ſe ad ſubeundum onus exhibere: cum ſenior quis noctu occurrit, ei, ſi egeat, prælucere: & ſi Superior ſit, lucernam, quam fortaſſe fert, comiter acceptam præferre, aliaque multa, quæ ſingulatim recenſere neceſſe non eſt. Certò tamen Fratres noſtri ſibi perſuadere debent, urbanitatis hujus, hoc eſt, modeſtiæ Sanctorum obſervationem, ad alendam charitatem, pacem, humilitatem, ac cæteras virtutes omnes adeo eſſe neceſſariam, ut impoſſibile cordatis, & expertis viris videatur, ſine illa veræ ſanctitatis ſtudium poſſe conſtare: è contrario verò dum illa colitur, Cœnobia ſic inſtructa Hierarchias cœleſtes mira concinnitate inter ſe conſentientes repræſentare. Propterea non vitia tantùm, quibus modeſtia corrumpitur, vitare, ſed in eo domus Dei decore perfectiores in dies ſingulos evadere Fratres noſtri conentur: quod aſſequi poterunt, ſi expendere, ac obſervare curaverint modos, qui modeſtiam mirificè perficiunt: quales ſunt; intuitus hilaris, & ſimplex: ſermo ſuavis, & parcus: vox tono temperata, & clara: reſponſa lenia: benevoli animi oſtenſio non affectata: facilitas ad conſentiendum aliis; laus aliorum moderata: fuga propriæ laudis; perſonarum, temporum, & rerum expenſio: rerum dicendarum, & modi præmeditatio: & alii quoque modi, qui certo numero definiri non poſſunt; quos humiles, ac mites animi non obſcurè dignoſcent. Fratres ergo noſtri, quos ob Beatiſſimæ Virginis adoptionem, præ aliis etiam Religioſis decet honeſtas, ſic decori hujus perfectionem exquirant, ut nihil deſideretur ad ædem Virginis honeſtandam. Quamvis autem capita Modeſtiæ nobilia tetigerimus; duo conſultò reticuimus omnium certè præſtantiſſima; unum quod ad oculorum; alterum quod ad linguæ moderationem pertinet: tanti enim ponderis ſunt, ut cum aliis, quæ minus doctrinæ requirunt, permiſcenda non fuerint; quamobrem duobus proximis capitibus ea perſequemur.

CAPUT XV.

De modeſtia oculorum.

I. INter omnes modeſtiæ partes, quæ ad oculos regendos attinet, ſingulari quodam jure generale modeſtiæ nomen ſibi vendicavit: quod in eis, quaſi cordis indicibus ea virtus præſertim eluceat: quapropter Sanctorum Patrum, qui diſciplinæ noſtræ fontes fuere, conſiliis acquieſcentes, de oculorum cuſtodia impenſiùs cogitare, ac ſcribere debuimus. Quàm ſit autem honeſta intuitus moderatio, adeo ipſis quoque modeſtiæ ignaris hominibus notum eſt, ut aſſertore non egeat. Habent enim oculi vim profectò magnam ad hominem totum honeſtandum, & turpitudinem quamvis decoris ſui pallio contegendam: quod multis & quotidianis experimentis exploratum eſt. Cujus certè veritatis argumentum producit ipſa naturalis oculorum pulchritudo, quæ faciem alioquin deformem ſola condecorat: ſic enim oculorum modeſtia, quæ ſpiritualis quædam venuſtas eſt, vi tanta pollet, ut hominem quoque moribus deformatum, Angelico more, ac decore commendet.

Oculorum pulchritudo, notata.

Oculorum licentia reprobata.

II. Contra verò, viros etiam bonis moribus inſignes oculorum incuria ſic deformat; ut penè incredibile videatur, cum ea cernendi licentia veram virtutem, ac divinæ præſentiæ ſtudium poſſe conſiſtere: quod & ſæculares viri (ſpontanei proximorum cenſores) identidem obiiciunt.

III. Habet etiam modeſtia hæc, præter decorem illum ad pacandum hominem, vim certè maximam, quæ ſumma utilitas eſt: cum enim rerum plurimarum imagines noxias excludat, animus, qui evagatione moleſtiſſima torquetur, dum à rebus divinis invi-

invitus diſtrahitur, intuitu repreſſo, tantò fit Deo propinquior, quantò à rebus corporatis alienior: nec ratio hæc fideliores teſtes, quàm propriam cujuſque conſcientiam, cum licenter aſpexit, accerſere poteſt. Enimverò quemadmodum oppilatis oſtiis à fori tumultu, & raptorum irruptione A quieſcitur: ſic dum animæ feneſtræ, hoc eſt, oculi obſtruuntur, nec ſæculi ſtrepitus irrumpunt, nec intrat mors per feneſtras; ſed ea ſolum negotia mentem occupant, quæ genere hominis plurimum intereſt. Quid autem dicemus de theatro illo interno, cujus aſpectu oblectatur animus, qui rerum corporearum ſibi conſpectum interdixit? Porrò ad rem eſt, quod accidit mulieri illi, quæ conſilio Eliſæi Prophetæ prudenter vaſa multa à vicinis mutuata, foribus clauſis, oleo ad ſumma labia implevit: mirum quippe in modum è parvo lecytho magnam olei vim diſtillantem intuita, jucundiora intra domum, quàm in urbis platea ſpectacula vidit: ſic ſanè, qui Sanctorum Patrum conſilio parens ſe condit intra ſe, ac ſpiracula carnis obturat, B mirum eſt, quantopere delectetur, cum lætitiæ oleum in ſenſuum vaſa cernit infundi. Fratres ergo noſtri ſolatiis Dei fruituri, ne moleſtè ferant rerum præſentium aſpectu carere, quem lucra tanta compenſant: ſed actus modeſtiæ proponamus.

Oculi animæ feneſtræ adpellati?

Exemplum.

IV. ANimadvertendum eſt igitur, ſenſum viſus, ut omnium quinque exteriorum præſtantiſſimum, ita velociſſimum eſſe: ac propterea multa indigere vigilantia, ut licentiam, velocitatemque dediſcat.

Modeſtiæ ſtudium meritorum feraciſſimum.

V. Notandum verò maximè, ac memoriæ imprimendum eſt, hujus modeſtiæ ſtudium eſſe meritorum feraciſſimum; adeò ſanè, ut quamvis graviora faſtidia, & excelſiores actus aliarum virtutum, puta humilitatis, & manſuetudinis ſint: quia tamen C eorum occaſiones rarò, aut valdè rarò ſe offerunt, & oculorum occaſio frequentiſſima eſt, rebus collatis, ac penſitatis, probabile videtur, modeſtiam hanc, quod ad merita paranda ſpectat, cuilibet è virtutibus nobilioribus, & fortaſſe pluribus ſimul eſſe parem: quod & de ſilentio pariter aſſerendum eſt.

VI. Ratio verò aſſerti hujus ſic aſſignatur; quò Religio aliqua perfectior eſt, eò minores, & rariores ab aliis mortificationes imminent: ſunt enim omnes mites, humiles, charitate flagrantes, & aliis virtutibus pollent, quarum ſtudio à proximorum offenſione vigilantiſſimè abſtinent: ſed & Supiores ipſi ferè nihil correptione dignum internoſcentes ſubditos, quos ardenter a- D mant, leniter exercent, & exercitiis ipſis potiùs ſolantur, quàm exaſperant. Ex quo efficitur, ut perquam rarò ſeriis moleſtiis ſubditi exerceantur (nam, quas vita communis Congregationis parit, non appellamus ſerias). Reliquum ergo eſt, ut moleſtiæ illæ, quas contra proprium appetitum quiſque ſibi propter Deum infert, cum ſenſus reluctantes compeſcere ſeriò curat, meritorum fontes uberes ſint. Sed ad internos actus deſcendamus.

Actus interni.

E

VII. MOdeſtiſſime Jeſu Chriſte, firmiſſimè decerno, me oculos à rebus minimè neceſſariis averſurum propter te.

Nolo, mitiſſime Domine, aliquid in hac mortalitate pulchrum intueri.

Profectò, amantiſſime Deus, quamvis ex aſpectu corporum immenſam voluptatem percepturus eſſem, illa non aſpicerem propter te.

Abſit à me, Domine, ut aliquid curioſè intuear.

Quin etiam, optatiſſime Deus, quæ videre licet, intueri nolo, ut te tandem videre queam.

Ex animo delibero, dulciſſime Domine, me numquam (quod ego animadvertam) rem aliquam, quæ à te animum divertat, intuiturum. F

Malo, Domine, ut mihi oculi eruantur, quàm vel ſemel illis abuti.

Averte, deſideratiſſime Deus, oculos meos, ne videant vanitatem.

Hos actus valdè commendamus, ſi cum externis conjungantur.

Actus externi.

VIII. NOtandum eſt, non eſſe noſtrum in hoc libro de actibus, Scholaſtico more, preſsè loqui; ſed actus nobis erunt ipſæ actuum omiſſiones, quæ cuilibet tractatui congruent: quod pro modeſtia, & ſilentio peculiariter dicimus: quamvis verè boni actus interni producantur, qui malos externos prohibeant: ideo quippe oculi quieſcunt, nec intuentur, quia hoc vero, ac proprio actu interno ratio imperat. G Actus ergo externi (quod ad oculos attinet) ſic exerceri debent, ut mens, cum occaſiones inſtant, imperet oculis, ne moveantur, ne aſpiciant, aut ſi aſpicere cœperunt, deſiſtant: quod ex diſciplina noſtra ſic habendum eſt. Incedit Frater aliquis per dormitorium; auribus percipit longinquum alterius expuentis, cellam aperientis, loquentis, vel tranſeuntis ſtrepitum; ſtatim oculi à concupiſcentia curioſitatis moti, quaſi ſaltu, vellent eò ſe proripere: tunc ratio velox, oculis internis in Deum conjectis, debet eos coercere, aiens: Nolo Domine aliquid intueri, quod ad te non conferat. Hic modus obſervandus in ſubiectis eventibus: H cum quis incedit; cum in Chorum, Refectorium, Oratorium, Recreationis locum ingreditur: cum quippiam exercet, puta cum verrit, vaſa mundat, onus portat, vel quid ſimile obit: ac denique quoties neceſſitas, vel utilitas oculos non requirit. Quod ideo aſſerimus, quia

Actus modeſtiæ externi quomodo exercendi?

ubi

Scrip. An. 1605.

ubi miniſtrandum Miſſæ, vel menſæ, vel quid ejuſmodi agendum eſt, non ſunt oculi prorſus cohibendi: ſed ſine licentia nimia, attentè diſpiciendum, quid deſit, aut ſuperſit; aliæque loci, perſonarum, & functionis circumſtantiæ conſiderandæ ſunt.

A

IX. Jam autem ſatis patebit, quàm turpe ſit eorum, quos Fratres alloquuntur, Superioris præſertim faciem inſpectare: audaciæ quippe genus eſt, à ſtatu noſtro longè ſejunctum: modus autem cernendi ex gravitate, ac hilaritate, ad quamdam mediocritatem, ſive ſynceritatem, quæ licentiam, & ruſticitatem excludat, temperandus eſt. Illud verò præ omnibus cavendum, ne in publicis functionibus, vel cœtibus, ſive ad animum, ſive ad corpus attinentibus modeſtia deſit: intolerabilis enim deformitas eſt, in Choro alterum Chorum, vel ingredientes, vel exeuntes inſpicere: in Refectorio ex menſa una eos, qui è regione accumbunt, ingrediuntur, vel abeunt, intueri; in ſupplicationibus, vel dum canitur Antiphona Beatiſſimæ Virginis, & quoties in Eccleſia quid ejuſmodi fit, oculos efferre. Omnem autem modeſtiæ arduitatem Fratres noſtri vincent, ſi præſentiæ Dei ardenter invigilent: ille quippe animi intuitus in cœlum intentus terræ intuitum prohibebit. Erit quoque ſalubre conſilium, quòd viſus res momentanea ſit, & facillimè prætereat, aliquod mnimoſynon (quod remedium memoriæ nuncupamus) uſurpare: puta chordulam brachio religatam, quæ modeſtiæ animum admoneat. Multa quoque alia ſpontè præſtabit, qui ſubiectas rationes ponderabit.

B

Ad modeſtiam ſervandam medium efficax.

Pueritiæ, & adoleſcentiæ propria præcepta, quæ?

C

X. Inter primas, & pueritiæ, ac adoleſcentiæ proprias præceptiones, quibus à pædagogis ætas illa nobilium inſtituitur, modeſtia eſt; quaſi dedecus ſit, impudentiam oculorum licentia præferre: nec eſt aliqua in orbe gens, tametſi à Chriſti fide ſit exul, quæ ductu ſaltem rationis honeſtatem hanc non diſcat, & commendet, quod ex noviſſimis Japoniæ, ac Sinarum hiſtoriis patet: æquum ergo erit eos, qui ad aulam cœleſtem erudiuntur, & meliora bona conquirunt, modeſtiam ex animo colere.

D

XI. Præterea, certum eſt, quod ad nos attinet, modicam delectationem ex iis, quæ apud nos videri poſſunt, eliciendam: non enim celebrantur in Clauſtris bellorum ſimulachra, nec theatri ludi, vel alia, quæ varietate, ac novitate delectant: ſed videri poſſunt homines inopes, veſtes rudes, muri non picti, concamerationes parum elegantes, & ejuſmodi alia; quæ licèt aliquid nitoris haberent, bis, aut ter inſpecta, tædium generare deberent: cur ergo vaniſſima hæc, & ab omni ratione alieniſſima voluptas oculis non denegetur propter animæ bona pretioſiſsima.

E

Licentiæ oculorum effectus.

Gen. c. 34.
2. Reg. 11.
Dan. 13.

XII. Deinde compertum eſt, Deum feciſſe hominem rectum, ipſum verò contra Dei propoſitum ſe immiſcuiſſe infinitis quæſtionibus: erat enim propoſitum Dei, ut rectà cœlum peteret: nec rerum inanium diverticulis aberraret. Cum ergo ad hanc rectitudinem inſtaurandam Clauſtra conducant, qualis error erit, Clauſtris, quaſi theatris abuti, & ſponte propria, dum oculis laxantur habenæ, in cogitationum, & quæſtionum innumeros labyrinthos incurrere? Neminem quippe latet ex oculorum licentia quæſtiones inexplicabiles oriri, quæ homines ad interitum pertrahunt; quod & Dinæ filiæ Jacob Sichem urbem ad ejus excidium intuentis, & Davidis Bethſabee ex aula regia cernentis, & appetentis culpa, & ſenum Babylonis Suſannam contemplantium infælix exitus oſtendit.

Lib. 6. c. 8.

F

XIII. Verùm exempla ſunt innumerabilia, quæ rem hanc perſuadere poſſunt: at neceſſaria non videntur, cùm quiſque ſui conſcius ſit, & aliqua ex viſu damna perſentiat. Non enim negligentes tantùm, ſed ſtudioſi quoque modeſtiæ cultores quandoque labuntur: qualis fuit ille, qui (aſſertore in Confeſſionibus Auguſtino) cum validiſſimè repugnaſſet, amicis eum ad ludos gladiatorios in theatrum pertrahere conantibus, hortationum improbitate fractus iturum ſe, at oculos, ne ludos videret, cohibiturum promiſit: quod ſanè initio præſtitit: at cum clamor ludorum invaleſceret, curioſitatis ſpiculo vulneratus, oculos aperuit: vidit; damnum cordis ſenſit: & pejor multò, quàm venerat, regreſſus fuit. Quid ergo ignavi, qui non repugnant, ſed rogati, quæ curioſè videant, inveſtigant?

G

Cap. 31. 1.

XIV. Profectò, quantùm oratione, auſteritate vitæ, admonitionum frequentia, & aliis exercitiis corradunt, oculorum evagatione profundunt: & quamvis per annos centum in Clauſtro ſe laboribus conficiant, ſpirituales viri eſſe nequibunt. Qua de re ſanum conſilium prudentiſſimi Job ab eorum animis numquam diſcedere deberet: *Fœdus pepigi cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine:* cujus ſermonis forma videtur impropria: pangit enim fœdus, ne cogitet; & non cum intellectu, ſed cum oculis pangit. Sed energia in ſermone multa ineſt: qui enim mala cogitare non vult, cum oculis pactum initurus eſt: quaſi dicamus: portas cogitationum occluſurus.

Chriſtus modeſtiæ Exemplar.

XV. Cæterùm, ad ipſum exemplar modeſtiæ Jeſum Chriſtum veniamus, qui hac in re miram honeſtatem ad noſtram eruditionem exhibuit. Evangeliſtæ quippe ejus modeſtiam (quod graviſſimi Patres annotarunt) ſcriptis inter clariſſima opera committendam cenſuerunt. Hoc enim ſibi volunt illæ dicendi formulæ: Elevatis oculis in cœlum: Elevatis oculis in diſcipulos ſuos: Cum elevaſſet oculos, &c. Nimirum, licèt ſine damno poſſet, non omnia tamen inſpectabat: quod quamvis univerſi Chriſtiani imitari deberent, à Religioſis tamen ſtrictiſſimè exigendum eſt.

H

B. Virginis Mariæ modeſtia, notata.

XVI. Quid verò de Beatiſſima Virgine adiiciemus, quæ inter univerſos Adæ filios illum

Scrip. An. 1605.

A

Modeſtiæ corona.

hac in re accuratiſſimè imitata fuit? Certè, qui Virginis imaginem concipit, tantumdem agit, ac ſi puellam ſpecioſiſſimam, verecundiſſimam, & oculis demiſſis honeſtiſſimam depingeret: habitus enim Virgineus aliter repræſentari nequit: & hæc omnium Chriſtianorum conſenſio eſt. Enitantur ergo tantæ Virginis Filii hac honeſtate decorari, & hanc filiorum dignitatem inſigni modeſtiæ cultu ubique prætendere: inter alia enim cœleſtis patriæ gaudia hoc eis pro hac ſedulitate reddetur, ut pulcherrima, & ſuaviſsimo decore præſtantiſsima Jeſu Chriſti, ac Beatiſsimæ Virginis corpora cernant.

CAPUT XVI.

De Silentio.

Cap. 1. 26.

I. SI quis putat ſe Religioſum, hoc eſt, Dei cultorem eſſe, non refrænans linguam ſuam, (ut Jacobus Apoſtolus ait) *Hujus vana eſt religio*, ſive latria.

B

Silentium modeſtia linguæ adpellatum.

C

II. Graviſsimum certè aſſertum eſt: videtur enim Apoſtolus permittere, ut quis virtutes alias quantumvis colat; hoc excepto, ut linguam moderetur; & hunc quaſi veræ fidei, ſeu Religionis exortem, vanum appellat. Ex quo ſatis ſe prodit ſilentii laus: quam linguæ modeſtiam licet nuncupare: neceſſe quippe eſt, ſi linguæ licentia homines facit quaſi Religionis expertes, ſilentium faciat ſanctitatis veræ conſortes. Et quidem vel ipſum nomen (ſilentium) habet neſcio quid peculiare, ſanctum, tranquillum, reconditum; quo videtur animum ad interiora ab exterioribus revocare: cujus certè honeſtas tam eximia eſt, ut ſacras ſive virorum, ſive mulierum ædes præ univerſis virtutibus aliis decorare videatur: quod ſapientes viri eò ingreſsi ſtatim animadvertunt, & ad ſe reverſi ſanctitate ſilentii contrahuntur. Habet enim affinitatem quamdam cum divina contemplatione, ac mentis ſuſpenſione: quæ aliquid ſæculo altius tacendo ſignificat: quod licèt non omnes homines capiant, omnes tamen admirari videntur: quo certè ſolo argumento ſilentii excellentia ſatis oſtenditur.

Silentii nobilitas notata.

D

Silentium via ſolitudinis adpellata.

Oſeæ 2. 14.

E

III. Nobilitas profectò egregia eſt, & valde fœcunda; tot enim bonos partus edit, tot lucra comparat, quot verba inutilia reſecat: præter commoditatem maximam, & cordis tranquillitatem, quam ſingulari prærogativa conciliat: ut quiſque, quoties, ubi opus eſt, ſilet de ſeipſo teſtari poteſt. At verò nullus orator, etſi diſertiſsimus, exprimere valebit, quàm ſint amabilia non ſolùm divina, & interna colloquia, ſed & ſoliloquia, quæ hominum ſermoni ſuccedunt. Dulciſsima enim ſolitudo eſt, ubi Deus cordi blanditur, & uno ſaltem verbo majora ſolatia præſtat, quàm ex univerſi mundi eloquentia per annos millenos elici poſſent. Profectò ſilentium via ſolitudinis eſt, qua mens Dei cupida ab hominum ſtrepitu in tutiſsimam pacem inducitur: cui benè congruit illud: *Ecce ego lactabo eam, ducam eam in ſolitudinem; & loquar ad cor ejus*: quaſi diceret: Amantiſſimus Deus ſugit hominum lac; non enim labiis papillas apprehendit: odit peccatores, qui eam ſermonibus blandis lactare volunt, nec acquieſcit eis. Propter hoc ego lactabo eam ab hominibus ſequeſtratam: & exponens, quid ſit lactare eam, ſubjungit: Loquar ad cor ejus, ſcilicet ſolabor eam; & hominum verbis divina verba ſuccedent. Fratres ergo noſtri, qui è Babylonis tumultibus in ſolitudinem ſe receperunt, ut Clementiſſimum Deum ad cor loquentem audirent, totis viribus in ſilentii auribus, ſola Dei verba deſiderent. Sed actus, quibus lingua coercenda eſt proponamus.

Exemplum.

Lingua fera indomita dicta.

F

G

Silentium, quæ verba excludat?

S. Vinc. De Vita Spir.

H

III. EXpendendum eſt, linguam eſſe feram quamdam indomitam, quæ nullis conatibus, ut Jacobus Apoſtolus dixit, ab homine ullo domari potuit: cujus damna plurima, & graviſſima ſunt. Habet enim expeditionem quamdam præcipitem; & ſtatim ac loquendo incaluit, omnia modeſtiæ clauſtra perrumpit: modicus videtur ignis, ſed magnam ſylvam incendit. Propter hoc Patres antiqui inter prima, & potiſſima Cœnobiticæ vitæ præcepta ſilentium poſuerunt; cujus utilitatem miris encomiis, quæ fidem ſuperare videntur, celebrarunt. Nemo enim, qui Sanctorum ſcripta non legerit, facilè credet tanti ponderis eſſe ſilentium, quanti ab eis factum eſt. Videtur enim virtus hæc non ad cor, ſed ad labia, & (ut ita dicamus) ad hominis ſuperficiem pertinere: at verò licèt labia moderetur, ipſa viſcera permeat, & afficit. Hinc eſt, ut quaſi rem ſummoperè neceſſariam, & ad unionem divinam exquirendam, & ad culpas proprias, & proximorum ſcandala plurima declinanda ſic Patres ſilentium commendaverint, ut medium virtutis excedere viſi fuerint. Cum enim ſilentii virtus non omnia verba, ſed noxia tantùm, hoc eſt, quæ neceſſitas, vel utilitas non requirit, excludat; illi ſic rem promere curarunt, ut & utilia quoque verba junioribus non facilè permiſerint: notum eſt enim, Sanctum Vincentium Ferrerium nutus, quaſi extortos verborum vice conſuluiſſe. Verùm re interno lumine perpenſa, prudentiſſimè (ut qui à Spiritu Sancto regebantur) ſilentii præcepta tradidere. Cum enim omninò loquendum eſſe conſideraſſent, & ipſi ſummo ſtudio ſilentium colentes in culpas leves, quas morte pejùs horrebant, ſæpè loquentes incidiſſent; humanæ conditionis fragilitatem præſagientes judicarunt, ſalubrius, aut minùs noxium eſſe verborum defectu, quàm exceſſu peccare: defectus quippe rariùs, & leviùs, exceſſus frequentiùs, & graviùs lædit, quia proximis quoque nocet.

IV. Ex hoc in Congregatione noſtra con-

ſue-

Scripta An. 1605.

ſuetudo inolevit, ut Fratres numquam, niſi de Superioris venia, verba faciant; excepta ſalutatione mutua, & parciſſimis interrogationibus, & reſponſis neceſſariis: quæ tamen arctiſſimi ſilentii tempore, ubi nec ſalutationes mutuæ ſunt, ſchedulis in morem inductis ſcripto expediuntur. Quamobrem & Patrum antiquorum, & A Congregationis noſtræ diſciplinæ conſentaneum eſt; ut potiùs in ſilentium nimium, quàm in linguæ licentiam propendeatur: nec aliter ejus virtutis medium proceſſu temporis teneri, experientia ipſa convincit. Quia tamen omninò loquendum eſt, cùm neceſſitas id exigit, voce ſubmiſſa, & audientibus attemperata, quæ animi ſilentium colentis nota eſt, & verbis, quoad fieri poterit, pauciſſimis Fratres utantur: ſed actus ſilentii præſcribere opus eſt.

Actus interni.

V. MOdeſtiſſime Jeſu Chriſte, pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

B Statuo, mitiſſime Domine, ab omni verbo, quod neceſſitas, vel utilitas non exigat, abſtinere.

Si oportuerit mori, propter ſilentii cultum à Congregatione præſcriptum, non te negabo.

Si exploratum mihi fuerit, verbum aliquod otioſum eſſe, etiam ſi occidar, ſilebo.

Abſit à me, Clementiſſime Domine, ut conſcientia renitente loquar.

Si ad loquendum invitatus fuero, ubi rationes humanæ, ob perſonæ gravitatem, vel cauſas alias verba ſuggeſſerint, rationi divinæ ſilentii obtemperabo.

Utinam, benigniſſime Deus, potiùs obmuteſcam, quàm vel uno verbo tibi non C grato abutar.

VI. Actus hi tunc efficaces erunt, cum oblatis occaſionibus Deo potiùs ſilentium interiùs inſpiranti, quàm hominibus exteriùs ſuadentibus parebitur: quapropter actus externos, hoc eſt, occaſiones, & cultum ſilentii exteriorem exprimamus. Hoc autem monitum hoc in loco tempeſtivum eſt: ne videlicet Fratres noſtri aliorum indignationem pertimeſcant, dum virtutis actus obeunt: benè quippe congruit, quod dixit Apoſtolus: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Conentur ipſi ad Obedientiæ lineam ſuas actiones exigere: quòd ſi fortuitò quis inde commoveatur (nam exerceri opus eſt) patienter ferant: ſed conſilium neutiquam mutent.

Ad Galat. 1. 10.

D

Actus externi.

VII. HAbet Frater aliquis obvium Patrem graviorem (ut faciliora ex difficilioribus pateant) ſalutant mutuò: ſed Pater ille ſubſiſtit, & ſciſcitatur, an valeat? quæ certè interrogatio fortaſſe reprehendenda non eſt, ſed cùm neceſſaria non ſit, nec verò utilitas appareat, partes Fratris illius erunt, jucunditatem aſpectu præferre, ac benevoli animi ſignificatione Patri ſatiſfacere: at intrinſecùs firmiter conſtare: & in hunc modum, vel alium ſimilem, actum ſilentii producere: Malo Domine tecum, quàm cum hominibus colloqui. Quòd ſi Pater ille inſtet, pergat benevolentiam oſtendere, ſi diſcedere nequeat: ſi verò poſſit, lætus abſcedat, & Clementiſſimo Deo propter oris cuſtodiam gratias agat. E Quiſquis hoc modo ſilentii amore flagrat, & victorias frequenter parat, omnino ſibi perſuadeat, ſe Deo rem acceptiſſimam, & proximis ipſis quoque, qui reſponſa extorquere velle videntur, utiliſſimam effecturum: & totius Domus Dei decorem, non vulgariter aucturum. At non hujuſmodi congreſſus tantùm, ſed graviora experimenta ſuperare oportet: ſæpe enim à Patribus, vel Fratribus ſub ſpecie virtutis Fratres novos ad eorum profectum tentari opus eſt: ut pateat, qua conſtantia, & fidelitate præditi ſint, & quo pacto rerum ſpiritualium doctrinam capiant, & virtutis actum à virtutis colore diſcernant. Hinc perſpicitur: quàm turpiter errent Fratres, qui abſente Superiore F mox, ut invitantur, in verba prorumpunt: longiſſimè quippe à vera virtutis cultura recedunt, & ſibi, & proximis, & decori domus Dei graviter nocent. Curent ergo Fratres noſtri linguam domare, & meliora Dei verba ipſa taciturnitate exquirere: quod ut efficiant, ſubjecta rationum momenta perpendant.

Linguæ cuſtodia præcepta.

VIII. Nemo umquam linguæ pericula juſta trutina ponderavit, quamtumvis à fide Chriſti eſſet alienus, qui linguam non extimuerit, quaſi præſentiſſimum venenum; quod & Scriptorum Ethnicorum aſſerta demonſtrant. Vix enim non ſolùm peccata, & peccatorum quoque genera, quæ ab una G lingua exoriuntur, enumerari poſſunt; cujuſmodi ſunt detractiones, murmura, lites, rixæ, contentiones, mendacia, perjuria, blaſphemiæ, & alia teterrima flagitia: quin etiam & reliqua peccata, aſſerendo, negando, & defendendo, ſimulando, incitando, vehementer exaggerat: quomodo ergo vero proficiendi deſiderio linguæ incuria cohærere poteſt? aut quomodo ſe ore proprio non damnat, qui perfectioni Chriſtianæ addictus eſt, & linguam ſine timore relaxat.

Peccata linguæ enumerantur.

IX. Sicut autem & innumera, & ingentia ſunt linguæ mala, ita ſilentii non apud Deum tantùm, ſed apud homines quoque ſunt plurima, & pretioſiſſima bona. Profectò enim vir ſilentio deditus à cæteris hominibus, quaſi quædam ſapientiæ arca obſerata ſuſcipitur: ſtatimque ac ſilere incipit, H prudentiæ opinionem generat, & neſcio, qua ratione, ſine diſciplina doctus, ſine experientia prudens habeatur. Sed quicquid lateat, prudentiæ pars eſt, ſtultitiam, vel imperitiam ſilendo celare: & ut vulgò dicitur: Stultus quamdiù tacet, habetur ſapiens.

Silentii bona quæ, & quot?

X. Sed profectò, quamvis multam doctri-

Scrip. An. 1605.

Facilius ſilere quam ſine vitio loqui.

næ vim quis comparaverit, vix ſi ſermonem diù producat, à multis erratis immunis evadit: ſumma enim circumſpectio ad rectè loquendum exquiritur, & re penſata, faciliùs multò eſt omninò ſilere, quàm ſine vitio loqui: quænam ergo mens erit Monachi illius, qui cum nec doctrina, nec experientia polleat, innocentiam ſibi pollicetur, ubi ſapientes, prudenteſque labuntur.

XI. Præterea nemo dignitatem ullam in ſæculo quærit, qui non ſollicitudine mira media opportuna uſurpet; & ad rem noſtram, ſi ad eum finem taciturnitas conferat (ut ſæpe coram principibus conferre ſolet ad verecundi animi, vel prudentiæ laudem comparandam) non ſe à verbis ſtudiosè contineat? Cum ergo finis Inſtituti noſtri ſit unio divina, quæ ſilentio, velut medio appoſitiſſimo, perquiritur, par erit, per ejus perenne ſtudium ad ſubliſſimam illam dignitatem aſpirare.

XII. Hinc eſt, ut antiquiſſimi utriuſque Teſtamenti Patres, qui Cœnobiticæ diſciplinæ fundamenta poſuere, acutiſſimè linguam cohibuerint, ne à tantæ rei ſtudio diverterentur: non enim ſolitudinis amor niſi propter divinam unionem, nec hominum fuga, niſi ob linguæ timorem, & alia ejus generis damna eligebantur: quod unus pro multis innocentiſſimus Joannes Baptiſta convincit, ut in ejus hymno canit Eccleſia; ſi ergo Fratres noſtri eò tendunt, non ſine præcipiti temeritate linguæ indulgere poterunt.

Jeſu Chriſti ſilentium notatum.

XIII. Verùm inter univerſa exempla, vel rationum pondera, quæ ad ſilendum animos urgere poſſunt, Jeſu Chriſti Domini Noſtri hac in parte ſigna uſque ad ſtuporem mirabilia contemplemur. Etenim Verbum Dei erat, nec verba ei deeſſe, aut periculum creare poterant: & tamen per annos triginta ſiluit, vix tres loquendo peregit. Quid autem hoc prodigio majus vel ſperari, vel cogitari, vel fingi poteſt? Minus eſt ſanè, quidquid auctores univerſi, vel profani, vel ſacri, de oris cuſtodia exaggerant, quàm quòd hoc uno exemplo; cui multa miracula cedunt, amplexi ſumus, & declarare jam cupimus. Si enim eò Dei Filius venerat, ut Dei ſcientia terrarum orbem repleret, ac ignorationis hæreditariæ, qua genus humanum laborabat, tenebras depelleret, quomodò tacuit? An homines longa eruditione non egebant, & optabant, ut dirumperet cœlos, ac deſcenderet, & erudiret primores orbis, ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret?

Silentii cultura perfectiſſima, quæ?

At verò rationis incrementa perſpiciamus. Exploratum eſt, perfectiſſimum ſilentii cultum eum eſſe, quo in graviſſimis periculis, & damnis tacetur; nam ubi ardua non imminent, virtutis cultus non uſque adeo eximius eſt: mitiſſimus autem Jeſus Chriſtus coram ſe tondentibus obmutuit, & juxta Iſaiæ vaticinium, non aperuit os ſuum, quod Evangeliſtæ altè notarunt: quid ergo ſignificavit? Sanè, cum ad Herodem pertractus, & curioſiſſimè rogatus, graviſſimè ſiluit, cùm adſtarent optimates urbis conſtanter accuſantes eum, poterat Dei Filius pauciſſimis verbis vanum Regem illum delectare, ac ab eo libertatem impetrare: & tamen ſiluit, & repulſus, ac deriſus fuit. Oportet ergo aliquid magnum hac taciturnitate portendi.

Chriſti ſilentium ante judices.

Quid autem apud Pilatum? Ubi miſſam facimus crudeliſſimorum latronum præpoſteram electionem Barabbæ, cùm facilè Dei Verbum poſſet duriſſima quoque ſaxa dicendo mollire, ac innocentiam ſuam contra hominem invidioſiſſimum tueri. Sed cùm homines inſani, & à diabolo agitati apud Pilatum rabidè inſtarent, & multa mendacia obiicerent, Virginis Filius tacebat: nec Præſidis admonitio unum ſaltem verbum ab eo impetrare potuit. Quis hîc Monachus non ſuſpenſus hæreat, & ſcire cupiat, quid ſibi velit hoc Jeſu Chriſti ſilentium? Agebatur graviſſima cauſa: Incarnati Dei vitæ mors injuſtiſſima, & diriſſima imminebat: intererat generis humani, ac peculiariter urbis illius à Deo in delitiis habitæ, Chriſti veritatem agnoſcere, & tamen interrogatus tacet: quin etiam, interrogatus de veritate, quid ſit, tacet. Quid eſt hoc? Uſquequò degeneres Monachi linguæ vincula ſolvent? quomodo non erubeſcunt, & Chriſti judicium reformidant? Puteus altus eſt, & in quo ſilentii hujus aquam occultam hauriamus, non habemus. Mirari neceſſe eſt, dum rem conſpicimus, & cauſam ignoramus: nec vacaret culpa Monachus, qui ſine admiratione rem grandem hanc præteriret, quæ homines Ethnicos efficaciſſimè moveret. Siluit enim Dei Filius, & tam excelsè, ac inſolitè ſiluit, ut miraretur Præſes vehementer.

Pilatus, qualis homo?

Profectò ſi Pilatus homo reprobus admiratur, æquum erit Religioſos obſtupeſcere. At ſtupor hic eò prodeſſe debet, ut rei cauſam inveſtigent: Quòd ſi inveſtigando deficiant, unum ſaltem apud ſe ſtatuant, ſilentium exactiſſimè colendum eſſe, & à Chriſti Schola loquaces, vel linguæ incurioſos longiſſimè diſtare. Certè niſi tacere hominum interfuiſſet, Jeſus Chriſtus per annos plures prædicaſſet: cùm ergo tandiù taciturnus egerit, dicendum videtur ſilentium illud ad ſalutem, & perfectionem noſtram æquè, ac ejus prædicationen contuliſſe: quare ergo non ſit immane crimen ſilentium Chriſti reiicere, ſi crimen atrox eſt, ejus verba repudiare? Expendant ergo Fratres noſtri rationes has à tanto exemplari depromptas, & per dulciſſimum Jeſu Chriſti ſilentium vitæ verba requirant.

CAPUT XVII.

De Gratitudine.

I. Æquiſſimum eſt ſanè, quicquid animum à Deo dimovet, ut ſenſuum inutiles functiones oculorum modeſtia, &

taci-

Scrip. An. 1605.

A

Gratitudo, quid?

taciturnitate, intercidere: ſunt enim tot, tantaque debita, quibus clementiſſimo Deo ſumus obnoxii, ut ad agendas pro beneficiis gratias omnes animæ vires intus contrahere oporteat. Quapropter ſuaviſſimam virtutem gratitudinis, quæ velut neglecta apud multos jacet, ab iis, quos Deus majoribus bonis auxit, quales Fratres noſtri ſunt, impenſiùs exerceri decet. Eſt autem gratitudo (quæ & gratia nuncupatur, & ad juſtitiam reducitur) virtus, qua quis ex accepto beneficio affectum erga benefactorem concipit, & ſuo tempore gratias agit, ac pro viribus retribuit.

Ejus decor.

II. Quàm ſit autem decora virtus hæc ingenio dulciſſimo prædita, tam eſt per ſe notum, ut expoſitore non indigeat. Norunt enim homines univerſi animos gratitudine inſignes vim quamdam cordium victricem habere, cæteroſque ſuaviter allicere: ſicut è contrario ingrati homines à ſe corda repellunt.

Et utilitas.

B

III. Utilitatem quoque gratitudo maximam præſtat: omnes quippe in homines gratos libenter beneficia conferunt: & primorum gratia, ſecunda, & tertia elicit: quod exemplis quotidianis ediſcimus. Delectat quoque collatorem, ac receptorem ſimul, quos reciproco amore connectit, & affectibus certare facit. Et hæc ſanè aſſerta apud nationes univerſas veriſſima ſunt ipſo naturæ lumine probata: Sed ſi de divinæ gratiæ affectibus ſermo fiat, multò veriora, & honeſtate, & lucro, & voluptate pleniora probantur. Mirum quippe dictu eſt naturalem hominis gratitudinem quantoperè gratia divina perficiat: cujus majora, & optabiliora bona fortiùs, & ſuaviùs movent. Quantò enim gratitudine dignius eſt Deo naſci, quàm Mundo? & tamen homines Ethnici natalis cœnam multa gratitudine celebrare ſe debere putabant: quod nimis vulgatum eſt: quid ergo Dei filios cœlo natos præſtare deceat? Sed quamvis creaturæ omnes, pro captu ſuo, virtuti huic ſe dedere debeant, Fratres noſtros, qui longè majoribus beneficiis unà cum ſtatu noſtro aucti ſunt, gratitudinem, velut cordis ornatum pretioſiſſimum, & ardentiſſimè amare, & excolere oportebit. Sed actus, qui ad eam parandam, & augendam conducunt, expromamus.

Gratitudo etiam ab Ethnicis culta.

C

Exemplum.

IV. PErpendendum eſt, gratis animis non ſatis eſſe, gratiam habere, quod ad bonum ſpectat affectum, ſed gratiam referre, quod ad opus attinet.

D

V. Hinc eſt, ut interni actus, quibus affectus augetur, cùm pro libito poſſint, creberrimè producendi ſint: externi verò, cum facultas modica ſuppetat, non adeo exerceri valeant. Sed quod ad Clementiſſimum Deum pertinet, cum ei nihil, quod ſuum non ſit, reddere poſſimus, ipſiſmet beneficiis, quæ confert, ad gratiam referendam uti poſſumus, ac debemus, ut ex actibus patebit.

Actus Interni.

E

VI. DUlciſſime Deus, habeo tibi gratiam pro immenſis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus bonis, quibus me ſemper cumulas.

Miſericordiſſime Domine, quid tibi pro creatione, conſervatione, redemptione, juſtificatione, præſervatione, auxiliis, inſpirationibus reddam? Amantiſſime Domine, quid pro malis, quæ non committo, rependam, cum tot ſint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata?

Benigniſſime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus te donante, à me conceptis, & præſtitis referam? Quippe, qui niſi te largiente nihil boni cogitarem.

F

Optatiſſime Deus, hac ipſa hora, ut commerui, flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus ſum: quid ergo tibi retribuam?

Liberaliſſime Domine, contuliſti in me jus hæreditatis æternæ (ut ſpero) quid agam?

Fideliſſime Deus, providiſti ſacramenta, verbi tui paſtum, conſilia, ſolatia, & alia multa, quibus adjuver, ut ad te citiùs, commodiùſque perveniam: quid reſpondebo?

Reddo tibi Domine, cor meum: offero viſcera mea: ſacrifico tibi in hoſtiam laudis præcordia mea.

G

Utinam, amabiliſſime Deus, univerſa & Angelorum, & Sanctorum, & quotquot in univerſo mundo tibi placent, Filii præſertim tui Unigeniti, ac Matris ejus corda poſſiderem, quæ tibi gratiſſimo affectu conſecrarem.

Quo pacto poſſum, dulciſſime Domine, Jeſum Chriſtum Redemptorem meum, ac Beatiſſimam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum reliquorum juſtorum animas, quas rogo mihi ad gratitudinem ſociari, tibi pro beneficiis reddo.

V. Satis patet, hujuſmodi actus poſſe multifariam concipi, & ad cor excitandum apprimè conducere: ſed ad externos veniamus.

Actus Externi.

Chriſtus Patri ſuo frequenter gratias egit.

VI. MOS Jeſu Chriſti Domini noſtri erat etiam pro modicis rebus Patri ſuo æterno externa veneratione gratias agere: Non enim ſolùm, cum Lazarum ſuſcitavit (quod majus quiddam eſt;) ſed quoties turbas paſcebat, ad ipſam panis illius, quem miraculo augebat, diſtributionem, oculis in cœlum ſublatis, Patrem laudabat.

H

VII. Mos antiquiſſimus eſt, qui ad omnes nationes permanavit; ſed Fratres noſtri illud eniti debent, ut ex ardentiore gratitudinis affectu, non ſolùm quicquid eis erogatur, cujuſmodi ſunt veſtes, victus, eleemoſynæ communes, & alia univerſa Deo gratias agentes accipiant: ſed ad aliqua,

Scrip. An. 1605.

vel certè omnia exteriora opera, quaſi animi grati debita Deo reddenda procedant: quod eſt idem, ac ſi diceremus; eos ita erga Clementiſſimum Deum pro immenſis beneficiis affici debere, ut per opera, quæ præſtant, peculiaribus cordis motibus ei gratiam referre conentur. At cum ſolemnioribus A feſtis maxima redemptionis, ac ſalutis noſtræ beneficia celebrantur, & preces, & orationem, & potiſſimum ſacram Communionem, quaſi hoſtias pro gratiarum actione, interno motu cordis, & externo illorum actuum ſigno immolent: & ſpontanea quoque verbera, vel cilicia, vel ejuſmodi alia Superioris conceſſu ſacrificent. Vix enim explicari poteſt, ad alendam devotionem hæc exteriùs teſtata gratitudo quantum conferat. Ne verò Fratres noſtri ad hanc virtutem colendam deſides fiant, ſubiectas rationes ponderabunt.

Gratitudo belluarum notata.

VIII. Animantia quantumvis fera beneficiis quemdam quaſi gratitudinis affectum, & ex eo etiam obſequia referunt: quod paſſim cum voluptate contuemur. Quis rogo non avidè ſpectaret leonem paulò ante B rugitu formidabilem, qui quòd in conflictu cum immani dracone ab homine adiutus fuit, interempto dracone benefactori ſuo blandiebatur, & more canis ad oblectamenta nutriti equitantem inſequebatur, nec ab eo divelli poterat, quod in Africa ſuperiore, quà Mediterraneo mari propinquior eſt, non ante multas ætates novimus accidiſſe?

Canum gratitudo.

IX. At quis umquam, niſi teſtis oculatus eſſet, vera crederet, quæ in hoc genere canes oſtendunt: qui catenis obligati, & mille ictibus vexati, ob panem modicum, quo à dominis aluntur, tam fideles, & grati perſeverant; ut ſingularem mœſtitiam præferant, quin & obiectos cibos edere nolint (quod nos vidiſſe meminimus,) C ſi quando ab eis abeſſe contingat?

X. Cæterum, quale prodigium fuit (quod S. Ambroſius ait) cernere canem, dum cadaver domini efferebatur, feretrum inſequentem, hærentem tumulo, ac mœſtiſſimis ululatibus benefactoris ſui mortem proſequentem?

X. Profectò ſi leones, & canes (ut alios animantes ſileamus) uſque ad ictus, & mortem iis, quorum benefacta ſenſerunt, gratiam, quà poſſunt, referunt: rationi conſonum erit, viros non ſolum Chriſtianos, ſed Religioſos in ſortem dulciſſimi benefactoris, ac Domini juratos animi grati ſigna exhibere.

XI. Certè natura ipſa ingratitudinem exhorreſcit: D & in ſe quamdam grati animi repræſentat imaginem: quemadmodum enim terra, quæ accepta ſemina ægrè reddit effœta, & ſentibus, ac tribulis obſita cultores ſpe fruſtratos à ſe repellit: ita qui acceptis beneficiis minimè reſpondent, non hominum tantùm, ſed ipſius quoque Dei animum abſterrent: ex quo fit, ut ingratitudo fontem miſericordiæ arefacere jure dicatur.

XII. Hæc altiùs contemplantes illi priſci mundi contemptores, qui Cœnobitica inſtituta condidere, velut avari mercatores, opes multas conquiſituri, ut ære alieno liberarentur, dies noctesque ſpiritualibus exercitiis conſecrabant: quod ex attentiſſima beneficiorum divinorum meditatione E procedebat; quid enim agerent gravati? Certè benefacta Dei, quaſi graviſſima pondera meditantibus incumbebant. Verùm rem ipſam nos quoque meditemur. An ferendum ſit, hominem, qui certò novit ſe multa igne ſempiterno digna peccaſſe, & ſolo Dei beneficio gratis modò non ardere; immò ad æterna ſolatia invitatum rectà (ut credere licet) in cælum tendere; & non magis horum beneficiorum meminiſſe, vel gratiam rependere niti, quàm ſi propria, vel naturalia tantùm bona forent? Profectò licet ob ſolum beneficium liberationis illius ab homine ſervitutem æternam, putà, ut ferrum effoderet, Deus exigeret, nec ulla deinceps bona, præmiave polliceretur, liberaliter, & miſericorditer admodum cum illo ageret: ſi enim F in æternum arſurus erat, ferri effoſſio mitis labor eſſet: & tamen non modò pœnam æternam relaxavit, ſed gloriam quoque pro jugo ſuavi promiſit. Ulteriùs: ut plurimis pauciſſima ſeligamus: quis umquam, niſi re à Deo revelata mente, concipere, nedùm ſperare auſus fuiſſet, Deum pro viliſſimo peccati, ac diaboli mancipio Unigenitum ſuum rerum Dominum honore infinito digniſſimum infami morti, & turpiſſimis ignominiis acerbiſſimo dolore permixtis traditurum? Certè beneficium hoc totum, quod hiſtoriam Incarnationis, vitæ, paſſionis, ac mortis Jeſu Chriſti complectitur, ita cujuſque hominis eſt, ac ſi nullius alterius eſſet: cum ſe Chriſtus totum pro ſingulis quoque hominibus obtulerit: quomodò ergo cor hominis, etſi lapideum G ſit, hanc vim efficaciſſimam, ſine immenſa gratitudine ferre poſſit?

Dei beneficia in hominem.

XIII. Quid de nutrimento filiorum Dei aſſeremus, quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt auri color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum? Numquam ab orbe condito venit, aut venire potuit in mentem ulli homini tale beneficium, quale præſtitit nobis divini amoris immenſitas in Euchariſtiæ pane. Et tamen qui deberent amore, ac inde orta gratitudine flagrare, ferrea quadam nigredine obſcurati ſunt igniti auri colore mutato: & qui nobiliorem, ac ſecretiorem Sanctuarii, hoc eſt, domus Dei partem, quaſi lapides vivi componebant; H ſtudio mutato ad negotia, quæ in plateis geruntur, evagantur. Quid eſt hoc? mirum eſt, quo pacto divina beneficia, & maxima, & plurima, & ad convertendas animas efficaciſſima oblivioni tradamus! Quod ſi è multis paucos videmus bonis internis opulentos, gratitudo eſt, quæ quò magis alitur, eò ſinus cordis latiores ad

bona

Scrip. An. 1605.

Davidis gratitudo notata.

bona capienda efficit. Ex hoc lectiſſimo numero fuit Rex ille mitiſſimus David, qui magnam vitæ partem inter ipſas regni curas in canendis, & ſcripto celebrandis Dei beneficiis exegit: quod qui ex Pſalmis non deprehendit, cœcus ſit, neceſſe eſt. Propter hoc ergo tam fœlix, & ſapientia cœleſti dives fuit. Ex eodem quoque numero Paulus fuit, qui gratia Dei ſe eſſe, quod erat, intentiſſimè cogitavit, & affectum gratitudinis, qua erga Jeſum Chriſtum cæleſtem præceptorem ſuum ardebat, numquam depoſuit: propterea locupletiſſimus evaſit, & uſque ad cæli faſtigium crevit. Fratres ergo noſtri præter eam communem gratiarum actionem, quæ uſu lenteſcere ſolet, penitiorem aliam, honeſtiorem, ac utiliorem intimis viſceribus defigant, & perennibus aſpirationibus augeant: ſic enim munificentiſſimus Deus, qui benefaciendi occaſiones captat, animos eorum gratitudine patentes majoribus bonis explebit.

Et D. Paulli.

A

B

CAPUT XVIII.

De Magnanimitate.

Magnanimitas, quorum propria?

Magnanimitas, quid?

I. QUI beneficia maxima Clementiſſimo Deo ſe debere perſpicit, quod eſt gratitudinis, magna moliri debet, ut pro captu ſuo gratiam referat: ex quo efficitur, ut magnanimitas virtus propria ſit eorum, quos Deus magnis auxit beneficiis: cujuſmodi Fratres noſtros eſſe à nemine in dubium revocari poteſt. Eſt autem magnanimitas virtus, qua animus extenditur ad magna; utpote fortitudinis comes, cujus eſt egregia facinora patrare: ſedem habet in Iraſcibili, ejuſque materia eſt honor magnus, ſeu gloria, non quia gloriam exquirat, ut finem (hoc enim parum eſſe putat) ſed opus magnum, quod honore dignum eſt: ac ob id virtutibus univerſis nobiliſſimum addit ornamentum. Percurrit quippe campos omnes, & caſtra Dei viventis, hoc eſt, virtutum agmina cæleſtibus armis ſepta perluſtrat, ut grandia præſtet: nec enim magnanimitas mediocri laude contenta eſt. Hinc eſt, ut virtutis hujus Chriſti militibus digniſſima honeſtas adeò mira ſit, ut vel ipſo nomine ſui æſtimationem ſingularem generet. Magnitudinem in Dei operibus exquirit; cor ad progreſſionem pulſat, & ignaviam omnem, ſeu debilitatem execratur. Quem ergo virtus hæc ſpecioſiſſima non alliciat, cum nemo ſit, cui pro humana conditione magnitudo non placeat? Ex hoc verò magnarum rerum propoſito inſignia emolumenta naſcuntur: certum eſt enim, cum, qui Cardinalitiam dignitatem expetit, plura, & majora paraturum, quàm ſi alicuius Eccleſiæ ſimplicem prælationem quæreret: dum enim Purpuram mente verſat, ſi conatus eò non pertingunt, Epiſcopatum ſaltem attingunt: at ſi ſolum Eccleſiæ prælationem illam optaret, vix unquam exilibus mediis Sacerdotium ſimplex acquireret.

C

D

Comparatio.

II. Sic ſanè in Chriſtianæ perfectionis conatibus uſu venit: qui enim Sanctiſsimos Patres (quos in Eccleſiæ colimus ſenatu) æmulari decernit, licet eò non perveniat, excelſam tamen, pro magnanimitatis modo, ſanctitatem adipiſcitur: at qui humilitatem quamdam apparentem, ſed veram ignaviam prætexens parva cogitat, vix umquam, ut exempla quotidiana convincunt, in Clauſtro mediocriter proficit. Patet ergo magnanimos divites eſſe, ſed non anxietatem at miram, delectationem eæ divitiæ pariunt: quid enim delectabilius, quàm ea cordis generoſitate pollere, quæ parva deſpiciat, labores parvi faciat, cœlo propinquet, ac Deo ſe magnis incrementis augeri conſpiciat? Innatum quippe homini eſt, magni patrimonii, hæreditatis, ſeu dignitatis magnæ, & univerſè rerum magnarum poſſeſſu lætari: præterquam quòd animos huic virtuti deditos, quaſi divinos, quia ſibi admodum ſimiles, Deus ardentiſſimè amat, & proinde cœleſti voluptate perfundit. Hæc ergo virtus Fratribus noſtris ad magna vocatis acceptiſſima ſit: & ad propoſitam eis palmam comparandam Inſtituti noſtri ſtadium excelſo corde percurrant. Sed actus magnanimitatis exprimamus.

E

Magnanimitas commendata.

F

EXEMPLUM.

Actus Interni.

III. EXcellentiſſime Deus, quem ſine cordis erectione non poſſum attingere, cupio Apoſtolicas virtutes comparare.

Imprime, fortiſſime Deus, robur magnum cordi meo; deſidero enim heroicos virtutum actus producere propter te.

Deſpicio, altiſſime Domine, omnes mundi honores, & faſtus calco, ut ſupra mundum extollar ad te.

G

Utinam, potentiſſime Deus, univerſam mundi claritatem, & famam nunc haberem; non ut poſſiderem, ſed ut contemnerem propter te.

Opto, Domine, Job patientiam aſſequi.

Utinam te more Pauli diligerem.

Utinam me, ſicut Magdalenam peccatorum meorum pœniteret.

Certè, clementiſſime Deus, daturus ſum operam, ut Angelico more in terris vivam.

Conabor Domine occaſionem pro te martyrium ſubeundi perquirere.

Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego, dulciſſime Deus, me offeram pugnaturum propter te.

H

Abſit à me, Domine, ut animum deſpondeam à Chriſtiana perfectione comparanda.

In mandatis tuis excellenter exercebor; & conſiderabo vias tuas: In juſtificationibus tuis intentiſſimo corde meditabor: non obliviſcar ſermones tuos.

Actus

Scrip. An. 1605.

Actus hi cor erigunt, & contra incurſantia mala conſtabiliunt, ſed horum veritas operibus examinanda eſt.

Actus externi.

IV. CAput unum animis grandibus familiariſſimum eſt, in quovis nempe Cœnobio quoſcumque provectiſſimos æquare conari; ut, ſi quem exempli gratia, modeſtiæ ſilentiivè cultu conſpicuum videant, donec eum gradum attingant, minimè requieſcere. Deinde animadvertendum eſt (quod in c. de Obedientia indicavimus) nonnulla eſſe opera verè grandia, quæ niſi audentibus, & poſcentibus Superiores non injungunt: quod & prudentia, & charitas Chriſtiana depoſcit: cujuſmodi ſunt, longiſſima jejunia; diuturnæ admodum vigiliæ; aſperrimæ catenæ ferreæ; moleſtiſſima cilicia, corpus ferè totum obtegentia; tenuiſſima, & unica veſtis rigidiſſima hyeme: navigatio ad remotiſſimas nationes: certa martyrii occaſio, & hujuſmodi alia, quæ certo numero nequeunt comprehendi. Hæc ergo virtus magnanimitatis aggreditur, & innixa Dei auxilio à Superiore poſtulat: quo certè auſu, mirum dictu eſt, quàm inſigniter creſcat: ſic enim ſpirituale ſubditorum robur Superiori innoteſcit; qui re perſpecta, illis ad grandia utitur, vel ſi expediat, poſtulata concedit. Huc Fratres noſtri ſpe firmiſſima ſuſpirent, ſi alicujus ponderis lucra parare velint: quod ne durum videatur, rationes has meditentur.

Opera grandia & generoſa, quæ?

V. Qui inter antiquos Chriſtianæ lucis exortes fama præ cæteris claruerunt, quod vulgatiſſimis conſtat hiſtoriis, ad magna ſemper aſpirarunt: notum enim exemplum Alexandri, qui cum in æternum parvus futurus eſſet, Magni cognomentum apud homines adeptus eſt: cujus certè magnitudinis originem ſi ſcrutari velimus, perſpiciemus, ingenium illud ad magna erectum, nec mundo uno contentum, nominis illius cauſam exitiſſe: & tamen modicum eſt, quod obtinuit: quid ergo æquum ſit, animis ſtatuant, qui ævo ſempiterno magni eſſe deliberant?

Alexander Macedo Magnus dictus.

VI. Multa hujus generis, quæ Jeſu Chriſti famulis ignaviam exprobrant, paſſim celebrantur: cujuſmodi eſt Lacedæmoniorum regnum florentiſſimum, quod non aliunde, quàm ex magnanimitate, non ſolùm virorum, ſed mulierum quoque concrevit: familiare quippe utrique ſexui erat, pro virtute colenda honorem, vitamque contemnere.

Lacedæmoniorum regnum, unde florentiſſimum?

VII. Romani quoque, qui ad ulteriores metas imperium protenderunt, ſi vera fateamur, magnanimitate orbem ſubjugarunt: animis quippe grandia cogitantibus res pro voto ſuccedebant: & tamen ſive Lacedæmones, ſive Romani, ſive alii quicumque Chriſti expertes, erant flammis æternis urendi, & infamia perpetua notandi: cur ergo, qui cum Deo regnare cogitant, parva non ſpernant, & heroicos ad regnandum conatus adhibeant?

Et Romanorum?

VIII. Verùm quæ de gentibus iis à nobis dicta ſunt, ſanè videntur parva, ſi cum militum Jeſu Chriſti facinoribus comparentur: majus quippe, ſine controverſia eſt, proprium appetitum, quàm mœnia exterorum expugnare: qua in re quid, & Martyres, & Confeſſores, & Virginis præſtiterint, noſtris apertum eſt. Conſtantiſſimè quippe malis occurrerunt: mundum proculcarunt: carnem domuerunt.

Sanctorum magnanimitas quanta.

IX. Protereà non apud Deum modò, ſed apud homines univerſos, & ipſos quoque tyrannos, à quibus cædebantur, immortale ſibi nomen pepererunt: & quod ad inſtructionem Eccleſiæ ſpectat, horum tantùm, qui mediocribus contenti non fuere, nomina recenſentur, & laudantur. Cæteros verò mediocres, aut ignavos Chriſtianos, quaſi nati non fuiſſent, minimè commemorat, quia proter exigua merita parum laude dignos exiſtimat. Et quidem, quod ad noſtram ætatem pertinet, exceptis aliquot viris, & fœminis ſanctitate, quàm numero auctioribus, de quorum relatione inter Sanctos agit Eccleſia: cæteri, qui animo parum virili laborant, quaſi mortui putantur, nec ii ſunt, quorum vita multam Chriſto laudem acquirat.

X. Certè magnanimorum eſt, illuſtria exempla Sanctorum, & recentia præſertim, quæ quaſi vivæ vocis energia lentos animos carpunt, imitari, non ob laudem, quam minimi requirunt, ſed ob ſanctimoniam, quæ omninò à Chriſti famulis exquirenda eſt. Quid enim mali deſides illi, qui eam non affectant, non intulerunt?

Sanctorum exempla, cur ſequenda?

XI. Conſtat profectò, deſides animos in Clauſtris, & ſibi tædium, & aliis ſcandalum creare: cum enim ardua formident, ipſo metu difficiliora veris ſuſpicantur, & fugam meditantur: ex quo alii, qui audere cupiunt, meritò commoventur, & fugam ignavorum improbant: ſi verò tentati probent, à cœptis grandibus deſciſcunt: quo nihil pejus bono communi accidere poteſt.

XII. Illud autem mirum videtur, omnes videlicet mundo renunciantes (ſi de vera ſui abnegatione ſermo habeatur) primo tempore illo altum ſanctitatis propoſitum concipere, quin & omnes ſub initium ad opus grande conari: & tamen ſucceſſu temporis mediocritatem quamdam degenerem amplecti. Profectò mirum eſt. Si enim magna præmia certanti propoſita non fuiſſent, & quicquid hominis cor expetere valet, per magnos conatus ſe cumulatiſſimè adepturum non ſperaret, mediocrem illum famulatum prætexere poſſet. At cum ampliſſimæ Dei pollicitationes mortuos ad vitam, & labores magnos excitare videantur: neſcio, quomodò genua militum Chriſti debilia languent. Quòd ſi præmia, quia futura non movent, inſtantia certè prælia ſæviſſimorum hoſtium ſine magnanimitate reprimi non poſſunt: qua in re mirandum eſt,

Scrip. An. 1605.

Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis adpellati.

1. *Reg*. 4. 9.

A

filii hujus ſæculi quantò prudentiores filiis lucis ſint. Cœperant Hebræi magnanimiter agere, cum allata fœderis arca, venit Deus in caſtra, & clamore perſonuit terra: & tamen Philiſtæi contra obrepentem formidinem Dei, & clamoris, qui ad eos uſque perferebatur, ſe validiſſimè adhortabantur ajentes: *Eſtote viri fortes: ne ſerviatis Hebræis*. Si ergo contra Deum homines reprobi magnanimiter audent: cur electi, in quorum caſtra venit Deus, animo cadant, & à Philiſtæis ſuperentur?

S. Matris Tereſiæ magnanimitas notata.

B

XIII. Paulus certè, quæ retrò ſunt obliviſcens, & ad ea, quæ inſtabant, ſe fortiter extendens, ad bravium ſupernæ vocationis per hoſtes medios feſtinabat: & hoc militiæ genus Cœnobia inter omnes Eccleſiæ partes accuratiſſimè didicerunt, ne ſint Apoſtolicæ fortitudinis expertia. Verùm, ne ad longinqua pergamus, domeſticum, & profectò illuſtriſſimum B. Virginis Tereſiæ habemus exemplum; quod licèt à noſtris non ignoretur, timendum tamen, ne minùs, quàm par ſit, expendatur. Inter omnes quippe cordis illius excelſas virtutes magnanimitas clariſſimè reſplenduit. Si enim hujus virtutis eſt, mediocria deſpicere, magnaque adoriri: quid illa mediocre, aut quid non magnum aggreſſa fuit? Certè animus fœmineo corpore ſeptus virilis erat: & propterea orbem totum complexus eſt. Quis enim umquam audivit à muliere Religionem virorum condi, vel reformari? Mulierem, de Infidelium ſalute anxiam, eò ſua vota, operaque dirigere? Vix hæc à viris fortiſſimis ſperantur: quomodò ergo mulier mille morbis obnoxia, mille inſectationibus vexata, re, ut apparebat, ob impedimenta graviſſima ſæpe deſperanda, in ſpem contra ſpem credidit, & ſupra multorum fidem vicit? Nihil reſponderi aptius poteſt, quàm magnanimitati omnia cedere. Fratres ergò noſtri, tametſi conſiſtant adverſus eos caſtra, nobiliſſimæ Virginis, & matris noſtræ ſe Filios exhibeant, & in cultu virtutum nihil non magnum ſatis eſſe credant: congreſſibus vitiorum, & hoſtium viriliter aſſueſcant; & ad Sanctorum conſortium honeſtiſſima (ſi oportuerit) morte ſuſpirent.

C

CAPUT XIX.

De diligentia.

Diligentia, quid?

D

I. NIhil non modò magnum, quod eſt ejus virtutis, quam proximè commendavimus, ſed ne bonum quidem, ſine diligentia, quæ & appellatur ſollicitudo, præſtari poteſt. Eſt autem diligentia animi ſtudium cum expeditione ad aliquid agendum, & pertinet ad prudentiam, è cujus acie virtutem hanc ſolam elegimus, quòd tractatus prudentiæ junioribus Fratribus parum congruat: tota quippe illorum prudentia in uno Magiſtro ſuo poſita eſt: nec ſine culpa illam uſurparent. Cum enim proprius prudentiæ actus, qui & intellectu practico ſit præceptum: quantum à ſubditis abeſt præcipiendi auctoritas, tantum prudentiæ illius uſura debet abeſſe. Si qua tamen prudentiæ pars eis conſentit, ea ſit, neceſſe eſt, quæ ad ſuperiorem hominis portionem pertinet: quæ rationis præſcriptionibus juxta Dei præcepta, inferiorem portionem debet moderari; at & hac ipſa non ſine Magiſtri cenſura utendum eſt.

E

Subditorum prudentia, quæ?

Diligentia quibus potiſſimum commendata?

Pſ. 103. 4.

F

Diligentia virtus Angelica dicta.

II. Tutiſſima verò prudentiæ pars, quæ ſubditis quadrat, in vera Obedientia collocatur, cui dum navant operam, fieri nequit, ut imprudentes ſint, cum Dei conſilio regantur. Sed ſollicitudo, ſeu diligentia, quæ & Obedientiam, & alias virtutes omnes afficere debet, univerſis Jeſu Chriſti famulis, peculiariterque junioribus commendatur, tamquam modus quidam neceſſarius, quem opera Dei cuncta requirunt, & quo in ſchola virtutum fœliciter proficitur. Expeditio quippe ad virtutum actus obeundos animam mirificè promovet, ac ſimillimam Spiritibus Angelicis efficit. Illi enim ad injuncta opera promptiſſimè volant, ſicut ſcriptum eſt: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem*: tam enim ſpiritus, quàm ignis nomina miram velocitatem ſignificant. Ex quo apertè cernimus diligentiæ virtutem Angelicam eſſe, ac proinde alacritatem, & celeritatem illam, quæ cœleſtis Curiæ ad obtemperandum Deo propria eſt, in Clauſtris repræſentare. Qua certè laude tantam præfert honeſtatem, ut homines velut expertes corporis, in Angelorum agmina transferat.

G

Exercitii virtutis effectus

H

Diligentia præcepta.

III. Nec ſanè inutilis translatio eſt: immò hæc una virtus cæterarum omnium lucra mirificè auget: cum eas ad ſuorum actuum intenſionem, ac perfectionem impellat: ut mirum ſit è duobus Monachis eoſdem actus exercentibus, æquali tempore perſeverantibus, alterum decuplo ſanctiorem altero eſſe, ob unum diligentiæ minoris, majoriſve diſcrimen; quod obſervatione digniſſimum eſt, & animos vehementer incitare deberet. Ex illa verò promptitudine, & agilitate cœleſti multiplex oritur delectatio: virtus quippe, dum exactiùs exercetur, lætitiam procreat: & Clementiſſimus Deus hilares datores, quos ardentiùs diligit, hac etiam in valle cumulatiùs conſolatur. Videtur certè (humanum dicimus) Rex ille liberaliſſimus ſingularem ex diligentiæ virtute ſibi delectationem elicere, more Imperatorum, qui dum ſtrenuos milites expeditè ſe armis exercentes intuentur, impensè delectantur, ac ipſomet oblectamento fiunt ad munera propenſi: ſicut enim negligentes animi, quaſi plumbei forent, ad opus tardè, ac invidi procedunt, & ſpectantis Dei oculos graviter offendunt: ſic celeres, ac hilares ad laborem feſtinantes oculis eiſdem impendiò placent, & ad largitionem alliciunt. Quapropter æquum eſt, Fratres noſtros eſſe ſollicitos, & excuſſa carnis deſidia, in agone hoc ſpectanti

Deo placere, una præceptione hac prudentiam juſtorum totam amplecti, ſed actus diligentiæ perſcribamus.

EXEMPLUM.

Actus interni.

A IV. AMatiſſime Deus, decerno ad opera tibi grata me per totius vitæ curſum expedire.

Dulciſſime Domine, exultabo ut gigas ad currendam viam.

Clementiſſime Deus, ſomnum, acediam, & quicquid grave mihi obſtiterit, excutiam.

Optatiſſime Domine, ad Canonicas horas, Orationem, concionem, & reliquos Inſtituti noſtri actus omnium primus accurrere nitar.

Abſit à me, Domine, ut ſigno dato, vel per momentum immorer.

Benigniſſime Deus, in actibus exercendis, ut in Officio Divino, Oratione, &c. B attentiſſimus ero.

Non feram Domine, ut ob calorem languor, vel ob frigus inertia prævaleat.

Ero, Domine, vigil, & alacer ad omnem Obedientiæ, ac omnium aliarum virtutum actum obeundum.

Actus Externi.

Diligentia quibus in rebus maximè exercenda?

V. EXploratum eſt, occaſiones diligentiæ colendæ penè innumeras eſſe: in omni quippe actu mirum eſt, quàm familiariter negligentia obrepat, & quàm infœliciter meritum, vel diminuat, vel extinguat: qua de cauſa cum hoſte hoc fortiter congrediendum eſt. Actus ergo externi ubique frequentandi: cum ad horas, præſertim matutinas pulſatur, celerrimè ſurgendum, vel lecto exiliendum: nec tunc ſemper corpori excretionis neceſſitatem ſimulanti C credendum: cum oratur, omnis languor, & corporis remiſſio excutienda, & ſenſus, ac membra componenda. Cum habetur concio, vel exhortatio, attentio multa præſtanda, & omnis corporis motio, & evagatio mentis vitanda: Cum inceditur, ſtatur, ſedetur, nullum tædium, laſſitudo nulla, inhabilitas nulla oſtendenda: cum laboratur, ſeriò agendum: cum quippiam legitur, aut Miſſæ miniſtratur (ſecluſa devotionis ſpecie, quæ tunc importuna eſt) accuratè attendendum, & alia ſimilia, quæ multa, & varia ſunt, ſic efficienda, ut & animus, & corpus operi coaptentur, ne ad ejus perfectionem pars ulla D deſit. Hæc eſt Sanctorum diſciplina, quæ quamvis corpori ſevera videatur, habet tamen honeſtatem, & emolumenta maxima, quibus labor omnis abundè compenſatur: & multis damnis formidabilibus caret: quod his rationibus aſtruimus.

VI. Prætexitur labor. Sed numquid non ſuccreſcit labor, & moleſtia major, ſi cor deſidia relaxetur? Si Officium divinum omnino recitandum (ut ex hoc exemplo cætera pateant,) numquid non laborioſius eſt, cum negligentiæ faſtidiis ad ſingulos ferè verſus ſubeuntibus, horam integram perdurare, quàm torpore illo nonnullis E cordis erectionibus validè diſcuſſo, idem tempus vigilantes inſumere?

Acedia arcenda.

VII. Deinde meritum laboris illius tædio vel decreſcit, vel deficit, ſollicitudine augetur: eſt ergo ſanius, acediam arcere.

VIII. Dolendum profectò eſt, quàm ſegniter Jeſu Chriſti famuli hoc in genere agant: cum filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores terræ, & Theman, & exquiſitores intelligentiæ, qui coacervant aurum, in quo confidunt homines, & argentum ſine fine theſaurizant, adeo ſolliciti ſint?

IX. Quàm impigrè mercatores, exceptores, nautæ, & ferè quotquot opifices parant ea, quibus alitur vita præſens, noctes ducunt inſomnes, & ſolem nimis citò exoriri queruntur? quoties capitis, ſtomachi, F renumque dolores perferunt, ne operarum ſuarum ſeriem interrumpant, & finem acquirendi faciant?

Hominum ſollicitudo pro divitiis acquirendis.

X. Quænam ſollicitudo eſt illa, quæ homines divitiarum avidiſſimos ultra Oceanum pellit? Poterant domi requieſcere: nam præſens vita modicis rebus eget: & tamen quia ditiores evadere poſſunt, requiem ſponte ſua relinquunt, & ſe innumeris periculis, & laboribus committunt.

XI. Rerum ergo ſtatu, ac ordine perpenſo, planum efficitur pro rebus cæteris perituris homines eſſe ſollicitos, in ſola verò ſalutis æternæ cauſa pigritari; quod & quotidianis colloquiis, & negotiorum expeditionibus adhuc apertiùs patet.

XII. Cum enim à ſummis Pontificibus, vel Regibus aliquid obtinendum eſt, quis ignorat, ad libellos ſupplices offerendos, G ad eos, qui gratia valent, ſibi conciliandos, ad cætera tentanda, vigilias, itinera incommoda diligentiſſimè ſuſcipi, & tolerari? ſolæ *viæ Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* Thren. c. 1. 4.

XIII. At verò quicquid erga rem hanc promi à nobis poſſet, cum prodigioſa hominum pro rebus caducis ſollicitudine collatum exiguum eſſet: quò enim minus viæ reſtat, eò plus viatici contrahent: ſenes quippe, quibus quod in adoleſcentia, ſeu juventute pararunt, ad paucos vitæ dies reliquos ſatis eſſe deberet, eò diligentiùs avaritiæ ſtudent, quò propinquior interitus imminet: qui ſtultiſſimus error eſt: qualis H fuit illius nimium ſolliciti, cui dictum eſt: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te.* Luc. 12. 20.

XIV. Cur ergo Jeſu Chriſti cultores, qui tot mundi portenta præ oculis habent, quibus eorum inertia reprehenditur, in requiem ſempiternam ingredi, ad Apoſtoli monitum non feſtinent? Profectò, ſi ante mille ſexcentos (paulò minùs) annos diligen-

Scrip. An. 1605.

Rom. 13.11.

gentia valde neceſſaria Paulo viſa eſt, ut patet ex illo: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere: nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus:* & modò quoque inſtante mundi occaſu, & cujuſque noſtrum morte, diligentia, & expeditio velociſſima neceſſaria erit: quis enim non animadvertit, jam eſſe horam è ſomno ſurgendi?

3. Reg. 19.7.

2. Reg. 14. 22.

Sap. 2. 6.

XV. Et quidem quicquid de mundi, ac A uniuſcujuſque hominis occaſu dicendum ſit, exploratum eſt, perfectionis Chriſtianæ longam nobis ſupereſſe viam: quod licèt alii Chriſtiani oblivioni traderent, nobis tamen numquam deberet excidere: cum Protoparenti noſtro Eliæ ab Angelo dictum fuerit: *Surge, comede, & bibe; grandis enim tibi reſtat via.* Si ergo viam hanc ſumus emenſuri, quomodo ad curſum non acriùs incitamur? Etenim omnes morimur, ut dixit mulier illa ſapiens, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non revertuntur: omnes itaque vel inviti ad incertam, ſed propinquam mortem feſtinamus; & in hac ipſa properatione aliqui videntes exi- B guum, & cum tædio eſſe tempus vitæ noſtræ, bona præſentia, & oblectamenta diligentiſſimè conquirunt, hortantes, & ajentes: *Venite fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* Alii multò pauciores ajunt: Jejunemus & oremus, ne ſubitò præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. Eligant ergo Fratres noſtri, quam ſortem conſcientia probat. Sed quid gens ſancta, hæreditas acquiſitionis Filii Dei, pars Domini populus ejus, & Jacob funiculus hæreditatis ejus eligere poteſt? Si properandum eſt, an eò non curratur, ubi lætabuntur, ſicut exultant victores capta præda? Sint pedes aliorum veloces ad effundendum ſanguinem: nos ve- C rò æmulatione perenni, expeditione cervorum fugiamus è medio Babylonis, & ad montem Dei coagulatum aſcendamus. Certè cui ſemel innotuit regio vivorum, non ſolùm die, ſed nocte quoque præ ſollicitudine laborat: *Guſtavit enim, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus, & ideo non extinguetur in nocte lucerna ejus.* His ergo monitis Fratres noſtri expergiſcantur, & viam cœptam celerrimè conficiant.

Prov. 31.18.

CAPUT XX.

De Perſeverantia.

Matt. 10.22.

Perſeverantia quæ virtus?

Ejus dignitas notata.

Voluptas.

I. ORaculum æternæ veritatis eſt; Qui D perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit: quaſi diceret: parum prodeſt validè incipere, virtutes diu colere, diligentiam quoque diu adhibere; ſi tenor hic ad mortem uſque non procurrat. Quapropter cum faſtigium totius ædificii perſeverantia ſit, æquum eſt ejus meditatione tractatum de virtutibus abſolvere. Eſt autem perſeverantia virtus, qua quis firmiter ſtatuit uſque in finem in bono perſiſtere: & ingenio virili, utpote fortitudinis pars prædita, contra diuturnitatem, qua cor hominis frangitur, depugnat. Habet conſtantiæ virtutem affinem, quæ armatur adverſus impedimenta, quæ perſeverantiæ obſtant: licèt non omnes, qui virtutem hanc adepti ſunt, in bono uſque ad finem vitæ permaneant; quod ob eorum culpam deſit eis magnum illud perſeverantiæ donum, quod auxilio, & protectione divina conſtat; eſt E tamen virtus hæc ad eam permanſionem opportuniſſima: confert enim, ut præſtet homo cum auxilio gratiæ, quæ poteſt; quæ ſi præſtiterit, per Deum non ſtabit, quin uſque ad obitum perſeveret. Quanta verò ſit hujus virtutis generoſiſſimæ dignitas, vel ex allata ejus deſcriptione perſpicitur: à curſus enim principio viam virtutum totam deſiderii greſſu percurrit, & perennem fidelitatem jurat: quod quàm ſit excelſum, & nobiliſſima Dei natura dignum, nemo eſt, qui poſſit ignorare. Non videtur firmiſſima virtus hæc animi deliquia ferre poſſe, quia victoriam, & palmam, quibus excitatur, præ oculis ſemper habet: quod Jeſu Chriſti cultores ad ejus F amorem plurimum debet urgere. Quid, quod ſanè hac omnium divitiarum jactura fit, & à contrario hujus vi opes meritorum in theſauris reconduntur æternis? ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; ubi fures non effodiunt nec furantur: à quibus certè funeſtiſſimis eventibus, quamdiu virtus illa cœlo trophæum non infert, animus immunis eſſe nequit. Quid verò de perſeverantiæ gaudiis adiiciemus? Nulla enim majora, nulla pinguiora ſolatia ſunt: nec ſolùm in exitu vitæ hujus, ſed longinquiùs à portu, ipſa propoſiti firmitate magnopere animum delectat. Spem quippe vehementer excitat, & quaſi de præſenti vi- G ctoria gaudia creat, ſicut fontis vitæ ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Nec mirum. Si enim ſceleſtiſſimus peccator, qui ſe ſacra Confeſſione purgavit, quaſi qui è morbo convaluit, ſanitatis bonum ſentiens, bono habitu, qui ſpem ſalutis æternæ generat, lætatur: quantò ſit auctior lætitia ejus, qui bonum illum habitum multis acceſſionibus auctum, perſeverantiæ firmitudine ad exitum uſque ſe producturum certiſſimè ſperat. Quid, quòd Clementiſſimus Deus eos, qui diu in bono perſtiterunt, tametſi curſum non confecerint, multis recreat ſolatiis, & filiorum pane confirmat? quod creberrima exempla demonſtrat. Enitantur ergo Fratres noſtri virtute hac omnium pericu- H lorum expultrice decorari; & ejus frequentiſſimis actibus cor in dies ſingulos ad permanſionem ſtabilire: ſed actus virtutis proferamus.

Exemplum.

II. VIrtutis hujus externos actus proponere non oportebit: cum enim ejus potiſſimum opus ſit, animum ad permanſionem fulcire; & permanſio ipſa unius modi tota ſit, exceptis obſtaculis, quæ conſtantia depellit: ſatis erit monere, quoties aliquid mœſtum, arduum, aſperum, & universè quoties aliquod impedimentum obſtat, actus, qui tunc ad victoriam producuntur, ſi ſpectentur, qua impedimenta inſtantia propulſant, eſſe actus conſtantiæ, ſi verò, qua permanſionem propoſito, & continuatione retinent, eſſe actus perſeverantiæ. Sive ergo verè impedimenta ingruant, ſive ſolùm obſtare poſſe cogitentur, hujuſmodi actus erunt.

A

Actus perſeverantiæ interni.

III. Clementiſſime Deus, firmiſſimè ſtatuo, me uſque ad mortem tibi famulaturum.

Fideliſſime Domine, ſi per annos mille in hac vita moleſtiſſima laborandum eſſet, à propoſito tibi vacandi non deſiſterem.

Miſericordiſſime Deus, abſit à me, ut ob ullam adverſitatem conſilium mutem.

Potiùs, amantiſſime Domine, uri me ſinam, quàm ab inſtituto deſiſtam.

Etſi oporteret, benigniſſime Deus, univerſis mundi miſeriis obrui, numquam de alio ſtatu cogitarem.

B

Utinam, deſideratiſſime Domine, moriar antequam à te recedam.

Mihi certè adhærere tibi, Domine, bonum eſt: propterea perenniter adhærebo.

Donec ſupereſt halitus in me, a te non divellar.

Actus perſeverantiæ quando exercendi?

V. Actus hi ſemper utiles, ſed ubi tentationes deſæviunt, & rationes humanæ, vel in ſpeciem virtutis fucatæ ſuccurrunt, neceſſarii ſunt, quapropter Fratres noſtri ad belli tempus ſe in pacis tranquillitate præcingant, ne imparatos repentinus aliquis turbo proſternat.

VI. At fortaſſe dicent, rem eſſe difficilem; ſed numquid rerum difficultates graviores homines ſtudio mundi addictos à perſeverantia deterrent? Quot viri excelſo loco nati, docti, honore digni, per annos viginti, triginta, & plures in aulis Pontificum, & Regum quærentes, & pulſantes conſeneſcunt, & vel ſpe cadunt, vel exili mercede torquentur? Quin etiam quot ejuſmodi viri, qui ſi Deo vacaſſent, ſanctitate niterent, & æternis affluerent divitiis, præmoriuntur ipſis Principibus, in quibus ſpem collocarant, & in æternum intereunt? Quantò ergo facilius, ſuavius, & fructuoſius ſit, in Clauſtro permanere, ac inde ad coronam compendio multo tranſire?

C

VII. Quod verò ad pericula, quæ à diuturnitate ab hoſtibus, à fragilitate imminere finguntur, attinet, num ab Indiæ navigatione tot claſſium naufragia, tot auri ponderum jactura eoſdem, quos Deus illis periculis eripuit, umquam avertit? Mirum eſt, quàm audacter cum Oceano luctentur, & quot ſudoribus, & doloribus afflicti perſiſtant. Quomodo poſtquam bis, aut ter è mortis fluctibus erecti ſunt, aliam vivendi rationem non ineunt: ſed protervo corde perdurant? Profectò illorum iniquitas, cultorum Jeſu Chriſti doctrina eſt: ſi enim ter, vel quater morti eripiuntur, poſt navigationes tandem multas, cum ſatis mundo divites, domum redire, ac requieſcere cogitant, procella ultrice ſorbentur: quantò igitur honeſtius, & tutius ſit, quamvis tentamenta incumbant, & anxietates vexent, eum curſum tenere, qui nullum poteſt creare naufragium? Certè permanſionis honeſtatem contraria turpitudo demonſtrat: æquiſſimo quippè Dei judicio factum eſt, ut ea deformitas inter vitia omnia ſe inſigniter proderet, adeo ut & homines non admodum ſtudioſi inconſtantiam ferre non poſſint. Hinc eſt, ut ſi quis à Clauſtro deſtitit, omnes qui vident, incipiant illudere ei dicentes: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Sanè & deformitatem hanc ingentia damna ſubſequuntur: quæ & in rerum temporalium ambitione conſpicimus: vix enim unus è millibus à diſciplina quavis, quam bono conſilio inivit, ſententia mutata, deſiſtit, qui in alia progreſſus faciat: Deo per ea damna ſignificante, quam bonorum jacturam, qui ab eo vocati reſiliunt, paſſuri ſint: quo enim ibunt? Certè cum die quadam Jeſus Chriſtus, vera ſalus, & vita noſtra diſcipulis graviter dixiſſet: Et vos vultis abire? Petrus illo jaculo ſauciatus reſpondit: *Quo ibimus? Verba enim vitæ æternæ habes.* Etenim à vita non niſi ad mortem recedi poteſt. Propter hoc, quos Deus vocatione indignos & abire volentes, abiicit, umbra quadam mortis, & interitus æterni ſigno quaſi diaboli mancipia ſtigmate notata languidos, timidos, emortuos, Cain ſequaces evagari non ſine dolore videmus: quorum tamen calamitatem, & mortem non multis lachrymis proſequi poſſumus, ajente Deo Samueli: *Uſquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Impenſiùs de aliorum ſubrogatione lætandum, quàm de infidelium repulſa dolendum eſt; ſicut major de David electo lætitia, quàm de Saul reprobato mœſtitia concepta fuit.

D

E

Luc. 14. 30.

F

Chriſtus vera ſalus, & vita noſtra.

Ioan. 6. 68. 69.

1. *Reg.* 16. 1.

G

Perſeverantiæ fructus.

VIII. Cæterùm perſeverantiæ vim, dignitatem, ac fructum proculdubiò immenſum fruſtra nitimur exprimere; cum ea bona non niſi peracto vitæ curriculo cognoſci poſſint. Quanta, obſecro, lætitiæ vis ſub mortem erit, cum verus Jeſu Chriſti miles, qui diu in Clauſtro latuit, & cum principibus, & poteſtatibus tenebrarum harum creberrimè congreſſus eſt, oculos in anteactum vitæ curſum reflectens, innumeras victorias ſe reportaſſe, ac pro Deo ſe fortiter ſtetiſſe videbit? Tunc ſanè videbit, & affluet & mirabitur, & dilatabitur cor ejus, illuceſcente jam gloria, & pretioſiſſima corona, & candidiſsima veſte, quam perſeveranter exquiſivit. Tunc ſaliet, quaſi cervus, qui claudus, & ad gradiendum ineptus præ laborum pondere videbatur; tunc, quæ tranſactis mœroribus claudebatur, aperta erit lingua mutorum: tunc anima quæ derelictione Dei fontis vi-

H

vi exaruiſſe videbatur, erit in ſtagna, & ſitiens in fontes aquarum: tanta quippe divinæ conſolationis ubertate fœcundabitur, ut lætetur deſerta, & invia, & exultet ſolitudo. Quid, obſecro, ſentiet verus perſeverantiæ cultor, cum Jeſus Chriſtus quaſi ſplendidiſsimus ſol animæ illum cupienti affulgebit, & præ omni magnitudine ad thalamum æternarum delitiarum invitabit ajens: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum? Ergone credendum eſt: quod ſuavis hæc in Clauſtro permanſio tam fœlicem ſit exitum ſortitura? Nonne univerſas mundi calamitates avidè exhaurire par eſſet, ut tam fauſto fine clauderentur? Dent igitur Fratres noſtri operam, ut laborum finem ab ipſo ingreſſu mente conceptum ſervent: ut ad omnem adverſitatem ſuperandam armati, quam impenſiùs expetunt, coronam acquirant.

Perſeverantiæ corona.

CAPUT XXI.

De vitiis capitalibus.

I. QUamvis in tractatu virtutum vitiis contrariis elidendis opportunam poſuerimus armaturam, è re noſtra eſt, principalia vitiorum capita in locum unum coagmentare, ut in ea pernoſcere, ac expugnare illorum ſede commodiùs inventa, & cum virtutum capitibus collocata Fratres noſtri faciliùs poſſint. Cum verò in tradenda virtutum doctrina, vitiorum meminiſſe, ac eorum deformitatem, modumque pugnandi oſtendere oportuerit, brevi quadam, & ad noſtrum Inſtitutum appoſita eorum expoſitione contenti erimus: ut hinc peccatorum cognitio, ex virtutum verò documentis remedia petantur. Primum ergo locum ſibi ſuperbia vendicat, quaſi vitiorum omnium regina: quæ eſt inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor, & reverentia. Eam quippe excellentiam affectat, cui alii honorem afferant: reſidetque & in appetitu ſenſitivo in parte Iraſcibili, & in voluntate, qua Iraſcibilis ingenio reſpondet.

Superbia vitiorum regina dicta.

Superbia radix peccati dicta.

II. Trifariam verò ſuperbiæ nomine Patres utuntur: primò pro illa pronitate ad ſuperbiendum, quæ homini in natura lapſa ob corruptionem fomitis nativa eſt: & hoc modo eſt radix omnis peccati: pars quippe inferior hominis, ſine Originalis juſtitiæ retinaculis, bellua quædam ad omnem turpitudinem vehementer proclivis eſt, ut nimium experimur. Secundò ſuperbia ponitur pro elatione contra præceptum, vel pro appetitu inordinato excellentiæ in quavis re: & hoc modo eſt generale peccatum, quod reliquorum omnium caſtra percurrit. Tertiò accipitur pro appetitu illo excellentiæ, cui debetur honor, ut in ejus deſcriptione poſuimus: & hoc modo eſt unum è ſeptem vitiis capitalibus. De hac ſuperbiæ acceptione propria dicturi ex ipſis deſcriptionis verbis notamus, vitio huic innatum eſſe, majora de ſe cogitare, quàm habeat: cum enim vigeat appetitus excellentiæ, & quò quis incumbit affectu, eò moveat intellectum, ac proinde facilè credit, quæ ardenter cupit, efficitur, ut intellectus ſuperbi de ſe honorifica credat, & ab aliis propterea honorem ſibi deberi exiſtimet. Hinc univerſa ſuperborum damna originem trahunt, & illæ imprimis ſpecies quatuor à ſanctis Patribus celebratæ: quarum prima eſt, æſtimare bonum à ſe ipſo habere: ſecunda, datum à Deo pro ſuis meritis ſe ſuſcepiſſe credere; tertia, gloriari ſe habere, quod non habet: quarta, cæteris deſpectis, appetere ſingulariter excellentem videri. Semel quippe poſita iniqua illa æſtimatione, qua homo effertur ſupra id, quod habet, conſequens eſt, ut ubique captet excellentiam, hoc eſt, eas res, ob quas honore dignior haberi poſſit: dignior autem honore foret, ſi bona à ſe (quæ divinitatis affectatio eſt) quàm ſi accepta haberet: dignior ſi quæ habet, pro meritis, quàm ſi abſque meritis accepiſſet: dignior, ſi haberet, quæ ſe habere mentitur: & denique dignior, ſi aliis excellens, quàm ſi deſpicabilis videretur.

Superbiæ proprietates.

Species ſuperbiæ, quot, & quæ?

Gradus ſuperbiæ quot, & quales?

III. Ex eodem capite proficiſcuntur gradus illi duodecim à Sanctis recenſiti, totidem humilitatis gradibus oppoſiti, nimirum curioſitas oculorum, contra humi defixos humilium oculos: levitas mentis, quam verboſitas oſtentat, contra humilium ſilentium: inepta lætitia, contra humilium, qui ad riſum prompti non ſunt, temperatam hilaritatem: jactantia, contra humilium taciturnitatem uſque ad interrogationem: ſingularitas, contra humilium modum toti cœtui communem: arrogantia, contra morem humilium ſe omnibus viliores credentium, & profitentium: præſumptio, contra morem humilium ſe ad omnia inutiles, ac indignos exiſtimantium ac dicentium: defenſio peccatorum, contra humilem illorum confeſſionem: ſimulata confeſſio, ſcilicet, quæ pro peccatis pœnam ſubire non vult, contra humilium in laboribus patientiam: rebellio, contra humilium obedientiam: libertas, contra humilem propriæ voluntatis abrogationem: peccandi conſuetudo, contra Dei timorem, qui in humilium cordibus ſedet. Erga ſpecies, & gradus humilitatis perſpicaciter animadvertendum eſt, (quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat) non pro rebus ſeriis, & gravibus, ſed pro levibus ſuperbiam excitari: non enim (ut hoc exemplo cætera pateant) defenſio peccatorum, quæ eſt octavus ſuperbiæ gradus, pro peccatis lethalibus Dei gratia exercebitur, ſed, ne pro levioribus culpis ſuſcipiatur, timendum eſt. Item non imminet adeo præſens periculum, ut in quarta ſuperbiæ ſpecie quis appetat ſingulari excellentia conſpicuus, cum gravis culpæ reatu apparere: ſed verendum, ne in levioribus id velit, & quærat. Profectò, ſi aliquis diſertiùs aliis loqui, meliùs legere, ſcri-

Superbia pro quibus rebus excitetur?

Scrip. An. 1605.

ſcribere, canere, ſpiritualem doctrinam capere, & rem quamlibet è noſtris exactiùs aliis præſtare noverit, frequenter infeſtabitur, & fortaſſe cupiet, ut eam modicam excellentiam alii præ oculis habeant, & ei propterea deferant. Hæc, & alia multa nobis exitioſa ex appetitu excellentiæ oriuntur: A quæ Fratres noſtri cavebunt, ſi quæ in capite de Humilitate tradidimus altè concipere, exequique conentur. Enumeratæ autem ſuperbiæ ſpecies, ſive gradus, & vitii ipſius capitalis natura cognita, eò conducent, ut notas ſuperbiæ, ac humilitatis internoſcant, & vitio declinato virtutem avidiùs amplectantur.

Superbiæ remedia quæ, & quot?

IV. Remedia vulgata ſuperbiæ tria ſunt: propriæ infirmitatis, magnitudinis Dei, ac imperfectionis propriorum bonorum conſideratio: quæ libris piarum meditationum alenda eſt. Hæc de ſuperbia.

Inanis gloria quale vitium?

V. Vana, ſive inanis gloria (quam Cenodoxiam Græci Patres appellant) vitium capitale conſtituit: quæ nihil eſt aliud, quam immoderatus appetitus gloriæ inanis, B id eſt, illius claritatis, quæ illi oboritur ex aliorum notitia.

Gloria, quid?

VI. Gloria eſt quidam effectus honoris: ex hoc enim, quod quis honoratur, ſive laudatur, exiſtit clara quædam ejus notitia, ab aliis inde concepta, unde gloria ſic definiri ſolet; Gloria eſt clara cum laude notitia. Cenodoxia ergo, quæ claritatem hanc immoderatè affectat, vitium juxta ſuum nomen vaniſſimum eſt, & licèt aliquid magnum prætendere videatur, infamiæ quiddam, utpote virtuti magnanimitatis hominum laudes aſpernantis oppoſitum eſt.

Inanis gloriæ filiæ, quæ, & quot?

VII. Videtur certè Cenodoxia quædam ſuperbiæ progreſſio: appetit quippe ſuperbus excellens videri, unde alii honorem ei deferant: at gloriæ inanis cupidus optat quoque clareſcere, ut ſcilicet ex honore C illi delato alii excelsè de illo ſentiant, & claram cum laude notitiam concipiant. Hæc mater venenata ſex filias pernitioſiſſimas generat, jactantiam, præſumptionem novitatum, hypocriſim, pertinaciam, diſcordiam, contentionem, inobedientiam: cum enim ejus ſcopus ſit excellentiam propriam manifeſtare, eò tendit uno modo, directè, cupiens ſupra alios clareſcere per verba, quæ eſt jactantia: quæ certè verba, vel etiam facta ſi admirationem excitent, eſt præſumptio novitatum, ſi verba falſa ſint, eſt hypocriſis: alio modo reflexè, nolens ſcilicet aliis minor videri: vel quo ad intellectum per defenſionem propriæ ſententiæ, nolens cedere meliori, quæ eſt pertinacia, ſive quoad voluntatem, nolens à proprio ſenſu recedere, ut aliis conſentiat, D quæ eſt diſcordia: ſive quo ad expreſſionem affectus per verba elata, quæ eſt contentio: ſive quoad facta, dum Superioris præceptum exequi renuit, quæ eſt inobedientia. Erga Cenodoxiam, & ejus prolem idem ferè, quod erga ſuperbiam, annotamus, in rebus videlicet levioribus has feras deſævire: familiare quippe eſt Monachis vanæ gloriæ cupidis nolle aliis inferiores videri, ac inde aliis contra ſententiam ſuam dicentibus cedere nolle, ac propterea in diſcordiæ voraginem incurrere, verbiſque concertare: neque enim paſſio iræ (quod notatu digniſſimum eſt) contentionem, diſcordiamve procreat, niſi E Cenodoxia ferveat. Hæc autem, & alia plurima monſtra Fratres noſtri vitabunt, ſi humilitatis, quæ gloriam reſpuit, & magnanimitatis, quæ illam parvi facit, capita penſitent, ac earum virtutum actibus, quos præſcripſimus utantur. Hæ de Cœnodoxia.

Humilitas præcepta.

Invidia quid?

VIII. Invidia, quæ ex inani gloria apertè naſcitur, eſt mœſtitia de bono alterius, quatenus proprium bonum diminuere creditur: eſt vitium peſtilentiſſimum, utpote charitati inimicum, ex quo quinque filiæ (ut Patres ajunt) oriuntur, odium, ſuſurratio, detractio, lætitia de adverſis, afflictio de proſperis. Mox enim, ut quis inanis gloriæ cupidus proximi gloria ſe obſcurari opinatur, odit illum, & bonum diminuere conatur, F vel clam illo, quæ eſt ſuſurratio, vel manifeſtè, quæ eſt detractio; & ſi res ex ſententia ſuccedat, ſubit lætitia, ſi ſecus, mœſtitia, qua infelix extabeſcit. Quod verò ad Monaſticam diſciplinam attinet, veriſſimum eſt, leviſſimis de cauſis hoc vitio Chriſti famulos infeſtari: puta, ſi alter è duobus peritia, lepore, vel aliis dotibus præcellat: ſi quid etiam minimum unus è duobus exactiùs efficiat, qui minùs benè ſe geſſit, motu mœroris, & à contrario, ſi proximus in errato aliquo deprehendatur, lætitia ſe affici ſentit: quod in rebus minimis, ac frequentiſſimis Fratres noſtri perſpicere potuerunt. Unum tamen præſertim obſervent, invidiam adverſus valde præſtantes non excitari: non enim novus Frater invidebit Patri alicui ſeniori G prudentiam, famam, & ejuſmodi alia: ſed adverſus condiſcipulos forſitan urgebitur, ſi eos Superiori gratiores eſſe conſpexerit. Hæc autem noxia invidentiæ germina necari poterunt, ſi quæ in capite de Charitate præſcripſimus, accuratè obſerventur.

Ejus filiæ quæ & quot?

Gula quale vitium ejus ſpecies, & filiæ.

IX. Gula eſt immoderatus appetitus cibi & potus, cujus ſpecies à Patribus quinque recenſentur ſub his vocum differentiis, lautè, ſtudioſè, nimis, præproperè, ardenter; filiæque totidem, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, mentis hebetudo. Quærit enim, qui ventri deditus eſt, eſculenta pretioſa, quod ad lautitiam; accuratè præparata, quod ad ſtudium ſpectat: quantitatem magnam, quæ notatur voce illa, nimis, antevertit tempus, quæ H eſt properatio; nimio affectu veſcitur, qui eſt ardor. Ex hoc erumpit inepta lætitia, appetito relaxato, nec à ratione tunc impedita correcto; ſcurrilitas, hoc eſt, multiplex geſtus ad riſum irritandum opportunus, neque enim ſe continere poteſt; immunditia, per emiſſionem ſeminis, vel alias

ex-

Scrip. An. 1605.

Gula belluarum vitium adpellata.

excretiones; multiloquium, hoc eſt, verboſitas; mentis habetudo, ſive obſcuratio, ex vaporibus cerebrum obruentibus. Vitium belluarum eſt; à quo, qui contemplationi vacare cogitant, longiſſimè abſiſtere debent. Legatur caput de abſtinentia, & ſobrietate, quæ ſunt ejus remedia præſentiſſima.

Avaritia quid?

A

Ejus ſpecies, quæ, & quot?

X. Avaritia eſt immoderata cupiditas habendi; trifariamque (ſicut & libido, & cupiditas) accipitur, ut paſſio ſubſequens peccatum originale (quæ videtur eſſe ipſe fomes), & ſic eſt radix omnium peccatorum, ut immoderatus appetitus cujuſvis rei, & ſic eſt quid commune omni peccato, ut adpetitus divitiarum, & ſic eſt vitium capitale. Ejus ſpecies ſunt ſeptem, parcitas, tenacitas, cymilitas, id eſt, dandi difficultas, turpe lucrum, uſura, latrocinium, alea; ex quibus quatuor ultimas exponere opus non eſt: nec enim ad Clauſtri diſciplinam ſpectant: tres verò primæ, hoc eſt, parcitas, tenacitas, cymilitas, ſeu dandi difficultas ſatis crebrò Chriſti famulos infeſtant: cum rebus, quibus utuntur, quaſi propriis hærent. Si enim cum diſtribuenda ſunt, parum dent, eſt parcitas: ſi nihil, eſt tenacitas: ſi difficulter admodum, eſt cymilitas. Mirum eſt certè, quo pacto in officinas, & cellas ipſas quædam avaritiæ peſtis irrepat. Filiæ avaritiæ ſunt ſeptem, obduratio, violentia, inquietudo, fallacia, fraus, perjurium, proditio. Obdurantur enim viri divitiarum, nec ad miſericordiam emolliuntur, in acquirendo vim inferunt, cupiendo ſolliciti ſunt, fallunt verbis, fraudant operibus, perjurant, & ſi opus eſt, produnt, ſicut Judas, qui hoc vitio captus Chriſtum venumdedit: & alii à fide deſciverunt. Ex his pernicioſiſſimis fœtibus inquietudo, præſertim ad Clauſtrum ſe ſolet inſinuare, & contra Chriſti conſilium animos à cœlo divertere, quaſi opus ſit, ſæcularium more, Monachos de victu, ac veſtitu anxios eſſe: ſanius conſilium eſt, *Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus &c.* Legatur caput de paupertate, quæ cum hoc vitio capitales inimicitias gerit.

B

Avaritiæ filiæ quæ, & quot?

C

Matt. 6. 31.

Ira, quid, ejus ſpecies, & filiæ, quæ, & quot?

XI. Ira eſt immoderatus appetitus vindictæ; qui triplex eſt, juxta tres vitii hujus ſpecies, acutus in iis, qui celeriter iraſcuntur, amarus in iis, qui diu iram ſervant, difficilis, ſeu gravis in iis, qui uſque ad ultionem non requieſcunt. Filiæ vitii hujus à Patribus ſex numerantur, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blaſphemia: & præter primam, & ultimam omnes in Clauſtra quoque reformata penetrare ſolent, ac leviſſimis de cauſis irritari: ibi enim ob res minimas ſævit indignatio contra proximum, quaſi indignum; qui iniuriolam irrogaverit, clamor vocibus elatus, tumor mentis, cogitationibus vindictæ prægnantis, & contumeliæ, quando in verba quodammodò iniurioſa prorumpitur. Vitium eſt Jeſu Chriſti famulis indigniſſimum; ſicut & paſſio iræ, cujus actibus iræ vitium generatur: utrique autem, quæ in prima parte de ira, & quæ in ſecunda de manſuetudine ſcripſimus, appoſita remedia ſuggerent.

D

Luxuria quid & ejus ſpecies quæ, & quot?

E

Ejus filiæ, quæ, & quot?

XII. Luxuria eſt appetitus venereæ voluptatis: cujus ſpecies ſunt ſex; fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus, vitium contra naturam; cujus quatuor ſunt ſpecies, mollities, abuſus mulieris, ſodomia, beſtialitas, omniumque illarum gravitas, eo, quo recenſentur ordine, excreſcit. Vitium ſanè turpiſſimum eſt, cujus filiæ à Patribus octo numerantur; cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia amorum, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, deſperatio futuri ſæculi. Gradus vitii quinque, aſpectus, cogitatio, delectatio, conſenſus, opus. Actus è vitio prodeuntes quatuor; turpiloquia, ſtultiloquia, ſcurrilia, ludrica; nullum verò vitium adeò intellectum deprimit, ac luxuria. Omnia capita hæc ideò propoſuimus, ut Fratres noſtri Deo gratias agant, qui tam intolerabilem turpitudinem ab eis procul egit: & quicquid cum horrenda deformitate hac affinitatem aliquam habet, accuratiſſimè fugiant: nihil enim à Beatiſſimæ Virginis filiis longiùs abeſſe debet, quàm vel ſola horroris hujus imago. Legatur caput de Caſtitate, ubi quod ad vitium hoc expugnandum requiri poteſt, expreſſum eſt.

F

Acedia, quid, ejus filiæ quæ & quot?

Aliæ Acediæ filiæ, quæ?

G

XIII. Acedia vitium capitale, eſt tædium, ſive triſtitia de bono ſpirituali divino: aliàs enim paſſio communis eſt. Ejus filiæ à Patribus ſex enumerantur, malitia, quæ eſt deteſtatio ipſorum bonorum ſpiritualium, rancor, hoc eſt, indignatio contra proximos ad ſpiritualia inducentes, deſperatio bonorum divinorum, puſillanimitas ad ea quærenda, torpor ad explenda præcepta, evagatio ad illicita. Multa quoque alia germina ſimilia producit; cujuſmodi ſunt, amaritudo, otioſitas, ſomnolentia, cogitationum importunitas, curioſitas, verboſitas, corporis inquietudo, inſtabilitas. Mala hæc omnia ſpirituali profectui infeſtiſsima, & in Clauſtris, ubi cœleſtium rerum deſiderio non fervent, frequentiſſima, Fratres noſtri depellent, ſi quæ in capite de Diligentia præſcripſimus, ex animo obſervent. Octo capitalia vitia recenſuimus, licet vulgò ſeptem numerentur, juxta diverſas Patrum opiniones, ſuperbiam, & cenodoxiam in caput unum contrahentium, vel alteram excludentium. Ex his ergo, quæ de capitalibus vitiis compendio ſcripſimus, è multis pauca etſi capitalia poſuerimus, Fratres noſtri perſpicere poſſunt, quàm ſint multa hoſtium agmina, cum quibus congrediendum eſt: quantique ponderis ſit, virtutum culturæ ſeriò ſe dedere, ac ſtrenuè dimicare: inter hoſtes quippe verſantur. Huc ſpectat illud è Baruch. *Audi Iſrael mandata vitæ: auribus percipe, ut ſcias prudentiam. Quid eſt Iſrael, quod in terra inimicorum es? Dereliquiſti fontem*

H

Cap. 3. 9.

ſa-

ſapientiæ, nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes utique in pace ſuper terram. Hæc videlicet ratio tot hoſtium ferax eſt, quia omnes nos, quaſi oves erravimus, & contra noſtram ſalutem hoſtes armavimus. Propter hoc illud David præceptum jure à nobis obſervandum eſt 2 Reg. 1. Præcepit enim, ut docerent filios Juda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum: Fratres quippè noſtri armis exercendi ſunt, ut juſtos decet, qui à primis annis præliandi artem addiſcunt. Et quidem, ſi cum tot agminibus inermes ſoli confligerent, ſpes modica ſuppeteret: habent tamen opportuniſſimum virtutum, & fortiſſimum ductorem Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui alligare novit protervos reges in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Qua verò ratione tot vitiorum monſtra proſtrare, tot paſſiones à nobis Parte prima deſcriptas ſubjugare, tot virtutes parare brevi compendio valeant, in capite proximo exponemus.

CAPUT XXII.

De nonnullis annotationibus in tractatum virtutum, & vitiorum.

Actus unde meritorii?

I. Virtutes illæ, quæ ad latriam ſpectant, in tractatu de Oratione ſedem propriam habent; ac ob id eò à nobis rejectæ ſunt. Univerſè autem quo ad virtutes, ac vitia notandum: quòd quemadmodum actus, verbi gratia furti, ſi ad luxuriam quis furetur, eſt actus luxuriæ: ſi ad faſtum, eſt actus ſuperbiæ, ſi ad ingluviem, & crapulam, eſt actus gulæ, & ebrietatis: & quot fines illicitos ſibi fur proponit, tot ſpecies peccatorum unus actus ille ſortitur: ſic qui miniſtrat verbi gratia Miſſæ, qui eſt actus latriæ, ſi miniſtret ad obediendum Superiori, eſt actus obedientiæ, ſi ut placeat Deo, eſt actus amoris Dei: ſi ut profit quoque proximis, eſt actus charitatis: ſi ut per id ſacrificium aſſequatur beatitudinem, eſt actus ſpei: ſi ut ſatisfaciat Deo pro peccatis, eſt actus pœnitentiæ; & quot fines honeſtos concipit, tot virtutum ſpecies contrahit. Quod Fratres in morem inducere conentur. Res quippe maximi ponderis eſt actum unum, qui unius tantùm meriti ferax eſt, ſola directione ſeptuplò, aut decuplò fœcundare. Unum præſertim ad calcem primæ Partis indicatum obſervatione digniſſimum erga virtutes omnes acquiſitas, vitia, paſſioneſque videtur: quod ad modum attinet: licet enim appoſita media unicuique virtuti parandæ, vitio adverſo, paſſionique vincendis præſcripſerimus, non ſatis eſſe videtur ad viam ſternendam, & pro cujuſque genio metam attingendam. Alios quippe videmus paſſione una, quàm altera moleſtiùs infeſtari, & ex ingenio ſuo, virtute una, quàm altera magis indigere: quæ univerſorum Patrum conſenſio eſt: quam & experientia docet. Nam quem iracundia vexat, luxuria verò minimè, compertum eſt ſtudioſiùs in manſuetudinem, quàm in caſtitatem incumbere debere: quem verò ſuperbia infeſtat, ira verò, aut luxuria parum, humilitatem potiùs quàm utramque virtutem illam colere oportebit: quamobrem ei, qui morbo peculiari laborat, non ex æquo remedia virtutum omnium adhibenda ſunt. Immò rebus, & exiguo captu hominum collatis, poſtquam quis morbo uno, vel altero graviter ſe affici novit, conſultiùs videtur, ut vires prope omnes ad unum præcipuè ſtudium virtutis unius cogat, & vincat: exploratum eſt enim, vires modicas in ſtudia multa diviſas nihil egregium præſtare: immò vix aliquid laude dignum aſſequi, more canum, qui lepores multos inſequuntur, & nullum capiunt.

Paſſiones edomandæ.

II. Hoc autem non ſic accipiendum eſt, ut qui paſſione una torquetur, eam tantùm virtutis unius cultu domare, & vitium oppoſitum extirpare, cæterarumque paſſionum, vitiorum, ac virtutum curam deponere debeat: ſed ita, ut illud peculiare propoſitum, quo magis eget, multò accuratiùs teneat, cetera verò pro incidentibus occaſionibus, quas & multiplices, & quotidianas Congregatio noſtra parit, virtutibus præſertim in hebdomadas, menſes, annoſque ſingulos aſſignatis exerceat. Appoſitum exemplum videtur, Theologorum, Juriſprudentum, aut Medicorum inſtitutum: Theologus quippe (ut ex hoc reliqua duo pateant) ſcientiam de Deo profitetur, & huic, ſi ſapere velit, intentiſſimè vacat: verùm quæ inter legendum, vel ſcribendum, vel agendum occurrunt, ad Juriſprudentiam, & Medicinam ſpectantia, ea præſertim, quæ Theologiæ affinia, ſimilia, vel connexa ſunt, libenter ediſcit: ſic ergo, perſpecta ſemel virtutis unius neceſſitate, vitii, ſeu paſſionis infeſtatione, ita firmiter ſtudium hoc arripiendum eſt, ac ſi ea foret profeſſio peculiaris; cæteræ verò virtutes, cùm omnes connexæ ſint, libenter quidem, ſed non ita intentè colendæ; cæteræ paſſiones, & vitia vigilanter quidem, at non ita nervoſè oppugnanda. Hanc verò eſſe viam breviorem, & utiliorem his rationibus oſtendimus.

Comparario.

Virtutum connexio notata.

III. Nobiliorum Theologorum ſententia concors eſt, virtutes omnes, præcipuè, cum ſtatum ſpecie ſua perfectum attigerunt, eſſe connexas: quod eſt idem, ac ſi dicerent; fieri non poſſe, ut quis ſtudio verbi gratia manſuetudinis deditus, eam virtutem perquirat, quin ſimul caſtus, fortis, magnanimus, humilis, ſobrius, juſtus, prudens, vitiis omnibus pulſis, & paſſionibus domitis evadat: quod ea ratione patet: quia mitis eſſe nequit, niſi prudens; at prudens eſſe non valet, niſi juſtus, caſtus, humilis, &c. prudentia quippe injuſta, intemperans, ſuperba eſſe non poteſt. Præſcribit enim illa virtutibus media ad rationis normam exacta, virtutes verò ipſi finem

nem præfigunt, ac ita, vitiis omnibus eliminatis, paſſionibuſque ſubjugatis, componitur unum, integrumque ex omnium virtutum partibus ædificium.

IV. Si ergo virtus una perfectè acquiri nequit, niſi omnes quoque cum vitiorum, & paſſionum victoria parentur; quantò & breviùs, & efficaciùs, intenſio unius, quàm remiſſio multarum ſtudio res peragetur? ſi enim hominis vires (ut poſuimus) exiles ſunt, & non modò multa ſimul ardua, ſed vix unum perficere valent: quantò ſit compendioſiùs, unum moliri, & illo, velut catenæ orbiculo, cætera conſerta trahere?

V. Profectò, vires in unum conatum contractæ validiùs agunt: & ſic animus in humilitatem verbi gratia intentiſſimus, actus admodum intenſos, quos in plura diviſus non produceret, promit: Jam verò, ſi actus intenſiores producit, eam virtutem breviùs proculdubiò comparabit: & non comparabit ſolam: ergo citiùs omnes comparabit: ſed omnes virtutes non acquiruntur niſi vitia omnia, paſſioneſque vincantur: omnis ergo perfectio ſimul exquiretur.

VI. Accedit ad hoc, quòd genio, ex neceſſitate cujuſque, (uti diximus) perpenſis, & collatis, electio prudentiſſima, & ſpirituali habitudini maximè conſona eſt.

VII. Hinc eſt, ut non exemplis tantùm externis, ſed noſtris quoque probatum ſit, eos, qui ſanctitate inter nos inſigniter ſplenduerunt, ad aliquod peculiare propoſitum vires omnes præcipuè contuliſſe: aut enim ſe humilitati, aut manſuetudini, aut obedientiæ, quaſi profeſſioni propriæ dediderunt: & eo ſtudio cætera omnia compararunt. Et quidem apud univerſi Orbis nationes arte una inſignem, quàm multis mediocrem artificem eſſe, glorioſiùs eſt: præſtat enim pictorem egregium, quàm ſimul citharædum, chirurgum, ſcriptorem non egregium eſſe, & hoc (ut patet) ubi per artem unam aliæ ſimul non parantur. Quid ſi pararentur, quemadmodum per virtutem unam cæteræ acquiruntur?

VIII. At rem exemplo demonſtremus, ut pateat, non modò virtutem unam, poſtquam adolevit, cæteras omnes ſecum conſertas habere; ſed in ipſo quoque acquiſitionis conatu virtutes omnes pro incrementi modo connecti, & paſſiones quoque omnes ſubjugari, vitiaque depelli.

Exemplum de Manſuetudine.

Ad manſuetudinem adquirendam, media.

IX. POſtquam quis ſe multis caſibus iracundum eſſe, ac proinde inter paſſiones omnes iræ mortificatione, ac inter virtutes omnes manſuetudine potiſſimùm indigere perſpexit, re cum Magiſtro communicata, certamen hoc inire ſeriò decernit. Spe igitur erecta, & in clementiſſimo Deo collocata, legit caput de Manſuetudine, ac præſcriptis actibus, ad iram domandam, & eam virtutem acquirendam, & creberrimè, & vigilantiſsimè ſe viſurum conſtituit. Frequentiſsimè orat, & verbera, jejunia ſponte de Superioris venia ſuſcipit; ſacramque Communionem frequentat: hoc quippe, & alia ſimilia, conſtantiſsimè præſtiturus eſt, & firmiſsimo propoſito decreturus, mori ſe malle, quàm à propoſito deſiſtere: hic enim (ſi uſpiam) perſeverantia, & magnanimitas commendantur. Conſiderat deinde, ubi, quando, à quibus, & ob quas cauſas ira excitatur, & oblatis occaſionibus ſic ſe gerit. Frater aliquis, qui minùs debuit, ubi non oportet, eo modo, quo non decet, illum verbis exaſperat: paſſio iræ, quaſi fera quædam indomita ex antro exilire, & malo malum rependere geſtit. Confeſtim novus manſuetudinis cultor rationis actum, præceptumve producit, ajens: Modò non iraſcendum; ne ferveas. Ecce actum prudentiæ proprium, qui eſt præcipere, quo intellectus inſtruitur: ira tamen non defervet, ſed ad vindictam impellit; ſed Frater ille perſiſtit ajens: Nefas eſt inferre vindictam; & propterea voluntas execratur vindictam: ecce actus juſtitiæ, (cui opponitur ultio, quæ auctoritate privata fit) quo certè actu voluntas inſtruitur: At non quieſcit ira, triſtatur enim appetitus concupiſcibilis, quòd malum hoc pati nimis grave videatur, & optat ex vindicta delectationem percipere, triſtitiamque depellere: tunc Frater ille rationis imperio utens, eligit mœſtitiam potiùs pati, quàm acriter reſpondere: ecce actum temperantiæ, qua concupiſcibilis domatur: Ulterius ira fervet, & Frater ille rationis dominio adverſus fervorem illum conſiſtens, elicit actum conſtantiæ: quo eligit potiùs illi difficultati obſiſtere, quàm parum ſuaviter cum proximo agere: ecce annexum fortitudini, quo appetitus iraſcibilis regitur. Denique ipſa manſuetudine, quæ in iraſcibili ſedet, prævalente ira ſupprimitur. Patet ergo, virtutes non partas modò, ſed dum acquiruntur, connecti, oppoſita vitia repelli, paſſioneſque domari.

Actus prudentiæ proprius qualis?

Manſuetudo ejus ſedes ubi?

X. Sed adhuc liquidiùs rem aperiamus, & vim efficaciorem demonſtremus. Cùm Frater ille manſuetudini deditus, fervente circa cor ſanguine, multis motibus internis agitatur, & intellectu meditatur honeſtius eſſe ſilere, ac vultum hilarem exhibere: omnino patere videtur, ad eam quam eligit virtutem colendam, non ſolùm acquiſitarum, ſed infuſarum etiam actus concurrere: quod ſic probamus.

XI. Novus Frater, dum diſciplina Clauſtri eruditur, actus virtutum acquiſitarum ad infuſarum, ac præcipuè Theologicarum finem, ad primas quoque præceptiones referre diſcit, ut in cap. 5. de virtutibus moralibus in commune, ſub exemplo temperantiæ, & ſub capitis hujus initium, exemplo actus unius ad fines multos honeſtos relati apertè monſtravimus. Cùm ergo, ex occaſione manſuetudinis, earum actus exercere queat, quare jacturam eam faciat? Quòd verò poſſit, in hunc modum patet.

XII. Illata injuria eſt: fides docet, diſpli-

Scrip. An. 1605. ſplicere Jeſu Chriſto ultionem, ac ex eo lumine dicit intellectus per fidem non licere ulciſci: ſpes ait ad immenſi boni acquiſitionem, hac arduitate victa, ſe promoveri: charitas ait, amandum eſſe proximum, etiam cùm malè agit: prudentia dictat, ad parandam coronam occaſionem hanc eſſe A medium oportunum: juſtitia monet, tribuendum cuique quod ſuum eſt, & quia dicit Deus: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, *Rom.* 12. 19. non infert malum: modeſtia ſuadet, non eſſe admittendam iræ deformitatem, quam exteriùs prodit: humilitas ait, animum infra alios demittendum, ac ex eo illis non reſiſtendum: temperantia ait, nullam voluptatem illicitam undecumque, ac proinde neque ex ultione ſumendam: magnanimitas ait, non ſolùm in mediocri manſuetudinis occaſione, ſed in maximè ardua leniter agendum. Ecce quo pacto virtutum actus cohærent: nam ex omnibus prædictarum virtutum affectibus manſuetudo in eventu deſcripto exerceri, contrariiſque vitiis, & paſſionibus obniti poteſt.

B XIII. Nec refert, omnes actus recenſitos fortaſſe non eſſe ex omni parte uſque adeò earum virtutum proprios: non enim ea, quæ in ſcholis appellatur (formalitas) adeò ſtricta requiritur: & eſto, requiratur, multiplices aliæ occaſiones proprios aliarum virtutum actus producunt; quod hac ratione convinci videtur.

XIV. Qui ad iram pronus, & miteſcere cupit, nunc irritatur cibi cauſa, ubi exercet propriè abſtinentiam, & ſobrietatem: nunc deſpectus cauſa, ubi humilitatem: nunc laborum pondere, ubi patientiam: nunc aliquibus tentationum impudicarum incurſibus, ubi caſtitatem: modò proximorum faſtidio, ubi charitatem: modò ſpiritualis viæ impedimentis, ubi conſtantiam: & ſic de multis aliis, quæ recenſere nimis prolixum C foret: ac demum tametſi exempla tam propria invenire nequiremus; allata ſuperius ratio à virtutum connexione convincit. Fratres ergo noſtri rem hanc mente pertractent, ac de Magiſtri conſilio ſic expediant, ut breviore compendio perfectionis Chriſtianæ metam attingant.

CAPUT XXIII.

De donis Spiritus Sancti.

I. POſtquam de virtutibus, quantum propoſiti noſtri ratio exigere videtur, actum eſt, de Donis Spiritus Sancti, de fructibus, & beatitudinibus proximis capitibus agemus: ut Fratres noſtri, quibus à Deo bonis augeantur, & ad progreſſum D incitentur, agnoſcant: & tantarum divitiarum jacturam reformident. Hoc ergo capite Spiritus Sancti Dona percenſere operæ pretium erit. Præter honeſtatem, opulentiamque virtutum Theologicarum, moraliumque infuſarum, & acquiſitarum opus fuit, hominem ægrum, & virtutibus uti pro earum dignitate minimè valentem, additis Spiritus Sancti donis expediri. Sunt autem dona hæc habitus hominem perficientes Dona Spiritus Sancti, quid? ad hoc, ut inſtitutum atque motionem Spiritus Sancti promptè ſequatur: quemadmodum & virtutes ſunt habitus hominem perficientes, ut rationis imperio, ſeu motione promptè ducatur. E

II. Nobilitas donorum poſt Theologicas virtutes major, quàm virtutum omnium reliquarum eſt. Ordinis verò ratio eſt: quia Theologicis virtutibus homo ſociatur ipſi Deo moventi: donis verò perficitur, ut ad Deum, tamquam ad finem moveatur: virtutibus autem moralibus excolitur, vel in ordine, ad finem principiaque ſupernaturalia, quod eſt infuſarum, vel naturalia, quod eſt acquiſitarum, quæ poſtremam dignitatem obtinent.

III. Sunt autem numero ſeptem cæleſtia dona hæc; Dona Spiritus Sancti quæ & quot? & eorum ſedes. donum ſcilicet ſapientiæ, intellectus, conſilii, ſcientiæ (quæ ſunt in intellectu) donum pietatis, quod eſt in voluntate, donum timoris, quod juxta Sanctum Thomam eſt in concupiſcibili, licèt F aliis aliter videatur, donum fortitudinis, quod eſt in iraſcibili; ut omnes hominis partes, quæ virtutibus perficiuntur, donis quoque ad opus expediantur. Similitudo apta è ſtructura curruum duci poteſt: poſtquam enim rotis, ac cæteris partibus muniti ſunt, habent ſanè inſtrumenta, quibus agi poſſint: at niſi oleo ungantur, ægrè trahuntur; ſic homo virtutibus, quaſi rotis, ad motum comparatis inſtructus eſt; at niſi oleo lætitiæ leniatur, agi nequibit: Unde patet, quàm propriè unctionem Spiritui ſancto tribuamus, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me*. *Iſai.* 61. 1. Sed jam cujuſque doni vim deſcribamus.

IV. Donum intellectus perficit rationem ſpeculativam, ut divinas veritates apprehendat: Conſilii verò donum rationem practicam perficit. G Sed poſt veritatum divinarum conceptionem, ut homo de rebus divino modo judicium ferat, media ſapientia, ratio ſpeculativa, ſcientia verò ratio practica perficitur, & hæc quo ad intellectum. Appetitum pietas perficit. Concupiſcibilem vero contra inordinatam delectationem timor, ſed iraſcibilem, contra timorem periculorum perficit fortitudo. Sic autem exponi poſſunt: Donum intellectus, Donum intellectus quid præſtat? quidve cætera? præter fidei lumen confert, ut potentia intellectus veritates à Deo revelatas facilius, quam per ſolam fidem ex Siritus Sancti inſtinctu capiat: Conſilium, ut quid fieri oporteat, ex motione Spiritus Sancti certius inveniat: Sapientia, ut per ejuſdem Spiritus impulſum per regulas divinas, ſcientia, ut per regulas humanas de rebus H divino modo judicium ferat. Pietas voluntatem afficit, ut erga Deum, quaſi Patrem affectu filiali promptè moveatur, & quæ Dei ſunt, ut Sanctos, Sacram Scripturam, pauperes colat: timor concupiſcibilem à delectationibus ſingulari modo propter Deum um coercet; fortitudo iraſcibilem divino modo contra pericula erigit.

V. Actus horum donorum proprii non ſunt uſque adeo vulgares, ut paſſim eliciantur, nec juxta communes morum regulas ſemper judicandi ſunt: Theologi enim, cum aliquid, præter mores, quod non temerè imitari quiſque poſſit, à viris ſanctitate claris efficitur, his donis, per motionem Spiritus Sancti peculiarem attribuunt. Sic in ſcriptura inſolita multa proponuntur, quæ Spiritus Sancti ſingulari vi, ac lumine à Sanctis præſtita fuere: quæ ſine donis minimè præſtitiſſent. Cùm ad littus Rubri maris ſubſtitiſſet Iſrael, & Moyſes præcipiente Deo aquas intercidiſſet, cæteris ad prodigium illud cohibitarum aquarum alveum ingredi trepidantibus; Aminadab fortitudinis dono excitatus irrupit. Samſon eodem uſus dono, columnas templi Philiſtæorum concuſſit: David cum leone, urſo, Goliath, Philiſtæo congreſſus fuit: & alii ex gente illa ſimili Spiritus Sancti vi alia perfecerunt. Eccleſiæ verò exempla & innumera, & illuſtriſſima extitere; qualia omnes illi præbuiſſe videntur, qui non pertracti, ſponte ſua, ſe flammis, vel fornacibus calcariis, vel feris, impetu Spiritus Sancti obiecerunt.

Exod. 14.21.

Iudic. 16.29.

1. *Reg.* 34. 35. 36. 50. 51.

VI. Donis ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ per ſingularem Spiritus Sancti impulſum ad ferendum judicium conferunt, tribui ſolet judicium, quod tulit Salomon, quando infantulum, quòd duæ meretrices ſibi vindicabant, interſecari juſſit, & matrem dignovit: non enim ſine Spiritus Sancti lumine tam ſapienter agere potuiſſet; præſertim, cum juxta multorum Patrum ſententiam, duodecim tantum eſſet annorum. Ejuſdem Spiritus impulſu Daniel puer, cum Suſanna ad ſupplicium traheretur, de duobus ſenibus judicium ſtupore totius populi ſapientiſſimum tulit.

3. *Reg.* 3. 25.

Dan. 13.54. 55. 56. 57. 58. 59. 60.

VII. Dono conſilii tribui meritò poſſunt, quæ clariſſimi ſancti dementiam, vel ruſticitatem ſimulantes egerunt: cujuſmodi fuit nobiliſſimus ille Philoſophus Alexander cognomento Carbonarius, & ſanctus Alexius Romanus. Sed & perfecta mundi renunciatio, qua quis divitias, & honores, & voluptates omninò contemnit, Spiritus Sancti conſilio congruit.

S. Alexander Carbonarius S. Alexius Romanus.

Amor caſtitatis ejuſque effectus.

VIII. Dono timoris permoti, multa in caſtitatis cultu, & occaſionum fuga, vel victoria ſancti prodigiosè patrarunt, qualis fuit Ille, qui pacto pretio ſcortorum noctes emebat, & nocte tota vigilans; & Deo juxta impudicum lectum caſtiſſimè vacans, peccata lenonum prohibebat: concupiſcentiam quippe Dei timor validiſſimè ſuperaverat.

IX. Dono etiam pietatis (quo Deus tamquam pater, & Sancti, & alia quæ ad Dei cultum ſpectant, coluntur (tribui poſſunt plurima inſolita, quæ ex eis affectibus prodibant, dum ſancti ſe publicantes, & tyrannos maledictis exagitantes, pro Deo, pro ſanctis imaginibus, & aliis ſacris decertabant. Hæc eò ſpectant, ut Fratres noſtri animadvertant, viros Spiritui divino parentes, multa palam efficere, quæ ſi carneis oculis cernenda forent, vel reprehenderentur, vel ſaltem non laudarentur: at benè eſt, ut ſciamus, cum aliqua nova, & non valdè probabilia cernimus, fieri poſſe, ut non ſolùm bona, ſed excellentiſſima quoque bona ſint: quæ certè ſynceritas in ferendo judicio Virginis Filios magnopere decet; & per ſe ad cordis pacem, & charitatem proximorum alendam utiliſſima eſt. Ad ſtatum noſtrum quamdiù Spiritus Sanctus impulſu aliquo peculiari non movet, quod ex donorum doctrina Fratres noſtri excerpere debent, expeditio eſt: ut ſcilicet, qui uncti oleo ſunt, ne deſideant, ſed à Spiritu velociùs moveri curent: quod animi coaptatione per opera bona conſequentur. Unum verò ſummoperè commendamus, ut timorem Dei ſtudioſiſſimè ſervent, ac meditationibus augere nitantur; ſi enim ſapientiam paraturi venerunt, & initium ſapientiæ eſt timor Domini, etſi corpore in Clauſtro verſentur, niſi timere diſcant, ſpiritualem culturam numquam incipient: tantùm abeſt, ut proficere poſſint. Ut autem timorem hunc ſalutarem, è quatuor noviſſimis tria potiſſimum, mortem ſcilicet, judicium, & infernum, ſuæ vocationis initio alta mente concipiant: communeſque meditationes huc admodum conferentes frequentiùs legant; cùm enim nondum ii ſint, qui amore ſolo duci poſſint, graviter errabunt, ſi timoris cura depoſita altum ſapere velint.

Timor Domini, ſapientiæ initium.

CAPUT XXIV.

De fructibus Spiritus Sancti, & beatitudinibus.

I. CLementiſſimus Deus, qui hominem, quoad omnes ejus partes virtutum, & donorum habitibus perficit, ut expeditè ad civitatem permanſuram feratur; hoc etiam in exilio fatigatum recreare, ac ſtrenuè agentem ad perfectionem quandam futuræ beatitudini quaſi contiguam provehere ſolet. Ex ipſiſmet quippe virtutum & donorum habitibus viri rebus divinis addicti actus multos eliciunt humano cordi ſuaviſſimos, qui proinde fructus appellantur, ſimilitudine fructuum naturalium, in quibus tota plantarum ſuavitas ineſt. Sunt autem ii fructus duodecim: Charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Ad fructus autem rationem pertinet, ut in ſuo genere, quid ultimum ſit, & ſapore delectet, quod in fructibus enumeratis reperitur: & uno pro multis exemplo liquebit. Charitas enim fructuum primus nihil eſt aliud, quàm actus ipſius habitus charitatis, qui eſt amor, qui & ultimus, cùm

Fructus donorum Spiritus Sancti quot?

Scrip. An. 1605.

ad illum ordinetur habitus, & ſuaviſſimus ex motione Spiritus Sancti amoris guſtum ingerentis eſt. Idem ad proportionem de aliis fructibus recenſitis aſſerendum: ſive enim ſit manſuetudo, ſive caſtitas, ſive alia virtus: tunc dicitur fructus Spiritus S. producere, cum ipſo Spiritu agente actum excellentem, ac delectabilem elicit. Beatitudines verò ultra delectationem addunt perfectionem altiorem, ac exinde ſtatui cœleſtis patriæ propinquiorem: ex quo potiùs donis Spiritus Sancti, quàm virtutibus attribuuntur, cum in fructibus è contrario dicendum ſit. Quia verò beatitudines actus ultimi, & ſuaves ſunt, quicquid nobilitatis fructus habent complectentes, omnis beatitudo fructus appellari poteſt: at non omnes fructus poſſunt appellari beatitudines. Sunt autem octo numero: paupertas Spiritus, mititas, luctus, eſuries juſtitiæ, miſericordia, munditia, pax, perſecutionis patientia: ſed exemplum proferamus. Dicit Chriſtus: Beati pauperes Spiritu, quod ad humilitatis actum, vel, Beati mites, quod ad manſuetudinis actum pertinet: qua quidem appellatione, juxta ſententiam graviſſimorum Patrum, quamdam in præſenti vita inchoatam fœlicitatem ſignificavit. Pertingunt enim viri ſeriò Jeſu Chiſto dediti ad quemdam humilitatis, & manſuetudinis gradum adeò ſublimem, ut etiam regnum cœlorum, unà cum ſpiritus paupertate, & terram viventium unà cum manſuetudine poſſidere dicantur. Actus eximii, cæleſti ſuavitate conditi, & Chriſtianæ perfectionis ſplendore conſpicui ſunt: quales Sancti producunt, cùm jam palmæ propinquant.

A

Beatitudines fructus donorum Spiritus Sancti.

Beatitudines quæ, & quot?

B

Beatitudines cur ita adpellatæ?

Contemplatio quid?

C

D

Gratiæ gratis datæ, etiam peccatoribus elargitæ.

II. Inter beatitudines has divina contemplatio (quæ eſt actus intellectus in æterna ſpectacula directi, & admiratione ſuſpenſi, actus ſcilicet elicitus, ab excellentiſſimo inter alia omnia ſapientiæ dono) ſub cordis munditia reponitur: qui quidem eſt potior Inſtituti noſtri finis, conſtans puriſſima divinitatis notitia ineffabili delectationi permixta; ut meritò veræ, ac futuræ beatitudinis imaginem gerat. De qua tamen nihil modò dicendum: res enim juniorum Fratrum captum excedit, ſed animum, ut eò tendat, excitare deberet. Diſciplinæ quippe hujus eſt, noſſe, ineffabile bonum hoc in hoc etiam exilio ſtrenuis militibus indulgeri: ut animi ad prælia erigantur, & perennibus deſideriis ad ſuaviſſimam contemplationem aſpirent. Non videtur Jeſus Chriſtus Dominus noſter omnes beatitudines, nec Apoſtolus fructus Spiritus Sancti omnes, ſed nobiliores, ad quos cæteri reducuntur, recenſere voluiſſe: ex quo multa Scripturæ Sacræ in aliis actibus beatitutides, vel Spiritus Sancti fructus laudantis aſſerta patebunt. Præter omnes virtutes, ac dona, beatitudines, ac fructus, Clementiſſimus Deus ad bonum aliorum ſolet multos etiam peccatores gratiis gratis datis, ut prophetia, dono linguarum, gratia ſanitatum inſtruere: ſed hæc cum aliorum bonum, non propriam ſanctitatem, cui nunc Fratres noſtri vacant, augere certum ſit, in aliud tempus reiicienda ſunt.

PARS TERTIA.

E

De Orationis ſtudio.

CAPUT I.

De Oratione.

Relligio quomodo adpellata.

Relligio quid?

F

G

I. Religio (quæ & Theoſebia, Euſebia, & Latria nominatur) omnium virtutum moralium nobiliſſima, multos & internos, & externos actus producit. Interni actus ſunt oratio, & devotio de quibus primùm dicemus. Eſt autem Religio virtus in voluntate exiſtens, per quam debitus cultus, & reverentia Deo exhibetur. Oratio verò ejus virtutis actus, eſt elevatio mentis in Deum: voluntas quippe intellectum ad cultum Deo afferendum movet. Quanta verò ſit Orationis dignitas, ex Religione, à qua oritur, non obſcurè deduci poteſt: ſi enim virtus illa inter morales univerſas principatum obtinet, oratio quoque actus erit inter aliarum virtutum actus præſtantiſſimus: licèt enim Theologicus non ſit, altiùs tamen aliis Deum quaſi finem reſpicit. At enim ex ipſa elevatione mentis, quæ à Sanctis omnibus ei tribuitur, ejus celſitudo ſe prodit: quaſi pigeat mentem orationi deditam creaturarum meminiſſe, ac omnem vim ſuam in excelſiſſimam divinitatem attollat. Et quidem res juxta mores hominum expenſa honeſtatem eximiam habere videtur: ſi enim ex Regis, vel Imperatoris terreni conſuetudine tam inſignis honor contrahitur, ut ab hominibus, pluſquam divitiæ, ac inde ortæ commoditates, & voluptates, fiat; quod ejus honoris ambitio crebra, & affectata teſtatur; qualis honor erit, quem Dei colloquia creant?

Oratio animorum grandium paſtus adpellata.

H

Abraham, & Moyſes.

Elias, & Eliſæus.

II. Univerſorum Patrum laus hoc cardine vertitur: omnes in hoc ſtudium avidiſſimè incubuerunt: hac de cauſa ſe in ſolitudines, ac ſpeluncas abdidere: hic amor prælationes refutavit: hic animorum grandium paſtus pinguiſſimus fuit. Et ſanè non ii tantùm, quos Jeſus Chriſtus, patrata Incarnatione, aut in oratione pernoctans, aut in eremum per dies quadraginta ſecedens, aut per annos triginta Patri ſuo tacitus vacans exemplo ſuo erudivit, ſed illi quoque, qui ejus adventum antegreſſi ſunt, divinum Orationis exercitium religioſiſſimè, ac diutiſſimè coluerunt: cujus aſſerti teſtes omni exceptione majores, & Abraham deſerta perambulans, & Moyſes oves paſcens, & Patres noſtri Elias, & Eliſæus, Carmelum incolentes, fidem facere poſſunt. Qui ſepo-

Scrip. An. 1605.

poſita rerum omnium, & ſuſcepta unius Dei cura, ſic ſeipſos oblivioni tradidiſſe viſi ſunt, ut animos oratione in Deum, velut transformatos, à corpore alienos in corpore gererent. Hac vi pollet oratio, quæ in novo præcipuè Teſtamento reſplenduit: quod enim ſapientiæ hujus Magiſtro Dei Filio, dum oraret in monte Thabor, accidit, ut fieret ſpecies vultus ejus altera, hoc hominibus orandi peritis evenire videtur, dum è conſortio Dei lucem divinam haurientes è ſtatu quodam altiore cæteris hominibus illuſtre quiddam ſpectandum exhibent; quod reverentiam incutiat. Res profectò ſublimis eſt: quæ mox ut cordi hominis alicujus inſedit, ſpem fœlicitatis immenſam generat. Cum enim planum ſit, ea bona, quibus homo beatur, non aliunde, quàm à Deo dimanare poſſe; quæ licet Clementiſſimus Deus libenter largiatur, peti tamen à ſe vult: efficitur, ut qui ſtudii hujus firmum propoſitum concepit, rectam beatitudinis viam invenerit, ac fauſtè etiam ingredi cœperit. Hinc eſt, ut infeſtiſſimus noſtræ ſalutis hoſtis mille machinis orantes impugnet, ut vel ab incepto deterreat, vel minùs generosè progredi faciat. Novit enim eos, qui ſtrenuiùs exercentur, magnam ejus agminibus cladem inferre: quippe qui Dei luce multos illuſtrent, & ad æmulationem incendant. Hoc verita orandi conſultiſſima Beata Mater noſtra, & Virgo Tereſia, vehementer hortatur ad propoſitum Orationis conſtanter retinendum: ſibi enim perſuaſit, fieri non poſſe, ut qui fœcundiſſimo huic exercitio deditus eſt, non fœliciter proficiat. Nec immeritò: ibi enim animi malis obſeſſi, novo robore fulciuntur, & ad paſſiones edomandas, & virtutes acquirendas vegetiores effecti, licèt inermes ingreſſi fuerint, ad bellum armantur, & fortiores egrediuntur: cujus certè rei ſignum fuit illa Chriſti Domini noſtri poſt orationem horti ad ſuos hoſtes animoſa progreſſio.

Bona quibus homo beatur, unde dimanent?

S. M. Tereſia ſtudio orationis dedita.

Orationis effectus.

III. Oratio quippe cor magnanimitate conſtabilit: quæ Dei fortitudine, velut inſtillata concipitur: nihil eſt enim, quod creaturæ animum ſic erigere poſſit, ac manus Creatoris ad auxilium ferendum porrecta: locus autem orationi deſtinatus adiutrices Dei manus numquam excludit. Quid verò de arcanis illis ſolatiis, de rerum cœleſtium notitia, de mundi contemptu, de pace cordis, & aliis filiorum Dei notis, quæ animo imprimuntur, dicemus? Profectò quicquid à diſertiſſimis mundi Oratoribus in hoc genere dici poſſet, minus eſt, quàm quòd oratores Dei ſe exercendo perquirunt. His ergo de cauſis Fratres noſtri orationis ſtudio addictiſſimi eſſe curent: nec Parentum noſtrorum gloriam, qua ex Dei conſuetudine claruerunt, degeneri poſteritate reſtinguant, nihil enim prætexi poteſt, cum Regula noſtra parentum mentem amplexa, ſic habeat: Die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes. Id quippe à nobis Deus requirere videtur, quod nobiliores Dei oratores totius vitæ decurſu præſtiterunt, ut ſcilicet omne tempus, quod præſentis vitæ neceſſitate non adimitur, orationi conſecremus: quod eſt ornamentum ſtatus noſtri nobiliſſimum. Qua enim gloria potuit altiùs efferri, quàm ſic Deo addici, ut more Hierarchiæ illius Angelicæ ſupremo Seraphim ordine clauſæ, Deo perpetuo aſſiſteret, nec niſi neceſſitate interpellaretur. Propter hoc, qui è noſtris hac etiam ætate, rem bene tenuerunt, miram orationis peritiam adepti ſunt, & Inſtituti actus omnes mentis opulentia compleverunt: quorum veſtigiis inhærere, nobis, & honeſtiſſimum, & utiliſſimum eſt. Actus enim omnes, ſi ſeorſum, excepta mentis elevatione ſpectentur, velut cadavera quædam humi jacent, nec animum erigere poſſunt: at ſi ſpiritus ille vitæ, quem elata mens à Deo attrahit, flare incipiat, ſtatim excitantur, & Deo gloriam, oratori honeſtum, utileque conciliant. Studeant igitur Fratres noſtri, tot vinculis aſtricti, orandi peritiam comparare, ac naviter exercere, ut nihil eis ad omne bonum in ullo genere deſit. Legent autem attentiſſimè, ac perdiſcent ſubjectum orationis compendium, quo, quicquid à Patribus traditum eſt, amplexi ſumus, ut arte uti incipiant, donec ſpiritu, qui certis regulis claudi nequit, agantur.

Orationis ſtudium commendatum.

CAPUT II.

De Orationis Compendio.

I. Amor temporalium omnium malorum origo eſt: qui ex meliorum, hoc eſt, æternorum ignoratione promanat: non enim animus divinarum rerum conſcius ad fluxarum rerum utilitatem degeneraret. Ignoratio verò hæc nocentiſſima ex inconſideratione procedit: conſtat quippè aſpirantibus ad cœleſtium cognitionem lumen cæleſte minimè deeſſe. Triplex boni genus, quo capitur cor humanum, in hoc planè cœleſti exercitio cumulatè provenit: utile, uſque ad quamdam immunitatem à bonorum utilium indigentia: conſtat enim viros orationis ſtudio deditos, minùs quàm alios, fame, ſiti, frigore, calore vexari, ac propterea victum, veſtitumque parciſſimè requirere: honeſtum, uſque ad excelſam cum Deo familiaritatem: delectabile, uſque ad ineffabiles, caſtiſſimaſque Paradiſi delicias, quæ fœliciter hìc prælibantur. Eſt præterea facilis hæc exercitatio, & cuivis quamtumvis agreſti homini pervia, eò quòd ineſt in natura ſemen illius, quemadmodum & aliarum virtutum, quarum actus naturæ ductu imperfectè ſaltem obeuntur, & quod pluris eſt, divinæ gratiæ afflatu, qui non deeſt, paſſim à ruſticis, & ignaris etiam mulierculis frequentantur; ut nemo jure poſſit difficultatem prætexere, quod vel hac ratione convincitur. Nemo

Amor temporalium omnium malorum origo.

Oratio, in illa triplex boni genus.

Scrip. An. 1605.

Orationis definitio, ejuſque partes, quæ?

A

Præparatio, quotuplex?

B

mo eſt adeò ferus, qui ſaltem periculis, & calamitatibus, obſeſſus, neſciat cogitare Deum ubique præſentem poſſe mala illa depellere, ac ex illa fide eum pro malis avertendis deprecari, optareque illius gratiam inire: quod profectò nihil eſt aliud, quàm orare juxta definitionem orationis à S. Patribus traditam, quæ ſic habet: Oratio eſt elevatio mentis in Deum. Orationis partes ſunt, Præparatio, Lectio, Meditatio, Gratiarum actio, Oblatio, Petitio. Præparatio eſt duplex: remota, & proxima. Remota eſt fuga occaſionum diſtractionis, & abdicatio curarum. Proxima verò conſtat conſideratione divinæ Majeſtatis, unde oritur affectio reverentiæ ob celſitudinem, & amoris, ob dignationem: non enim parùm commovetur cor, cùm animadvertit ſe à Divina Majeſtate ad colloquium admitti. Exoritur etiam affectus humilitatis ex conſideratione propriæ vilitatis, qua conſtat etiam præparatio, tantò quippe vilior homo ſibi videtur, quantò altior is eſt, cum quo verba facit, & quia vilitas ſumma in peccato ineſt: ex quo ſibi homo turpiſſimus, abjectiſſimuſque videtur, peccata execratur, & odit: & viliſſimus jam homo ad Majeſtatis ſupremæ colloquium, ceu quidam Publicanus, dimiſſis oculis ſemetipſum accuſans orationem à fundamento humilitatis incepturus accedit.

Lectio quando facienda, & quomodo?

C

II. Lectio præmittenda, vel ſubiicienda præparationi (neque enim ordo neceſſarius eſt) debet ad rem pertinere, ut ſcilicet ſit ad cor permovendum opportuna; quales paſſim ſuggerunt opuſcula pia de meditationibus inſcripta. Lectio ſit ſedata, ſit altè perpenſa, ſit non ſciendi, ſed Deum amandi ſtudio accepta: & cùm ſententiæ cujuſpiam vim animus ſentit, & urgetur, à lectione deſiſtatur, ac ſententia illa digeratur, & expendatur: quod meditando efficitur; ut affectus inde diſſultent, quibus voluntas ignita flammeſcat. Et quidem præſcriptiones hæ ubiquæ in lectione obſervandæ ſunt, ſi fructum inde quis referre deſiderat.

Meditationis definitio.

D

III. Meditatio, quæ nihil eſt aliud, quàm diſcurſus intellectus voluntatem ad bonum hortantis, vel à malo dehortantis, lectionem piam ad opus orationis ſelectam penſitat, & digerit, quaſi cibum, quo voluntas alitur, & convaleſcit: ac propterea meditationis modus juxta voluntatis opus eſt ineundus, ut ſcilicet meditatio tamquam inſtrumentum quoddam uſurpetur, quo voluntas afficitur ad honeſtum; ac proinde nec nimium procurrat, nec lenteſcat: ſed eò dumtaxat modo exerceatur, qui cordi ſubſerviat: ut cùm voluntas exardeſcit, intercidatur, quoad uſque calore illo deferveſcente repetere illam oporteat. Impenſius enim in affectum, quàm in meditationem ipſam incumbendum eſt? adeò ſanè, ut quò brevior, & conciſior meditatio, eò felicior oratio eſſe ſoleat, multiplici nempe affectu fœcunda. Meditatio fit bifariam, vel de rebus, quæ ſenſu percipi poſſunt ſub imaginibus corporeis; ut de actibus paſſionis Chriſti: vel de rebus intellectualibus, ut de divina bonitate, aut pulchritudine: quæ licet ſub aliquibus etiam corporeis imaginibus concipiantur, propriè tamen id non expoſcunt: ſed tota propemodum res, ſine imaginum concurſu, ab intellectu peragitur. Juxta hos autem meditandi modos duplex Dei præſentia diſtinguitur, imaginaria juxta primum, intellectualis juxta ſecundum. Eſt autem præſentia Dei quædam applicatio mentis, & affectus ad Deum, reſque divinas, vel imaginario, vel intellectuali modo conceptas. In meditationis excurſu plura ſunt accuratè perpendenda. Primò, Res, quarum imagines concipimus propè, vel intra nos cogitandæ, ne animus evagetur. Secundò, Non eſt infigenda imaginatio iis phantaſmatibus, quæ componit, ne decipiatur, vera putans quæ vehementer cogitat. Tertiò, Modicè ſpeculandum, & in affectus impenſius incumbendum. Quartò, Voluntas ſibi temperet, ne quid nimis: ne ſcilicet nimio conatu, quo caput læditur, devotionis ſenſum quaſi torculo nitatur exprimere: neve cum Dei ſenſum nacta eſt, nimis dilatetur, & commoveatur, ſed fruitioni ſedatæ aſſueſcat. Quintò, Attentio magna præſtetur; at non ſine modo; ſub initium præſertim, ubi animus defatigandus non eſt, quouſque orandi procurſu concitetur. Sextò, Non in quovis Dei guſtu ſubſiſtendum, ſed inſiſtendum, ut uberius cor perfundatur, ac cæleſti pluvia fœcundetur: nam modica devotio facilè difflatur, & intercidit. Septimò, Quando flat ſpiritus, ubicumque id acciderit, arripiatur (ſi fieri poteſt) inſpiratio; quæ eſt Sibilus paſtoris ovem ad paſtum urgentis; & orationi vacetur. Quapropter tametſi ex materia orationi præparata quis evocetur Dei ſenſu ad res alias, de quibus minimè cogitarat, ſinat ſe duci quò vocatur. Octavò, Quando voluntas ardere incipit, intercidatur diſcurſus, & affectus invaleſcat. Nonò, Si affectus nimis inflammetur, interdum illum intercidere, & ad alia, quibus voluntas minus urgetur, divertere oportet; ne cor lædatur, ſed requieſcat. Decimò, Imaginibus, quæ cogitando componuntur, ne facilè credatur: eadem imago, puta Chriſti, & à Deo, & à dæmone, & à propria imaginatione componi ſolet: ac proinde conſilio res decidatur. Undecimò, Nonnulli vix modica egent meditatione, vel ob anteactum meditandi ſtudium, quo voluntas convicta, benè affecta eſt, quod virtutis eſt argumentum, vel ob animi teneritudinem, quod ſolet eſſe mollis naturæ vitium, quod attentè perpendatur. Duodecimò, Aliqui pollent imaginandi vi, & quicquid libet, ita figurant, ut lineamenta quoque, minimaſque corporis partes quaſi ad vivum exprimant: qui periculo illuſionum patent, & fre-

Meditatio quot modis fiat?

E

Præſentia Dei quid, & quotuplex?

Meditatio, in illa quid, adcuratæ perpendendum. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

F

Quinto.

Sexto.

Septimo.

G

Octavo.

Nono.

Decimo. Imaginibus non credendum, & cur?

Undecimo.

H

Duodecimo.

Scrip. An. 1605.

Decimotertio Quomodo ſe gerere debeant ariditate vexati?

A

Decimoquarto. Qomodo ſe gerere debeant viva imaginatione pollentes?

Decimoquinto. Quomodo diſtractionibus infeſtati?

B

Decimoſexto. Meditationis materia, quæ?

C

frequentiſſimo conſilio, & correctione imaginationis egent. Decimotertiò, Alii nihil ferè imaginatione componere valent: quos ariditas vexare ſolet, qui ſi imperfectè ſaltem imaginari queant (quod ſatis eſt, neque enim expreſſio imaginum multa requiritur) intellectualia pura, ne ſtatim arripiant: ſed ſi prorſus inepta imaginatio eſt, de Magiſtri conſilio, orationi, ac Dei præſentiæ intellectuali vacare fas erit. Decimoquartò, Si quis imaginandi vi polleat, & univerſè, quivis alius multiplicia capita vitet: ne ſcilicet diſtinctas imaginum partes, puta, manus, pedes, latus Chriſti ad ſingulos affectus, vel actus, dum orat, vel recitat, adoret (nocet enim capiti vehementer ſaltus hic multiplex, & brevi orationi reddit ineptum): ſed toti ſimul Chriſto impenſius, & prudentius vacet. Decimoquintò, Meditantes multis diſtractionibus infeſtati ante ſtatas orationis horas occaſiones immodeſtiæ, ac verborum diligenter vitent, nec aliquid niſi Jeſum Chriſtum ſcire velint: quòd ſi nec ſic ſe intus colligere poſſint, enitantur inter orandum cogitationes importunas excutere: quod ſi neque hoc modo quieſcant, aliquam precationem, puta Dominicam, ſeu Pſalmum, vel ſola imaginatione, ſi cum aliis orent, vel ſi ſoli ore quoque recitent: ac ea verba intercalatis brevioribus meditatiunculis expendant: quòd ſi neque ſic cogitationum importunitas ceſſet; ſi privatim agant, lectione libri pii, cum admixta meditatione, orationis vice uti poterunt. Decimoſextò, De orationis, ſeu meditationis materia nihil certè definiatur: ea quippe materia cuique ſalubrior eſt: unde utilitas major exiſtit: quòd cum ex ingenii, divinique adiutorii collatione ſit decernendum, conſultatione res ſtatuatur. Hæc omnia, quæ de meditandi ratione præſcripſimus, à junioribus Fratribus non ſine conſilio Magiſtri agenda ſunt: quod univerſè in aliis rebus, ſed iis præcipuè, quæ ad orandi peritiam ſpectant, ubi multa pericula oriri poſſunt, exactius obſervandum eſt: quapropter mox ut aliquid inſolitum, vel dubium acciderit, ſine ulla mora obedientiæ oculum Fratres noſtri conſulant, ne ſe præcipites agant.

Gratiarum actio, orationis pars.

D

IV. Poſtquam quis meditatus eſt, ac intellexit vim beneficiorum Dei, quæ ipſa meditatione ponderantur, appoſitè ſubtexit gratiarum actionem: ut ſi de Chriſti crucifixione cogitavit, qua quis ſcit ſe fuiſſe redemptum, opportunè gratitudinem concipit; ac ſingulari beneficio, quod tunc expendit, cætera ſive generalia, ſive peculiaria ſubnectit, ſubjecto brevi catalogo, quem à creatione auſpicatus mente percurrit: & ut gratitudo coaleſcat, cupit univerſa corda, quæ in cœlo, ſive terrarum orbe Deo accepta ſunt, ſibi tradi: ut immenſam gratitudinem è tot cordibus exultantem dulciſſimo Deo ſuo uno corde rependat. Cupit autem imprimis cor Beatiſſimæ Virginis, & (quod fœlicius eſt) ipſius D. N. Jeſu Chriſti cor adipiſci, ut fiat vehementior æſtus gratitudinis, qua flagrare deſiderat.

Oblatio, Orationis pars.

E

F

V. At quia gratitudinis virtus, quæ ſemel excitavit affectum (quoad per eam fieri poteſt) gratiam referre molitur, aptè gratiarum actionem ſubſequitur oblatio; quæ gratiam multis actibus rependere tentat. Quapropter ipſi gratiarum actioni multiplex oblectatio annectenda eſt. Pro beneficiis videlicet acceptis, ac ſigillatim pro beneficio, quod meditando perpenſum eſt, dulciſſimum D. N. Jeſum Chriſtum, ac Beatiſſimam Virginem cum eorum meritis, propriamque ſimiliter perſonam, cum cogitationibus, verbis, ac operibus univerſis in hoſtiam laudis, & gratiarum actionis affectu ardentiſſimo expedit offerre; ac univerſa corda, quæ ubique Deo placent, eodem myſtico ſacrificio ſimul immolare. Quod certè ſacrificium poterit etiam, ac debebit offerre pro peccatis, ac in hoſtiam pacificam pro iis bonis impetrandis, quibus eget, qui orat quouſque ipſo Deo fruatur: & denique in holocauſtum ad ineundam cum Deo cordis unionem, & ad Divinæ Majeſtatis confeſſionem, ac proteſtationem: ut quadruplici hoſtia diſtinctis cordis motibus, ac directionibus expreſſa, quælibet cogitatio, vox, ſive actio quadrifariam Deo fiat accepta, & quaternis meritis aucta.

Petitio orationis pars.

G

Quomodo petendum?

H

VI. Oblationi concinnè annectitur petitio; appoſitè quippe petit id, pro quo pretium offert. Patet autem ex enumeratione quatuor hoſtiarum, quas paulò ante recenſuimus, eum qui orat, ſemetipſum D. N. Jeſu Chriſto, ac Beatiſſimæ Virgini ſociatum, cum ſuis meritis univerſis offerre in hoſtiam pro peccato, & hoſtiam pacificam, hoc eſt, ad nova beneficia impetranda (ut reliquas duas hoſtias non adeò propriè huc ſpectantes prætereamus). Eſt ego poſtulaturus admodum impenſè veniam peccatorum, & mox bona illa univerſa, quibus eget, uſque ad optatiſſimum ipſius Dei conſpectum, ac fruitionem: ſigillatimque depoſcet veram peccatorum pœnitudinem, & humilitatem, Theologicaſque virtutes, & præſertim divinæ bonitatis amorem: ac denique virtutem eam, qua ſe magis indigere, & ejus paſſionis, ſeu tentationis victoriam, qua ſe magis urgeri pernoſcit. Quæ certè omnia cum cæteris bonis non ſibi tantùm, verùm, & Eccleſiæ toti, ac univerſo humano generi, quoad licet, expoſcet, ut neminem lege charitatis excludat. At quod in petitione potiſſimum exquiri debet, eſt inconcuſſa quædam fidei firmitudo, ut nihil hæſitet, qui poſtulat; ſed certò ſtatuat ſe bona, quæ depoſcit, per Chriſtum obtenturum: quam certè firmitatem è tribus ſubiectis rationibus in capite de ſpe fuſius expenſis, quibus nemo mentis compos valet obluctari, poterit haurire.

Rationes ad firmiter petendum. Prima ratio.

VII. Prima. Deus ſuopte ingenio eſt ab benefaciendum, ac miſerendum propenſiſſimus, quia eſt infinitè bonus; quod ipſe lucuculentiſſimè oſtendit, cum non rogatus, ſed nativa ſua bonitate flexus filium ſuum neci tradidit pro me. Si ergo non interpellatus mihi immerito, ac in peccatorum cœno jacenti filium dedit: quis niſi planè ſtolidus, vel inſanus dubitabit, an mihi non jam peccare cogitanti, ſed peccatorum veniam, & alia ei gratiſſima, ſed multo minora bona poſtulanti ſit veniam indulturus? Certè ratio hæc evincit, vel me dementem eſſe, vel debere ſine ulla hæſitatione, quicquid confert ad ſalutem æternam, poſtulare.

A

Secunda ratio

VIII. Secunda. Certum eſt dulciſſimum D. N. Jeſum Chriſtum ita pro me morti traditum, ac ſi pro nullo alio traditus fuiſſet: non enim mihi magis officit aliorum ſalus, nec magis à me ſanguis illius divertitur, quàm ſi pro me ſolo illum effudiſſet, nec de alio quovis redimendo cogitaſſet; quod Apoſtolus ſenſiſſe videtur, dum ait: Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Statuamus igitur, me non univerſorum hominum ſcelera, ſed pauciora perpetraſſe, ac de illorum remiſſione apud Patrem æternum agere, interpoſito totius ſanguinis Filii ejus pretio, ut mihi clementiſſimus Pater ignoſcat: ubi ex hypotheſi de unius dumtaxat hominis peccatis condonandis agitur, ac ſi nemini, præterquam mihi, parcendum eſſet. Qua in re quis, obſecro, tam rudis, vel amens erit, ut non animadvertat, ſe, omni hæſitatione depulſa, debere fidentiſſimè poſtulare: non enim hæc ratio alia minùs firma, quàm doctrina ipſius Veritatis innititur, ut mirum ſit, quomodo ſpei infirmitate laborem.

Galat. 2.20.

B

Tertia ratio.

IX. Tertia. Super alia ſpei fomenta eſt inſignis illa promiſſio, qua D. N. Jeſus Chriſtus ſemetipſum nobis addixit ajens: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis: quibus certè verbis ita ſpem meam ſtuduit promovere, ut nullo modo quid aptius, & ad eam erigendam efficacius poſſim excogitare. Exigit quippe à me, ut credam illum bona, quæ poſco, mihi velle præſtare; quo quid facilius? Si enim ille ſuapte natura ad benefaciendum propenſiſſimus eſt (ut prima ratione patuit) & præterea neci traditus eſt, ut eo pretio obtinerem ego bona, quæ poſco, (ut ſecunda ratione conſtitit) & demum firmiſſima promiſſione ſemetipſum obligavit, ut ea bona largiretur (quod tertia ratione liquet); quid facilius, quàm eorum impetrandorum fidem concipere? quin & illa denique obtinere? Si enim adhibeo conditionem, ſub qua is illa pollicitus eſt, nunquid credi poteſt, me illa non obtenturum? minimè quidem. Et profectò ratio hæc convincit, me quodammodò dementatum eſſe, ſi bona ſalutis æternæ minùs fidenter expoſco. His ergo tribus rationibus erectus, hac ultima orationis parte, ex qua victoria pendet, uſurus ſum, ſicut ſcriptum eſt: Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter: poſtulet autem in fide nihil hæſitans: ac in hunc modum compendium orationis abſolvitur.

Marc. 11.24.

C

Deus ad bene faciendum propenſiſſimus.

D

Iacob 1. 5. 6.

CAPUT II.

De devotione in commune.

E

Devotio quid?

Ejus effectus.

I. Exploratum eſt cœleſte orationis exercitium eſſe quandam veræ devotionis officinam: devotionemque ipſam (quæ principalis religionis actus eſt) eſſe orationis ſcopum, ſive fructum. Eſt autem devotio actus voluntatis, quo ſe promptè ad famulatum Dei tradit; cujus laus multis ex capitibus maxima eſt, ex eo præcipuè, quod animæ pinguedo ſit: quod ſatis diſertè regius Vates oſtendit aiens: Sicut adipe, & & pinguedine repleatur anima mea: & ſtatim ejus adipis indicem, vocalem laudem, adiecit ajens: & labiis exultationis laudabit os meum. Efficit quippe totum hominem expeditum, & alacrem, ut & animo, & corpore actus pios exerceat: nullus labor, anxietas nulla, infeſtatio nulla eſt, quam non illa voluntatis alacritas, ſeu promptitudo depellat. Res admodum utilis eſt, quæ bonorum operum aviditatem generat, & præter Deum omnia faſtidit: quamobrem, more ſanctorum, exquirenda eſt, amotis iis impedimentis, quæ viam illi præcludere poſſint. At Fratres noſtri neceſſariam, & veram, ab apparente devotione opus eſt internoſcant: cùm enim devotio, ut ſuperius diximus, actus voluntatis ſit, ea devotio vera, & ſincera eſt, quæ in voluntatis expeditione conſiſtit: illa verò ſenſibilis, quæ appetitu ſenſitivo percipitur, & corpus oblectat, nec ſemper neceſſaria, nec ſyncera eſt. Poteſt quidem ſyncera eſſe, cùm à voluntatis promptitudine, ac efficacitate derivatur: at vera voluntatis devotio ſine derivatione illa ſæpiſſimè conſtat: quod vel Apoſtolus evincit, cùm ait: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quem legum conflictum alibi explicuit ajens! Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum illud facio: quibus certè verbis (volo bonum, & odi malum) voluntatis vim, & ſynceram, ac propriam devotionem ad pia opera præſtanda, malaque declinanda ſignificavit: cum quo tamen affectu appetitus reluctatio in homine uno ſæviebat.

F

Devotio ſenſibilis, an ſincera?

G

Rom. 7. 23.

Rom. 7. 15.

II. Sicut ergo vera devotio Paulo non defuit, cum appetitum rebus divinis inimicum patiebatur, ita Fratres noſtri non ſe vera devotione carere querantur, ſi quando nullo rerum divinarum guſtu afficiuntur, immò dum tædio vexantur. Quin etiam vera devotio duplo validior tunc eſſe videatur: quia eadem bona opera præſtantur, quæ cum Dei guſtu effici ſolent, & præterea ſenſitivus appetitus voluntatis energia domatur. Danda tamen opera eſt, ut voluntatis efficacia totus homo celeriter ad res pias agatur; & ad hunc finem quævis impedimenta ſunt amovenda (quoad

H

ad

Scrip. An. 1605.

Devotionis cauſſæ. quæ?

ad per unumquemque fieri poteſt:) at ſi nec ſic devotio inferiorem hominem expediat, non jactura, ſed ad coronam lucta eſt. Poſtquam ergo devotionis propriæ naturam expreſſimus, noſſe oportet, vulgatiſſimas eſſe devotionis cauſas, divinorum ſcilicet conſiderationem, beneficiorum Dei A meditationem, & ſigillatim eorum myſteriorum, quæ ad Jeſu Chriſti D. N. humanitatem ſpectant, expenſionem. Licèt enim devotio erga divinitatem præcipuè verſetur, captui tamen noſtro per humanitatem divinitas attemperatur. Sed frequenter accidere ſolet, Spiritu Sancto ſecretis modis animos agente, ut ex aliis rebus uberior devotionis ſenſus eliciatur: alios enim cœleſtis gloria, mors alios, judicium alios ad opera Dei promptiùs expedire ſolent, omnia tamen ad Deum undecumque orta referenda ſunt.

CAPUT IV.

B *De devotione erga S. Euchariſtiam, Beatiſſ. Virginem, & Sanctos.*

Devoti, qui adpellati?

I. USU receptum eſt, ut animos Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, vel Sanctorum cultui deditos, devotos appellemus: quod ex peculiari affectu ad eum cultum promptiùs ferantur, aut certè promptiùs ferri nitantur. Et quidem panis ille ſuaviſſimus Euchariſtiæ ad excitandam appetentiam, & proinde promptitudinem opportuniſſimus eſt: ſi enim leonem caro, & ovem herba præſens urget, ac expedit, cur hominem rei conſcium Jeſus Chriſtus illo Sacramento tectus non extimulet, ac expediat? Quòd ſi dulcia trahunt, certè ibi ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur: C præterquàm quòd amoris immenſi incitamentum eſt, & omnia dilectionis fomenta motum celerem efficiunt. Unde inſignes ejus Sacramenti cultores ad eum paſtum velociſſimè trahi conſpicimus. Accedit, quòd cum ibi lateat omne bonum, quo nemo eſt, qui non indigeat, ad Euchariſtiæ cultum peculiarem ageſtas ipſa conducit. Propter rationes has, aliaſque permultas, in Congregatione noſtra in conſuetudinem ducta eſt coram Sacramenti altari perennis oratio: quam Fratres noſtri, ut id exercitium ediſcant, juxta ordinem à Magiſtro præſcriptum devote frequentant. Sors profectò fœlix eſt; ut tanto Regi famuli fideles aſſiſtant, & pro ſe, pro aliis, pro Congregatione, pro Eccleſia tota, pro infidelium converſione Clementiſſimi Dei viſcera pulſent. Ex hoc laudatiſſimo cultu, ali- D iſque ſimilibus actibus ſaluberrima cordis appetentia Fratres ad Sacramenti frequentiam excitantur, & ut eis indulgeatur, idonei fiunt. Hinc etiam exiſtit illa ſumma, quæ tanto Sacramento debetur veneratio; ut non ſolùm, cùm ad Euchariſtiam palàm oſtenſam accedunt, ſed quoties loca altari propinqua, vel eò ſpectantia petunt, aut pertranſeunt, genuflexione, vel profunda inclinatione Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ibi latenter colant. Alia quoque multa, quæ recenſeri nequeunt, obtinuit conſuetudo: quæ à Fratribus ſtudioſiſſimè alenda, & ad poſteros traducenda eſt: quod ab eis impensè requirimus: E & ut miniſtrationi Sacrificii Angelico more interſint, ac frequentius intereſſe, miniſtrareque ſummum & honorem, & lucrum exiſtiment, admonemus. Poſt Euchariſtæ cultum, qui ad latriam pertinet; duliæ cultus ſubiiciendus eſt erga Beatiſſimam præcipuè Virginem, quæ ob ſingularem excellentiam hyperdulia coli dicitur. Quàm ſit autem ſtatui noſtro conſentanea tantæ Virginis devotio, ipſa ejus protectio, Congregationis titulus, & quotidiana ejus beneficia demonſtrant: nihil enim à Clementiſſimo Deo nos, niſi per puriſſimæ Virginis merita obtinuiſſe, vel obtenturos eſſe exiſtimamus: & illi, quicquid ad Congregationis bonum ſpiri- F tuale, ac temporale divinitus collatum eſt, acceptum referimus. At enim, quamvis nihil nos, præ cæteris Chriſtianis ab ea recepiſſemus; ſublimiſſima ejus gloria, & dulciſſimus decor exigerent, ut eam ritu perpetuo amantiſſimè coleremus. Si enim ornatam monilibus filiam Hieruſalem Dominus concupivit, æquum eſt, nos ejus magni Domini famulos illam gratiam, & pulchritudinem expetere, quæ Dei cor permulcere potuit. Etenim ſtatura ejus aſſimilata eſt palmæ, ut proceriſſima, & Divinitati propinquiſſima ſit, & ubera ejus botris ubertate tumentibus, ut filios lactet, & ſummis ima conciliet. Forma elegantiſſima, & ad corda trahenda efficaciſſima præſtat; quam non homines tantùm, ſed Angelorum chori, dum aſſumeretur, G mirati ſunt ajentes: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitiis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Quaſi cinnamomum quippe, ac odoratiſſimum balſamum, non terram modò, ſed cœlos quoque odore replevit: & ſuffitu ſuaviſſimo infinitæ dilectionis Deus delectatus eſt. Omnia, quæ ſapientia in univerſo mundo perfecit, ſub Mariæ pedibus reſident, & quaſi cedrum Libani exaltatam ſuper verticem Seraphim intentiſſimè ſuſpiciunt. Amabiliſſimus profectò, & ſuper cœlorum puritatem ſereniſſimus decor eſt, qui è Reginæ mitiſſimæ ſede dimanat, & totius cœleſtis Hieruſalem corda ſuaviſſimarum delitiarum amne perfundit. Sed & in terras dulcoris ejus immenſi rivi deſcendunt, velut imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſu- H per gramina: à ſæculo quippe non eſt auditum, ut Mariæ miſericordia viduæ, vel pupillo deeſſet. Hæc eſt Virgo ſapiens, & una, immò prima de lectiſſimo numero prudentum, quæ terram ſapientia implet, & juſtorum prudentiam magiſterio delectabiliſſimo docet. Huic adhærere certè bonum eſt: & coram pulchritudine tanta cor-

Devotio erga Sacramentum Euchariſtiæ præcepta.

B. Virgo Maria quo cultu colenda?

B. Virgo Maria Divinitati propinquiſſima.

corde tacito, præ magnitudine decoris obſtupeſcere: quem filii Sion inclyti, & amicti auro primo æmulatione multa ſine fine requirunt. Fratres ergo noſtri huc animi vires cogant, & requirant ſpecioſam ſicut columbam aſcendentem deſuper rivos aquarum: cujus inæſtimabilis odor eſt nimis in veſtimentis ejus, & ſicut dies verni circumvallant eam flores roſarum, & lilia convallium, ut hoc odore, & hac propinquitate recreentur.

Devotio erga B. Virginem præcepta.

II. Nec exiſtiment ſatis eſſe mediocri aliqua devotione ſpecioſiſſimam, & ſuper cœlos excelſiſſimam Reginam, & ſingulare Congregationis noſtræ decus venerari: Publicani enim hoc faciunt: ſed filiorum more impenſiſſima cura mundi Dominam ſemper animo impreſſam gerant, & ſtudia omnia, cogitatus, verba, & opera illi, ſicut & Filio ſuo primogenito diebus ſaltem ſingulis ſummo mane devoveant. Feſta verò ipſius perquam ſedulò præveniant, & ſe peculiaribus exercitiis ad puriſſimæ lucis illius honorem appoſitis comparent: & quoties quid in ejus laudem agendum occurrit, avidiſſimè feſtinent. Vitam, & mores illos imitatione digniſſimos ſæpiſſimè animo verſent, ut aliquid hauriant, quod & ſibi, & aliis prodeſſe queat: conſtitutum eſt, enim veram devotionem non tam in precationibus, quàm imitatione conſiſtere. Nihilo tamen ſecius Beatiſsimæ Virginis preces, Coronam, quotidianam commemorationem ſtudioſè recitent, & ejus laudes ex animo, quoties occaſio tulerit, celebrare nitantur. Quin etiam ad Chriſtianam perfectionem comparandam, & mala quævis propulſanda, vel præcavenda, Beatiſsimæ Virginis cum Jeſu Chriſti D. N. præſentia conciliare, & utramque animo vel frequentiſsimè, vel ſi fieri poſsit, ſemper impreſſam gerere, ſaluberrimum conſilium eſt: quos enim Deus coniunxit, homo ſeparare non deberet. Quæ de Beatiſsima Virgine diximus, pauca & exilia ſunt, ſi cum ejus meritis, & noſtris debitis comparentur: at eò deprompta ſunt, ut norint Fratres noſtri, quàm turpe ſit, minora, & remiſſiora præſtare.

Devotio erga D. Joſeph præcepta.

Et erga S. Eliã & Eliſæum.

Atque erga S. Angelum Martyrem, & S. Albertum Confeſſorem ac erga D. M. Tereſiam.

Poſt Beatiſſimam Virginem, Sponſum ejus Sanctiſſimum Joſeph Congregatio noſtra magnopere venerari conſuevit: nam id & ſumma ejus dignitas, & beneficia collata repoſcunt. Sanctiſſimos quoque Prophetas, Eliam, & Eliſæum Inſtituti noſtri conditores religioſè colere, ſtrictiſſimum ſtatus noſtri debitum eſt: nec videtur Carmelitæ nomine dignus, qui officium cultus iſtius prætermittit. Clariſſimos etiam Sanctos noſtros Angelum Martyrem, Albertumque Confeſſorem, quibus tota Europæ Religio plurimum ſe debere fatetur, celebriùs honorare decet. Beatiſſimæ quoque Virgini, ac matri noſtræ Tereſiæ nos deditiſſimos eſſe, ac ejus virtutes æmulari neceſſe eſt. Horum ergo Sanctorum, ac aliorum, quos tanquam Patres Congregatio ſuſpicit, cultum exactiſſimum Fratribus noſtris commendamus: etſi enim Sanctorum aliorum imitationem laudemus; ad ſtudium horum, quos providentia ſingulari à Deo nobis propoſitos eſſe cognoſcimus, plurimi facere, quod ad Inſtituti noſtri perfectionem parandam valde conferat, æquiſſimum eſt.

PARS QUARTA.

De noſtris exercitiis.

CAPUT I.

De exercitiorum obſervatione.

Ad monaſticam perfectionem comparandam quænam actus requirantur?

I. PAſſionum ſubjugatio, virtutum acquiſitio, & orationis ſtudium eò conferunt, ut per Inſtituti noſtri exercitia, & Superiorum præſcripta ad unionem divinam aſpiremus: quod Fratres noſtri tam ſeriò ſibi perſuadere debent, ut omnino credant, ad finem, quò tendunt, exercitia nulla opportuniora, quàm quæ Congregatio præſcripſit, ab eis cogitari potuiſſe. Graviter quippe ſibi, & bono communi nocerent, ſi parum prudenter exiſtimarent, actus alios, quàm qui ad ſingulas horas eis injunguntur, ad Monaſticam perfectionem comparandam eis aſſignari oportere: quo enim animo ſuſcipient, quod minùs ſibi prodeſſe opinantur? Qua in re ii, qui in ſæculo ſpiritualibus exercitiis imbuti nonnihil ſibi didiciſſe videntur, pejus errant: cum enim ſtatus Monaſtici ſint adhuc ignari, ac propterea de rebus judicium ſanum ferre neſciant, opiniones olim conceptas in detrimentum perfectionis Angelus Satanæ illis vehementer laudat, & lucis Angelum ſimulat. Quapropter Fratres noſtri, quicquid in ſæculo didicerunt, deponentes, & prima ſpiritualis doctrinæ elementa ſe, ſtatu mutato, nondum ſcire arbitrantes, illud Apoſtoli effatum eis congruere credant: Qui ſe exiſtimat aliquid ſcire, nondum novit, quomodo oporteat eum ſcire. Ex hac verò ſui cognitione, Magiſtro ſic ſe ſubmittant, ut quamvis inſigni litteratura etiam Theologica polleant, nihil ex anteacto ſtudio uſurpare, ſed novum Beatiſſimæ Virginis lac exugere velint, certòque noverint, eo ipſo, quod ex parta in ſæculo doctrina, præter Obedientiæ placitum, aliquid repetant, minus eruditionis divinæ ſe percepturos. Profectò Apoſtolus multa in ſæculo ad pedes Gamalielis didicerat, adeo, ut ei aliquando nimia ſcientia ſic exprobrata fuerit: *Paule multæ te litteræ ad inſaniam ducunt*: & tamen ad pedes Jeſu Chriſti cœleſtem ſapientiam edoctum, ait: *Nihil putavi me ſcire inter vos, niſi Chriſtum, & hunc Crucifixum.*

1. *ad Cor.* 8. 2.

Act. 26. 24.

1. *Ad Cor.* 2. 2.

Scrip. An. 1605.

Quomodo actus exercendi?

II. Poſtquam ergo Chriſti ſcholam Fratres ſe ingreſſos animadverterint, omnem ſuam operam eò convertant, ut actus eis demandatos exactiſſimè obeant: ſic enim juxta Sanctorum Patrum monita actus quilibet exercendus eſt, ac ſi eo peracto anima è corpore migratura, Deoque rationem operis redditura eſſet. Qualem ergo affectum eſſe oporteat, ſi Deum rationem ſtatim exigere velle ponendum eſt? Verùm quamvis conſilium hoc non foret obſervandum, re ipſa prudenter expenſa patet, inſignem ſtultitiam eſſe, actum unumquemque à Deo præſcriptum non perfectiſſimè præſtare. Si enim certum eſt actum illum ita tunc à Deo imponi, ut illum à me, nullum verò alium exigat, aut probet, qua mente poſſum cordis partem ullam actibus aliis vendicare? Tunc ſanè, dum actum injunctum exerceo, ita bonum omne, quod in præſenti vita mihi evenire poteſt, amplector, malumque omne, quod accidere poſſet, excludo, ut ſi qua fœlicitatis pars in hoc exilio unquam obtinetur, ea eſſe videatur, quæ in actu illo tunc tota conſiſtit. Si enim modò, dum Deus per Superiorem actum deſignat illum, omnes alios excludit, ſolus ille bonus mihi eſt, ac proinde tunc totum bonum eſt, nequit enim nolente Deo, bonum aliud mihi contingere. Quare verò malum nocere poſſit, dum actu illo clementiſſimo Deo plus placeo, quàm ſi miracula patrarem: immo, dum ſolo actu illo placeo, & reliquos ſibi non placere teſtatur? Veniant hoſtes, irruat ipſa mors. Quid fœlicius, quàm tunc interire, cum Deo placeo? an damnetur, qui tunc judicatur, cum Deo judici placet? Ex quo ſatis apertè perſpicimus, quàm longè & à Dei voluntate, & à bono ſuæ ſalutis aberrent, qui dum horas canonicas perſolvunt, orant, vel quidvis aliud à Congregatione decretum efficiunt, aliorum actuum ſollicitudine diſtrahuntur. Utinam rationes allatas penſitarent: utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Cum ergo in unoquoque minimo Congregationis ritu (quod ex dictis liquet) voluntatem Dei expreſſam, & propterea totius boni complexionem, & immunitatem ab omni malo Fratres noſtri habere poſſint; ſic Inſtitutum noſtrum amare, ac erga omnes, ac ſingulos Congregationis actus affici debent, ut quam Sancti ſingularitatem appellant, exoſam habentes, pro minimorum rituum obſervatione tuenda ſanguinem quoque profundere parati ſint. Hæc quippe ad legum cuſtodiam animi magnitudo filiorum Dei propria eſt, & ad Chriſtianam perfectionem acquirendam mirificè conducit; è contrario verò nihil inſigne ſperari poteſt, cum actus Congregationis parum magnanimiter exercentur. Conſtat enim exercitia, quæ ingenio ſuo ſalutaria ſunt, ignavia depravari, & in materiam morborum ſpiritualium perverti: quod tunc evenire quotidiana damna declarant, cum actus communes ex aſſuetudine quadam ſine ſpirituali conatu frequentantur. Abſit ergo, ut filii Dei viventis ante naturalem mortem, quo pane vivere poſſunt, moriantur; & actibus ipſis, quibus ſpiritus emortuus excitatur, ipſi ſpiritum extinguant. Quorſum enim venerunt, niſi ut ſtrenuiſſimè agerent, & regularium actuum obſervatione accuratiſſima ſe mutuò ad certamen provocarent; ſicut olim Sacerdotes, qui ſtabant in officiis ſuis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Rex invictiſſimus David ad laudandum Dominum, quoniam bonus, quoniam in æternum ſuaviſſima miſericordia ejus, dulciſſimos hymnos David canentes per manus ſuas? Profectò tanti ponderis eſt legum non ſolùm Divinarum, & Monaſticarum, ſed etiam humanarum exacta cuſtodia, ut præſentis quoque vitæ bona innumera pariat. Hinc enim Spartanorum laus, & fœlicitas: hinc Romæ amplitudo ſuccrevit.

Singularitas fugienda?

2. *Paralip.* 7. 6.

Spartanorum & Romanorum fœlicitas unde?

Machabæorum laus, unde?

III. Sed Sacra Machabæorum laus maxima eſt, qui pro patriis legibus decertantes in populum, & principatum potentiſſimum creverunt: à quibus tyrannorum furor vel unius ceremoniæ omiſſionem nullis præliis, nullis cruciatibus potuit extorquere. E quorum genere fuit illuſtriſſimus Eleazarus vir ætate provectus, & vultu decorus, cui cum ab amicis offerrentur carnes, quibus veſci juxta legem licebat, ut ſimularet carnes à Tyranno Rege præceptas ediſſe, ac per hoc à morte liberaretur: reſpondit citò, præmitti ſe malle in infernum, ac honeſta morte perfungi. Hac ergo cordis magnitudine pro cæremoniarum etiam levium obſervatione Fratres noſtri armandi ſunt, ſubiectorum exercitiorum ſeriem expleturi.

2. *Machab.* 6.21. 22.23. 24.

EXERCITIA QUOTIDIANA.

I. DAto primo quarumvis horarum ſigno, pium quid mente verſantes, quo excitantur, in Oratorium feſtinanter conveniant. Ad matutinum præſertim, & orationem matutinam ſtrenuiùs exurgant: & æmulatione pia tabellas arripere, cæteros excitare, & primi ad Oratorium pervenire conentur. Quod ut alacriùs præſtent, ſciant tabellas arripienti, ejus, qui minùs diligenter è lecto ſurrexit, illius nocturnæ vigiliæ, vel orationis ſatisfactionem eſſe ex communi pacto reſervatam. Poſtquam in Oratorium Fratres omnes convenerint, ſigno à Præſide dato, terram oſculantes, & bini ſe altari profundè inclinantes in chorum procedant, voce ſubmiſſa Pſalm. Miſerere dicentes. In iis verò cæremoniis, quæ ad chorum ſpectant, quæ ſunt in Ordinario præſcripta, ſervabunt. Officio chori peracto, Magiſtro vel Præſide incipiente Pſ. Miſerere, in Oratorium revertuntur. Præſcriptum hunc eundi, ac redeundi morem obſervabunt, quoties à Novitiatu in chorum, vel capitulum tendent, vel inde ad Novitiatum, ad Litaniam, Miſſam, coronam, exhortationemve redibunt.

Scrip. An. 1605. Matutino expleto, ſimul Fratres omnes, ubi Magiſter decrevit, per horam dimidiam orabunt: niſi Magiſtro viſum fuerit tempus aliquando corripere. Ad ejus autem orationis finem Beatiſſimæ Virginis Litaniæ dicentur, Magiſtro Orationes ſubiungente. Statimque cubitum ſilentes ibunt uſque ad ſignum orationis matutinæ. Ante ſomnum orationis materiam eligant, cui indormire curent: & ſimul, ac poſtea excitantur, Dei præſentiam, & virtutem, cui hebdomada illa ſtudent, reiicientes quaſvis alias cogitationes, mente concipiant, & dum ſe ad orationem comparant, vel in ipſamet oratione, cogitationes, verba, & opera, ut in Inſtructione præſcribitur, ad Dei gloriam dirigant. Poſtquam deſcripta jam æmulatione ad orationem matutinam accurrerint, & eam cum horis ſummo mane recitari ſolitis, unà cum cæteris Fratribus perfecerint, in Oratorium conveniant, ubi B. Virginis Litanias cum Oratione, Defende quæſumus Domine, Sanctiſſimæ Genitricis tuæ ſponſi, &: Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum, &c. recitabunt. Orationes verò ſubiunget Frater antiquior, niſi adſit quis Diaconus, vel Sacerdos, vel Magiſtri ſocius. Expleta Litania mox ad cellas componendas ſe recipiant, quas munditie nitere, & quoties poterunt, ante Orationem matutinam expeditè componere curent. Poſtquam in cellas ſe receperint, genuflectentes bona illa, quæ ex oratione hauſerunt, deſideria, firmiore tunc propoſito ſtabilient, & ſi quam culpam admiſerunt, explorabunt. Dato deinceps campanulæ ſigno, ad locum à Magiſtro deſignatum, ad ſacrum ſimul audiendum conveniant. Unde alii ad officia eis injuncta explenda, alii ad Miſſæ miniſtrandum, reliqui ad cellas, lectioni, & meditationi, vel aliis exercitiis à Magiſtro præſcriptis vacaturi contendent; quouſqne ad horas ante prandium exolvendas, ſigno dato, convocentur. Poſtquam unà cum reliquis cœnobii Fratribus horis examini conſcientiæ, prandio, gratiarumque actioni interfuerint, in recreationem horæ unius cum Magiſtro ſecedent. Nihil in recreatione injuſſi loquantur, ſed vel audiant Magiſtrum, ejuſve loco Præſidentem, vel ab eo interrogati reſpondeant. Et, ſi velint ſciſcitari, veniam priùs expoſcant. Solent autem Fratres noſtri ad ea omnia genuflectere. Inter ipſos mutua verba, etiam ipſius recreationis ordinariæ tempore, ſine venia non permittuntur. Venia verò data non niſi ad verba ſalutaria prodeſt. Recreatione expleta, in cellas ſe recipiant, niſi quid ex obedientia tunc alibi agendum ſit. A Paſchate uſque ad Exaltationem Crucis poſt Nonam, ab Exaltatione uſque ad Paſcha poſt Veſperas expletas in Oratorium convenientes genibus flexis Beatiſſimæ Virginis coronam, & pro lucrandis indulgentiis Religionis ſepties Pater, & Ave Maria, & Pſ. Miſerere, cum oratione pro Pontifice per horam dimidiam recitabunt, qua peracta, qui tempus horologio metitur, Magiſtrum vocabit, ut fiat exhortatio, ad quam audiendam compoſitis animis, dato ſigno, ſedebunt. Quando Fratres in exhortationibus à Magiſtro interrogabuntur de præſentia Dei, hoc eſt, quo pacto die illa Deum mente verſent, ac de virtute, quam hebdomada illa impenſiùs colere ſtatuerint, ſinguli genuflectent: qui verò præſentiæ Dei mane concipiendæ immemor extiterit, ad negligentiæ ſignum, & expiationem ſe proſternet. Fratres à Magiſtro, vel zelatore de culpa quavis admoniti, confeſtim ſe proſternant, dicentes, (mea culpa) & multa cordis ſubmiſſione correptionem audiant, & injunctam pœnitentiam ſubeant. Dato verò ſigno ſurgant, & Magiſtri ſcapulare oſculati ad ſua loca modeſtè revertantur. Cum quis juxta Cœnobiticam diſciplinam verberabitur, ad exhortationis finem genuflectet, & cingulo, habituque laxato, & ſcapulari à tergo ſuper caput rejecto, tergi partem, ad ictus excipiendos, nudam exhibebit, ac denique Magiſtri ſcapulare ſubmiſsè oſculabitur. Eumdem etiam morem obſervabunt, qui ad meriti augmentum, ut frequenter fit, ac expedit fieri, verberari ſimul cum eo, qui corripitur, poſtulabunt. Quo die Magiſter nec de culparum correptione aget, nec de præſentia Dei, cultuque virtutum rationem exiget, ſedentes audiant, quod ille docuerit. Tempore ab exhortatione uſque ad orationem intercurrente, piæ lectioni, ac orationi vacabunt. Noverintque apud Fratres noſtros hanc conſuetudinem viguiſſe, ut tempus à cæteris ſtatus noſtri obligationibus reliquum orationi perenni, inter ipſos diſtributæ, coram altari Sacramenti, ac Beatiſſimæ Virginis effigie dicarent: quod fuit inter nos, Dei gratia, quaſi juge ſacrificium: quod eis ſummopere commendamus. Dato veſpertinæ orationis ſigno, eò cum cæteris convenient: & poſt reliquos actus communes, expleto Completorio, in Oratorium ingredientur; ubi antiphonam B. Virginis (Sub tuum præſidium) à Magiſtro, vel Præſide inceptam cunctanter proſequentur; ſubiunctiſque orationibus: Defende quæſumus: Sanctiſſimæ genitricis: Eccleſiæ tuæ, & accepta flexis genibus benedictione, ſilentes in cellas recedent: ubi piæ lectioni, ac meditationi vacabunt, donec dato tabellarum ſigno, cubent. Et quieſcent, quouſque ad Matutinum media nocte excitentur.

Exercitia cujuſlibet hebdomadæ.

II. QUovis die Sabbathi quilibet Frater ſeliget unam, in quam incumbat virtutem; qua ſe præſertim indigere dignoverit; ac ejus actus, quàm frequenter poterit, exercebit, adhibito orationis, internorum, & externorum actuum multo conatu, legetque caput inſcriptum de virtu-

te

Scrip. An. 1605.

te illa, prout in Inſtructione habetur. In virtute ſeligenda Fratres rationem habeant ejus vitii, paſſionis, vel tentationis, qua potiſſimùm vexantur, virtutemque contrariam eligant, peculiari affectu interpoſito Sanctorum obtentu, pro illo Dominum deprecentur. Poterit quis virtuti uni non per hebdomadam unam tantùm, verùm & per per plures ſtudere, quouſque divino adjutorio aliquos progreſſus in ea fecerit. Simul atque excitantur Fratres manè, conentur aliqua pia cogitatione ad virtutem electam parandam opportuna, ante omnes aliarum rerum imagines, armari. Quavis hebdomada bis ſaltem Sacram Communionem recipient, die videlicet Dominica, & Feria V. Pridie verò quàm ad cœleſtem menſam accedant, prolixiore oratione, ac aliquo pœnitentiæ opere ſe comparabunt: die autem ipſo Communionis orationem, & gratiarum actionem, quoad poterunt, protendent. Bis per hebdomadas ſingulas confiteantur Magiſtro, vel ejus ſocio. Aliis verò minimè, tametſi à Communione propterea eos abſtinere oporteat, niſi de Superioris venia rarò concedenda in aliquo eventu alicui confiteri permittantur. Feria ſexta, veſpertino officio abſoluto, ſignum dante Oratorii Sacriſta, Veſperum ſuaviſſimi nominis Jeſu cunctanter, ac religioſè Fratres in Oratorio recitabunt.

Exercitia menſtrua.

III. Initio cujuſque menſis fiet ſponſio communis de virtute una paranda, quam Magiſter bono communi Novitiatus oportuniorem cenſuerit. Provocationis autem formula erit hæc: Qui hoc menſe N. virtutem ardentiore affectu coluerit, à cæteris Fratribus quintam meritorum partem lucrabitur. Provocationem verò lectam deſcribent, & in conſpicuo loco parieti cellæ affixam quotidie per menſem illum relegent ad memoriam excitandam, & cor impellendum. Licebit interdum ex Magiſtri venia certamina majora alterutrum inire. Quod à Fratribus fieri præſertim ſolet diebus extraordinariæ recreationis, & cum à Cœnobio Novitiatus aliò migrandum eſt. Solent inter nos ab uno in aliud Novitiatus Cœnobium mitti certamina; quibus animi vehementer inflammari, & chariſmata meliora æmulari conſueverunt. Is, cui per ſingulos menſes ſortito contigerit Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cultus, ad arbitrium Magiſtri horis in ſchedula præſcriptis, & quoad poterit, ulteriùs coram altari orationem producet. In vigilia ejus Sancti, quem quiſque ſortitus fuerit, de Magiſtri venia jejunabit: dieque ipſo Sacram Euchariſtiam ſumet. Sancti verò illius hiſtoriam legere curabit. Curet quiſque Fratrum, ut menſis nullus prætereat, quo non ſubeat aliquam mortificationem extraordinariam in Refectorio fieri ſolitam. Ordinarias verò ex Magiſtri venia frequentiùs exercebit.

Exercitia annua.

IV. In Vigilia Circumciſionis Dulciſſimi nominis Jeſu Veſperæ cantabuntur: eritque Fratribus dies ſolemniſſimus. Ante ſolemniora feſta, puta, Paſchatum, Corporis Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & ſacratiora tempora, puta, Quadrageſimæ, & Adventus, ſolent Fratres noſtri peculiaribus tum internis, tum externis exercitiis ex Magiſtri venia ſe comparare. Quam conſuetudinem obſervare conabuntur. Diebus recreationis extraordinariæ, & Feſtorum valde ſolemnium, quibus eis fit copia mutuò loquendi, ſolent Fratres noſtri quodam martyrii ſimulacro ſe exercere: dum alius Tyranni imperantis, alius martyris fortiter ſe periculo obiicientis, alius cujuſpiam impietatem ſuadentis, alius carnificis necem inferentis perſonam agit. Quo certè exercitio (ut multis patuit experimentis) animi ad pietatem acriter inflammantur. Prædictis etiam diebus, & ſigillatim in Exaltatione ſanctæ Crucis, ſolent Fratres noſtri de ſtrictiore vitæ regularis obſervatione ſponſiones mutuò facere: & cum Magiſtro, ac ejus ſocio paciſci, ut pro quavis culpæ cujuſque admonitione, vel correptione aliquas preces gratitudinis cauſa rependant. Ex quo inſignis utilitas emanare ſolet. Quiſquis Fratrum juxta inſtructionem ſibi à Magiſtro tradendam ſemel exercitia ſpiritualia faciat, niſi Magiſter aliud de Fratre aliquo decreverit. Per menſem, ante Profeſſionem, productiore oratione, & pluribus exercitiis ad opus tantum ſe comparabunt: & flexis genibus à Patribus, ac Fratribus reliquis preces poſtulabunt, ut eis adminiculis præmuniti ad rem tam ſalutarem aggrediantur. Recenter induti, intra duos menſes, niſi Magiſter rem prorogaverit, multa cum exactione confeſſionem generalem faciant, obſervatis Magiſtri monitis in eo genere tradendis.

CAPUT II.

De actuum directione.

I. Exercitia quæ à Fratribus frequentanda ſunt, quo fructus reddant uberiores, ad Clementiſſimum Deum ardentiore affectu dirigi debent, non mane tantùm, ſed ad actus ſingulos, quoad per fragilitatem licet: modus autem directionis, cujus Fratres noſtros oportet eſſe peritiſſimos, idem ubique, ac ſemper eſſe poterit, mane fuſior, reliquo tempore contractior.

Exemplum.

II. Clementiſſime Deus, cui me totum ex multis capitibus debeo, me ipſum totum, cogitationes, verba, & opera totius vitæ, ſed hodierna peculiariter

unà

Scrip. An. 1605. unà cum Jeſu Chriſto Domino noſtro, Beatiſſima Virgine, univerſis Spiritibus beatis, & Sanctis, qui in cœlo, ac juſtis, qui ubique exiſtunt, quos omnes mihi arctiſſimè per affectum aſtringo, dirigo ad gloriam Majeſtatis tuæ, tibique ſine intuitu alio A per illa omnia placere impenſiſſimè cupio; ac opto ultra ea, quæ recenſui innumera millia perfectiſſimorum cordium, quæ ſimul cum eis ab æterno tibi placuiſſent, & placitura in æternum eſſent, poſſidere; omniaque hoc deſiderio intra me concepto tibi ad ſingulos halitus offero in hoſtiam pro peccatis expiandis; in hoſtiam gratiarum actionis, ad gratiam pro beneficiis univerſalibus, & peculiaribus referendam; in hoſtiam pacificam pro bonis omnibus, quibus egeo, uſque ad beatitudinis adeptionem impetrandis; in holocauſtum ad unionem cordis tecum ineundam, & Divinam Majeſtatem tuam proteſtandam.

III. (Eiſdem quatuor modis, actus, cogitatus, & verba ſingula cum illis cordium B millibus, quadruplo merito aucta in Deum referri debent: ſed poſt Deum ſic ad Beatiſſimam Virginem, cui quaternæ hoſtiæ illæ non congruunt, quod latriæ cultus ſit ſoli Deo reddendus, directio concipienda eſt.)

IV. Beatiſſima Virgo, & me totum, & cogitationes, verba, & opera vitæ totius, ſed hodierna peculiariter, & univerſa corda illa, quæ recenſui (quoad licet) quàm latiſſimè poſſum, in laudem tuam dirigo, & tibi per omnia illa placere ſummopere cupio. Directio hæc duplex, ad Clementiſſimum videlicet Deum, & Beatiſſimam Virginem deſtinata, poſt aliquot dierum frequentiam celerrimè fit, initio tamen, & manè præſertim, ubi attentiùs, & expreſſiùs pro die toto concipitur, impenſiſſimo affectu produci debet, ut cordi altiùs C imprimatur. Sed præter directionem hanc ad ſingulos actus motibus rei conſentaneis cor ad Deum erigendum eſt, ut patet exemplo.

Exemplum.

V. PRO Canonicis horis. Clementiſſime Deus, te laudare deſidero, & Beatiſſimam Virginem, univerſos Angelos, ac homines, cum aliis creaturis, & mundos alios innumeros, quos creare poſſes, ad laudem hanc tuam cupidiſſimè convoco. Pro Oratione idem prorſus modus, ac pro horis Canonicis. Pro Capitulo. Clementiſſime Deus, peccavi in cælum, & coram te, propitius eſto mihi peccatori, & fac, ut me culparum ſeriò pœniteat, fac ut culpæ D meæ detegantur, & remediis efficacibus expientur. Pro ſacra Confeſſione idem modus ac pro Capitulo. Pro Refectorio. Clementiſſime Deus, vocor ad eſum: utinam vocarer ad martyrium; fac Domine, ut frugaliter veſcar. Pro Recreatione. Clementiſſime Deus, vocor ad corpus recreandum, ut alacriter redeam ad laborem; utinam pro te ad torturam vocarer: fac Domine, ut modeſtè agam. Pro Concione, vel exhortatione. Clementiſſime Deus, te dicentem nunc auditurus ſum: utinam verba tua imprimantur viſceribus meis, ut meliorem quàm accedo revertar: fac Domine, ut verba teneam, & eliquetur veritas tua in cor meum. Pro Miſſa. E Clementiſſime Deus, ſacrificio huic dignitatis infinitæ intereſſe cupio: fac, ut vigilanter, dignèque miniſtrem, ac fructus ſacrificii particeps fiam. Pro ſacra Communione. Clementiſſime Jeſu Chriſte, te ſumere paro, fac, ut puro corde tibi conjungar. Pro cubitu. Clementiſſime Deus, quieſcendum mihi nunc eſt: fac, ut ſine corporis indulgentia ſomno utar, & ad te laudandum feſtinus expergiſcar. Pro miniſterio menſæ. Clementiſſime Deus, famulis tuis miniſtrare debeo, fac me ſollicitum, ut eis neceſſaria omnia ſine culpa miniſtrem. Hæc exempli gratia poſuimus, ut ex his Fratres noſtri diſcant actibus externis internos appoſitè conciliare, & unà cum directione illa quaterna ſuperiùs deſcripta conjungere: F illa quippe ſola, licet meritis fœcunda ſit, non tamen res ſingulas expendit, quas, ut rebus, & proximis quoque ſatis fiat, expendere opus eſt.

CAPUT III.

De uſu præſentiæ Dei erga quotidianos actus.

I. PRæſentia Dei (ut in orationis compendio tradidimus) eſt ſtudium, ſive applicatio mentis ad Deum, ſive intellectuali, ſive imaginario modo conceptum: alioquin, ſi ſatis eſſet Deum eſſe præſentem nobis, non tantùm nos, ſed univerſæ creaturæ ſemper in Dei præſentia verſarentur: at non eſt hic Sanctorum Patrum G ſenſus, cum de præſentia Dei verba faciunt, ſed ille, quem deſcripſimus. Bifariam verò mens applicari poteſt ad Deum, vel eo modo, quo quis amicum intuetur, cum nihil aliud præter aſpectum efficit, vel alio modo, cùm præter intuitum illum multis affectibus, & virtutum actibus ſe mens ad Deum excitat, eo modo, quo quis (in allata ſimilitudine) amicum non modò ſpectat, ſed ei dona offert, vel pollicetur. Modus primus licèt interdum utilitatem afferat, cum quis à continuis aſpirationibus interquieſcit, & tantillum ſynceris oculis amanter Chriſtum inſpectat, vulgò tamen otioſus eſt, nec animum inflammat: quamobrem Fratres noſtri ſecundo frequentiſſimè utantur. Sive enim in H cellis maneant, ſive foras prodeant, ſive laborent, intercalatis aſpirationibus, ſive jaculatoriis orationibus Chriſtum alloqui, ſe illi offerre, profectum ei proponere, nunc humilitatis, nunc gratitudinis, nunc ſpei, nunc amoris, nunc contritionis actum producere, & cum eo, quicquid agendum eſt, conferre, ac auxilium depoſcere debent. Opera ergo, quæ exercenda ſunt,

unà

Scrip. An. 1605.

unà cum ipſomet Jeſu Chriſto Domino noſtro incepturi, ac peracturi, cum ducem noſtrum præeuntem inſpicere, ac multis cordis motibus comitari in unoquoque actu nitantur.

II. Nec ſolùm hæc Dei præſentia hîc circumſcribenda, ſed ad proximos extendenda eſt: ut ſingulos, quaſi Jeſu Chriſti Domini noſtri Fratres; ſic ab eo appellatos, vel tamquam filios ejus ſanguine pretioſiſſimo redemptos, & in æternum regnaturos aſpiciant: ex quo, & amor, & reverentia, & pax, & alia immenſa bona proficiſcuntur: Superiorem autem, & Magiſtrum Chriſti perſonam agere, planum eſt. Quin etiam ſic Dei præſentiæ Fratres noſtri ſe dedere debent, ut nullam prorſus creaturam, puta lignum, vel lapidem, ſine Dei reſpectu intueantur: ſic enim, quot creaturas, tot Dei admonitiones habebunt; ſibique certiſſimè perſuadeant, in paucis capitis hujus monitis ferè totam ſpiritualis vitæ ſapientiam poſitam eſſe: ut impoſſibile ſit, cum illorum incuria ſpirituales viros evadere.

CAPUT IV.

De uſu Sacramentorum, & examine conſcientiæ.

I. FRequens Sacramentorum uſus inſignem à Fratribus noſtris puritatem, ac rerum notitiam requirit: decet enim eos, quædam Dei eſſe ſacraria, mores candidos olentia, quibus clementiſſimus Deus oblectetur. Et quod ad Sacramentum pœnitentiæ ſpectat, vigilanter caveant, ne culparum levium (Dei enim gratia graves abſunt) quidam deſpectus obrepat, qui doloris ſenſum adimat: ſi enim leviſſimas quoque culpas non horreant, numquam proficient: ſic autem ſe comparabunt. Jeſum Chriſtum Dominum, ac Pontificem noſtrum præſentem imaginatione concipiant, & id ſeorſum coram eo, quod poſtea coram Confeſſario efficiant. Confeſſarium verò adeuntes, & ad ejus pedes procumbentes, dolore quàm poterunt maximo per tria communia cogitationum, verborum, ac operum capita, omiſſionibus, & universè totius anteactæ vitæ peccatis, ſigillatimque (ad materiam certam aſſignandam) præteritis mendaciis, ad confeſſionis calcem ſubjunctis, culpas deteſtentur: quæ confeſſionis methodus æquè ab omnibus tenenda eſt.

II. Hanc quoque (excepta illa materiæ aſſignatione) in examine conſcientiæ obſervabunt coram Jeſu Chriſto D. N. quaſi ad eos audiendos præſideret, quemadmodum de præparatione ad Sacramentum pœnitentiæ modò dictum eſt: & ut culpas expient, levem aliquam pro illarum modo ſibi pœnam imponant: qualem videlicet Confeſſarius pro ſimilibus culpis injungere ſolet. Hujus quoque methodi tria capita percurrent, bis per ſingulos menſes, Magiſtro de rebus ſuis omnibus rationem ſynceriſſimè, quaſi Deo reddentes. Euchariſtiæ verò Sacramentum recepturi negligentiam vitent, ac multis Fidei, Spei, & Charitatis potiſſimùm actibus cordis domum inſtruere curent, qua Rex tantus excipiendus eſt, definito tempore aliquanto, ad eos actus producendos. Recepto verò Sacramento, Jeſu Chriſto D. N. intra ipſos condito intentiſſimè vacent: & ad quælibet bona impetranda, & mala propulſanda tempus illud, quamdiu ſpecies Sacramenti conſumptæ non ſunt, ſciant eſſe opportuniſſimum.

CAPUT V.

De formula præparationis, quæ profeſſuri, & induendi uti debent.

I. QUiſquis induendus, vel ſolemniter profeſſurus eſt, in hunc modum ſe comparabit; qui & induendis, & profeſſionem emiſſuris communis eſt: nam qui vellet indui, & quod ad ſe ſpectat, profiteri formidaret, veſte noſtra parum ſe dignum exhiberet. Hoc ergo dumtaxat diſcrimen ſit oportet, ut quamvis uterque profiteri velit, alter tamen non poſſit. Quamobrem quod ad animi firmitatem, & affectum attinet, cum æqualis eſſe debeat utriuſque voluntas, æquali ſanè modo utrumque oportet inſtrui, ut idem quod profeſſurus vovere parat, induendus firmiſſimè obſervare proponat.

II. Primum ergò per tempus ſibi decretum, ad actum illum præmeditandum, cogitabit ſe jam morti propinquum, & actu illo moriturum: eritque ſatis ad rem, ſe quaſi vitulum quemdam ſtatim cædendum, ac Deo immolandum exiſtimare: & ſic aget, quàm ardenter poterit. Opto, clementiſſime Deus, ad mortem hanc fœlicem duci, ac mihi mori: ut proprio ſenſu prorſus interempto, tibi fœliciùs vivam: ſic enim fiam holocauſtum. Cupio ſola voluntate tua regi, ut in rebus etiam minimis obedientiæ præſcriptum ſequar: ut per exercitium voti inter omnia potiſſimi intellectum tibi, ac voluntatem immolem. Deſidero certè omnem carnis, & ſenſuum voluptatem abdicare, ac vitæ auſteritati accuratiſſimè ſtudere; ut per caſtitatis cultum corpus tibi ſacrificem. Opto univerſas mundi divitias, & commoditates procul arcere, ut Chriſtianam paupertatem mundi dominam amplectens, omnem, quæ cogitari poteſt, opulentiam tibi offeram. Quia verò in hoc myſtico ſacrificio tibi à me reddendo affectus ardere debet, ac latiſſimè patere: cupio, clementiſſime Deus, per Unigeniti tui, & Beatiſſimæ Virginis, & univerſa Angelorum & hominum corda tibi grata intra me condere, & unà cum corde meo, in holocauſto actus iſtius, quem ſtatim obiturus ſum, ad æternam laudem tibi devovere, & quoad poſſum, religioſiſſimè devoveo.

Scrip. An. 1605.

veo. Clementiſſime Deus, cui multis de cauſis me totum debeo, deteſtor omnem anteactæ vitæ turpitudinem propter te, ac firmiſſimè propono, tibi ſemper, ac per omnia famulari. Suſcipe, dulciſſime Deus, victimam hanc multis deſideriis plenam, A offero quippe tibi intellectum, ac voluntatem arbitrio tuo regenda, carnem auſteritate domandam, & totius opulentiæ mundi contemptum, ad comparandam trino ſacrificio veram cordis libertatem, quam inquiro. Nolo intelligere, ſeu velle niſi te, ut obediens fiam: nolo amare niſi te, ut caſtus fiam; nolo poſſidere, aut cupere niſi te, ut dives pauper fiam. Oro ergo te, ſuaviſſime Deus cordis mei, ut in poſterum utaris me, velut mancipio tuo; nec patiaris per ſanguinem Filii tui, me degenerare à perfectione hujus Congregationis tuæ. Et tu, Virgo puriſſima, & fidiſſima tutela B Congregationis hujus, quæ gaudet patrocinio tuo, recipe me, obſecro, inter candidatos filios tuos fœderatum votis eiſdem, quæ tibi reddere decerno, quemadmodum, & dulciſſimo Deo, ac Filio tuo. Praxis hæc ſæpè repetatur, quoad uſque induendus, vel profeſſurus evocetur.

LAUS DEO.

IN SEQUENS OPUS
PRÆMONITIO.

Biennio poſt ſuperiorem Novitiorum, hanc etiam abſolviſſe pro Magiſtro Inſtructionem, & quidem ut conſtanti ſemper, & ubique uniformi diſciplina juniores Fratres inſtituerentur, teſtatur ipſe Ven. Scriptor in Operis Præfatione. Quum igitur illam prælo commiſſam demonſtraverimus an. 1605. *patet, hanc typis paratam jam fuiſſe an.* 1607. *e quibus tamen non ante ſequentem annum* 1608. *emerſit, Neapoli ex Typographia Tarquinii Longi, juſſu Ven. P. Fr. Ferdinandi a S. Maria Præpoſiti Generalis, ibi tunc temporis degentis, ad quem Roma miſſa fuerat; nullibi deinceps ſeorſim, quod ſciam, recuſa. Legitur tamen in Conlectione Omnium Operum Colonienſi, Tomo altero, a pag.* 162. *Præ manibus habemus primam hujus Opellæ breviorem ideam, quæ quinque ferme priora continet capita iiſdem verbis concepta; quæque quum nihil adferat novi, eam proinde intactam Archivo noſtro Romano, cui ſpectat, remittimus. Priori illi Neapolitanæ editioni hæc Ordinis facultas præfigitur.*

„ *Fr. Ferdinandus a S. Maria Præpoſitus Generalis Fratrum Diſcalceatorum*
„ *Congregationis S. Eliæ Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo,*
„ *Inſtructionem Magiſtri Novitiorum a R. P. Fr. Joanne a Jeſu Maria*
„ *Ord. noſtri compoſitam, graviumque Doctorum judicio commendatam,*
„ *de conſenſu Superiorum in lucem edendi facultatem concedimus. Datum*
„ *Neapoli, idibus Octobris* 1607.

„ Fr. Ferdinandus a S. M. Præpoſitus Generalis.

EPISTOLA NUNCUPATORIA AUCTORIS

ALMÆ CONGREGATIONI SANCTI ELIÆ FRATRUM DISCALCEATORUM ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO

FR. IOANNES A IESU MARIA S.

APud ſapientes rerum ſpiritualium expenſores conſtitutum eſt, Alma Congregatio, ad primævum penè collapſæ Diſciplinæ Monaſticæ ſtatum reſtituendum idoneos Novitiorum Magiſtros imprimis requirendos. Reformationis quippe totius caput eſt, bonos pueritiæ, ac adoleſcentiæ inſtructores habere, qui rudes animos è ſæculo ad Clauſtra vocatos, velut ſtipites nuper è ſylva cæſos expoliant, & exciſa ruditate, ad arcanam Clauſtri fabricam, quaſi ad ferculi Salomonis ſtructuram artificiosè coaptent. Atque hoc ſanè idem expetendum eſt, ubi non tam de collapſa diſciplina inſtauranda, quam de fauſtè condita, vel reparata tuenda ſeriò agitur: cum à bonis Novitiorum educatoribus tam ruinæ reparatio, quàm conſtantis ædificii firmitudo dependeat. Placeat ergo votum hoc meum, quo nonnihil laboris, ad molem hanc ſtatus Monaſtici ſtabiliendam, contuli. Exiguum eſt ſanè quod offero, ſi cum rerum pondere comparetur: at exigua munera ex voti magnitudine perpenſa tibi, Alma Congregatio, probanda non ambigo: præſertim cum ex genere quoque ſuo ſpectata ad fauſtè cœptam B. Virginis, ac Fundatricis tuæ Tereſiæ diſciplinam alendam utcumque conferant. Cœptis ergo inſiſte: & bonos ſatarum plantarum cultores, quorum peritia, & labore fœcunditas, & amœnitas tua in Eccleſiæ Paradiſo fœliciter creſcat, è cœlo precare. Vale.

PRÆFATIO.

I. *ANTE annos circiter duos Novitiorum Inſtructionem in lucem dedimus, quæ univerſis Religionum cœtibus prodeſſe poſſet, tametſi Religioni primum noſtræ deſtinata fuiſſet. Neque enim ſuberat idonea, piaque ratio, quæ rem utcumque proximis ſalutarem occulendam perſuaderet. Licèt enim non quælibet cujuſvis Religionis Inſtructio evulganda ſit; cum peculiaria quædam capita juſtis ex cauſis uni probata, aliis fortaſſe noxia ſint: eæ tamen, quas obeſſe non poſſe perſpectum eſt, profectò celandæ, & ſpirituali quodam avaritiæ genere aliis ſubtrahendæ non ſunt.*

II. *Hac igitur ipſa ratione permoti Magiſtri inſtructionem tam aliis, quàm nobis ipſis (ut ſperamus) profuturam edere decrevimus, ut Monaſticæ diſciplinæ propemodum collapſæ ruinæ reparentur. Cauſa quippe communis eſt, in quam vel imbecilles animi, (quales nos eſſe fatemur) exiguas vires ſuas communis pietatis aſſertrices conferre debeant.*

III. *Quanti verò ſit ponderis ad rem grandem hanc bonos Magiſtros Novitiorum ſuppetere, nemo adeò cæcus eſt, qui non facile perſpiciat. Si enim ad hoſtes debellandos ſtrenuos milites adeſſe neceſſe eſt; quis duces ſtrenuos, quorum militari prudentia victoriæ parantur, non imprimis expetendos affirmet? Porrò in hunc modum, ſi ad procul arcenda, quæ imminent, vel ad convellenda, quæ inſunt Religionum vitia (quæ ſunt hoſtes ſæviſſimi) Novitios benè inſtructos ex omnium ſapientum conſenſione impensè optamus: quis bonum Inſtructorem, qui graviſſimæ, ac difficillimæ culturæ partes expleat, non potiſſimùm optandum exiſtimet?*

IV. *Ratio planè perſpicua, functio planè ardua, & velut inacceſſis ſcopulis obſepta eſt. Nos verò divina primùm ope freti, Sanctorum deinde ſcriptis ac ſpiritualium virorum conſiliis adiuti, experientia demum annorum, quibus hoc ſanctum magiſterium à Superioribus injunctum geſſimus, confirmati, quàm breviſſimè potuimus, omnia, que ad bonì educatoris officium pertinere viſa ſunt, in quatuor hujus libri partes diſcrevimus, ac perſecuti ſumus.*

V. *In prima ſcripſimus de Magiſtri virtutibus, in ſecunda de Magiſtri prudentia, in tertia de doctrina Novitiis à Magiſtro tradenda, in quarta de exercitiis, & varia Novitiorum diſciplina. Quæ certè omnia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio ſubiicimus.*

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ DISCALCEATI.

INSTRUCTIO MAGISTRI NOVITIORUM.

PARS PRIMA.

De Magiſtri virtutibus.

Scrip. An. 1607.

CAPUT I.

De humilitate.

A

Matt.11.29.

B

Humilitas Novitiorum Magiſtro cō mendata.

Quibus oporteat clarere virtutibus eum, qui aliorum præceptor conſtituitur, Jeſus Chriſtus Sapientia noſtra diſertè ſignificavit ajens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: ac ſi planiùs ſic effatus fuiſſet: Idoneus præceptor ſum, ut à me diſcatis: rationemque ſubtexuit dicens: Quia mitis ſum, & humilis corde; quaſi apertiùs diceret: Ratio, ob quam diſcipuli mei eſſe, & in doctrina mea diſcenda operam ponere debetis, in promptu eſt; quia non Magiſter ſuperbus, & impatiens, ſed affabilis, & manſuetus ſum, ac proinde dulciſſimo vos magiſterio ſolabor, & inſtruam. Ad hoc igitur exemplar Novitiorum Magiſter formandus eſt: quocirca in ejus inſtructione humilitas, & manſuetudo primo loco tractandæ ſunt. Humilitas velut virtutum cæterarum fundamentum hoc capite tradetur; manſuetudinem capite ſecundo trademus. Quanam humilitate Magiſter præſtare debeat, vel ex hac ratione perſpicitur, quòd Sapientia excellere debet, ea videlicet Sapientia, quæ latet prudentes hujus ſæculi filios. Omnino enim verum eſt, quantavis doctrina, & ingenii perſpicacitate quis polleat, non poſſe hujus Magiſterii partes explere, niſi divino lumine illuſtretur; quod & rei tractandæ ſumma, humaniſque conatibus inacceſſa difficultas, & experientia quotidiana convincunt. Illuſtrabitur autem, ſi humilis eſſe ſtuduerit, ſicut ſcriptum eſt: *Abſcondiſti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Magiſter ergo ſibi perſuadeat, fruſtra ſe conaturum, quibuſcumque dotibus præditus ſit, niſi humilia de ſe cogitaverit, ſeriòque ſenſerit; & eo ſui ipſius deſpectu ſibi diffidens, ad fontem Sapientiæ, pro idonea ad diſcernendum judicium luce recurrerit. Eo quippè ipſo, quod ſibi ſatis ſapere videatur; æqua Dei vindicta errare ſinetur, & ad æternum lumen confugere non aſſueſcens, in dies ſingulos magis excæcabitur. Quicquid ergo didicerit, creberrimis humilitatis actibus Jeſu Chriſto ſubiiciat; & ſtultum, ac ignarum ſe eſſe exiſtimans, Sapientiam quotidianis precibus, & ſacrificio poſtulet, ut à recto itinere aberrare minimè permittatur. Suppetunt efficaciſſimæ rationes, & exempla ad hoc humilitatis ſtudium amplectendum. Rationes in hunc modum indicamus.

C

Matt.11.25.

D

Rationes quibus humilitatis ſtudium Magiſtro cōmendatur.

Prima ratio.

II. Prima Ratio. Statuamus Magiſtrum Novitiorum eſſe planè doctiſſimum. Certè ſi doctrina præcellit, ſciat neceſſe eſt, pravum

Scrip. An. 1670.

vum eſſe cor hominis, & inſcrûtabile, ſolique Deo ſinus illius multiplices patere. Quomodo ergo ſine infuſo Dei lumine quod eſt, humilium privilegium, Novitiorum corda, quæ explorare neceſſe eſt, perſcrutabitur? Rationis hujus pondus immenſum eſt. Homines quippe ſæculi vitiis, & fraudibus aſſueti, ii præſertim, qui ſunt majores natu, quorum conſcientiæ ſolent eſſe laqueis multis implicitæ, quomodo abſque peculiari Dei luce, quæ cordis oculos illuſtret, prudenter regentur?

A

Secunda ratio.

III. Ratio ſecunda. Inter viros rerum divinarum peritos conſtitutum eſt, clara ingenia, & doctrinis multis exculta non modò, quando per incogitantiam in educatione Novitiorum quicquam attentarunt, verùm etiam quando ex præmeditatione id aggreſſa ſunt, in ſpirituum diſcretione, ſive directione graviter erraſſe. Cùm igitur hoc perſpectum, & experientia probatum ſit, manifeſtum efficitur, aliquid defuiſſe, propter quod erratum ſit. At non defuit ingenii vis, non doctrina, non præmeditatio. Defuit ergo lux cœleſtis, & Spiritus Sancti directio, qua humilia corda reguntur; ac eo ipſo patet defuiſſe Magiſtri humilitatem, quæ ope divina, non ſuo quidem ingenio, vel doctrina niteretur.

B

Tertia ratio.

IV. Ratio tertia. Si Theologicè rem expendamus, certum eſt, præter habitum ſcientiæ, & divinam illius habitus conſervationem, ſine qua in nihilum abiret, ad actualem ſcientiæ applicationem Dei auxilium requiri, ſine quo quantumvis egregia ſcientia nullum actum produceret. Quæ quidem Theologica ratio ubique vera eſt; at ubi agitur de actu ſupernaturali non quocumque, ſed eximio, ubi copioſiùs Dei lumen adeſſe deberet, manifeſtiùs ſuam vim, & veritatem oſtentat. Jam igitur hac ratione poſita, quis non videat, animos ſibi fidentes, & ope divina ſe ad actus frequentiſſimos egere non adeò humiliter ſentientes, tamquam oculis captos, in ſubtili rerum internarum judicio hallucinaturos? Profectò ſive Magiſter ſit doctrina excultiſſimus, ſive mediocriter peritus, unum ſupereſt ad errores vitandos remedium; ut ſcilicet coram Divina Majeſtate ſe proſternat, & (quod ad regnum adminiſtrandum egit Salomon) humillimo ſenſu Dei ſapientiam, & bonitatem imploret.

C

Joſeph humilitas notata.

David humilitas notata.

2. *Reg.6.22.*

V. Non deſunt ad rem confirmandam exempla permulta. Joſeph erat humillimus corde; qui, poſtquam Ægyptii humiliaverunt in compedibus animam ejus, agente Deo, conſtitutus eſt Ægypti Princeps, & aulæ Pharaonis quaſi Magiſter, ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret. David erat ſimiliter humillimus corde; qui accepto quoque regno dum ſaltaret coram arca fœderis, dixit; Humilis ero in oculis meis. Propterea regno, & magiſterio rerum divinarum idoneus fuit jam inde à principio, quando Deus cordium cognitor de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Jacob ſervuum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. Sic non modò temporali adminiſtratione ſed mirabili divini cultus amplificatione pavit eos in innocentia cordis ſui. Suppetunt exempla recentiora non tantùm Sancti Franciſci, & Dominici, quos bonos Novitiorum educatores humilitas uſque ad ſtuporem admiranda fecit; ſed aliorum quoque, qui, hac ætate noſtra ſuperſtites ſunt, vel paulò antè defuncti: quæ à Magiſtris ignorari non decet.

D

SS. Franciſci & Dominici humilitas cõmendata.

E

Tria pro Magiſtro monita.

Primum.

Secundum.

Tertium.

VI. His ergo rationibus, & exemplis Magiſter ad humilitatis cultum animetur, & tria monita opportuniſſima, ſi Novitiorum cordibus potiri cupit, obſervet. Primum, ut internos humilitatis actus frequenter exerceat, propriæ cognitionis, & fragilitatis memor. Secundum, ut nonnullos etiam externos humilitatis actus inter diſcipulos ipſos obeat, vel ægrotantium cellas everrens, vel matulas, & trullas eluens, vel obſoletas, laceraſque Novitiorum veſtes reſarciens, vel ſordidos diſcipulorum pedes lavans, vel ſimilia alia humilitatis officia exequens: quæ certè obſequia, ſi alacriter præſtentur, ad animos vehementer commovendos plurimùm valent. Tertium monitum eſt, ut à quovis alio, à ſenioribus præſertim, & expertis diſcere, & ſciſcitari non dedignetur. Quòd ſi ſcire cupit, quo pacto & tria monita hæc, & alia quævis efficaciter obſervare poſſit, reſponſio in promptu eſt: nimirum, ut virtutem humilitatis plurimi faciat, & ejus honeſtatem, ac ſuavitatem aſſiduè contempletur. Apparebit enim omni decore mundi formoſior, & bonum tantæ pulchritudinis æſtimatorem alliciet. Poterit autem uti precatione hac ad pretioſiſſimam virtutem hanc impetrandam: Humillime Rex cordium Jeſu Chriſte, per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus viſitaſti nos oriens ex alto, obſecro te, creare digneris in me cor humile, & purum, cupidiſſimum ſecretæ eruditionis tuæ: ut in ſchola humilium diſcipulorum tuorum fiam dono tuo ſapiens ad regendam ſine deceptione novellam prolem dulciſſimæ Genitricis tuæ.

F

Ad humilitatem impetrandam deprecatio.

G

CAPUT II.

De Manſuetudine.

Ad functiones Magiſtri obeundas, quæ requiruntur?

I. DUO ſunt, quæ ad Magiſtri functiones perfectè obeundas potiſſimùm requiruntur, doctrina ſcilicet pluſquàm humana, & exemplum. Primum obtinetur humilitate, per quam, velut per quemdam aquæ ductum Sapientia cœleſtis in animam vilia de ſe opinantem derivatur, ut ſpiritu divino plena paſcat tyrones verbo: alterum præſtat manſuetudo, quæ dum animum nullis occaſionibus perturbari ſinit, & externam converſationem ſedatam, & moderatam producit, utiliſſimum, & jucundiſſimum vitæ præbet exemplum. Cujus certè ve-

H

Scrip. An. 1607.

veritatis ratio ſatis per ſe perſpicua eſt. Reddit enim manſuetudinis virtus hominem ab omnibus incompoſitis motibus; quibus proximus offenditur, alienum: ut nec injuria laceſſitus, nec contumeliis affectus, nec importunis negotiis interpellatus, à ſua tranquillitate dimoveatur: quæ hominis planè cœleſtis imago eſt. Quàm ſit autem cultura virtutis hujus Novitiorum Magiſtro neceſſaria ſatis convincitur verbis illis proximo capite à Chriſto allatis: *Diſcite à me quia mitis ſum*. Chriſtus enim, dum diſcipulos recenter vocatos adhuc rudes erudiret, Magiſtrum ſanè Novitiorum ad vivum repræſentavit: ut neceſſe non ſit, aliud Magiſtrorum exemplar intueri. Sed ad tractatus perfectionem rationes aliquot idem evincentes producere conſilium eſt.

Manſuetudinis effectus.

A

Matth. 11.29.

Prima ratio.

II. Ratio prima hac in re. Qui laborioſum magiſtratum gerunt, & ſubeuntia tædia patiuntur, rebus quoque politicè perpenſis, ſive Chriſtiani, ſive Infideles ſint, enituntur ſimulatam ſaltem aliquam manſuetudinem exhibere. Non enim ad ſuperiores honores, & lucra ſe aſcenſuros ſperant, ſi impatienter agant, & negotiorum geſtores irati deterreant. Neque opus eſt, veritatem hanc univerſarum nationum conſenſione probatam, nimiſque notam aliis argumentis confirmare. Erit ergo è Magiſtri Novitiorum, laborioſam præfecturam gerentis officio, non fictam, qualem, qui Deum non curant, ſed veram, quæ imitatores Jeſu Chriſti deceat, manſuetudinem & corde concipere, & mitiſsimis actibus externis præ ſe ferre. Et quidem ratio hæc à genere petita eſt.

B

Secunda ratio.

C

III. Ratio ſecunda, quæ ab ſpecie gubernationis ducitur, & propinquior eſt. Neminem Monaſticæ diſciplinæ peritum latere poteſt, functionem Magiſtri Novitiorum eſſe operoſiſsimam. Nullum quippe tempus ſive diurnum, ſive nocturnum ab accurata novarum plantarum cuſtodia excipiendum eſt: neque ullum in re ruſtica culturæ genus reperitur, quod tam vigilem, ac indefeſſum cultorem requirat. Adſunt ingenia multiplicia, hæc acria, illa languida, hæc doloſa, illa ſimplicia, hæc tarda, illa velocia: quæ tam longè diſcrepantia ad unam methodum redigere nimis laborioſum eſt. Adſunt Novitii rudes publicè, & privatim erudiendi: adſunt tentati roborandi, & inſtruendi: adſunt malè affecti indulgenter interdum tractandi: adſunt mortificationis incurioſi paſsim admonendi: adſunt importuni identidem tolerandi. Succedunt exercitia multiplicia inter ſe fere contigua, quibus Magiſter debet intereſſe. Occurrunt innumeræ minutiores cæremoniæ, quas debet obſervare, & ad horas pene ſingulas aliis inculcare. Redeunt in orbem ſacræ Confeſsiones, & Communiones frequentiſsimæ. Subeſt cura multiplex rerum temporalium, puta veſtium, librorum, & aliorum ſimilium; ſubeſt & cura valetudinis, & varia rerum, quas percenſere non poſſumus, ſollicitudo, quæ valida quoque corpora facilè enervat. Quæ certè omnia ſi quis in unum congerat, & alia plurima inopinata, quæ Magiſtro nolenti occurrunt, circumſpiciat; fatebitur proculdubiò, Magiſtrum Novitiorum virtute manſuetudinis ita præmunitum eſſe debere, ut ad omnem eventum paratus, etiamſi iræ, vel triſtitiæ paſſionibus intus vexetur, exteriorem ſaltem manſuetudinis formam numquam deponat.

Quibus nam exercitiis Magiſter intereſſe debeat?

D

Manſuetudo Magiſtrò cōmendata.

E

Tertia ratio.

IV. Ratio tertia petitur à graviſſimis damnis, quæ ex manſuetudinis incuria naſcuntur. Si enim Magiſter iraſci aſſueverit, per occaſiones multiplices, quæ ſibi juſtæ videantur; cum eæ occaſiones ad horas ſingulas occurrant, profectò iram in conſuetudinem vertet, & converſationis dulcedinem ad moderandos aliorum animos ſummoperè neceſſariam in aſperitatem operum, ac verborum trahet. Hinc exoritur animorum alienatio; nam qui mortificationis doctrinam nondum didicere, aſperitate proculdubiò terrebuntur. Hinc enaſcitur genus quoddam odii, quo Novitii vexari incipiunt, ne conſilia Magiſtri parum mitis amplectantur. Hinc exiſtit multiplex tentatio, quæ multos à Clauſtro in ſæculum, unde benè receſſerant, repellit. Hinc denique pullulat ſylva malorum multorum ſpiritualem profectum impedientium, quæ veteranis Monachis notiſſima eſt. Etenim præter rationes efficaciſſimas ex clariſſimis exemplis Magiſter ediſcet, ſe abſque manſuetudine inſigni non poſſe utiliter præeſſe. Præfuit ſalubriter novo Dei populo in unum congregato Moyſes: at erat vir mitiſſimus ſuper omnes, qui morabantur in terra. Præfuit ſanctè David: at extant plura monumenta humilitatis & omnis manſuetudinis ejus. Præfuit glorioſè Monachorum Pater Benedictus: at iis, qui venenum propinabant, neſciebat iraſci. Præfuere cum laude cæteri Diſciplinæ Monaſticæ conditores, aut propagatores, quibus paruit contemptrix mundi juventus: at ſi quis eorum hiſtorias recolat, mitiſſimos animos admirabitur. Curet ergo Magiſter Novitiorum Chriſti manſuetudinem toto pectore haurire, & actibus externis repræſentare. Exhibeat vultum hilarem, ac mitem, qui novorum Fratrum animos alliciat. Nullis diſcipulorum culpis irritatus, nullis importunitatibus victus, nulla fragilitate commotus, nullam ruditatem faſtidiens, ita ſe gerat, ut nullus quantumvis moroſus, & rudis, ſcrupuloſus, aut fragilis eum adire die, nocteque vereatur. Quin etiam ſtudeat ſe adeò facilem omnibus exhibere, ut Novitii nullo negotio animadvertere poſſint, ſe Magiſtrum mitem, Dei munere, fuiſſe ſortitos. Hac enim facilitatis oſtenſione mirificè illos capiet, & arduam Chriſtianæ perfectionis viam ſuaviorem, & planiorem efficiet. Hac certè arte corda lapidea in carnea corda convertet, & omnem ſeveræ diſciplinæ rigo-

F

Moyſes ejuſque manſuetudo notata.

G

S. Patris Benedicti manſuetudo notata.

Magiſtri Novitiorum characteres.

H

Scrip. An. 1607.

rigorem temperabit. Quia verò quamdiu mortales ſumus, & occaſionibus præſertim juſtis urgemur, iræ ex imperio rationis excitatæ locus patet, ſicut ſcriptum eſt, *Iraſcimini, & nolite peccare*; oportet Magiſtrum iraſcendi modum addiſcere, qui Novitiorum culpas depellat, & animos minimè alienet. Verum modum hunc accurata obſervatione dignum in proximo capite de charitate, & in ſubſequenti de zelo trademus.

Pſal. 4. 5.

A

Agitur de culparum correptione in capit. de Charitate, & in capit. de Zelo.

CAPUT III.

De charitate.

I. DIvinæ charitatis virtus actus duos, quaſi gemellos Fratres ex utero uno producit, amorem ſcilicet Dei, ac proximi. Hîc verò non de actu illo, & velut filio primogenito, qui eſt Dei amor, agemus.

Filus charitatis primogenitus qualis?

Etſi enim Magiſter Novitiorum divini amoris debeat eſſe ſtudioſiſſimus: tractatio tamen hæc amoris potiùs proximorum practicam doctrinam requirit.

B

Primùm ergò Magiſter conſideret, ſe novorum Fratrum non patrem ſolummodo, ſed matrem quoque eſſe debere; quo nihil aptius cogitare poterit, ad menſuram charitatis, qua flagrare debet, explendam. Si enim paterni ſimul, ac materni amoris officia copulet, nihil deſiderabitur ad ſui officii, ſeu magiſterii metam attingendam.

Magiſter Mater Novitiorum adpellatus.

Etenim parentes filiis in poſterum theſaurizant: matres præſenti officio amoris fovent. In hunc igitur modum ſpiritualibus conſiliis, & exercitiis Magiſter quaſi pater Novitios inſtruat, ut theſauros nondum apparentes in cœlo recondant. Eoſdem verò præſentibus charitatis obſequiis, velut mater conſoletur, ut animis, corporibuſque medeatur.

C

Det operam, ut ſeipſum ſingulis attemperet; ſingulorum curam affectu tenerrimo gerat, animæ ſimul & corpori pro neceſſitate provideat: ſitque non animo ſolùm benevolus, ſed inſigni etiam verborum, & operum oſtenſione beneficus, quemadmodum quoad affectus, verba, & opera ſigillatim tradere paramus. Quod ad affectus attinet, ut Magiſter officio ſatisfaciat, cor in Deum intendens, amore puriſſimo unumquemque proſequatur, ita erga ſingulos benè affectus, ut ardenter admodum ſingulorum ſalutem, & perfectionem cupiat, eamque à Domino quotidianis gemitibus flagitet. Omnino verò altàris ſacrificium pro iis, quorum gerit curam, per dies ſingulos, offerre meminerit, imitatione illius, qui ſacrificans dicebat: *Ne fortè peccaverint filii mei*.

D

Iob. 4. 5.

Quòd ſi, propter culpas, teporem ſpiritus, ruditatem, vel alias ejus generis cauſas, ſentiat amorem erga aliquem deferveſcere; multo conatu, & orationis inſtantia eam tentationem propulſare nitatur. Coniiciat oculos in Magiſtrum cœleſtem, ac dulciſſimum Redemptorem noſtrum, qui Apoſtolos rudes, abiectos & multis etiam paſſionibus obnoxios numquam faſtidivit. Sed amavit eos, pertulit eos, & ſuaviſſima dilectione erudivit eos. E contrario, ſi aliqua de cauſa, puta ob eximiam virtutem ingenii perſpicacitatem, aut alias naturæ, ſeu divinæ gratiæ dotes, ſentiat, ſe in aliquem fieri propenſiorem, quàm in alios; attentè conſideret, ne amoris modum excedat.

E

Etſi enim is affectus ferri poſſit, quando ob egregiam ſanctitatem, vel etiam dotes alias bonas generatur, nec exui poſſit, quoties libet, timendum eſt tamen, ne degeneret, ut cùm bono ſpiritu cœperit, ſpiritu non bono conſummetur. Quamdiu autem is affectus ſervet (& ſecluſo eo ſingulari affectu universè quovis tempore, & loco, ubi ab aliis poſſit deprehendi) cavere debet, ne ſingulari verborum, & operum oſtenſione aliquem ſe præ aliis amare ſignificet.

Singularis affectus erga aliquem Novitium Magiſtro interdictus.

Nocebit enim aliis vehementer, ſi rem hanc minùs cautè perpenderit. Dum enim uni dumtaxat coram aliis ejuſdem boni avidis beneficium confertur, ægrè ferunt alii, eo ſe privari, & ſibi alium quemvis anteponi. Sit ergo æquus magiſter, & bonus boni communis æſtimator. Hæc de affectu.

F

II. Quod ad ſermonem ſpectat, ſtudeat Magiſter ſive privatis in colloquiis, ſive in communibus exhortationibus, ſive etiam in culparum correptionibus, verba melle charitatis imbuere, & ſermonem ſpiritu lenitatis temperare, certoque ſibi perſuadeat, verborum aſperitatem, nedum contumelioſas increpationes ſpirituali profectui viam præcludere. Aut enim ejuſmodi verba corde ſummiſſo audiuntur, aut ſecùs. Si ſecùs, exploratum eſt, cor inde magis obdurari, & correptoris odium concipere. Si patienter audiuntur, timor ut plurimùm non filialis, ſed ſervilis, ac proinde violentus generatur.

G

Omninò autem compertum eſt, ad perfectam charitatem eo timore corda parum proficere. Si autem lenis ſermo ſit, ita ut non præceps aliqua paſſio, ſed Chriſti charitas eum proferre videatur, ſenſim illabitur in cor, & illud emollit.

Sermo lenis Magiſtro præceptus.

Aſperiora quippe verba quaſi jacula cor elidit, ne vulneretur; lenia verò quaſi mollia quædam fomenta libenter accipit. Quocirca Jeſus Chriſtus ipſe Magiſtrorum exemplar ſuaviſſimis potiùs inſtructionibus, quàm increpationibus rudes adhuc diſcipulos erudiebat. Cujus in ſchola Paulus eruditus methodum correptionum præſcripſit ajens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*.

Ad Gal. 6. 1.

Non inquit, arguite, corripite, vel aliquid ejuſmodi, ſed inſtruite. Neque inquit, Vos inſtruite, ſed, Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite: ac ſi apertiùs dixiſſet, non eſſe virorum ſpiritualium, hoc eſt, eorum, qui à Spiritu Sancto aguntur, invehi, vel commoveri adverſus delinquentes; ſed potiùs verborum, & actuum lenitate illos non tam carpere, quam ad ſalutem inſtruere.

H

Scripta An. 1607.

III. Jam verò ſi in culparum correptione, ubi culpæ id videntur expoſcere, adhuc oportet lenire ſermonem; minimè dubium erit, in exhortationibus ad virtutes acquirendas, vitia extirpanda, mundum contemnendum, & ſimilibus aliis non eſſe miſcenda acria verba: Ex eo, inquam, verborum genere, quibus nonnulli concionatores ad Chriſtianam perfectionem nituntur cor violenter impellere. Sint ergo verba Magiſtri ſuavia, & Spiritus Sancti unctione delinita: & iis planè verbis certò ſperet, ſe corda Novitiorum, quaſi jaculis confixurum. Sic enim Spiritu Jeſu Chriſti agetur, tanquam idoneus ejus miniſter, ejus nempe, de quo ſcriptum eſt: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum: & ipſi ſunt jacula.* Si verò culpæ (ut decet) corripiendæ ſint, culpam ſic à perſona ſecernat, ut interim dum culpam reprehendit, perſonam diligere videatur. Quod certè aſſequetur, ſi abſtractè culpæ deformitatem repræſentet, ut perſonæ ipſi diſpliceat, & perſonam intercalatis verbis blandè alloquatur, tamquàm rem ſanè amabilem, & à culpæ turpitudine longè diverſam. Vitet, quoad poterit, verba Magiſterii auctoritatem redolentia: & velut unus è diſcipulis, non quaſi jam perfectionem adeptus, verùm tamquàm in agone contendens, & ſequens, ſi quo modo comprehendat, comitem, & participem laborum ſe illis adjungat. Sic enim cordibus illorum dominabitur. Hæc de verbis.

A

Pſ. 54. 22.

Quomodo ſe gerere debeat in correptione culparum.

B

IV. Quod verò ad opera pertinet. Singulari amoris ſignificatione non ſolùm in ſpiritualibus, quæ potiorem locum obtinent, ſed etiam in corporalibus neceſſitatibus diſcipulis adſit, ſive valeant, ſive ægrotent. Et nonnullas quotidianæ diſciplinæ intermiſſiones, cùm eos refectione, ſomno, vel aliis commoditatibus indigere deprehendit, indulgeat. Quin etiam & tempus antevertat, aliquaſque ejuſmodi modicas, & raras intermiſſiones non uſque adeò neceſſarias, iis præſertim, qui ſunt natu minores, & delicatiores, per obedientiam injungat. Vix enim dici poteſt, quantam vim ejuſmodi patris in filios indulgentia habeat ad curſum perfectionis incitandum. Adoleſcentes quippe, quos auſteritatis metus à ſtatu Monaſtico retardabat, quique externa tantummodo hæc corporis incommoda formidabant (nam luctas internas his graviores non didicerant) cùm animadvertunt, Magiſtrum non ad eos laboribus vexandos, ſed potiùs recreandos eſſe pronum; carnis curam in eum coniiciunt, quem benignum experiuntur, & liberiùs ſe totos ſpiritualibus exercitiis tradunt. Contrà verò, ſi in eo genere Magiſtrum ſeverum offendant, non modò non celeriùs currunt, verùm præ anxietate, & metu ſeveritatis aut ſui curam non deponunt, aut certè ab incepto Monaſticæ vitæ ſtatu deſiſtunt.

C

Magiſter cum quibus indulgentior ſeſe exhibere debeat?

D

V. Jam igitur, ſi corporalia adeò commendanda ſunt ad novas Dei plantas colendas, quid hìc de charitatis actibus ad ſpiritum alendum præſtandis addendum eſſet? Nemo magiſterio iſto dignus cenſendus eſt, qui cum infirmis, Apoſtoli more, non infirmatur, qui cum aliis ſcandala patiuntur, non uritur. Intueatur ergo Magiſter, poſt Jeſum Chriſtum Redemptorem noſtrum, qui eſt primum exemplar, Pauli Apoſtoli animum, & actus ad officium hoc explendum opportuniſſimos. Suo enim officio exactè ſatisfaciet, ſi Apoſtolum repræſentare ſtuduerit. Exhibuit quippe ſe, uno præſertim charitatis officio in Eccleſiæ naſcentis filios, qualem in Clauſtro ſe gerere debet Magiſter erga recenter indutos. Eò uſque enim flagravit in filios, quos in Chriſto genuerat, & ſemel ac iterum parturire conſueverat; ut multiplici transformatione, modò in patrem, modò in matrem, modò etiam in nutricem mutatus, ſingulorum perſonas induens, ſingulorum mala patiens, ſingulorum bonis exultans, omnibus omnia fieret, ut omnes faceret ſalvos. Quocirca non modò iis præſcriptionibus, quæ de affectibus, verbis, & operibus ſuperiùs traditæ ſunt, ſed & quibuſvis aliis modis, quos ei divinus Spiritus ſuggeſſerit, in corda diſcipulorum ſe inſinuare, & ſingulorum quaſi nutrix fieri curet. Quicquid autem in hoc genere laboris poſuerit, eò directurum eſt, ut corda diſcipulorum capiat, & eos, juxta Apoſtoli documentum, quaſi virgines caſtas uni viro, hoc eſt, Chriſto deſpondeat. Fieri quippe non poteſt, ut per juſtitiæ vias eos fœliciter ducat, & Chriſto conjungat, niſi ab eis ametur. Neceſſe enim eſt, ut ſine ambiguitate ulla Novitii Magiſtro ſuo, omnes affectus ſuos proſperos, ſive adverſos, motus omnes, paſſiones, tentationes, conſolationes, deſolationes, ac denique bona, & mala univerſa, quibus quovis modo afficiuntur, poſito timore, verecundia, ſeu quocumque alio reſpectu, fidentiſſimè detegant. Quomodo verò inducentur ad res has difficiles ſuperandas, & ſecreta hæc aperienda ei, quem minimè diligunt? Profectò ſine amore, ac fiducia inde orta victoria hæc neutiquam ſperanda eſt. Cùm ergo exploratum ſit ſine victoria cordium Magiſtrum ſpiritualibus morbis Novitiorum non poſſe ſuccurrere, neque verò ſanari incipientes perſanare; navet operam, ut ab eis, quos impenſè amare debet, reciprocè ametur. Et hanc unam è potiſſimis præceptionibus, quæ ad ſpiritualem profectum tradi ſolent, exiſtimet. Excogitet modos, quibus opportunè utatur ad diſcipulos erga ſeipſum adeò benè afficiendos, ut quantumvis paſſionibus, & tentationibus agitati non quærant peregrina aliorum Religioſorum ſolatia: ſed in uno Magiſtro omne remedium, ac ſolatium ſe habere confidant. Et ut nihil intentatum in hoc Chriſtianæ charitatis officio relinquat; paternis viſceribus eos hortetur ad interiores omnes perturbationes ſibi detegendas, diſertè ajens, rem fore ſibi jucundiſſimam, tametſi diuturnam, & graviſſi-

Primum exemplar a Magiſtro ſequendum, quale?

E

F

G

H

Quid a Novitiis Magiſtro detegendum?

viſſimam inferendæ Magiſtro mortis tentationem aperirent. Et ne verba levia eſſe videantur, ſi quando aliquis gravia tentamenta revelet, illum amantiſſimè audiat, & ſingulari amoris oſtenſione peculiarem illius curam gerat. Sic enim breviùs, quàm explicari poſſit, animi vehementer commoti, dulciſſimæque charitatis ſtimulo incitati, viam, quam per menſes fortaſſe multos aggredi formidarunt, paucorum dierum alacritate conficient. Sic etiam ex uno Magiſtri experimento convicti in ſupervenientibus afflictionum, & paſſionum motibus, ad eumdem celeriùs, & fidentiùs revertentur, ejuſque monita tenaciùs apprehendent. Ut verò diſcipulis omnibus fiduciam ingeneret, noxiumque illis pudorem, ſeu timorem adimat, primos interdum imperfectionum motus, quos patitur, illis prudenter detegat: ut ii non eum Magiſtrum ſe habere credant, qui non poſſit compati infirmitatibus eorum.

VI. Hæc de charitate, tenuiter quidem, pro tantæ virtutis dignitate, & neceſſaria Magiſtri inſtructione notavimus. Verùm graviter admonemus, debere Magiſtrum è capitibus, & quaſi fontibus his plurima alia, ad quotidianos, & multiplices eventus ſtudio multo derivare, ſi velit novam Dei prolem (ut decet) excolere. Poſtulet à Deo Sapientiam hanc, & dabitur ei affluenter; & lapides vivos ad ſtructuram cœleſtis Jeruſalem exquiſitos, quos habet in manibus, ut Sapiens architectus coaptabit.

CAPUT IV.

De Zelo.

Pſal. 68. 10.

Zelotypiæ & zeli diſcrimen

Magiſter qualis eſſe debeat?

I. NEceſſe eſt eum, qui boni communis non cujuſvis, ſed plane maximi curam gerit, ita Dei zelo flagrare, ut verè dicere queat: Zelus domus tuæ comedit me. Zelus hic ſtimulus quidam, & divini amoris effectus eſt, à zelo, ſeu zelotypia corporeæ pulchritudinis alieniſſimus. Zelotypia quippe conſortes rei, in quam fertur, ferre non valet: Dei verò zelus univerſas creaturas pro captu quamque ſuo in divinæ bonitatis, quam reſpicit, conſortium admittit, ac pro viribus inducit. Hoc ergo zelo Magiſter ardentiſſimæ charitatis igne ſuccenſus æſtuare debet: ut videlicet non modò eos, quos regit, in Dei conſortium, & Monaſticæ perfectionis culmen nitatur perducere; verùm, & eò zeli pertingat, ut vix ferre valeat ullum eorum, quos educat, eſſe Chriſtianæ illius perfectionis exortem. Ex eo quippe zelo in opus ſibi creditum totus incumbet, dabitque operam, ut Novitii omnes curſum perfectionis certis legibus, & ritibus percurrendum conſtanti æmulatione conficiant. Quia verò ex hoc ipſo zelo multa Magiſter erga alios in culparum correptione, legumque obſervatione effecturus eſt, in quibus oportet cum labe carere: omnino ſibi perſuadeat potiſſimum ejus zeli fructum, propriam eſſe juſtitiam; nec zelum eſſe, ſed audaciam, vel cæcitatem nimiam, dum ipſe lentè procedit, neque de ſe corrigendo ſeriò cogitat, alios ad profectum grandi verborum exaggeratione perurgere. Se quippe ipſum eiſdem adhortationibus, quibus alios inſtruit, proculdubiò arguit, & vitæ ſuæ deformitatem apertiùs, quàm ſi taceret, oſtentat: atque per hoc ipſum nihil dicendo proficit. Sit ergo Magiſter irreprehenſibili integritate conſpicuus, Inſtitutique proprii fidiſſimus obſervator. In regulæ, conſtitutionum, inſtructionum, & cæremoniarum obſervatione ſit maximè ſedulus: & in paſſionum, ac ſenſuum mortificatione, ſtudioque virtutum eſſe curet eximius. Hæc nimirum omnia zeli lex à Magiſtro exactè requirit, ut inculpata ejus vita Novitios inſtruat, corripiat, hortetur, atque perficiat. Et hæc quidem Magiſtri animo perenniter impreſſa permaneant. Quando verò diſcipulos moniturus, vel correpturus eſt, priùs introſpiciat, ſi fortè bono, ad quod alios exhortari cupit, ipſe careat, vel malo, à quo alios cogitat dehortari, laboret: ne cùm aliis prædicaverit, ipſe reprobus fiat. Poſtquam ergo Dei zelo Magiſter ſeipſum examinaverit, & compoſuerit, ad diſcipulorum profectum ſeriò admodum eum zelum exercebit, ſive in culparum correptione, ſine in adhortatione ad paſſiones ſubjugandas, ac virtutes acquirendas, ſive in aſſiduis monitis ad inſtituti, ac legum propriarum amorem, & obſervationem, quæ ſunt tria capita exercendo erga Novitios zelo oportuniſſima, ordine obſervato tractanda.

Quo zelo culparum correptio facienda?

Radices culparum extirpandæ.

II. Quod attinet ad caput primum, hoc eſt, ad zelum, quo culpæ redargui debent, neceſſe eſt duo expendere, radicem videlicet, ac ſpeciem culparum. Radices ſunt habitus vitioſi, conſuetudines pravæ, & paſſiones indomitæ, in quas debet Magiſter falcem mittere. Quamdiù enim non reſecantur, culpas germinabunt. In ſpecie culparum, ex objecto, & circumſtantiis, & ex lege, in quam peccatur, gravitatem metimur. Gravior enim (quod ad leges ſpectat) culpa eſt, Decalogi, quàm regulæ, regulæ quàm conſtitutionum, conſtitutionum, quàm cæremoniarum tranſgreſſio. Erga culpas igitur univerſas attentè Magiſter inſpiciat radicem, & voluntatem cum ſpecie culparum. Radicem quidem, ut in correptionibus, & remediis adhibendis, ſemper ad eam extirpandam animum intendat: & diſcipulos ad eam dignoſcendam erudiat. Immenſæ quippe utilitatis eſt, ut qui ſpiritualibus morbis, hoc eſt, vitiis ægrotant, ſe iis pravis affectibus laborare cognoſcant, crebroque conſiderent, ut remedia quærant, & exerceant. Ex defectu enim doctrinæ hujus in Religionibus jam laxatis infœlices Religioſi graviter affecti tanquàm phrenetici ad mortem uſque laborant, neque remedium exquirunt

runt. Voluntatem verò cum ſpecie culparum Magiſter ponderabit: ut nec tam acriter corripiat, quàm exigit culpæ ſpecies, ſi parùm voluntaria fuerit: nec tam ſuaviter, ſi voluntatis malitia excreverit. Solet enim Monachus vim voluntatis A tantam ad ridiculas res, quas in ſæculo neglexiſſet, conferre, quantam in divitiis, vel honoribus mundi maximis poſuiſſet. Cùm enim appetitui nondum mortificatio pinguiorem mundi paſtum abſtulerit, avidè ac rapidè fertur in ea bona apparentia, quæ intra Clauſtra valet invenire: quod oculatè notandum eſt. Poſtquàm ergo Magiſter culparum ſpecies circumſtantiaſque perpenderit, animo ſedato, ubi tempus decretum acceſſerit, ad correptionem, modo ſtatim deſcribendo, procedat. Dictum eſt, animo ſedato, debet enim accuratiſſimè cavere, ne cùm ſe intrinſecùs perturbari ſentit, aliquem corripiat; ſed correptionem in tempus animi tranquilli proroget, niſi cùm ex officii obligatione cogitur mox corripere. B Vix enim umquam perturbatus animus ſaluti proximorum profuit. Quando igitur, ſive ſedato animo, ſive propter inſtantem officii obligationem adhuc inquieto, correptio exercenda eſt; ita ſe Magiſter gerat, ut (quod in cap. de charitate monuimus) culpam à perſona diſcernat, ut pateat eum non adverſus perſonam, ſed adverſus culpam exardeſcere. Semperque, ut ſuperius dicere cœpimus, dum corripiet, non tam culparum ſuperficiem, quàm in radices earum oculos mentis diriget: ut ſcilicet noxias radices vitiorum, & paſſionum extirpet: nam quandiu non revelluntur, culpas novas germinabunt. Pinget in exhortationibus culparum turpitudinem tam exactè, ut diſcipuli vel pictas oderint, doceatque vel minima culpa plus mali, ac deformitatis C ineſſe, quàm in univerſis cruciatibus inferni. Moneat culpas etiam minimas incipientibus eſſe pernicioſas, tametſi adultis non ita nocerent. Modica enim læſio tenellam plantam areſacit, quæ non lædit adultam. Etenim ſi Novitiorum animis Dei zelo culparum execrationem ingenerare ſtuduerit; decorem domus Dei inſigniter augebit, & ad curſum perfectionis illos vehementer incitabit. Hæc de primo è tribus capitibus, ubi zelus exercendus eſt.

Deo modo in correptione ſervando

Culpæ etiam leves incipientibus pernicioſæ.

III. Caput zeli ſecundum latiſſimum Magiſtro campum aperit, dum cædendam vitiorum, paſſionumque ſylvam, & virtutum arduitatem ſuperandam obiicit. Huc quippe Magiſtri vires in communibus exhortationibus, D privatiſque colloquiis, & quovis alio communicationis genere conferendæ ſunt: & hoc proprium zeli officium eſt, ut ab iis, quos Deo conciliare cupit, auferat, quod puritati ad unionem divinam requiſitæ obſtat, & conferat (quoad per eum fieri poteſt) id, per quod unio illa cœleſtis celebranda eſt. Docebit ergo modum paſſiones mortificandi, & virtutes acquirendi, quibuſcumque mediis, modiſque valuerit: uteturque ad hunc finem inſtructione Novitiorum, ubi de re hac diſtinctè, abundèque diſſeruimus. Id quippe ipſum, quod Novitii propriam inſtructionem legentes ediſcunt, exercereque conſtituunt ad paſſionum, virtutumque victoriam, à Magiſtro vivæ E vocis oraculo tradendum, & amplificandum eſt.

Quid Magiſter docere debet Novitios?

IV. Jam verò ut tertio zeli capiti ſatiſfaciat, ubi proprii Inſtituti ratio imprimis habenda eſt, conſideret Magiſter ſe diſcipulos inſtruere ad unam unius Religionis diſciplinam, quam, ſi perfecti Religioſi eſſe velint, plurimi facere, ac intimè diligere debent. Quapropter det operam, ut ad Regulæ, Conſtitutionum, cæremoniarumque propriarum cuſtodiam ſic afficiantur; ut ex aliis diſciplinis nihil iis ſapientiùs, vel utiliùs, vel amabiliùs videri poſſit. Hortetur ſæpenumerò, ut ſint boni ſtatus proprii æſtimatores, & vel minimos ritus amore ſummo proſequi, & profuſo quoque ſanguine obſervare conſtituant. Moneat frequenter, F ut hanc unam ſuæ Religionis diſciplinam omnibus aliis anteponant. Etſi enim aliæ quoque perfectæ, aut fortaſſe perfectiores ſint; at non omnes promiſcuè ſingulis congruunt. Ordine quippe miro divinæ Sapientiæ videmus cœtus Religioſorum eſſe diſcretos; & inſtinctu diverſo alios in hæc, alios in alia clauſtra vocari: ubi arreptam ſemel peculiarem Monaſticæ vitæ rationem à Deo inſpiratam non licet alienis doctrinis poſthabere. Inſtituti ergo proprii obſervationem crebrò inculcabit: docebitque ſingulos Religionis actus, & ritus tam rigidè à veris profeſſoribus obſervari debere, quàm ſi gravia præcepta eſſent, quæ mortalis culpæ reatu tranſgreſſores innecterent. Cujus certè æſtimationis ratio identidem re- G petenda eſt, nempè, quod per ſingulas etiam leviſſimas cæremonias expreſſa Dei voluntas innoteſcat, quæ veros Monachos æquè movere debet, ac bonos ſæculares graviora præcepta moverent.

V. Sunt, & alia permulta, quæ Dei zelo Magiſtrum urgere debent, quæ ipſe in hac ipſa ſua inſtructione perſpiciet, & per ſe quoque extra Inſtructionem hanc deprehendet: quorum ſtudium illi impensè commendamus. Evigilet, qui cuſtodit Iſrael, & vulpes parvulas capiat, ne florentem vineam demoliantur. Exploret uniuſcujuſque ingenium, & mores: conſideretque, num aliquis teneris Dei fœtibus clàm noceat. Curas omnes alias abiiciat, & in hanc unam omnes animæ vires conferat. Paſcat novellum gregem ex animo, & veri paſtoris H more, univerſis communibus actibus Novitiorum interſit: zelus quippè non fert, ut ab ullis eorum actibus levi prætextu abſit. (Hìc impensè commendandum foret eorum, qui in Religionem admittuntur, examen. Sed functio hæc non ſolius Magiſtri eſt). Denique ut caput hoc monito uno, quod zeli propriiſſimum eſt, claudamus, vigilantiſſimè animadvertat, num ali-

Pro Novitiorum Magiſtro monitum.

Scrip. An. 1607.

aliquis è Novitiis ſtatu, in quem vocatus eſt, abutatur; an ſit audax, ignavus, loquax, inverecundus, piger, orationis, & præſentiæ Dei incurioſus, ad actus communes tardus, intemperans, contentioſus, aut aliis ejuſmodi vitiis notatus: & ſi poſt ſedulam culturam non ſeriò reſipiſcat, A excluſis apparentis miſericordiæ rationibus det operam, ut è Clauſtro expellatur antequam contagio vitiorum, quibus laborat, alios inficiat. Hic quippe zelus Deo acceptiſſimus, & Religioni ſaluberrimus eſt; ſine quo Magiſter quantumvis aliis virtutibus præſtaret, officii ſui partes explere nequiret.

CAPUT V.

De oratione, & ſtudio rerum divinarum.

Orationis ſtudium Magiſtro commendatum & cur? Prima ratio.

I. NEmo educationi Novitiorum jure præfici poteſt, qui orationis ſtudio deditiſſimus non ſit: quod multis rationibus evincitur. Et primùm quidem virtutes eas, quibus ad officium exequendum indiget, B non valet quantavis ſedulitate parare, ſi viribus humanis, vel ordinariis aliorum Religioſorum exercitiis dumtaxat innitatur. Eget quippe virtutibus eximiis, & ſingulari Dei ſapientia, ut ex iis, quæ de humilitate ſcripſimus, coniici poteſt. Quocirca unum ei ſupereſt remedium, ad omnia bona paranda, malaque omnia procul arcenda præſentiſſimum, orationis videlicet ſtudium, ubi perenni animi elevatione auxilium perenne depoſcitur, & impetratur.

Secunda ratio.

II. Subeſt ratio ſecunda planè efficaciſſima. Magiſter enim ita rerum divinarum debet eſſe conſultus, ut plurimas, & quotidianas difficultates Novitiis in oratione ſubortas facilè dirimere poſſit. At quomodo C dubia diſſolvet, qui ejus doctrinæ imperitus eſt? Augetur hujus rationis vis, ſi eventus multiplices, in quibus Novitii anxiè laborant, expendamus. Experimentis enim plurimis novimus, Angelum Satanæ pro lucis Angelo novis Religioſis adhuc rudibus ſeipſum obtrudere: quomodo ergo verum à falſo ſecernet, qui modicè ſpiritualis eſt?

Tertia ratio.

III. Ratio tertia petitur ab exemplo, quod ad erudiendos Novitios, quemadmodum & alios homines, vim habet inſignem. Manifeſtum eſt autem non apud Clauſtra reformata ſolùm, ſed, ex communi omnium confeſſione, ſemper creditum fuiſſe, eos in Magiſtros Novitiorum eligendos eſſe, qui orationis ſtudio vel apparenter dediti ſint. Neque enim ſibi vel ipſi orationis imperiti D perſuadere poſſunt, hominem parum devotum (ut vulgò dicunt) iis, quos devotio ducit in Clauſtra, idoneè præeſſe, ac prodeſſe valere. Ad officium ergo boni Magiſtri pertinebit, non apparenter, ſed verè id præſtare, ſine quo, ex omnium proborum, ac improborum conſenſu, officio ſatis facere non poſſe exiſtimatur. Et quidem ratio hæc licet, ob conſtantem omnium exiſtimationem, movere debeat, ex eo tamen Magiſtri animum potiſſimùm debebit impellere, quòd vera ſit, & bono exemplo nitatur. Qua enim ratione Novitii rerum cœleſtium ſtudio jugiter vacabunt, ſi Magiſtrum iis rebus modicum tempus impendere perſpexerint? Etenim difficillimè E flectentur: fientque velut arentia ligna, & indies magis obdurabuntur: erroremque graviſſimum Magiſtri auctoritatem confirmabunt.

Quarta ratio.

IV. Ratio quarta dicitur à tradenda doctrina. Neceſſe quippe eſt, Novitios orandi modum diſertè docere: à primis enim diebus hoc ſpiritu inſtruendi ſunt, ſi adſit verum ſalutis eorum deſiderium. Jam igitur ægrè poterit alios, ut par eſt, erudire, qui non ex profeſſo ſtudium orationis exercuit, & per ſe, quæ docet, experiri conatus eſt. Profectò Magiſter tam debet orationis eſſe peritus, ut more fundibulariorum Gabaa, qui capillum jacto lapide tam certò percutere poſſe credebantur, ut lapis in alterutram partem minime deferretur, ſubtiles F cogitationes, capillis notatas, abſque errore interſecare, & ſyncerum ab ſimulato ſecernere poſſit: quod ad ſcientiam Sanctorum ſpectat.

Oratio Magiſtro commendata.

Ulteriùs verò, quod ad exemplum attinet, adeo debet ſtudio orationis inſiſtere, ut Novitii alia admonitione, quàm Magiſtri exemplo non indigeant ad orationem conſtantiſſimè frequentandam. Vacet ergo intentiſſimè rerum divinarum ſtudio, & Myſticæ Theologiæ non ſpeculationi tantùm, ſed guſtui quoque, quoad poterit, ſeipſum vitæ puritate, & unionis divinæ amore coaptet. Dei præſentiam menti impreſſam fidiſſima memoria, & cordis vigilia ſervet: ut cœleſti lumine perfuſus ipſe proficiat, & Novitios ad ſpiritualem profectum G accepta è cœlo luce promoveat.

Orandique modum Novitios docere debet.

Doceat Novitios orandi modum, & alia huc ſpectantia, quæ ipſe Sanctorum Patrum lectione, Seniorum conſiliis, experimentiſque didicerit. Qua in re ſi ſtrenuè ſe gerat, ſingularem Diſcipulorum profectum, & ſibi cumulatum à Domino præmium meritò ſperabit. Si enim Diſcipulos rerum cœleſtium ſtudioſos fecerit, opus inſigne patrabit, unde ſingularis Dei gloria, ſingulareque Religionis bonum emanabit: quod Clementiſſimus Redemptor noſter Jeſus Chriſtus ſolet amplè remunerare.

CAPUT VI.

De lectione, & catalogo librorum.

Pia lectio Magiſtro commendata, & cur?

H I. QUia hominis animus mortali corpore clauſus, quantumvis rerum cœleſtium ſtudio addictus, ipſo carnis pondere à propoſito importunè divertitur, naturæ inconſtantia eam jugem cordis intentionem ferre non valente: ſalutare conſilium eſt, ſpiritualem vitam diverſorum exercitiorum varietate condire. Quocirca Magiſter, quem ad perenne ſtudium orationis adhortati

tati

Scrip. An. 1607.

tati ſumus, lectionem piam orationis altricem ſæpe repetat, & oratione, ac lectione vitam contexat: ejuſmodique texturam Diſcipulis ſummopere commendet: quod his rationibus efficiet.

Prima ratio.

A

II. Ratio prima. Lectio repetita, uti nunc indicare cœpimus, tædium, quod à perenni unius formæ ſtudio natura patitur, extenuat: quia ſuavius quiddam eſt animam operi arduo inſiſtentem per intervalla relaxare, quàm perenniter ejuſdem operis arduitate premere. Accedit huc, quòd lectio ipſa animum non conantem (ut in oratione) ſolet, ſed alienos labores abſque conatu recenſentem, conceptus varios, pro lectionis varietate, ſuaviter format, & genus quoddam delectationis ſenſim illabentis percipit.

Secunda ratio.

B

III. Ratio ſecunda. Lectio à piis præſertim animis recteque compoſitis uſurpata docet multa, quæ ne orando quidem addiſcuntur. Divina quippe Sapientia Sanctis Patribus multa revelavit, quæ illi ſcripto digeſſerunt, ut nos inde erudiremur. Neque poſtulandum eſt, ut nobis paſſim ejuſmodi ſecreta revelentur, quandoquidem è Sanctorum ſcriptis poſſumus illa cognoſcere, ac in bona noſtra privata derivare.

Tertia ratio.

Piæ lectionis effectus.

C

IV. Ratio tertia. Lectio pia, ſedata, alteque perpenſa pios animos vehementer commovet, & ſalubrior plerumque, quàm oratio ipſa exiſtit: quod experientia crebra convincit. Etenim ſi, ut è vulgatiſſimis patet hiſtoriis, multi, qui in culpæ luto jacecebant, fortuitò librum aliquem arripientes, ac ægrè legentes, repentè commoti, emolliti, ac in Dei filios mutati ſunt: quid fiet iis, qui non perfunctoriè, ſed caſto, ac ſyncero proficiendi, ac Deo placendi ſtudio ſancta lectione paſcuntur? Profectò immenſa inde lucra proveniunt. Provenit certè (ut de re noſtra dicamus) Magiſtri illuminatio, pia, & utilis oblectatio, cordis emollitio, cœleſtia deſideria, & concepti in oratione caloris fomenta, quæ lectoris ipſius bona ſunt. Provenit præterea clarior notitia doctrinæ Sanctorum Patrum, ac virorum ſpiritualium, qua Magiſter imbutus ſit indies aptior ad Novitios publicè, privatimque inſtruendos: quod eſt maximum boni communis incrementum. Magiſter ergo his rationibus flexus ſit piæ lectionis ſtudioſiſſimus; & ſibi, aliiſque, quorum curam gerit, exercitio planè ſuaviſſimo conſulere pergat. Verùm quia non modica ex bono librorum delectu utilitas exiſtit; ſubiecto Catalogo utatur, quàm frequenter poterit.

D

Catalogus librorum Magiſtri.

Quoſnam libros Magiſter retinere debeat?

V. Sancta Evangelia. Epiſtolæ Pauli. Baſilii Aſcetica, & Regulæ. Gregorii Moralia, & de cura paſtorali. Auguſtini Confeſſiones, Meditationes, & Soliloquia. Opuſcula Bernardi. Opuſcula Sancti Bonaventuræ. Caſſiani opera. Hugo de Sancto Victore de Clauſtro animæ. Ricardus de Sancto Victore. Humbertus de eruditione Religioſorum. Climacus. Innocentius, & Gerſon de contemptu mundi, & alia Gerſonis opuſcula. Thomas de Kempis. Tractatus Beati Vincentii de vita ſpirituali. Opera Bloſii. Opuſcula Dionyſii Carthuſiani. Tauleri Inſtitutiones. Albertus Magnus de Virtutibus. Landulphus de vita Chriſti, & alii ſimiles.

E

Libri vulgares.

VI. Opera P. Fr. Ludovici Granatenſis. Opera P. Avilæ. Opera P. Didaci Perez. P. Arias de Oratione, & mortificatione. Opera B. Thereſiæ, & alii ſimiles libri.

Libri hiſtorici.

F

VII. Sancti Gregorii Dialogi. Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum, & Vita Sancti Martini. Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica. Theodoreti hiſtoria Religioſa. Vitæ Patrum ſelectæ. Speculum exemplorum. Vitæ Sanctorum Lippomani, & Surii. Petrus Damianus, & Petrus Cluniacenſis de miraculis Religionum. Chronica Vitæ Sanctorum ætatis noſtræ, & alii libri ſimiles. Libros ergo recenſitos Magiſter accuratè, pro temporum, & laborum occaſione legat: atque ex his, & aliis ſimilibus, prout expedire cenſuerit, Novitiis diſtribuet. Ac diligenter caveat, ne abſque ipſius conſilio ulli doctrinæ ſeu verbo tenus acceptæ, ſeu librorum quantumvis probatorum adhæreant. Et multò accuratiùs, ne illam exerceant. Multos quippe Angelus Satanæ, in lectionem piam ſeipſum inſinuans, & ſine Magiſtri conſilio ad uſum rerum ſublimium præmaturè impellens, pio colore ſeduxit: ut propterea à Clauſtris infœliciter expulſi fuerint: quod nobis experientia compertum eſt.

G

Hæc de prima Inſtructionis parte.

PARS SECUNDA.

De Magiſtri prudentia.

CAPUT I.

De prudentia in commune.

H

Proprium prudentiæ opus, quale?

I. Omnis Novitiorum prudentia in uno Magiſtro ponenda eſt. Cum enim proprium prudentiæ opus ſit præcipere, ac media fini conſentanea præſcribere; nefas eſt novos Fratres, qui nondum parere didicerunt, præceptores, mediorumque præſcriptores fieri. Quocirca in Novitiorum Inſtructione cum de virtutibus ageremus, prudentiam in uno dumtaxat diligentiæ capite tetigimus, quòd alios potiores prudentiæ

Scrip. An. 1607.

A B C

Quomodo paretur prdentia?

actus novis Fratribus minimè congruere cerneremus. Quam ſanè obſervationem ideò hîc recenſemus, quòd ex hoc ipſo argumento vehementer prudentiam Magiſtro perſuadere valeamus. Si enim tota Novitiorum prudentia penes illum reſidere debet, ut ſit ipſe idoneus omnium cenſor, & moderator, manifeſtum eſt in re tanta multum laboris, ac ſollicitudinis eſſe collocandum. Quia verò (ut rectè vulgò dicitur) in ſenibus eſt prudentia, quæ longa rerum experientia, & accurata eventuum obſervatione paratur, & alitur: conveniat Magiſter, quàm frequenter poterit, Patres, ætate, ac doctrina, ſpirituque provectos, quorum conſiliis in rebus dubiis decidendis utatur. Et ipſe per ſe, quoad valebit, anteactos eventus expendat, præſentes occaſiones obſervet; ut ex mutua rerum ſimilium collatione, quid ſit futurum, præſagiat. Ne ſit præceps in ſententia dicenda, reſponſiſque reddendis: ſed aſſueſcat modo reſpondendi ſedato, & donec rem ſatis circumſpexerit, &, ſi opus fuerit, cum aliis contulerit, reſponſum differat. Qua tamen in re caveat, ne ſcrupuloſè nimis minutiſſima quæque velit præmeditari, & cum aliis conferre: hoc enim dilationis genus in rebus minimè difficilibus nimium frequens curſum rectæ gubernationis, & ſpiritualis profectus impedit, & faſtidia multa parit. Ne ſit nimium credulus, ut nempe facilè credat, Novitios vel feſtinatam ſanctitatem comparaſſe, vel è contrario, paucorum experimentorum indicio, quia non præclarè ſe geſſerint, deſperandos eſſe. Sed cunctetur, & longiore tempore rerum circumſtantias conſideret. Suavitatem communicationis ita gravitate temperet, ut Novitii concipiant ſimul amorem erga illum, & reverentiam. Neque angatur animo, quaſi propriam exiſtimationem quærat. Oportet enim eam eſſe Magiſtri erga diſcipulos auctoritatem, cui collum illi in re quantumvis gravi, atque difficili facilè ſubdant.

D

Quomodo ſe gerere debeat in explorando Novitiorum ingenio?

II. Simulet interdum ſe culpas minimè deprehendere, tunc præſertim, cum ex earum iterata correptione tædium potiùs quàm correctio ſperatur; & aliis pietatis incitamentis, quos correptio non emolliret ad emendationem alliciat. Et poſtquam oſtenſione charitatis, puta, donata imaguncula, vel libello aliquo, benevolentiam captaverit, animum jam mollem, & proficere paratum corripiat: ut præteritam culpam oderit, & futuram præcaveat. Tametſi cujuſque Novitii animum excolere, & mortificationem crucis Chriſti accuratè docere debeat, ita tamen uniuſcujuſque ingenium experiatur, ut non ſtatim à principio inſignes paſſionum victorias, & clariſſimos virtutum actus exquirat. Minoribus ergo triumphis ſub initium contentus ſit, & ad majores ſenſim inducat. In explorando cujuſque ingenio plurimum operæ ponat: & moneat, ut quiſque anteactæ in ſæculo vitæ rationem exponat, vitia, & paſſiones, quibus moleſtiùs vexatur, aperiat, ut ſciat unicuique conſulere; & quos naturam bonam ſortitos eſſe perſpexerit, non ſtatim magni faciat, quòd multos virtutum actus abſque difficultate exercere conſpiciat. Eos verò æſtimandos pluris cenſeat, qui cum naturam parum bonam ſorte acceperint, ſub renunciationis tamen luctari, & virtutum actus licet exiguos obire conſueſcunt, clarior quippe hæc luctatorum victoria eſt, quæ ſi lucta perſeveret, magnis certè momentis augebitur. Sed ad peculiaria prudentiæ capita deſcendamus.

E

CAPUT II.

De prudentia erga Novitios omnes recenter indutos.

Hor. l. 1. ep. 2.

F

Via tuta quæ?

G

I. Rectè dictum eſt: Dimidium facti, qui benè cœpit, habet: perſpectum eſt enim, primam eorum, qui mundo renunciant, inſtitutionem, ſi ſuis numeris abſoluta ſit, adeò altè Novitiorum animis imprimi; ut intra dies paucos mira transformatione ex hominibus in Angelos mutari videantur. Quapropter in novis Fratribus abſque mora erudiendis Magiſter ſit maximè ſedulus: & ne diem quidem unum ſine accurata inſtructione labi permittat. Sed ut prudenter agat, firmaque fundamenta ædificii, quod molitur, jaciat, quæ ſubjicimus obſervet. Inter univerſos Chriſtianæ perfectionis tractatores conſtitutum eſt, viam tutam, & ab omni erroris ſuſpicione alienam eſſe eam, quæ ex oratione, & mortificatione componitur: adeò ut ſi quis elevandæ in Deum mentis, & voluntatem propriam, ſenſuſque ſuos mortificandi curam gerat, palmam obtinuiſſe videatur. Neque rem hanc per ſe compertam rationibus adſtruere neceſſe eſt: nemo enim tam rudis in Magiſtrum optabitur, qui doctrinam hanc exploratam non habeat, cum perfectam animæ, corporiſque culturam manifeſtè complectatur. Hac ergo doctrina poſita à primis diebus Fratres indutos Magiſter per ſe, aut ſi legitimè impediatur, per ſocium doceat, qua ratione orare, præſentiam Dei menti impreſſam gerere, orationibus jaculatoriis frequenter cor ſurſum impellere, & actus, quos exercent, in Deum dirigere debeant, quemadmodum in eorum inſtructione tradidimus: quod eſt primum caput. Docebit etiam, qua ratione debeant in rebus modicis propriam voluntatem abnegare, proprioſque ſenſus diſciplina mortificationis exercere: quod eſt caput ſecundum.

Quomodo exercenda mortificatio?

H

III. Exemplum mortificationis exercendæ ſit. Dum libet intra cellam ſedere, eo ipſo genuflectere; dum placet quicquam intueri, eo ipſo oculos cohibere; dum in Refectorio cibus appetitum irritat, eo ipſo buccellas aliquot, puta duas, aut tres Jeſu Chriſti amore relinquere. Ecce planiſſimum, & utiliſſimum incipiendæ mortificationis exemplum: quod cum ſpiritu oratio-

tio-

Scrip. An. 1607.

tionis conjunctum ab ipſo Religionis primordio ſummam fælicitatem promittit. Quod certè adeo verum, & teſtatum eſt, ut ſi Novitii fauſtum hoc inceptum ad finem uſque protendant, eximiam ſanctitatem paraturi credantur, quod exempla multa convincunt. Erit autem inſignis emolumenti, ſi Magiſter à primis diebus aliquem levium harum mortificationum numerum præfigat, quem novelli Fratres, quaſi quotidianum penſum exolvant, puta numerum ſeptenarium; quem in primis certiſſimè impleant, quamvis ultra eum numerum, abſque numero, procurrere debeant. Illud quippe opus certo numero definitum animos vigilantiores efficit, & genus quoddam fidelitatis Deo acceptiſſimæ eſt, quæ arduitatem quamdam præfert laude digniorem, quàm numerus mortificationum major ſolutus, & incertus. Monendi ſunt autem Fratres, ut ſi (quod evenire inexpertis ſolet) in examine conſcientiæ nocturno animadverterint, ſe numerum illum non expleviſſe, antequam cubitum eant, totidem ſaltem proſtrationibus illum compleant, atque in eum modum mortificationis diſciplinam tenaciſſimè apprehendant.

Certum mortificationum numerum Magiſter Novitiis injungere debet.

III. At enim inſtar ſtipitum è ſylva cæſorum Novitii in manus artificis à Deo mittuntur, ut dolentur, & poliantur, atque ad fabricam domus Dei coaptentur; dabit operam Magiſter, ut ab initio, antequam eos mortificationibus variis exercere incipiat, ſe illis propitium, & benevolum exhibeat. Quod eò conferet, ut illi adhuc ſpiritualis amoris ignari ad primos ingreſſus durum rectorem ſe habituros non exiſtiment, & mortificationem crucis non expaveſcant. Præſtabunt illi ſanè minùs difficulter, aut fortaſſe abſque difficultate modicas illas mortificationes, quas diximus eorum fidei committendas, & intra, vel extra cellam exercendas: at eas, quæ extrinſecùs, hoc eſt, à Magiſtro inferuntur, utpote difficiliores, non adeò facilè omnes accipient. Credendum eſt autem, omnes illas non difficulter accepturos, ſi Magiſtrum priùs patrem, quàm judicem experiantur. Præmiſſa ergo benevolentiæ oſtenſione, ut dictum eſt, monaſticæ prudentiæ maxima pars eſt, novos Fratres levibus mortificationibus intercalatis ſenſim exercere, ut immenſo lucro ad graviora experimenta comparentur. Ut ſi, exempli gratia, Magiſter videat novum Fratrem veſtem novam, qua eſt indutus, amare, jubeat, ut cum veſte obſoleta commutet. Si Breviarium nimis placeat, aliud minus gratum, illo ſublato, tradat. Si cella ſit commoda, in aliam minus commodam tranſire præcipiat. Hæc quippe exercitia prudenter, & cum intermiſſione uſitata à primis quoque diebus multiplices coronas promerentur, & ad graviſſimas luctas animos præmuniunt. Proſunt præterea, ut Magiſter longiore probatione diſcernat, quinam è Novitiis profeſſione digni ſint. Nam ſi in brevi unius anni probatione ad ultimos menſes mortificationis examen differatur; vix pacata conſcientia decerni poteſt, an emittendæ profeſſioni idonei ſint. Facilè quippe animus profeſſionis cupidus trium, quatuorve menſium mortificationem, vitæque correctionem ſimulat. Injunget ſocio, vel alicui Fratri ex antiquioribus fidiſſimo, ut recenter indutos de communioribus cæremoniis confeſtim inſtruat, & de communibus modeſtiæ regulis admoneat. Ipſe verò Magiſter recenter ingreſſos frequentiùs, quàm alios viſitet: & aliquam lecti, vel victus commoditatem iis præſertim, qui delicatiores ſint, per aliquot menſes indulgeat, quandò ſpectatis perſonarum, & temporum circumſtantiis crediderit expedire. Universè quippe hanc indulgentiam permittere non expedit: certum eſt autem, erga viros graves, pueroſve ingenuos è commodiſſimo vitæ genere in auſteram Religionis diſciplinam tranſeuntes, illa uti opus eſſe. Conſideret omnia Magiſter, & lumen à Deo jugiter poſtulet ad rem hanc, & alias ſimiles, ubi periculum laxitatis imminere videtur, diſcernendas.

Leves mortificationes, quæ?

Indulgentia cum quibus commendat.?

CAPUT III.

De prudentia erga Novitios pueros, vel adoleſcentes.

I. DIſcrimen ætatis prudentiæ lege ab educatoribus idoneis obſervandum eſt: ne aut naturam vires acquirentem enervent, & ferendis Religionis oneribus ineptam efficiant: aut è contrario, tenellæ ætatis prætextu, indulgentiam nimiam, & pueriles mores impunè excurrere, obſervantiamque regularem extenuare permittant. Quocirca ſubjecta conſilia prudens Magiſter obſervet. Mox ac Novitii ætatis illius induti ſunt, ſeorſim vocatos novi ſtatus, in quem vocati ſunt, amanter admoneat: horteturque ne impoſterum ſe pueros exiſtiment, ſed viriles actus ætate provecta dignos cogitent, & proponant. Proderit autem puerilium actuum deformitatem, & virilium operum honeſtatem repræſentare. Obſervet accuratè, ne per Cœnobium licenter diſcurrant, & communibus actibus inquieti intereſſe aſſueſcant, quæ ſunt vitia ætati illi familiaria. Ne ſit nimium ſeverus defectuum cenſor: ſed ita illos corripiat, ut parcat. Modicus quippe captus ejus ætatis proprius culpas extenuat. Sic illos privatis colloquiis inſtruat, ut pædagogus ſolet principis alicujus liberos erudire: hoc eſt, amantiſſimè, atque creberrimè. Nam ætas illa communes exhortationes non ſatis ponderat, ob naturalem necdum reformatam levitatem. Atque idcirco quiſque ſeorſim patientia, & lenitate multa inſtruendus eſt, donec formetur Chriſtus in illo. Ne fidat inconſtantiæ illi, quaſi quæ pollicentur, pueri fideliter exequantur: ſed rationem eorum, quæ cogitant, & efficiunt,

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter cum Novitiis adoleſcentioribus?

Scrip. An. 1607.

ciunt, ſæpè numero exigat: iteratiſque monitis cordatos efficiat.

II. Quod ad corporis curam ſpectat, ita rigorem diſciplinæ temperet, ut naturam vires acquirentem non frangat. Exerceat mortificationem corporis leviorem, cui æquum eſt ætatem illam aſſueſcere, ut ad A ſenectutem uſque crucis amorem ſervet: at ſanitatis non lædendæ rationem habeat. Ex incuria quippe admonitionis hujus nonnulli ferventiores, quàm prudentiores bono communi vehementer nocent. Nam quos in pueritia nimiis corporis afflictionibus vexant, per reliquum totius vitæ tempus ægrotare faciunt, & morbi cauſam, hoc eſt, mortificationem odiſſe. Creant igitur non bonos Diſciplinæ Monaſticæ obſervatores, ſed perennis inimicos crucis Chriſti, quod in Religionibus præſertim auſteris attentè ponderandum eſt. Mediocritas hîc probanda eſt: ut per hebdomadas ſingulas, dimidiatis ſaltem binis diebus, pueri, & adoleſcentes vini abſtinentiam, cibi tem- B perantiam, catenulas, & cilicia, vel alia mortificandi corporis inſtrumenta experiantur, ut carnem ſpiritui ſubiugare condiſcant. Jam verò exceptis monitis his, quæ de pueritia adoleſcentiaque præſcripſimus, aliiſve ſimilibus, cætera, quæ ad ætatem illam inſtruendam pertinent, erunt cum cæteris communia.

CAPUT IV.

De prudentia erga Novitios majores natu.

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter cum Novitiis adultioribus?

I. QUI natu majores ad ſtatum Monaſticum è ſæculo aſcendunt, accuratiùs examinandi ſunt, & ſeveriùs exercendi. Aſſueverunt enim ſæculo, & amo- C rem bonorum temporalium altiùs conceperunt. Secum ferunt noxios vitiorum habitus, judicii, ac voluntatis propriæ diuturnam conſuetudinem, aliaque ſimilia Monaſticæ perfectionis impedimenta, quibus Novitii juniores carent. Quocirca novo prudentiæ genere hîc opus eſt. Curet ergo Magiſter adultos ætate intus, & in cute pernoſcere; ſolent enim ejuſmodi homines ſtatum monaſticum non tam ſpiritu Dei, quàm rationibus politicis acti ſic aggredi, ut uno ſaltem anno ſimplicitatem ſimulent, poſteaque licenter, ac doloſè agant. Qui emiſſa profeſſione audaciam ſæculi reſumentes inſigne damnum Religioni inferunt, pacemque de medio tollunt: immò & in ipſo Novitiatus anno clam Magiſtro animos ſimpliciorum avertunt, & ad laxè vivendum inducunt. Ipſorum ergo relatu, elapſæ in D ſæculo vitæ hiſtoria accepta, quibus morbis laboraverint, exactè perpendat, ut remedii genus perſonis adaptet. Agat cum illis ſeriò, & ſeorſim vocatos inducat ad viriliter pugnandum, ut ſcilicet velint gravioribus experimentis exerceri, ad vitia olim contracta radicitùs extirpanda, & ad virtutes acquirendas.

II. In aliquot velut claſſes Novitios diſtribuet, ut interdum, pro ætatum diſcrimine, illos ſeu publicè, ſeu privatim admoneat, pro temporum, rerumque ratione. Majores verò natu exhortabitur ad celeriùs currendum ex juniorum comparatione. Non enim æquum eſt, eos, qui multa peccarunt, non majora conari, quàm qui levi- E ter, brevique deliquerunt. Proponat illis Magiſter ardua, ut perſpiciat, an ſeriò conari, & arduitatem ſuperare decernant. Et benè animatis occaſiones propoſita exequendi offerat. Ne moleſtè ferat, ſi acerrimis tentationibus infeſtentur, qui contra diuturnas conſuetudines armantur, & pugnant: ſed illos ſoletur, & roboret, donec victoria ſui potiantur. Hi quippe, ſi divina gratia, & cultura boni educatoris adſint, perfectiores Religioſi evadere ſolent, quàm qui inſontes in Clauſtra venere. Horrent enim malum, quod paſſi ſunt, & eximios virtutum actus fortiſſimè dimicando producunt. Atque adeo in altiorem divinæ gra- F tiæ ſtatum aſſurgere ſolent, quàm qui nullos conſcientiæ ſtimulos patientes (quales innoxii multi ſunt) lentè agere conſueſcunt.

CAPUT V.

De prudentia erga viros graves in Religionem ingreſſos.

I. MAgna certè prudentiæ juſtorum pars eſt, novam juſtitiam in vaſis fictilibus alere. Huic ergo ſtudeat Magiſter, & non ſolùm ætates, ſed dignitates quoque perſonarum ad rectè agendum expendat. Curet imprimis, ut ob perſonarum gravitatem, quocumque ex capite conſideratam, rigor diſciplinæ Monaſticæ non lenteſcat. Gravis quippe ultionis reus erit, ſi ob ra- G tiones humanas obſervantiam relaxari, ac proinde gloriam Dei reſtingui ferat. Cæterum ſalva cuſtodiæ legum integritate, ita cum viris gravibus ſe gerat, ut non ſummum jus, quod ſumma injuria ſolet appellari, ab eis paſſim exigat, quale ab aliis ſorte inæqualibus ſeveriùs exigeret. Exemplum ſit genuflexio. Si enim Novitii, ut decet, Magiſtrum genuflexi alloquantur, non continuò decebit, ut ſi Magiſter ferat alios ætate, & meritis minores per horam dimidiam ſecum genibus flexis verba facere, virum graviorem eodem ritu tamdiu genuflexum eſſe patiatur. Decebit potiùs, ut illum citiùs expediat, vel ſtare, vel ſedere quoque jubeat.

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter cum viris gravibus Religione ingreſſis?

II. Idem ad proportionem de aliis ritibus, & actibus dicendum eſt: quod Magi- H ſter prudenter obſervet. In iis verò, quæ ad vitæ aſperitatem pertinent, ne cum ejuſmodi viris nimium ſeverè agat: ſed parcat interdum, ſibique perſuadeat, lenitate hac ſe illos perfectiùs culturum, & ad verarum virtutum culturam perducturum. Frequenter illos in cellis exiſtentes viſitet, & de animæ, corporiſque valetudine interroget

Scrip. An. 1607.

get, tanquam cui eorum cura cordi ſit: & communicationis ſuavitate illos ad proficiendum, & perſeverandum alliciat.

CAPUT VI.

A

De prudentia erga Novitios doctrina præſtantes.

I. STatim ac Novitius doctrina inſignis admiſſus fuerit, Magiſter illum novi ſtatus admoneat; ut velut infans modò genitus lacte ſe indigere conſideret, & alphabetum Chriſti à primis elementis incipiat; ſuadeatque quamdam ſalubrem ſcientiæ in ſæculo partæ oblivionem, ut Sanctorum ſcientiam ediſcat. Quin etiam hortetur, ut ſe nihil ſcire opinetur, & ſtultus fiat, ut ſit ſapiens; addatque, certò noverit acquiſitam ſcientiam nocituram, ſi ea contra, vel præter obedientiæ placitum utatur. In locis publicis ne ſinat ejuſmodi Novitium ſcientiam ex occaſione, ut fieri ſolet, oſtentare. Quippe alicujus interrogationis B occaſione gloriola vana novos Dei milites vexare ſolet; ut eruditè, diſertèque reſpondeant, ac per hoc ab aliis in admiratione habeantur. Hæc ergo reſponſa Magiſter impediat: & ſi fortè inopinatò reddantur, poſtmodum in Oratorio corripiat: & doceat Monaſticum, ac ſimplicem reſpondendi modum.

Quomodo cum Novitiis doctrina præſtantibus?

II. Quòd ſi Magiſter doctrina excellat; Novitium altum ſapere, & vanè reſpondere conantem non auctoritate magiſterii tantum, verùm doctrina convincat, ſeu refellat; ne diſcipuli condiſcipulum Magiſtro doctiorem ſe habere credant; quod eos à Magiſtri fide divertet, & ad mala multa viam proculdubiò faciet. Neque verò ſi ad refellendum Novitium opus ſit multa eruditè, eloquenterque proferre, Magiſter C vanæ gloriæ ſtimulum vereatur; ſed tentationem eam fortè obrepentem contemnat, actumque illum virtutis officio ſuo debitæ perſequatur. Jam verò Novitiis eruditis judicii proprii, quod illi rationibus multis aſtruere ſolent, abnegationem ſæpè commendet; multaque illis, quemadmodum & omnibus proprii judicii tenacibus, apparenter rationi diſſentanea præcipiat, ut intellectum (ad obſequium fidei Jeſu Chriſti) in captivitatem redigere diſcant. Caveat, ne alii Novitii, quos his tentationibus infeſtari certum eſt, eum, quem doctrina excultum noverunt, conſulant, ut ab eo quicquam ediſcant. Quemadmodum enim furtivi fructus dulciores videri ſolent; ita furtiva eruditio ſalubrior ſolet apparere.

III. In exhortationibus, ſeu colloquiis D peculiaribus, pietatem, & Chriſtianam perfectionem ſic commendet, ut qui eruditi ſunt, certò ſibi perſuadeant, in cœtibus Religioſorum non doctrinam, ſicut neque nobilitatem, vel dotes alias electis, ac reprobis communes magni fieri. Denique Novitios doctiores Magiſter, quacumque ratione poterit, ſollicitè curet excolere: ſi enim rectè illos educaverit, Religionis bonum, ac proinde gloriam Dei, & ſalutem proximorum mirificè promovebit.

CAPUT VII.

E

De prudentia in directione ſpirituum.

I. HIC principio ponendum eſt, Novitios ſingulos recenter indutos de anteacta vita interrogandos, an pacata conſcientia ſint, an erga præteritas confeſſiones aliquem remorſum patiantur, an ex capitibus aliis ad Dei gratiam, & amicitiam requiſitis perturbentur. Deinde ponendum, potiſſimam, primamque curam eſſe debere, ut qui conſcientiæ remorſu affliguntur, expiata per integram, perfectamque culparum confeſſionem conſcientia quieſcant. Quomodo enim de progreſſu cogitabunt, qui principio carent? Principio verò carere dicimus, quos conſcientia culpæ mortalis nondum abſterſæ redarguit. Poſito ergo principio, & ingenio, ac moribus cujuſque F Novitii aliquandiu benè perpenſis, unoquoque interrogato, ac de internis actibus, & affectibus rationem ſyncerè reddente, in ſpiritibus diſcernendis, ac dirigendis multum operæ Magiſter poſiturus eſt. Expendat ergo, quo ſpiritu diſcipulorum quiſque à Deo ducatur, ne fortè illum inopinus extinguat. Spiritum autem hîc appellamus affectum, quo uniuſcujuſque animus à Deo ducitur: quo majori ex parte quiſque ſe percipit emolliri, compungi, ad virtutes inflammari, ad propulſandas tentationes præmuniri. Hunc primùm internoſcere opus eſt. Deinde verò ita eum alere, ut anima inde violenter non avellatur, ſed ſinatur oſtenſa cœlitus via procedere: quod exemplo ſubjecto declaramus. Etenim, ſi quis animadvertit, ſe conſideratis inferni G cruciatibus, mortis amaritudine, judicii ſeveritate, ad virtutum culturam, vel minimè affici, vel parum urgeri, & una ſolius æternæ gloriæ meditatione ad omne bonum opus incendi: non expedit ab ea meditatione animam renitentem divellere, quam voluit ſingulari eo paſtu nutrire, & ad pietatis officia permovere.

Novitii quomodo interiùs examinandi?

II. Idem prorſus inter alia objecta nobiliora delectus habendus eſt. Si enim quis infantiæ Chriſti, non verò paſſionis meditatione paſcatur; ſinendus eſt ibi erudiri, ubi gymnaſium ei Deus præparavit. Denique ſi inter Chriſti paſſiones ſola (exempli gratia) crucis geſtatio animum movet; ibi perdurare ſinatur. Quod enim inſtinctu Dei agatur, ex eo probabiliter admodum conjicitur, quod inde, & non aliunde ad pie- H tatem vires hauriat. Quòd ſi quis nec in certa una unius rei cogitatione perſiſtere valeat, & jaculatoriis orationibus efficaciùs ſe impelli ſentiat; illas frequentet, nec uni meditationi diu cogatur inſiſtere, ne anima coactione illa exacerbetur. Verùm eſt tamen,

Quomodo dirigendi?

Scrip. An. 1607.

men, in prædicto multiplici ſpiritus ductu poſſe latere dolos; dum anima perceptione ſuavitatis, quam elicit ex objecto uno, cætera faſtidit: & ibi torpeſcens, mortificationis opera, & labores formidans, ægrè fert inde divelli. Propterea opus eſt, & hos ipſos affectus explorare, & animam in- A de invitam ad experimentum nonnumquam avertere, ut veritate perſpecta, vel dolus detegatur, vel ſecuriùs anima ſuum paſtum reſumere ſinatur.

III. At verò ad hæc prudentiùs diſcernenda opus eſt cujuſque ingenium percallere, ſi intellectu polleat, ſi facilè amet, aut oderit, ſi in formandis rerum imaginibus vehemens ſit, aut remiſſior. Quæ ſit orandi ratio, quam obſervat, quæ ſit indoles, quam firma ſit corporis conſtitutio, & alia ejuſmodi, quæ paſſim à ſpiritualibus viris annotantur. Quæ omnia rectè perpenſa, atque multò collata id præſtant, ut qualis ſit cujuſque natura, qualis gratia, Magiſter dignoſcat; & ut bonus Dei miniſter Deo cooperetur, ea ſcilicet via ince- B dens, quam Deus oſtendit. Ex perfecta verò naturæ cujuſque inſpectione, & ſpiritus quo ducitur, exploratione decernendum eſt, qua menſura contemplativæ, ſive activæ vitæ exercitia unicuique injungenda ſint. Citiùs enim quoſdam modica contemplativæ, & major activæ exercitatio ad perfectionem provehit: quoſdam è contrario contemplatio perficit, & actio, niſi modicè admiſta, retardat. Quo tamen diſcrimine non includimus communes Religionis actus, quos ab omnibus ad unguem exerceri neceſſe eſt, cujuſcumque ingenii, ac virtutis illi ſint. E naturali capitis affectione alia perutilis obſervatio ducitur. Sunt quippe nonnulli adeo infirma, & inconſtanti phantaſia, ut nullam imaginem formare, in nullaque fortaſſe for- C mata perſiſtere valeant. Et videntur operam perdere, quia quicquid figurare conantur, ſtatim diſſipatur, ac evaneſcit. Unumque eis remedium ſupereſt ad cogitationem compeſcendam, carptim ſcilicet legere, & per intervalla, quæ legunt, expendere, quoaduſque fervor lectione excitatus elangueat, lectionemque reſumant. Ii pariter ſinendi ſunt incedere, qua via ducuntur. Non enim via parum fructuoſa, & ad cor permovendum efficax eſt. E contrario ſunt aliqui adeo vehementer, quicquid libet, imaginatione formantes, ut ſibi paulò minus, quæ cogitant, cernere videantur. Hi coercendi ſunt interciſo diſcurſu, & interdum activæ vitæ injunctis exercitiis, donec diſcant vim phantaſiæ ratione temperare, vel Religioni convincantur inepti, ſi abſ- D que moderatione, & cum aperto diabolicæ illuſionis periculo imaginibus adhæreant. Alii capite parum firmo à natura ſunt, qui ſi prolixè orationi vacent, oneri ſuccumbunt: & in nimiam imbecillitatem, vel etiam in amentiam facilè incidunt: qui tamen breviore ſpatio temporis ſine nocumento orare valerent. Demum in hoc genere Novitii modum excedere ſolent vim ad ferventer orandum corpore toto facientes, ac ſi fructus orationis à Deo extorquendus eſſet. Unde capitis læſio, ſtomachi imbecillitas, ſanguinis excreatio; & alia damna dimanant, quibus ſub curſus initium novi milites enervantur. Qui ſi du- E ce prudentia regerentur, ſine defectione in orationis ſtudio perſeverarent.

IV. Temperanda ſunt omnia, ne medium virtutis excedant; ipſa quoque exercitia, quæ ſpiritualia, & ſalutaria ex genere ſunt. Non enim ſat eſt, bona eſſe, niſi benè, hoc eſt, cum proportione exerceantur. Quapropter, & preces ipſæ temperandæ ſunt, ad quas novi Fratres, ex propria devotione, aut dæmonis illuſione propenſiores interdum, quam ad communes Religionis actus fieri ſolent. Iis enim gravantur, ne in rerum internarum ſtudio multum operæ ponant. Quocirca præter Officium Divinum, Beatiſſimæ Virginis coronam, Sanctorumque tutelarium commemorationes, & ſolitas precationes, quas ad lucrandas Indulgentias re- F citari mos eſt, Magiſter non permittat Fratres iis oneribus premi, niſi cauſa juſta prius expenſa peculiare quippiam alicui permitti debere perſuadeat. Pauca hæc, quæ de ſpirituum directione tradidimus, licet utilia ſint, non ſunt ea tamen, quæ ad rem tantam Magiſtro ſufficiant: quamobrem his utetur, & alia ſtudio multo è Sanctorum lectione, & è virorum ſpiritualium conſultatione requiret.

CAPUT VIII.

De prudentia in experiendis Novitiis.

Quomodo de Novitiis capienda experientia?

I. AD omne militiæ ſive corporalis, ſive ſpiritualis genus experimenta, G ex omnium ſapientum ſententia, plurimum ponderis habent. Ex iis quippe decernitur, quiſnam idoneus, vel ineptus ſit; & probatione ſecluſa, vix de re tanta prudenter decerni poteſt. Quapropter, cum Religioſi omnes ad ſpiritualem militiam nomina dederint, ad Magiſtri ſpectat officium, Novitios experiri. Perſonis ergo, circumſtantiiſque perpenſis, injunget ad tempus Novitiis aliqua cœnobii miniſteria, ubi cum ſæcularibus non ſit commercium: ut exploret, an iis occaſionibus, obedientiæ, humilitatis, manſuetudinis, ſilentii tenaces ſint. An paſſiones effrænes prodant. An mentem à præſentiæ Dei ſtudio relaxent, & ejuſmodi alia: quæ, ſi Novitiatus annum integrum non probati ducerent, celare, & ovina pelle lupos contegere vale- H rent. Rebus maturè perpenſis, ſubmittet prudentiores aliquos Patres, ut Novitios tentent ad aliquid præter ordinem agendum. Ut pateat, qua cordis conſtantia ſint, an humanis rationibus ſuccumbant, an in obedientiæ fide permaneant. Exemplum ſit. Si Pater aliquis è gravioribus Novitium obvium artificioſè de valetudine, aliiſve liſve rebus minimè neceſſariis interroget prolixèque moretur, identidem multa ejuſmodi rogans, & niſi reſpondeat, iram ſimulans, donec vel glorioſè tacendo vincat, vel inconſtantiæ ſignum loquendo exhibeat. Idem de importuna inſtantia ad modicam aquam, abſque venia ſuperioris deguſtandam, ſub prætextu caloris nimii. A Rem ſcilicet extenuando, ob parvitatem, nimiumque jus appellando, ſi Novitius omnino abſtinere velit. En exempla duo ſatis familiaria, quibus alia ſimilia, & plurima, & creberrima ſuccurrent: quæ ſi prudenter adhibeantur; ad curſum perfectionis incitandum opportuniſſima ſunt. Proderit interdum, ut Magiſter ipſe per ſe, aut, re maturè diſcuſſa per alios, ira ſimulata Novitios nonnullis verbis aſperioribus exagitet, veſtibus laceris, & ſordidis induat, verberibus aut aliis monaſticæ diſciplinæ, & ſanctæ mortificationis inſtrumentis exerceat: ut neglectui, propter Chriſtum haberi diſcant. Vitabit autem in exercitiis B ejuſmodi, quæ riſum excitare poſſint, ne ſancta exercitia in modos ſæculares degenerent.

II. Præcipiet aliqua ſeu verè, ſeu apparenter rationi contraria, puta, quæ vires Novitii alicuius excedant, ut exploret, qua fide obedientiam colant: an ratione humana nimis utantur, an obedientiæ viribus omnia ſe poſſe confidant. Nonnumquam ſimulabit oblivionem, proſtratos per aliquod temporis ſpatium velut oblitus relinquens, quos redarguet, ad patientiæ, & humilitatis examen. Imputabit eis aliqua falſa verbis amphibologicis velata, puta eſum, vel potum diebus Jeiunii regularis, vel ſermonem tempore nocturni ſilentii: ac eos ob id objurgabit, ut virtu- C tem humilitatis, ac manſuetudinis ediſcant. His tamen in experimentis, aliiſque ſimilibus obſervet cujuſque mores, & ingenium: nec magni pendat quorumdam apparentem humilitatem, qui ſanè ejuſmodi neglectum non valde detrectant, quod naturam degenerem ſortiti ſint. Conſtat enim vilitatem hanc longè à vera humilitate diſtare. Sed pro magno ducat contemptum ſenſu vehementer renitente ſubire: & arduitatem hanc lucta longa ſuperare: ne pro veris virtutibus falſas eleganter pictas noſtræ ſalutis inimicus obtrudat. Conſideret Magiſter ſupra dicta experimenta ita debere Novitiis attemperari, ut (niſi extraordinaria aliqua ratio contrarium expoſcat) brevia, & intercalata ſint; ne fortè novellos milites cibo ſolido nondum aſſuetos D mœſtitia vexet, vel opprimat. Exploret unumquemque, dum mortificationibus exercetur, an aliquid in præſenti detegat, vel futurum portendat, quod Religioni poſſit officere: Patreſque de re fideliter moneat, quod exemplo ſubjecto rectius animadvertet. Etenim ſi noſſet alicui è diſcipulis vitium aliquod grave, ſive naturale, ſive ex conſuetudine, ſive ex fragilitate, aut quavis alia de cauſa, altè, firmiterque impreſſum fuiſſe: deberet eniti, ut is ſponte recederet, vel à Patribus expelleretur: niſi tantus in eo divinæ gratiæ vigor cerneretur, qui vitium, accedente mediocri Magiſtri diligentia, extirpandum perſuaderet. Pauci quippe ejuſmodi vitiis affecti ita ſui victoria potiuntur, ut in Clauſtris non potius noceant, quàm proficiant: tametſi E vocationis calore primùm concepto bene affecti videantur.

Quibus experimentis Novitii experiendi?

CAPUT IX.

De prudentia erga Novitios tentationibus vexatos.

I. CAmpus hic latiſſimè patet: multiplices quippe tentationes longam orationem, ſi de iis preſsè agendum ſit. Verum tractatio hæc à nobis modo ſuſcipienda non eſt, cum habeat in aliis ſcriptoribus capita, & Novitiis, & aliis hominibus communia. Eodem enim modo Novitius, ac cæteri homines, F tentationes fidei, caſtitatis, deſperationis, aliaſque ſimiles propulſare debebit. Hîc tamen Magiſtri prudentiam, qua erga tentatos uti debet, tractare conſilium eſt. Primum ergo Magiſter patientiam colere meminerit, quæ à Novitiis præſertim tentatis exerceri ſolet: & dies nocteſque, ſi opus fuerit, in iis ſolandis, inſtruendis, & roborandis inſumat. Oret, ſacrificet, excogitet remedia, & ſi Novitii aliàs probi ſint, ne angatur, ſi tentationes, & graviſſimæ, & longiſſimæ incumbant. Ne addat afflictionem afflictis; nam dum quis à Deo ſeverè tractatur, non expedit gravius illum premere, quemadmodum prudentis medici non eſſet G ab homine ægroto ſani, ac validi hominis exercitia repetere. Quocirca ordinaria Cœnobii miniſteria, ſolitaſque mortificationes, quibus alii non tentati facilè utuntur, iis qui ſic vexantur moderatè injungat, niſi forte id ſit tentationis genus, quod activæ vitæ occupationibus extenuetur. Exemplum ſit. Si quis animi dejectione, aut infidelitate erga Superiorem tentetur; erit opportunum conſilium ab orationis, & chori actibus illum vulgo non divertere; cum pſalmorum cantus, & oratio cor illuminent, ac fulciant, & proinde animi dejectionis, & infidelitatis remedia ſuggerant. Si quis verò honeſtis motibus, aut ſcrupulis infeſtetur, ſanum conſilium erit, ab oratione illum ad tempus amovere, domeſticiſque obſequiis onorare: ut intel- H lectus, & imaginatio orationis otio non abutantur, & ſubtilibus ſcrupulorum rationibus, turpibuſque imaginibus tentationes ingraveſcant.

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter cum Novitiis tentationibus vexatis?

Quomodo cũ ſcrupuloſis?

II. Doceat modum tentationibus reſiſtendi, ut ſcilicet Novitii legitimè certare diſcant, & primos tentationum motus intercidere aſſueſcant: quæ certè regula univerſis tentationibus debet eſſe communis:

Scrip. An. 1607.

Quia verò (ut experientia convincit) Novitii ſatis crebrò ſcrupulis vehementer angi ſolent: in promptu habeat remedia, quæ afflictis adhibeat. Cujuſmodi ſunt, fiducia multis rationibus à ſcrupuloſis exercenda. Perſuaſio fidei, qua in Magiſtri ſententiam intellectum captivum redigere debent. A Abſtinere à diſcurſibus erga anteactæ vitæ peccata. Cogitationes ſcrupulorum recenter ortas, ac ſi forent libidinoſæ tentationes, confeſtim excutere. Nimium divinæ juſtitiæ timorem interim non recolere, ſed amoris, ac ſpei meditationes frequentare. Erit autem ad rem jubere, ut inter Fratres alios, ubi ſimul agunt, proponat Novitius ſcrupuloſus ridicula dubia, quibus torquetur, ut publicè decidantur: Ibi quippe res cum riſu accepta, & ab omnibus exploſa, tamquam ab omni rationis uſu aliena, tentatum ad eam quoque deſpiciendam efficaciter fortaſſe movebit, quod experimento perſpectum eſt. His ergo conſiliis, aliiſque ſimilibus Fratres ſcrupulis agitatos Magiſter adiuvabit. Eos verò, quos aliæ multiformes tentationes divexant, B præcipuè quos aliqua ab ſtatu monaſtico deſiſtendi cogitatio urget, vigilanter inſtruat. Cæteræ quippe tentationes, quæ Religioſum à ſtatu ſemel arrepto non divertunt, non uſque adeo formidabiles ſunt: locus enim ille hominibus quantumvis tentatis ſalutem pollicetur: at iis, qui vitio ſuo à propoſito ſancto reſiliunt, modica ſpes ſalutis æternæ in ſæculo ſupereſſe videtur. Quocirca in his potiſſimùm ſolandis, & adjuvandis Magiſter plurimum laboris, & ſollicitudinis collocare debebit.

CAPUT X.

De prudentia in officiis iniungendis.

C I. MOnaſticæ Diſciplinæ ratio poſtulat, ut Magiſter ſuos diſcipulos ad omne opus proprio inſtituto conſentaneum erudiat. Magna quippe pars decoris domus Dei in hac vivarum functionum peritia poſita eſt, quæ à Novitiorum educatore præteriri non debet. Habeat ergo Magiſter ſcriptum Novitiorum catalogum, quem tamquam rationem redditurus identidem legat, atque recogitet. Et ordine ſervato, domeſtica officia ſic injungat, ut catalogo percurſo, ſinguli in orbem ad officia ſingula tranſeant, ſingulique omnia perdiſcant. Res quippe facilis, & perutilis eſt, cujus neglectu, mirum eſt, quàm rudes, & inertes Religioſi fiant. Tempus autem officiis D exercendis, juxta rei difficultatem præſcribendum eſt: neque enim par tempus culinæ, Refectorio, & Oratorii Sacriſtiæ aſſignari poteſt. Cavendum eſt in hac prima officiorum injunctione, ne Novitii mox tamquam principales Miniſtri obſequia illa præſtare ſinantur. Exploratum eſt quippe, multa hinc errata proditura: cum earum functionum plane ignari ſint. Sed providendum eſt, ut antiquiores alii, puta paulò ante profeſſi, vel qui jam fere Novitiatus annum expleverunt, & officia didicerunt, minùs antiquos ſibi ſocios aſſignatos per dies aliquot inſtruant, obſequiaque omnia ſimul obeant, donec recentiores ſoli, vel principales cuncta expedire noverint.

Quomodo ſe gerere debet in officiis Novitiis injungendis?

E II. Quia verò nonnulla obſequia nimis oneroſa ſunt, & Novitios Choriſtas non eſſe labori tanto pares manifeſtum eſt: animadvertat Magiſter nec expedire, neque verò (ut experientia docuit) fieri poſſe, ut ad ea præſtanda omnes in orbem deſignentur. Quapropter ſatis erit, ſi eos, quos viribus pollere perſpexerit, prout occaſio tulerit, aſſignet. Quos verò nimium è labore feſſos eſſe conſpexerit, cibo, & ſomno reficiet. Denique conſideret, nonnullos tametſi boni Religioſi ſint, ex naturali vitio, quod mores non attingit, eſſe quibuſdam officiis prorſus ineptos, adeo ut ſine totius communitatis offenſione illa exercere non poſſint. Hos ergo, poſtquam rem compertam habuerit, ab officiis illis eximat, & ad alia deſignet. F

CAPUT XI.

De prudentia in recreatione Novitiorum.

Honeſta recreatio commendata.

I. INter prudentiæ actus laborum intermiſſio, & aliqua honeſta recreatio meritò recenſetur. Neque de aſſerto hoc ulla inter viros ſapientes, ac ſpirituales controverſia oriri poteſt. Controverſia verò multiplex de modo condendæ recreationis emergit, inde (ut credimus) quod rarò admodum invenire liceat virum, qui varios Religioſorum ſimul agentium affectus, ſine offenſione, in unum lætitiæ modum conciliet, ac temperet. G Quamobrem Novitiorum Magiſter rem hanc meditetur, & ad eam, prout decet, præſtandam ſe implorata Dei ope coaptet. Et primùm quidem animadvertat, ad functionem hanc perfectè obeundam, ſingularem Dei gratiam, inſignem in actionibus decorem, mirum in verbis leporem requiri. Nam (ut vim divinæ gratiæ modò ſileamus) exploratum eſt, animos hominum, quicunque illi ſint, actionum decore, ac ſermonis ſuavitate vehementer affici; ut ægrè non ferant apud eum eſſe, illumque dicentem audire, qui geſtibus, & verbis auditores delectet. Curet ergo Magiſter, ſi ad hoc à natura valet, talentum ſibi à Domino creditum, ſatis opportunam occaſionem nactus, exercere. Quòd ſi natura parum jucundus, lepiduſque ſit, H arte utatur, quæ ad opus hoc eximio cum merito undecumque conquirenda eſt. Atque hac de cauſa ſpirituales viri, quibus Novitiorum educatio commiſſa eſt, exiſtimant obſequium ſe præſtare Deo, ſi multam eruditionem, hiſtoriaſque auditu jucundas ex præmeditatione memoriæ mandent, ut

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter in recreatione?

Scrip. An. 1607.

ut Novitios ſimul exiſtentes dicendo exhilarent, atque delectent.

II. Verùm quia bifariam Novitii à laboribus recreandi ſunt, & ordinariè, ut in reformatis Religionibus fieri conſuevit, modico tempore quotidie ad eam rem deſignato, & extraordinariè, paucis videlicet aliquot diebus, quibus Novitii foras animi cauſa duci ſolent; æquum erit de utriſque recreationibus ſeorſim agere. Ponendum eſt hîc, Magiſtrum inter alias præceptiones debere quoque recreationis meminiſſe: ut ſcilicet Novitios inſtruat ad vultum hilarem, temperatam ſcilicet ex gravitate, ac lætitia modeſtiam ubique præferendam: Sed in recreationis loco præſertim monebit, non modo omne ſupercilium, ſeu luctum, ſed omnem quoque affectatæ devotionis imaginem eſſe depellendam; eumque debere eſſe perfecti Religioſi vultum, qui ſtatim ac conſpicitur, cæteros exhilaret: neque tamen per hoc leges modeſtiæ violari, ſed cuſtodiri. Hac igitur inſtructione præmiſſa duo præ oculis Magiſter habere debet in quavis recreatione, ſed in quotidiana frequentiùs, unum ſcilicet, ut ea, quæ moleſtiam parere poſſent, neque dicat ipſe, neque dici patiatur; alterum ut ex iis, quæ ſanctè, ſive non profanè delectare poſſunt, ea proferat, faciatve, ſeu proferri, fierive jubeat, quæ animos magis oblectent.

Quæ in recreatione vitanda?

III. Ex prima hujus conſilii bimembris parte efficitur, ut ibi culpæ nullæ corripiendæ ſint: importuna quippe valde correptio foret, niſi in eventu aliquo rariſſimo, ubi quis immodeſtus licenter aliquid ageret, vel diceret, cujus tolerantia reliquos Fratres offenderet. At & tunc quàm breviſſimè res expedienda eſt paucis aliquot verbis gravioribus adverſùm Fratrem immodeſtum prolatis, aut illo inde abire juſſo, ut cœpta recreatio procurrat. Deducitur etiam ex obſervatione prædicta, ut Magiſter ibi res dictu, factuque difficiles injungere non debeat. Efficitur etiam, ut ibi natio una præ aliis laudanda non ſit. Conſequitur præterea, ut exercitia, quæ appellamus Manualia, non ita, ubi ſedetur, præſtanda ſint, ut Magiſtro ſilente, omnes nimium mœſtè laborent. Intercalatis quippe jucundis ſententiis, vel interrogationibus lætitia labori admiſcenda eſt. Denique multa hîc, ſed incerta Magiſtro occurrent, quæ prudenter proſpiciet, an ea ſint, quæ diſplicere poſſint, illaque accuratè vitabit. Lege c. 7. quar. part.

Quæ in recreatione tractanda?

IV. E ſecunda moniti bimembris parte efficitur, ut bono delectui rerum, quæ juxta Cœnobiticam diſciplinam Novitios exhilarare poſſint, ſtudendum ſit. Huc ſpectat hiſtoriarum relatio, ut ſcilicet non Magiſter tantùm referat, ſed alios, quos id decorè, ac lepidè præſtare poſſe novit, referre jubeat quid auditu jucundum, quo alii recreentur. Huc ſpectat facetum quippiam Monaſtica ſanctitate conditum: ut ſi Magiſter per ſeriem ab unoquoque ſciſcitetur, ſi in animal irrationale vertendus eſſet, quale animal eligeret: multa quippe ibi mira ſimplicitate proferuntur, quæ ſine læſione modeſtiæ riſum excitant. Huc ſpectat jucunda ſingulorum interrogatio; quid ſcilicet ageret, ſi rex, aut Summus Pontifex crearetur. Huc ſpectat leve aliquod certamen, quis amoris Dei, vel ſpei actum omnium perfectiſſimè producat, imaguncula aliqua, vel munuſculo alio victori propoſito. Huc ſpectat non minùs jucunda, quàm utilis paſſionum repræſentatio, ut nempe Magiſtro deſignante, unus hominem iratum, alter hominem timidum, alius hominem audacem, alius triſtem, aut aliter affectum geſtu repræſentet. Huc ſpectat lætiſſimus actus, quo Magiſter, quaſi Chriſtus ipſe foret, Fratrem aliquem gloria immortali pro laboribus anteactis coronat, iis videlicet verbis, & actibus utens, quibus revera Chriſtum erga animam ex hac vita in cœlum migrantem uti probabiliter cenſemus. Huc ſpectat cantus Pſalmorum, aut piorum carminum, quæ animos in cœlum ſuſpirantes mirificè exhilarant, & inflammant. Hæc, & ſimilia alia, quæ percenſere non poſſumus, id efficiunt, ut modica illa recreatio ſanctè, caſtèque ſuſcepta faſtidia, ſi quæ ſubierint, pellat, animos exhilaret, ſpiritum alat, & ad graviores Monaſticæ diſciplinæ actus vires adaugeat.

Quid a Novitiis in recreationibus extraordinariis agendum?

V. In extraordinariis recreationibus Magiſter veniam dabit, aut ſi opus fuerit, jubebit, ut Novitii inter ſe amanter, modeſteque verba faciant. Ut genus aliquod honeſti ludi, puta lapidum jactus ad aliquam metam, vel alium ſimilem actum, vel conjuncti omnes, vel in numeros diſcreti exerceant, ut ſimul omnes, aut bini, terni, vel ut ſors tulerit, alio numero ſociati canant. Ut per hortum, villamve, in quam acceſſerint, deambulent. Ut martyria varia, quæ lætiſſimum, & utiliſſimum ſpectaculum exhibent, alio exempli gratia tyrannum, alio carnificem, alio martyrem, ſive perſonas alias agente, productis variis fidei, ſpei, amoris, & aliarum virtutum actibus repræſentent. Hæc ergo, & alia ſimilia Magiſter obſervabit, ut diſcipulos ſalubriter recreet. Læta verò exercitia hæc, præter multiplicem ſpiritus, & corporis utilitatem, id præſtant Magiſtro, ut dum diſcipulos liberiùs pro ſuo unumquemque ingenio agere ſinit, quis quiſque ſit, facilè perſpiciat. Nuſquam enim tam facilè ingenium cujuſque exploratur, quàm ubi naturæ laxantur habenæ, & quod placet, quiſque exequi ſinitur. At ob rationes multas ſtatus Monaſtici proprias, cum quid indecorum Novitii in iis occaſionibus admittunt, in ſubſequentium dierum exhortationibus Magiſter illum admoneat, ut ipſe corrigatur, & tam ipſe, quàm alii ſimilia mala præcaveant. Quin etiam ante ſolemniorum recreationum dies Fratribus omnibus modeſtiæ decorem commendet, ut ſanctiùs recreentur. Adhuc enim ea admonitione re-

recreentur. Adhuc enim ea admonitione præmiſſa, libertatis occaſio ad ingeniorum, & morum inſpectionem ſatis lucis afferre ſolet.

CAPUT XII.

A

De prudentia ad perfectionem Novitiorum promovendam.

Quomodo ſe gerere debeat Magiſter ut perfectionem in Novitiis promoveat?

B

I. ILLE ſanè prudentiſſimus Novitiorum Magiſter exiſtimandus eſt, qui novit excogitare, & exequi media ad diſcipulos brevi perficiendos opportuna. Hic autem non agimus de mediis illis proculdubiò probatiſſimis, quæ Votorum, Regulæ, Conſtitutionum, & Inſtructionum obſervatione continentur. Ea quippe media in laxis quoque Religionibus præſcripta ſunt, & non ideo ſatis obſervantur: in reformatis verò ideo obſervantur, quod ab idoneis Novitiorum Magiſtris novelli diſcipuli mediis aliis planè ſpiritualibus ad eorum cuſtodiam inducuntur. Atque ideo de his mediis, quæ prudentiæ ſanctorum propria ſunt, nonnihil modò dicendum eſt. Et primùm quidem det operam Magiſter, ut diſcipuli majora, quàm quæ Religio præſcripſit, præſtare conſtituant: exiguus quippe proventus ſperaretur, ſi ad altiora, quàm jubeantur, minimè aſpirarent, quod per ſe perſpicuum, & experientia nimis compertum eſt. Hanc verò magnanimitatem diſcipulorum cordibus ingenerabit, ſi exemplo ipſe majora præſtiterit, & verbo mox ad imitationem Sanctorum illos animaverit: quod universè dictum ſit. Sed ad media aliquot peculiaria deſcendamus.

C

Mortificationes ordinariæ quæ?

Quæ extraordinariæ?

D

Media ad perfectionem promovendā quæ?

E

II. Notiſſima ſunt media illa, quæ Congregatio noſtra præſcripſit, & Votis, Regulæ, Conſtitutionibus, ac Inſtructionibus adiunxit, ut non modò Novitii, verùm & profeſſi exercerentur. Mortificationes videlicet ordinariæ, & extraordinariæ; ordinariæ, ut oculos per dies aliquot velatos, os transverſo modico ligno auribus religato obſtructum gerere; extraordinariæ, ut ſcapulis honeſtè detectis, ſenſimque verberatis in Refectorium ingredi, genibuſque flexis culpas ſuas proferre. Hujus generis media quoque ſunt, exercitia illa omnia, quæ in Novitiorum inſtructione, quarta præſertim parte, poſuimus; ſive ad orationis ſtudium pertineant, ut matutina, & diurna actuum in Deum directio, Dei præſentia ordinata, & perennis oratio, quæ coram altari Sacramenti à Fratribus exercetur: ſive ad ſtudium mortificationis ſpectent, ut abſtinentia, & ſeverior corporis maceratio ante ſolemniſſima feſta ſuſcepta, ut certamina de rebus arduis ad paſſionum mortificationem fieri ſolita, ut veſtes laceræ, ut exercitia humilia valentium, vel ægrotantium obſequiis deſtinata: ſive ad virtutum progreſſum attineant, ut certamen menſtruum de virtutis unius cultu, deſignato præmio, propoſitum, ut virtutis quoque unius cultura per hebdomadas ſingulas propoſita: ſive ad intellectus illuminationem, & inflammationem affectus dirigantur, ut exhortationes quotidianæ, privata colloquia, frequentiſſima conſilia, & creber Sacramentorum uſus. Media hæc, & alia, quæ ſilemus, jam inter Fratres noſtros vim legis, longa, & accurata obſervatione laudatiſſimæ obtinuerunt. Sed Magiſter alia, quæ ſancto quodam artificio novos Fratres ad ulteriorem perfectionem, ſine tædio, perurgeant, inventurus eſt.

Collatio Magiſtri cum Novitiis commendata.

F

G

III. Erit ergo medium unum ad ſingulos erudiendos, & ſolandos appoſitiſſimum, ut per dies ſingulos unum, aut duos è Novitiis privatim vocatos inſtruat, & peculiaribus monitis, quibus eos magis indigere perſpexerit, erudiat: atque in hunc modum, in orbem Novitios omnes ſingulatim percurrens, ad caput redeat, rotamque hanc ſemper vertat. Quàm ſit autem modus hic ad promovendam perfectionem efficax, viris vel mediocriter ſpiritualibus manifeſtum eſt; habet enim erga unumquemque plus amoris, plus ponderis, & æſtimationis. Exercitia quippe, mediaque communia, quod ad unumquemque excolendum ſpectat, ut experientia docuit, cum hoc medio comparari non poſſunt. Arripit enim quiſque, quæ ſibi peculiariter committuntur, multò avidiùs, quàm quæ confertim omnibus prærogari videt. Creſcit reciprocus inter Magiſtrum, & diſcipulos amor, creſcit fiducia, enaſcitur inde fidelitas major, diligentia major, quaſi de rebus ad animum cujuſque perficiendum ſingulari providentia diſpoſitis, de quibus quiſque, cum per orbem vocabitur, rationem redditurus ſit. Ne igitur pigritetur Magiſter, ſed paſcat ſingulos, & confirmet. Quòd ſi Novitiatus numeroſus ſit, nec ob multiplices labores officium hoc præſtare poſſit, Socio probato, ac fideli, quem habebit, hunc laborem demandet, ut ſcilicet de certis capitibus, quæ ipſe Socio præſcribet, ſingulos in orbem Magiſtri nomine erudiat; & ad ipſum, quicquid noverit, referat, ut ſingulis opportuna remedia, auxiliave provideat.

Examen, ſive ſcrutinium annuale quomodo faciendum?

H

IV. Alterum medium. Per annos ſingulos quoddam examen ſive ſcrutinium Novitiorum faciat, deſignatis videlicet tribus, quatuorve diebus, ut quiſque præmeditetur, qua potiſsimùm paſsione acriùs infeſtetur, ac proinde, quanam virtute præſertim indigeat, & expleta præmeditatione, à Magiſtro vocatus, quid de ſe ſenſerit, aperiat: ut Magiſter ipſe Novitium ad ſui cognitionem, ac victoriam juvet. Poſtquam verò Novitius omnia retulerit, Magiſter attentè rem explorabit, & vel errantem corriget, vel bene de ſe judicantem adjuvabit; ut per totius vitæ curſum certiſſimè ſtatuat, adverſus paſſionem illam, qua ſentit ſe moleſtiùs vexari, bellum gerere, & ad parandam virtutem,

qua

Scripta An. 1607.

qua magis indiget, conari, atque in eum finem peculiaribus mediis à Magiſtro præſcribendis uti. Medium hoc quàm ſit utile, nemo rationis compos ambigere poteſt, cum ad ſui cognitionem, ac victoriam plurimùm valeat. Omnibus ergo Novitiis ſingulatim examinatis, & in claſſes juxta paſſionum, virtutumque delectum diſtributis, Magiſter proximis diebus factum examen, ſubſequentibus conſilia in hunc modum dare poterit. Vocabit in medium Oratorii, exempli gratia, eos, qui æſtimatione ſui vexati humilitatis virtute potiſſimùm indigent: & una exhortatione integra illos ad ſtudium ejus virtutis urgebit, præſcribetque media priùs accuratè perpenſa, quibus per totius vitæ curſum operam navaturi ſunt. Rationes, quibus unius virtutis delectum, tamquam medium ad Chriſtianam perfectionem brevi efficaciterque comparandam opportuniſſimum perſuadebit, habentur in noſtra Inſtructione Novitiorum, tertia parte, unde illas petere valebit. Jam verò ut propoſitum moleſtiſſimæ paſſionis ſubjugandæ, & virtutis maximè neceſſariæ toto vitæ curſu colendæ altiùs imprimatur, ad rem erit indicto die omnes ad Communionem ſolemniſſimam hortari, ut ante Euchariſtiæ ſumptionem conceptis verbis cultum virtutis perennem firmiter quiſque proponat, abſolutiſque verbis, ut inter nos fieri conſuevit, Sacramentum ſumat. Verba verò hæc, aut ſimilia proferentur, Magiſtro ad Fratres converſo, Sacramentumque ſupra pyxidem, aut patenam elevatum tenente: Dulciſſime Deus, ac mitiſſime Redemptor noſter Jeſu Chriſte, Ego Frater N. infinita bonitate tua fretus firmiter propono, me per totius vitæ curſum virtuti (humilitatis) operam diligentiſſimè daturum: ad gloriam tuæ Divinæ Majeſtatis, & puriſſimæ Virginis Mariæ genitricis tuæ.

Mortificatio corporis, medium alterum

V. Aliud medium erit, cujuſque Novitii vires animi, corporiſque perpendere, & monere, ut unuſquiſque aliquod pœnitentiæ genus excogitet, cujus deſiderio teneatur, ad Chriſtianæ mortificationis habitum acquirendum, carnemque ſpiritui ſubjugandam. Monebit autem, ut ſinguli, poſtquam rem cogitaverint, ſcripto notent, quod agere (ſi obedientia annuerit) apud ſe ſtatuerint, & ad ipſum, cum vocati fuerint, deferant. Scripta ergo ad ſe perlata perleget, & moderabitur, ita ut neque corpus nimis enervet, neque verò omnia prorſus improbet, aut neget. Magni quippe ponderis eſt, pueros crucis mortificationi aſſueſcere. Propendeat verò in partem mitiorem, ut modicum ſit, quod concedit. Sic enim prudenter ſperare poterit Novitios, quod ſemel ſtatuunt, ubique ad ſenectutem uſque ſervaturos. Quando verò illos aliis laboribus exercuerit, vel aliis animi anxietatibus, aut temporis injuria, puta nimio æſtu afflictos conſpexerit, meminerit præcipere, ut iis diebus decretam corporis macerationem, puta catenulam, cilicium, vel jejunium ſupererogationis intermittant. Jam autem per ſe planum eſt, à propoſito hoc tempus infirmitatis excipi. Excipitur quoque tempus, quo vel ex voto, vel ex præcepto, aut conſilio obedientiæ aliquid magis, vel æquè aſperum præſtant. Excipitur præterea novum Superioris mandatum, quod juſtis de cauſis Fratribus jam profeſſis, & aliis gravioribus occupationibus intentis imponi poſſet. Quibus omnibus rectè conſideratis remanet moderatum quoddam ſanctæ mortificationis exercitium, quod firmiter arreptum, & perſeveranter obſervatum carnis equum fallacem domat, & immenſa ſpiritus bona producit.

Quomodo cor in Deum erigendum?

VI. Aliud medium erit, trium capitum principalium præſcriptio, quomodo ſcilicet ſe erga Deum, erga ſeipſos, & erga proximos perfectè gerere debeant. Deſignatis nempe pauciſſimis regulis, quas ad cor in Deum erigendum, ad ſeipſos intrinſecùs, & extrinſecùs ordinandos, & bonam cum proximo converſationem ex gravitate, ac hilaritate compoſitam exercendam obſervare conentur. Exemplum ſit. Ad cor in Deum erigendum, multiplex actus fidei, ſpei, amoris, & contritionis cum ſolita Dei præſentia conjunctus. Ad ſeipſos ordinandos, multiplex abnegatio proprii appetitus, puta ſepties ſaltem, aut octies ſingulos dies repetita, & cum peculiari oculorum, & linguæ cuſtodia conciliata. Ad converſationem proximorum, ſermo parcus & ſpiritualis, & cura proximis cedendi, & placendi, quoad ſalva diſciplina Monaſtica, licebit. Etenim ſi quis pauca hæc monita tenaciter apprehenderet, methodicè proficeret, & brevi perfectus evaderet.

Communio extraordinaria medium alterum.

VII. Aliud medium erit extraordinaria Communio iis, qui aliquid ſolito majus, & ſanctius egerint, præmii loco conceſſa. Solito majus, & ſanctius intelligimus, orationem longiorem, abſtinentiam rigidiorem, ſtrictius ſilentium, modeſtiam perfectiorem aliaque ſimilia. Medii hujus utilitas ex eo perſpicitur, quòd in aliorum exemplum cedit. Cæteri quippe Novitii, unum præ cæteris Sacram Euchariſtiam ſumere cernentes, cauſamque in cultu perfectiore virtutum poſitam eſſe ſcientes proculdubiò æmulationis ſtimulo tangentur.

Sponſio de virtutis alicujus exercitio alterum medium.

VIII. Aliud medium erit, ſponſio de alicujus virtutis exercitio prudenter facta: Prudenter ſcilicet facta: quia nonnulli ſpirituales viri curſum perfectionis incitaturi, ſponſiones ſimul innumeras de plurimarum virtutum cultura in calore ſpiritus faciunt; cum exploratum ſit, eos non modò tot, tantarumque virtutum ſtudium non poſſe juxta ſponſionis modum explere, verùm neque juxta humanam fragilitatem tot virtutum poſſe meminiſſe. Quocirca ejuſmodi ſponſiones pereunt cum ſonitu verborum, quæ in iis faciendis ferventer proferuntur. Sponſio ergo, quam promovendæ perfectioni medium appoſitum eſſe dicimus, multiplex eſſe non debet; ſed una, vel altera virtute, eaque ſimpliciſſima: ut ſcilicet animus tantò plus virium ad opus unum conferat, quantò minùs rerum multitudine diſſipatur. Proponet ergo Magiſter, cum ei expedire videbitur, ſilentii, exempli cauſa, certamen extraordinarium, ad quindecim, aut viginti dies, propoſito, v. g. trium Miſſarum præmio ei, qui perfectiſſimè omnium à verbis abſtinuerit. Dabitque operam huic, & ſimilibus aliis mediis adeo diſcipulos urgere; ut ſi exercendum ſit, nimia potiùs tenacitate mediocritatem excedant. Hi quippe ſunt exceſſus in Novitiis laudati, qui ad tenendum, reliquo vitæ curſu, medium deſtinantur. Sponſiones igitur hæ ſic fiant, ut Magiſter à diſcipulis extrema propemodum requirat. Sic inter noſtros Novitii ita ſanctè ſilere ſolent, ut per menſes multos ſolo cum Magiſtro verba neceſſaria faciant: in cæteris verò occaſionibus nutibus pro verbis utantur.

Actũm virtutum exercitium, medium alterum ad perfectionem promovendã.

IX. Aliud medium, ut in ſolemnioribus feſtis, qualia ſunt Paſcha, & alia ſimilia, coram Oratorii altari, vel alibi Magiſtro dictante Novitii omnes egregios fidei, ſpei, amoris, contritionis, magnanimitatis, & aliarum virtutum actus, additis quoque geſtibus idem ſignificantibus, multa cum animorum, & corporum alacritate producant. Nam præter animorum commotionem, quæ (ut dicitur) ad vocem populi ſolet eſſe maxima; animi bene ad res divinas affecti, in eorum dierum recreationibus, religioſiùs agunt. Ad rem hanc proculdubiò conferent virtutum acclamationes, & anathematiſmi vitiorum; de quibus in penultimo hujus libri capite ſcribemus. Huic medio annectimus aliud noſtris Fratribus uſitatum, diebus feſtorum ſolemnium, quando ſcilicet Magiſter oſtenſo Sacramento nonnullos fidei, ſpei, amoris, contritionis, aliarumve virtutum actus ardenter profert, omnibus ſimul Fratribus eadem Magiſtri verba repetentibus: moxque Communio celebratur.

Medium alterum frequens exhortatio.

X. Aliud medium, ut Magiſter, quaſi militum ductor, qui ſuos milites ad urbem expugnandam pro concione adhortatur, Novitios exhortatione in id facta vehementer impellat, ad virtutem aliquam eximiam, puta, divinam charitatem fortiſſimis cordis motibus, per quos cœlum violenter rapitur, poſtulandam; & per dies aliquot, puta, octo, aut decem, detecto quotidie per horam dimidiam Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, omnes ad ſpem invictiſſimam concipiendam, & cor modico illo tempore validiſſimè in Deum erigendum exhortetur, peractaque admonitione breviſſima ſimul cum eis intentiſſimè oret. Medium hoc planè efficax eſt ad animos extimulandos: & præter bona alia multa, quæ parit, ſingulare hoc bonum affert, ut Novitii perfecti oratores evadant. Ex uno quippe hujuſmodi conatu, & experimento cor ſurſum ferri, & languorem, capitalem orationis inimicum, depellere diſcit: atque adeo ſtatas quotidianæ orationis horas utiliùs, quàm dici poſſit, inſumit. Ex quo efficitur, ut occaſione hujus medii, vel alterius ſimilis, multi è Novitiis, incredibili cordium, corporumque mutatione, ad totius vitæ proceſſum, velut in Angelos transformentur. Dabit autem operam Magiſter, cum hoc medio uti decreverit, in conſpicuo omnibus Novitiis loco, ſe ad eam dimidiam orationis horam ita corpore, vultuque coaptare, ut diſcipuli ejus ſpiritum, & poſitum, ſeu compoſitionem corporis imitantes, omnem deformitatem, inquietudinem, ſtrepitumque vitare, & quaſi rem ſeriam acturi, ſe aptare condiſcant. Monebit autem, ne nimio corporis, capitiſque conatu orent: iis quippe in occaſionibus novi Fratres adhuc ſpiritualium rerum ignari naturam lædere ſolent.

Media a Patribus antiquis adhibita, quæ?

XI. Media hæc ad exemplum propoſuimus, ut Magiſter prudens his utatur, & alia, horum occaſione, per ſe invenire curet ad ſpiritum alendum, & perficiendum. Patres certè noſtri ſtatus Monaſtici conditores media multa auſteriora ad hunc eumdem finem exercuerunt. Quoſdam enim funibus ligatos in medium Monachorum cœtum produci, atque ibi culpas graviores confiteri jubebant. Alios è Monachorum cœtu velut Congregatione juſtorum indignos, extra cœnobii portas pellebant. Alios ridiculè indutos, tamquam amentes, ad medios populos deſtinabant. Alios inſontes ſeveriſſimis pœnis exercebant. Hæc, & alia ſimilia fortiſſimis Chriſti militibus digna præſtabant, qui diſciplinæ Monaſticæ laude claruerunt: nos verò delicati milites leviora experimenta vix ferimus. Benè eſt, ut (Dei gratia) in Religione noſtra Beatæ Virginis, & fundatricis noſtræ Tereſiæ ſapientia, & labore multa, quæ Patribus antiquis erant in uſu, ſuſcitata & in morem inducta ſint: optandumque eſt, ut Religioſi omnes, Magiſtri præſertim Novitiorum, ad hanc gloriam maximam, Eccleſiæ toti utiliſſimam aſpirent.

Aſſidua oratio Magiſtro commendata.

XII. Noviſſimum prudentiæ conſilium, quod hìc Magiſtro impensè commendamus, eſt oratio aſſidua, qua cum gemitibus multis à Clementiſſimo Deo, ac Redemptore noſtro Jeſu Chriſto ſpiritum Sapientiæ, & gratiam ad ſpiritus inſtruendos, & diſcernendos, & Chriſtianam perfectionem promovendam inſtantiſſimè poſtulet. Ad functionem quippe tam piam, & gravem, credendum eſt, præſentiſſimum Dei auxilium affuturum, ſi, ut par eſt, cum fide, ac perſeverantia poſtuletur.

* * *

PARS TERTIA.

De Doctrina Novitiis tradenda.

CAPUT I.

De communibus doctrinæ capitibus.

Doctrina in Novitiorum Magiſtro requiſita.

Quæ doctrina Novitiis tradenda?

I. MAgna ſanè doctrinæ pars in bono delectu poſita eſt. Mundus quippe libris, & ſcholis plenus eſt; & tamen pauciſſimi ad veram ſapientiam, hac præſertim ætate, pertingunt. Quocirca Magiſter certò apud ſe ſtatuat, rem Deo acceptiſſimam, Religionique ſaluberrimam ſe facturum, ſi doctrinæ tradendæ rationem habeat, & prudenter eligat. Ponendum eſt hîc, Novitiorum Magiſtrum inſigni doctrina excultum eſſe debere: non enim virtutes tantummodò egregiæ, quales in parte prima depinximus, verùm & eximia quoque doctrina ad diſcipulos illuminandos, perficiendoſque requiritur. Quapropter eæ Religiones, quæ auctiore ſpiritu Dei aguntur, in Magiſtros novorum Fratrum viros doctiſſimos aſſumunt. Cujus certè conſilii ratio in promptu eſt, quia ſicut ad rudes animos excolendos opus eſt mira prudentia, ita ad implexas multiplices quæſtiones ſubinde exortas diſſolvendas, præſertim quando Novitii nonnulli doctrina pollent, & in humilitatis officio continendi ſunt, ſingulari ſcientia ſæpiſſimè utendum eſt: & niſi gratia Dei copioſiſſima ſuppleat, quod ſcientiæ deeſſe ſolet, Magiſterium iſtud ſua auctoritate, ac decore, ac proinde fructu inde proventuro proculdubiò caret. Experientia quoque hoc ipſum convincit: vix enim dici poteſt, quantò altiùs imprimatur Inſtructio Magiſtri, quem non modò ſpiritualem, verùm & doctum diſcipuli noverunt, quàm illius, cui alterutrum deeſſe conſpiciunt. His ergo poſitis Magiſter ad ſana dogmata Novitiis conſentanea, & ad docendi methodum animum advertat: quæ ſunt duo capita, ad quæ omnis penè doctrinæ tradendæ ratio reducitur. De primo nunc, de ſecundo in proximo capite ſcribemus. Et quidem primum caput, quod ſanam, conſentaneamque diſcipulis doctrinam complectitur, quod ad primam ſui partem ſpectat, nempe, ut ſana, tutave doctrina ſit, non prolixè à nobis tractandum eſt: credendum quippe, nihil non pium, ac tutum ejuſmodi auditoribus prædicandum, aut ſi fortè per incogitantiam labatur, à Magiſtro humili corrigendum, ne ſimplicibus animis, quicquid dicitur, velut oraculum accipientibus noceat. Secunda potiùs hujus capitis pars, nimirum ut doctrina Novitiis conſentanea ſit, longiorem ſpeculationem requirit. Hujus verò ſpeculationis duplex labor eſt: unus in deſignandis iis, quæ proportionem habeant, alter in iis excludendis, quæ à proportione diſcrepant. Proportionem ſanè habet doctrina multiplex de orationis ſtudio, de mortificandis paſſionibus, de virtutibus acquirendis, de modo reſiſtendi tentationibus, de ratione rectè, ac fructuosè confitendi, Euchariſtiamque ſumendi, de modo ſacrum audiendi, de ratione religiosè recitandi, utiliterque legendi, de directione actuum in Deum, de uſu præſentiæ Dei, aliiſque ſimilibus: qui certè campus, & latiſſimè patet, & extra controverſiam aliis doctrinis anteponendus eſt. Hunc ergo campum Magiſter perambulet, & Novitios ea fœcunditate abundè paſcat.

Quid cavendum in doctrina Novitiis tradenda?

II. Alias verò doctrinas, vel ſubtilitate, vel dicendi copia laudatas, quibus capita orationis, & compunctionis ſtudio dedita obtunduntur, ne nominet quidem. Genus enim quoddam eſt adulterandi verbum Dei, conceptus Metaphyſicos, & Rethoricis exornationibus artificiosè coloratos modò genitis in Chriſto infantibus prædicare. Gravia, ſancta, ſimplicia, ſpiritu Dei afflante prolata, paſtus proprius Novitiorum eſt. Huc ſpectat aliqua Sacræ ſcripturæ lectio, qua Magiſter nonnumquam uti poterit, id primùm obſervans, ut ad ſpiritum Dei alendum illam novis Fratribus attemperet. Idemque ad proportionem de aliis piis lectionibus ad culturam Novitiorum, Magiſtri ſententia, pertinentibus aſſerendum eſt.

CAPUT II.

De modo doctrinæ tradendæ, ſive de methodo exhortationum.

I. PArum certè proderit exactè noſſe, quid ſit prædicandum, niſi modum bene prædicandi quis noverit. Quocirca de methodo, ut in capite proximo polliciti ſumus, nunc agendum eſt. Principiò igitur Magiſtrum in Domino vehementer hortamur, ne fortuitò procedat, & abſque methodo, prout ſors tulerit, exhortari ſatis eſſe cenſeat. Sic enim numquam diſcipulos ſatis erudiet, dogmata confundet, nihil certi Novitii è concione reportabunt, & anno expleto rogati de doctrina tradita, reſpondebunt profectò, ſe nihil didiciſſe; vix enim incompoſito illo exhortandi modo aliquid ſe diſcere deprehendunt. Loquatur ergo à conſilio, & tractatum aliquem ex iis, quos recenſuimus, à principio uſque ad finem perſequatur: illoque abſoluto alium incipiat ſimiliter, & abſolvat. Exemplum ſit, tractatus Orationis à primordio ad finem uſque diſertè expoſitus, & diſcipulis coaptatus, ita ut abſoluto illo, partes orationis exercere, & communes orantium errores vitare noverint. Exemplum alterum ſit, tractatus de paſſionibus ab initio ad finem uſque percurſus, & No-

Quænam exhortationum materia eſſe debeat?

Scrip. An. 1607.

Novitiis adeo diſtinctè traditus, ut eo audito, jam ſeipſos introſpicere, paſſiones ſuas dignoſcere, & adversùs eas bellum gerere poſſint. Idem pariter de tractatione alia qualibet dicendum, nempe, ut ſi de virtute aliqua, puta, de Obedientia dicere incipiat, principalia ejus virtutis capita A exponat, & ponderet; ita ut Novitii, quid obedientia ſit, quæ circumſtantiæ ad perfectum ejus uſum requirantur, quæ ſint vitia obedientiæ integritatem corrumpentia, pernoſcant. Hoc quippe modo, mirum dictu eſt, quantum in Monaſticæ Diſciplinæ peritia, praxique proficiant. Profectò brevius, quàm inexperti credant, novi Fratres purgantur, & non modica ex parte perficiuntur.

Correptio culparum brevis, commendata.

II. Neque huic doctrinæ methodo obſtat occaſio multiplex occurrentes Novitiorum culpas corripiendi, quarum correptio ſi differretur, reſtincto illarum ſenſu aut inutilis, aut parùm utilis foret: quia correptio ordinariè brevis eſſe debet, ac proinde tempus perſequendis tractatibus cœptis non adimit: aut certè, ſi ob circumſtantias correptio B alicujus culpæ integram exhortationem expoſcat, non inde concluditur, ut paſſim id contingat, & omnis exhortationum ordo perturbandus ſit. Jam igitur hoc poſito, ut Magiſter non fortuitò prædicet, ſupereſt ut aliam modi ſeu methodi obſervationem accipiat, quæ non in rerum, quæ tractantur, ordine, ſed in ipſo dicendi modo conſiſtit: qui certè modus licet non ſit omnibus communis (Dei quippe donum eſt) eſt tamen abſque dubio mirabilis methodi perfectio, quoad fieri poteſt, à Magiſtris omnibus exquirenda. Modus ergo hic ex rationum connexione, actionum decore, verborumque proprietate conflatur. Connexio rationum mirificè prodeſt ad erudiendum, & illuminandum, decor actionum iis, quæ dicuntur, vitalem quamdam vim C ingenerat, quæ ad movendum magnoperè confert; verborum proprietas proculdubiò delectationem parit. Studeat ergò Magiſter, quæ dicturus eſt, aptè diſponere, rationeſque paucas, & expenſas ad exhortationes ſingulas connectere. Studeat decoris geſtibus proferre, vultum, vocem, totiuſque corporis motum loco, & perſonis attemperare, exceſſum, vehementiam, vocis elationem nimiam, quæ ad mites Novitiorum animos inſtruendos minimè neceſſaria ſunt, vitare. Studeat denique verba propria ſine affectatione ſententiis adaptare, ſuperflua quæque præcidere, doctrinam, quæ diſtinctè tradi debet, verborum confeſſione non obtenebrare. Et quidem obſervationes hæ D ex ipſa bene dicendi arte ſponte ſua naſcuntur: Magiſter verò his contentus eſſe non debet: ſed divinæ gratiæ auxilio debet inniti; ut ſi talento careat, ſpiritus divinus copioſius adſit, ſi habeat, ſpiritu eodem dotes naturæ perficiantur ad animos diſcipulorum excolendos.

Quid agere vitareve debeat Magiſter in exhortatione?

CAPUT III.

De diverſis exhortationum modis.

Quibus modis Magiſter exhortationem agere debeat? Primus modus.

I. CUM exhortationes Novitiorum quotidianæ eſſe debeant, ut ex reformatarum Religionum uſu perſpici poteſt: E opera navanda eſt, ut faſtidium, quod forma una ſemper repetita generat, varietate extenuetur. Quocirca Magiſter ſtudeat novos interdum modos excogitare, qui animos alliciant, & novitate intercalata delectent. Nemini quippe dubium eſt, quin delectatio utilitati admiſta id boni præſtet, ut quæ utilia ſunt, & obrepente tædio minùs utiliter ab auditoribus acciperentur, avidius, ac proinde fructuoſiùs accipiantur, quomodo abſque moleſtia, immò cum voluptate traduntur. Magiſter ergo præter communem dicendi morem, qui ſi bonus ſit, à diſcipulis perceptus, & ex forma cognitus, ſine ambiguitate, prodeſt: utetur nonnumquam modis aliis, qui Novitiis, ex conſuetudine noti non ſint. Exemplum ſit, F ſi Fratribus circumſedere juſſis Magiſter in media velut area ſedens, pictam v. g. hominis imaginem, extenſa carta in ſolo jacentem interpretetur; omnibus ſcilicet attentè ſpectantibus, ipſoque arundine, ſeu virga aliqua in id coaptata, partes hominis indicante, ubi ſcilicet paſſiones excitentur, ubi ſit orationis ſedes, ubi rerum imagines formentur. Hac enim arte animi capiuntur, delectantur, breviuſque, & facilius quàm voce tenus illuminantur, & ſaſalutarem doctrinam imaginibus expreſſam firmius, diutiuſque conſervant, quod experientia ſatis compertum eſt.

Secundus modus.

II. Modus alius extraordinarius ſit, deſignatis tribus, quatorve Novitiis in Oratorii medio ſedere juſſis, & certas ſibi ante id tempus à Magiſtro traditas interrogationes ad omnium inſtructionem proponentibus; G diſertè unicuique reſpondere, ac doctrinam univerſis Fratribus ea forma delectabiliorem efficere. Exemplum ſit, ſi unus è quatuor in medio exiſtentibus ſciſcitetur, qua ratione orationis mentalis partes diſponendæ, ac exercendæ ſint; ſi alter roget, quali Dei præſentia in officio divino perſolvendo ſit utendum. Si alius petat, quo pacto iræ paſſio compeſcenda ſit. Si denique alius quærat, quænam ſint perfectæ obedientiæ conditiones, aut circumſtantiæ, quæ paſſim exerceri debeant. Ecce, ex occaſione interrogationum Magiſter doctrinam ſuaviter variatam diſcipulis utilius tradet, quàm ſi eamdem ſolito more ſemper tradere perſeveraret. H

Tertius modus.

III. Modus alius eſto, unum è Novitiis interrogare, quid v. g. de ſtatu Monaſtico ſentiat, & vel errantem corrigere, vel rectè dicentem adiuvare, amplificata ſcilicet doctrina, eo modo, quem Magiſter ipſe ad exhortationem præmeditatus fuerat, decernens de bono ſtatus Monaſtici diſſerere. Etenim

nim vel ſolus ille modus exhortationem incipiendi Fratres attentiores efficit.

Quartus modus.

IV. Modus alius à loco extrinſecùs affixus ſit, Oratorium à conſilio, præ diebus aliis ornare, floribuſve inſpargere, ita ut Fratres inopini locum illum gratiorem ſolito inveniant. Ex hoc enim ipſo è veſtigio coniiciunt, aliquid ſolito majus ibi agendum eſſe; ac per hoc avidiùs animos exhortationi adaptant, doctrinamque accuratiùs ponderant. Erit autem ad rem hoc uti modo, cùm Magiſter aliquid magni ponderis Novitiorum animis altius imprimere cupit.

Quintus modus.

V. Modus alius efficax valdè in Sacræ Communionis opportunitate ineſt: ut ſcilicet ſtatim à Sacramenti receptione; antequàm Fratres ab Oratorio recedant, Magiſter benè tunc affectos, ac molles exhortetur. Porrò rem eſſe utiliſſimam, & ratio, & experientia docet.

Sextus modus.

VI. Modus alius compendioſus ſit, ſelecta, exempli gratia, virtute aliqua, de qua Magiſter verba facere decrevit, Fratres genua flectere juſſos breviſſimè hortari, & majorem temporis partem producendis virtutis illius, & aliarum ſimilium actibus impendere: ita nimirum, ut Magiſter præeat dicendo affectuſque excitando, diſcipuli verò reſpondeant, firmiſſimè proponendo, & omnem difficultatem, pro cultu virtutis ſuperare decernendo. Modos hos ad exemplum propoſuimus: prudens verò Magiſter his uti, alioſque invenire valebit.

CAPUT IV.

De ſcopo exhortationum, & via, qua Novitii ordinariè ducendi ſunt.

Quid Magiſter in ſuis exhortationis intendere debeat?

I. EXhortationum ſcopus eſt Novitios purgare, illuminare atque perficere, purgare ſcilicet à vetuſtis vitiis, & præſentibus culpis, ac ignorantia: illuminare clariſſima, & formoſiſſima luce virtutum: perficere ſuaviſſimo divini amoris, & unionis ſtudio. Verùm diſcriminis ratio habenda eſt: quia tertium hoc, & omnium plane maximum, licet à Novitiis quoque ſit optandum, parcè tamen exercendum eſt, cum ſit opus perfectiorum, & ipſi perfecti non ſint. Debent illi ſanè à principio inſtrui, ut actus omnes ſuos amore Dei, ſive propter Deum efficere conentur. Etſi enim incipientes ſint, non ob id finem inſpicere non debent: ſi enim diligunt Deum ſuper omnia, quippe qui aliter nec Incipientes quidem eſſent, æquum erit, ut propter illum omnia agere meminerint, quem ſuper omnia, & propter quem omnia diligere cœperunt. At caveant, ne exercitia illa ſublimia, quæ animas paſſionum victoriis, & virtutum jam luminibus illuſtratas decent, audacter attingant: Omnia quippe tempus habent. Magiſter ergo ne permittat diſcipulos ordinem invertere: ſed moneat, ut oculos mentis in ſtatum perfectorum intendentes, & eò pertingere ſatagentes, viam, quæ vitiorum expurgatio, & virtutum acquiſitio eſt, invicta fortitudine conficiant. Dabitque operam, ut ſimiles evadant viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: Exhortationeſque in idipſum diriget, meditationes, & exercitia pariter in eumdem hunc ſcopum collimabit. Cavebit igitur errorem illum enormem, quo plerique non modò ſæculares, verùm & Religioſi apparenter ſpirituales tenentur: qui neſcio quibus internis actibus intentiſſimi de mortificandis paſſionibus, de propria voluntate, judicioque abnegando, de carne maceranda, de virtutibus per ſudores, & agones comparandis minimè cogitant. Studebit potiùs, ut Novitii hæc omnia, quæ via vitæ arcta complectitur, mente complectantur, & exequantur, ut legitimè certent. Huc labor pene omnis debet incumbere, quia hîc omnis penè difficultas ſita eſt. Docebit ergo Novitios recenter indutos initium Sapientiæ, timorem ſcilicet Domini: inſtruetque illos quatuor noviſſimorum meditationibus. Docebit modum mortificandi paſſiones, ac ſimul malos vitiorum habitus contrariarum virtutum actibus extirpandi. Inducet illos ſenſim in meditationem, & imitationem paſſionis Jeſu Chriſti Domini Noſtri. Et hanc methodum ordinariè ſervabit; niſi Novitius aliquis juſta de cauſa, puta, quia in ſæculo hæc ipſa ſatis præſtitit, vel quia ejus ſpiritus bene exploratus ſingulare quippiam perſuadet, aliter ducendus eſſet, ſanctum denique odium parentum, amicorum, & omnium bonorum mundi, perfectamque renuntiationem omnibus recenter indutis perſuadebit.

Quemnam errorem cavere debeat Magiſter?

Quomodo debeat inſtruere Novitios recenter indutos?

CAPUT V.

De regulis in exhortatione obſervandis.

Quaſnam regulas obſervare debeat in exhortatione?

I. NEminem è viris ſpiritualibus fugit obſervationes peculiares ad ſalubriter hortandum eſſe neceſſarias: multa quippe ibi temperanda, multa leniter, multa graviter proferenda, multa prætereunda, & aliis modis varianda. 1. Ergo Regula ſit, ut Magiſter amorem potiùs quàm timorem dicendo captet. Sic cordium Dominus erit, & Novitios flectet, quò voluerit. 2. Regula. In correptionibus ne utatur verbis contumelioſis, ſed ſuavibus, & ad cor emolliendum opportunis. 3. Regula. Ne ſit minax, gravia ſupplica crebrò prædicens, ſi quis ei præcipienti non paruerit: experientia quippe conſtat eas minas vulgo parum prodeſſe. 4. Regula. Ne vociferetur: neque enim locus, vel auditores id requirunt. 5. Regula. Ne nimis graviter, vel imperioſè loquatur: ſic enim animos alienaret. 6. Regula. Excuſet interdum culpas extraordinarias, quas commiſſas fuiſſe novit, ajens difficilè creditu eſſe, eas, niſi per incogitantiam, admiſſas fuiſſe; &

Prima regula.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
exta.

Scrip. An. 1607.

Septima regula.

A

Octava.

Nona.

Decima.

Undecima.

Duodecima.

B

Decimatertia.

mox ſic excuſatas, & à perſonis abſtractas, vehementer execretur. 7. Regula. Leviores imperfectiones, in quas aliquis ſæpè monitus relabitur, ſæpe in exhortationibus diſſimulet: majus quippe ſcandalum, ſeu damnum culpa ſæpe repetita, & notata aliis infert, quàm ſit bonum, quod correptio crebrò repetita relabenti affert. Privatim verò illum admonebit. 8. Regula. Religionis amorem, & minimarum quoque cæremoniarum æſtimationem ſæpè perſuadeat, & repetat. 9. Regula. Verarum virtutum amorem, culparum, & imperfectionum odium frequenter commendet. 10. Regula. Ante ſolenniſſima feſta hortabitur ad idoneam præparationem, levi aliqua re, puta trina proſtratione, vel actu alio ſimili per dies aliquot communiter injuncto, ad ſpiritum excitandum, ut majora diſcipuli privatim poſcant. 11. Regula. Hortabitur crebrò ad regularem obſervantiam, ut Fratres celerrimè in actus communes, ſigno dato, conveniant, & tabellas ad matutinum, & orationem pulſari ſolitas arripiant. 12. Regula. Monebit frequenter, ut perennis illa ratio, quæ à Fratribus noſtris coram Sacramento fieri conſuevit, fideliſſimè exerceatur. 13. Regula. Hortabitur ſæpe, modoſque præſcribet, ad modeſtiſſimè cum aliis agendum, ſive cum Religioſis, ſive ubi occaſio id tulerit cum ſecularibus: neque Novitios rudes, & inſuaves eſſe patietur. Regulas has exempli cauſa propoſitas, aliaſque ſimiles, quas per ſe Magiſter inveniet, ad Fratrum culturam obſervabit.

CAPUT VI.

De exigenda oratione exhortationum.

C

Quid Magiſter præcipere debeat Novitiis ut fructuoſi exhortationes audiant?

D

I. MOnebit Magiſter, ne Novitii, ſæcularium more, audiendis exhortationibus aſſueſcant; quaſi ſatis eis ſit, modico illo tempore, quo fit exhortatio, ad pietatem inflammari, neque aliud impoſterum proſpicere. Sic enim Magiſtrum audire debent, ut ſcientiam Sanctorum ediſcant; & quæ didicerint, ad poſteriorem uſum conſervent. Exiget ergo nonnumquam eorum, quæ dixit, rationem, ut diſcipulos vigilantiores efficiat; monebitque, ut ſelectiſſimas aliquot exhortationum ſententias, aut verba Sacræ Scripturæ, vel Sanctorum, quibus Novitii ſe commoveri ſenſerunt, ſcripto notent: & ad eas relegendas, tempore præſertim ariditatis, inducat. Quàm ſit autem rationi conſentanea perſuaſio hæc, ex eo perſpicitur, quòd viri ſpirituales ex Sanctorum doctrina ſtudent ea vitare, quibus anima areſcit, illa verò diligenter exquirere, quibus devotionis ſenſus excitatur. Atque ideò conſilium ſaluberrimum eſt, ut Novitius quiſque à ſuæ renuntiationis initio huic Sanctorum doctrinæ acquieſcat, & in codice notet non multas, aut longas, ſed paucas breveſque ſententias, quæ cor emolliant, compunctionis ſenſum ingenerent, deſideria æternorum bonorum excitent, mœrorem expellant, & Religioſos alacres ad omne pietatis opus expediant.

Quomodo ſe gerere debeat ad animum, & fidem Novitiorum experiendam?

E

II. Verùm, quò Novitiorum fidem, & animum Magiſter experiatur: ad rem erit, ut omnes ad locum opportunum quandoque convocet, & quæ dictabit, ſcripto excipere jubeat. Dictabit autem pauca, & facilè ſelecta, quæ ipſe novit eis profutura; monebitque, ut parati ſint ea, cum rogati fuerint, fideliter referre. Hæc autem, quæ tunc ſuggeret, eſſe poterunt documenta aliqua, quæ memoria retinere, magni ponderis ſit, vel verba aliqua, quibus communiter omnium Novitiorum animos inflammatos fuiſſe compertum eſt. Poſtquam verò in memoriæ exercitium devenimus, utile conſilium erit, Novitios in propria ipſorum Inſtructione exercere: propoſito nimirum præmio aliquo ei, qui rogatus, de prima verbi gratia, aut ſecunda Inſtructionis parte, ſummam paragraphi cujuslibet fidelius, promptiuſque retulerit. Sic enim æmulatione alterutra proficient, tempuſque in re utiliſſima fructuoſè inſument: quod in tenera præſertim ætate maximi ponderis eſt.

F

CAPUT VII.

De diſtributione exhortationum, ac tempore exhortationi præfigendo.

Exhortatio quando & quoties in hebdomada a Magiſtro facienda?

G

I. POnendum eſt hîc, ſingulis diebus, excepta die, qua capitulum per hebdomadas ſingulas celebratur, exhortationem faciendam eſſe, quod Magiſter fidiſſimè obſervabit, ne conceptus Spiritus Sancti calor elangueat. Sic autem exhortationum dies temperandi ſunt, ut non ſemper ibi de culparum correptione agatur. Feria ergo ſecunda, & quarta (ſolemni feſto, ſeu profeſſionis die aliud non exigente) Fratres à Zelatore (qui erit Magiſtri ſocius) admonitos, vel à ſeipſis accuſatos breviter corripiet; moxque exhortationem habebit.

II. Feria verò tertia, & Sabbato exiget rationem de cultu virtutum, quibus eo tempore Fratres ſtuduerint, ſimulque de præſentia Dei, hoc eſt, quo pacto iis diebus Deum præſentem cogitare, & cor in ipſum erigere aſſueſcant: quo item modo Dei præſentiam cum virtute, quam per hebdomadam illam colere nituntur, conciliare ſtudeant. Debent enim meditationes, ſeu bonas cogitationes à Dei præſentia enaſcentes ita virtuti, de qua paranda cogitant, adaptare, ut vim à præſentia Dei conceptam ad virtutem acquirendam conferant; quemadmodum Fratres noſtri ſemper conſueverunt.

H

Ordinaria exhortatio quando a Magiſtro facienda?

III. Feria quinta exhortatio ordinaria fiet, ſicut, & die Dominica, niſi concio in Eccleſia habeatur, cui, in loco à ſæcularibus ſeparato, atque tecto, Novitii cum cæteris Fratribus intererunt. Jam verò omnibus iis diebus, quibus Fratres Novitii Euchariſtiam ſument, loco recreationis ſolitæ

litæ fiet ſpiritualis collatio de feſto, vel Evangelio occurrente, vel de re quavis ad ſpiritualem profectum opportuna, Magiſtro ſciſcitante ab unoquoque diſcipulo, ac deinde ex collatis ſingulorum ſententiis propoſita definiente. Ubi jubere poterit, ut quiſque dubia quævis de exercitiis, actibus, vel universè de ſpirituali profectu proponat; eaque decidet, ut reſponſo uno cuncti erudiantur. Si autem res ardua ſit, reſponſum differat, quouſque rem pertractet, & ſi opus fuerit, alios conſulat.

Exhortatio quanto tempore perdurabit?

Quod ad exhortationis tempus ſpectat, ultra horam dimidiam exhortatio non procurrat, niſi extraordinaria aliqua ratio oppoſitum perſuadeat. Ejuſmodi quippe tempus ſufficit ad ſpiritualem, quotidianumque paſtum: experientiaque conſtat, ſpirituales etiam auditores è prolixis concionibus inſigne damnum accipere. Nam quod ad certam uſque metam, puta ad horam uſque dimidiam profuerat, animumque ad pietatem excitaverat, ſuccedente concionis æquo longioris tædio, ab anima prolixitatem faſtidiente velut evomitur. Subeſt efficax ratio multiplex ad rem hanc perſuadendam: nam curſus exhortationum non una tantum quadrageſima, vel alio tempore definito durat, ſed perennis eſt, ac ideò mediocritate temperandus. Prætereà Novitiorum animi non indigent præmiis, & verborum apparatu, aut eruditione multa, quæ publicarum concionum partem exiguam ſibi vendicant; ſed mera inſtructione, vel modica affectus excitatione. Deinde, vel Magiſter ſuaviter dicit, vel inſuaviter: ſi hoc ſecundum, perſpectum eſt, tempus dicendi corripi debere, ne nimis diſpliceat, & gravet: ſi primum, prudentia ſuggerit, ne ſuavitatem prolixitate, ſive importunitate perdat, præterquàm quòd rectius conſilium eſt, auditores audiendi cupidos, quam ſaturatos relinquere. Appetentia quippe Inſtructionis ſpiritum alit, ſaturitas faſtidium creat.

CAPUT VIII.

De catalogo eorum, quæ à Magiſtro docenda ſunt, cum ſubjectis annotationibus.

I. FRatres omnes recenter indutos inſtruet Chriſtianæ doctrinæ notitia perfectiore, quàm quæ in ſæculo paſſim habetur.

Quid Magiſter Novitios docere debeat?

Annotatio. Fidei myſteria ita Novitiis explicabit, ut non ſola quantumvis fideli articulorum fidei memoria contenti ſint; ſed ut myſteriorum ſenſum capiant, & rationem eorum aliquam reddere norint. Expedit enim, in oblatis pleriſque occaſionibus non modò Fratres Choriſtas, verùm & laicos, & donatos Doctrinæ Chriſtianæ præcones eſſe, præſertim cum de miſſionibus cogitemus. Docebit divinæ legis præcepta, altiore modo, quàm qui apud ſæculares in uſu eſt, æſtimare, & in medio corde recondere.

Annotatio. Exponet breviſſimè Decalogi fontes, & præcepta, ita ut Novitii majorem ſolito eorum notitiam pariant. Quid ſcilicet ſit, Deum ſuper omnia diligere, ex toto corde. Quid ſit Deum colere. Quid ſit proximum ſicut ſeipſos diligere, &c. Docebit votorum ſolemnium ſenſum, & obligandi vim.

Annotatio. Breviter exponet, quid ſit vovere Deo, quomodo obediendum, ut voto ſatisfiat, quomodo ſit obſervandum votum caſtitatis, & paupertatis, & votum item non ambiendi, quod Congregatio noſtra adiecit. Si enim vota hæc in profeſſione emiſſuri ſunt; æquum eſt, illorum vim, ſenſumque pernoſcant. Docebit Regulæ obligationem, & ſenſum ad breviſſima capita redactum.

Annotatio. Sine ullis quæſtionibus tutiores Regulæ interpretationes Novitiis tradet: oſtendetque quonam modo in Regulæ tranſgreſſione peccetur.

II. Docebit Conſtitutionum obligationem.

Annotatio. Non eſt neceſſe Conſtitutionum volumen percurrere, neque verò aliquid ex eis, niſi Magiſter rogetur, interpretari: cum Conſtitutiones eæ, quæ paſſim obſervandæ ſunt, perſpicuæ ſint, & in Refectorio quotidie per capita legantur. Illarum ergo obſervationem, æſtimationemque monebit. Docebit Inſtructionum obſervationem.

Annotatio. Nihil hìc immorari opus erit: ſed Novitios admonere, ut Inſtructiones officiorum, quæ exercent, fidiſſimè ſervent; eaſque ſtatim, ac officia eis iniunguntur, attentè legant. Docebit compendium Orationis, quod in Inſtructione Novitiorum habetur.

Annotatio. Compendium illud complectitur, quicquid ordinariè à ſcriptoribus de Oratione mentali traditur. Et adiecta brevi Magiſtri expoſitione Novitii de re hac planè graviſſima ſufficienter inſtruentur. Docebit modum mortificandi paſſiones.

Annotatio. Explanabit tractatum de paſſionibus, qui habetur in Inſtructione Novitiorum: dabitque operam, ut ſinguli, & paſſionum numerum, & mortificandi modos diſtinctè ſciant, atque exerceant. Scientia quippe hæc proculdubiò utiliſſima eſt. Docebit modum parandi virtutes.

Annotatio. Uti poterit doctrina, quæ habetur in ſecunda parte Inſtructionis Novitiorum: curabitque ut interiores, & exteriores virtutum actus propriè, ac promptè producere noverint: & uti rem ſummoperè neceſſariam eis hanc peritiam commendabit. Docebit modum rectè peccata confitendi.

Quomodo inſtruendi Novitii circa examen conſcientiæ?

Annotatio. Præſcribet Novitiis conſcientiam examinandi formulam ad breviſſima, & pauciſſima capita redactam: ut ſcilicet per cogitationes, verba, & opera, & omiſſiones diſcurrant; & (quod caput eſt) rationes, ſive (ut vulgò dicimus) motiva

Scrip. An. 1607.

ad contritionem concipiendam in promptu habeant. Mox verò ad Magiſtri pedes provoluti, præmiſſa dimidia Confeſſione generali, ſumma cum animi demiſſione culpas per ſupradicta capita diſtinctè recenſeant, ſub finemque aliquid ex anteacta vita determinatum, puta, præteritæ vitæ mendacia, proferant; totiuſque vitæ peccata universè propter Deum ſummè dilectum formaliter deteſtentur, ac inpoſterum non peccare certiſſimè ſtatuant. Docebit modum rectè communicandi.

Annotatio. Modus hic ex tribus componitur, ex idonea præparatione, ex humili, Religioſaque ſumptione, ex gratiarum actione. Magiſter ergò doceat Novitios idoneam præparationem, qualis eſſet exercitatio fidei, ſpei, & amoris, per multiplices actus in ſanctam Euchariſtiam directos. Idoneam item ſumptionem cum animi demiſſione, ac divinæ unionis deſiderio: debitam quoque gratiarum actionem ſumma æſtimatione tanti doni, ac integra voluntate Deo perfectiſſimè placendi conſtantem. Coneturque diſcipulos ad Sacramentorum uſum, & venerationem vehementer afficere. Docebit modum Dei præſentiam ubique animo pertractandi.

Novitii quomodo inſtruendi circa præſentiam Dei?

Annotatio. Inſtruendi ſunt Novitii, quid Dei præſentia ſit: quibus modis exercenda; quo pacto memoria retinenda: ut in eorum Inſtructione notatum eſt. Providebitque Magiſter remedia Fratribus noſtris uſitata ad Dei præſentiam jugiter recolendam, & fragilem memoriam adiuvandam: cujuſmodi ſunt funiculi brachiis religati, nodi cingulorum, & alia ſimilia. Docebit matutinam, & diurnam actuum directionem.

Annotatio. Sit Magiſter diligentiſſimus animorum in Deum excitator; & diſcipulos erigendæ in Deum mentis peritiſſimos efficiat; ita ut actus ſingulos expeditè in Deum referre, ac ſingulos in multiplices multarum virtutum fines dirigere noverint. Eo quippe ſtudio, & exercitio mirum eſt, quantopere animus incaleſcat, meritaque multiplicet. Docebit modum religioſè, ac fructuoſè recitandi.

Qualiter inſtruendi circa modum fructumque recitandi?

Annotatio. Curet Magiſter animis Novitiorum modum quemdam recitandi, ſive pſallendi verè gravem, ſolidum, & Eccleſiaſticum imprimere. Ne ſcilicet in errorem illum degenerent, qui multorum animos implicuit, & capita debilia fecit. Multi nimirum officio divino tot, tamque multiplices amoris, adorationis, ſpei, & aliarum virtutum actus admiſcent, ut vix reſpirandi locus ſuperſit: atque ideo ſollicitè admodum, & inquietè officium perſolvunt, & caput ſpirituali vitæ ineptum reddunt. Sanius conſilium eſt, quod eſt Eccleſiæ menti magis conſentaneum, ut nempe qui officium recitant, conceptus illos ab Spiritu Sancto dictatos, & ut recitentur, & cogitentur, clericis aſſignatos, ita mente pertractent, ut quæ dicunt, ſenſu complecti, & affectus illis divinis ſententiis conformes excitare nitantur; paucis interdum actibus, puta ſpei, amoris, timoris, intercalatis, qui neque certo numero comprehendantur, neque ad peculiaria quædam obiecta mentem diſtrahentia dirigantur. Eo quippe ipſo, quod quis certum adorationum, verbi gratia numerum, & certa quædam obiecta, puta primo verſu lateris Chriſti vulnus, ſecundo manum dexteram, tertio ſiniſtram ſibi præfixit, profectò ab officio divino graviter, utiliterque dicendo longè divertitur, & valetudini vehementer officit. Neque huic doctrinæ obſtat Novitiorum inſcitia, utpote qui pſalmorum, & aliorum librorum Canonicorum ſenſum non omninò capiant: nam & partem capiunt, & hunc recitandi modum eò dirigimus, ut proceſſu temporis omnia, quæ in officio divino recitantur, callere poſſint. Docebit modum, quo actibus communibus intereſſe debent.

Annotatio. Percurret Magiſter communes actus, & ſpiritum proprium actus cujuſque explicabit, ut exempli gratia, in Capitulo compuncti, in Refectorio temperantes, in Lectione attenti, in Recreatione hilares, & modeſti ſint: atque ad eum modum cæteris actibus, & animos Fratrum, & corpora coaptabit. Docebit modum agendi cum aliis Religioſis, qui ſit omnino ſpiritualis.

Annotatio. Enitatur Magiſter quum ſollicitè poterit Novitios verè ſpirituales efficere: ut ſcilicet rerum cœleſtium meditatione, ac ſermone delectentur. Ne videlicet, cum colloquendi occaſio ſe offert, ſtatim ad res inanes ferantur, ſed ſpontè ſpiritualia, quæ profeſſionis Monaſticæ ſunt, inter ſe tractent, totiuſque corporis moderatione imaginem veri Religioſi repræſentent. Docebit modum agendi cum ſæcularibus, qui ſit parcus, & ex hilaritate, ac gravitate temperatus.

Annotatio. Monebit Novitios ad totius vitæ curſum, ut ſæcularium, quantumvis propinquorum familiaritatem (quoad per obedientiam licebit (tamquam rem boni ſpiritus inimicam vitent. Quando verò vitari non poſſit, parcè, comiter, & graviter agant: ſemperque illos ad pietatem verbo, ſive exemplo excitare conentur. Docebit & alia multa, quæ cum minutiora ſint, vix poſſunt ad capita certa reduci: è quibus multa in quarta parte tangemus. Jam verò ex Cathagologo præmiſſo peſpici poteſt, quàm vigil, ac ſedulus Magiſter eſſe debeat, qui adeò laborioſam, gravem, variam, atque difficilem culturam exercet.

CAPUT IX.

De iis, quæ in educatione Novitiorum præſertim cavenda ſunt.

I. AD Magiſtri proculdubiò doctrinam pertinet non modo noſſe, quæ ſint agenda (de quibus ſcripſimus;) verum &

Scrip. An. 1607.

Quæ & quot mala vitanda in Novitiorum educatione?

quæ non ſint agenda, ſeu quæ ſint fugienda pernoſcere atque monere. Et quamvis hæc penè innumera ſint, Deo tamen propitio, graviora ex iis ſubiiciemus, ut Magiſter in promptu habeat catalogum eorum malorum, quæ debet exterminare.

Primum malum vitandum.

II. Primum malum. Infidelitas contra Magiſtrum. Malum hoc planè graviſſimum, & velut omnium malorum, quibus Monachi vexantur, origo eſt, opponitur quippe bono maximo, & cæterorum bonorum origini, hoc eſt, fidei erga eum, qui perſonam Chriſti gerit, per quem quaſi per canalem quemdam omnia in Novitios fideles bona corrivantur. Expellet hoc malum Magiſter, ſi charitate inſigni cum diſcipulis mitiſſimè verſetur.

Secundum.

III. Secundum malum. Suſurrus, quando ſcilicet Novitii tentati alios verbis parum ſalutaribus perturbant; & vel ſuæ tentationis conſortes efficiunt, vel ſaltem à Monaſticæ diſciplinæ ſtudio divertunt. Quod certè malum ingens eſt, & in Novitiis natu majoribus, cum tentantur, frequentius ſolet inveniri. Huic malo ſuccurret Magiſter, ſi mox ac aliquem ejuſmodi tentatione vexatum cognoverit, per ſe, aut per ſocium fidum ſibi aſſignatum, omnia luſtret, ne alicubi ille malè affectus lateat, ubi alios inficiat: expedietque illum multis occupationibus diſtinere in locis perviis, ubi ſæpe viſitetur.

Tertium.

IV. Tertium malum. Licentia eorum, qui cum reliquorum ſcandalo, vel audacter loquuntur, vel operantur, omninoque cum Magiſtro quaſi luctantur. Permittit quippe Deus ejuſmodi occaſiones accidere, ut qui probati ſunt, proficiant, & manifeſti fiant. Huic malo fortiter obſtandum eſt, & feſtinandum, ut qui protervus eſt, aliiſque ſcandalo nocet, ut citò ſerioque recedat. Corripiet ergo illum ſeverè Magiſter, & expulſionem prænuntiabit, niſi confeſtim ad ſe redeat. Dabitque operam, ut Superior omnia noverit, & juſtitiam maturet. Importuna enim hìc miſericordia eſt, cujus abuſu alii audere diſcent.

Quartum.

V. Quartum malum. Singularis familiaritas eorum, qui vel ob ingenii ſimilitudinem, vel aliam quamvis ob cauſam non ſine aliorum nota, occaſionibus oblatis, vel quæſitis, ſimul verſari aſſueſcunt. Malum hoc à diſciplina monaſtica longè diſtat: quocirca Magiſter ejuſmodi familiares corripiet, & ut indifferenter cum aliis verſentur, injunget. Quod ſi relabantur, pœnas imponet, ſenſimque augebit, donec illos abjungat.

Quintum.

VI. Quintum malum. Nimia cura ſui: nonnulli quippe, ex iis præſertim, qui in ſæculo diu, ac molliter vixerunt, peregrina quædam dogmata de tuenda ſanitate in Religionem ſecum ferunt, atque ſervare ſtudent. Hi ſunt hoſtes diſciplinæ Monaſticæ, eò ſanè pejores, quò pallio ſanctiore teguntur. Magiſter ergo illos ab hac ſui cura graviter dehortabitur, & rigidius exercebit, cavebitque vigilantiſſimè, ne alii eam doctrinam ediſcant.

Sextum.

VII. Sextum malum. Abuſus charitatis, malum ſcilicet affine huic proximè dicto; quod accidere ſolet iis, qui cum leviter ægrotaverint, numquam (ut ita dicamus) convaleſcunt. Et inde ſubit tepor ſpiritus; orationis, chori, & cæterorum actuum odium; quaſi diſciplina Monaſtica morbi cauſa extiterit. Accedit quòd culcitras, & lintea, vel alias commoditates charitate Chriſtiana dignas in officinam non referunt, donec à Magiſtro moneantur. Atque hi, cum otiosè diſcurrant, ſub nondum recuperatæ ſanitatis prætextu ſocios requirunt, multiſque modis animo potius, quàm corpore ægrotant. Erit ergo vigil Magiſter ad hos reformandos, ac ſuaviter in cæterorum ordinem redigendos. Viſitabit hos, eorumque cellas explorabit, ac illa velut idola commoditatum cuſtodiæ legum inimica auferenda curabit.

Septimum.

VIII. Septimum malum. Nimius amor actuum minus ſpiritualium. Experientia quippe quotidiana compertum eſt, Novitios Choriſtas affici ad laicorum, Donatorumve obſequia, quantumvis laborioſa, iis præſertim horis, quibus officium divinum recitatur, vel fit mentalis oratio: ſpiritu ſcilicet maligno inſtigante, ut functiones eas, quæ illorum propriæ, Deoque proximæ ſunt, tenuiter ament. Hos Magiſter ſtatim ac exploratos habuerit, admonebit, & ad Oratorium, Chorumque reducere conabitur.

Octavum malum vitandum in Novitiorum educatione.

IX. Octavum malum. Audacia officiorum occaſione colorata. Paſſim quippe accidit, ut Novitii, quibus ea officia injunguntur, quæ in Magiſtri, vel Patrum præſentia non exercentur, penè omnia ſibi licere exiſtiment. Hinc efficitur, ut miniſtri infirmorum (quod exempli gratia dictum ſit) verboſi, contentioſi, immodeſti, legum interpretes, per innumeras occaſiones evadant. Hos ergo Magiſter crebrò ad ſe vocabit, & imparatos viſitabit, ne dum aliis ſanitatem afferre nituntur, ipſi graviter decumbant.

X. Mala hæc, quæ ad memoriam, & diligentiam Magiſtri adiuvandam protulimus, aliis multis explorandis, & corrigendis viam facient. Sit igitur Magiſter in explorando oculatiſſimus, in medendo promptiſſimus: ut cum Divinæ gratiæ auxilio, quod ei proculdubiò aderit, Religionis bonum tueatur, dum Novitios inſtruit, obſecrat, increpat; & nihil ſedulitatis prætermittit.

PARS QUARTA.

De exercitiis, & varia Novitiorum diſciplina.

A

CAPUT I.

De electione ac exercitio virtutis menſtruæ.

Virtutis menſtruæ electio commendata.

I. INitio cujuſque menſis eliget Magiſter virtutem unam, qua Novitiorum cœtum magis ad perfectionem promovendum exiſtimat; & ad univerſale certamen eam proponet ſub verbis in Novitiorum Inſtructione præſcriptis. Ut ſi (exempli cauſa) oculorum licentiam inter Fratres deprehendit, virtutem modeſtiæ colendam proponat: & in exhortationem ejus virtutis amorem, & æſtimationem diſcipulorum animis ingenerare conetur. Monebit in menſis illius decurſu, quoties ei opportunum videbitur, ne Fratres virtutem initio ſelectam, & commendatam oblivioni tradant: verùm de illa paranda ſæpe cogitent, & mediis appoſitis utantur. Licet ad hanc virtutem deſignandam communis indigentiæ ratio habenda ſit: ſæpe tamen temporis ratio habenda eſt: incidentibus nempe feſtis ſolemniſſimis, atque conjunctis, quæ proprias, myſteriiſque debitas virtutes expoſcunt. Sic intra menſem occurrentibus feſtis Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & aliis ad eamdem proportionem Nativitati Chriſti penè contiguis, curet Magiſter lætiores virtutes aſſignare, quibus Fratres ſimul feſta lætiſſima celebrent, ſpirituque proficiant. Navet operam, ne diſcipuli virtutis ſemel deſignatæ, atque ad culturam ſub legitimo certamine propoſitæ ignari, experteſque remaneant: ponderetque occaſionem proficiendi à Deo oblatam, & novorum militum captui attemperatam: qua ſi (ut decet) utuntur, multiplices de virtutum agone coronas accepturi ſint.

B

Virtus lætior quando eligenda?

C

CAPUT II.

De virtutis delectu per hebdomadas.

D

Electio virtutis per hebdomadam exercendæ commendata.

I. PRæter eam virtutem, quæ ſingulorum menſium certamini præfigitur, per ſingulas hebdomadas virtus alia ab unoquoque ſeligenda eſt, cui iis paucis diebus accuratiſſimè ſtudeat. Eligetur hæc virtus exhortationis tempore, pro cujuſque deſiderio ex anteacta rei meditatione concepto, quo in eventu non eadem, ut ex ſe patet, ab omnibus eligetur: ſed Magiſter à ſingulis, quam virtutem optent, ſciſcitabitur; ſingulorumque optatis annuet, niſi malè eligendo errent. Vel certè Magiſter ipſe ſalutarem fore univerſis diſcipulis virtutem unam conſpiciens, eam omnibus hebdomada illa colendam iniunget. Meminerit virtuti parandæ media præſcribere, & ad ſanctum utiliſſimi hujus exercitii propoſitum indefeſsè Novitios adhortari. Ex frequentia enim electionis obrepit modicæ æſtimationis tentatio; quæ animi vires enervat. Quando autem Novitii ſinguli ordinatè interrogati virtutes diverſas eligent; docebit, quo pacto in eligenda virtute indigentiæ propriæ rationem habere debeant: ut ſcilicet eam optent, qua ſe magis indigere cognoſcunt. Hortabitur, ut poſt eam electionem unuſquiſque in propria illorum Inſtructione electæ virtutis caput legat: actus notet, ac diſcat: rationes, quibus animus ad opus incenditur, expendat. Studio, ac labore cujuſque per experimenta probato, plerumque expediet, ut virtutem eamdem quis ſæpius eligat per hebdomadas aliquot proximas; donec iterato exercitio nonnullos, aut certè multos progreſſus ſe in ea virtute feciſſe ſentiat. Quod tunc præſertim expedire videtur, cum paſſione aliqua vehementius infeſtatur. Ipſa quippe vexationis magnitudo poſtulat, ut remedium idem, cum appoſitum ſit, & repetitum, animam perſanare poſſit, à Magiſtri, quaſi prudentis medici, conſilio identidem applicetur.

E

F

CAPUT III.

De ſpiritualibus Novitiorum exercitiis, & præparatione ad profeſſionem.

G

Quomodo Novitii ſe præparare debeant ad profeſſionem?

I. MAgiſter dabit operam, ut omnes Novitii infra ſuæ probationis annum ſpiritualia exercitia faciant in loco deſignato: ubi per dies aliquot ſoli morabuntur, & orationis, ac piæ lectionis paſtu confirmabuntur ad reliquam viam celerius, perfectiuſque conficiendam. Tunc accurata diſcuſſione, & intima peccatorum contritione confeſſio generalis fieri poterit, niſi juſta de cauſa ante id tempus facta fuerit. Atque ad eum modum Novitii, qui exercentur, puriores evadent. Erit rationi conſentaneum, ut tempus, quo Novitius quiſque ſpiritualibus his exercitiis vacat, ſit profeſſioni proximum; ut rem tantam ſeorſim altè præmeditetur, & de Magiſtri conſilio, opportunis meditationibus, & actibus ad eam ſe comparare ſtudeat. Inter alios præparationis actus erit ad rem, formulam præparationis ad profeſſionem, quæ in Inſtructione Novitiorum habetur, per dies aliquot, ter vel quater, ex animo legere, illoſque affectus ſeriò concipere.

H

II. Iis diebus, qui exercitiis deſtinantur, Magiſter Fratres ibi Deo vacantes frequenter viſitabit, & rationem rerum exiget, atque ſalutaribus monitis inſtruet. Curet Magiſter Fratres, qui exercentur, firmiſſimo aliquo peculiari pacto cum Deo coniunniungere, ut ſcilicet impoſterum eo pacto ſe obligatos ſentiant ad aliquid ſolito ſanctius Jeſu Chriſti amore præſtandum: ut ſi quis (exempli gratia) verboſus, vel immodeſtus fuerit, ex quo cum Deo pepigit, ſe inpoſterum tacitum, modeſtumve futurum, ſe ſtrictiſſimè vinctum ſentiant, & in propoſito A perſeveret. Atque hic certè uberrimus, & ad aliorum exemplum efficaciſſimus exercitiorum fructus erit. Sedulò curet tempus antevertere, ut qui habent temporalia bona, & teſtamentum, aut aliud diſpoſitionis genus, facturi ſunt ante poſtremos illos dies ſtudio rerum internarum, & graviſſimo profeſſionis actui præmeditando aſſignatos, ſeipſos expediant. Iis quippe diebus ſæculares cogitationes non ſolùm importunæ, ſed ſpiritus divini capitales inimicæ ſunt.

CAPUT IV.

De exercitiis ante ſanctiora tempora fieri ſolitis.

B

I. PRæter eam animi præparationem, quæ ante ſolemniſſima feſta fieri ſolet, mos inter Fratres noſtros invaluit, ut appropinquante Adventu, Quadrageſima, curſuque illo jeiuniorum Ordinis proprio. Magiſter Novitios admoneat, & præſcriptis exercitiis internis, ac externis ad ulteriorem perfectionem comparandam opportunis præmuniat. Diebus ergo decretis illos ad curſum adhortabitur; & ad rem ferventius, ac fructuoſius præſtandam præcipiet, ut quiſque ſi animadverterit, actum aliquem communem lenteſcere, vel oblivione ſenſim deleri, aut actum aliquem ad perfectionem deſiderari, ſcripto notet, atque ad ipſum deferat, ut perfectionem Monaſticam promovendam curet. At caveat, C ne temerè novos ritus inducat, vel quicquam immutet. Per hoc tempus, ad ſpiritum alendum, mitti ſolent ſpiritualia certamina Magiſtri, ac Novitiorum omnium nominibus ſubſcripta ex uno in aliud, aut alia Religionis Cœnobia; quod ad animos æmulatione ſancta extimulandos, mutuaque charitate delectandos plurimum ponderis habet. Hæc ergo certamina Magiſter oblivioni ne tradat.

Exercitia ante ſollemniora feſta quæ agenda?

CAPUT V.

De officiis ad Novitiatum ſpectantibus iniungendis.

I. QUamquam ad partes Magiſtri pertineat, D ſingulos Novitios officiis omnibus inſtruere, ut poſtquam profeſſionem emiſerint, omnia per oblatas occaſiones exercere valeant: curare tamen debet, ut ad officia nonnulla peculiari obſervatione digna non omnes promiſcuè deſignet. Hujuſmodi eſt Janitoris officium, quod ſingularem modeſtiam, comitatemque requirit. Quocirca iis, qui inter Novitios modeſtiſſimi fuerint, hoc officium iniunget. Sacriſtam Oratorii ſimiliter, prævia modeſtiæ ac devotionis conſideratione, qua miniſter is præſtare debet, creabit, & creato cultum Beatiſſimæ Virginis ſummoperè commendabit. Hortabitur miniſtros, ut ſedulò agant, & ea, quæ communiter præparanda E ſunt, adeò maturè expediant, ut nullus ab eorum incuriam communitatis actus retardetur. Quòd ſi in eo genere negligentes fuerint, ſeverè corripiat.

CAPUT VI.

De exercitio mortificationis, ac paupertatis alendo.

I. AD mortificationis ſtudium, & cultum alendum Magiſter Novitiorum Fratres in ordinarias culpas prolapſos interdum leniter flagellabit, tergi parte modeſtè detecta: atque ad eum uſum virgarum faſciculum ſepoſitum in Oratorio habebit. F Ad eumdem finem ordinaria mortificationis inſtrumenta, puta ad oculos velandos, & os obſtruendum, modo huic, modò illi, vel petita concedet, vel non poſtulata injunget. Nunc lapillum ore gerere: nunc abſque capucio conjunctis manibus, præ Chori, vel Oratorii foribus hunc, vel illum genuflexum per modicum tempus orare jubebit. Ac denique alia omnia mortificationum genera, quæ in morem ſanctiſſimè inducta ſunt, tueri conabitur. Navet operam, ut inter alia univerſa divitem Jeſu Chriſti paupertatem Fratres colant, & æmulatione multa perenniter, adeò affectent, ut nihil in hoc mundo, ne veſtes quidem, quibus teguntur, aut alia, quibus neceſſario utuntur, poſſidere velint. Quocirca juxta G morem Religionis antiquum, veſtes, libros, imagines, cellaſque frequenter mutet: ne fortè incauta juvenum corda, & ejuſmodi rebus nimis adhæreant, & à perfectionis curſu retardentur.

Quomodo exercendi Novitii in mortificatione?

CAPUT VII.

De exercitiis in recreationis loco, ac tempore fieri ſolitis.

I. ALat Magiſter utilem illum morem Novitios abſque faſtidio erudiendi in ipſo recreationis loco; ubi multa diſcuntur, quæ modicam animi attentionem requirunt, ac proinde minimè vexant, neque formam recreationis immutant. Docebit ibi Fratres in chorum duplicem diſcretos H modum canendi Religioni conformem: errantesque inſtruet, lætaquæ nonnulla admiſcebit. Docebit modum clarè, ſedatè, diſtinctèque legendi, qui ad commovendos animos efficax ſit: vitiaque prolationis, & accentus emendabit. Docebit officii divini regulas, ſive rubricas, ita ut Novitii ante profeſſionis diem regulas officii ſufficienter

Quid Magiſter in recreationis loco docere debeat Novitios?

Scripta An. 1607.

ter exploratas habeant, quandoquidem ad officium perſolvendum una cum profeſſione obligandi ſunt. Docebit ibi modos plurimos utiles ſimul ac lætos, ſtandi, ſedendi, incedendi; capitis, brachiorum, totiuſque corporis moderationem, prout in Novitiorum Inſtructione traditur. Docebit ibi interdum nonnullas cæremonias ad miniſterium Miſſæ, vel Chori, vel aliorum locorum attinentes, ut Fratres perfectè, ac expeditè illas exerceant. Docebit alia leviora, quorum Fratres non decet ignaros eſſe, ut veſtes reſarcire, legumina purgare, lintea plicare, & ejus generis alia, quibus animus, corpuſve minimè gravatur. Quando verò exercitia hæc in recreationis loco fiunt, caveat Magiſter, ne Novitii capite nimium demiſſo, taciti ac mœſti permaneant; illoſque nonnullis intercalatis interrogationibus exhilaret. Quod æquè animadvertendum eſt, quoties aliquid ibidem legitur: ne ſcilicet Magiſter ſinat Fratres per tempus illud modicum ita tacitos, & lectioni intentos eſſe, ac ſi concionem audirent: ſpiritualis quippe doctrina locorum, ac temporum diſcrimen obſervat.

CAPUT VIII.

De exercitiis ad valetudinem conferentibus.

Novitii quibus in laboribus exercend?

I. EXpedit proculdubiò ad valetudinem animæ, corporiſque tuendam, Novitios variis officiis, & attemperatis laboribus exercere. Quocirca pars diſciplinæ monaſticæ eſt, labor aliquis cum moderatione ſuſceptus, ut ex Sanctorum Patrum hiſtoriis facilè conſtat. Magiſter ergo, cum per tempus licebit, Novitios, vel omnes vel aliquos in hortum mittet ad inutiles herbas evellendas. ad vias ſcopis mundandas, ad areas irrigandas, vel quid ſimile efficiendum, quo ad ſanitatem exerceantur. Idem ad proportionem injunget, in aliquibus fabricæ occaſionibus, ubi cauto, ne cum ſæcularibus loquantur, vel ne in locum extra clauſuram egrediantur; per modicum temporis ſpatium lapides, aut ligna comportare, vel ſimile quippiam exercere poterunt. Jam verò crebrò eis injungit Magiſter miniſteria alia, quæ frequentiora ſunt, puta Eccleſiæ pavimentum foribus clauſis verrere, candelabra, & alia Sacriſtiæ vaſa mundare; ut charitas ſimul, & ſanitas corporis exercitatione augeatur. Cavebit autem, ne iis in exercitiis lingua relaxetur, vel aliud mali genus accidat. In ſilentio quippe operari Regulæ noſtræ ſanctio eſt.

CAPUT IX.

De inſtructione Novitiorum, quoad obſequia multa quotidiana.

I. DEt operam Magiſter, ut obſequia familiaria, quæ in Dormitorio, Refectorio, Culina, & aliis officinis Novitii exercent, perfectè, mundè, ac expeditè præſtare diſcant. Quapropter Acolythos, rigatores, fricatores, & miniſtros alios erudiet, ut ſine ſordibus officia exequantur. Acolythos inſtruet, quemadmodum oleum infundere, & à maculis accuratè abſtinere debeant: multa quippe indecora contingunt hujus admonitionis neglectu: ut veſtes, menſæ, libri oleò perfuſi demonſtrant. Rigatores docebit, quomodo ſine motibus, & diſcurſibus incompoſitis aquam inſpergere deceat: nonnulla enim parum decora feſtinatio, & ſollicitudo illa parit. Fricatores inſtruet, qua ratione manicis replicatis, linteoque prætenſo ſuccincti, Culinæ vaſa extergere, & à ſordibus abſtinere debeant; ut in loca ſanctiora redeuntes non malè oleant. Denique Magiſtri partes ſunt, Novitios omnes ad omne domeſticum obſequium inſtruere, & minuta quæquæ patienter, ac perſeveranter inculcare: ut ſi, exempli gratia, videat Refectorii, ſeu menſæ miniſtros, aut eos, qui domum everrunt, ſcapulari pendente opus illud exequi, moneat, ſe præcingant, modumque cingendi doceat. Sic enim tuebitur decorem domus Dei.

Acolythorum officium.

Magiſtri partes quæ?

CAPUT X.

De viſitatione cellarum.

I. MAgiſtri eſt, Novitiorum cellas ſæpè luſtrare, ut videat, ſitne quid ſuperfluum, aut diminutum, ſordidum, aut incompoſitum, quod ingredientium oculos poſſit offendere. Ubi multa charitatis, & aliarum virtutum officia erga ſingulos poterit exercere. Monebit, ut in cellis tamquam in Oratoriis agant, nihilque indecens admittant, operimenta lecti componant, vaſa tecta, & munda ſub lecto abſcondant, tunicas exutas, donec à miniſtro repetantur, mundatas, & complicatas ſub lecto ita reponant, ut videri non poſſint. Quia verò ex incuria, vel aliis ex rationibus Fratres ſine Magiſtri venia in cellis habere ſolent levia nonnulla, quæ rudes adhuc animos minimè vexant, cum tenuja nondum æſtimare noverint: præcipiet interdum Fratribus univerſis, ut ſi quæ abſque obedientiæ conceſſu in cellis habeant, ea in recreationis locum conferant. Factoque quodam rerum acervo, imprecabitur illi malum; ac res illas velut anathemata quædam ſeponi, ac in loco uno ſeparato aſſervari jubebit, donec aliud ſtatuatur. Ritus quippe hic (ut experientia multiplex docuit) energia pollet ad animos ſine faſtidio permovendos, & obedientiæ cultum perficiendum. Meminerit verò Magiſter loci ac temporis, ne ſcilicet ullam pœnam inferat iis, qui ſpontè res illas contulerunt. Satis enim actu illo execrationis in acervum rerum prohibitarum directæ animi in recreationis loco commoventur. Expletis verò diebus illius interdicti res jam velut purga-

Cellularum compoſitio commendata.

Quid agendū de iis quæ Novitii acceperunt abſque obedientiæ conceſſu?

tas diſtribuet iis, quos magis indigere perſpexerit.

CAPUT XI.

De fidelitate Magiſtri erga Religionem in Novitiis probandis, aut reprobandis.

A I. Poſtquam Magiſter Novitios ſedulò, ac perſeveranter inſtruxerit, per dies octo, antequam de illis ad profeſſionem admittendis agatur, Patribus in Capitulo Conventus exiſtentibus nuntiabit, in ſubſequentis hebdomadæ Capitulo de hoc, illove Novitio agendum eſſe: ut rem præmeditentur, Deoque commendent; prævioque conſilio, & oratione ſuffragia ferant. Quamvis verò Magiſter, juxta morem noſtrum, Patres ex uno in aliud Capitulum ter præmonere, ac in deſignato Capitulo, quid de Novitio ſentiat, veraciſſimè aperire debeat, quarto ſcilicet, octavo, ac decimo Novitiatus menſe, ultimæ tamen propoſitionis, & fidæ relationis actum ab eo gravius, & accuratius exerceri debere manifeſtum eſt. Tunc quippe res tota vertitur, & ſumma rerum perſpicuitas, veritaſque requiritur.
B Caveat ergo Magiſter, ne ullo humaniore ſenſu aut malos probet, aut bonos improbet: graviſſimè quippe communi bono nocebit. Fides ei à cæteris Patribus habebitur, qui non valent Novitiorum ingenia, moreſque penitus noſſe, cum illorum curam minimè gerant: atque idcirco bonum aut malum ingens, quod ex errore probationis, aut reprobationis emerget, illi præſertim aſcribetur, neque ſanè impunè feret. Liberè, ſyncerè, fideliterque rationes proferat, quæ ab omnibus Patribus capiantur: ſolamque Dei gloriam, Religioniſque bonum in re tam ſeria præ oculis habeat. Neque vereatur bonos poſt adhibitam diligentiam, ſedulamque culturam occaſione fidæ relationis, ubi aliquas eorum imperfectio-
C nes recenſuerit, expellendos, aut non bonos admittendos, quamvis nonnulla eorum bona protulerit. Decet quippe divinam bonitatem malum adeò grave ex occaſione boni officii minimè permittere.

CAPUT XII.

De acclamationibus virtutum, & anathematiſmis vitiorum.

I. Quod in Capitulo duodecimo ſecundæ partis, dum ageremus de mediis ad promovendam perfectionem opportunis, polliciti ſumus, in hoc penultimo capite, favente Deo, præſtabimus: ut Ma-
D giſter vel in Oratorio, vel in recreationis loco, vel alibi, ubi ei videbitur expedire, Novitios ſimul exhilaret, & inflammet, atque ad producendos perfectiſſimos virtutum actus impellat. Ordinis ergo ratio habeatur, ut Magiſtro formales actus proferente, Novitii omnes ſumma acclamatione, & cordium erectione reſpondeant.

II. ACCLAMATIONES.

Magiſter. Vivat Jeſus Chriſtus Dei Altiſſimi Filius.
Novitii. Vivat.
M. Regnet in æternum dulciſſimus Redemptor noſter. E
N. Regnet.
M. Laudetur ſuaviſſimum nomen Domini à Solis ortu uſque ad occaſum.
N. Laudetur.
M. Genuflectant omnia corda cæleſtium, terreſtrium, & infernorum coram mitiſſimo Virginis Filio.
N. Genuflectant.
M. Vivat Sereniſſima Regina cœlorum.
N. Vivat.
M. Dominetur univerſis Angelorum, & hominum cordibus dulciſſima Virgo Maria.
N. Dominetur.
M. Laudetur formoſiſſima filia Sion uſque ad fines orbis terræ.
N. Laudetur.
M. Ametur divina bonitas ab univerſis creaturis amore puriſſimo. F
N. Ametur.
M. Convertantur univerſi homines ad fidem, & charitatem Dei, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti.
N. Convertantur.
M. Vivat diſciplina monaſtica Patrum noſtrorum laboribus condita.
N. Vivat.
M. Vivat perfectiſſimus obedientiæ cultus, etiamſi nos ea de cauſa mori oporteat.
N. Vivat.
M. Vivat puriſſima caſtitas etiam per agones, ac ſanguinis effuſionem ſub vexillo candidiſſimæ virginis Mariæ.
N. Vivat.
M. Vivat paupertas Apoſtolica pretioſior omnibus mundi divitiis.
N. Vivat. G
M. Vivat ſuaviſſima virtus humilitatis, etiamſi omnem mundi deſpectum ferre oporteat.
N. Vivat.
M. Vivant ardentiſſima æternorum bonorum deſideria.
N. Vivant.

Utatur hoc acclamationum exemplo Magiſter, & alias, ſi videatur, excogitet.

III. ANATHEMATISMI.

M. Maledicta ſit Dei oblivio.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit ingratitudo.
N. Maledicta. H
M. Maledicta ſit deſperatio.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit monaſticæ diſciplinæ relaxatio.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit inobedientia.
N. Maledicta.

Scrip. An. 1607.

M. Maledicta ſit luxuria.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit proprietas paupertatis inimica.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit ſuperbia.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit loquacitas.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit immodeſtia.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit protervia.
N. Maledicta.
M. Maledicta ſit negligentia.
N. Maledicta.

IV. Magiſter ad normam horum anathematiſmorum alios pro loci, temporiſque opportunitate adiicere poterit, prout ei videbitur expedire. Dabit autem operam, ut modus acclamandi, & anathematizandi ſit fervidus, concors, efficax, & ad pietatem acuendam plurimum valeat.

CAPUT XIII.

De Magiſtri adhortatione.

Magiſter quid præ oculis habere debeat in erudiendis Novitiis?

I. Ecce, ope divina, campum latè patentem ſumus emenſi: quem novellorum Dei militum Inſtructor multa dexteritate, ac celeritate percurrere debet. Multiplex hìc laudis, multiplex occaſio palmæ, laboribus, & agonibus parandæ. Glorioſum eſt ſanè, animos in cœleſtia gaudia ſuſpirantes, & omnem mundi gloriam, divitias & voluptates aſpernantes regere, & per militarem divinæ charitatis viam ad Monaſticæ perfectionis faſtigium recta perducere. Regimen certè hoc, & Deo acceptiſſimum, & Eccleſiæ toti ſaluberrimum, & rectori utiliſſimum eſt. Deo ſanè placet, quia genus quoddam pinguiſſimi holocauſti divinæ Majeſtati immolatur, dum corda hominum, qui animos, corporaque cultui divino devoverunt, excoluntur, ut excuſſo vitiorum pondere, quaſi pennis columbæ deargentatæ ſuccreſcentibus, ad Jeſu Chriſti dulciſſimi Dei, ac Redemptoris noſtri amplexus feſtinent. Eccleſiæ profectò toti ſalutem minimè vulgarem affert: una quippe è nobilioribus Eccleſiæ partibus candidatus Religioſorum exercitus fœliciter inſtructus, ac divinis virtutibus armatus eſt. Educatori verò ipſi ſummopere prodeſt: non enim mediocria merita, ſed eximia & planè ineffabilia functionis illius labore conquirit. Magiſter ergo, qui hæc omnia tot bonorum capita penſitare novit, puriſſimo intuitu, Dei primùm gloriam, Eccleſiæ mox ac Religionis ſuæ ſalutem exoptans, diſcipulos ſuos Apoſtolico affectu erudiat, arguat, obſecret, increpet in omni patientia & doctrina. Non illum labor, aut tædium ab hoc opere immenſorum bonorum feraciſſimo deterreat, vel retardet. Habet impoſitam tot, ac tantorum nubem teſtium, qui in hujuſmodi opere inſigniter claruerunt, ut ſi rem attente conſideret, calcaribus non indigeat. Poliat vivos lapides in excelſa ſuaviſſimæ Jeruſalem, quæ ædificatur ut Civitas, ſtructura ſeſſuros, & ampliſſimo Regis Magni ædificio conſenſuros. Pondus eſt: at leve, & momentaneum, ſi cum æterno gloriæ pondere comparetur. Ne timeat, quaſi virium defectu, oneri ſuccubiturus: quia Clementiſſimus Deus, ſub quo curvantur, qui portant orbem, & cui flectitur omne genu, ſtrenuè conantem, & in re honeſtiſſima laborantem fulciet, ſolabitur, & illuſtrabit. Currat velociter, quia noviſſima hora eſt: & orbis terrarum peccatorum diluvio mergitur. Inſtruat milites novos, qui adverſus aquarum impetum pro ſe, ac pro reliquis Eccleſiæ filiis animosè luctentur, & qui inculpatæ vitæ candore tenebras ſæculi diſpellant. Hæc una potiſſimum cura viſceribus ejus impreſſa die, nocteque permaneat: ut peracto culturæ labore, cumulatiſſima præmia, quæ non licet effari, percipiat.

* * *

APPENDIX.

De cura Magiſtri erga Profeſſos.

CAPUT I.

De cultu recenter profeſſorum.

Magiſtri cura erga recenter profeſſos.

I. Ad officium Magiſtri ſpectat, recenter profeſſos, quos per annum probationis rexit, excolere, & ad ulterioris perfectionis curſum occaſione profeſſionis urgere. Infæliciter quippe cauſa Novitiorum ageretur, ſi ſtatim ac profeſſionem emitterent, à Magiſtri cultura recederent. Cùm enim anno uno cœptam Monaſticæ perfectionis fabricam ordinariè non abſolvant; parum ſpei de perficienda Evangelica turre ſupereſſet, ſi opus imperfectum non eniterentur abſolvere. Magiſter ergo diſcipulos ſuos recenter profeſſos accuratiſſimè cuſtodiat; & ad vota ſolemnia obſervanda, ad officium divinum religiosè admodum perſolvendum, ad Regulæ, Conſtitutionum; Inſtructionum, cæremoniarumque obſervationem, propoſita, & expenſa profeſſionis obligatione, ſeriò exhortetur. Caveat, ne novi profeſſi à ſtudio diſciplinæ Monaſticæ, quam per annum didicere, deferveant; neve aliquo licentiæ genere relaxentur. Nihil enim ejuſmodi profeſſis pejus officit, quam quoddam licentiæ genus, una cum profeſſione, quaſi lolium cum tritico ſubortum. In anno quippe probationis judicii timore cohibiti nihil audebant, ne fortè expellerentur: emiſſa verò profeſſione nonnulli parum mites ab ſtatus ſe-

Scrip. An. 1607.

ſecuritate licenter agendi anſam arripiunt, quaſi ad altiorem perfectionem inde non aſpirare deberent. In exhortationibus igitur, colloquiis privatis, & occaſionibus aliis, cum profeſſis, quamdiu ab eo Cœnobio non recedunt, æquè ac cum Novitiis aget, nihilque curæ ſolitæ remittet. Quin etiam præter ſolitam curam ſuſcipiet A aliam zelo domus Dei planè dignam. Inſtante quippe neceſſitate profeſſi Fratres, vel foras, uti ſocii Patrum, ad varia negotia mittuntur, vel ad officia, quæ communicationem cum ſæcularibus requirunt, domi deſignantur. Quocirca nova inſtructione, ac vigilantia proculdubiò indigent, quæ ad partes Magiſtri pertinet.

CAPUT II.

De Inſtructione Fratrum profeſſorum, qui foras mittuntur.

I. NON eſt animus de iis Fratribus profeſſis agere, qui cum ætate adulta ſint, juſtis de cauſis, quas non poſſumus cer- B tis legibus comprehendere, ſtatim à profeſſione ad res graviores deſignantur. Hi quippe, tamquam viri prudentes, ac modeſti, qui anno uno ſpatia multa confecerint, & ſine Religionis damno negotia cum ſæcularibus gerere valeant, in aliquo eventu rarò non malè ad hæc onera deſtinantur; & ob rerum multitudinem, ac varietatem à Magiſtri cura velut excepti ad proximam Superiorum curam traducuntur. Animus igitur eſt de iis Fratribus profeſſis ſcribere, qui uti ſocii aliorum vulgò foras mittuntur. Hos ergo Magiſter erudiet, ac modeſtiæ, ſilentiique præſertim admonebit. Quod enim ad modeſtiam ſpectat, exploratum eſt, eos arctiſſimè obligari ad cohibendos oculos, corpuſque totum cum moderatione regendum. Nam præter cul- C tum virtutis, cui ad propriam perfectionem acquirendam ſtudioſius vacare debent, ubi plures diſtractionis occaſiones ingruunt, commune Religionis bonum eos jam profeſſos extimulare debet, ne bonum nomen aliorum Religioſorum modeſtia partum obſcurent. Quod verò ad ſilentium attinet, moneat Magiſter, ut cum Patre, quem comitantur, niſi interrogentur, verba prorſus non faciant, aut parciſſimè faciant. Cum externis vero nihil prorſus loquantur, ſine Patris illius venia: quæ ad neceſſaria dumtaxat verba, non ad linguam relaxandam concedenda eſt. Jam autem Fratres foras prodeuntes, quod ad interiorem hominem attinet, monendi ſunt, ut Dei præ- D ſentiam vigilantius, quam domi mente pertractent, neque novarum rerum curioſitate ſe allici ſinant. Experimento enim quotidiano patet, animam rerum ſæcularium curioſitate diſſipatam difficulter admodum ſeſe colligere, & ad rerum cœleſtium meditationem reverti.

Quid commendare debeat Magiſter profeſſis foras mittendis.

CAPUT III.

De Inſtructione Fratrum profeſſorum, qui ad officia deſignantur.

I. DIfficile eſt inter occaſiones multiplices virtutis modum, mediumve tenere. E Si enim, qui diu, ſanctèque vixerunt, ſibi ab occaſione timent; quis non planè fateatur, rem ſanè miram eſſe, inter occaſiones inculpatè verſari? Res certè perſpicua eſt. Quapropter Magiſter novos profeſſos præmuniet ad officia ſanctè gerenda. Monebit, ut Inſtructiones officiorum exactè obſervent, & ſi quid ibi non decretum occurrat, ad ipſum perferant, ut modos perfectè agendi præſcribat. Hortabitur ad perfectiſſimum modeſtiæ ac ſilenti cultum: ne ſcilicet exiſtiment, quia ad officia præſtanda & loqui, & intueri neceſſe ſit, omnem idcirco oculorum, linguæque licentiam ſibi permitti. Peſſimè quippe agent, ſi abſque Dei timore officiis ad eam laxitatem abutantur. Regula F ſit eos miniſtros ſine peculiari Superioris venia cum nemine loqui poſſe, iis verbis exceptis, quæ ad expedienda negotia neceſſaria ſunt. Moneat Magiſter, ut nullum familiaritatis genus cum externis contrahant, ſed ſe totos Deo, & Superioribus ſervent. Quod certè obtinebunt, ſi Dei præſentiæ immemores non ſint, & iis officiis Dei cauſam ſe agere perpendant. Exhortetur Magiſter, ut comiter, ac ſuaviter cum externis agant; omniaque illa ſollicitè vitent, quibus animos exaſperare poſſint. Quod ſanè præſtabunt, ſi omnia tempeſtivè expedire, & perſonarum diſcrimen obſervare nitantur, quemadmodum Fratres noſtri Dei gratia conſueverunt.

Silentii modeſtiæque cultus commendatus.

CAPUT IV.

G

De ſpirituali profeſſorum Inſtructione.

I. ITA Magiſter profeſſos Fratres debet inſtruere, ut perſuadeat, quicquid intra probationis annum præſtitere, pro nihilo ducendum: & à profeſſionis die novam, purioremque vitam inchoandam. Profectò Novitiatus ſimile quiddam eſt declamationum exercitio, quod ſeriis, publiciſque Orationibus præmitti conſuevit. Præludia ſunt, quæ in anni prioris curſu Fratres exercent: ſtatus verò profeſſorum, ſerium, grave, grandeque opus eſt. Quocirca enitendum eſt, ut quæ Novitii præluſerunt, jam profeſſi perficiant. Monendi ergo H ſunt Fratres profeſſi, ut quemadmodum cœperunt vitam ex orationis, & mortificationis ſtudio contexere, ita proſequantur, caveantque ne quicquam eorum, quæ bono animo, firmoque propoſito exercuere, prætereant. Qua in re totius perfectionis monaſticæ vis conſiſtit; cum perſpectum ſit, bona cœpta, ſi ad finem vitæ perſe-

Profeſſorum ſtatus, qualis?

Scrip. An. 1607.

Supererogationis opera commendata.

ſeverent, tenaces obſervatores ſuos perfectos efficere. Inſtruendi ſunt, ut non modo communis, ac regularis vitæ fidiſſimi obſervatores ſint, verùm etiam, ut opera ſupererogationis, quæ ſub Magiſtri diſciplina præſtare aſſueverunt, conſtantiſſimè exequantur. Hoc enim primùm Angelus Satanæ perſuadet, ut ſupererogare deſiſtant; moxque hoc prælio victos ad neceſſariam ſtatus obſervationem omittendam impellit. Magiſter verò ſeipſum his diabolicis conatibus opponat, & profeſſos ad nova, & majora permoveat. Ita tamen illa temperet, ut credibile ſit, animos ſemel inſtructos in ea tenacitate permanſuros. Inter alia verò monita unum erit, ut diebus ſingulis profeſſionem renovent; alterum, ut præſentiæ Dei ſtudioſiſſimi ſint, adhibitis memoriæ remediis: aliud, ut certò, puta ſeptenario mortificationum numero, ſe in exiguis ſaltem rebus quotidie exerceant: aliud denique, ut ubicumque fuerint, cum Superiore, tamquam cum Novitiorum Magiſtro verſentur. Hæc quippe quatuor monita ea ſunt, quæ animos eorum memores ad Monaſticæ perfectionis culmen facilè perducant.

CAPUT V.

De Inſtructione profeſſorum, qui è Novitiatu in alia cœnobia migrant.

I. QUamdiu recenter profeſſi inter Novitios promiſcuè verſantur, & eodem prorſus modo, ac illi reguntur, timendi cauſa non ſubeſt. Fervor quippe ille, & conceptus æmulatione calor profeſſos alit, & promovet: at tranſitus ille ad alia Cœnobia, ubi exercitia Novitiorum deſunt, non levis cauſa timoris eſt. Experientia nempe conſtat, nonnullos profeſſos, qui montes aureos polliceri videbantur, loci mutatione animum quoque mutaſſe, atque à concepto Spiritus Sancti calore deferbuiſſe. Magiſter ergo hoc malum grande præcavere cupiens, profeſſos Fratres pridie, quam migrent, aut alio tempore commodiore, prout occaſio tulerit, diſceſſuros omnes ſimul, aut ſingulos ſeorſim alloquatur, & amantiſſimè inſtruat. Suprema enim verba charitatis dulcedine delibuta altius imprimuntur.

Magiſter quid commendare debeat recenter profeſſis ad alia cœnobia migraturis?

Monita aliqua pro recenter profeſſis alio migraturis.

II. Commendet impenſiſſimè quatuor illa monita proximo capite recenſita: quibus nihil ſanctius, vel utilius eis tradere poſſe videtur. Sed quartum ſumma cum expenſione commendet, obſecrans, ut cum aliorum Cœnobiorum Superioribus eodem prorſus modo ſe gerant, ac ſi illi Magiſtri, ipſique perenniter Novitii forent. Quod ſanè monitum totius Diſciplinæ Monaſticæ complexio eſt; ſive de paſſionibus ſubjugandis, ſive de parandis virtutibus, ſive de tentationibus propulſandis, ſive denique de rerum divinarum ſtudio tuendo ſermo fiat. Etſi verò quatuor illa monita ad perfectionem parandam opportuna, ſimulque ad fidam, diuturnamque obſervationem prudenti mediocritate temperata videantur, ſalubre tamen conſilium erit, novos profeſſos peculiaribus inſuper adiuvare conſiliis, quæ ipſi fortaſſe ex illis velut fontibus derivare neſcirent. Moneat ergo Magiſter, ut coerceant effrænem quemdam affectum aliò migrandi, qui recenter profeſſos infeſtare ſolet; ut ſcilicet nolint aliò diſcedere, niſi quatenus Deo placuerit. Moneat, ut de propria commoditate ſoliciti non ſint, ſed eo prorſus modo ac tempore, quo abire jubentur, accepto Breviario, Apoſtolico more diſcedant, niſi aliter Superior decernat. Moneat, ut viaticum non requirant, ſed ſpem totam in divina bonitate collocantes eleemoſynas emendicare conſtituant. Moneat, ut per viam alacriter ac modeſtè, ſine ulla contentionis imagine procedant, Inſtructionemque iter agentium ad unguem obſervent. Moneat, ut ſtatim ac pervenerint eò, quò migrant, Superiori ſuo ita ſe totos humillimè tradant, ac ſi eo die è ſæculo in clauſtrum ſe abderent, & inter Novitios recenſeri inciperent. Moneat, ut nihil novi nuntient ex iis, quæ alibi aguntur, niſi à Superiore interrogentur. Moneat, ut ſcioli non ſint, ea quæ in Cœnobio fiunt, comparatione eorum, quæ didicere, reprehendentes, vel interpretantes, ſed omnia ſimpliciſſimè accipiant, ſuique curam gerant. Moneat, ut Superiori omnia ſua vel obligationis, vel ſupererogationis exercitia, ſive ad orationis, ſive ad mortificationis ſtudium ſpectent, confeſtim aperiant, & ejus ſententiæ per omnia obtemperent. Moneat, ut legum cuſtodiæ deditiſſimi ſint, & ad veram ſanctitatem, jugi Dei præſentia, obedientiæ cultu, & ſui abnegatione feſtinent. Si verò aliquis è diſcedentibus peculiari Superioris cura indigeat, quod ſit ſcrupuloſus, aut fragilis, aut quovis alio tentationis genere vexetur; Magiſter ad Superiorem literas dabit, ac de ſtatu rerum certiorem illum faciet, curamque Fratris illius impensè commendent. Quibus abſolutis filios ſuos chariſſimos amplectetur, & precatus illis bona ex more dimittet.

ADMONITIO

Magiſtri quoad exhortationes.

CUM in tradendæ doctrinæ methodo pars magna fructuoſæ educationis Novitiorum poſita ſit; operæ pretium viſum eſt nonnulla diverſarum exhortationum exempla ſubiicere, quæ Magiſter poſſit imitari. Meminerit autem, quæ in tertia Inſtructionis parte præſcripſimus, & in doctrina recte diſponenda, atque animis diſcipulorum inſtillanda plurimum operæ ponat. Supervacanea recidat, qualia ſunt eruditio multiplex, nimia conceptuum conglobatio, argumenta nimis ſubtilia, & ejuſmodi alia, quibus inutiliter, aut certè noxiè tempus in-

Scrip. An. 1607.

inſumitur. Sit doctrina gravis, utilis, ſancta, caſto, ſed ſimplici ſtylo prolata, ſpiritu Dei animata, ut illuminet, roboret, moveat, & ad curſum perfectionis animos diſcipulorum inflammet. Sint exhortationes breves, efficaces, rationum nervis armatæ. Hoc quippe modo à Novitiis capientur, & intellectu illuſtrato, atque convicto, A data conſilia exercebuntur: quod utinam pro voto contingat.

Exhortatio ad cultum obedientiæ.

Obedientiæ laudes.

TAnto eſt, dilectiſſimi Fratres, obedientiæ decor, utilitas & honeſtas, ut ſi pro rei dignitate dicendum eſſet, oporteret me ſingulari luce illius, qui cum eſſet Filius Dei, obedientiam didicit, illuſtrari, linguamque meam ab eodem Filio Dei, qui linguas infantium facit diſertas, erudiri. Immenſa quippe virtutis hujus dignitas, altitudo, latitudo, & profunditas eſt, cum totius diſciplinæ Monaſticæ, & (quod mirabilius eſt) totius Chriſtianæ perfectionis compendium ſit. Quocirca illud inprimis à vobis expoſco, ut virtutem hanc nobiliſſimam, B pro dignitate æſtimetis, & univerſis mundi bonis anteponatis: quod ipſa veſtræ renuntiationis ratio facilè vobis perſuadebit. Si enim rectè perpendatis, quid egeritis, cum ſæculo renuntiaſtis, ſtatumque Monaſticum elegiſtis; perſpicietis profectò, nihil aliud vos egiſſe, quam fœlici commutatione propriæ voluntati, proprioque judicio veſtro obedientiæ cultum anteferre. Hæc eſt cœleſtis vocatio veſtra. Hæc eſt divina inſpiratio, qua Jeſus Chriſtus dulciſſimus Redemptor noſter prevenit vos, & in clauſtrum introduxit, ut velut in arca Noe, in diluvio aquarum multarum, quo voluntas propria in ſæculo mergitur, à morte præſervemini. Si ergo hoc idem, quod ego C vobis perſuadere cupio, à Deo vobis inſpiratum, & ultrò à vobis quæſitum eſt, debetis certè excelſam obedientiæ virtutem ſtudioſiſſimè colere, & pro illius cultu ardua quæque conſtantiſſimè ſuperare. Quod ſi à me requiratis, quanam ratione tantæ virtutis cultum, ut par eſt, exercere poſſitis, per capita reſpondebo: quæ attentè percipite.

Obedientia perfecta, quæ:

Qui obedientiam colere ſeriò cupit, omninò ſibi perſuadere debet, ſe cœcum eſſe, cum obedientia ſit opus fidei, & eo modo ſe, dum obtemperat, gerere debet, quo ſe gerit, dum fidem exercet. Quemadmodum enim, dum credit, à Deo articulo- D rum fidei rationem minimè requirit, ita vir obediens à Prælato rationem mandati nullo modo expetere debet: ſed certò credere, quicquid præcipitur, cœleſti ſapientia plenum eſſe, quantumvis rationes contrariæ, vel à proprio judicio, vel à ſpiritu maligno ſuggerantur. Atque in hoc ſaluberrimo documento maxima obedientiæ pars noſtra eſt, quod idcirco, Fratres chariſſimi, veſtris viſceribus imprimatur exopto. Certè Abraham nihil cauſatus eſt, quando juſſit Deus, ut unigenitum, ac ſuaviſſimum Filium ſuum immolaret, cùm res, & ſummè difficilis, & fortiſſimis rationibus adverſa videretur: ſed omnia vicit præclariſſimo obedientiæ exemplo, quod Monachi omnes divinæ auctoritati cedentes debent ſemper intueri. Satis profectò eſt, Deum eſſe, qui E per Prælatum loquitur, ut ſine diſcuſſione ulla quicumque intellectus creaturarum ſe ipſum multa divinæ ſapientiæ æſtimatione ſubmittat. Hoc igitur efficite, & intellectum in captivitatem omni mundi libertate meliorem redigentes, promptiſſima voluntate, quicquid præſcribitur, accipite. Si enim intellectus argumento fidei flexus, & voluntas ab intellectu bene compoſito directa concurrant, ampliſſimas obedientiæ victorias ſupra firmam petram fundati celebrabitis. Et hactenus quidem de affectu rectè diſponendo dixi. Jam verò ſi ſemel erga Prælatum intellectu, ac voluntate benè affecti fueritis, reliquum eſt, ut in obedientiæ executione alacres, ac fideles ſitis; alacres, hilarem vultum ad omnia paratum F exhibentes; prompti, nullam moram admittentes; fideles, ſyncerè ad planiſſimum verborum ſenſum injuncta obſequia præſtantes. Quæ ſi, ut moneo, à vobis fiant, eritis perfecti obedientiæ cultores: & ego Clementiſſimo Deo noſtro veſtræ obedientiæ ſacrificium gratulabor. At res hæc cum ardua ſit, utpote quæ proprii judicii, ac voluntatis abnegationem complectatur, fortaſſe ſenſus veſter nuper ad ſcholam Jeſu Chriſti vocatus difficultatem perhorreſcet. Verùm, dilectiſſimi Fratres, ad grandia vocati, & ſempiterna mercede gaviſuri, ne terreamini, quin potius adverſus omnem G arduitatem hiſce rationibus erigimini.

Gen. 22. 2.

Rationes ad arduitatem obedientiæ vincendam. Prima ratio.

Prima ratio. Vos ipſi paulò ante in ſæculo vel parentibus, vel dominis obtemperabatis: cur ergo nimis arduum videatur Jeſu Chriſto amantiſſimo Deo, Patri, ac Domino noſtro per Superiorem loquenti obtemperare? Neque obſtat, ſi dicatis: Nos in ſæculo cernebamus parentes, ac dominos, à quibus expectabamus bona; hîc verò Jeſum Chriſtum minimè cernimus, ac propterea eo ſolatio deſtitui videmur. Non inquam hoc obſtat, quia videtis Superiores mites, in veſtri curam incumbentes, qui majora vobis bona, quam domini, ac parentes proculdubiò præſtant. Et quod ad Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum ſpectat, quid quæritis? An intempeſtivè illum præſentem hiſce corporeis oculis cernere? H Quid ſi ille dignaretur vobis apparere, ac vobiſcum verſari? Rogo tunc, quanam de cauſa læti obediretis? Reſpondebitis certè, ſi monaſticè reſpondere velitis: Tunc, Pater, alacriter obtemperaremus, quia certò cognoſceremus, res à Chriſto nobis injungi. Verùm ex hoc ipſo capite vos ipſos ad obediendum Superioribus accingite. Certius enim eſt, Deum vobis præcipere, quæ Superior ejus vicesgerens injungit, quam ſi Chri-

Scrip. An. 1607.

Chriſtus palàm vobis appareret, ac præciperet. In ea quippe apparitione, quamvis vera foret, prudens quiſque timeret, ne fortè falſa eſſet, juxta communem Sanctorum doctrinam, quæ de viſis diſcernendis tradi ſolet: at dum Superior loquitur, nemo, niſi ſtultus aliquis ambigere poteſt, an Deus per eum loquatur. Conſiderate A nunc rationis hujus pondus: & quibus oculis Superiorem intueri debeatis, animadvertite. Profectò iiſdem oculis eum, quibus Deum ipſum aſpicere, & per eum omnem conſolationem, lucem, robur, & bona cætera, quæ optatis, vos adepturos confidere debetis.

Secunda ratio.

Secunda ratio. Vos ipſi dum in ſæculo ageretis, noſtis pleroſque homines infælices duriſſima ſervitute ad nutum obedire in rebus plane difficillimis; & per ipſam ſterilem obedientiam ſuam nihil ſolatii, vel ſalutis acquirere, immo contentis itineribus ad incendium ſempiternum feſtinare. Perpendite, remiges ad triremes damnati ſeu bello capti, dato ſigno, quàm promptè, B quàm perſeveranter ſuis Magiſtris obtemperent. Interrogate mox, quid boni tunc obediendo conquirant, vel in futuro ſæculo ſe paraturos ſperent. Certè exploratum eſt, illos præſenti refrigerio carere: genuſque vitæ, quam vulgò ducunt, perſuadet illos æterna fœlicitate carituros. Cur ergo aſperum videatur, aut cur non ſuaviſſimum videatur vobis, ſic obedientiam exercere, ut per levia obſequia amanter vobis injuncta, & in præſenti gaudeatis bonæ conſcientiæ teſtimonio, & multiplici Dei ſolatio, & poſt exactum mortalis vitæ tempus coronas æternas infinitæ conſolationis plenas accipiatis? Profectò nihil excuſationis prætexere poteſtis: niſi fortè aliquis veſtrum amore proprio excæcatus dicat, ſe non eſſe cum C remigibus, aut ſervis bello captis comparandum. Etenim, qui hoc prætexit, cæcus eſt: Si enim vel unius peccati mortalis in ſæculo admiſſi conſcientia pungat, conſideret opus eſt, ſe perpetuam non triremium, ſed Tartari ſervitutem commeruiſſe. Benè ergo cum eo agitur, ſi obedientiæ argumentum remiges, ac mancipia proponantur.

Tertia ratio.

Tertia ratio. Omnes, qui in cauſa ſalutis æternæ prudenter agere cupiunt, nihil impenſius optant, quam inter vitæ mortalis varietates in portum recto curſu deduci. Oceanus enim quidam eſt vita præſens innumeris erroribus, ac difficultatibus, quaſi incertis aquarum voluminibus obnoxia. D Cùm ergo perſpectum ſit, virum obedientem, dum obtemperat, quicquid patiatur, quicquid fluctuet, rectum curſum, tenere, nec poſſe ſeduci; incredibile videtur, aliquem ſalutis æternæ deſiderio teneri, & in tutiſſimum obedientiæ cultum non diligenter incumbere. Quid ultra à me repoſcitis, dilectiſſimi Fratres, qui ad patriam per varios fluctus navigatis? In hoc verbo inſtaurantur omnia: Obedite Præpoſitis veſtris. Veneramini illos, quia Dei perſonam gerunt: amate illos, quia bonum veſtrum ſtrenuiſſimè procurant. Incumbite in opus obedientiæ Deo acceptiſſimum, vobiſque ſaluberrimum. Incedite per ſublimem, tutamque viam, quam factus obediens à præſepio uſque ad Crucem confecit Jeſus Chriſtus Dominus Noſter, qui vos, precor, obedientiæ ſuæ conſortes E efficiat.

Exhortatio ad cultum paupertatis.

DE Apoſtolicæ paupertatis cultu dicturus, chariſſimi Fratres, vellem ego Jeſu Chriſti paupertatem prædicantis ſenſum & aſſequi, & vobis imprimere. Res certè ſublimis, & à prudentia hujus ſæculi longè remota eſt: ac propterea minimè mirandum, ſi ſapientes mundi lateat, & parvulis revelata ſit. In hoc præſertim capite Chriſti ſententia à mundi opinione longiſſimè diſcrepat. Mundus quippe divites beatos appellat: ſed Dei Sapientia dicit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. F Ab hac ergo Redemptoris Noſtri ſententia ducam ego ſermonis initium: ſimulque vos monebo, veritatem hanc à tanto præceptore prolatam non modo firmiſſimè credatis, verum, & ſentire conemini: ut ſcilicet altè percipiatis, verum proculdubiò eſſe, paupertatis cultores eſſe beatos: ac per hoc Apoſtolicæ paupertatis dignitatem, & ſublimitatem, & ametis & admiremini. Verùm eſt certè, per contemptum divitiarum, & commoditatum animum hominis Chriſtiani in quamdam altitudinem mentis extolli, quæ cœlo contigua videtur: ac experimento ediſcere, paupertatem Apoſtolicam genus quoddam beatitudinis eſſe, futuræ ac perfectæ fœlicitati finitimum. Jam ergo, cum G vos, quemadmodum, & cæteri homines, in beatitudinem ſuſpiretis, æquum erit, oſtenſam beatitudinis viam diligatis, atque ſectemini. Neque ad rem hanc extrinſecus affixis argumentis indigebo, cum ſatis jam ex prævia Jeſu Chriſti gratia, & electione, è numero illorum, qui per os Petri dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Certè ex quo ſpreto ſæculo ad Religionis montem aſcendiſtis, reliquiſtis omnia, niſi fortè aliquis Ananias inter vos Spiritui Sancto ficta renuntiatione mentitus ſit. Spero autem neminem adeſſe, cui non placeat omnia reliquiſſe. Quocirca de affectu repurgando, & proinde de perfectiore paupertatis cultura vos inſtruere pergam. H

Paupertatis laudes & encomia.

Matt. 19. 27.

Actor. 5.

Pono inprimis, culturam hanc non in ipſa rerum temporalium privatione potiſſimùm conſiſtere. Noſtis enim plurimos extra Clauſtrum hoc majorem, quam vos, victus, veſtium, reliquarumque rerum penuriam pati; cujuſmodi ſunt, qui laceri, & ægroti oſtiatim panem mendicant: quos tamen non recenſemus in agmine illo ſelecto virorum fortium, qui paupertatem Jeſu

Scrip. An. 1607.

Paupertas perfecta, quæ?

A

B

Veri paupertatis cultores, qui?

C

ſu Chriſti colunt. Neceſſitas quippe ibi urget; ſed in Chriſtianæ paupertatis cultu electio, ſpirituſque laudatur. Quapropter ſi Chriſtum ab infantia pauperem imitari ſeriò cupitis, ſpiritum à vobis, hoc eſt, voluntatem, affectumve requiro; ut ſcilicet oderitis opes, & corporis commoditates, & ſanctorum inopiam omni auro pretioſiorem toto corde ſectemini. Percipite quæ hortor, dilectiſſimi Fratres, & in ſapientiam hanc mundo altiorem aſſurgite. Placeat vobis doctrina hæc abſcondita, quæ cordis libertatem, ac deſideria cœleſtia ſub laceris veſtibus, & mundi deſpectu creat: & modum illius exercendæ in ſchola humilium ediſcite. Ne probetis ſententiam Monachi apparenter ſpiritualis, qui nihil ſibi deeſſe cupit, & ſe pauperem ideo exiſtimat, quod ſuperflua minimè requirat. Profectò ſententia hæc Jeſu Chriſti Dei, ac Domini Noſtri ſententiæ parum congruit. Si enim neceſſaria ſuppetant, quomodo cultura paupertatis exercetur? Certè Principes orbis terrarum hoc genus paupertatis colunt, ſi mediocriter pii ſint: nam ſuperflua non coacervant: ſed quæ perſonis, ſtatuique ſuperfluunt, in uſus pios impendunt. Quamobrem mirum eſt, Apoſtolicos pauperes eſſe velle, qui ſuperflua ſolummodo rejiciunt. Attendite, quæ dico. Ille verus paupertatis cultor eſt, qui neceſſaria ſibi deeſſe non modo patienter fert, verum, & cupit. Ille verus Chriſti pauper eſt, qui è rebus neceſſariis ſibi oblatis viliores minuſque commodas ſeligit. Ille ſeriò paupertatem Apoſtolicam diligit, qui occaſiones captat, ut victus, veſtes, lectus, & alia, quæ inter neceſſaria recenſentur, inopiam, & derelictionem repræſentent. Atque hæc ipſa ratio eſt, ob quam veri mundi contemptores à Superioribus inſtanter efflagitant, ut ea, quæ alii Religioſi tamquam inutilia deponunt, ipſis ad uſum tribuant: mirumque dictu eſt, quàm fœliciter in Clauſtris ea exercitatione proficiant. Hæc eſt ſchola Jeſu Chriſti Crucifixi, qui non habuit, ubi caput reclinaret. Hæc eſt eruditio illorum, qui gradiuntur par arctam viam, quæ ducit ad vitam. Hæc eſt hæreditas fortium, qui regnum cœlorum rapere omnibus mundi ponderibus exonerati feſtinant. Veruntamen, ut rem tantam, qua decet animi alacritate aggrediamini, ſubiectas rationes æqua lance ponderate.

Rationes ad paupertatem amplectendã, & ſerio colendam. Prima ratio.

D

E

Prima ratio. Quod ad res ipſas pertinet, omnes, quotquot adeſtis, reliquiſtis omnia: neque enim in Clauſtrum quicquam intuliſtis, quo uteremini: ſed nudi nudum Chriſtum ſequi cœpiſtis. Si ergo res non habetis, quas Deo inſpirante reſpuiſtis: quis non videat, extremam dementiam eſſe, depravato affectu res temporales voluntate repetere? Corpus quippe omninò caret iis rebus, & animus immoderatè illas appetendo turpiter, & inutiliter errat. Neque rationis hujus vis ad ea bona temporalia, quæ in ſæculo neglexiſtis, tantummodo pertinet: in ipſo enim Clauſtro per occaſiones plurimas exercenda eſt. Solent enim Monachi tantundem affectus in rebus planè viliſſimis, quas intra Clauſtrum habere ſe poſſe confidunt, puta in Breviario, ſeu veſte rudi collocare, quantum in amplo patrimonio in ſæculo poſuiſſent: quod ſanè incredibilis ſtultitiæ genus eſt. Rationis ergo vis omnia reſecat: nam neque ex iis, quæ in ſæculo reliquiſtis, neque ex iis, quæ in Clauſtro ſunt, à veris Chriſti pauperibus quicquam optandum eſt: quandoquidem omnia primo renuntiationis ſacrificio abdicata ſunt; & nihil ſub arbitrio veſtro remanſit, quod optare, vel uſurpare poſſetis.

Secunda ratio.

F

Confeſſ. lib. 10. cap. 29.

Secunda ratio. Nemo ex vobis eſt, qui primæ inſpirirationis calore concepto, Jeſu Chriſto ex toto corde ſervire non omninò conſtituerit. Cùm ergo exploratum ſit, vos id propoſitum, ut par eſt, explere non poſſe, ſi affectum rebus temporalibus hærere ſinatis, proculdubiò eniti debetis, ut cor neque rebus in ſæculo relictis, neque iis, quæ ſtatus noſter concedit, adhæreat. Perſpicua certè menſuræ ratio eſt; quia ſcilicet tantum amoris Deo adimitur, quantum in re quavis immodicè collocatur, juxta illud effatum Auguſtini: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*. Conſiderate ergo, quam ſit infœlix commutatio, affectum, qui Deo totus affigi deberet, in veſte, exempli gratia, vel libro, vel lecto, vel cibo defigere?

Tertia ratio.

G

H

Paupertatis Apoſtolicæ præmium, & corona.

Tertia ratio. Tempus breve eſt: præterit enim, ut cernitis, figura hujus mundi. In brevi verò temporis periodo longum iter conficiendum eſt. Propterea quippe Jeſus Chriſtus, pauperum exemplar, exultavit, ut gigas ad currendam viam. Quomodo ergo nudum, & currentem ſequi poteritis veſtiti, & onerati? Pondus rationis hujus ab exemplo tanto petitum innumeros imitatores, egentes, anguſtiatos, afflictos ad ſcholam Noſtri Redemptoris perduxit: qui circuierunt orbem in melotis, & pellibus caprinis, quique in ſolitudinibus errantes, vel in montibus, & ſpeluncis, atque cavernis terræ omni ſolatio deſtituti latentes maluerunt omni mundi refrigerio carere, quam cor rerum caducarum ſollicitudine anxium à libertate filiorum Dei, & ſtudio æternorum bonorum avertere. Et vos ergo, dilectiſſimi Fratres, tantam habentes impoſitam nubem teſtium, per patientiam auſteræ diſciplinæ, quæ magnam habet remunerationem, deponentes omne pondus rerum, quibus animus prægravatur, currite ad opes æternas, & brevi exercitio Apoſtolicæ paupertatis immenſa gaudia comparate. Ne ſequamini vana conſilia diutius illius, qui epulabatur quotidie ſplendidè, & in terris theſauros ſuos recondebat. Sequimini potius conſilium Lazari famelici, & laceri ac ulceribus pleni; & per vias duras incommoditatum, ac laborum, qui ſunt

Scrip. An. 1607.

ſunt dulciſſimæ paupertatis comites, ad requiem in ſinu Abrahæ vobis paratam properate. Quod Jeſus Chiſtus Noſter vobis, oro, concedat.

Exhortatio ad cultum humilitatis.

A

SI linguis hominum loquar, & Angelorum, chariſſimi Fratres, humilitatis altitudinem ac ſuavitatem, quam Jeſus Chriſtus D. N. mitiſſimo magiſterio docuit, non æquabo.

Humilitatis laudes, & encomia.

Habet enim profunditatem quamdam cœleſtis virtus hæc, Filii Dei exemplo mirificè confirmata; qua omnis Sapientia, & omnis Sanctorum eloquentia vincitur, & velut in mari magno ac ſpatioſo mergitur. Quocirca vellem ego, ut ſolo humilitatis nomine audito, divinum quiddam, licet incognitum æſtimaretis, & pretioſiſſimi theſauri deſiderio teneremini: quemadmodum puriſſimum aurum terræ viſceribus occultatum ſola rei fama permoti, non certè viſum, ſed auditum filii hujus ſæculi ardentiſſimè cupiunt, & per diſcrimina multa terra marique perquirunt. B Neque mirum vobis videatur, ſi hoc ſermonis initio hanc humilitatis æſtimationem ſine argumentis requiram:

Christus humilitatis Magiſter.

Credo enim neminem inter vos eſſe, qui tantæ virtutis præconia non audierit, vel expreſſa ſaltem Evangelii verba, quibus Jeſus Chriſtus Sapientia noſtra illam commendavit, non animadvertit. Neceſſe quippe eſt, quod Dei Sapientia tam ſeriò ac ſæpè prædicavit, magnum quiddam eſſe; ac ex eo ipſo magni à vobis, quemadmodum à cæteris divinæ ſapientiæ æſtimatoribus faciendum eſt. Quod ſi, noſſe cupitis, qua ratione incognitam humilitatis magnitudinem maximi facere valeatis, memineritis, quam ſint quotidiana argumenta, quæ humiles animos maximi à Deo fieri perſuadent. C Ab hoc quippe effectu de re abſcondita judicium ferre valebitis. Profectò à ſæculo non eſt auditum, quod vir aliquis, quantumvis flagitioſus, ac durus, ſe ex animo demitteret, quem Clementiſſimus Deus non ſtatim amaret.

Matt. 18. *Luc. c.* 15. *c.* 18.

Sic ſervus ille nequam ſtatim, ac procidit ad pedes Regis, ſic filius prodigus, ſtatim ac demiſſo corde Patrem appellavit, ſic publicanus ille, ſtatim ac demiſſis oculis ſe cœpit accuſare, inter dulciſſimos Dei amicos admiſſi ſunt. Quod proculdubiò non ita contingeret, niſi ea eſſet humilitatis gratia, qua Dei cor eveſtigiò caperetur, & cujus ſacrificio impensè delectaretur. Quapropter divinis oraculis admonitus, chariſſimi Frattes, omnium, quæ in ſæculo commiſiſtis, erratorum veniam, & fauſtum novæ vitæ D novæque fœlicitatis exordium Chriſti nomine vobis ego polliceor, ſi inter manſuetos Filii Dei dicipulos, ſublimiſſimam humilitatis virtutem omnibus regnis, & honoribus anteponere, ac de illa paranda ſeriò cogitare incipiatis. Capite quæ dico: & multis deſideriis me dicentem comitamini. Exiſtimo enim animos veſtros benè comparatos optare jam modum virtutis hujus acquirendæ cognoſcere, ſine quo deſideria quantumvis magna evaneſcerent. Modum ergo hunc accipite.

Ad humilitatis culturam, quæ requirantur?

Ex communi Sanctorum doctrina ſcire debetis, duo ad cultum humilitatis exercendum requiri: unum propriæ fragilitatis cognitio, E alterum recta voluntatis affectio eſt. Primum per frequentes propriæ ignorantiæ, vanitatis, inconſtantiæ, & commiſſorum præſertim peccatorum meditationes, cum præſenti Dei ope conquiritur. Debetis quippe ex iis capitibus, quæ hominem contemptibilem efficiunt, certò credere, vos omni deſpectu planè dignos eſſe: Nam ut cætera præteream, qui vel unius peccati lethalis conſcius eſt, ſcit profectò ſe æterno contemptu dignum fuiſſe, neque certo ſcit, an ab eo ſtatu perpetuæ infamiæ obnoxio reſurrexerit: præterquam quod tametſi id certo ſciret, vel ex ipſa Dei clementia, vilia de ſe cogitare deberet, utpote, cui æterna infamia condonata fuiſſet: timereque deberet, ne ſi F altum ſaperet, in deſpectum ſempiternum relabi ſineretur. Atque ex hujus rei meditatione veri Monachi, velut à ſupplicio, & captivitate redempti, ſe quaſi ſervos emptitios reliquorum gerunt, & cæteros omnes, quos meliores eſſe credunt, quaſi dominos, ac honore multo dignos nutibus, verbis & actibus venerantur: quæ pars magna ſcholæ Jeſu Chriſti eſt: quam vos Fratres mei cupidiſſimè diſcite, ac in dies ſingulos veſtrarum culparum experientia in cognitionis propriæ gymnaſio proficite. Sæpè quippe ſi vigilanter agatis, experiemini vos ignaros, inertes, ignavos, inconſtantes, infideles, & tot culpis obligatos, ut facile perſpiciatis, vos ab aliis pro nihilo ducendos eſſe.

G

Jam verò ut ad ſecundum, quod ad humilitatis cultum requiri aſſeruimus, accedamus, conſideretis oportet, non ſatis eſſe, ſi quis ſe contemptu dignum cognoſcat, niſi voluntate benè affecta ſe contemni omnino velit. Nam & latrones & homicidæ ſe patibulo, & infamia dignos proculdubiò cenſent: at malè torqueri, ac deſpici diligentiſſimè refugiunt. Quocirca illud à vobis expoſco, ſi Jeſu Chriſti ſchola placet, ut quemadmodum in cognitione propria; ita in ſeria voluntate patienter ferendi, ac exquirendi contemptum plurimum operæ collocetis. Diſertè dixi, patienter ferendi ac exquirendi, quia novelli milites, quales eſtis vos gradus humilitatis internoſcere debent. Laudabile eſt quippe ſervorum Chriſti exercitium, quo illatum, non verò quæſitum H deſpectum patienter ferunt, licet initio certaminis non ſine mœſtitia ferant: verum major multo laus eſt, non modo oblatas contemptus occaſiones æquo animo tolerare, ſed occaſiones ipſas perquirere, & à Superioribus poſtulare: ac denique ſumma laus eſt, ſive oblatis, ſive exquiſitis occaſionibus deſpectu gaudere, quod eſt ſignum

Scrip. An. 1605.

A

gnum animi planè fortiſſimi. Ad hanc igitur gloriam, chariſſimi Fratres mei, totis viribus aſpirate, omne illud, è quo exiſtimatio veſtri oriri poſſit, accuratiſſimè celantes, illud verò, unde contemptus enaſcitur, viriliter detegere parati. Eſtote fortes in bello, &, ſicut cives Babylonis, hoc eſt, filii hujus ſæculi à ſuis Principibus primos honores ambiunt; ita vos à Superibus veſtris juxta Chriſti conſilium locum per omnia poſtremum requirite; ut nempe verbis, & actibus vos tanquam vita indignos exerceant, & ad humillima obſequia deſignent. At, quia res difficultate non vacat, ſubjectas rationes, quibus animum roboretis, expendite.

Rationes ad humilitatem colendam. Prima ratio.

B

Prima ratio. Novi ego, vos omnes æterni honoris, & gloriæ deſiderio teneri. Scitis enim iis, qui omnia reliquerunt, & Chriſtum ſecuti ſunt, ſedes honorificentiſſimas in regeneratione promiſſas, quarum deſiderium veſtris animis altè, ut opinor, inſedit. Ea quippe promiſſio Monachis Clauſtra replet, deſerta Anachoretis: æquumque mihi videtur, ut ad honorem tantum ab ipſo Deo propoſitum ſtudia, & conatus veſtros dirigatis. Agite: dirigite fortiter. Verum ejus honoris viam (quam pauci norunt) attendite. Etenim ſi a Jeſu Chriſto, cui comperta via eſt, ſciſcitemini, qua via in ſedes gloriæ ſit eundum, reſpondebit: Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Et mirum eſt ſanè, cum Dei Sapientia tam diſertè rem prædicaverit, homines, qui ſunt honoris cupidiſſimi, ad honorem permanſurum, oſtenſa ſibi via, conſequendum minimè moveri. Sed quicquid alii ſapiant, vos æternæ gloriæ candidati hac via procedite, & paucorum ſapientum, qui eam percurrerunt, veſtigiis inſiſtite.

C

Secunda ratio.

Secunda ratio. Non modo honores æternos hac via comparabitis, verum, & præſentes, eoſque ſanè maximos. Experientia quippe conſtat, eos, qui mundi contemptum ſtudioſiſſimè inquirunt, verſa vice, ab univerſis hominibus, abſque ullis invidentiæ, vel malevolentiæ ſtimulis, honorari. Cujus certè experientiæ ratio eſt, quia cum ab omnibus amentur, ab omnibus honore afficiuntur. Facilè enim quiſque honorat, quem amore proſequitur. Jam autem teſtatiſſimum eſt, homines corde humiles ab omnibus amari: nam (præterquam quod nullam aliis moleſtiam inferunt, immò quæ aliis moleſta ſunt, ſibi tanquam moleſtis, & contemptu dignis attribuunt, unde pax multa, charitaſque ſuccreſcit) habet cor humile vim quandam humanæ feritatis domitricem, & dulciſſimo quodam imperio omnium animis dominatur. Atque hæc ipſa ratio eſt, ob quam in Monachorum Clauſtris Religioſi humiles ab omnibus ardentiſſimè amantur, & cum ipſis verba facere, ac diutiſſimè vitam agere univerſi deſiderant. Patet ergo quotidiano experimento ad præſentis vitæ honores parandos, & animos conciliandos humilitatis cultum appoſitiſſimum eſſe.

D

E

Tertia ratio.

Tertia ratio. Animi ſtudio humilitatis addicti, unà cum merito cumulatiſſimo futuræ gloriæ habent in præſenti intima, & copioſiſſima gaudia omnibus mundi honoribus, & regnis anteponenda. Novit hoc David, qui erat humillimus corde, quando exutus, & judicio mundi deſpectui habendus, præ magnitudine lætitiæ ſaltavit totis viribus coram Arca fœderis Domini, & juravit, fore ſe humilem in oculis ſuis. Novit hoc Franciſcus vir pauper, & modicus, cum quo Jeſus Chriſtus quaſi luctabatur, ut eum ſummæ lætitiæ ſenſu repleret, dum enitebatur ille, ſe univerſorum hominum viliſſimum publicare. Certè in re hac abſcondita à mundi ſapientibus, ac de virtute propria præſumentibus, ſolis parvulis, quaſi teſtibus incorruptis credendum eſt. Et vos ergo, dilectiſſimi Fratres, tot tantorumque bonorum deſiderio incenſi in ſuaviſſimæ virtutis hujus cultum incumbite, & per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, per medias contumelias, & honores, ad conſortium humilium Jeſu Chiſti Redemptoris noſtri ſuſpirate. Quod ipſe, precor, vobis concedere dignetur.

David.

S. Franciſcus.

F

G

Ecce tria exhortationum exempla, quæ Magiſtro ſatis fore cenſemus, ut ad formam hanc cæteras ipſe coaptet. Neque in hoc loco plura à nobis requirenda ſunt, cùm in Inſtructione Novitiorum, quam nuper edidimus, ita de ſingulis virtutibus ad Clauſtri Diſciplinam ſpectantibus diſertum ſit, ut verbis paucis immutatis, capita ſingula totidem exhortationes ſint, quibus Magiſter non abſque fructu uti poſſit. Secuimus quippe capita ſingula in partes tres, quarum prima virtutis cujuſque honeſtatem, ac dignitatem oſtendit, ſecunda illius parandæ rationem per actus internos externoſque præſcribit, tertia rationes ad animos urgendos producit. Prima delectat, ſecunda docet, tertia movet: ac proinde, quicquid ad rem hanc pertinere videtur, illic complexi ſumus.

H

D. N. Jeſu Chriſto, ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ laus ſempiterna.

IN SEQUENTES INSTRUCTIONES PRÆMONITIO.

OMnium Monaſticarum Inſtructionum curam Ven. Scriptori noſtro a primoribus illis Generalis Congreſſus Patribus demandatam fuiſſe, eamque cumulatiſſime obiiſſe ab anno 1605. ad 1608. dum Definitoris munere primum ipſe defungebatur, ſatis ſuperque conſtat ex iis, quæ in ejus Vitæ, hujus noſtræ editionis priori Tomo præfixæ, cap. XIV. leguntur; atque inde ſolemne eſt apud nos, eas omnes, quas ad ſingulos Regularis diſciplinæ ritus, & actus diverſis voluminibus conlectas, & pluries typis vulgatas manibus quotidie terimus, ab eo aut exaratas ad verbum, aut præformatas ſuis de re Monaſtica commentariis fuiſſe. Heic tamen eas tantum recudimus, quæ quarto ſuperioris editionis Tomo, a pag. 302. continebantur, omiſſis aliis, quæ vel Inſtituti noſtri ita ſunt propriæ, at nulla ratione cæteris Ordinibus prodeſſe poſſint, vel ita variis pro temporum diverſitate adceſſionibus ſunt intermixtæ, ut perdifficile ſit nativam earum formam dignoſcere. Harum autem primum locum obtinent quæ ad Studiorum, Studentumque inſtitutionem ſpectant; altera in modum Epiſtolæ, quæ XIX. eo in Tomo editionis Colonienſis, ad pag. 300. cenſebatur, quæque etiam in ejus Vita, *cap. 16. & in* Hiſtoria Generali Congregat. Ital. Tom. 2. lib. 2. c. 14. *referebatur, altera didaſcalico ſtilo exarata; cui nectuntur aliæ pro ſingulis Lectoribus; deinde reliquæ pro recens Profeſſis, pro iter agentibus, tum ad Spiritualium Exercitiorum receſſum, quæ in ſeptem partitur capita, conſequuntur. Quæ vero ad Sacras Miſſiones, fuſiori calamo ſcriptæ, adtinent, eo ob rei ſimilitudinem remittimus, ubi de hoc argumento pleraſque alias tractationes hoc ipſo Tomo ſubiiciemus. Conlectioni illi veteri harum Inſtructionum, laudato in loco, hæc monitiuncula præficiebatur.*

,, Complures ſanctiſſimas, utiliſſimaſque, maxime pro variis Religioſi ſtatus muneribus, ac
,, functionibus Inſtructiones, conſcripſit Venerab. Pater noſter, quæ in unum congeſtæ, inte-
,, grum facile Volumen conficere poſſent; è quibus tamen non niſi paucas habere licuit, quas
,, epiſtolas ejuſdem ſubiiciendas duxi, ne penitus intereant.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
INSTRUCTIONES ALIÆ
PRO VARIIS MONASTICÆ VITÆ MUNERIBUS.

INSTRUCTIO I.
PRO STUDENTIBUS, IN MODUM EPISTOLÆ.

Chariſſimis Fratribus Car. Diſc Theologiæ, & Philoſophiæ in Cænobio S. Annæ, Genuæ vacantibus, Salutem in Domino ſempiternam.

Scrip. An. 1605.
Alias ep. c. 19. Tom. 4. edit. Colon. pag. 300.

MIrabuntur plerique è junioribus, quod tam diuturnum ſilentium importuna loquacitate dirumpam, ſed notam ſubire mihi facilius eſt, quam officium, quod ad com-
A mune Congregationis bonum ſpectat prætermittere. Superioribus diebus catalogum capitum Inſtructionis Miſſionum, quam elaboravi, tranſmiſi, ut animos ad curſum per ſe ſatis incitatos urgerem. Nollem tamen amici noſtri anſam è labore alieno arriperent, & ſegniter agerent: quaſi ego eis aliquid laboris ademerim, vel ademp-
turus exiſtimer. Quapropter quæ ſubii-
B ciam, precor, attendant.

Duplex Inſtructio ad Miſſionum opus proculdubiò requiritur: una, qua modus agendi, ac ſe in animos Eccleſiæ hoſtium inſinuandi tradatur: quæ prudentiæ, ac ſuavitatis plurimum habere debet, ut ſine præliorum ſimulachris feros homines alliciat, & capiat. Altera Inſtructio ſcholaſtica eſt, quæ congreſſiones hæreticorum potiſſimum obſervat, & Scriptura Sacra, à
Conciliis, à Patribus, à ſelectis rationibus C
promenda, & in methodum ad prælia ineunda coaptanda eſt.

Primam illam concinnavi, & rationes naturali lumini congeneres, alias quidem efficaces, alias verò probabiles, alias certè ſi minus probabiles, opportunas tamen ad incultos homines ſenſim ad altiora promovendos excogitavi: ſemper enim exiſtimavi ad Miſſionum victorias, naturalium ra-
tionum copiam, ſuavemque agendi mo- D
dum, afflante Deo, plus multo conferre,

quam

quam inſtructum ſcholarum agmen, multis argumentorum telis infeſtum. Cujus ratio eſt, quia perquam raro ad certamina cum ſectariis deſcenditur, & tunc ſanè perexiguus fructus exiſtit. Qui enim inter hæreticos ſapientiam jactant, ii ſunt quorum ſalus pene deſperanda ſit, cum protervia, & garrulitate concertent, ac Spiritui Sancto pervicaciter repugnent. Ceteri verò à Chriſto exulantes, ſive hæretici, ſive Mahometani, ſive ethnici, adeo rudes ac barbari ſunt, ut quilibet è Chriſtianis mediocriter doctus, cum integris eorum Academiis manum conſerere, ac ſuperare valeat. Errores enim enormes, & cum naturali ratione apertè pugnantes hauſerunt, & ſuperſtitiones, quas colunt propugnare neſciunt. Quod ſanè in ætatis noſtræ hiſtoriis, ubi certamina ejuſmodi deſcribuntur obſervavi, ſpemque concepi, Deo propitio, fore ut ſi Fratres noſtri rationes apud nos vulgatiſſimas in locos digerant, & prudenter uſurpent, Apoſtolicos triumphos ſint relaturi.

Cupio ergo, ut Thelogi noſtri animadvertant, quale laboris genus ſuſceperim, & quid ſuperſit agendum. Supereſt quippe Inſtructio ſecunda, quæ (mea ſententia) ab unoquoque conflanda eſt, & ab iis fontibus Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ſelectarumque rationum in ipſo (ut ſcripſi) ſtudiorum curſu ducenda. Qua in re per Clementiſſimum Deum obteſtor, ne ullus deſidiæ, aut ignaviæ locus pateat, & certo ſibi perſuadeant, in ipſo curriculi fine, hoc labore tam exiguo fore fortis ad bellum comparatos, & mihi pro conſilio gratias acturos.

Cogitaveram ego ſanè Inſtructionem hanc ſecundam gnaviter condere: at vires deſunt, modoque quàm anno elapſo infirmior ſum: præterquam, quod tametſi ego valerem, modus ille, quem ſuadeo, unicuique proprius, & ingenio attemperatus ad Inſtructionis exercitium (quatum capio) fructuoſior eſt.

Accedit nova ratio, quam explorata re ſuggero: inſtructionem ſcilicet hanc ab erudito admodum P. Joanne Baptiſta Desbois ordinis Minimorum, qui Bellarminum in compendium contraxit, elucubratam fuiſſe. Edidit quippe quatuor epitomes Tomos, ad opus Miſſionum adeo nobis opportunos, ut nihil in hoc genere aptius poſſit excudi. Duos ego perluſtravi; unum Romæ hieme proxima; alterum hîc ubi ruſticor, & mirificè placuerunt. Erit ergo è re noſtrorum Theologorum authorem hunc in promptu habere, ac ſucciſivis horis lectitare. Cerno enim libros alios longiores, cum accurata Theologiæ ſcholaſticæ ſpeculatione, vix coherere poſſe.

At neque liber hic Tomis quatuor digeſtus (judicio noſtro) ſic ab eis legendus eſt, ut labore illo, uti velint ad proprios conatus extenuandos: ſed ita, ut quoties de rebus controverſis aliquid in S. Thomæ textu attactum fuerit, è libro illo ſelectas aliquot è Scripturæ Sacræ authoritate ſententias, aliquot Oecumenicorum Conciliorum decreta, nonnullas Patrum aſſertiones, unam vel alteram rationem efficacem excerpant, & ad belli tempora ſervent. Sic enim unius horæ labore, ad ſingulas veritates Catholicas aſtruendas, tutam certe armaturam tempeſtivè induendam, vel exercendam habebunt. Modus autem communes locos elaborandi hic eſſe poterit.

Calvinus liberum arbitrium in libertate a coactione non à neceſſitate conſtituit: errorem hunc ſic ego refellerem. A Scriptura: Eccleſiaſtici cap. 25. inquit Spiritus Sanctus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſervare conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam*, &c. Quomodo relinquitur homo in manu conſilij ſui, ſi neceſſariò determinatur voluntas ad unum? quorſum monetur homo, (*ſi volueris mandata ſervare*) ſi neceſſario unum velle opus eſt? quorſum apponitur aqua & ignis, ut pro libito manum porrigat, ſi unum è duobus neceſſariò accepturus eſt. Ecce quam diſertè ex hoc Sacræ Scripturæ loco aſſeratur liberum arbitrium, non ſolum à coactione, verum à neceſſitate. Ex hoc exemplo alia loca coagmentare, ac expendere licebit.

Eccleſ. 15.

A Conciliis Arauſicanum *can.* 25. definiuit: poſſe hominem baptizatum bene vivere ſi velit; conſtat autem experientia poſſe malè vivere, ergo non ſolum à coactione, ſed à neceſſitate liber eſt. Tridentinum *Seſſione 6. capite* 5. docet hominem liberè conſentire inſpirationi divinæ; quippe quam reiicere poteſt, ergo eſt liber à neceſſitate.

A Patribus. Nazianzenus in *Apologetico* non procul ab initio, *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet*. Hilarius in *Commentario* Pſal. 2. *unicuique noſtrum libertatem vitæ, ſenſumque permiſit, non neceſſitatem in alterutrum affigens*. Sic ab aliis Patribus apertiſſimæ aſſertiones peti poſſunt.

A ratione. Si ad liberum arbitrium ſufficeret libertas à coactione, profecto in pecoribus, pueris, furioſis, & in generatione verbi æterni libertas eſſet, quod ſectarii non admittent. Deinde: Nulla de libero arbitrio umquam controverſia extitiſſet; nam neque Ariſtoteles, qui Deum ex neceſſitate agere docuit, neque Manichæi, neque Lutherani uſquam negarunt Deum, vel homines à coactione liberos eſſe. Denique liberum arbitrium eſt ipſa voluntas non ſimpliciter, ſed ut principium electionis; at poteſtas eligendi nequit intelligi cum determinatione ad unum, ergo, & à neceſſitate homo immunis eſt.

Hæc leviter tetigi, ut (ſi placet) hac methodo noſtri Fratres utantur. Locus autem hic de aſſerenda libertate, ad ultimas quæſtiones Primæ Secundæ, ubi de merito to agitur, pertinet, quamvis, & aliis tractatibus poſſit intexi. Si autem conſilium hoc noſtrum arrideat, & incipiat exerceri, nemo tam rudis eſt, qui non diſpiciat per hunc laborem perexiguum ſtudiorum curſum minimè retardari, & hunc ſtudendi modum ſerium, Eccleſiaſticum, gravem, ſanctum, & utilem eſſe: eoſque Theologorum nomine planè indignos eſſe, qui nova inventa, ubi nulla locorum Thologicorum, ſed ſubtilitatis leviſſimæ recordatio ſubit, tam operoſè conquirunt. Hactenus de doctrina: nunc de pietate quaſi præſentes mutata voce convenio.

Chariſſimi, Patres, & Fratres, quorum teneor deſiderio, quo tenditis? quorſum laborem ſtudiorum improbum ſuſcipitis? An popularem captatis auram, vel opes caducas exquiritis? quærant eas negociatores Themanitæ, quorum prudentia terrena eſt: Vos verò gens ſancta, genus electum, & illuſtris pars regalis Sacerdotii, quod exercuit majeſtate ſummus, & inſignis manſuetudine Deus cordis mei, contemnite ſplendorem ſæculi, & per ſapientiæ ſtudium ad honores æternos aſpirate. Meditamini dolores, & agones, & martyria mente pertractate. Eò conatus veſter totus incumbat, ut tamquam generoſi leonis noſtri catuli, ex antris, ubi nunc latitatis exilientes corda inimicorum Regis deprædemini. Felices vos, ò ſuaviſſimi conſortes Filii Dei, qui pro veris, pro patriis legibus, pro Chriſtiano candore glorioſa morte perfungi paratis, recepturi coronas, vel de doctrina virides, vel de paſſione purpureas. O pugnatores validi, ne cedatis Idumæis. Eliæ noſtri ancipitem gladium vibrantis genus eſtis: in Antichriſti cædem nunc armamini. Invideo vobis ſortem hanc; At rem altius expenſurus ab ſcriptione deſiſto. Valete, è Cœnobio S. Sylveſtri Tuſculani, Kal. Auguſt. anno ∞. IↃ c. v.

INSTRUCTIO II

Scholarium.

Quid illis conjugandum?

I. SCiant imprimis Scholares, literarum ſtudiis quamtumvis ſacris, dum intellectus paſcitur, aridam ſæpenumero reddi voluntatem, & niſi qui illis incumbit magna arte, ac ſtrenuitate temperet, & in pietatis ſtudia multo quam umquam ſolertius deferatur facile amiſſurum, quæ duris longiſque laboribus comparaverat. Caveant ergo ſibi ab hac peſte totis alis, habeantque ſemper ante oculos, atque optent unicè ita diſcere litteras, ut non dediſcant ſpiritum ſine quo illæ occidunt, Apoſtolo teſte.

Orationi vacandum.

II. Orationi mentali attentè, atque utiliter faciendæ quam maximè invigilent, quod non præſtabunt ullatenus, niſi diligentiori cura, antequam ad eam accedant, animum ab omni alio phantaſmate expurgaverint; atque adeo æquum erit ab omni litterarum exercitio ac ſtudio, ſaltem per horæ quadrantem ante orationis tempus vacare, eoque ſpacio comparare ſibi meditandi materiam, capita excurrere, affectus inde eruendos prælibare, obſervantia phantaſmata componere, ac veluti conſopire, ne orationem deinde interturbent. Intereſt adeo ſedula hæc præparatio, ut ſi ea, Scholaribus præcipuè deſit, nullus fere fructus ex oratione poſſit ſperari.

Nec alea animus diſtrahendus.

III. Numquam committant, ut vel ſtudiorum memoriæ locus aliquis, dum orationi vacatur pateat, noverintque callidiſſimi dæmonis aſtu ſæpe contingere, ut quæ alio tempore difficillima cognitu, ac maximè implexa, & dubia viſa fuerint eo temporis in mentem veniant, ac quaſi facillimè intelligenda, ſi modo advertatur animus, ſe demonſtrent Impoſtura eſt hæc fallentis inimici, quam non orationi tantum, ſed examini conſcientiæ, ſed divinis officiis, ſed exhortationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitiis conatur intermiſcere; verum in his omnibus dæmonis impoſtura detecta, niſu, quo fieri poteſt, maximo, repellatur.

IV. Et quia inanis quædam, vel gloriatio vel curioſitas ſolent non rarò bonarum literarum ſtudioſis officere, eoſque expoliare laborum fructu, curent magnopere intentionis oculum repurgare aſſiduè, ut in Deum ſolummodo reſpiciat, atque adeo non prius ſe dent ſtudio, quam expreſſis actibus illud in obedientiæ impletionem, & in unius Dei laudem retulerint. Opportuna videtur in hunc finem ſubjecta oratio quam flexis genibus ante ſtudium dicent.

Oratio pro ſtudiis.

Domine Jeſu *Chriſte, qui vera Sapientia* Dei *es, quam non niſi puris, ſinceriſque mentibus ſueviſti communicare, purga hanc animam meam igne amoris tui, intellectum, memoriamque confirma ad perdiſcendas, quas tu ipſe præcipis ſacras, vel honeſtas litteras, quibus Te unum quæram, Te unum diligam, Te unum ſapiam, extra quem quiſquis aliquid quærit, quiſquis aliquid diligit, quiſquis aliquid ſapit, manifeſtiſſimè deſipit. Qui vivis &c.*

Studenti ardor

V. Ut orationi, meditationi, aliiſque ſpiritualibus exercitiis dicatum tempus ſurripere, ſine magno animi damno non licet, ſic neque orationi, aut meditationi tempus ſtudiis præſcriptum concedendum eſt. Sint igitur ſui limites unicuique, quos noſtra inſtituta præfigunt, quos non temerè Scholares tranſgrediantur.

VI. Neque tamen interdicimus, quin de Rectoris venia poſſit aliquid amplius ab aliquo orationi tribui, quàm communiter tribuitur; ſed ne id temerè, & ſine conſilio fiat: immò præcipuis quibuſdam, & ſolemnioribus diebus operæ pretium erit, abdicatis omnino literariis curis, totos in pietatis ſtudia Scholares incumbere. Cæterum rùm reliquo tempore, non denegetur ſtudiis id temporis, quod eſt ex inſtituto præſcriptum, ſed immiſceantur eis non rarò aliquæ jaculatoriæ, ac breves orationes, quæ tamen non impediant, ac plus juſtò retardent curſum altæ, atque attentæ ſpeculationis.

A

VII. Non ſtudeant aliis rebus, ſeu materiis præter eas, quæ à prælectore, ſeu prælectoribus docentur, niſi de expreſſa venia Rectoris.

Modeſtia, & humilitas ſervanda.

VIII. Modeſtiam, & humilitatem eò magis colant, quò fuerint ingenio, & acumine ſpectabiliores, neque intimo ſolo has virtutes colant affectu, ſed verbis quoque ac totius corporis habitu demonſtrent.

Contentiones fugiendæ.

IX. Caveant præcipuè à contentioſis controverſiis, & dum diſputant, non convincere adverſarium, ſed veritatem eliquare, ac perpendere in votis habeant, nec vociferentur inconcinnè, ſed gerant ſe ſedatè, & modeſtè, non tamen ignaviter; ſciantque adeo argumentorum vim non ſonantiori voce, ſed aptiori ratione conſtare.

B

Studiorum induſtria.

X. Dum in aliquod dubium inter ſtudendum offenderint; ſi ejuſmodi ſit, quod non omnino reliquum ſtudium impediat, ſubnotet id chartula, ut in gymnaſio poſt lectionem interrogent, ſecus ſi hæreant animo, ac ea re ignorata progredi non valeant licebit ad præceptorem accurrere, & dum hora ſilentii ſacra non ſit, ejus cellam ingredi, ac ab eo perdoceri, ſed curandum ne frequentia nimia conſultationum, cum tempus auferat, tum moleſtiam afferat præceptori.

Latinè loquendum.

XI. Latinè ſemper loquantur intra Gymnaſium, ſive diſputent, ſive interrogent, ſive omnino de re quapiam literaria confabulentur.

Diligentia.

XII. Sive ad Chorum, ſive ad litteraria exercitia in Gymnaſium vocati, primo pulſu quam citiſſimè accurrent; quod, ut ferventius, & alacrius præſtent, ſciant ei, qui majori diligentia Dei voce interpellatus accurrerit ejus, qui tardior, ac ſegnior fuerit, impetrationem, ac ſatisfactionem totius illius actionis, ad quam accurritur, eſſe ex communi pacto, & Prælatorum applicatione reſervatam.

C

XIII. Tales denique ſe exhibeant, tam ferventes ſpiritu, tam virtutibus præſtantes, ut ſuo exemplo confirment, quod dici ſolet, ſcientiam non pietati officere, ſed perficere pietatem.

INSTRUCTIO III.

D

Communis omnibus Prælectoribus.

I. QUam ſit Religioni utile hoc Prælectorum munus, ſi rectè exerceatur, quam Deo gratum, quoad illud animo quiſque debeat accedere, quo affectu id exercere Dei Opt. Max. cauſa, ſuperfluum erit dicere, cum ſatis liquidò pateat; feratur ergo Prælectoris peculiaris intentio, tum in lectionibus, cum ſe occaſio obtulerit; tum extra eas, ad auditores ſuos in obſequium, & amorem Dei, atque illarum virtutum, quibus illi placere oportet, non verbis tantum, ſed exemplo potiſſimùm permovendos; & ut omnia ſua ſtudia ad hunc finem referant, crebris eos apud Deum precibus juvet.

E

Difficultatum enodatio.

II. Cum in graviores aliquas difficultates inciderit, præſertim Theologicas; de eis non niſi divino lumine enixè implorato, fuſiſque precibus, & præſertim oblato ſacratiſſimo Miſſæ Sacrificio, conſulto quoque ſocio Lectore, aliiſque doctoribus viris, ſi præſtò ſint, judicium ferat, inſiſtens Angelici Doctoris veſtigiis, qui his præcipuè mediis veras ſententias ex maximè dubiis, implexiſque controverſiis eliciebat. Habeat hunc ſibi propoſitum ad imitandum Doctorem, cui erit toto animo addictus; ita ut ipſius S. Thomæ doctrinam, tam in Philoſophicis, quam Theologicis omnibus ſequatur, excepta opinione de ſanctificatione Virginis, & quæ in ſumma docuit, præferat iis, quæ alibi tradidit. Adhæreat ejus ſententiæ, & ab ea numquam recedat, ponatque in eo omnem operam, ut erga eumdem Doctorem Angelicum, auditores cuncti quam optimè efficiantur.

F

Auctorum conciliatio commendata.

III. In illis quæſtionibus, in quibus liberum eſt quamcumque partem ſequi, ita defendatur una pars, ut alterius etiam partis, ac multo præcedentium Prælectorum, aut etiam Lectoris concurrentis, ſi contrarium doceat, exiſtimationi benevolè ac modeſtè conſulatur, quin etiam, ſi conciliari poſſint Auctores, id non eſt negligendum: omnino tamen in nominandis, confutandiſque aliorum ſententiis modeſtè ſe pluſquam mediocriter gerat.

G

IV. In his, in quibus nullum Fidei, veritatiſque periculum ſubeſt, nullas in rebus alicujus momenti novas introducat opiniones, quæ nullius idonei auctoris judicio ſint probatæ.

V. Nil contra Doctorum axiomata, communemque ſcholarum ſenſum doceat, ſequatur potius probatos authores; ex eis conſentientes plurimos, niſi valde ratio urgeat, magni faciat, nec recedat à ſemita, quam graviores Academiæ tenendam docent.

Opiniones inutiles declinandæ.

VI. Opiniones inutiles, obſoletas, abſurdas, manifeſtè falſas non adducat, nec in aliis referendis, ſeu refutandis nimis moretur; aſſertiones non tam probare ſtudeat argumentorum numero, quàm pondere, nec coacervet omnia, quæ obiici poſſunt, ſed ex eis potiſſima breviter referat, niſi ex jactis fundamentis facilè pateat eorum ſolutio & confutatio.

H

Quid de Doctorum, Sacræ Scripturæ Conciliorum, Sanctorumque Patrum authoritate?

VII. Ad alienas materias non divagetur, neque tamen relinquat proprias, ſed quæque ſuo loco pertractet.

VIII. In afferendis Doctorum authoritatibus, non ſit nimius; ſi tamen habeat inſigno-

ſigno-

Scripta An. 1605.

ſigniorum authorum teſtimonia aliqua inſignia ad ſententiam confirmandam, verba ipſa, quoad fieri poſſit, pauca tamen, & fideliter referat, multò magis Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum: è dignitate autem Prælectoris eſt, nihil ullo ex authore proferre aliena fide, & quod non ipſe legerit. Si quæ in Authoribus in promptu poſitis, copioſè & aptè habeantur, ea ipſe non afferat, ſed ad illos remittat auditores.

IX. Dum poſt lectionem dubiis ſatisfacit; imò quoties ab aliquo interrogatur, benignè, quæ proponuntur excipiat, nec contemnat etiam imbecillia, ſed explicet ſedatè, ac perſpicuè: non ferat tamen importunas aliquorum contentiones, ſed cum ſatisfecerit quæſtioni, intercidat verba ſupervacanea, & ejuſdem difficultatis inanem repetitionem.

Diſputandi modus.

X. Diſputationum dies non minùs laborioſas, fructuoſaſque exiſtimet, quam lectionum: omnem diſputationis fructum ac fervorem ſciat à ſe uno pendere, cui ita præſit, ut ipſe videatur eſſe, qui in utroque concertatore concertat; collaudet, ſi quid afferatur boni, & attendere omnes jubeat, cum gravior fortè propoſita fuerit difficultas; ſuggerat ſubinde breve aliquid, quod vel fulciat reſpondentem, vel argumentantem dirigat, neque diu taceat, neque ſemper loquatur, ut ipſi etiam Diſcipuli promant, quod ſciunt; ipſe verò, quod depromptum fuerit, emendet, aut explicet: diſputantem progredi jubeat, dum difficultas vim obtinet, imò augeat ipſe difficultatem nec diſſimulet, ſi is, qui argumentatur, prorepſerit ad aliud argumentum. Non patiatur, vel argumentum benè ſolutum longius urgeri, vel reſponſionem non benè conſtantem diu ſuſtineri, ſed poſt aliquam concertationem rem totam breviter definiat, & prorſus explanet. Si quid denique in uſu eſt, quo diſputationes reddi ſoleant ferventiores, id ſedulò retinendum. Sic verò, quoad diſputationes attinet, diſcipuli à Lectoribus inſtituantur, nihil ut eos magis pudeat, quàm à formæ ratione deflectere, nihil ab illis ſeverius exigat Prælector, quam diſputandi leges: itaque qui reſpondet, repetat primò fideliter totam argumentationem, nihil ad ſingulas propoſitiones reſpondens; tum iterum ſingulas repetat propoſitiones, addatque unicuique nego, vel concedo, interdum etiam diſtinguat; rarò dicat admitto, ſeu tranſeat; numquam tamen declarationes, vel rationes invitis præſertim obtrudat. Non ferat Prælector aliqua inter diſputandum verba non latina miſceri, multò minùs immodeſta, aut iracunda, ſed prudenter, & graviter omnibus, ut decet, modum imponat.

XI. Etiamſi ex diſcipulis aliquem, ob ſingulares virtutes ſingulari præ cæteris amore proſequatur, id tamen nullo indicio manifeſtet; ſed omnibus præſtet ſe æquè benevolum, æquè familiarem; quin & ſi quis ingenio excellat, temperet à laude, præſertim coram reliquis, ut omnis excitandæ invidiæ, & violandæ ſinceriſſimæ charitatis occaſio procul arceatur.

Solertia commendata.

XII. Sit denique in omnibus, divina aſpirante gratia, diligens, & aſſiduus, & profectus ſtudentium, tum in lectionibus, tum in litterariis exercitationibus ſtudioſus, progreſſumque uniuſcujuſque ſpeciatim procuret, exemplarque ſe, tum litterarum, tum virtutis omnibus præbeat.

XIII. Nullus munus Lectoris exerceat, ſive Philoſophiam edocturus, ſive Theologiam, etiamſi aliquot dumtaxat lectiones ſit habiturus, quin fidei profeſſionem emittat in Bulla Pii IV. expreſſam, quæ habetur poſt Canones, & Decreta Sacroſancti Concilii Tridentini juxtra Decretum ejuſdem Pii IV. quod incipit: *in Sacroſancta*; fiet autem in Gymnaſio ea die, qua Præfatio, vel prima Lectio habenda eſt.

INSTRUCTIO IV.

Prælectoris Philoſophiæ.

I. OBſervet imprimis ea, quæ cunctis Prælectoribus ſunt præſcripta, ſibique perſuadeat omnem ferè ſtudiorum, & ſtudentium progreſſum ex ſe uno pendere: ut enim ipſe novellos, recenteſque Scholares, tum ad doctrinam, tum ad modeſtiam inſtituerit, ita & quod ſtudiorum reliquum erit, percurri ab illis neceſſe eſt. Navet igitur operam quam ſtrenuè poterit, non ſolùm, ut accuratiorem doctrinam, ut rectam argumentandi formam, ut perfectam philoſophiæ cognitionem eis tradat, verum etiam ut in modeſtiæ, pietatis, virtutumque omnium officiis, cum verbo, dum ſeſe occaſio obtulerit, tum maximè exemplo illos contineat.

II. Quoniam vero naturales ſcientiæ eo tendunt, & ob hunc finem diſcuntur, ut rudia ingenia ad ſacratiſſimæ Theologiæ perceptionem diſponant, eas qua par eſt diligentia ita tractet, ut auditores ſuos fini tam ſublimi præparet, atque adeo ſemper illas ſententias ſeligat, quæ Theologicæ diſciplinæ ſunt aptiores.

III. In rebus alicujus momenti ab Ariſtotele non recedat, niſi quid incidat à doctrina, quam Academiæ ubique probant, alienum, multo magis ſi orthodoxæ fidei repugnet, adverſus quam, ſi quæ ſunt illius, alteriuſve Philoſophi, quæ negotium aliquod faceſſant argumenta, ſtrenuè refellere doceat, juxta Decretum Concilii Lateranenſis.

IV. Univerſam Philoſophiam triennio perleget: in primo anno Logicam cum Summulis abſolvet: ſecundo anno libros Phyſicorum, de generatione & corruptione, & ſi tempus ſuperfuerit, incipere poterit libros de Anima; tertio anno abſolvet libros

Scrip. An. 1605.

bros de Anima, & Metaphyſicam, & ſi tempus ſuppetat, adiunget quæſtiones Metaphyſicales è prima parte petitas uſque ad duodecimam excluſive. Perleget autem authorem Thomiſtam à Præpoſito, vel Provinciali deſignandum, quem, ſi quæ contra Divi Thomæ doctrinam docuerit, refutabit, & in voce Divi Thomæ doctrinam ſolidabit.

INSTRUCTIO V.

Prælectoris Theologiæ Scholaſticæ

I. SUI muneris intelligat eſſe, ſolidam diſputandi ſubtilitatem, ita cum orthodoxa fide coniungere, ut huic imprimis illa deſerviat. Quapropter quod circa D. Thomæ doctrinam cunctis Prælectoribus iniunctum eſt, ipſe multo cæteris accuratius obſervet, habeatque eum ut Doctorem proprium, ejuſque Summam interpretetur, juxta ordinem alibi præſcriptum.

II. In docendo, corroborandæ primum Fidei, alendæque pietatis curam habeat, atque adeo nihil doceat, quod vel minimum his rebus umquam poſſit officere. Huc attinet, ut ne receptas jam, quamvis debiles, congruentes tamen rationes, quibus fidei res probari ſolent, ullo modo refellat, nec temerè, niſi ex valde conſtantibus, ſolidiſque principiis novas alias, ſive excogitet, ſive inducat. Demum ne in iis, quæ ad mores pertinent, ſeveras antiquorum ſententias excludat, aut ad laxiores alias, quibus valde prona eſt hominum delicata natura, aditum ullo modo patefaciat.

Quæ fugienda a Prælectoribus.

III. Ut faciliores in Theologia ſcholaſtica perlegenda, atque feliciores facere progreſſus poſſit, intereſt ut à quibuſdam, quæ non parum retardare ſolent Prælectores, ſeriò abſtineat. Quorum primum genus, quæſtiones aut commentationem divinarum Scripturarum complectitur, quas interpreti Sacræ Scripturæ ſemper concedet. Alterum genus in controverſiis adverſus hæreticos poſitum eſt, in quibus pertractandis, quoties apud D. Thomam occurrerit, ſcholaſticam potius, quam hiſtoricam rationem obſervet, atque adeo ſatis eſſe putet Catholicam ſententiam duobus, vel tribus firmis fundamentis communiri, ac totidem argumentis contrarium errorem refelli, vel etiam hæreticorum calumnias propulſari. Paucis hæc omnia; ſubindicet tamen aliqua promptuaria, ex quibus plenam de ea re diſputationem, & cætera, qui velit promere poſſit. In tertio genere ſunt philoſophicæ res, quas haud quaquam ex inſtituto pertractet, nec tam diſputet, quam veluti ſupponendo afferat. Ad quartum genus pertinent conſcientiæ caſus, in quo generalibus quibuſdam rerum moralium principiis Theologico more contentus, minutiorem illam caſuum expoſitionem relinquat aliis.

IV. In S. Thoma commentando hoc modo ſe gerat. Faciles articulos, totas etiam quæſtiones, ſi ejus generis ſint, velociter percurrat, difficiliora lentius tractet hoc ferè ordine. Exponat in principio titulum, ut ſi quid eſt obſcurum illuſtretur; explicet deinde diſtinctionem, ſi ulla eſt fortaſſis ex cujus membris concluſiones eruantur, mox concluſio primaria D. Thomæ, & ſi quæ aliæ ſunt per articulum ſparſæ ediſſerantur; atque earum ſingulis, niſi perſpicuæ admodum ſint, ſua adiiciatur comprobatio, quæ etiam ita explicetur, ut intelligant auditores in diſtinctionibus & rationibus D. Thomæ majorem plerumque eſſe vim, quam prima fronte videatur. Hæc omnia ad commentaria prorſus pertinent; ſi vero ultra illud res videatur exigere majorem diſcuſſionem, diſputationem ut libuerit inſtituat, vel etiam diſputationes, quas in dubia, vel difficultates dividat, quæ tamen ordinariè uno Sacri Doctoris articulo longiores non ſint, quæ omnia voce tenus è ſuggeſtu docebit.

Expediendi modus.

V. In illis quæſtionibus, quæ vel in D. Thoma non habentur, vel habentur quidem, ſed utilius traduntur compendio, licebit ad aliquem tractatum plures Divi Thomæ quæſtiones redigere, & ſimul eas expendere.

INSTRUCTIO VI.

Lectoris Sacræ Scripturæ.

I. INtelligat ſuas præcipuas partes eſſe divinas literas juxta germanum literalemque ſenſum, qui rectam in Deum fidem, bonorumque morum inſtituta confirmet, piè, doctè, & graviter explicare.

II. Inter cætera, ad quæ ejus ſententia feratur, illud ſit præcipuum, ut verſionem ab Eccleſia approbatam defendat.

III. Ut ſenſum verum germanumque aſſequatur, locutiones ac figuras Sacrarum Scripturarum proprias obſervet, nec modò loci, quam præ manibus habet antecedentia & conſequentia, ſed etiam alia loca, in quibus eadem phraſis, idem aut non idem valeat, ſolerter conferat.

IV. Ex Hebræis, Græciſque exemplaribus, quod uſui fuerit in eam rem proferat, breviter tamen, nec niſi cum vel ipſorum, latinæque editionis vulgatæ aliqua diverſitas eget conciliatione, vel certè, cum aliarum linguarum idiomatiſmi ad majorem conferunt loci perſpicuitatem.

V. Aliarum verſionum, ſive Latinorum recentiorum, ſive Chaldaicæ, Syriacæ, Theodotionis, Aquilæ, Simmachi, nec errores niſi inſignes, & in ſpeciem probabiles ſuſcipiat refellendos, nec ea viciſſim prætereat, quæ Latinæ editioni vulgatæ,

fidei-

Scrip. An. 1605.

fideique noſtræ myſteriis valde faveant; præſertim ſi fuerint recepta apud Septuaginta Interpretes, de quibus honorificè ſemper Sanctorum Patrum more loquendum eſt.

Septuaginta Interpp. honore ac veneratione digni

A VI. Si quem litteralem cujuſpiam loci ſenſum eſſe ſignificant Pontificum, ſeu Conciliorum, præſertim generalium Canones, eum omninò litteralem eſſe defendat, nec alios præterea litterales addat, niſi eximiis adductus rationibus; ſi quem etiam ad aliquod fidei dogma confirmandum ex inſtituto proferunt, eum quoque ſenſum, ſeu litteralem, ſeu myſticum, certum tamen eſſe doceat.

SS. Patrum auctoritas.

VII. Sanctorum Patrum veſtigiis reverenter inſiſtat, inter quos, ſi de aliquo ſenſu litterali, vel allegorico conveniat, præſertim dum diſertis verbis loquuntur, & ex propoſito de Scripturis, aut de dogmatibus diſputant, ab eo non recedat. Si non inter eos conveniat, ex eorum variis expoſitionibus, eum proferat, in quem multis jam annis Catholica Eccleſia videtur eſſe propenſior.

B VIII. Quinimò, ſi quod eſt fidei dogma, quod ferè quamplurimi Patres, aut Theologi è Scripturis probare contendunt, id ipſe probari inde poſſe non neget.

Quid de Rabbinis?

IX. Si aliquid ſit in Hebræorum Rabbinis, quod vel pro Latina editione vulgata, vel pro Catholicis dogmatibus utiliter poſſit adferri, id ita afferat, ut illis propterea non conciliet authoritatem, ne ad eos plus juſtò aliquis afficiatur; præſertim ſi fuerint ex iis, qui poſt Chriſti Domini tempora ſcripſiſſe probantur.

C X. In cæteris Rabbinorum rebus conquirendis, ſive etiam erroribus exagitandis, niſi admodum celebres ſint, nihil impendat temporis, idemque obſervet in legendis quibuſdam Chriſtianis interpretibus, qui plus nimis Rabbinos ſecuti ſunt, quamquam inter hos Lyranus, & Vatablus non ſunt ſpernendi.

XI. Imo neque in Hebraicis punctis, quod Rabbinorum inventum eſt, confidat admodum, ſed diligenter expendat quomodo noſter, vel Septuaginta, vel antiqui Interpretes alii legerint, cum puncta necdum eſſent.

XII. In quolibet Scripturæ loco non hæreat nimium, ne lentiores progreſſus, quam par eſt, fiant; quod maximè conſequetur, ſi percurrat faciliora, vel etiam fere omittat, niſi fortaſſe loci, vel rei gravitas latiorem expenſionem requirere videatur.

Methodus ſcolaſtica reprobatur.

D XIII. Quæſtiones ullas Scholaſtico more non tractet. In varia temporum ratione perveſtiganda, in perſcrutandis locis ubique terrarum, & in hujuſmodi aliis parum utilibus, niſi loci fortaſſis difficultas id exigat neceſſariò, tempus non terat; auctores, qui de his rebus copioſè diſſerunt, ſatis erit indicare.

XIV. Allegorias, & moralia, ſi pervulgata non ſint, nec ex ſenſu ipſo litterali quodammodo nata videantur, ſed ingenioſum, ſeu perſpicax aliquid, inſigniterve pium præferant, ne prætermittat: quæ hujuſmodi non fuerint, relinquat, vel ſignificet tantum ex quibus Patribus depromi poſſint.

E XV. Si quem in locum incidat, vel nobis cum hæreticis controverſum, vel in Theologicis concertationibus in utramque partem jactari ſolitum, exponat tantum, graviter tamen, & ſtrenuè, præſertim ſi adverſus hæreticos agat, quantum is locus ponderis habeat ad eam quæſtionem diffiniendam; omittat cætera, ut inſtituti ſui memor, nihil aliud quam ſacras literas docere videatur.

F XVI. Si fuerint duo Prælectores Sacræ Scripturæ alter eorum primo bimeſtri redigat in compendium regulas interpretandi varietatem figurarum, quæ frequenter uſurpantur in ſacris litteris, modum eruendi ſenſus, & quinam quibus ſint præponendi, & alia ejuſmodi documenta generalia, quæ conferre poſſunt ad divinarum litterarum cognitionem; interim alter non ceſſet a perlegendo, ut moris eſt, & ille etiam, dum abſolverit regulas, accedat ſtatim ad commentandum. Si unus tantum Prælector fuerit; totum primo menſe præſtandum curabit.

Commentandi modus.

XVII. Modus commentandi is erit; ut initio uniuſcujuſque libri breviter de authore, de tempore, longiuſculè de ſubjecto agatur, non diſcutiendo, & exagitando multiplices authorum ſententias, ſed eam prænotando, quæ veriſſima, & probabiliſſima cenſentur. Non prætermittendæ tamen quæ celebriores, & veriores communiter judicantur: idipſum ſi oportuerit, maxime dum circa Prophetas agitur, in uniuſcujuſquæ etiam capitis limine præſtandum eſt.

G XVIII. Præcipua autem opera in eo collocanda eſt, ut quam maxime congrue, & conſequenter omnia explicentur, ita ut Scriptoris mens, quantum fieri poteſt, teneatur.

XIX. Quæ occurrerint alicubi figuræ, aut phraſes, aliis quoque locis Scripturæ frequentes, ſi exorbitent aliquantulum ab uſu, & conceptione vulgari, ac proinde difficile quid involverint, non prætereundæ ullatenus ſine explicatione, & annotatione ſingulari.

XX. Non committendum unquam, ut ex Veteri Teſtamento ſaltem Iſaias, Jeremias, & ex Prophetis alii, ex novo autem Epiſtolæ prætermittantur; atque adeo ſemper ab his libris lectio erit auſpicanda, & quod reliquum temporis fuerit, tribuatur ſeu Sapientialibus, ſeu Hiſtorialibus de Prioris conſilio.

H XXI. Non dictet, ſed ſine ſcripto commentetur, ut majores progreſſus fiant.

INSTRUCTIO VII.

Recenter Profeſſorum.

A

I. NIhil recenter Profeſſos nocentius infeſtat, quam inconſtans quædam libertatis appetentia, quaſi vota ſolemnia licentiæ viam feciſſent, & non arctius ad curſum cœptæ navigationis tenendum obligaſſent.

II. Qui ergo ſaluti ſuæ, ac profeſſioni conſulere optat, hoc in primis apud ſe ſtatuat, novitiatus annum ad virtutes capeſſendas quoddam fuiſſe præludium, & unà cum profeſſione ſtatum vitæ novæ cœpiſſe.

III. Monita, quæ anno primo diſcuntur pereniter obſervanda ſunt, ita ut quemadmodum Novitius erga Magiſtrum, ſic Profeſſus erga Superiorem paucis ritibus exceptis ſe fideliter gerat.

Perfectionis acquirendæ ſtudium.

IV. Seriò de acquirendæ perfectionis curſu cogitandum eſt, nec ferendum, ut exercitia primæva intermittantur, aut lenteſcant, ita ut, præter communes Congregationis actus, auſteritates illæ, quas Novitius quiſque ex Magiſtri conſilio ſuſcepit, Superiori, cui ſubeſt, conſcio, quoad fieri poterit, perſeverent.

B

V. Univerſas cordis affectiones ad capita breviſſimè redactas, menſibus ſingulis aperire Superiori, fructus erit immenſi; ſicut è contrario hujus moniti neglectus multorum malorum ſylvam creare ſolet.

VI. Si per occupationes liceat, non alius Confeſſarius quam Superior ipſe, vel alius ab eo impedito deſignatus eligendus eſt.

VII. Intereſt multum profeſſum, quemque ea dumtaxat, quæ à Superiore injunguntur, diligenter explere, nec alienis ſe immiſcere functionibus, quod efficiet, ſi propriæ cognitioni, & ſolis aliorum virtutibus cogitandis aſſueſcat.

C

VIII. Cum ab uno in aliud Cœnobium migrat, res novas non afferat, nihil obiiciat, vel improbet, quaſi novum, & iis, quæ alibi didicit, parum conſentaneum: ſed omnia boni conſulat, & velut aliorum diſcipulus cæteris ſe conferre non audeat.

Orationis ſilentiique cultura.

IX. Orationis, ac ſilentii ſit ſtudioſiſſimus, ut abdicatis hominum curis, & congreſſibus Dei præſentiam clauſtro cordis cuſtodiat.

INSTRUCTIO VIII.

Iter Agentium.

D

I. SEU pedites, ſeu neceſſitate cogente humiliter vecti, qui è noſtris iter agunt, paupertatem Chriſti æmulentur, & eleemoſynas mendicare pro ſummo ducant honore.

II. Compoſitis veſtibus ſemper eundum, at cum per oppida tranſeundum eſt, induti palliis Fratres bini procedant.

III. Non ſolum inter ſe, verum & cum aliis, quos obvios, vel itineris comites habuerint, comiter, ac hilariter, licet cum externis parcius agant,

E

IV. De rebus divinis frequenter verba faciant, & externos quoſque piis ſermonibus ad pietatem ſuaviter alliciant.

V. Qui præeſt in itinere lenem ſe cæteris exhibeat, & laborem, quoad poſſit, ſua ſedulitate ſublevet.

VI. Qui ſubſunt, ſeniori quaſi Chriſto deferant, nec illius injuſſu aliò divertant, vel quicquam attentent.

VII. Non ſuam quiſque commoditatem, ſed aliorum exquiret, ſeu veſcendum, ſeu cubandum, ſeu quidpiam aliud agendum ſit.

VIII. Cum in Clauſtri quiete ſalus noſtra reſideat, omni mora procul acta, Fratres ad Clauſtra feſtinent.

INSTRUCTIO IX.

F

Ad exercitia ſpiritualia complenda.

CAPUT I.

Modus explorandi, ac regendi eos, qui exercentur ad peccatorum expiationem per Confeſſionem generalem.

I. QUemadmodum iis, qui ad convaleſcendum, vel ad ſanitatem tuendam à medicis inſtruuntur pro diverſa corporis habitudine, exercitia quoque diverſa, vel certè in generis ejuſdem ſint, diverſè tamen temperata præſcribuntur; ita, & iis, qui à peccati morbo liberari, vel acceptæ gratiæ ſanitatem perficere cupiunt, exercitia diverſa pro ſpirituali cujuſque temperamento præcipienda ſunt.

G

II. Manifeſtius eſt quippe, quam ut rationibus exponendum ſit, alios vitiis inæqualibus obnoxios, alios ad virtutes inæqualiter propenſos, alios amore, alios timore agi ſolitos, æqualibus, ejuſdemque formæ exercitiis juvari non poſſe.

III. Primùm ergo, qui exercendorum curam gerit, eum, qui ſe exercere parat, exploret, quid velit, hoc eſt, in quem ſcopum exercitia dirigat, & qua ſpirituali habitudine ſit affectus, exquirat.

H

Quid pro Generali Confeſſione præſcribendum?

IV. Si enim eo exerceri velit, ut à peccato Sacra Confeſſione generali expietur, & pacata conſcientia in poſterum vivat; nulla ei oportuniora exercitia præſcribi poſſunt, quam ſi rectam, brevemque faciendi examinis rationem, modumque veræ contritionis concipiendæ doceatur.

V. Et quidem, quod ad examen attinet: Decalogi capita, quaſi totidem loci communes ſunt, in quos cogitationes, verba, opera, & omiſſiones, quæ ad unumquodque præceptum ſpectant, conferenda ſunt: quemadmodum in pleriſque piis opuſculis, quæ paſſim lectitantur, ſatis aptè traditur.

VI. Quod verò ad contritionem pertinet: quod minùs tutum, & magis eſt neceſſarium: quæri debet, quale ſit cujuſque ingenium. Etſi enim univerſis, qui de Pœnitentia cogitant, communes rationes ex ſe quidem efficaces, quas vulgò auctores tradunt, in noſtra *Novitiorum inſtructione*, Capite *de Pœnitentia* inveniet director ſalutares ſint: quia tamen ex variis hominum affectibus frequenter accidit, ut iis rationibus acrius excitentur, quæ non tam ad rem pertinere, quam extrinſecus afficere videntur, nihil niſi expenſo hominis cujuſque ingenio, prudenter decerni poteſt, ut ſubjecto liquet exemplo.

Homines variæ afficiuntur.

VII. Sunt plerique adeò metu mortis exagitati, ut ſine conſcientia Confeſſione Sacra purganda: ſive conceptus Dei timor alendus: ſive virtus acquirenda: ſive denique quidpiam aliud boni tentandum, malivè vitandum ſit, ſola mortis meditatione moveantur.

VIII. Alios è contrario cæleſtis Patriæ recordatio ad peccatorum deteſtationem, & aliorum bonorum operum executionem fortiùs, quam quælibet nervoſa ratio, vel pia meditatio movet. Atque in hunc modum de aliis diverſè affectis cenſendum eſt.

IX. Explorato igitur hominis ingenio, ea meditatio ad concipiendum dolorem injungenda eſt, quam efficaciorem experitur, ut per ſtatas orationis horas eam exerceat, donec confeſſionis opus abſolvat.

X. Quod ſi proprii ingenii rationem reddere neſciat (multi enim ſæculi rebus intentiſſimi, vel à ſe ipſis ex incuria, vel aliis modis alieniſſimi, rogati qua meditatione potiſſimum afficiantur, rem diſcernere neſciunt) rogandi ſunt, an ſaltem inter pura ſpiritualia, putà Dei bonitatem, miſericordiam, &c. & ſenſibilia, putà infernum, mortem, &c. aliquod in ſe affectus diſcrimen deprehendant.

XI. Alios enim Dei bonitas, & miſericordia, &c. ad quævis pia opera flectunt; alios nihil ſpirituale cogitare valentes, ea tamen permovent, quæ imaginatione figurantur, pro quorum diſcrimine præcepta tradenda ſunt: ut ſcilicet ea meditentur, undè ſe fructum elicere poſſe prudenter coniiciunt.

XII. Quod ſi neque diſcrimen hoc rerum ſpiritualium, corporaliumque percipiunt, ſed bono dumtaxat animo ſint, juxta communia virorum ſpiritualium præcepta erudiendi ſunt, ut ſcilicet, communes rationes ad pænitudinem concipiendam opportunas expendant, & ex animo peccata execrari conentur.

XIII. Oratio ergo, piaque lectio, aliique actus, dum generalis confeſſio fit, ad culparum deteſtationem dirigantur. Quod vero ad actus alios, quod ad tempus, numerum, & modum attinet, ſeorſim in Capite tertio trademus.

CAPUT II.

Modus regendi eos, qui ad majorem profectum exercentur.

I. EAdem præcepta erga hos, ac erga eos, de quibus capite proximo ſcripſimus, quo ad animum, & propenſionem cujuſque ſcrutandam, obſervanda ſunt. Conſtat enim, & horum mores diverſos eſſe, alios ad omne pium opus amore, alios timore præſertim moveri; quapropter primum de affectu proprio, ac exercitiorum fine rogandi ſunt.

II. Si enim proficere ſe velle dicant, & è quibus meditationibus fructum uberiorem percipiant, Patri, à quo regendi ſunt, compertum ſit, & locum, & tempus, & pios libros, actuſque cæteros ad profectum opportunos prudenter ſeligere difficilè non erit.

III. Si verò de ſtatu Religionis deliberare velint (qui uberior profectus eſt) cum jam eo ipſo, quod de re tanta conſultent, rationibus, quæ Religioſi ſtatus perfectionem oſtendant, proculdubiò indigeant, & oratio, & pia lectio ea ſit oportet, quæ ad tanti boni cognitionem, & amorem animum excitare valeat.

IV. Qua in re cavendum eſt, ne quid violentum fiat; etſi enim eos, qui ſpiritualem profectum exquirunt, quin, & univerſè quoſvis idoneos ad Religionis ſtatum hortari decere è SS. Patrum exemplis, ac doctrina pateat: quia tamen affectatum in hoc genere artificium humanum quid præſefert, ſalubrius eſt, eos, qui exerceri cupiunt, ſuaviter ducere.

Regendi ſuavitas.

V. Suavitas autem in hoc ſita eſſe videtur, ut qui eos regit non inſtet nimis acriter, non oneret animum importunis, aut multiplicibus conſiliis, nullum vel conſenſum, vel diſſenſum extorqueat, aſperitatem verborum, & actuum vitiet, pœnitentiæ opera; putà, jejunia, vigilias, &c. viribus attemperet, idque potiſſimum curet, ut quicquid ab iis, qui exercentur, præſtandum eſt, ſpontè naſcatur.

VI. Juxta doctrinam ergo hanc, qui de Religione non agunt, ſed profectum aliquem exquirunt (niſi mutato conſilio ex iis, quæ cernunt, ut frequenter accidit, in Religionis ſtatum aſpirent, quod vel non rogati, vel ſuaviter admoniti ſignificare ſolent) liberrimè agere ſinantur, & inſigni cum hilaritate ſic inſtituantur, ut ad proprias ædes reverſi, quod didicere conſervent.

Relligionis electio.

VII. Si verò de aliqua Religione ſeligenda conſultent, ſtatus noſter ita eis ſincerè proponatur, ut ſi in aliam Religionem reformatam propendeant, propoſitum commendetur, & alatur: ſic enim fiet, ut qui apud

apud nos remanſerint, non humanis conſiliis, ſed Spiritus Sancti ductu agantur, & firmius perſeverent.

CAPUT III.

Diſtributio horarum, & exercitiorum.

A

I. Quicumque exercendi ſunt, niſi ex aliqua peculiari cauſa, putà infirma valetudine, vel generalis confeſſionis examine, aliter fieri expediat, ad horas omnes canonicas, & orationem mentalem unà cum Patribus, ab aliquo Fratre deſignato, ſi opus fuerit, vocati conveniant.

B

Præparatio ad Miſſam.

II. Poſtquam ergo Matutinum nocte media cum aliis, vel juſta cauſa ſeorſum recitaverint, per horam dimidiam orationi vacabunt. Recedent mox ad quieſcendum, donec ad orationem matutinam excitentur. Deinde hora integra in Oratorio cum Fratribus orabunt. Si non ſint Sacerdotes, paulò poſt orationem unà cum Fratribus, vel ſeorſum Miſſæ intererunt: ſi Sacerdotes ſint, oratione peracta per dimidiam horam, ſe ad Sacrum faciendum comparabunt, & ſi expedire videbitur, confitebuntur, & hora circiter dimidia ſacrum in Oratorio facient. Sacro audito, vel facto in Cellas ſe recipiant, & Sacerdotes ferè per horæ quadrantem gratias agent.

III. Reliquum tempus quod uſque ad Chori ſignum procurrit in oratione, ac lectione pia ita inſument, ut otium non poſſit obrepere. Ne verò nimis mentis intentio noceat, orationem lectioni admiſcere, ac dum ſe intus moveri ſentiunt interquieſcere, poſteaque lectionem repetere poterunt, ut animus ea varietate recreetur.

C

IV. Signo Chori dato ad majorem miſſam, ubi canetur, vel ad horas Canonicas ante prandium recitari ſolitas convenient, quibus unà cum examine conſcientiæ abſolutis in Cellas recedent, ibi poſt modicum tempus pranſuri.

V. Expleto prandio, vel ſoli, vel cum aſſignato comite per horam circiter dimidiam manebunt, ac de ſpiritualibus rebus cum comite verba facient.

Quieſcendi tempus.

VI. His peractis, ſi velint, quieſcere aliquantulum poterunt, donec ſignum Chori detur. Poſt hæc in Chorum ad Nonam, ſeu Veſperas, pro temporum diſcrimine convenient, & à Nona expleta uſque ad Veſperas, vel ſi Nona ante prandium recitata fuerit, peractis Veſperis Beatiſs. Virginis coronam recitabunt, & ſi Superiori videbitur, qui in Conventu Novitiatus, exercebuntur, exhortationi Fratrum intereſſe poterunt, ſed valdè raro, & re benè penſata, perſonæque exercentis habita ratione fiat, & hoc monito priùs Magiſtro Novitiorum.

D

VII. Reliquum tempus, quod uſque ad veſpertinam orationem excurrit, orationi, ac lectioni, ut ante prandium præſcripſimus impendent. Dato orationis ſigno, una cum Fratribus per integram horam orabunt, & completorium, ſi tempus ex more noſtro id poſtulet, perſolvent, in Cellaſque redibunt; aut ſi Completorium tunc recitari non debeat, in Cellas abſoluta oratione, ut ante prandium monuimus, ſecedent.

E

VIII. Cœnam deindè, aut collationem vocati ſument, & ſi tempus id ferat, cum comite, quemadmodum de pomeridiano colloquio præſcriptum eſt, aliquantulum agent, aut ſi tempus ſilentii nocturni acceſſerit, in Cellas recedent, vel in Chorum ad officium, quod tunc fortè recitabitur, convenient. Si ultimò Chori actui interfuerint, ibi, ſin verò, in Cellis ſeorſum examen conſcientiæ facient, expectabuntque orationi, vel piæ lectioni vacantes ſolitum cubandi ſignum, quod Fratribus datur. Signo dato cubabunt, & uſque ad noctem mediam quieſcent, poſtmodumque ſingulorum dierum actus, quales præſcripſimus, ad eumdem modum, numerum, ac tempus exercebunt.

F

CAPUT IV.

Actuum pœnitentiæ modus.

I. Cum exploratum ſit, eos, qui ſpiritualiter cupiunt exerceri, aliquem corporis macerandi modum inire velle, neceſſe eſt, ut in hoc etiam genere inſtruantur.

II. Excepta ergo infirmitatis, vel alia ejuſmodi cauſa, per dies, quos exercitiis deſtinaverint, perpetuò jejunabunt: habebitur tamen ratio ſpiritualium exercitiorum; nam ſi caput debilitate laboret, veſpertina refectio poterit, quo ad quantitatem augeri, aut, ſi expedierit, ad confirmandas vires jejunium ſolvi.

G

Actus ad affectum excitandum

H

III. Ter ſaltem in hebdomada juxta communem Fratrum noſtrorum diſciplinam, ſe verberabunt quamdiu *Pſal. Miſerere* cantabitur, in Cella regulariter, & non in Communitate. Cilicio quotidiè, vel alternis diebus utentur, & expenſis viribus, citius, brevius, aut longius, latiuſque cilicium permittetur. Poterit etiam catenula ferrea, qua Fratres noſtri, uti conſueſcunt, eis cilicii vice permitti, pro ut ei, à quo reguntur, videbitur expedire. Victus ſit parcus, ut non modò frugalitas, ſed abſtinentia colatur: ſomnus item ſit moderatus, ut plus temporis, paucis iis exercitiorum diebus, divinis rebus tribuatur. Sunt alii quoque actus parum laborioſi, & ad exercitandum affectum appoſiti, ut proſtratio, genuflectio, extenſio brachiorum in Crucis modum, & alii apud nos uſitati, quorum certum aliquem numerum in dies ſingulos iis, qui exercebuntur, iniungere, ſalubre conſilium erit.

IV. Omnia tamen, quæ hoc capite recenſuimus, cum iis, qui mortificationem Crucis Chriſti nondum didicerunt, difficilia videan-

Scrip. An. 1605.

videantur, ita temperanda ſunt, ut à melioribus bonis, hoc eſt, animi correptione, futurique progreſſus propoſito teneros milites non deterreant, proptereaquè is, qui exercitiis præerit, ea pro perſonarum, circumſtantiarumque ratione lenire debebit.

CAPUT V.

Modus examinandi, & juvandi eos, qui exercentur.

I. MUlta ſunt ex ſe quidem utilia, quibus ſi modus deſit, nihil propemodum emolumenti afferre ſolent. Pater ergo, qui exercitiis præerit, eos, qui exercebuntur, quotidie viſitabit, & quomodo in oratione, pia lectione, mortificatione, aliiſque peculiariter injunctis ſe geſſerint, rationem exiget, ac de iis culpis, quas admiſerit, eos ſuaviter admonebit, & modum proficiendi, ut ſtatim dicemus, per capita demonſtrabit. Dabit operam ut benè perceptis iis, quæ interrogati reſponderint, exercitia omnia in majorem ſpiritualis vitæ profectum dirigat, ita ut, quæ tunc ediſcunt, ſive de Religione cogitent, ſive ſecus, quàm diutiſſimè ſervent.

Oratio mentalis.

II. Quoad orationem mentalem attinet, juxta compendium in Novitiorum Inſtructione diſpoſitum, eos erudiet, eniteturque, ut ſi ad ſæculum redituri ſint, firmiter ſtatuant, diem nullum ſine oratione ſaltem modica, puta, horæ dimidiæ, vel circiter præterire.

Pia lectio.

III. Quod ad piam lectionem ſpectat, modum ſedatè legendi, & ubi movetur animus, ſubſiſtendi, ac propoſitum die nullo ſine tam ſalutari paſtu, lectionis nempe, animum privandi perſuadere curabit.

Actuum directio.

IV. Modum opera, verba, & cogitationes ſummo mane in Dei, ac Beatiſſimæ Virginis gloriam dirigendi, eamque directionem aliquoties per diem repetendi docebit, & examen conſcientiæ antequam cubitum eant, commendabit.

V. Modum, actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis eliciendi docebit, & ad quotidianum eorum exercitium adhortabitur. Quæ autem ad virtutum actus producendos, & virtutes ipſas, mortificationemque paſſionum ſpectant, ex noſtra Novitiorum Inſtructione peti poterunt.

Mortificatio.

VI. Sed quod ad mortificationem pertinet, hortabitur ſeriò, ut proprium judicium, appetitumque ſubjugare, vel in rebus minimis aſſueſcant; etſi enim viri illuſtres ſint, & pro ſæculi abuſu pretioſis veſtibus, & lauta menſa quotidie utantur, in ipſiſmet conviviis, ſine ulla cæterorum nota, proprio appetitui multa delectabilia ſubtrahere, ac ſpirituali merito corporales dapes condire valebunt: & idem ad proportionem de honoris, & commoditatis mortificatione monendi, ac peculiaria munimenta adverſus eam paſſionem, quà gravius, infeſtantur, paranda ſunt.

VII. Conſilium autem hoc tanti profectò ponderis eſt, ut qui ex profeſſo illud arripuerit, inter medios ſæculi fluctus Chriſtianam perfectionem feliciter comparare valeat, nullo prorſus ſæculari, etiam Principe, quantumvis negotiis intento, vel milite, vel mercatore excepto.

Sacramentorũ frequentia.

VIII. Inter omnia verò exercitiorum lucra, Sacramentorum frequentia potiſſimum collocanda eſt: ſi enim hæc ſeriò decernatur, profectum ſpiritualem ex ſententia ſucceſſiſſe credendum eſt: omnia quippe vitia, putà jurandi, edendi, vagandi, ludendi licentia, & quivis alii præteritorum peccatorum habitus extirpantur. Nam præter Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, vim ad eam victoriam potentiſſimam, ſubeſt familiaris ille ad Confeſſarios recurſus, unde conſilia opportuna, & quotidiana referuntur.

Opera pietatis.

IX. Verum non hìc ſubſiſtendum eſt, ſed pietatis opera, puta, eleemoſinæ, Sacræ ſtationes, ſive indulgentiæ, hoſpitalium viſitatio, & ejus generis alia impensè commendanda ſunt. In quibus omnibus enitendum eſt, ut qui exercentur, proficere ſtatuant, & aliquem modum proficiendi certum per totius vitæ curſum tenere decernant.

X. Hìc autem de domeſtica gubernatione, de pace, de benignitate, de reddenda famulis mercede, aliiſque ſimilibus agendum non eſt; hæc quippe neceſſaria cum ſint, ab iis, qui ad meliora proficere cupiunt, obſervari ponimus; quod ſi, & his monitis egeant, una cum aliis tradenda ſunt.

CAPUT VI.

Cætera neceſſaria ad obſequium eorum, qui exercentur.

I. COnfeſſarius iis, qui exercentur, à Monaſterii Superiore aſſignabitur, expenſo perſonarum ſtatu, ac neceſſitate; decet autem eum, à quo reguntur, niſi gravis neceſſitas obſtet, eo munere fungi.

II. Qui exercitiis præerit, libros pios, chartam, cæteraque neceſſaria ad ſpirituales actus providebit. Deſignabitur præterea Frater aliquis prudens, qui vaſa mundet, Cellæ pavimentum verrat, prandium ad Cellam ferat, accomodatoque ſupra menſam, recedat. Poſtea verò antequam finiatur recreatio, referat lances, & omnia munda, & bene diſpoſita relinquat, nec unquam cum prandet, aſſiſtat, ac ex animo ei quoad res corpori neceſſarias, inſerviat.

III. Denique, quia res variæ paſſim occurrunt, quæ ab humana prudentia prænoſci non poſſunt, cum quid acciderit, cui per hanc inſtructionem proviſum non ſit, qui exercitiis præerit, Superiorem conſulet, & ei obtemperabit. Quin etiam, tametſi nil novi evenerit, de omnibus eum certiorem faciat, ejuſque conſiliis acquieſcat.

Scrip. An. 1605.

CAPUT VII.

Modus in exercitiis Fratrum noſtrorum obſervandus.

I. IDem, quod in ſuperioribus capitibus erga alios univerſè præſcriptum eſt, à Fratribus noſtris, cum de Superioris venia exercebuntur, obſervari debebit, exceptis iis, quæ ſtatum ſæcularem concernunt. Quapropter, qui eos reget, ingenium explorabit: meditationes, quas ad res magis eſſe perſpiciet, aſſignabit: quotidie illos viſitabit: rationem exiget de culpis admiſſis: admonebit: ad majorem profectum diriget: tempus in horas dividet, pœnitentiæ opera præſcribet.

Major profectus in Religioſis exquirendus.

II. Unum tamen commune præceptum obſervabit; ut ſcilicet, majorem profectum à Fratribus noſtris, quam ab externis requirat; quem certè profectum non in auſteriore corporis mortificatione ponet, quæ paucis exercitiorum diebus ſuſcipitur, ac citò evaneſcit, ſed in mutatione morum; ut qui loquax erat, taciturnus, perſeveranter evadat: qui parum modeſtus, modeſtiæ ſtudioſiſſimus: qui in oratione languidus, ardentiſſimè orare diſcat; & in hunc modum vitia reliqua extirpare, ac virtutes inducere curet.

III. Porrò doctrina hæc tanti fieri debet, ut nulla vel altior, vel compendioſior exiſtimanda ſit; nam ob ejus neglectum, vel imperitiam, exercitia, vel parum ſalutaria, vel interdum inutilia ſunt: quapropter eam impenſiſſimè commendamus.

Actus Regulares.

IV. Quod ad regulares actus pertinet, ſi in Conventu ſit Eremitorium ſeparatum, ut alicubi fieri ſolet, ibi regulariter fiant exercitia; in quo ſi qui facit exercitia, ſit Sacerdos, celebrabit; ſi non, audiat ſacrum, ſi facilè fieri poterit; & in Oratorio eremitico faciat orationem mentalem communem, & recitabit officium divinum, examinabitque conſcientiam, eo prorſus tempore, quo tales actus fiunt in Conventu; ita ut Matutinum recitet, quando in Choro recitatur, quo finito maneat in oratione, donec perficiatur illa media hora orationis poſt Matutinum fieri ſolitæ, & ad quoſcumque actus Chori pulſatur campana Conventus, ipſe campanulam Eremitorii ſimiliter pulſabit.

V. Prandium ſumet in Cella, quo finito, tempore recreationis, tùm meridianæ, tùm veſpertinæ, ſi habeatur, poterit deambulare in hortulo Eremitorii, vel aliquod opus manuum facere, aut legere aliquem librum pium, potiùs hiſtoriæ ſpiritualis, quàm orationis, ne caput lædatur.

Silentii cultus.

VI. Neminem prorſus, niſi Superiorem, aut directorem alloquatur, ſed ſi aliqua re indigeat, ſcribat, & oſtendat Fratri ad ejus miniſterium deſtinato, qui ſi ſigno, vel ſcripto poterit reſpondere, non faciat verbis, & ideò ſi interdiù aliquid, quod ſine incommodo uſque ad tempus quo fertur ei prandium differri non poſſit, occurrat, duobus, vel tribus ictibus pulſet, campanulam, qua audita, Frater, qui ad ejus miniſterium deſtinatur, accurret, & quòd opus fuerit, præſtabit, ad quod Superior deſignabit aliquem Fratrem ſedulum, ac modeſtum, qui ſingulis diebus tempore examinis conſcientiæ meridianæ, & poſt orationem veſpertinam feret ad Eremitorium prandium, & cœnam, ſeu collationem, & mox redibit ad prandium &c.; deinde ante finem recreationis deferet lances, quas, qui facit exercitia, accommodatas habebit prope, vel extra portam, ut facilè accipi poſſint à miniſtro.

VII. Antequam eat ad exercitia, eiſque finitis, cum revertitur ad Conventum accipiat benedictionem Superioris.

VIII. Tempore exercitiorum non redibit ad Conventum, niſi vocatus: nec vocabitur, niſi ex magna cauſa, & ad Capitulum, ſi ſit Conventualis, & in eo Capitulo debeat proponi aliquis Novitius, vel aliquod negotium tractari, tunc enim finita exhortatione, ac culparum correctione, vocabitur ad Capitulum, extra hos caſus non interſit Capitulo. Si in Conventu non erit Eremitorium, fiant exercitia in aliqua Cella ſeparata, & ſi facilè fieri poteſt, Sacerdos faciat, non Sacerdos, audiat Sacrum in Oratorio ſecreto.

IX. Quoad actus orationis, & Chori frequentandos, Superior ſe accommodet ſpiritui, ac devotioni illius, qui facit exercitia. Ad Capitulum non veniet, niſi in caſu ſuprà dicto, numquam interſit recreationi, nec prandeat in Refectorio, ſed in Cella, & ideò erit aliquis deſtinatus; qui ſingulis diebus prandium, ei deferat, ut ſupra.

X. Silentium ſtrictiſſimum ſervabit, etiam cum Fratre ad ejus miniſterium deſtinato, ut dictum eſt.

Præcipuus exercitiorum fructus.

XI. Licet præcipuus fructus exercitiorum in interiore homine quærendus ſit, externæ tamen mortificationes, & pœnitentiæ, hoc maximè tempore juxta cujuslibet vires, neceſſariæ ſunt. Quapropter toto tempore exercitiorum, etiamſi ſecundum Regulam jejunare non teneamur, decens eſſet, ut qui facit exercitia, jejunaret, exceptis tamen diebus Dominicis. Similiter his diebus, quibus in Communitate non fit diſciplina, ſolent, qui faciunt exercitia, illam facere, alioſque pœnitentiæ, & mortificationis actus exercere, & Fratres frequentius communicare, & aliquando ſingulis diebus: nihil tamen, nec quoad Communionem, nec quoad pœnitentias, fiat ſine licentia Superioris, vel Confeſſarii, aut directoris, ſi ei hoc Superior commiſerit.

XII. Tempore exercitiorum ſolet fieri mortificatio extraordinaria, quæ non eſt præmittenda, ſed una tantùm fiat.

IN SEQUENTIA OPUSCULA

PRÆMONITIO.

PIA admodum, & laudabili contentione, nullo mutuæ caritatis detrimento, diſputabatur apud primævos illos Parentes noſtros, & Italicæ Congregationis ſatores utrum Inſtituto noſtro adverſarentur, an vero convenirent Apoſtolicæ ad exoticas Gentes Miſſiones, urgebaturque præſertim controverſia anno 1604. *dum Clementis Papæ VIII. oraculo ad opus tam inſigne, & Eccleſiæ univerſæ utiliſſimum, ex mente ipſa Divæ Matris Tereſiæ, adliciebantur noſtrates, expreſſiſque decretis vocabantur. Res judicio Iohannis noſtri a Ven. P. Petro a Matre Dei tunc naſcentis Cœtus Commiſſario Generali delata eſt, qui ſcripto ſententiam ſuam candide pronuntiaret, & firmis rationibus ſtabiliret. Ipſe vero inprimis* Tractatum, *ut puto,* quo aſſeruntur Miſſiones &c. (*juxta quod extat in duplici MS. Auctographo, quod præ oculis habeo ex Archivo noſtro Romano; quamquam Tomo quarto editionis Colonienſis a pag.* 108. *ſub hoc alio parum diverſo titulo legatur,* Aſſertio Miſſionum, & rationum adverſarum reſolutio,) *ipſo anno* 1604. *in eam controverſiam nervoſe, ut omnium judicio conſtat, exaravit. At mox inſtantibus rurſus nonnullis ex Hiſpania Patribus Inſtituti indolem, Fratrum paucitatem, & mittendorum infirmitatem, iterum juſſus hanc triplicem difficultatem, altero breviori ſcripto, quod* Votum, *ſeu* Conſilium pro Miſſionibus *nuncupamus, penitus enervavit. Illud, præter MS. quod in laudato Archivo ſervatur, editum fuit a P. Iſidoro a S. Ioſeph cum in* Hiſtor. Gener. Congreg. tom. 1. lib. 3. cap. 2. *ad prædictum an.* 1604. *tum in ejus* Vita, *a nobis Tomo primo hujus editionis præfixa, ad* Cap. XIII. *unde huc, juxta promiſſa, tranſtulimus. Ad hæc ſequitur* Inſtructio Miſſionum; *ſic enim habetur in MS. Auctographo, quod nunc apud nos eſt ex citato Archivo Romano, non* Miſſionariorum, *ut forte Typographi lapſu legitur, Tomo quarto Editionis Colonienſis, pag.* 114. *ubi primum, quod noverim illa impreſſa eſt. Hanc ab Ven. Auctore ſcriptam certiſſime conſtat anno ſequenti* 1605. *ex peculiari mandato totius Generalis noſtri Congreſſus tunc celebrati, quemadmodum in ſuperiori Præmonitione diximus, utque idem Auctor teſtatur in* Inſtructione Studentum *ſupra relata, quam eo anno ad Kal. Auguſti dabat.*

Tandem univerſum de Miſſionibus argumentum claudit Liber, *ſeu* Hiſtoria Miſſionum *quam ipſe ſuſcepit poſtremo vitæ ſuæ anno* 1615. *duxitque uſque ad integrum Caput VIII. Hoc Opus, quod eſt poſtremus velut cycni ſuaviſſimi cantus, ampliſſime excurrebat quum dolenda Auctoris morte præruptum eſt, ideoque ab eo Capite, integro deinceps contextu, aliena manu, forte autem ipſius Editoris P. Fr. Paulli ab omnibus Sanctis ſubpletur, cujus illuc Monitum præfigitur. Et hujus quoque archetypon MS. præ manibus habemus ex præfato Archivo nobis commendatum.*

Ne autem quis miretur, in his, aliiſque ſimilibus Operibus Ven. Scriptoris quæ longe antequam S. Parens noſtra Tereſia ſolemni ritu in albo Beatorum cenſeretur, ab eo Beatæ nomine adpellari, meminerit, ejuſmodi titulum non a pia plebe tantum, ſed a doctis quoque viris, a Romæ ſummatibus, honoris, quo vulgo habebatur, cauſſa, a pleriſque omnibus etiam ante hunc annum, ſummis Pontificibus modo non indignantibus, ſed plaudentibus etiam, vocari conſueviſſe, eademque in fronte periphraſi ejus miranda ſcripta jam inde ab anno 1603. *typis Romæ vulgari cœpiſſe. Quæ omnia in ejus* Vita *recenter a noſtro Litteratiſſimo P. Fr. Friderico a S. Antonio ſcripta,* lib. 4. cap. 12. & lib. 5. cap. 15. *latius videri poſſunt. Debuit ergo, nedum potuit etiam Iohannes noſter eamdem communem adclamationem in ſuis operibus perſequi.*

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ EXCALCEATI
TRACTATUS
QUO ASSERUNTUR MISSIONES, ET RATIONES ADVERSÆ REFELLUNTUR.

CAPUT PRIMUM.

Rationes quæ ad Miſſiones excitare debent.

Scrip. An. 1604.

I. Rectè dictum eſt: Oculi augent dolorem; longè quippe alius eſt affectus eorum, qui ægrotos omni ope, & A ſolatio deſtitutos, mœſtiſſima ſolitudine jacentes intuentur, quam eorum, qui levi quadam recordatione miſerorum meminiſſe ſolent. Illos enim præſens calamitas, quamvis parum miſericordes movet, hos autem calamitatis imago vix afficit. Quapropter cum Jeſu Chriſti, dulciſſimi Dei ac Redemptoris noſtri oraculum ſit: *Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, quaſi diceret: B Efficaciſſimum iis, qui beati eſſe cupiunt, acquirendæ beatitudinis inſtrumentum, miſericordia eſt. Intereſt profectò miſeriam vitæ præſentis frequenter cogitare, ut animus ad miſerendum propenſior fiat. Cum autem inter univerſas mortalium calamitates, ignoratio Chriſti, & inde orta peccatorum ærumna, locum primum obtineant, iis, qui pro carneis oculis, Catholicæ fidei lumen exercent, nullum omninò miſeriæ genus luctuoſius videri debet, quam inC numerabilis hominum à Chriſto aberrantium, ac ſempiterna morte pereuntium multitudo. Quam enim miſericordiæ partem obtigiſſe credamus iis, qui hoc infinitæ calamitatis genus lachrymis non proſequuntur, cum hac potiſſimum de cauſa, unigenitus Dei Filius, *cum clamore valido, & lachrymis* oraverit, & quaſi colonus in aliena regione, terram ſpinas, & tribulos germinantem exercuerit? Hac de cauſa proculdubiò laboravit, D & filiorum Adæ miſerias experiri voluit, ut miſericors fieret ac fidelis Pontifex, & ſuos imitatores ad æmulationem provocaret. Cogitatio hæc ab ejus animo numquam diſceſſit, & clamorem elatum inter medios populos elicuit. Dolendum quippe Dei ſapientiæ viſum eſt è quatuor divini ſeminis partibus, quos ſummis cum laboribus, in humanæ naturæ agro ſeminavit, tres infeliciſſimè perire. Funeſtam valdè generis humani partitionem hanc E à mitiſſimo Dei Filio deploratam, ſatis apertè hac ætate noſtra intelligemus, ſi orbis terrarum partes geographico more percurramus.

Matt. 5. 7.

Mortalium calamitas maxima, quæ?

Hebr. 5. 7.

II. Europa enim Chriſtiani nominis feraciſſima, mirum eſt, quantam in ſterilitatem devenerit. Græcia quippe omnis, cum inſulis plurimis: Septentrionalia regna ferè omnia, & eorum inſulæ, nonnullis urbibus, oppidiſve ſparſim exceptis: Gallia magna ſaltem ex parte: Anglia tota, contagioſo morbo laborant: F ſolaque Pontificiæ ſedis claritate inſignis Italia, & Hiſpania, divino munere, abſque Hæreſum, vel Schiſmatis labe præſervantur, quamvis aliorum criminum ponderibus oppreſſæ, exiguos red-

Italia, & Hiſpania, ab hæreſum labe præſervatæ.

Scrip. An. 1604.

redditus, non uſque adeo pingues, Chriſto referant.

III. Africa nihil in hoc genere laudis habere videtur, totam enim tartarus ſibi vendicat, niſi forte aliqua urbs ad fretum Herculeum ab Hiſpanis parta, Chriſtianos aliquot minus flagitioſos, tandem reſipiſcentes, ab incendio ſempiterno eximat. Sed hoc quam minimum, & nihil eſt, ſi cum vaſtiſſimo tractu ad poſtremos uſque Lybiæ fines, ulteriuſque uſque ad ſinum Arabicum comparetur?

IV. Aſia trium partium facilè maxima, & Dœmonum cultui deditiſſima, præter urbes aliquot littorales, in India orientali à Luſitanis partas, quam longè latèque patet, ſive continentem à rubro mari uſque ad ultimos Sinarum fines, ſive innumeras inſulas, puta Molucas, Japonias, & alias plurimas luſtremus, exceptis neſcio quot hominibus, quos ætas hæc noſtra multo labore, ſed mediocri proventu Japonas ac Sinas Chriſto lucrata eſt, tota in voraginem inferni demergitur.

Luc. 8. 8.

V. America, quam orbis partem quartam Geographi fecerunt, vaſtiſſima cum ſit, exceptis aliquot Mexicani, & Peruani regni, aliarumquè inſularum vel provinciarum, quas Europæi auri famà petiverunt, nec multa ſanctitate exornarunt, tota cum inſulis plurimis inferorum faucibus abſorbetur. Ecce quadripartitum ſeminis Chriſti gregem, & agrum, quem ſi quis metiri, ſeminiſque pretium expendere velit, abſque dubio adverſam hominum vicem dolebit: & Dei Filium in ſeminis parabola ſummi doloris ſigna exhibentem imitari cupiet. Quam appoſitè ſcriptum eſt: *Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.* Nec vero quemquam movere debet, quod Chriſtus ſuiipſius interpres, quatuor partes illas de iis, à quibus Dei verbum auditur, expoſuerit, nos vero in orbe terrarum quatuor in partes diviſo gentes plurimas, apud quas verbi divini ſemen numquam fuit factum, amplectamur. Vis quippe rationis noſtræ, per hoc potius vehementer augetur. Si enim tres è quatuor auditorum Chriſti partibus intereunt, ii, quibus Chriſti ſalus numquam fuit nunciata, quomodo non interibunt? Si dolorem ingerit exitus eorum, quibus non deeſt abundantia panis: mors illorum, qui fame pereunt, quibus non ſuperſunt panis fragmenta, cur viſcera pia non molliat?

Coloſſ. 1. 24.

VI. Sic ergo miſerrimè pereuntium ſpectaculo amicorum Chriſti oculis propoſito, neſcio ſanè quam excuſationem prætexere valeant, ut cum Apoſtolo non impleant, quæ deſunt paſſionum Chriſti, pro amplificando ejus corpore, quod eſt Eccleſia, cujus dorſo tot incumbunt peccatores? Unum certè è tribus, ab amicis Chriſti reſpondendum eſt; aut ſe fœdere diſciſſo nolle; aut non licere, quia Inſtituto noſtro non congruat, vel certè noceat; aut denique, ſe cum ſanctitate ac doctrina requiſita careant, minimè poſſe. Primum ſanè impudentiſſimum, & crudeliſſimum eſt: neque ab amicis Chriſti veris hæc reſponſa expectamus. Secundum Religionis, tertium juſtitiæ ſpeciem præferre videtur: ac propterea in his duobus, timendum eſt, ne ſpirituales quoque viros virtutis imago ſeducat. Sed ad primum è duobus accedamus, & Miſſiones Inſtituto noſtro congruere probemus.

CAPUT II.

Non modo Fratribus noſtris licere, ſed ex Inſtituto noſtro eſſe Miſſiones.

Elias, & Eliſæus, eorumque miſſiones notatæ.

I. Religionis noſtræ tres velut ætates recenſere poſſumus, è quibus quid de Miſſionibus cenſendum ſit, judicemus. Ætas prima Prophetis: Secunda Patribus, qui Chriſto primi nomen dedere: Tertia propriis Religioſis Carmelitis primævæ Regulæ cultoribus conſtat. Quod ad antiquiſſimos Patres noſtros, Eliam, & Eliſæum, à quibus originem ducimus, attinet; nemo eſt, qui ſacram Regum hiſtoriam legerit, qui non animadvertat, ſic eos contemplationi deditos fuiſſe, ut ſæpe ad Reges ungendos, ad populos erudiendos, ad miracula patranda, ad protervos objurgandos, è locis, quos orationi dicaverant, fuerint egreſſi. Porro res tam comperta eſt, Prophetas illos ad opus Miſſionum ſæpe fuiſſe deſtinatos, cum è ſacro textu pateat, ut id probare, vel exponere ſupervacaneum ſit; præterquam quod Elias ipſe ad Miſſionem quamdam contra ſæviſſimos Chriſti hoſtes, Antichriſtum, ejuſque ſatellites adhuc vivus armatur, quem ejus poſteros decet imitari.

II. Ætas ſecunda complectitur Patres illos Apoſtolis coævos, qui Evangelii ſementem primam exceperunt, & ſerendæ Chriſti veritati egregiam operam navarunt: de quibus è Joſepho Antiocheno, aliiſque Authoribus multa memoriæ prodita ſunt. Hos verò de Miſſionibus ſeriò egiſſe, ex ipſa Evangelii prædicatione convincitur.

S Angelus Martyr.

III. Ætas tertia ad eos pertinet, qui jam extra controverſiam, certam Inſtituti Monaſtici methodum inierunt, è quibus, qui præ cæteris ſanctitate claruerunt, quid de aliis, ac proinde de ipſo Inſtituto ſentiendum ſit, indicabunt. Miſſos facimus eos, qui ob temporum clades, in varias velut formas mutati ſunt, & eos, quos in Sanctorum catalogum adſcriptos veneramur, obſervemus. Quis umquam de Miſſionibus tam ardenter, ac præclariſſimus Martyr, & ſanctiſſimus Pater noſter Angelus cogitavit? quis, niſi aliquis Inſtituti noſtri cultor, Carmelum non in Italiam ſolum, ſed in Angliam, ultra quam nihil in orbe terrarum antiquis innotuerat, invexit? quomodo ſine Miſſionibus, ex profeſſo ſuſceptis, Carmelus Europam totam pervaſit? Etenim quicquid de Orientalibus Carmelitis

Scrip. An. 1604.

SS. Albertus, & Simon Anglicus.

tis opinemur, quorum res geſtæ ægre ad nos pertingunt, Occidentales certe Sancti, puta: Albertus, Simon Anglicus, & alii non ſemper in antris latitarunt, ſed ſtrenuam operam dederunt, ut populos Chriſto conciliarent. De his ergo viris ſanctitate laudatiſſimis rogamus, an fuerint veri Carmelitæ? an Inſtitutum obſervarint? Si enim obſervarint (quod omnino aſſerendum eſt, neque enim aliter ſancti eſſe potuiſſent) affirmandum quoque proculdubiò eſt, eos, qui Miſſiones meditantur, noſtro Inſtituto congruere.

Ordines Mendicantes in Epiſcoporum auxilium a S. Sede Apoſtolica deſignati.

IV. Præterea rogamus, an ſimus è numero Mendicantium? Reſpondeatur neceſſe eſt, nos authoritate Pontificia Mendicantes eſſe. Cum ergo conſtet, Ordines Mendicantium in Epiſcoporum auxilium ab Apoſtolica Sede deſignatos, ac ideo multis privilegiis auctos fuiſſe, manifeſtum erit, nos juxta ordinis noſtri Inſtitutum à Sede Apoſtolica confirmatum ad populos erudiendos, Epiſcopis ferre opem non modo poſſe, verumetiam debere. Si autem cæteris Epiſcopis auxiliares milites eſſe debemus, cur non ſummo Epiſcopo, hoc eſt ipſi ſummo Pontifici, qui de univerſo terrarum orbe, ac præſertim de reducendis ad ovile Chriſti infidelibus curam gerere arctiſſimè obligatur? Profectò nihil rationi huic firmum opponi valet. Quicquid enim de primæva illa Religionis forma dicendum eſſet poſt inſtitutionem tamen Pontificiam, qua inter Mendicantes recenſiti ſumus, nihil obiici poteſt. Per quod apertè confutatur, quod ab Eremitarum nomine nobis opponi poſſet. Quicquid enim vocemur, inter Mendicantes à ſummis Pontificibus relati ſumus. Augetur rationis pondus. Nemo eſt inter nos, qui Miſſiones intra idem regnum improbet; quis enim neget licere, cum de condendo, exempli gratia, cœnobio aliquo agitur, eò deſtinare Patres aliquos, qui omnia tentent, concionentur, hortentur, ſacras confeſſiones audiant, Provinciam luſtrent, antequam locum exſtruendo cœnobio ſeligant? ſi ergo id intra Italiam licet, cur non extra? cur ex eadem propagandæ Religionis cauſa, in Germaniam, Moſcoviam, Perſidem Fratres migrare non poſſint? Immo cur non debeant, cum Epiſcopum ſummum, cui hæc legatio cordi eſt, id optare facilè perſpiciant?

V. Verum tametſi rationes aliæ minimè ſuppeterent, quis non videat genus aliquod ruditatis, aut nimiæ cœcitatis eſſe, aſſerere Miſſiones Inſtituto noſtro minimè conſentaneas eſſe, cum excepto nemine, omnes fateantur, munus inter Chriſtianos concionandi Inſtituto noſtro nequaquam repugnare? ſi enim non repugnet Chriſtianis prædicare, cur repugnet Infidelibus? ſi autem non repugnet, hoc eſt ipſiſſimum Miſſionum opus, & quædam, quæ in ſcholis dicitur implicatio contradictionis eſt, illud munus fateri, ac Miſſiones diffiteri. Præterquam quod Miſſiones Deo acceptiores ſunt, quia plus emolumenti referunt.

Regulæ præceptum.

VI. Deinde Regula noſtra diſertè ait, oportere nos frequentius mendicare itinerantes, quæ certe verba, vix aptè de re alia, quam de Miſſionibus interpretari valemus; quorſum enim frequenter peregrinentur, qui dies, noctesque in cellis jubentur permanere; niſi ſpiritualia bona multa, & pretioſiſſima, & Deo gratiſſima, quæ cellis parari nequeant, peregrinando parentur? Hoc certè modo peregrinatio frequens cum illa permanſione non pugnat, cum diſcretis temporibus fieri utrumque poſſit, permanere ſcilicet in cellis, ubi cauſa juſta exeundi non ſubeſt; hoc enim ſibi vult illa Regulæ ipſius moderatio, *niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur*; quas autem occaſiones juſtiores, aut æquè juſtas excogitare poſſumus, quàm eam, quæ Dei Filio, ut exiret ex æterni Patris ſinu occaſio juſta viſa eſt? Profectò, aut aſſerendum, eſt cauſam omninò nullam exeundi juſtam inveniri poſſe, aut Miſſionum cauſam juſtam eſſe. Nam quod reſponderi poſſet juſtas occupationes à Regula appellari, quæ ad miniſteria Eremitis tantum neceſſaria requiruntur, palam reiici debet; jam enim, neque ſacras externorum confeſſiones audire, neque concionari, præſertim extra Eccleſias noſtras liceret: & Sancti, qui diutius peregrinati ſunt, Regulæ violatæ accuſandi eſſent.

S. Tereſiæ votum pro Miſſionibus.

VII. Denique aut ſpiritum B. Virginis, & Parentis noſtræ Thereſiæ probamus, aut ſecus? item, aut eam tamquam Fundatricem colimus, aut ſecus? ſanè ſpiritum improbare, temeritatis: fundationem, extremæ ingratitudinis eſt. Cum ergo manifeſtum ſit, Beatam Virginem Thereſiam Miſſionum opus ardentius, quam ipſum martyrium optaſſe, & ad eum finem ſuos, ſuæque gentis labores, & preces direxiſſe; ut ſcilicet, qui convertendis hæreticis navant operam, feliciter agerent: quis neget ejus mentem fuiſſe, per Fratres noſtros ejus filios præſtare, quod per filias præſtare nequivit? Nam ſic mentem beatæ Virginis interpretari, ut rem tantummodo optarit, cæterum à ſuis Religioſis exerceri noluerit, tam alienum ab ejus animo credimus, ut ob ejus præſertim preces, Miſſionum deſideria Fratribus noſtris à Dei, qui cor Virginis probavit, inſpirata exiſtimemus; ſed rationes alias in capite proximo ponderemus.

CAPUT III.

Miſſiones adeo Inſtituto noſtro congruere, ut illud mirificè perficiant.

I. REM in capite ſecundo cœptam perſequamur, ut luculentius pateat ad Inſtituti noſtri obſervationem Miſſiones opportuniſſimas eſſe. Ponendum eſt autem, quicquid ad regularis vitæ noſtræ perfectionem

Scripta An. 1604.

nem conducit, ad Inſtituti perfectionem pertinere, quod per ſe apertiſſimum eſt. Hoc ergo poſito, ſtatuamus in hoc loco Religioſos duos, quorum alter de ſimplicis tantum Regulæ obſervatione, ſuaque ſalute cogitet, alter vero Miſſiones meditetur; rogamus igitur (quamvis experientia luce meridiana clarior eſt) uter ex his duobus Chorum ardentius frequentabit? uter mortificationes, increpationes, morbos patientius feret? uter nova pœnitentiæ opera ſtudioſius exquiret? uter labores, aut tentationes conſtantius patietur?

II. Res per ſe perſpicua eſt; at quia non omnes capiunt verbum hoc, rationem diſcriminis proferamus. Manifeſtum eſt eum, qui nihil niſi domeſticum cogitat (ut quotidiana experimenta convincunt) iis ad paſſionum mortificationem, & virtutum acquiſitionem mediis uti, quæ mediocria ſunt, ita ut rarò admodum ad eximiam ſanctitatem, iis mediis, eo modo, quo exerceri ſolent, perveniatur; diſciplina quippe domeſtica, nihil arduum, poſt aliquantum temporis repræſentat, ad cujus victoriam ſe animus ſolitò altius erigat; immò conſuetudine lenteſcit, & timendum eſt, ne iis, quæ præſtare conſuevit, ſatis contentus regrediatur, cum progrediendi ſigna non præ ſe ferat. Ex hoc efficitur, ut animus vileſcat, & ſatis crebrò cœptæ diſciplinæ tenorem languidus omittat: ſeque ad laxitatem cum aliorum ſcandalo convertat. Proptereaque eæ Religiones, quæ mediocritatem hanc amplectuntur, cum degeneres animi auſteritatem diuturnam ſuſtinere nolint, ad mollia relabuntur, & rixis, ambitionibus, aliiſque peccatis deformantur: tantumque abeſt, ut ignavi Religioſi, qui prætexunt reformationem propriam prius quærendam, poſtmodumque proximis vacandum, ſeipſos promoveant, ut dolendum ſit, quàm miſerè propriis paſſionibus ſuccumbant. Hæc diximus occaſione Religioſi illius, qui de Miſſionibus neutiquam cogitat.

Deſiderii Miſſionum effectus enumerantur.

III. At verò ii Religioſi, qui Miſſiones animo pertractant, & ſuam primum ſalutem, & mox totius Religionis bonum magnoperè promovent. Ut enim actus, & labores communes proferamus, quàm ſtrenuè ad horas Canonicas, ad verbera, ad increpationes, ad novos labores ſe offert, qui eos actus tam perfectè obire cogitat, ut eorum obſervationem in exteris regionibus condere, ac pro ea, ſi oportuerit, occumbere meditatur? Quis hic non deprehendat quamdam animi magnitudinem, communi Monaſticæ diſciplinæ modo minimè contenta, largiores vigilias, inediam graviorem, acriora verbera, ſæviores increpationes ferre contendat? Hæc quippe omnia, aliaque graviora in opere Miſſionum futura novit: eoque ipſo quod animus ea complexus eſt, in quibuſdam eorum præludiis domi ſe exercere cupit, ne ad pugnam imparatus accedat. Hinc longè major, quam ſine Miſſionum ſtudio, totius Religionis profectus exiſtit: ſi enim Religioſi majora, & auſteriora quærunt, quam quæ Regula præcipit, quomodo non facillimè & exactiſſimè domeſticam diſciplinam obſervabunt? Quomodo non omnia hæc levia exiſtimabunt, & perfectiora mortificationum, ac virtutum exercitia quærent? Ubi rixæ, ubi prælationum ambitio, ubi cibi intemperantia, aliaque mala, quæ Religiones labefactant? profectò iis, qui Miſſiones cupiunt, longè alius affectus eſt, totoſque ignominiis, laboribus, ipſiſque morti conſtanter ferendæ ſeipſos exponunt. Accedit ad hoc, quædam ſpiritus alacritas, ſimilis affectui, quem regius Vates expreſſit in hæc verba: *Exultavit ut gigas ad currendam viam;* omnes enim actus expeditè ac celeriter obeunt Religioſi Miſſionum cupidi, velut ad curſum accincti: quæ regularium actuum inſignis perfectio eſt. Quid hîc de fluminis impetu, qui lætificat civitatem Dei, dicemus? de devotionis inquam impetu, qui ſæpe foras erumpit, & alios non ita generoſos inflammat. Numquam enim Religioſa Cœnobia tam evidenter flammeſcere vidimus, ac dum de Miſſionibus ageretur. Jam verò (ne devotionis ſenſu, qui à ſapientibus non magni æſtimatur, niti videamur) ſi rem Theologico more perpendamus, quis nòn conſideret, actus omnes Cœnobiticos, ex Miſſionum cogitatione, & propoſito inſigne meriti augmentum acquirere, ex nobiliſſimo ſcilicet divinæ charitatis fine, quem, qui de Miſſionibus non cogitant, vix, aut leviter attingunt?

Pſal. 18.6.

Actus cœnobitici ex Miſſionum cogitatione inſigne meriti augmentum adquirunt.

IV. Demum, & ipſa Philoſophica, & Theologica gymnaſia in hunc finem directa, eximii meriti ſeminaria ſunt. Subeſt puritas intentionis major, acrius laboratur, & doctrina gravior, ſanctior, & permanentior acquiritur; Obſervantur quippe animo exercendæ doctrinæ occaſiones, quas qui de Miſſionibus non agunt, neque meminiſſe ſolent, & timendum eſt, ne vanitas proprietate ſubintret. Multos enim Religioſos in urbibus clariſſimis eleganter dicendo conſeneſcere videmus, quos eò moleſtiſſimos ſtudiorum labores intendiſſe, infelicitatis argumentum eſſet. Utinam univerſi Scholaſtici, interim dum ſtudiis vacant, de doctrina cum ſanguine pro Chriſto diſſeminanda cogitarent! ſed jam ſecundæ objectioni reſpondeamus.

CAPUT IV.

Ubi pietas & doctrina ſufficiens eſt, eximiæ ſanctitatis ac doctrinæ defectum Miſſionibus non obſtare.

I. A Nonnullis viris ſpiritualibus prætexitur modica ſanctitas, & doctrina; quaſi Apoſtolica functio ſine iis dotibus egregiis tentanda non ſit: qua in re mirum eſt, quam facilè, quod quiſque probat, ſibi per-

Scrip. An. 1605.
Ferdinandus Corteſius.

perſuadeat. Profectò Ferdinandus Corteſius, cum in novum orbem profectionem inſtituit, neque ſanctus, neque Religioſus erat: & tamen res Apoſtolica laude dignas, divino auxilio fretus, per oblatas, quas non fuerat præmeditatus, occaſiones patravit. Neque is ſolummodo, ſed alii ſimiles viri A ſæculares hac ætate aliud agentes, præſentiſſimam Dei opem, dum agerent cum infidelibus ſenſerunt. Cur ergo non ſperemus Religioſos, ad Miſſiones oratione, ſacrificiis, ſtudiis, conſiliis præparatos, tametſi non omnino ſanctos, Dei, cujus gratia id attentant, auxilium experturos? & miniſtros idoneos nuntiando Chriſto futuros? neque enim aliud agunt, vel aurum, ſed Chriſtum quærunt.

S Franciſcus Xaverius.

II. Deinde, ſi ſanctitas requiritur, quanam via brevius, efficaciuſque parari poterit, quam omnimoda ſui abnegatione, & Jeſu Chriſti, per labores, & dolores imitandi ac prædicandi deliberatione? Certè B comites SS. Dominici, ac Franciſci, & recentiores Apoſtolici viri, B. P. Xaverius, & alii ei ſimiles, licet ante opus Miſſionum vitæ probitate clareſcerent, ipſo tamen opere ſanctitatem altiorem compararunt. Sic ergo ſperare decet Fratres noſtros altiorem ſanctitatem adepturos.

III. Quod verò ad doctrinam ſpectat, ponendum eſt Fratres noſtros rerum neceſſariarum ignaros non eſſe, tametſi uſque adeo inſigni litteratura non præſtent, eam verò mediocrem peritiam cum inſigni pietate, Deique præſidio conjunctam efficaciorem eſſe, quam ſit inſignis doctrina, cui C non adeſt inſignis pietas, certis experimentis exploratum eſt. Virtus quippe vera, & imitatio Jeſu Chriſti, in ipſa Apoſtolorum prædicatione, & mundi victoria, pluſquam doctrina reſplenduit; præterquam quod, juvante Deo, Fratres noſtros inſigni quoque doctrina, ſtudiis in poſterum commodius ordinatis, non cárituros ſperandum eſt. Verùm, & nunc re altius expenſa, timeri non debet, ex hoc capite Fratres noſtros parum idoneos Miſſionibus fore: nam quod ad ſectas alias, præter hæreticos attinet, ſtultiſſimis erroribus refertas eſſe, nec multa opus eſſe doctrina ad eas refellendas ex hiſtoriis hujus ætatis, ubi congreſſus cum eaD rum ſectarum ſapientibus deſcribuntur, compertum eſt.

Heterodoxorum faſtus in oſtentanda doctrina.

IV. Quod autem ad hæreticos ſpectat, exceptis paucis, qui ex ambitione ac inſtinctu dæmonis doctrinam oſtentandam conquirunt, quorum ſalus propemodum deſperanda eſt, cæteri luxui, & ventri addicti, vel aliis modis otia captantes, ſtudiorum labores oderunt, ſolaque protervia, & garrulitate apparentem ſapientiam præſeferunt. E Quos Chriſti manſuetudo, rationes Theologicæ, quæ Fratribus noſtris non deſunt, ſanaque morum doctrina ſenſim emollient.

V. Ex iis, quæ hoc tractatu digeſſimus, patet, ad Inſtituti noſtri bonum Miſſiones pertinere. Ex quo effici videtur, ut eas non ſolum probare, ſed etiam non differre debeamus; quod hac firmiſſima ratione convincitur. Nunc Religio, Dei munere, legum cuſtodia floret, & temporis excurſu quemadmodum univerſæ Religiones aliæ lenteſcet; quis ergo non videat Miſſiones præſentes anteponendas eſſe futuris? quanF do enim legum obſervatio lenteſcet, ſeu deferveſcet, ſatius erit gentem extinguere, quam de Miſſionibus cogitare. Ex quo facilè liquet, quam ſit vanum conſilium eorum, qui colore prudentiæ inſtant, ut in regno uno Religio prius radices agat, poſtmodumque in alia migret. Nam præterquam quod, ubi legum cuſtodia deferbuerit de Miſſionibus neutiquam cogitabitur, quis non aperte perſpiciat, glorioſius eſſe in multis ſimul regnis Religionem urgente fervore naſci, quàm in uno dumtaxat conſeneſcere, & ad emittenda germina ſterilem fieri? Rationem hanc profectò validiſſimam, univerſi Patres, qui Religiones inſtituerunt, exemplis comprobarunt: tunc enim Miſſionibus operam dederunt, cum numero pauciore, & diſciplinæ Monaſticæ majores erant: quod, niſi notiſſimum eſſet, plurimis Sanctorum hiſtoriis aſtruere poſſemus.

VI. Exploſis ergo rationibus, quæ videbantur obſtare, nihil ſupereſt, niſi ut Jeſum Chriſtum amantiſſimum Deum, ac Redemptorem noſtrum, à ſiti ſalutis hominum, quam ſub mortem anxius manifeſtavit, noſtris laboribus recreemus: & uſque ad ultimos orbis terrarum fines, ſalutem, quam pretioſiſſimo ſanguine paravit, indefeſſo ſtudio proximis noſtris, antequam pereant, H nuntiare pergamus.

* * *

V O T U M,

SEU CONSILIUM PRO MISSIONIBUS,

QUO AD NOVA OBJECTA RESPONDETUR.

Scrip. An. 1604.

Totum fere Orbem religionis ignoratione caligantem diabolus prædatur. Europa enim Chriſtiani nominis feraciſſima, in magnam ſterilitatem devenit. Græcia quippe omnis cum Inſulis plurimis: Septentrionalia regna ferè omnia, & eorum inſulæ, non-
A nullis urbibus, oppidiſve ſparſim exceptis: Gallia ex parte: Anglia tota contagioſo morbo laborant: ſolaque Pontificiæ Sedis claritate inſignis Italia, & Hiſpania, divino munere, abſque hæreſum, vel ſchiſmatis labe præſervantur. (a)

Aſia ſimul, & Africa, quæ in Orientem, & Auſtrum porriguntur, quàm latiſſimè à mari Mediterraneo, uſque ad Sinas patent, præter litorales aliquot urbes apud Orientales Indos à Luſitanis partas, innumeris millibus ſub diaboli ditione laborant. Nam quæ in Japonia, & recentius apud Sinas Chriſti ſemina jacta ſunt, exigua valde ſors eſt vaſtiſſimis illis Regioni-
B bus comparata.

Occidentis pars in America, neſcio an auri fame potiùs, quàm ardore fidei à Chriſtianis frequentatur. At non ad eos tantum latiſſimos terræ, mariſque tractus, qui modo ibidem in dies ſingulos aperiuntur, ſed nec ad exploratas jam pridem oras Chriſtianis ſacris excolendas, niſi exiliter unus è millibus contendit. Quapropter orbem fere totum interire funeſtiſſimum eſt, & egrè paucos aliquot inveniri, qui Chriſti vexillum in regna peregrina conentur inferre.

Tria obtenduntur Miſſionibus adverſa. Primum argumentum. *Inſtitutum, cujus potior pars receſſus, & ſtudium contemplationis eſt*. Sed

C I. Non oppugnavit Inſtitutum Sanctus Bernardus, nec ante illum Sanctus Benedictus, quos ad Clauſtra Inſtitutum cogebat, cum tot loca peragrarunt cœnobia condituri: ac proinde nec S. Angelus Martyr clariſſimus, cum in Occidentem Carmelum invexit, ac tot regna pervaſit. Prætereo cæteros, quos in ſolitudine, vel Clauſtro, non adeò ſtrictè propria Inſtituta recondebant, puta SS. Dominicum, & Franciſcum, alioſque recentes.

II. Perſpectum eſt per literas Apoſtolicas, ubique terrarum, excepta Hiſpania, nos poſſe Congregationis noſtræ Cænobia conſtruere. Cur ergo non in Gallia, Germania, Polonia? cur non in Perſide, Armenia, & universè in Oriente?

D III. Si labor, & itinera pro condendis in Italia Cœnobiis cum Inſtituto non pugnat, cum receſſum, & contemplationis ſtudium interpellent, cur pugnet navigatio, & iter, exempli gratia in Perſidem, cum eò ad gentem noſtram propagandam ire pergamus; niſi quia huic labori annectitur, & animarum plurima ſalus, & Evangelii prædicatio. At hæc non eſt nobis interdicta in Europa, cur ergo in Aſia?

IV. Receſſus, & orandi ſtudium præcipiuntur, niſi juſtæ ſubſint occaſiones. An ergo non ſit occaſio juſta Carmelitæ Diſcalceato, ut exeat è Clauſtro, quæ fuit Jeſu Chriſto, ut exiret è Patris ſinu: exivit
E quippe, ut acquireret ſibi populum.

Secundum argumentum. *Fratrum paucitas, qua vix Italiæ ſatis eſt*. Sed

I. Quod ad numerum ſpectat, ſi Religionum origines repetamus, tunc omnes propagatæ, cum Fratres pauciores extitere, ſic Apoſtoli, ſic Sancti Benedictus, Bernardus, Angelus, Dominicus, Ignatius; ita ut ſuperſtites ipſi binos ſaltem Apoſtolico more deſtinatos in remotiores provincias, regnave legarent, tametſi non omnes recenſiti, in æque diſſita regna penetraverint, licet Orbem totum corde omnes abierint. Si ergo ſic primi omnes Conditores, Deo aſpirante, fecerunt, non erit abs re ſeriem hanc tot locupletiſſimorum teſtium
F æmulari.

II. Si paucitas obſit, & multitudinem præſtolemur, laxitatem, & teporem irrepentes ſimul expectabimus. Mora quippe, ac multitudine animi deferveſcunt, & legum cuſtodia languent. Tunc autem quorſum Congregatio propagetur? Satius enim erit degenerem jam gentem extingui.

III.

(a) Tota hæc periodus cum in MS. tum in *Hiſtor. Gener.* ab eod. P. Iſidoro ſic effertur. *Europa præter Italiam, & Hiſpaniam, vix una, & altera Urbe ſparſim excepta certatim interire feſtinant. Sic Anglia, Gallia, Flandria, Germania, Polonia, Ungaria, Moſcovia, & alia omnia Septentrionis regna, Græcia fere omnis, vel hæreſibus, vel Schiſmata, vel Ethniciſmo collabuntur.*

Scrip. An. 1604.

III. Experimentis multis compertum eſt, Religiones, quæ uno dumtaxat loco radices altas defigere, & coaleſcere nituntur, quouſque, (ut ajunt) è numeroſo populo colonias deducere poſſint, ingnavia, torpore, & inteſtinis quaſi bellis proſcindi: A Cujuſmodi exempla nobis nimium nota, non eſt cur ſubiiciam. Quorſum ergo exſpectata multitudine parum ſtrenua retardemur?

IV. Deo glorioſius, & proximo ſalubrius videtur miſſis, exempli gratia, binis in multis ſimul regnis, Religionem velut recenter natam numero, ac meritis augeri, quàm in una tantum Italia conſeneſcere, propagatione poſt obitum noſtrum dilata, & propemodum deſperata.

Tertium argumentum. *Indignitas mittendorum, quos oporteret virtutibus eſſe conſpicuos*. Hæc ratio videtur inexpugnabilis, B nam ſecus neque Inſtitutum, neque paucitas obſtarent. Sed

I. Si Pater Ignatius, & Xaverius (ut cæteros antiquos in Sanctorum numerum relatos ſileam) rationem hanc formidaſſent, quod ſcilicet ſanctis Dominico, & Franciſco non eſſent comparandi, ac ob id gentem condere detrectaſſent, quàm graviter ſibi, & Congregationi, & Eccleſiæ toti nocuiſſent? profectò illorum ſanctitas hoc auſu crevit inſigniter.

II. Ex noviſſimis etiam hiſtoriis conſtat, Deum hominibus minimè ſanctis, quod operam ipſi gratiſſimam in ethnicorum C converſione navarent affulſiſſe, eoſque inſignem vitæ Sanctitatem, quàm ſecus neutiquam ſperaſſent, hoc certamine compaparaſſe. Cur ergo non ſperet Carmelita Diſcalceatus, licet non uſquequaque perfectus, quod ſæcularis paulo ante ambitioſus, vel avarus aſſequitur?

III. Permulti catalogo Sanctorum adſcripti occaſione, vel oblata, vel quæſita è Chriſti perſecutoribus, vel tyrannis afflante Deo, repente Martyres evaſerunt.

Æquum ergo erit ſperare non è perſecutoribus, ſed è Chriſti famulis, Chriſti cauſam agentibus nonnullos compendio quodam, vel Confeſſores claros, Chriſti D Matyres evaſuros. Quo certè in genere, vel unus pro Chriſto interemptus illuſtrius, quàm ſexcenti parum ſtrenui Cœnobitæ Congregationem honeſtabit.

IV. Tantum abeſt, ut ex Miſſionibus vitæ perfectio decreſcat, ut vel ipſa cogitatio, & conatus Miſſionum vehementer incitet curſum perfectionis, ac propterea miniſtros præſtet idoneos, quod ratione naturali convincitur. Quiſquis enim grandia molitur, iis utitur mediis, quibus ſi non grandia, proxima tamen illis bona conquirat, qui ſi mediocria cogitaſſet, vix parva E peperiſſet: Sic ſanè, qui inter nos de ſe dumtaxat perficiendo cogitat per communes Congregationis actus, vix, ut nimis patet, mediocriter proficit: at ſi ſtatuat ludibria, & mortem pro Inſtituto noſtro ubique tuendo, & propagando perferre, quantò fœlicius aget? quanto lætius correptiones, jeiunia, vigilias, catenas feret? Quomodo enim non erit Inſtituti ſtudioſiſſimus, qui pro quovis illius ritu parat occumbere?

V. Nec obeſt, non adeò inſignis litteratura. Si enim cum hæreticis congrediendum ſit (ut experti norunt) non ſolum G linguarum, vel argumentationum acies inſtruenda, ſed pietate, ac inculpatæ vitæ exemplo, moralique doctrina pugnandum, & vincendum eſt. Si verò cum Ethnicis agendum, minus, & laboris, & doctrinæ requiritur, animos quippe non tam obſtinatos, quàm ignaros, moralis ratio, quam fides illuſtrat, facilè proſternit.

EPISTOLA NUNCUPATORIA

AUCTORIS

ITALICÆ CONGREGATIONI CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

FR. IOHANNES A IESU MARIA S.

IMmenſas clementiſſimo Deo grates ago, Alma Congregatio, quod te in Italia nuper natam, ſpe, quam numero auctiorem, ad excelſa fraternæ ſalutis vota concipienda, & Chriſtianæ Religionis Vexillum ferarum gentium regnis inferendum erexerit. Bene profecto eſt, grandi propoſito te majora moliri, quam poſſe videaris: clariſſimam quippe Virginem, Parentem ac Tutelarem tuam Tereſiam æmularis, quæ majora præſtitit, quam poſſe videretur. At quid non poſſis, quæ invictiſſimis divinæ charitatis viribus armaris? Cœptis inſiſte, precor, & aude majora. Ex Apoſtolicæ ſedis arce Romæ conſtructa, in exteras nationes agmina candidatæ gentis tuæ lectiſſima mitte. Inſtructionem hanc, quam in opus hoc grande collimatam, jure tuo tibi nuncupo, humaniter accipe, & colonis gentis ex arce deducendis (ſi placet) exhibe. Amantiſſimum Deum per illibatam ejus Parentem, quæ tibi præſidet, enixè obſecro, ut (quod impensè optas) Miſſionum fructus uberrimos carpas. Vale.



PRÆFATIO EXHORTATORIA.

I. *JUre quidem clementiſſimus Deus, ac Redemptor noſter de Chriſtianorum ignavia, & ingrati animi ſignificatione conqueri poſſet: quandoquidem ſalutem aliorum, pro quibus nobiliſſimus ejus ſanguis effuſus fuit adeo negligunt, ut vix unquam de illis à Dæmonis tyrannide liberandis ſeriò cogitent.*

II. *Et profectò, tametſi neglectus hic, in alias etiam Chriſtiani orbis partes permanarit (nemo enim à lege proximi juvandi excipi poteſt) in Eccleſiaſticis, ac Religioſis præſertim, quos Chriſti charitas acrius urgere deberet, ſuam deformitatem oſtentat.*

III. *Turpe quippe videtur, viros amore ſingulari Deo fœderatos (qui facile norunt, quàm ardenter ille, pro ſua immenſa bonitate hominum ſalutem ſitiat) cum ad infidelium converſionem ſeipſos gloriosè devovere, ac populos plurimos Eccleſiæ conciliare poſſent, ita torpeſcere, ac operis arduitatem perhorreſcere, ut alios bene animatos à tanta Chriſti gloria dehortentur.*

IV. *Adeone vili pretio tot hominum millia, quæ in dies ſingulos tartaros abſorbet, empta ſunt; ut delicati Chriſti milites nullam tantæ jacturæ curam gerere, ſed in mediis Chriſtianorum urbibus eleganter dicendo populi auram captare debeant?*

V. *Quorſum tot, tantiſque ſtudiorum labores, ad parandam doctrinam molliter tradendam, exhauſti? Quid vexatæ Chriſti Eccleſiæ conferunt innumeri concionatores ad appoſitè dicendum intenti, ubi vel modicus, vel nullus interdum proventus exiſtit?*

VI. *Num ſalubrius non foret, Apoſtolicos viros æmulari, & in eas potiſſimum Gentes doctrinam laboremque conferre, unde felicior ſalutis, ac divinæ gloriæ proventus referretur? ut per vaſtiſſima regna, quibus dæmon potitur, Chriſtiana Religio propagaretur, & ab interitu ſempiterno tot homines vindicarentur?*

VII. *At res tota jacet, & prodigioſum videtur operis tam Deo accepti ac neceſſarii meminiſſe. Animas innumeras infernus glutit: & nemo miſerorum vicem dolet. Si qui autem homines pii rem probant, ita probant, ut manum operi admovere nolint, cauſati ſe non eſſe tantæ rei pares, propriæque ſalutis curam alienæ præponendam eſſe: quaſi per hoc viri meliores evaderent, & alienæ ſalutis cura propriæ curam extingueret.*

VIII. *Quin potius adeo non extinguit, ut eam mirificè alat: qui enim alios Deo conciliare cogitant, ita profectò ſanctitati ſtudent, ut modum aliorum minus grandia ſperantium, præſentiſſimis Dei viribus, ſuiſque conatibus excedant: Magnanimitatis quippe virtus animos excitat, ut vulgarem pietatis modum ſibi ſatis non eſſe rati, in altiora ſemper aſpirent.*

IX. *Et quidem tametſi aliæ rationes deeſſent, quis non videat, è duobus æquè piis, uno nihil grandius moliente, ſi alter aliorum ſalutem mente pertractet, eo ipſo conatu ſeipſum ad arctiorem Chriſtianæ diſciplinæ modum adſtringere, ut & ſibi, & aliis prodeſſe valeat?*

X. *Hinc profectò efficitur, ut è duobus Religioſis alter; qui ſolam Clauſtri diſciplinam meditatur, vulgò mediocriter bonus ſit, animo ſcilicet minimè excelſo, & vincendis difficultatibus dedito: alter verò, qui & Clauſtri diſciplinam, cum animi excelſa cogitatione, ac decreto eamdem diſciplinam in exteras quoque nationes inferendi complectitur, felicius multò creſcat, iidem quippe communes monaſterii actus, ab altero aut tepidè, aut mediocri affectu, ab altero autem ardentiſſimè exercentur.*

XI. *Cæterùm quid opus eſt rem experimentis nimium teſtatam rationibus aſtruere? ſi enim, quæ hac ætate noſtra, à viris ſanctitate illuſtribus geſta ſunt, animo perluſtremus, patebit ſanè Magnanimitatis virtutem, quæ in ſalutem proximorum per ſummos labores incubuerunt, tantam eximiæ ſanctitatis molem extruxiſſe.*

XII. *Et verò quicquid de viris illuſtribus ſentiendum ſit, aſſertio noſtra in muliere una virili corde prædita, B. ſcilicet Virgine ac Parente noſtra Thereſia, facilè vera demonſtratur. Siquidem cum eſſet mulier ægra, Clauſtro ſepta, Inſtituti Carmelitici cultrix, grandi auſu Clauſtro egreſſa difficultatibus ſummis vincendis intenta, propriæ commoditatis, non vero legum obſervationis oblita, priſcam diſciplinam Carmeli reſtituit; & in virilem ſexum habitumque mutari impenſius optavit, ut Chriſti prædicandi functionem apud infideles obiret; fecit tamen quod potuit, ſuoſque ac ſuæ gentis labores, quaſi juge ſacrificium in eum ſcopum Deo dicavit.*

XIII. *Opinentur alii quod volent, nos certè tantæ Virginis ac Parentis filii, aut genus negemus, aut ejus veſtigiis inſiſtamus, neceſſe eſt. Exemplum quippe hoc, acerrimum Carmelitis reformatis calcar eſt, præter antiquiores Sanctos Inſtituti noſtri Conditores Evangelio recenter orto, vel poſt multas ætates renato, barbaris hominibus prædicando deditiſſimos.*

XIV. *Ut ergo votis tantæ virginis nos quoque aſſentiremur, & calorem Miſſionum, quo noſtra Italica Congregatio flagrat, pro captu noſtro foveremus, Iuſtructionem hanc Miſſionum elaboravimus, in qua, quæ ad mittendorum dotes pertinent, primum expreſſimus, mox quæ ad modum myſteria fidei rationibus naturali lumini conſentaneis ſuaviter tradendi, & quæ ad mores infidelium temperandos attinent, ſic oſtendere conati ſumus, ut univerſis infidelibus prodeſſe poſſemus.*

XV. *Rationes quippe naturæ congeneres, ad ſingula myſteria perſuadenda coagmentavimus, illo Theologorum pronuntiato ſubnixi:* Fidei myſteria ſunt evidenter credibilia. *Si enim ad eum modum credibilia ſunt, è ſalute infidelium proculdubiò erit, ea ſic proponere, ut per rationes, quas intellectus reſpuere non poſſit, immò quas naturali lumine credibiles eſſe perſpicit ad Chriſtianam Religionem inducantur.*

XVI. *Etſi enim S. Thomas* 1. p. q 32. a 1. (*agit peculiariter de myſterio Trinitatis*) *ſapienter monuit, eum qui myſteria fidei naturali ratione probare nititur, ipſi fidei derogare, quæ ratione altior eſt, & infidelium irriſioni patere, qui meritò nobis illuderent, ſi nos iis rationibus ad credendum inniti exiſtimarent: longè tamen aliud eſt, quod conati ſumus: non enim rationes naturæ conſentaneas ſic propoſuimus, quaſi ob eas crederemus, ut ii nos propterea irridere poſſent. Imò authoritatem divinam, ob quam credimus identidem proponendam, inculcandamque monuimus, ut quo fundamento niteremur infideles animadverterent. At nihiloſecius hominibus vix naturalia capientibus, rationes multas, quas utcumque conciperent, attemperavimus, ut ſenſim ad altiora promoverentur.*

XVII. *Inter omnia verò modum cum infidelibus agendi ſuavem, & efficacem præſcribere curavimus, qui ad januam fidei Catholicæ aperiendam eſſet opportunus. Infidelium autem nomine Sanctis Patribus, ac viris Eccleſiaſticis uſitato, in hoc ſcripto ad Eccleſiæ propagationem directo, uſi ſumus: ut ſectas univerſas voce una complecteremur. Omnibus enim Ethnicis, Judæis, Mahometanis, Hæreticis rationes juxta naturæ lumen expenſæ, Deo propitio, prodeſſe poſſunt. Precamur ergo dulciſſimum Deum, cujus cauſa hæc ſcribere in animum induximus, ut vota Miſſionum alat, & nos omnes immenſo deſiderio fraternæ ſalutis inflammet.*

VEN.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ EXCALCEATI CALAGURITANI
INSTRUCTIO MISSIONUM.

PARS PRIMA.

De virtutibus, Doctrina, & moribus ad Miſſiones requiſitis.

CAPUT I.

Sanctitas ad Miſſiones requiſita.

Scrip. An. 1605.

QUI ad exteras nationes pro Chriſto legatione Apoſtolica functuri ſunt ea vitæ ſanctitate niteant opus eſt, quæ, ipſis quoque ſilentibus, Religionis Chriſtianæ puritatem repræſentet. A Nihil enim ad errores, & vitia convellenda efficacius, quàm inculpatæ vitæ ſanctitas; quæ genere ſuo cum divina ſit, omnem intellectum ſua luce perſtringit, omnia colla, quantumvis erecta domat. Eloquentia omnis evaneſcit, miracula proſunt, ſed non adeo prævalent, quod arte dæmonum ſimilia quædam effingi queant; ſola vero ſanctitas nequit ſatis ſimulari, quod ipſa ſimulatio veræ ſanctitati non tam ſimilis, quàm contraria ſit. Veræ ſanctitatis effectus. Vera ſanctitas illuſtriſſimam totius orbis partem flexit, & potentiſſimos Reges Chriſtianæ manſuetudinis vim admiratos in ſua caſtra perduxit. B Quapropter Fratres noſtri hanc, præ aliis munimentis, armaturam exquirant: quæ quamvis univerſarum virtutum complexione conſtet, ad opus tamen Miſſionum ſelectas quaſdam pro rei magnitudine requirit.

CAPUT II.

Fides ad Miſſiones requiſita.

I. SAtis per ſe planum eſt, fidei aſſertores inſigni fidei cognitione, ac firmitudine præditos eſſe debere. Quomodo enim eam mentibus aliorum ingenerabunt, ſi perfectione ad generandum requiſita careant? Quemadmodum enim naturales cauſæ, niſi in actu perfecto conſtitutæ, ad ſuam formam imprimendam ineptæ ſunt, ita & ſupernaturali generationi, ſive Chriſtianæ C formæ impreſſioni ineptos eſſe oportet, qui ejuſdem formæ vi cœlitus perfecta non pollent. Sic ergo Catholicas veritates, quas Eccleſia Romana profitetur, non ſolum invictè credere, verum & ſingulas penſitare, & in dies ſingulos firmius amplecti Fratres noſtri enitantur, ut ad opus tantum ſe gnaviter accingant. Et quidem præter creberrimos fidei actus, quos, quaſi coram tyrannis ad necem poſtulati, producturi ſunt, Catholicæ veritatis concordiam, originem ſive authorem, teſtes, aſſertores, ſinceritatem, altitudinem, permanſionem, aliaſque D illius notas ſecum animo pertractare, venerari, ac diligere debent, ut ad eam ſerendam fiant aptiores. Erit autem ad rem, eo præſertim anno, quo poſt confectum ſtudiorum curriculum ad Miſſionem proximam ſe com-

Scrip. An. 1605.

comparaturi ſunt, fidei myſteria ſtatis orationis horis meditari, ut veritas Chriſti ſe altius inſinuet, ac fortius figatur: & animus inde eruditior, & conſtantior ad prælia prodeat. Nihil autem opportunius unicuique conſuli poſſe videtur, quam ut ab ineunte Sacræ Theologiæ ſtudio, proprio labore illius genio attemperato, compendium, quoddam myſteriorum per ſe ſibi coaptet, rationeſque ſelectas in locos digerat: quibus frequenter utatur: partus enim proprius, & per plures annos recognitus, velut naturalis quædam armatura eſt. Hæc maxima veræ ſapientiæ pars, per incuriam inter Monachos languere ſolet: at incogitantia hæc procul à nobis abſit: nam præter actus multiplices Deo acceptiſſimos, exercitium meritis divinæ gratiæ, ac gloriæ fœcundiſſimum eſt, & præſentem quoque delectationem è Catholicæ veritatis fonte hauſtum inſtillat.

CAPUT III.

Charitas ad Miſſiones requiſita.

I. NON vulgaris divinæ charitatis modus, ſed charitas ultra modum exquiritur, ut qui de Miſſionibus cogitant, animis Apoſtolicis mundum complectantur univerſum more illius, qui cum abeſſet, ajebat: *Os noſtrum patet ad vos o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt*. Nulla enim totius orbis gens, quantumvis fera, eſſe debet, cui non & ora, & corda virorum Apoſtolicorum charitatis igne patefacta, & velut eliquata dehiſcant. Et quidem cum in eo charitatis lex poſita ſit, ut æternæ felicitatis conſortium iis, qui ejus participes fieri poſſunt, efficaciter optemus, atque ad id cooperemur: ſalus univerſorum hominum impenſiſſimè à Fratribus noſtris cupienda, & votis ardentiſſimis efflagitanda eſt. Qua de re, qui mittendi ſunt, ſæpiſſimè, ac ſeriò admodum cogitare, & ſe ad opus tam glorioſum frequentiſſimis actibus excitare, ſtudiorumque labores eò dirigere debent. Cum verò ad charitatis menſuram de proximorum interitu mœror, & dolor accreſcant, funeſtiſſimum tot hominum interitum lachrymis proſequantur, & ad maturandam eorum, qui nondum interiere ſalutem celerrimis deſideriis, & pœnis ultro ſuſceptis indefeſsè contendant. Alta rerum expenſio, & futuri proventus præmeditatio ardorem charitatis exaggerant. Hic potus, hæc Fratrum noſtrorum eſca ſit, ut exemplari ſuo conformes evadant, cujus oraculum eſt: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*; hoc eſt, ut in converſionis opus totius incumbam.

2. Cor. 6. 11.

Iohan. 4. 34.

CAPUT IV.

Zelus ad Miſſiones requiſitus.

Zelus divinæ charitatis effectus.

I. E Divinæ charitatis viſceribus zelus erumpit, quo Fratres mittendi adeo flagrare debent, ut ægre ferant Jeſu Chriſti, dulciſſimi Dei, ac Redemptoris noſtri, tot hoſtes eſſe, qui cum intemerata ejus ſponſa, Romana ſcilicet Eccleſia, bellum perenne gerant. Dolendum eſt quippe, in univerſo terrarum orbe, præter Italiam, & Hiſpaniam, vix unam aut alteram urbem in vaſtiſſimis regionibus, divino munere, à communi Ethniciſmi, Hæreſis, ac Schiſmatis diluvio præſervatam reperiri. Dolendum præterea in pauciſſimis iis regnis, quæ univerſalis eluvio non obruit, veros Dei amicos, velut ſydera quædam rarò admodum intermicare. Communis enim Chriſtianorum vivendi ratio, tot ſceleribus deformata eſt, ut modicam ſempiternæ ſalutis ſpem generet; tam *lata eſt via, quæ ducit ad interitum*. Cum ergo veris Dei amicis exploratum ſit, à quot & quam ſævis hoſtibus puſillus Chriſti grex obſideatur, ardentiſſimè optare debent, eos hoſtes non ferro, ſed ligno, hoc eſt, mitiſſima crucis diſciplina ſubjugare, & Eccleſiæ fœderatos efficere. Frequens autem rei tantæ meditatio zelum proculdubiò excitabit, & tantæ calamitatis, quæ orbem pervaſit, ſenſum augebit.

Matth. 7. 13.

Hoſtes Chriſti quomodo ſubjugandi?

CAPUT V.

Magnanimitas & ſpes ad Miſſiones requiſitæ.

I. MAgnanimitas, cujus eſt grandia conari, ad opus Miſſionum perneceſſaria eſt, ut parva & mediocria virtutum opera non uſquequaque animo ſatisfaciant, ſed ſummos labores, ſummas coronas, ſummam Dei gloriam Fratres noſtri exquirant. Opus profectò excelſum eſt, & bonorum grandium feraciſſimum; cui nequit animus idoneus eſſe, ſi quodam degeneri humilitatis prætextu, exiguo lucro ſit contentus. Et ſanè mirum eſt, Chriſti ſervis compertum eſſe, ætate quoque hac noſtra, eos qui terreas Orientis, vel Occidentis opes paraverunt, invictis animis, cum Oceano luctatos fuiſſe, ac ſuperatis tandem procellis, multas provincias terrenis Regibus ſubjugaſſe, & tamen ipſos pigritari, ac pro nihilo ducere, nationes feras, quas poſſent, immortali Regi conciliare. Non placet profectò mortale conſilium hoc: abſitque ut Fratribus noſtris grandia paraturis placeat. Enitantur potius ex iis, quæ ſparſim occurrunt, majora, & difficiliora ſectari, ut grandibus aſſueſcant. Honeſtiſſimum enim, & utiliſſimum eſt hoc genus ambitionis, de quo in ſtatis orationis horis cogitandum, & per oblatas occaſiones loquendum, & conferendum eſt. Quia verò magnanimitas majora molitur, quam natura promittat, firmiſſima ſpei baſi ſubniti debet: ut ex divina bonitate ad benefaciendum propenſiſſima, ex meritis Jeſu Chriſti ducis noſtri, ex ampliſſimis ejus pollicitationibus, Evangelii textu expreſſis, ex Beatiſſimæ Virginis tutela, & ex Sanctorum patrocinio, & aliis Religionis Chriſtianæ munimentis, omnem proſperitatem

in

Scrip. An. 1605.

in opere grandi Fratres ſibi polliceantur. Nihil eos vel frangat, vel retardet: in re quippe Deo acceptiſſima, tot honeſtiſſimis circumſtantiis, ac Dei auxiliis ſepta, inſaniæ genus eſt, non firmiſſimè ſperare, ac frequentiſſimis bonæ ſpei actibus ad grandia animum ſtabilire.

A

CAPUT VI.

Patientia, & conſtantia ad Miſſiones requiſitæ.

I. DUM ſpiritum fervet, nihil occurrit quod animum ab Inſtituto divertere poſſe videatur: ignitus quippe effectus eſt, unde grandium votorum ſcintillæ diſſultant. Verùm aliud eſt in prolixo itinere, cum adverſa ingruunt, minimè frangi, ſed mala conſtanter ſuperare, ac immoto pectore conſiſtere: *Filii* enim *Ephrem* ante congreſſum inſtantem, *intenderunt arcum*, ſed turpi fuga *reverſi ſunt in die belli*. Erunt fortaſſe, qui dum de Miſſionibus agitur incaleſcant, & aureos montes pòlliceantur: ſed ambiguum eſt, an in ea prælonga navigatione, vel acri hoſtium conflictu, aliovè ſimili experimento, arrepti propoſiti pœnitudine afficiendi ſint. Mala ergo ventura præmeditari, & contrariis motibus elidere, ſalutare conſilium eſt. Nec vero eſt admodum difficile, de ſeipſo unumquemque mediocriter cordatum, ad Miſſiones aggrediendas judicium ferre. Si enim graves diuturnaſque tentationes, morbos, vel alia monaſticæ vitæ experimenta conſtanter ac patienter tulit: non abs re mala ſimilia ſe animosè laturum ſpondere valebit. Actibus igitur conſtantiæ ac patientiæ animus armetur. Conſtantiæ quidem, cujuſmodi ſunt: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat adverſum me prælium*, in Deo firmabor. Patientiæ verò, quales cogitatio famis, frigoris, tædii, vigiliarum, & ſimilium malorum, & ea ferendi deliberatio parit.

Pſal. 77. 9.
B
Pſal. 26. 3.
C

CAPUT VII.

Fortitudo ad Miſſiones requiſita.

I. ETſi virtutes ad opus Miſſionum expetitæ, majori ex parte ad luctam ſummis cum difficultatibus ineundam pertineant; fortitudo tamen ſuper cæteras caput efferre videtur; verſatur enim in ſupremis mortis periculis, quibus natura incredibili cum horrore terretur. Cum ergo feliciſſima Miſſionum ſors, & ſummis votis exquirenda, nihil aliud, quàm mors, ad Chriſti teſtimonium directa ſit: neceſſe eſt illam toto pectore haurire, & contra naturæ pondus niti: quod rei præmeditatione, & creberrimis fortitudinis actibus fiet. Verſatur quippe inter audaces, ac fortes inſigne diſcrimen; audaces enim qui ſine conſilio, & actuum fortitudinis exercitio diſcrimen adoriuntur, initio quidem congreſſus fortiter agere videntur, mox tamen improviſo periculo deterrentur, de quo minimè cogitaverant: fortes è contrario, initio belli non uſque adeo ſtrenui videntur quod natura pericula cogitata formidet; ac tum ex virtute fortitudinis mori quoque deliberaverint, ipſo prælii proceſſu concitantur, & præviſo diſcrimine non adeò territi, hoſtem debellant. Hæc virtus naturalis aſſequitur. At ubi Chriſti fortitudo viget, majora multo patrantur, quæ Fratres noſtri ardenter optare, ac (ſi ſors tulerit) invictè aggredi debebunt. Interim verò plurimorum actuum exercitio ad glorioſiſſimam Martyrii palmam aſpirent.

D
Audacium, fortiumve diſcrimen.
E

CAPUT VIII.

Humilitas ad Miſſiones requiſita.

I. NOtum eſt Apoſtolicam functionem hominum irriſioni patere: ſic enim Paulum Athenis prædicantem ſapientes mundi, quaſi *verborum ſeminatorem*, ac *novorum*, ut ajebant, *dæmoniorum annutiatiorem* irriſerunt, quod aliis, & Apoſtolis, & viris Apoſtolicis familiare fuiſſe compertum eſt. Improperia ergo crucis Chriſti Fratres noſtri ardenter expetant, & ab univerſo mundo haberi neglectui, pro una Chriſti gloria, & proximorum ſalute glorioſum ducant: quod ut poſtmodum felicius præſtent, modò in Clauſtro ipſo, vilitatem propriam attentius meditentur, & occaſiones contemptus captent. Si verò infidelium converſio ex ſententia ſucceſſerit, quod apud homines quoque ſæculares glorioſum eſt, caveant, ne vanitas mundi grandem operam perdat, & (quoad poſſint) honores ſibi delatos effugiant; ſic enim Apoſtolus (quem imitari ſtudeant) divinos honores Lyſtris in Lycaonia ſibi ab ethnicis ſtupentibus attributos reſpuit: & quotquot Chriſtum dignè prædicarunt, honores, quaſi opprobriis digni forent, rejecerunt.

Act. 17. 18.
E
Actor. 14.
G

CAPUT IX.

Conſiliorum obſervatio ad Miſſiones requiſita.

I. CUM Evangelicæ veritatis nuntii una cnm Catholica fide, non virtutes ſolum, verum, & ſublimia Chriſti conſilia recenter converſis prædicaturi ſint: puta, irritatos miteſcere, offenſoribus parcere, pro malefactoribus orare, iis benefacere, in noviſſimo loco recumbere, auferenti tunicam pallium quoque permittere, alapam impingenti faciem ad ſecundum ictum exhibere, accuſatos ſilere, aliaque ſimilia Chriſtianæ perfectionis monita: neceſſarium profectò eſt, antequam è Clauſtris noſtris proficiſcantur, hæc omnia, & præmeditentur, & pro virili ſuo exerceant: ne cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi fiant. Verum etſi conſiliorum Chriſti omnium vi-

Miſſionarii, quæ prædicare debeant?
H

Scrip. An. 1605.

vivum exemplar eſſe debeant: ea tamen conſilia, quæ ad proprium Inſtitutum pertinent; potiſſimùm colere ſtudeant. Sic enim ad infidelium ſalutem deſtinantur, ut non ſine certa ſede vagari, ſed ubi potuerint, Inſtituti noſtri cœnobia, de Superio-
A rum venia, condere nitantur: ut quaſdam velut Chriſtianæ Religionis arces conſtruant, ubi vires quandoque reſumant, ut alacrius ad prælia progrediantur.

Votum paupertatis exactiſſime colendum.

II. Hinc efficitur, ut regulæ, conſtitutionum, rituumque noſtrorum ſatores futuri ſint: quod ſine impenſiſſimo Inſtituti noſtri ſtudio fieri nequit. At inter vota noſtra, quorum obſervationi deditiſſimi eſſe debent, paupertatis votum exactiſſimè colant; vix enim dici poteſt, pecuniæ præſertim, ſed cæterorum quoque bonorum temporalium contemptus quanti ſit ponderis ad infidelium animos leniendos. Hic verò Fratres noſtri admonendi ſunt, ne animo deiiciantur, ſi fortè virtutes, reliquaſque Chriſtianæ perfectionis partes, quas
B attigimus, ſe non habere opinentur; quaſi animum propterea deſpondere debeant à re adeò grandi molienda. Non enim deerunt conſiliarii non valdè ſapientes, qui leves culpas in quotidiana diſciplina prætexant; ac ſi credibile non ſit, eos, qui parvis in rebus frequenter errant, in rebus maximis ſtrenuos perfectoſque futuros. Profectò doctrina hæc, non eſt uſque adeo vera. Hominis quippe ingenio nativum eſt, ut parva non adeo curet, cum conatu multo indigere non videantur: grandia verò fortiter aggrediatur, cum viribus, & conatu multo opus eſſe perſpiciat. Quamobrem fidentius agendum, ac in Dei auxilio (quod iis, qui mittuntur, eſt obedientiæ lege præſentiſſimum) ſpes omnis col-
C locanda eſt. Si enim fideliſſimus Deus hominibus è medio ſæculo ad infideles auri vel honoris cupiditate commeantibus, & oblata fidei Catholicæ prædicatione occaſione utentibus, interna fortitudine, & externis viribus, & miraculis quoque adeſſe ſolet, quod ex ætatis noſtræ hiſtoriis compertum eſt; viris non ſæcularibus, ſed mundi contemptoribus, qui etſi adeo perfecti non ſint, nonnihil tamen operis ad Chriſtianam perfectionem comparandam poſuerunt, & pro Deo ſummos labores ſubire decreverunt, liberalius affuturum facilè credendum eſt. Hac ergo ſpe ſunt erigendi, qui legationem Chriſti ad infideles obituri ſunt; ut ſibi diffidentes, Deoque plurimùm fidentes, ipſo Miſſionum conatu ſe ſanctiores fore, quam ſi nihil ejuſmodi
D grande cogitarent, ſibi perſuadeant; nam id exempla in hoc genere multa convincunt.

CAPUT X.

Doctrina ad Miſſiones requiſita.

I. QUamquam firmiora munimenta ſanctitatis, quam doctrinæ ſunt, ad Infideles Chriſto ſubiugandos, doctrinæ tamen ea ratio habenda eſt, ut nemo ignarus, & imparatus ad alios erudiendos accedere audeat. Evenire quippe poſſet, ut pro Catholica veritate graves errores primum ſeminaret, arbitratus obſequium ſe præſtare Deo. Primum ergò Philoſophica, Theologicaque doctrina ſic haurienda eſt: E
ut errores naturali legi contrarios, aut diſſentaneos Philoſophicis rationibus convellere: Theologicis verò ad altiorem Dei cognitionem infideles promovere Fratres noſtri valeant. Mox Scriptura Sacra accuratè perluſtranda eſt, ubi ſapientia noſtra latet. Quam ut in ipſo quoque ſtudiorum decurſu Fratres noſtri prælibent: nullum conſilium opportunius, quam dum accumbitur in cœnaculo, quæ ibi è Scriptura Sacra quotidie leguntur, ſic audire, ut nihil præterire patiantur, quod non intelligant. Quod ſanè aſſequi poterunt, ſi ſtatim ac è loco illo, aliiſque communibus actibus diſceſſum fuerit, authorem aliquem conſulant, unde rei non intellectæ ſenſum eli-
ciant. Modus quippe hic (ut experimento F
nobis compertum eſt) ſine labore multo totius Scripturæ Sacræ, quæ ſingulis annis ibi percurritur, intellectum parit. Ad hæc peculiari ac ſolerti diligentia doctrina multiplex ad ſectas confutandas, ediſcenda eſt. Alio quippe armorum genere, adverſus Hæreticos, alio adverſus Judæos, alio adverſus Mahumetanos, alio adverſus Ethnicos dimicandum eſt. Et quia jam ſectarum numerus ultra modum excrevit, & nomina vix memoria retineri poſſunt; compendioſior doctrinæ methodus erit, ſi è probatis authoribus argumenta ad errores refellendos, unuſquiſque labore proprio ſeligat, & in communes locos ingenio proprio accommodatos digerat: ut quoties oc-
caſio tulerit, rationes in promptu habeat, G
quibus obvios errores, cujuſcumque ſectæ, vel auctoris ſint, efficaciter repellat.

Auctores a Miſſionariis præ manibus habendi.

II. Auctores autem è quibus communes locos, & argumentorum promendorum ſedes quiſque conficere debet (ſi ſententia noſtra placeat) S. Thomas in ſumma Theologica, & contra Gentes, & Cardinalis Bellarminus de controverſiis fidei ſunt: quibus ſi quis aſſueſcat, ſatis locuples evadet. Paucos enim, probatos Authores ſeligere, ac in compendium redigere utilius eſt, quàm plurimorum non adeo perſpectorum, farragine confundi: exemplum autem in proximo capite proponemus. Erit etiam è re cum à Superiore Miſſio aliqua deſignata fuerit, proprios nationis, vel ſectæ, cum qua pugnandum eſt, errores peculiari
labore perſpectos habere: nec enim adeo H
laborioſum eſt, ut exhauriri nequeat; ut ſi exempli gratia, in Perſidem eundum ſit, Alcorani liber perluſtretur, ut ejus errores argumentis in id collimatis, & præmeditatione refutentur.

III. Linguarum peritia, unà cum doctrina paretur oportet, præſertim ſi Hæreticorum caſtra petenda ſint; homines enim ver-

Scrip. An. 1605.

boſi, & ſacri textu corruptores ſunt: quos qui parat evincere, ad exemplaria Hebræa, vel Græca provocatus, rationem reddat neceſſe eſt. At inter linguas univerſas, latinam præſertim commendamus, quod ea ferè ſemper in Septentrione (quo primum vocamur) utendum ſit.

IV. Moralis quoque doctrina, in opere tanto inſignem vim captatis opportunitatibus habet, ſæpe enim conciones cum vitæ pietate conjunctæ, ſine diſputationum ſtrepitu, vel etiam privata colloquia pluſquam inſtructum argumentorum agmen obtinere ſolent: quod altè ponderandum eſt.

CAPUT XI.

Studendi modus ad Miſſiones requiſitus.

I. OPeræpretium proculdubiò erit, poſtquam de doctrina ad Miſſiones requiſita diximus, modum ſtudendi compendioſum ac ſolidum, facilemque tradamus; nam in agendi modo pars maxima progreſſus poſita eſt, præterquam quod, qui propoſito ſtudiorum fine honeſtiſſimo, ac Deo gratiſſimo laborant, & doctrina, & ſanctitate, quemadmodum & puritate aliis antecellunt. Qui ergo in opus grande Miſſionum accerſiri cupiunt, interim dum ipſi Theologiæ Scholaſticæ navant operam, per ſingulos tractatus, ſine temporis jactura, vel retardatione ſtudiorum, in communes locos ad hoc per capita digeſtos, ſelectas Scripturæ Sacræ Conciliorum, ſanctorumque Patrum ſententias aliquot, & rationes ingenio proprio accomodatas reponant. Sic enim res longiore tempore perſpectas, & Theologis dignas, & plurimas, & tutiſſimas peracto ſtudiorum curriculo, ad omnem eventum paratas, & quaſi nativas habebunt, quibus fidem Catholicam aſſerere, ac propagare valeant, ut ſubiecto docetur exemplo.

Subtilitates Theologicæ Miſſionariis inutiles.

II. Statuamus novos Theologos de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio agere, ac S. Thomæ doctrinæ ſe totos addicere, ii profectò ſi nihil aliud cogitent, quam quod apud Catholicos tractandum occurrit, omnem ferè operam in extenuandis ſubtilitatibus ponent, puta: An relatio paternitatis, ut dicit eſſe *in* conſtituat, & ut dicit eſſe *ad* diſtinguat? an verò eadem relatio preſsè ut dicit *ad* conſtituat ſimul, ac diſtinguat? an eadem relatio, ut dicit *in* præcurrat actum notionalem, & ut dicit *ad* ſubſequatur? & alia ſimilia, quæ quamvis laude digna ſint, & ad myſterium utcumque inveſtigandum conferant, experientia tamen conſtat, eorum uſum in Eccleſia, ſive ad conciones, ſive ad Scripturæ Sacræ explanationes parciſſimum eſſe, eaſque ſubtilitates poſt modicum tempus memoria excidere, vixque aliquid ſolidum & grave menti impreſſum remanere.

Doctrina utilis, & a Miſſionariis addiſcenda.

III. Porrò doctrina verè Theologica, Scripturam Sacram, Concilia, Patres, rationeſque aliquot paucas, & ſelectas primum exquirit. Horum ſi memoria ſubit, etſi alia oblivio deleat, vera Theologia ad Sacramentorum miniſterium, ad conciones, ad Scripturæ Sacræ interpretationem, ad hæreticorum prælia ſuppetet. Sit ergo exemplum è myſterio Trinitatis, quod ad Ruthenos, Græcoſque omnes juvandos proſit.

Exemplum de proceſſione Spiritui ſancti à Filio.

Error Græcorum, quomodo refellendus?

IV. Ubi in materia Trinitatis omnium graviſſima ad agendum de Spiritu Sancto ventum eſt, occurrit ſcandalum Græcorum, qui Spiritum Sanctum à Filio procedere pertinaciter negant: quamvis enim in Conciliis multis Latinorum Patrum rationibus convicti ceſſerint, ſemper tamen recrudeſcunt.

V. Theologi ergo noſtri animadvertant, ne prætereant inopini, & ad ſubtilitates de modo proceſſionis toti feſtinent: ſed in communibus locis exiguo labore, quæ apud S. Thomam, alioſque Patres ab eo allegatos, pro aſſerenda proceſſione Spiritus Sancti à Filio legerint, apte diſponant in hunc modum. Primus locus ab Scriptura: agens Chriſtus de Spiritu Sancto ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: hæc verba planiſſimè oſtendunt Spiritum Sanctum accipere à Filio ſcientiam eorum, quæ docet, vel inſpirat: nam paulò ante præmiſerat Chriſtus: *Non à ſeipſo loquetur*: quæ verba de ſcientia exponuntur à SS. PP. Chryſoſtomo, Cyrillo, Auguſtino. Quomodo autem poteſt Spiritus Sanctus accipere ſcientiam à Filio, niſi accipiendo ab eo eſſentiam? quicquid enim aliud dicatur, fiet Spiritus Sanctus creatura.

Ioan. 16. 14.

Ibid. 13.

VI. Secundus locus Joannis prædicto capite ait Chriſtus: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis*. Omnis autem miſſio, aut eſt per imperium, ut mittuntur ſervi à dominis: aut per conſilium, ut qui inſtruuntur à ſapientibus, mittuntur ab iis, puta: ægroti à Medicis ad balnea, vel Duces à Conſiliariis ab bellum: aut per naturalem productionem, ut rami à ſtipite. Primi duo modi non ſunt ad rem, quia Spiritus Sanctus, neque eſt ſervus, neque conſilii inops, cum ſit Deus, ut inter nos, & Græcos convenit; erit ergo tertius, ut ſcilicet producatur à Filio. Hæc è Scriptura Sacra, è qua plura depromi poſſunt.

Ibid. 7.

Ioan. 15. 26.

VII. Subeunt Concilia; & primum quidem Alexandriæ Concilium olim celebratum fuit, ex quo Concilio S. Cyrillus ſcripſit epiſtolam ad Neſtorium, ubi habentur hæc verba: (habetur in Concilio Epheſino *Tom.* 1. *Cap.* 14. & approbata fuit, tam ab ipſo Epheſino, quam à IV. Synodo *act.* 5. & à V. Synodo *act. ultima*, & à VI. Synodo *act.* 17. & à VII. Synodo *act.* 7.) *Spi-*

ritus

ritus appellatus eſt veritatis, & Chriſtus veritas eſt, unde, & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Patre procedit. Quam ſententiam quinque Concilia generalia notata, apud Græcos celebrata receperunt: ut mirum ſit Græcos poſt tot confeſſiones ad vomitum rediiſſe. Multa quidem alia è Conciliis afferri poſſent, A ſed ſatis ſit in Concilio VII. Generali (quod maxima ex parte Græcorum fuit) *act.* 7. Symbolum legi cum additione (*Filioque*) & quamvis Græci in Concilio Florentino *ſeſſ.* 5. & 7. reclamaverint, obiicientes in codicibus ſuis illam vocem (*Filioque*) non haberi: Latini tamen protulerunt exemplar antiquiſſimum, ubi nullum erat corruptionis veſtigium: ubi vox (*Filioque*) uti ipſi ajebant, habebatur, & vicerunt.

VIII. Succedunt modo Patres, & quidem ſi agamus de Latinis, qui ante ſchiſma Græcorum exortum claruerunt, cujuſmodi ſunt: Tertullianus SS. Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Leo, Fulgentius, Gregorius, B & alii, exploratum eſt ab his proceſſionem Spiritus Sancti à Filio aſtrui; præſtat autem Græcos ex Græcis Patribus revincere. At quia multi ſunt, hìc, ubi exempli gratia eos proferimus, unum aut alterum ſelectiorem producemus.

IX. S. Athanaſius in Symbolo apertè ait: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Ad quod reſponderi nequit, niſi Symbolum non eſſe Athanaſii: quod tùm ex aliis, tum ex Gregorio Nazianzeno *in oratione de laudibus S. Athanaſii* facilè confutatur: vel reſponderi poteſt ea verba (*& Filio*) à Latinis addita fuiſſe, quod planè commentitium eſt, cum in Græcis ſymbolis legatur; C præterquam quod in Concilio Toletano IV. *Cap.* 1. ante ſchiſma celebrato recitatur confeſſio cum his verbis (*& Filio*) ferè ad verbum ex Athanaſio deſumpta, ſed & ipſe Athanaſius in aliis locis idem aſtruxit.

X. S. Baſilius, quem Græci aliis omnibus ferè anteponunt *Lib.* 3. *contra Eunomium* ſub initium ſic ait: *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate, & ordine tertius eſt Spiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? dignitate namque ipſum ſecundum à Filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & omninò ab illa cauſſa dependeat, pietatis ratio tradit: natura verò tertium, uti neque ex Sacris Scripturis didicimus, nec ex prædictis colligere poſſibile eſt.*

XI. Hìc palam Baſilius ait: *Cum ab ipſo* D (ſcilicet Filio) *eſſe habeat, & omninò ab ea cauſa dependeat* (per cauſam Græci principium intelligunt) locus illuſtris eſt, quem Græci in Concilio Florentino *ſeſſ.* 20. corruptum eſſe dixerunt, nec haberi in omnibus, ſed in quibuſdam Græcis codicibus: Latini tamen reſponderunt, Græcum textum potius eſſe corruptum, & exhibuerunt codicem antiquiſſimum, ante annos 600. ſcriptum, ubi erant ea omnia verba, quæ ex Baſilio retulimus. Hæc de Patribus ex quibus paucos ſelegimus.

XII. Quod ad rationes ſpectat, potiſſima omnium rationum eſt, qua utitur S. Thomas: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo, hoc autem eſt contra fidem; tunc enim non eſſet E Trinitas, igitur procedit à Filio. Ratio hæc à S. Thoma mirificè expenditur: neque noſtra indiget explanatione, poſſunt aliæ quoque rationes annotari, ſed ea, quam ſumpſimus efficaciſſima eſt.

XIII. Quod ergo in hoc fidei articulo præſtitimus, in ipſo ſtudiorum curſu à Theologis noſtris exerceri poterit, & ad curriculi finem ſe armatos, & ad Miſſiones comparatos invenient, ac eo brevi tempore, quod illis, ut ſe ad Miſſiones proximas accingant, aſſignabitur, communes locos à ſe elaboratos, facili negotio locupletare, & linguarum peritiæ vacare poterunt.

XIV. Quod ſi eis nimium laborioſum videatur, in ipſo ſtudiorum excurſu communes locos, eo modo imperfecto, à Scriptura, F Conciliis, Patribus, rationibuſque digerere: ex iis ſaltem, quæ S. Thomas in Summa docet, eos diſponere, non eſt uſque adeo operoſum, ut excuſationem prætexere valeant.

CAPUT XII.

Animi affectus quoad doctrinam ad Miſſiones requiſitus.

I. EX iis, quæ è doctrinæ apparatu depromſimus, nonnulli, qui tot, ac tantas opes comparare ſe poſſe vix credunt, deiici poſſent, quaſi nihil, niſi à peritiſſimis in re grandi attentandum ſit. Verum meminerint, Dei opera non eſſe ad virium G humanarum lineam exigenda: multa enim grandia fides inconcuſſa, & inſignis ſanctitas obtinere ſolent; tametſi ſumma eruditio deſit. Non enim ex antiquis tantum exemplis, quæ memoria excidunt, ſed ex hiſtoriis quoque hujus ætatis, ſive Indicis, ſive Septentrionalibus patet, mediocrem doctrinam inſigni cum pietate conjunctam, clariores, quàm doctrinam inſignem, cum pietate mediocri connexam, fidei victorias retuliſſe.

Ethnicorum & Maometanorum ruditas notata.

II. Et quidem ſi cum Ethnicis, vel Mahometanis agendum ſit, mirum eſt, quam facilè rudes homines, ac barbari revincantur, ſi ad rationes perpendendas veniatur; vix enim ſine riſu eorum vel quæſtiones, H vel reſponſa excipi poſſunt; ut tum aliorum, tum B. P. Xaverii cum Japoniæ Sapientibus congreſſus oſtendunt.

III. Si vero cum Hæreticis confligendum ſit, exceptis paucis hominibus verborum venditoribus, & ad fidem obduratis, quorum reſipiſcentia propemodum deſperanda eſt, reliqua turba nullis doctrinæ munimentis ſepta, ſolius appetitus explendi cupidiſſima, vitæ ſanctitate, ac rationum Catho-

lica-

licarum ſuavitate flectetur: cum enim argumenta neſciat, & malitiæ dolis non præventa, veras virtutes attemperataſque ſuo captui rationes improbare, ſyndereſi urgente, nequeat, neceſſe eſt tandem emolliatur, ac Dei virtutem efficaciſſimam ſentiat.

CAPUT XIII.

Mores ad Miſſiones requiſiti.

I. NON ſatisfuerit virtutibus internis, doctrinaque inſtructos eſſe, qui Miſſionum opus Apoſtolicum moliuntur; ſi mores ad infidelium conſuetudinem opportuni deſint. Cernere quippe licet nonnullos egregia ſanctitate, ac litteratura præditos, ob naturæ tamen vitium, vel educationis errorem inſuaves, ac hominum convictui ineptos, quod alios ab eorum familiaritate longe divertit. Quapropter & in moribus excolendis hac in parte, multum operæ ponendum eſt, ut in prædicando Jeſu Chriſto, cujus mores ſuaviſſimi ſunt, noſtri Fratres idonei fiant.

II. Primum ergo, Apoſtolico more orbem univerſum, omniaque nationum diſcrimina animo complectantur: omnibuſque Gentibus, ubi apud eos verſabuntur, & verbis & actibus (quantum Chriſtiana Religio fert) congruere curent. Mos enim hic conſentiendi proculdubiò placet, eoſque ſenſim ad ineundam familiaritatem ſermonemque permulcet. Hinc efficitur, ut neque verbis, neque nutibus ſe à natione ulla abhorrere prudenter indicare poſſint; nihil enim aliud agerent, quam quod inſipientes Confeſſarii committunt, cum inter audiendas confitentium culpas horroris ſigna exhibent: eo enim ipſo à Sacramento afflictos, & rubore ſuffuſos abſterrent. Poſtquam enim Chriſtianæ modeſtiæ ſuavitate infideles allicere cœperint, in eorum animos hilaritate, & comitate multa ſe inſinuare, ſemperque cum iis humaniter agere aſſueſcant.

III. Quoties verò ad certamen de Religione ventum fuerit, verbis contumelioſis, aut convitiis, aut irriſionibus prorſus abſtineant: ſed errorum deformitatem, ita demonſtrent, ut affectum bonum erga perſonas numquam exuere videantur. Si quid inter licitos infidelium ritus legi naturali conſentaneum inveniant, vehementer laudent: ut res ipſas ex earum natura, ſeu vitio probare, nullaque paſſione excœcari videantur: ſic enim patientius, aut certe libentius audientur, quæ prædicandi Chriſti janua eſt.

IV. De ſempiterna felicitate (juxta fidei doctrinam) ſæpe cum infidelibus verba faciant, ut eos ad virtutes colendas alliciant, è contrario etiam, de cruciatibus damnatorum crebrò agant, ut ſpe mercedis, vel pœnæ motu, qui amoris divini nondum compotes ſunt, a peccatis ſe contineant. Inopes, ægros, in vincula conjectos, & quoſvis homines ab aliis derelictos frequenter viſitent, erudiant & ſolentur, caveantque ne principum, aut divitum conſuetudinem affectare, cæteros non ita curare videantur. Quoties apud infideles hoſpitati fuerint, eſca, potu, lecto, aliiſque neceſſariis temperanter admodum utantur, ac modeſtiſſimè ſe gerant. Denique ubicumque fuerint Chriſti odorem exhalent, ut mites, humiles, caſti, concordes, non ambitioſi, non elati, non rerum caducarum cupidi, ſed in æterna bona ſemper erecti ſint. Hoc enim modo Evangelii ſalutem, non tantum vivæ vocis oraculo docebunt; ſed quod fortius eſt, vivæ operationis exemplo aliorum animis ingenerabunt.

PARS SECUNDA.

De modo perſuadendi Myſteria Fidei.

CAPUT I.

Religionis delectus infidelibus perſuadendus.

I. NIhil eximium ſine conſilio, ac delectu, ab homine cujus eſt, ex deliberatione agere, attentandum eſt. Cauſa vero rectæ fidei (qua nulla ſublimior) ab iis qui veritatem nondum perveſtigarunt, vel acceptam reſpuerunt (cujuſmodi ſunt quotquot extra Eccleſiam vagantur) maturius quam aliæ quantumvis graves, agenda eſt. Quapropter qui de iis ad verum Dei cultum perducendis cogitat, veritatis Catholicæ fundamenta ita perſpecta habere debet, ut in methodum brevem redacta tueri, ac perſuadere valeat. Principio ergo inter quoſvis infideles conveniat neceſſe eſt, ab uno rerum conditore, qui præ aliis creaturis hominem lege regit, unam dumtaxat Religionem inſpirari debuiſſe. Neque enim credi poteſt, ab uno Deo, unaque ſempiterna & immobili veritate, opinionum, ſectarumve diſcrimina originem duxiſſe, quod in hunc modum aſtruimus.

Babylonica linguarum confuſio, unde?

II. Linguarum diverſitas è Babylonis turre orta, non divinæ inſpirationis, ſed irati Dei argumentum fuit: erat quippe antea genus hominum linguæ unius vinculo innexum, & infenſo Deo in varios ſermones diſſipatum eſt. Quanto ergo divinæ ultionis manifeſtior index erit, non verborum, ſed ſententiarum, ac ipſius imprimis fidei diſcrimen? Cum enim animorum in unum verum Dei cultum conſenſio eſt, verborum diſcrepantia parum officere poteſt: è contrario vero, tametſi verborum conſpiratio mira ſit, ubi animus minimè conſentit, bellum ſpecie pacis eleganter pictum, & in cauſa fidei præſentiſſimum venenum eſt. Patebit amplius aſſertum hoc, ſi antiquas Phi-

Scrip. An. 1605.

Philoſophorum ſectas de vera hominis felicitate enormiter ſentientes recordemur; tantò quippe infelicius errarunt, quantò in opiniones plures præcipitando abierunt: una enim hominis beatitudo una fide credi debuit, quam illi omnes ad unum ignorarunt, neque ſine Chriſti luce noſſe potuerunt.

III. Verùm è reipſa rationis momenta perpendamus. Neminem quippe rationis uſura pollentem latere poteſt, quicquid in ſcholis controvertitur (nulla vel Natione, vel Religione, vel Academia totius orbis excepta) ita diſputari, ut univerſi ſapientes in hoc unum aſſertum conſpirent, unam dumtaxat inter multiplices de re una ſententias veram eſſe. Etſi enim veritas illa una plerumque lateat, & proinde patere nequeat, quænam è tot ſententiis vera ſit: quod ad rem tamen ipſam ſpectat, unam tantum veritati rei, quæ una eſt congruere oportet. Nam quod ſententiæ multæ una de re probabiles ſint, exiguus hominum captus eſt, qui veritatem unam non attingunt. Ea enim inventa, ſententiarum diverſitas evaneſceret. Sic igitur quicquid ſectarii prætexant, præter unam Religionem, cæteras omnes falſas eſſe proculdubiò fatendum eſt.

Ignorantiæ hominum effectus.

IV. Cum ergo in comperto ſit, ex hominum ignoratione diverſarum opinionum monſtra prodire; ubi cauſa Religionis graviſſima pertractanda eſt, illud inprimis monendum videtur, ut rei tantæ delectus habeatur; delectus inquam, qui Religionem unam ſumma Dei majeſtate dignam, & ab eo apertis notis, ſeu ſignis oſtenſam, deceat. Quod enim ad res alias exercendas tuta ſalute diversè opinari liceat, ad hanc unam de vero Dei cultu traduci minimè poteſt. In rebus quippe Philoſophicis de loco, tempore, motu: & in moralibus de adoleſcentiæ educatione: & in Politicis de adminiſtrando regno ſine ſalutis æternæ diſcrimine multifariam ſentire fas eſt. Non enim eæ res ſunt, quarum informis cognitio ad hominis felicitatem comparandam neceſſaria ſit; præterquam quod exitus boni bonas, licet varias, opiniones oſtendunt. At verò in vera veri numinis Religione ſeligenda, varia ſenſa non licet admittere, neceſſe quippe eſt, quod ad veram Religionem non attinet, ad ſuperſtitioſum Dæmonis cultum pertinere. Neque in hoc genere ulla excuſatio prætendi poteſt, poſtquam Deus illuſtribus notis, apertiſque ſignis orbe toto Religionem ab ipſo inſpiratam evulgavit. Quapropter fixum, ac ſatis per ſe rationi conſentaneum eſt, omnes Religionis illius exortes vera felicitate carituros.

V. Quamvis ergo Catholicus quiſque ſummas pro ſe Deo grates agere debeat, quod in re ſumma non per opinionum ambages adductus, ſed firmiſſimum, ac ſynceriſſimum fidei aſſenſum nactus ſit. Quoad infideles, ſive Ethnicos, ſive Mahumetanos, ſive Judæos, ſive Hæreticos attinet, ita ſe gerere debet, ac ſi de Religione deligenda deliberandum ſit. Re quippe vera, ſi veræ beatitudinis ii compotes eſſe velint, de vero Dei cultu amplectendo, & cogitent, & rationibus collatis deliberent, neceſſe ſit. Sic Elias divino ſpiritu afflatus idololatris acriter inſtitit: *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi Baal, ſequimini illum.* Et convictis hominibus verum Dei cultum perſuaſit. Sic etiam Catholici partes ſunt, de fide Catholica perſuadenda ſeriò cogitare, rationumque agmen inſtruere, quibus ad flectendos animos opportunè, ſuaviter ac efficaciter utatur.

3.Reg.18.21.

CAPUT II.

Modus in congreſſibns ſervandus, & rationes lumini naturæ conſentaneæ primum producendæ.

I. POſtquam ratione conſtitutum eſt, Catholicum oratoris more cum infidelibus acturum, illud imprimis caveat neceſſe eſt, ne videatur à ritu proprio violenter, hoc eſt, nimis vehementer Gentem abducere velle, nihil enim aliud ageret, quam fidei viam per imprudentiam intercludere. Conſtat enim, Genti cuique ſuperſtitionem nativam vitio parentum, & aſtutia Dœmonis, tam altè adhæſiſſe, ut nefas cenſeat, de mutando ritu conſultare, nedum tam violenter evelli. Quamobrem Catholici prudentiam decet, inſinuatione aliqua è re nata, non quaſi arrepta, ſed tamquam oblata occaſione uti. Quod Apoſtolus cum Athenis ageret, mirificè docuit; ita quippe ſe geſſit, quaſi fortuito prædicandi Chriſti rationem iniiſſet: *præteriens enim*, ait, *& videns ſimulachra veſtra, inveni, & aram, in qua ſcripturam erat*, Ignoto Deo, *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, &c.

Act. 17.23.

II. Præteriens, inquit, quaſi non prudens ſubſtitiſſet, aliudque moliretur, quam Athenienſium reſipiſcentiam, cujus gratia eo migraverat. Inſinuationis autem vim eleganter oſtentat modus ille dicendi: *Inveni aram, in qua ſcriptum erat*, Ignoto Deo, *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. Quaſi planius diceret: Habetis aram, cum inſcriptione mira, quæ prætereuntes retardat, & ad ſolvendum ænigma facit intentos; Si ergo inter multorum reſponſa de *ignoto* illo *Deo*, & meum audire libet: proculdubiò Deus ille ignotus non eſt alius, quam quem ego fauſto nuntio Athenis infero.

Ibid.

III. Ratio vero inſinuationis hujus Apoſtolicæ non aliunde, quam à principio ſuperius indicato petenda eſt. Nihil enim per apertam vim, ſive altercationem ab hominibus erroris nativi tenacibus extorqueri valet. Potiſſima quippe præda ſub prædicationis initium ingenii docilitas eſt, quæ per intempeſtivum impetum parari nequit. Navanda igitur opera eſt, ut inter Catholicum & infidelem genus quoddam amicitiæ ſuaviter

Scrip. An. 1605.

viter ineatur, quod ex duobus quæ decimotertio capite primæ partis tradidimus efficietur, uno quod ad virtutis cultum, altero quod ad modum ſermonis attinet. Virtutum ſcilicet cultura, & mores ſuaves, & amabiles parit, quos gens nulla quantumvis fera non probet. Avari enim, iracundi, luxurioſi, liberales, mites, caſtos admirantur, & odiſſe nequeunt, cum quod illi affectant, hi reſpuant, & proinde nihil diſcordiæ ulla de re inter utroſque oboriri poſſit. Sic ſanè à Catholica Religione diſſident, interim dum nihil eis contra votum obiicitur, cum nihil in Catholicis, niſi ſpeciem virtutis, quæ humanæ naturæ congruit, aſpiciant, licet in turpiſſima vitia provoluti, & capientur, & libenter cum hominibus jam ſibi gratis, ſine ſuſpicione colloquentur, quæ fructuoſæ prædicationis janua eſt. Quod autem ad modum ſermonis pertinet, ſic agendum eſt, ut verba cum ea, quam proximè diximus, vitæ probitate conſentiant. Sint lenia, & ſuavia, & proinde ab omni contumeliæ, aut convitii ſpecie longè remota. Quibus duobus actionum, verborumque incitamentis efficacius, citiuſque, quam importuna eruditione, acribuſque congreſſibus, colla quamvis erecta leni Chriſti diſciplinæ ſubjugantur. Propter hoc, qui ſine Chriſtianæ manſuetudinis ac humilitatis libramento de Miſſionibus cogitant, & argumentorum multa millia recenſent, neque ſibi neque aliis emolumento ſunt, & timendum, ne per elationem, & ſe, & alios præcipites agant.

Verborum lenitas, & ſuavitas Miſſionariis commendata.

CAPUT III.

Religionis Chriſtianæ delectus, ac ſectarum repulſa ratione una perſuadetur.

I. EXplorato jam Catholici prædicatoris officio, quod ad perſuaſionem cum vitæ integritate, ac ſermonis ſuavitate dirigitur, ſic agendum eſt. Ad univerſum genus infidelium pervincendum, eæ potiſſimum rationes ad congreſſus primos producendæ ſunt, quæ naturæ lumini congruentes ſint. Cum enim homines eſſe non deſierint, licet naturam culpis teterrimis deformaverint; iis rationibus pareant neceſſe eſt, quas à naturali univerſorum hominum ingenio cernunt eſſe deductas.

II. Rationes autem hujuſmodi multiplices ſunt, quas propriis in ſedibus, & quaſi communibus locis diſponere, ut inde pro eventuum occaſione promantur Catholici officii eſt. Nihil enim Eccleſia docet, quantumvis naturæ lumen excedat, quod credi debere per congruentes naturæ rationes non poſſit oſtendi, ut per ſingula demonſtrare conabimur. Verum tertio capiti huic ratio una debetur, quam lux naturæ ſponte ſua producit, quæ ad quoſvis infideles revincendos efficaciſſima eſt, & ad eum divini cultus delectum, quem capite primo propoſuimus, apprimè conducit: quam exprimimus hoc pronuntiato.

III. Cum ab uno rerum Opifice Deo lex & fides una tradi debuerint, qua ejus Divinitas, & Majeſtas coleretur (ut capite primo demonſtravimus) vel ipſo naturalis rationis ductu palam efficitur, inter univerſas orbis terrarum leges, ſectas, vel Inſtitutiones, eam unam hominibus à Deo inſpiratam fuiſſe, quæ omnium virtutum cultum, & vitiorum omnium interdictionem, ſine ulla corruptela complectitur.

Lex a Deo inſpirata quæ?

IV. Aſſertio hæc de Religione à Deo inſpirata duo ponit, quæ ſedatè ponderanda ſunt; nimirum Religionem unam eſſe, & omnibus numeris ſanctam eſſe debere. Primum capite primo ſuperius probatum eò confert, ut nemo ſibi blandiatur, de Religione quam profitetur, ſi ea una non ſit, quæ Dei majeſtatem non deceat, quaſi ſuo quiſque ritu felicitatem comparare valeat. Si enim illa una ex Deo inſpirata non ſit, ejus cultores in æternum interire neceſſe eſt, & cum vera Religio non ſit, omnes, quotquot in orbe univerſo recenſentur, præter unam illam ſuperſtitioſas cæremonias, & Dœmonum inventa eſſe oportet.

V. Jam igitur, ut quænam ſit una illa, & vera Religio pateat, nulla certior nota, quàm ſyncera, & abſoluta ſanctitas, quæ in verarum ac omnium virtutum cultura, & univerſorum vitiorum expulſione conſiſtit. Aut enim Deus homines conſilio regit, aut ſecus, ſecundum hoc planè ſtultiſſimum eſt; ſi enim orbes cæleſtes, & elementorum mixtiones, ac infirmæ quævis creaturæ ipſis terræ viſceribus abſtruſæ, à prudentiſſimo Deo, miris modis variiſque curantur; quis credat genus humanum haberi neglectui, aut fortuitò ſuccedere, cum divinæ ſapientiæ capax ſit, & cæteris creaturis, quæ conſilio adminiſtrantur, præſit.

Veræ Religionis certior nota, quæ?

VI. Si ergo Deus hominum curam gerit, id præſertim providerit neceſſe eſt, quod ad ſuam ipſius gloriam, plurimum conducit, & ad hominum ipſorum felicitatem, inter omnia beneficia ſummoperè neceſſarium eſt, cujuſmodi eſt vera Religio, quæ omnem pietatem amplectitur, ac omnem impietatem abjurat. Hæc quippe Religio Deo planè digna eſt: & aut nullam Deus umquam hominibus inſpiravit (quod inſaniſſimum dictu eſt) aut eam certè, cui nihil ad cultum, Deo debitum deſit, neque enim homini alicui cordato in mentem venire poteſt, infinitam Dei ſanctitatem imperfectè honorari, & non omnem pietatem à ſuis cultoribus exigere, vel aliquid impietatis admittere velle; nulla quippe ratione cum infinita ſanctitate, vel minima culpæ licentia cohærere poteſt.

Vera Religio quæ?

VII. Jam igitur, qui hujuſmodi Religionem internoverit, eo ſanè ipſo, & reliquas omnes falſas eſſe, & in ea una ſempiternam ſalutem conſtare poſſe, neceſſariò perſpiciet, unaque Religionis ejus exacta cogitatione, cæteras omnes Religionis nomine

Scrip. An. 1605. ne celebratas refellet. Hanc verò eſſe Chriſtianam Religionem, non larvatam, vel ſimulatam, qualem Hæretici ſibi perſuadent, ſed integram, & ſynceram, qualem Catholica Romanaque Eccleſia ſemper coluit, licet ex iis, quæ per ſingula capita poſtmodum A aſtruenda ſunt, perſpici queat, in hoc tamen quaſi totius tractationis veſtibulo breviter, per rationes alibi copioſius differendas, hîc dumtaxat attactas oſtendemus.

VIII. Tria ſunt, à quibus Religionis perfectio, & ſanctitas probari poteſt, Author ſcilicet, ipſa Religionis præſcripta, & ipſius Religionis cultores. Author, ſi Sanctus, & ſapiens ſit: præſcripta, ſi adeo ſancta, ut nihil non purum admittant: cultores, ſi vitæ probitate, ac ſapientia præſtent. Auctor Religionis Chriſtianæ tam univerſis infidelibus notus eſt, ut à nemine in dubium revocetur; ſanctitas, & ſapientia divina, qua mundum illuſtravit proximo capitulo ex profeſſo penſitanda, & probanda eſt, cum ſedem ibi propriam habeat.

B IX. Præſcripta, ſeu præcepta Chriſtianæ Religionis tam pura, & Dei ſanctitate digna ſunt, ut omnium virtutum actus à ſuis cultoribus exigant, & ne leviſſimam quidem cogitationem Deo, vel proximis infeſtam probent: quin potius non modo non probant, verum adeo directè reprobant, ut & homines agreſtes, ac ſimplices mulierculæ norint, conſcientiam ab iis cogitationibus, & Sacramento Pœnitentiæ, & ſacris aliis remediis à Chriſto paratis expiandam. Quid ergo deſideretur, ut Religio Chriſtiana nive candidor non aſſeratur, quando minimos animi motus extra virtutum clauſtra exultantes coerceri, aut non coerciros Eccleſiaſticis judiciis puniri jubet? quænam ſuſpicio de Religione tam incorrupta ſuboriri queat, ſi quidem levioris C ambitionis, aut avaritiæ non ſolum actus, ſed cogitationes interdicit? Profectò ſi hæc ratio pro meritis expendatur, liquebit, omnes alias infidelium doctrinas (licet aliquid fortaſſe honeſtum nonnullæ ex iis prætendere videantur) cum lege Chriſti comparatas, & ſordidas, & Religionis nomine indignas eſſe. Sola quippe *lex Domini* (quam Pſaltes divinus celebravit) Pſ. 18. 8. 10. *immaculata*, & candore ſuo *convertens animas*, ſolum *teſtimonium Domini fidele*, *ſapientiam præſtans parvulis*, ſola *judicia Domini vera*, *juſtificata in ſemetipſa*. Tam cæleſti quippe puritate nitent, ut, qui ea introſpicit, convictus fateatur Religionis veræ præſcripta eſſe, neque veritatis ejus teſtes extrinſecus exquiri oportere.

D IX. Partes juſtitiæ in Deum, proximoſque diſtrictè præſcribit, virtutumque Theologicarum, & moralium actus omnes præcipit; ut nihil in eo genere viro Catholico poſſit addi, quaſi ejus Religio aliquo animi perficiendi inſtrumento careat. Neque verò rationem hanc, à ſyncero cultu virtutum, & excluſione vitiorum depromptam infinitus prope Chriſtianorum flagitioſorum numerus, & rara Chriſtianæ perfectionis obſervatio enervat; hoc enim argumento nihil ipſi Religioni decerpitur, ſed lugendum tantummodo ſpectaculum proponitur, paucos ſcilicet è Religione Chriſtiana, ex aliis verò ſectis nullos ad veram E ſempiternamque ſalutem pervenire. At enim tertium caput, à quo Catholicæ Religionis veritas eluceſcit, à cultoribus petitum latiſſime patet: habet enim tot aſſertores, quot viri clariſſimi ex omni terrarum orbis natione, vel ſummas divitias contempſerunt, vel voluptates ac honores aſpernati ſunt, vel mortem quoque pro Chriſto appetiverunt. Conſtat enim hiſtoriis vulgatiſſimis ex Aſia, Africa, & præſertim ex univerſa Europa viros ſapientia laudatiſſimos propemodum innumeros, pro Religione Chriſtiana ex ditiſſimis inopes, ex honoratiſſimis abiectos uſque ad mundi ſtuporem evaſiſſe; quod ſanè cum vera ſapientia, qua inſigniter claruerunt, cohærere non poſſet, niſi unam Religionis Chriſtianæ F culturam, omnibus mundi totius bonis, & doctrinis anteponendam eſſe cenſerent. Si ergo illuſtriſſima Orbis pars in hanc Religionem cum aliarum abjuratione conſpiravit; vera proculdubiò eſt, aut nihil in Orbe toto, niſi dementia prævaluit. Rejecta igitur in ſedes proprias horum trium capitum (quæ leviter attigimus expenſione, caput hoc uno pronuntiato claudamus. Aut Deus nullam Religionem hominibus inſpiravit (quod dictu turpiſſimum eſt) aut unam Catholicam Religionem inſpiravit (quod certè veriſſimum eſt) nunc vero ab authore tanto Religionis veritatem perpendere aggrediamur.

CAPUT IV.

G *Aſſeritur à Scriptura Sacra Chriſti divinitas, ac proinde Religionis Chriſtianæ veritas.*

I. SI rem ab origine propria ducere velimus, nihil homini Chriſtiano publicè, ſeu privatim cum infidelibus congredienti prius occurrit, quam ipſius Chriſti prædicatio, à quo Religio vera nomen ſortita eſt. Etſi enim ſummæ Trinitatis myſterium omnium ſupremum ac primum ſit, quod, ad infideles tamen ſpectat, non primo loco obtrudendum eſt, ne tantæ celſitudinis impatientes, prius incipiant delirare, quàm audire. Ipſo vero Chriſti nomine, quod orbe toto celeberrimum eſt, qui apud infideles qualicumque ingenio pollent, H tanguntur, ut non ægrè ferant, vulgatiſſimi nominis ſenſum ediſcere, & ad primum ferè congreſſum, Catholicus prudens Chriſti ſuaviter prædicandi anſam arripere poteſt.

II. Primum ergo quod vir Chriſtianus conari debet, aſſertio divinitatis Chriſti eſt: qua poſita, & Trinitatis, & Euchariſtiæ, & totius fidei myſteria perſuadebit. Aſ-

Tertio verò hæc certè graviſſima, nonnullis Sacræ Scripturæ teſtimonis ſtabilienda eſt; quæ ſine impudentia negari nequeunt: quamvis enim conſilium noſtrum ſit, non loca Scripturæ, quæ non ab omnibus infidelibus admittuntur, ſed rationes quas probabiles eſſe omnes perſpiciant, hoc tractatu contexere: propter gravitatem hujus aſſertionis primæ, quæ cæterarum omnium origo eſt, loca nonnulla producemus. Non enim leve eſt, apud quoſvis etiam infideles, ſacrarum litterarum ignaros, Chriſti divinitatem multis antiquiſſimis vaticiniis prædictam, & à ſanctiſſimis ac ſapientiſſimis viris novi Teſtamenti propter ea vaticinia, & cognitam, & cultam fuiſſe: loca ergo pauca, & ſelecta proferemus.

Num. 21. 5. 6.

III. Hujuſmodi eſt locus. *Loquutus eſt* (inquit Moyſes) *populus contra Dominum, & Moyſen, & ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto*, &c. *quamobrem Dominus immiſit in populum ignitos ſerpentes*, &c. Hìc omnium etiam Hæreticorum conſenſu, agitur de vero, & ſummo Deo, quem Judæi ſoli noverant. At Paulus ait, illum ipſum Deum eſſe Chriſtum: *Neque tentemus*, inquit, *Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt;* Chriſtus ergo ex Apoſtoli ſententia, eſt ille verus Deus, quem Judæi tentarunt.

1. *Cor.* 10. 9.

Pſal. 96. 8. *Pſ.* 101. 26. 27.

IV. Locus etiam ille ſatis apertus eſt. *Adorate eum omnes Angeli ejus*, & ille Pſ. 101. *Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli; ipſi peribunt, tu autem permanes* &c. At Paulus utrumque locum de Chriſto interpretatur *Hebr.* 1. ubi illum probat eſſe Angelis majorem, quia *Pſ.* 96. Angeli jubentur Chriſtum adorare. & *Pſ.* 101. Chriſtus dicitur cæli, & terræ creator, quod Angelis nullo modo congruere poteſt: ergo ex Pauli ſententia Chriſtus eſt verus Deus.

Iſai. 40. 3.

V. Locus deinde ille planiſſimus eſt: *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Hæc palam de Deo vero extulit Iſaias. At vocem hanc eſſe Joannem Baptiſtam, qui viam paravit Chriſto, omnes Evangeliſtæ teſtantur. *Matth.* 3. *Mar.* 1. *Luc.* 3. *Joan.* 1. Ergo omnes Evangeliſtæ ſenſerunt Chriſtum eſſe Deum verum, cui rectæ ſunt factæ ſemitæ in ſolitudine.

Iſai. 45. 23. 24.

Rom. 14. 11.

VI. Locus præterea. Illuſtriſſimus eſt: *Ego Deus, & non eſt alius; in memetipſo juravi, quia mihi curvabitur omne genu.* Hìc luce meridiana clarius eſt, verum Deum loquentem induci: At Paulus ea verba diſertiſſimè Chriſto tribuit Rom. 14. *Omnes*, inquit, *ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim; Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Ergo ex Apoſtoli ſententia Chriſtus eſt ille Deus, præter quem non eſt alius Deus. At Scripturæ Sacræ teſtimonia Chriſti divinitatem aſtruentia, & plurima, & efficaciſſima ſunt: verum quia (uti diximus) Inſtitutum nobis eſt, non Hæreticorum tantum, ſed omnium à Chriſto exulantium reſipiſcentiam moliri, per eas potiſſimum rationes procedere, quas intellectus, quilibet, quantumvis ferus, modò naturæ lumen non deponat, percipere valeat, caput hoc uno aſſerto, hæreticis potiſſimum infeſto claudemus. Cum Chriſtus (ut à Scriptura Sacra probatum eſt) ſit verus Deus, & à ſolo vero Deo vera Religio inſpirari potuerit, efficitur, ut Catholica Religio, quæ propriè Chriſtiana eſt, & Chriſto quaſi vero Deo, ſyncerum latriæ cultum affert, ſit vera ſolaque Religio.

CAPUT V.

Rationibus aſſeritur Chriſti Divinitas.

I. POſitum, quod rationibus aſſerere aggredimur, hoc eſt: Jeſus Chriſtus verus eſt Deus. Et primum quidem ab ipſo ejus ortu humano generi fauſtiſſimo rerum ſeries repetenda eſt. Signis enim divinitatis apertè claruit. Vulgatum quippe fuit, Angelorum agmen pacis nuntium in terram delapſum, & paſtores de re admonitos, feſtinos in ſtabulum accurriſſe; quod omnes regum creatorum natales, & rei novitate, & ſignorum magnitudine excelluit: aliquid ergo regum magnitudine altius cæleſtes nuntios celebraſſe fatendum eſt. Et profectò, ſi Angeli ſe miniſtros exhibuerunt, aliquid Angelica natura ſublimius hominibus denuntiarunt; Angelorum verò agminibus Deus ſolus natura excelſior eſt: Deum ergo nuntiarunt.

Angeli in Natali Chriſti pacis nuntii.

II. At infideles hìc fortaſſe ſubſiſtent, ac dicent, licet è cælo delapſi fuerint Angeli, potiſſima orbis pars, optimates ſcilicet, aut reges, quorum conſilia ad rem tantam diſcernendam opportuniora hominibus videntur, evocati non ſunt. Verum ſi qua apud homines prudentiæ pars eſt, ex eo præſertim capite, in ipſis incunabulis, Chriſti divinitas aſtruitur; poſt paucos enim à natali dies, tres ab Oriente Reges, potentia clari, ſed ſapientia, quam potentia clariores, inaudito novitatis genere ſtellæ nimirum ductu, Regem ſe meliorem adoraturi in ſtabulum pervenerunt.

Stella Magorum ductrix.

III. Qua in re plane inſolita multa concurrunt, quæ niſi vero Deo tribuenda non ſunt. Quis enim ſtellam ſplendidiſſimam creare, aut creatam rationali motu, quo vellet impellere poſſet, niſi Deus? Aut ſi res hæc tam apertè divina, præſtigioſa videatur, ubi tantorum virorum prudentia fuit, qui per mediam Jeroſolymam novi Regis ortum invidioſum evulgarunt? Et quicquid de Propheticis prædictionibus, quæ à Legiſperitis aſſertæ ſunt, dicendum ſit, quid de ſtella iterum apparente, quid de acceſſu in ſtabulum, & adoratione, ac munerum oblatione dici poſſit? profectò, aut homines hi dementes fuerunt, ſine ullo temporali emolumento, tot laboribus & periculis obnoxii, & contra regium faſtum,

ad

Scrip. An. 1605.

ad pedes Infantuli recens nati provoluti: aut aliquid ibi regia dignitate ſua grandius cognovere. Admittere autem viros ſapientiæ ſtudio deditiſſimos, dementes fuiſſe turpiſſimum eſt. Si verò ſapienter egerunt, ſigno cæleſti obedientes; unum è tribus aſſeverandum videtur, vel eos adoraſſe terrenum Regem ſe majorem, quod plane non conſonat, ut ſtabulum, inopiaque convincunt: A vel adoraſſe Angelum, cum quo effigies humana non cohæret: vel Deum carne humana conveſtitum, quod Catholicæ fidei aſſertum eſt.

Herodis inſana crudelitas, ut Chriſtum necaret.

IV. Hæc in ipſa Chriſti Dei noſtri infantia tam publice geſta ſunt, ut à nemine ignorari potuerint. Prolata ſunt enim à legis doctoribus teſtimonia in urbe præclariſſima, & celeberrima Ieruſalem, quæ tota, unà cum impio Herode obſtupuit: pauloque poſt Herodes furens in Bethlehemiticorum infantium cædem exarſit; ut Regem (ſi poſſet) à Magis adoratum extingueret; quamvis fruſtra inſanivit. Quis ergo aperte divinam hîc potentiam non adoret, quæ reges alios ſibi ſubdit, alios incaſſum obluctantes eludit? Verum quæ ab infantia uſque ad prædicationis initium B Chriſtus geſſit, non ſine divino conſilio reticeri voluit, paucis exceptis, quæ ab Evangeliſtis narrantur: quibus tamen prætermiſſis, ex miraculorum initio ad rationes alias divinitatis Chriſti aſſertrices gradum faciamus.

CAPUT VI.

Rationibus à miraculis petitis, aſſeritur Chriſti Divinitas.

Primum Chriſti miraculum.

I. EVangelio ipſo conſignatum eſt, primum Chriſti magiſterium exercentis miraculum, in Cana oppido Gallileæ; ubi ſex hydrias lapideas, deficiente nuptiis vino, aqua juſſit impleri, quam in vinum C convertit: quod miniſtris ſtupentibus ira *Ioann. 2.* perſpectum fuit, ut nihil ibi præſtigiarum, ſed ſolam vim divinam ſuſpicari potuerint. Neque vinum tantummodo vi divina homini- *Ioann. 6.* bus Chriſtus propinavit, ſed panem, obſoniumque porrexit, cum in deſerto, multis hominum millibus, duorum piſcium, & quinque panium fragmenta, dum ea impertiebatur, miraculosè aucta diſtribuit.

II. Non verò victum tantummodo, ſed ſanitatem ægrotis, ac debilibus plurimis palam contulit; ita ut nihil ei obiici potuerit, quod turbas ab eo diverteret. Tanta quippe ſignorum divinitatis evidentia, omnem invidentiæ oppugnationem longè ſuperabat; quid enim obiici poſſent, cum *Ioann. 9.* cœcum à nativitate luti linimento illuſtra- D vit; niſi lutum ad oculos potius excœcandos, quam ad viſum reſtituendum aptius eſſe? At hoc divinæ virtutis argumentum eſt, non remediis naturalibus, aut naturæ congruentibus adſtringi; ſed præter, ſupravè naturam in ſalutis humanæ uſum convertere, quæ officere naturæ ſolent. Sed cum Chriſti miracula quam plurima fuerint, quod ex ipſo Evangelii textu eluceſcit, non hîc tam expendimus miraculorum numerum, quam modum. Exiguo quippe negotio, rationes à miraculis productæ poſſent elidi, oppoſitis aliorum virorum miraculis, quos deos non fuiſſe conſtat.

III. Modus ergo præſertim obſervandus eſt; quamvis enim, & Apoſtoli, & Patres E alii ad hanc uſque tempeſtatem miracula patraverint, nemo tamen umquam divino modo, qui propriam virtutem oſtenderet, id præſtitit. Nam & Apoſtolorum Princeps, quo nullus miraculoſior extitit, cum ejus umbra ſanitatem reſtitueret, cum ad ſpecioſam templi portam reſidentem claudum perſanavit; *In nomine*, inquit, *Jeſu Chriſti* *Act. 3. 6.* *Nazareni ſurge, & ambula:* populoque præ miraculi evidentia, ultra quam dici poſſit, attonito, illius miraculi authorem Chriſtum expoſuit, in hæc verba: *Quid admiramini,* *Ibid. v. 12.* *aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute fecerimus hunc ambulare?* &c.

IV. Doctrinam verò hanc, & fidem Petri, omnes quotquot vera miracula operati ſunt, firmiſſimè tenuerunt, quod fuſis precibus, adhibitiſque interdum jejuniis, & F ſacrificio teſtati ſunt. Chriſtus verò licet aliquando ad Inſtitutionem noſtram Patrem ſuum æternum oraret, non tamen oratione indiguit, quod vel ſubjectis exemplis evincitur.

V. Sæviente mari, diſcipuli Chriſtum dormientem excitant, urgentque, *Salua* *Matt. 8. 25.* *nos, perimus*; ipſeque ſtatim procellam compeſcit, illo certè dominatu, quo *increpuit* olim *mare rubrum, & exſiccatum eſt.* Ubi *Pſal. 105. 9.* quis non diſcernat hunc imperandi modum, & ſentiat mare à Creatore ſuo increpitum quieviſſe?

VI. Quod ſi hoc minimè ab infidelibus capitur, quid de modo illo leproſum curandi reſpondeant? accedit æger, & pre- G catur: *Domine, ſi vis, potes me mundare;* *Matt. 8. 3.* reſpondet Chriſtus, *volo mundare.* Quis unquam præter verum Deum ſic imperavit? aut cui, niſi eidem Deo natura ſic paruit? Idem planè poſſemus expendere in cœco illo ſecus viam Hierichuntis; dedit quippe Chriſtus optionem, *quid tibi vis faciam?* *Luc. 18. 41.* & poſtulato viſu ſubjecit: *reſpice.* Profectò *42.* modus hic, non virtutem emendicatam, ſed propriam, & divinam oſtentat.

VII. At ne quis virtutem præſentis tantum vitæ finibus circumſcribat, quid de ſuſcitato filio viduæ Naim aſſeri poſſit? Jubet ſubſiſtere funeris portitores, imperatque: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Sanè verba hæc *Luc. 7. 14.* Chriſti tartaro, & morti dominantis potentiam facilè demonſtrant.

VIII. Verum quid Lazari ſuſcitatione H grandius? Profectò verba illa: *Lazare veni* *Ioan. 11. 43.* *foras*, tartarum totum concuſſerunt, & Judæos, qui aderant, ſtupore inſolito ſuſpenderunt. Quippe res non in angulo domus geſta, & clauſa eſt, ſed ſuſcitati Lazari ſpe-

Scripta An. 1605.

ſpectaculum, plurimos è Jeroſolyma videndi hominis avidiſſimos excivit, & ex eo miraculo Chriſti major fama percrebuit. Quis enim non accurreret, Chriſtum inferno, & morti imperantem ſpectaturus?

Monſtra in morte Chriſti operata.

IX. Denique jam cruci affixus, ut generis humani ſalutem ultronea morte pararet, ne quis ex imbecillitate, illum mori cogitaret, cælum terramque commovit. Sol quippe obſcuratus, terra motibus concuſſa, petræ ſciſſæ, velum templi diſruptum, ſepulchra aperta, & mundi totius machina quaſi diſſoluta Chriſti conditoris ſui interitum ſenſit. Neque verò defuit, qui portenta obſtupeſcens Chriſtum Dei Filium acclamaret, ſicut ſcriptum eſt Matth. 27. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes* Jeſum, *viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Vere Filius Dei erat iſte.*

A

Matt. 27. 54.

X. In hunc ſanè ſcopum Chriſtus miracula collimaverat, ut Dei Filius crederetur, & proptera eum modum adhibuit, qui divinitatem argueret; at enim quia infideles infeliciter excœcati divinæ virtutis opera magicis cantationibus aſſignare, vel hiſtoriam negare conſueverunt, commenta hæc enormia depellamus.

B

CAPUT VII.

Veritas miraculorum Chriſti rationibus aſſeritur.

I. E Duobus, quæ adverſus Chriſti miracula excipi ab infidelibus poſſunt, primum eſt, non fuiſſe vera miracula, ſed apparentia. Sed profectò vitium hoc ex nullo capite, niſi ex culpa graviſſima Chriſti impingi poteſt: conſtat enim eò miracula direxiſſe, ut Deus crederetur, & Religionem Chriſtianam conderet; quæ ſi falſis miraculis ambivit, ſanè flagitioſiſſimus fuit. At nullum peccatum umquam, multòque minus tantum nefas, Divinitatem falſis miraculis ambiendi commiſit, quod ſic evincimus.

C

Judæorum invidia in Chriſtum.

II. Vulgatiſſimum eſt, Hieroſolymorum primores invidentiæ ſtimulis in Chriſtum vehementer agitatos fuiſſe, neque ullum famoſa res ambiendi locum relinquit: ipſeque Romanus præſes novit (ut è ſacro textu patet) Chriſtum à Judæis per invidiam accuſatum. Cum autem viri, & genere, & dignitate ſacerdotali, aut pontificia illuſtres eſſent; vel ob ipſum ſæculi honorem, quo impenſiſſimè delectabantur, operam dediſſe credendum eſt, ut juſtis de cauſis Chriſtum ad necem poſtulare viderentur. Hæc enim humanæ prudentiæ laus eſt: proptereaque mille dolos ordiri, feſta ſabbathorum violata obiicere, ac Divinitatis ambitorem dictitare, aliaque ſimilia prætexere non deſtiterunt, quouſque ad Pilatum res delata eſt.

D

III. Verumtamen quam ineptas rationes allegarint, vel eo patere poteſt, quod Chriſtus ipſe, uno aut altero verbo, illos ſæpe convicit, ac mœſtos abire coegit, ut cum mulierem in adulterio deprehenſam, Chriſto in terra ſcribente, rubore ſuffuſi liberam reliquerunt, & cum Chriſtus ipſe copiam accuſandi eis fecit, per illa verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nihil enim umquam obiicere potuerunt, quod culpæ rationem haberet, quamvis id accuratiſſimè conarentur.

Ioann. 8.

Ibid. v. 46.

E

Judæorum prava mens in Chriſtum.

IV. Quidquid enim adverſus Chriſtum cogitarunt (ut ex Evangelii textu perſpicitur) aut hominum peccatorum familiaritas, aut ægrotorum curatio ſabbathis, ut ajebant, vetita fuit; at verò è duobus his patere poteſt, quid homines illi flagitioſi egiſſent, ſi culpas veras, tametſi leves in Chriſti actibus exploraſſent: manifeſtum eſt quippe peccatores ad reſipiſcentiam familiariter, ac leniter alloqui, infirmoſque miraculosè curare, miſericordiæ opera Deo acceptiſſima eſſe; quorum alterum ſemper Deo gratum, alterum verò feſtis, quam aliis diebus Deo glorioſius eſſe; cum homines iis diebus ad res divinas meditandas, ſe ſtudioſius comparare ſoleant; præterquam quod, quis non videat miracula manifeſta diebus feſtis vetita dicere, quaſi opera ſervilia forent, extremæ dementiæ argumentum eſſe.

F

V. At boni viri illi, cum ad Pilatum Chriſti cauſam devolvere cogitaſſent, arrogantiam divinitatis inter alia mendacia plurima obiecerunt: de qua calumnia refellenda, quemadmodum, & de aliis nihil eſt cur nos agamus: Pilatus enim accuſatoribus vehementer inſtantibus, ſcilicet principibus Sacerdotum, & turbis ſic reſpondet: *Nihil invenio cauſæ in hoc homine:* & poſtquam apud Herodem conſtanter eum accuſaverant, & nihil obtinuerant, iterum Pilatus principibus, magiſtratibus, & plebi ſic graviter dicit: *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum, & ecce coram vobis interrogans, cauſam nullam invenio in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis.* Si ergo judex perpenſis omnibus de quibus accuſabatur Chiſtus, nihil reprehenſione dignum invenit: neceſſariò dicendum eſt, Chriſtum innocentem fuiſſe: ſi autem innocens fuit, proculdubiò non fuit præſtigiator, & injuſtus Divinitatis affectator, ſed vera miracula patravit, & verum Deum ſe eſſe, veris ſignis oſtendit.

Luc. 23. 4.

Ibid. v. 14.

G

VI. Et quidem uxor Pilati, quamvis imperfecta cognitione ſenſit hoc, cum ſic eum admonuit: *Nihil tibi, & juſto illi:* & multi poſtquam in Cruce animam efflavit, eum juſtum acclamarunt, quos ejus hoſtes fuiſſe compertum eſt. Juſtitia quippe Chriſti adeo teſtata fuit, ut ejus hoſtes eam ferre non poſſent, ſed coacti eam celebrarent; è quo numero fuit infelix Judas cum dixit: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Si ergo ea fuit Chriſti innocentia, quæ confeſſionem ab inimicis capitalibus extorquere potuit, profectò credibile non eſt, eum

Matt. 27. 19.

H

Matt. 27. 4.

falſa

Scrip. An. 1604.

falſa miracula finxiſſe, & Divinitatem immaniſſimo ſacrilegio affectaſſe, ſed potius vera ſigna prodidiſſe, & ſe verum Deum demonſtraſſe.

VII. At infideles inſtabunt: quomodo ergo Chriſtus à Pilato neci traditus fuit? verùm reſponſio in promptu eſt: inſtitit enim
A
quo ad potuit, ſæpe inculcans, *quid enim*
Luc. 23. 16. 22.
mali fecit? Ego nullam cauſam invenio: emendatum ergo illum dimittam, & ejuſmodi alia. Cum verò furentem populum ad Chriſti liberationem non poſſet inflectere, optionem dedit, an Barrabam latronem, ſeditioſum, & homicidam, an verò Chriſtum, qui alicuius ſceleris coargui non potuerat, juxta conſuetudinem Judæis ſolemnem, feſto die dimitti vellent, ſperans proculdubiò neminem quamtumvis protervum fore, qui vel atrocitate ſcelerum Barrabæ convictus, Chriſtum liberari non mallet. Sed cum neque id obtinuiſſet, & ei fuiſſet à populo ſucclamatum:
Ioan. 19. 12.
Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, Dei timorem, ac propriæ conſcientiæ teſtimonium
B
Cæſaris amicitiæ poſthabuit, & populi improbitati ſuccubuit: quod neque novum, neque mirum eſt; paſſim quippe provinciarum præſides, urbiumque prætores principum mortalium potius, quàm immortalis Dei benevolentiam captant. Hæc omnia, quæ pro miraculis, & innocentia Chriſti aſſerenda prompſimus, textus Evangelii expreſſe habet: quæ (ſi eis, ſaltem velut aliis hiſtoriis veris, etſi non ſacris fides habeatur) facile animos infidelium ad pietatem inducent: nihilque eis ſupereſſe videtur, niſi ut negent Hiſtoriæ Sacræ veritatem, quod eſt ſecundum impietatis genus, è duobus, quæ ab infidelibus nobis opponi poſſe ultimis ſexti capitis verbis aſſeruimus.
C
Propterea nunc elidendum eſt.

CAPUT VIII.

Veritas Scripturæ Sacræ, ac Traditionum rationibus aſſertitur.

I. Nihil memoriæ proditum eſt ex iis, quæ Nationes univerſæ à ſuis majoribus acceperunt, quod vel ſcripto conſignatum, vel traditione propagatum non
Traditio quid
ſit. Traditionum autem nomine Eccleſiaſtico more, doctrinam ſine ſcripto poſteris majoribus traditam intelligimus; ſine ſcripto ſcilicet authoris primi, nam à poſteris litteris mandatam eſſe nihil obſtat. Hoc ergo poſito, aut fides hominum omnis de
D
medio tollenda eſt, aut Scripturæ Chriſtianæ ab infidelibus per eaſdem rationes, quibus propria monumenta credunt, fides commodanda eſt. Si enim regnorum ſuorum annales vera referre credunt, cur Evangelium, cui nihil deeſt, quod ad fidem faciendam ab hominibus etiam Ethnicis exquiri poſſit, vera referre non ſentiant?

II. Si quis à cujuslibet ſectæ viro doctiſſimo ſciſcitetur, quomodo fidem adhibeat ſcriptis hiſtoriis, quas lectitat, de primis ſectæ conditoribus? nihil prudentius reſpondere poterit, quam res fide dignas eſſe: & ſi urgeatur, quo pacto fide dignas credat, res, quæ aliter, quàm ſcriptæ ſunt, evenire potuerunt: neque enim ante mille annos rebus interfuit? Reſpondebit ſanè ſe
E
non fuiſſe primum rerum judicem conſtitutum ſed ſcripturas à majoribus, quos exiſtimat rectè judicaſſe traditas jure venerari: alioquin enim oporteret nullam in rebus humanis fidei rationem haberi, & inſaniæ genus eſſet, nolle niſi quis cernat, vera putare.

III. Si ergo reſponſa hæc hominis ſapientis
Hiſtoria Evangelica fide digniſſima.
intellectum in aliis hiſtoriis non difficulter ſedant: cur in Evangelica hiſtoria fide digniſſima, & à majoribus noſtris, idoneis tantæ ſcripturæ judicibus accepta, hominis infidelis intellectus non ſedatur? ut quemadmodum Mahometanus, exempli gratia, Alcorani ſcripta iis rationibus convictus vera credit, ita per eaſdem rationes, quæ Hiſtorici noſtri, hoc eſt Evangeliſtæ tradunt, vera opinetur.
F

IV. Sed hoc Scriptores noſtri, cum aliarum ſectarum Scriptoribus comparati, tantò fide digniores, quantò ſanctiores ſunt. Nullus enim umquam Scriptor, vel Hiſtoricus Chriſti expers, tantumdem claritatis à ſanctitate paravit, quantum Canonici Scriptores noſtri, quorum præclariſſima geſta, & miracula (è quibus nonnulla ad hunc uſque diem extant) eos Dei amicos, & veraces fuiſſe planè convincunt.

V. Et profectò rationi conſentaneum eſt, ut quemadmodum nos aliarum ſectarum hiſtorias plerumque veras credimus, & eiſdem ad ſectarios revincendos utimur (ex multis enim exempli gratia Alcorani ſcriptis ſectæ illius turpitudinem, & ex hiſto-
G
ria Lutheri (ut alias reticeamus) demen-
Lutherus ex ſcriptis ſuis dementiæ redargutus.
tiam hominis redarguimus) ſic infideles, quæ ab hiſtoricis noſtris traduntur, vera fateantur, & ſi valent nos arguant, vel ſuccumbant.

VI. Accedit, quod Sacrarum Scripturarum dignitas, & puritas ea eſt, quæ à re ipſa protervos etiam domare poſſit, ut nimirum invictiſſimæ veritatis, quæ omnes tartari, & mundi oppugnationes depulit. Conſtat enim (quod de ſcripturis aliarum ſectarum non æque verum eſt) innumeris dolis, & importunis modis Scripturam Sacram ab infidelibus fuiſſe infeſtatam, & ſemper incorruptam ad hunc diem permanſiſſe.

VII. Quid, quod antiquiſſima ipſorum
H
quoque Scriptorum Canonicorum exemplaria, & alia inde deſcripta, in locupletiſſimis Chriſtianorum bibliothecis aſſeruantur, cum quibus ea, quæ paſſim hac ætate poſtrema cuduntur ſyncerè cohærent? Et ſanè, quod mirum eſt, è tribus orbis terrarum partibus Patres perantiqui, qui inter ſe non ſalutarunt, diverſarum linguarum exemplaria nacti, adeo per omnia in Scriptu-

Scrip. An. 1605.

pturarum allegatione conſentiunt, ut aut credendum ſit, veras Scripturas noſtras eſſe, aut nulla fides hominum ſcriptis adhiberi poſſit.

A

Traditiones divinæ ejuſdem roboris, ac ſcriptura.

VIII. Verùm nonnulla, quæ ab Authoribus ſcripto prodita non ſunt, fideliſſima traditione ad nos uſque perlata, non aliter colenda ſunt, quàm ſi ſcripto digeſta fuiſſent. Verbum quippe Dei non eſt tale, nec vero eam authoritatem habet, quia in membrana ſcriptum eſt, ſed quia à Deo profertur. Quaptopter Traditiones divinæ eamdem vim habent, quam divina Scripta, ſive divina doctrina in Evangelio ſcripta. Similiter Apoſtolicæ traditiones non ſcriptæ eamdem vim habent, quam Apoſtolicæ traditiones ſcriptæ, ut in Concilio Trident. aſſer. 4. aſſertum eſt. Hinc efficitur, ut ex traditione, vel ad fidem Catholicam pertinente, cujuſmodi eſt, quæ habetur de perpetua Beatiſſimæ Virginis puritate ſeu virginitate, vel ad mores, cujuſmodi ſunt jejunia, feſta, ſignum Crucis, &c. multa à nobis eo prorſus modo credantur, aut fiant, quò crederentur, aut efficerentur, ſi diſertæ ſcripta fuiſſent.

B

Athenienſium leges notatæ.

Lacedæmoniorum leges non ſcriptæ.

IX. Quod quàm ſit rationi conſonum (ut rationem à Traditionibus Judæorum prætereamus) ex moribus omnium Rerumpublicarum elici poteſt. Omnes enim Reſpublicæ profanæ magna ex parte, legibus non ſcriptis reguntur. Pericles certè apud Thucydidem partitur jus Athenarum in ſcriptum, & non ſcriptum: & Lacedæmoniis nullam legem ſcriptam (aſſertore Plutarcho) Lycurgus dare voluit, ſed ſolis traditionibus vivere, ut eſſent agendo, quàm in legendo diligentiores.

C

Lib. 1. de conſen. Ev. cap. 7.

X. Nobiliſſimi quoque Philoſophorum Pythagoras, & Socrates, etſi plurima docuerunt, nihil tamen aſſertore Auguſtino ſcripto conſignarunt. Rationi ergo naturali quadrat, ut præter ſcriptas leges, traditionibus gubernemur, quas nemo jure improbare poſſit. Si enim Pythagoræ authoritas, ea hominibus viſa eſt, cui jure credendum eſſet ex iis, quæ non ipſe ſcripſit, ſed alii de eo retulerunt, cur authoritas Chriſti ea non videatur, cui ex iis, quæ non ipſe ſcripſit aut ſcribere juſſit, ſed alii ab eo tradita acceperunt fides habeatur? Ex iis ergo rationibus, quas hîc duobus capitibus produximus, patet Chriſti opera & miracula, vera Divinitatis ſigna fuiſſe, quod è ſeptimo capite liquet, Scripturamque Sacram vera referre, quod ex hoc capite octavo perſpicitur. Quamobrem & Chriſtum verum Deum eſſe, ac veram Religionem, ſcilicet Chriſtianam, qualem Sponſa ejus Eccleſia Romana colit, condidiſſe, proculdubiò aſſerendum eſt.

D

CAPUT IX.

Religionis Chriſtianæ veritas ex iis, quæ in ea inſunt, aſſeritur.

E

I. POſtquam ab authore Chriſtianæ Religionis veritatem aſtruximus, ab ipſa ejus intrinſeca perfectione, quod eſt ſecundum è tribus, quæ capite tertio propoſuimus, nunc aſſerenda eſt.

II. Et primum quidem, naturæ legem, quæ in aliis omnibus ſectis non exigua ex parte deformata videtur, ita obſervata, ut non ſolum vel uſurarios contractus, vel obſcœnitatem luxuriæ ullam, velut aliæ ſectæ, non ferat; ſed internos quoque motus rationi naturali quovis modo diſſentaneos, præſcriptis à Chriſto, & ejus ſponſa (Catholica ſcilicet Eccleſia) remediis expiet.

Religionis Chriſtianæ, ſectarumque diſcrimen.

III. Qua in re inter Chriſtianam Religionem & ſectas univerſas, inſigne diſcrimen perſpici poteſt. Sectæ quippe illæ ritibus externis, ac ſuperſtitioſis utuntur, qui nihil ſanctitatis internæ ac ſyncerae contineant: Religio verò Chriſtiana præter exactiſſimam internæ ſanctitatis curam, quam gerit, ipſas quoque cæremonias externas myſtico ſignificatu plenas, ad interiorem puritatem perficiendam uſurpat.

F

IV. Hinc efficitur, ut præter Sacramentum Pœnitentiæ, quo peccata delentur, & homines Deo reconciliantur, & Euchariſtiæ, quo divinæ puritati cæleſti modo conjunguntur, ſint alia ſacra, quibus peccatorum reliquiæ detergantur, cujuſmodi eſt, aqua luſtralis, generalis confeſſio, & ejuſmodi alia, quæ conſcientiam ſubinde repurgant, purgatamque ab inquinamento præſervant.

G

Evangelica conſilia, quæ?

V. Neque verò hîc Religio Chriſtiana ſubſiſtit, ſed ſaluberrimis conſiliis ab ipſo legiſlatore Chriſto datis utitur, cujuſmodi ſunt, abripienti tunicam pallium quoque permittere, alapam impingenti faciem ad iteratum ictum exponere, noviſſimo in loco ſedere, lenitate multa inimico eſurienti vel ſitienti miniſtrare, pedes proximorum eluere, aliaque plura, quibus amor hominum mutuus mirificè augetur, diſcordiæ via præcluditur, & pax homine digna ſancitur.

Inimicorum dilectio præcepta.

VI. Et profectò, licet Chriſtus nihil aliud in hoc genere præſcripſiſſet, niſi dilectionem inimicorum & beneficentiam, facilè diſpici poſſet præſcriptiones Authoris tam clementis, ac benigni cæleſtes eſſe. Quid autem ad rem hanc evincendam deſideretur, quandoquidem hominem jam ad aras ſacrificantem, ſi recordetur proximum ſibi infenſum eſſe, deſiſtere monet, ut reconciliatio præcedat ſacrificium? Enimvero præſcripta hæc cæleſtia eſſe neceſſe eſt.

H

VII. Quid autem de conſiliis ſtatus monaſtici dicemus? illuſtris quippe Chriſtianæ Religionis pars, trium votorum ſolemnium ſacrificio ſe Deo devovet, ut nihil

jam

jam curet, aut cogitet, quod Deo dignum non ſit. Profectò, quicquid de aliis votis infideles ſentiant, exploratum eſt, caſtimoniæ puritatem cæleſti candore nitere, & ab ipſis minimè coli, quod à ſordibus carnis abſtinere ſe poſſe deſperent. Intolerabilis quippe illis omnis temperantia eſt. Quid ergo de Religione Chriſtiana in hoc genere ſentient, cujus præclariſſima quædam pars virginibus & aliis caſtitatis cultoribus conſtat? nimirum Religionem divino favore auctam fateantur oportet.

Conatus majora, ac perfectiora patrandi in Religione Chriſtiana.

VIII. Non ſolum autem præceptorum, & conſiliorum obſervatio mira Chriſtianam Religionem illuſtrat; ſed indefeſſus quidam majora moliendi conatus: ut nihil excipi poſſit, quod ad veram ſanctitatem comparandam ſpectet, & à veris perfectiſque Chriſtianis non obſervetur. Huc ſpectat omnis virtutum univerſarum decor, vitiorum omnium extirpatio, levium etiam culparum fuga, paſſionum ſubjugatio, bonorum mundi, utilium, delectabilium, honorificorumque comtemptio, & perennis in bona ſempiterna, ipſumque imprimis Deum aſpiratio. Si ergo tot virtutum adminicula, tot adverſus vitia munimenta, tot humanæ fragilitatis remedia, tam cæleſte rerum divinarum ſtudium Religio Chriſtiana complectitur, omni dubio procul fatendum eſt, eam, & veram, & ſolam Religionem eſſe: ſed ad tertium, quod pro hac veritate confirmanda capite tertio propoſuimus, accedamus.

CAPUT X.

Religionis Chriſtianæ veritas ex ejus cultoribus aſſeritur.

Veræ Religionis nota præcipua.

I. PErſpicua veræ Religionis nota, cultorum ſanctitas, & ſapientia eſt; cum enim ex communi hominum conſenſione, vera virtus, & ſapientia cum Religione falſa conſtare non poſſint (quomodo enim vera virtus eſt, qua verus cultus Deo vero non affertur) efficitur certè, ut ſi Chriſtiani veris virtutibus, veraque ſapientia præditi ſint, vera Religione non careant.

II. Et primum quidem, antequam ad ſanctitatem, vel ſapientiam ſeorſim probandam accedamus, ab uno capite, quod virtutes omnes facile complectitur, argumentum proponamus, quo cultorum Chriſtianæ Religionis laus maxima conſtat.

Apoſtoli quales homines?

III. Primi ſane cultores, & meritis, & tempore Apoſtoli fuere, homines ſcilicet mites, inermes, humanæ literaturæ minime dediti, ut ex hoſtium quoque Chriſtianæ Religionis liquet confeſſione: & tamen Athenas, & Romam, cum totius mundi ſapientia, & fortitudine ſuperarunt, quod apud univerſas nationes teſtatiſſimum eſt. Imperium quippe Romanum totius orbis potentiſſimum (ut cætera ſileamus) Apoſtolorum Petri & Pauli virtuti ſuccubuit, & iis protectoribus gloriatur; quomodo ergo rudibus hominibus ſapientia mundi, & potentia ceſſit, niſi quia invictiſſima veritas ab illis prædicata rerum principatu potita eſt? Augetur tamen vehementer rationis pondus: quia virtute pauperum Chriſti cultorum florentiſſima mundi pars, abjurata opulentia, luxu, ambitione, in auſteram vitæ diſciplinam, & humilem Chriſti ſcholam convicta tranſivit: quod plane ſine Dei afflatu fieri non potuit.

IV. Quod verò ad ſanctitatem vitæ pertinet, ſive Apoſtolos, ſive eorum poſteros ſpectemus, nulla vel natio, vel ætas deſignari poterit; in qua Criſtiani aliqui vitæ ſanctimonia non claruerunt, quod hiſtoriis omnium gentium tam vulgatum eſt, ut ſupervacaneum videatur, exemplis uti: ratione tamen una rem demonſtremus.

Eccleſiæ uſus in ſanctificatione alicujus ſervi Dei.

V. Eccleſiæ mos Spiritus Sancti magiſterio dignus eſt, antequam aliquem in Sanctorum catalogum referat, exactiſſime diſquirere, qua vitæ ſanctitate ſplenduerit, quibus pro Deo laboribus perfunctus fuerit, quàm patienter, fortiter, leniter egerit. Et in hoc genere adeo rigidum de vitæ actibus periculum fit, ut ab iis, qui Eccleſiaſticæ ſapientiæ conſulti non ſunt, vix credi poſſit. Cum ergo tot utriuſque ſexus Sanctos, ejuſmodi examine probatos Eccleſia colat, aut nulla in rebus humanis fides eſt, aut credi oportet plurimos vera ſanctitate ſplenduiſſe.

Multa Sanctorum corpora incorruptione donata.

VI. Neque verò res ab hominibus ita examinatæ ſunt, ut divinum teſtimonium ſæpiſſimè non acceſſerit. Conſtat enim ad hanc uſque ætatem noſtram, multa Sanctorum corpora corruptionis expertia per multas annorum centurias perduraſſe; cujus certe rei nos teſtes oculati ſumus. Neque tamen incorruptio ſola corporum, ſed odor mirus, & impreſſa paſſionis Chriſti ſimulacra ſtupore digniſſima viſuntur, quæ niſi ab hominibus obſtinatis & inſanis, in præſtigias, vel aliud impoſturæ genus detorqueri non poſſunt. Quibus de rebus infideles judicium ferant, reſpondeantque an hujuſmodi ſigna ſanctitatem vitæ ſubſequentia, cum jam nihil humanæ laudis, poſt obitum captari valet, apud eos inveniantur? Nos enim (uti diximus) hac ipſa, qua ſcribimus hora, eis hujuſmodi ſigna, quibus Deus vitæ ſanctitatem teſtatam facit, oſtendere poſſemus.

Martyrum fortitudo notata.

VII. At conſpicuam Chriſtianorum ſanctitatem, quando univerſas nationes fama pervaſit, quid opus eſt cunctando celebrare? una dumtaxat minime ſilenda martyrum fortitudo rei fidem faceret, ſi quis infidelis animi pervicaciam exueret. Quippe quam latum paruit Romanum imperium, per annos plurimos ſub Nerone, Trajano, Domitiano, cæteriſque ſæviſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus, & Græcis, & Latinis, inaudita, & omni mundi potentia major, non modo virorum, ſed etiam puellarum nobiliſſimarum cum alta divitiarum, honorum,

rum, & voluptatum contemptione, fortitudo reſplenduit: neque tyrannorum crudelitas, & exquiſita ſuppliciorum genera conſtantiam labefactare, vel ſuaviſſimum Chriſti nomen, & amorem, ab ore ac imo corde extorquere valuerunt, qua in re laborioſius eſſet delectum habere, quam innumeras Martyrum glorias recenſere: præterquam quod martyriorum veſtigia teſtatiſſima, tum alibi, tum præſertim Romæ ſemper extantia omnem mendacii ſuſpicionem expungunt.

Religionis Chriſtianæ ſapientia notata.

VIII. Quid verò de Religionis Chriſtianæ ſapientia dicemus? quicquid enim univerſæ infidelium ſectæ in hoc genere poſſident, ſi cum Doctorum Chriſtianorum peritia conferatur, alta quædam ignoratio eſt. Exceptis enim paucis hæreſiarchis, qui ut ambitioſè ſuos errores propugnarent, in ſtudia pertinaciter incubuerunt, cæteri omnes hæretici vitæ luxui, quàm ſtudio litterarum intentiores, temeritate & garrulitate ſuam inſipientiam obtegunt. Alii verò infideles tantum abeſt ut aliquid ſciant, ut mille turpiſſimis contra naturale rationis lumen erroribus obcœcentur; quod Mahometani legiſperiti, & Indorum Brachmanes, Japoniæ ac Sinarum Bonzii (ut ex noviſſimis earum gentium patet hiſtoriis) ſatis deformiter oſtentant.

IX. Chriſtiani verò quamvis inculti, lumine fidei multa de Deo, ac felicitate, in quibus nobiles Philoſophi, vel hallucinati ſunt, vel graviter errarunt, brevius, faciliuſque cognoſcunt, quàm ſi in ſcholis infidelium diutiſſimè laboraſſent. Alii verò qui cultiores ſunt, ſive liberales artes, ſive linguarum peritiam, ſive naturalem Philoſophiam, ſive Metaphyſicam, ſive Juriſprudentiam, ſive moralem doctrinam, ſive divinam Theologiam ſpectemus, mirum dictu eſt, quam feliciter profecerint. Res tota eſt, quæ plurimos Græcos, Latinoſque Patres aſſertores habet; quorum ſapientiam ſcriptis ad nos uſque derivatam, minus operoſum eſt admirari, quàm exprimere.

Doctores Eccleſiæ notati.

X. Et quidem non ſolum Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Hieronymos, Auguſtinos, Ambroſios, Thomas, alioſque ſimiles in hoc agmine lectiſſimo recenſemus: numerari quippe vix poſſunt viri Chriſtiani, quorum ſinguli univerſas infidelium Academias, levibus certè congreſſibus everterent.

Catharinæ Alexandrinæ ſapientia.

XI. Neque tamen iis ſcientiarum generibus, quæ recenſuimus, aliiſque ſimilibus, quæ in gymnaſiis diſcuntur, ſapientia Chriſtiana definitur: ſubeſt enim alia, & excelſa, & arcana magis, quæ puris animis infunditur: qualem Alexandrina virgo Catharina cum Philoſophis quinquaginta, qui ad eam coarguendam convenerant, glorioſè congreſſa, luculenter oſtendit, quando miro ſpectaculo ii Chriſto nomen dedere, rationum virginis pondere convicti.

XII. Subeſt & alia ſapientia, infidelibus minimè aperienda, quam ex ſuaviſſimo Dei complexu, viri non pauci Chriſtiani feliciter hauriunt, quæ futuræ beatitudini finitima eſt, ad quam inſigni cordis puritate ac paſſionum victoria pervenitur. Si ergo veræ Religionis nota, cultorum ſapientia eſt, & in hoc genere Chriſtiani ſectariis omnibus longiſſimè antecellunt, ſine dubio aſſeverandum eſt, apud ſolos Chriſtianos Religionem veram reſidere. Et in hunc modum per capita præcedentia ab auctoris divinitate, ab intrinſeca Religionis perfectione, à ſanctitate, ſapientiaque cultorum, veritatem Chriſtianæ Religionis aſſeruimus.

CAPUT XI.

Aſſeritur rationibus myſterium Incarnationis.

I. POſtquam Religionis Chriſtianæ veritatem appoſitis rationibus perſuadendam oſtendimus: reliquum eſt, ut myſteria fidei, quæ infidelibus, & incredibilia, & captu difficillima videntur, rationibus, quoad fieri poteſt, leniamus.

II. Ponendum eſt autem, quod in Præfatione monuimus, nos propter divinam auctoritatem, non propter rationes, quas producere poſſumus, res tam ſublimes, & naturali lumini incognitas amplecti.

III. At iis, qui auctoritatem divinam neque cogitant, neque norunt, operæ prætium fuit, ſi rationes aliquæ illorum captui attemperatæ proponantur, quas intellectus judicet non eſſe reſpuendas.

IV. Sed ut ordini præcedentium capitum congruentem rationem ineamus, etſi ob dignitatem ſummam, de Trinitatis myſterio dicendum eſſet, quia tamen de Chriſti divinitate actum eſt, & ab infidelibus è veſtigio obiicitur nobis humana Chriſti natura, cum qua divinitas videtur eis non poſſe conſtare; de Incarnationis myſterio agemus, & eorumdem infidelium armis utemur.

Ethnicorum error.

V. Si enim, qui inter ethnicos ſapientiæ laude claruerunt, ut è Græcis Athenienſes, & è latinis Romani (ut alios innumeros prætereamus) crediderunt multos viros illuſtres in deos, ob facinora præclara, fuiſſe relatos; quod & turpiſſimum dictu eſt, & naturali rationis lumini planè repugnat; cur Deum hominem fieri poſſe tam pertinaciter negent?

VI. Vim autem hujus rationis expendamus. Nemo tam ferus eſſe poſſe videtur, qui ſi modo rem cogitare velit, non animadvertat hominem mortalem, nullis meritis divinitatem poſſe comparare. Cum enim divinitas naturaliter immortalis ſit, quin etiam ſit ipſa immortalitas, quomodo fieri poſſit, ut mortalis homo, in naturam mortis neſciam transformetur?

VII. Profectò, neque naturalis ratio, neque fides ſupernaturalis fert, ut in naturam divinam natura mortalis vertatur: nam quod Chriſtiani fatentur de immortalitate, ac divinæ naturæ conſortio obtinendo per gratiam, naturam minimè mutat, neque deos, ſed amicos Dei, homines ab eo, qui naturaliter Deus eſt, effici confirmat.

Scrip. An. 1605.

VIII. Et licet quidem non ſuppeteret ratio nuper allata, ſciſcitamur tamen ab infidelibus; dii ſui, quos in catalogum retulerunt, à quo immortalitatem ac divinitatem adepti ſunt? ſi enim antea dii non erant, neque propriis viribus, quæ inferiores ſunt, mortales homines divinitatem parare potuerunt, neceſſe profectò eſt, ut ab alio, qui potentior ſit, neque fuerit unquam mortalis, eam obtinuerint. Jam verò ſi ita res ſe habet, ut ratio convincit, ſolus ille naturaliter, ac verè Deus erit, illi autem homines numquam in deos, verum in Dei amicos aſſurgent.

IX. Quid, quod homines eos, & flagitioſos fuiſſe, ac proinde, ne apud alios quidem homines laude dignos eſſe, ipſorum ethnicorum ſcripta nimirum trita demonſtrant? & tamen homines impios poſſe fieri deos credendum eſt.

X. Cur ergo verus Deus, ſine ulla naturæ ſuæ mutatione, homo fieri, hoc eſt, naturam humanam aſſumere, ſibique conjungere non valeat: difficilius quippe eſt (politicè dicamus) plebejum hominem in regiam ſedem aſcendere, purpuraque veſtiri, quam regem plebei domum ingredi, ac veſte rudiore uti; imò illud apud homines paradoxum eſt, hoc verò nihil difficultatis, ſed humanitatis plurimum habet: ac plerumque reges in populorum gratiam veſte populari induuntur.

Deus natura ſua omnipotens.

XI. Ad rem igitur noſtram, cum Deus natura ſua omnipotens ſit, poteſt proculdubiò carne humana conveſtiri, & eam gerere, ac divinitate ſua in gratiam hominum, honore divino afficere. Et ſanè multa ſunt naturalia, & quotidiana, quæ in tantæ rei intellectum homines rudes inducere poſſunt.

XII. Agricolarum conſuetudo eſt, diverſi generis arbores inſitione ita conjungere, ut ſtipes unus naturalem ſibi ex naturali ramo, & aſcititium fructum ex inſito ſurculo, ramovè producat (hac ſimilitudine utuntur S. Thomas, & S. Bonaventura *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1.) cur ergo Deus perſonæ ſuæ quaſi radici ſeu ſtipiti uni, non poſſit naturam humanam inſerere, ſive unire, ut perſona una per divinam formam ſibi ab æterno naturalem, & per humanam ex tempore aſſumptam, fructum multiplicem ad hominum alimenta producat?

XIII. Quinimò, ut in ipſomet homine rei ſimilitudinem indicemus: quare ſicut anima rationalis carni infunditur, ut fiat homo, Deus ſeipſum carne, & anima ſubtiliorem utrique parti non poſſit infundere, ut ſit unus Chriſtus? hac enim ſimilitudine S. Athanaſius in ſymbolo uſus eſt.

Philoſ phorum aliquorum error.

XIV. Præterea, ſi Philoſophi non ignobiles, quorum error hodie apud ethnicos Japonios retinetur, animarum tranſmigrationem crediderunt; quare ſi anima hominis unius in corpus alterum corpore primo relicto ſe inſinuare poteſt, non poſſit Deus in corpus unum illabi, illudque cum anima divinæ hypoſtaſi unire? Jam ergo ſi res probabilis eſt, cum ex capitibus ſuperioribus conſtet, Chriſtum Deum verum eſſe, ac præterea inter homines natum, verſatum, ac paſſum fuiſſe, quod planè verum eſſe nequit, ſi homo non ſit; omnino aſſerendum eſt, eumdem Chriſtum verum Deum ſimul ac hominem eſſe: quæ myſterii Incarnationis perſuaſio eſt.

CAPUT XII.

De beatiſſimæ Virginis illibata integritate.

I. PArs quædam myſterii Incarnationis, quod expoſuimus, beatiſſimæ Virginis integritas eſt: quapropter infideles qui rationibus ſibi attemperatis ad fidem myſterii hujus adducuntur admonendi ſunt, ne quid ſordidum, ac Deo indignum de tam cæleſti puritate ſuſpicentur: ſed omnem turpitudinis imagines depellentes generationis puriſſimæ modum attendant: multa quippe in rerum natura cernuntur, quibus ad rei tantæ intellectum ſenſim induci poſſunt.

II. Et primum quidem nihil opponere valent, cur Deus omnipotens, ubi ei pro bonitate ac ſapientia ſua infinita videtur, rebus creatis uti nequeat, miris & arcanis modis, quos nos homines exigui captus minimè capiamus. Quamobrem ſicut Adamum primum hominem generis humani parentem è limo terræ, Evamque mulierem è viri Adæ coſta formavit (qui certè formandi modi à communi hominum generatione longè diverſi ſunt) ita & corpus Chriſti ſine humani ſeminis commixtione è puriſſimo Virginis ſanguine formare potuit: niſi ultrò inſaniant ajentes terram, & coſtam ſanguine ad corpus formandum aptiora eſſe.

Adæ, Evæque formatio.

III. Sic ergo Chriſti corpus (Beatiſſima Virgine vera ejus Genitrice ad conceptionem matris propriæ more concurrente) ſine ulla Virginei Clauſtri læſione conceptum, & poſt novem menſes, eadem Clauſtri perſtante integritate, foras proditum fuit; quod quamvis naturalem rationem excedat, ob tantæ prolis, ac matris dignitatem à Divina ſapientia fieri decuit.

IV. Neque verò à Majeſtate tanta facti rationem exigere, ſed rem à potentia illa patratam, potius venerari debemus: profecto duorum corporum penetratio, de qua Philoſophi non ſine anxietate diſputant, res captu noſtro altior eſt; at Chriſti geſtis adeo teſtata, ut à ſepulchro clauſo, & obſignato reſurgere, & ad diſcipulos janus clauſis ingredi voluerit, omnem ambiguitatem à noſtris animis depulſurus.

Chriſtus januis clauſis ad diſcipulos ingreſſus.

V. Verum ad rem captu difficillimam prudenter tradendam, infidelium animos divinæ potentiæ admonere oportet, ac per res intellectu faciliores in altiora pedetentim introducere: rudiores quippe ſimilitudines barbaris homninibus potius quam limatæ rationes prodeſſe ſolent. Sic enim (quod auditu jucundum eſt) cum apud occidencidentales Indos, hac ætate noſtra, ethnicus quidam difficultatem graviorem in Beatiſſimæ Virginis integritate, quam in aliis myſteriis pateretur; nec rationum multarum impulſibus moveri poſſet: Theologus quidam ſubitanea cogitatione, quæ tunc occurrit, opportunè uſus, ſimilitudine ſudoris è fronte ſine vulnere, vel apertione A erumpentis hominem illum ante protervum, non ſine ſtupore evicit. Viſum quippe eſt homini, ſicut è fronte non dirupta ſudor exit, ita è clauſo Virginis utero Chriſtum exire potuiſſe: quod quamvis non prorſus rei veritati quadret, aliud quippe laxatis poris naturaliter fit, aliud neque læſo, neque laxato Clauſtro Virginis miraculosè accidit, homini tamen ethnico ad fidem mirificè profuit.

VI. Potuiſſet certè Theologus ille, qui ſudoris meminit, aliarum rerum ſimilium meminiſſe: duriſſimi quippe lapides, qui natura denſi, & ſicci ſunt, flante Auſtro aqua perfunduntur, & quemdam velut ſudorem emittunt, neque propterea dehiſcunt. B Erit etiam ad rem ſimilitudo cryſtalli vel ſpeculi, acceptam lucem, quam intra ſe concipit partu quodam virgineo extra ſe fundentis: Deus quippe lux eſt, quam Virgo intra ſe conceptam mundo fudit.

VII. Sed ſi infidelibus ſemel perſuaſum fuerit, eum, qui è Virgine natus eſt, Deum eſſe, quod in ſuperioribus capitibus conati ſumus, ab ipſa naſcentis omnipotentia efficacius, quam à ſimilitudine ulla rei aſperitas lenietur: identidem quippe divinæ potentiæ infideles admonendi ſunt. Denique non erit præter rem, quamvis Scripturas Sacras non venerentur, inter rationes alias ad perſuadendum appoſitas, prædictionem antiquiſſimam intemeratæ virginitatis in medium proferre: cujuſmodi eſt il- C la Iſaiæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, &c. *Iſai. 7. 14.* infideles enim divinationi ſuperſtitiosè plurimum deferunt: fortaſſe igitur prophetiæ divinæ rationem habebunt.

CAPUT XIII.

Supremum Summæ Trinitatis myſterium utcunque rationibus exponitur.

I. SUpereſt, poſtquam myſterium Filii Virginis expoſuimus, ut myſterium Filii Dei, ac proinde divinarum perſonarum (quoad poſſumus) infidelibus explanemus; quod ſanè perquam difficile eſt. Etſi enim ea myſteria, quæ hucuſque tractavimus, impoſſibilia eis videantur; hoc tamen D omnium ſupremum eis, qui inter eos philoſophicè ſciunt, ipſi rationi naturali, & veri Dei unitati planè contrarium videtur: ipſoque naturalis Filii Dei ac ſummæ Trinitatis nomine terrentur, ſcandalumque patiuntur.

II. Propterea hìc, ſi uſpiam, & in Euchariſtiæ Sacramento (de quo capite proximo dicemus) Divinitatis Chriſti, quæ primum (uti diximus) perſuadenda eſt, monendi ſunt, quod in hunc modum fieri poterit. Ratio ipſa naturalis moralis, & politica dictat, cum vir quiſpiam nobilitate, ſapientia, & virtutum verarum laude inſignis loquitur; & ſi res minimè vulgatas, aut captu faciles aſſerat, à plebeis hominibus ei fidem præſtandam eſſe; tametſi res non explanet, E vel rationes ad perſuadendum producat. Omnem quippe, & urbanitatem, & fidem de medio auferre opus eſſet: genuſque impudentiæ foret, plebejum hominem à viro illo fide digniſſimo dictorum rationem exigere, quaſi nobilitas, ſapientia, virtutumque laus meritis parta non ſatis eum veracem arguerent.

III. Cum ergo univerſi homines cum Chriſto vero Deo comparati, quolibet homine plebeio, aut fero inferiores ſint; quis non videat, extremæ dementiæ proculdubiò eſſe, ei divina myſteria, præſertim quæ omnium altiſſima ſunt, prædicanti fidem non adhibere? Ipſe autem Trinitatis myſterium disertè docuit, tum alibi, tum quando baptiſmi formam expreſſit, F *Baptizantes*, inquit, *eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. *Matt.28.19.*

IV. Quid quod præclarè cum hominibus agitur, cum res ſublimiſſimas non obligantur inveſtigare, ſed credere? ſi enim vix unus è millibus naturæ legem intellectui hominis impreſſam ita dignoſcit, ut creberrimè altà ignoratione non laboret, quotus quiſque obſecro, ſalvus fieret, ſi celſitudinem rerum divinarum ratione diſquirendam, aut certè ſaltem percipiendam obſtringeretur? Sanè à laboribus, & operibus vitæ neceſſariis deſiſtendum, & ſoli ſtudio myſteriorum vacandum eſſet.

V. Præterea, qualis Deus foret (audiant infideles) qui de ſua majeſtate, ac divinitate G non revelaret myſteria, quæ univerſarum creaturarum captum excederent? Profectò Deus quidam eſſet, qualem Ethnici pinxerunt, cui ſe pares futuros mortales multi ſperarent.

VI. His ergo rationibus, & aliis ſimilibus, vir Chriſtianus uti debet, cum fidei myſteria, præſertim excelſiora perſuadere tentat. Verùm quo infideles aliquod rei tantæ veſtigium attingant, in ipſa hominis natura multa mira comtemplentur oportet.

Anima rationalis, in ea tres potentiæ.

VII. Communis Philoſophorum ſententia eſt, tres animæ rationalis potentias eſſe, nimirum, memoriam, intellectum, voluntatem: & præclari quoque Theologi ſentiunt, re ipſa cum anima unum, & idem eſſe; & tamen nemo eſt, qui eas à parte H rei (ut ſchola loquitur) non aſſerat eſſe mutuò diſtinctas, quamvis in ejus diſtinctionis modo aſſignando, ſint opinionum diſcrimina; ſi ergo tres animæ unius potentiæ inter ſe diſtinctæ idem cum anima una ſunt, cur non credatur, tres divinas perſonas inter ſe diſtinctas, idem cum eſſentia una divina, & proinde unum Deum eſſe?

VIII. Sed planius agamus. Oculi duo

(qui, & tres à Deo fieri poterant) unam potentiam viſus habent: cur ergo tres perſonæ divinæ potentiam, ſicut naturam, unam habere non credantur?

IX. Præterea, deſignatis è toto corpore tribus membris, puta capite, & duobus brachiis, anima hominis una, & indiviſa, A tota eſt in tribus iis membris, & tota in quolibet eorum, benè ergo concipi, & credi poteſt, unam divinam eſſentiam totam in tribus perſonis, & totam in ſingulis eſſe.

X. Multæ hujuſmodi ſimilitudines, ſeu veſtigia produci poſſunt, ab ipſa natura (ut patet ex Auguſtino *à libro 9. de Trinitate uſque ad* 15.) quæ apud homines non valde ſapientes rerum difficultatem leniet: nam apud Chriſtianos his rationibus opus non eſt; patet enim iis, utpote perſpicacioribus eas inefficaces eſſe: præterquam quod licet efficaces forent, eas minimè requirerent. Eò enim ſunt feliciores, quò minus rationi, & fidei magis innituntur. Quoties B autem rationes allatæ infidelibus proponuntur, admonendi ſunt, eum qualemcumque ſimilitudinis modum, ad intelligendam rerum ſublimitatem conducere; cæterum res, omni ſimilitudinum imperfectione ſecluſa, excelſiſſimas, & perfectiſſimas eſſe.

Deus ipſa felicitas.

XI. Denique ratio una ultimo loco reſervata, quæ Trinitatis myſterium credibile oſtendit, tradenda eſt. Neminem præterit Deum natura ſua perfectiſſimè felicem, imò ipſam felicitatem eſſe. Cum ergo ex communi hominum aſſerto, nulla jucunditas, nedum felicitas perfecta ſine ſocietate conſtare poſſit, neceſſe eſt in Deo aliquem ſocietatis, ſive conſortii modum ipſi naturalem eſſe, ne deſit jucunditas. Jam autem neque Angeli, neque homines eam ſocietatem, ſive conſortium naturale una cum C Deo componere poſſunt (multo enim minus universæ creaturæ, quam rationis expertia alia ad hominis ſocietatem faciunt) ſolum quippe ejuſdem naturæ conſortium ſocietatem conflat. Et quicquid aſſeratur de ſocietate divinæ charitatis, & gratiæ, quæ Angelos, & homines Deo conciliat: certè ante mundi creationem Deus ſolitarius extitiſſet. Ut ergo Deus non ſit ſolus, aut ſolitarius, neceſſe eſt, ut ejuſdem naturæ conſortes habeat, conſortes, inquam, qui naturæ divinæ unitatem minimè diſtinguant, ſed unus Deus tantummodo ſint, hoc autem ſola productione divinarum perſonarum conſtare poteſt: ita ut natura una divina per duos actus notionales, intellectus ſcilicet ac voluntatis communicetur: D neque enim alius communicationis modus intra Deum concipi poteſt. Natura igitur duobus modis, hoc eſt per generationem, & ſpirationem communicata, ſemper una & indiviſa in tribus perſonis manet: quod eſt altiſſimum Trinitatis myſterium. Ex iis, quæ prompſimus, patet, quo pacto infidelibus fidei detrahentibus, quaſi Chriſtiani tres Deos colant, reſpondendum ſit: ſi enim rudes homines capiunt, unam rationalem animam in tribus re ipſa diſtinctis membris eſſe, ſic unam divinitatem in tribus perſonis diſtinctis concipere poterunt. Si autem unam divinitatem concipiant, unum Deum fateantur neceſſe eſt; plures verò Deos nulla Philoſophorum ſchola æquè ac E Religio Chriſtiana deteſtata eſt. Ratio vero efficax ſubeſt: cum enim Deus infinitè bonus, ſapiens, potens eſſe debeat, impoſſibile prorſus eſt, plures eſſe Deos. Nam unicuique illorum deerit bonitas, ſapientia, potentia, qua Dii alii præſtare aſſerantur, ac proinde nullus ex iis infinitus, unde neque Deus erit.

Trinitatis myſteriũ quale?

CAPUT XIV.

Sacratiſſimum Euchariſtiæ myſterium utcumque rationibus exponitur.

I. SUccedit Euchariſtiæ myſterium, iis, quæ præmiſimus, difficultate ſimillimum; F ad cujus tractatum, quoties occaſio tulerit, infideles (ut capite proximo tradidimus) ad potentiam divinam mente ponderandam inducendi ſunt. Nihil enim præter eam potentiam efficax, vel humano captui coaptatum, ad hoc myſterium perſuadendum proferri poteſt.

II. Revocata igitur in animum divina potentia, quam proculdubiò ne cogitando quidem aſſequi poſſumus, idonea introductio erit, ſi Deo rem teſtanti credendum in re nobis altiore dicamus. Si enim humana ſapienta eò quandoque provecta eſt, ut auctoritate ſua intellectum aliorum hominum ſine rationis allegatione ſedaret: æquum erit, ut Jeſus Chriſtus verus Deus auctoritate ſola perſuadere poſſit, & ſapientia ipſa divina non ſit inferior quàm humana. G

III. Profecto, ſi ad intellectum ſedandum ſatisfuit toti ſcholæ Pythagoræ, rem quamlibet inter diſcipulos controverſam ab ipſo affirmatam fuiſſe; adeò, ut quæſtionum, difficultatumque ſolutio per hæc verba redderetur: *Ipſe dixit:* par erit dicente Chriſto: *Hoc eſt Corpus meum*, omnem intellectum ſuccumbere, ac rationibus oppoſitis reſpondere: *Chriſtus dixit*. Pythagoras quippe in rebus philoſophicis graviter erravit: Chriſtus verò cum Deus eſſet, errare minimè potuit.

Matt. 26. 26.

Deus expers erroris.

IV. Accedit ad hoc, quod viri orbis totius ſapientiſſimi Hebræi, Græci, Latini, cum quibus tota Pythagoræ ſchola neque numero, neque meritis comparari poteſt, H his tantum verbis convicti: *Hoc eſt corpus meum* &c. ſub accidentibus panis, & vini Chriſtum eſſe firmiſſimè crediderunt, & meritò.

V. Suffragatur enim ipſa naturalis ratio, fideique ſubſervit. Si enim quis rectè philoſophetur, tametſi ethnicus ſit, fateatur neceſſe eſt, primam rerum cauſam infinita potentia, ſapientiaque præſtare, ac quicquid

Scripta An. 1605.

quid velit, poſſe, neque ullo modo aſſerendum, ab ea cauſa prima aliquid effici nequire, niſi repugnantiam (quæ dicitur in ſcholis implicatio contradictionis) involvat. Jam verò nulla obſtat repugnantia, cur Deus, qui omnia creavit, non poſſit, rem unam in alteram, puta lapidem in lignum convertere; non illo tamen generationis modo, qui naturalis eſt, & paſſim A fit, ſed alio ſupra naturam mirabili, tota ſcilicet rei unius ſubſtantia in totam rei alterius ſubſtantiam verſa.

VI. Si verò nihil repugnat, & aliunde oraculum Dei expreſſum habemus, cum Chriſtus ait: *Hoc eſt corpus meum:* juxta innumerorum Patrum antiquiſſimorum conſenſionem, totam panis, vinique ſubſtantiam in ipſius Chriſti corpus, & ſanguinem verti, ſentiendum eſt.

VII. Quod verò ad corporis Chriſti quantitatem attinet, cum planè difficillimum ſit, neque ullam in rebus naturalibus ſimilitudinem aptam ad myſterii explanationem liceat invenire: eadem ratione, qua uſi ſumus in converſione perſuadenda, utendum eſt. Si enim teſtatur Deus, ſub accidentibus exiguæ quantitatis grandiorem B molem latere, niſi contraditionis implicatio palam obſtet, nullo modo dubitandum eſt. At ea contradictio minime obſtat: nam quoties rei aſſentia illæſa perſtat, liberum eſt Deo rerum conditori, accidentia nonnulla, quæ extra rei naturam vergunt, adimere, remque nihilo ſecius integram conſervare. Cum ergo quantitatis aſſentia non in ordine ad locum (ordo quippe hic accidens eſt) ſed in extenſione partium conſiſtat, poterit ſanè Deus corpus ingens, ac ſuis partibus integrum, & quoad ſe extenſum, per modum ſubſtantiæ ſub accidentibus quantitatis, quantumvis minimæ collocare. Porro res obſtruſa eſt, & infideles, tametſi nobiles Philoſophi ſint, in re hac anxiè laborabunt: non enim ethnicorum C philoſophia tam ſubtilis eſt, quæ ſine fidei lumine allatam de quantitate doctrinam ſatis percipiat. Verùm ad eam perſuaſionem divinæ ſapientiæ, aut bonitatis auxilium implorandum, & rationibus extrinſecis, ab authoritate ac ſapientum fide, à miraculis, & aliis ejuſmodi utendum eſt.

Chriſtus qualiter ſit in Euchariſtia?

CAPUT XV.

Reſurrectio rationibus aſtruitur.

I. EXploratum eſt, Reſurrectionis myſterium infidelibus creditu impoſſibile, ac irriſione dignum videri: ut ex prædicatione Apoſtoli Athenis patuit. Cum enim D Philoſophi Athenienſes à privatione ad habitum regreſſum non admitterent, fidei doctrinam irridebant; nec mirum, natura quippe altiùs ferri non potuit.

II. Opera ergo navanda eſt, ut infideles (ubi de hoc myſterio ſermo fiet) ad omnipotentiam Dei contemplandam excitentur; à nullo enim capite, niſi ab hoc efficax ratio ad veritatem perſuadendam duci poterit: ab hoc verò in hunc modum promenda eſt.

Duæ in homine partes, & quæ?

III. Duæ in homine ſunt partes; una immortalis, quæ eſt rationalis anima, cujus ſeparatio à corpore, eſt ipſa mors: altera mortalis, quæ eſt corpus corruptioni obnoxium, quod mox ac anima recedit in ca- E daver degenerat, ac deinde in terram reſolvitur. Nunc ergo reſpondeant infideles, cur Deus, qui cum hominem creavit, corpus è terra formavit, animamque corpori immortalem infudit, non poſſit eamdem animam permanentem, corpori ex eadem terra reformato conjungere?

IV. Quod enim ad animam ſpectat, nihil difficultatis prætendi poteſt: nam ſi eadem prorſus extat, cur in idem corpus refundi nequeat? quod verò ad corpus attinet: etſi altius natura ſit, Deo ſanè æquè facilè eſt, ac ſi primum ex limo terræ corpus effingeret: neque ratio ulla in re perſpicua opponi poſſe videtur: ſi enim poteſt homo vas ex multiplici materia contexere, in pulveremque redigere, ac ex iis pulveribus in eamdem formam reparare; poterit quoque Deus corpus hominis in terram re- F dactum ex eadem terra reformare.

V. Si autem Deum è cineribus corpus hominis reparare poſſe non ſatis intelligitur, corpus nondum corruptum anima revocata reſuſcitare poſſe non ſanè facilius, capietur. Etenim hoc ſecundo modo non ipſe Chriſtus tantum, ſed plurimi utriuſque ſexus ejus cultores corpora defuncta ſuſcitarunt: quod hiſtoriis veriſſimis adeo vulgatum eſt, ut ſine impudentia negari non poſſit. Primus verò modus reſurrectionis è pulveribus extremi diei, ubi judicium univerſale celebrabitur, proprius eſt. Similitudinem autem quamdam Reſurrectionis natura repræſentare ſolet. Crebro enim lignum aridum, quod arbore abſciſſum, ferè vegetatricem animam amiſerat, in terram G humentem depactum, vitam reſumit ac pullulaſcit; cujuſmodi res planè miras, in ſecretis naturæ multas inveniri compertum eſt: quibus ad infideles erudiendos uti plurimum refert.

CAPUT XVI.

Myſteria humanitatis Chriſti rationibus aſſeruntur.

I. DIfficiliora fidei myſteria primo loco proponere, ac rationibus utcumque lenire conſilium fuit; nunc verò cætera non ita difficilia expedire pergemus.

II. Et primo quidem jacto ſemel Incar- H nationis fundamento, poſtquam vir Chriſtianus modum, quo Deus homo fieri potuit, explanaverit, modico labore, totius vitæ, paſſionis ac mortis Chriſti myſteria perſuadebit.

III. Si enim creditum eſt, Deum immortalem

talem nihil ſuæ omnipotentiæ amittentem, corpus mortale aſſumpſiſſe; luculenter apparebit, eum omnipotentia ſua, quæ ſub corpore latebat, miracula plurima patrare, & corpore ſuo mortali laborare, pati, ac mori potuiſſe: quod totius vitæ Chriſti compendium eſt.

A

IV. Myſteria verò, quæ mortem ſubſecuta ſunt, ut Reſurrectio & aſcenſus in cælum planius oſtendentur: nam qui aliorum corpora ſuſcitavit, & ſuum excitare, & una cum glorioſo corpore in cælum aſcendere potuiſſe, iis infidelibus, qui difficiliora perceperint, parum difficile videbitur: nam & falſos deos ſuos è mortalibus glorioſos evaſiſſe, ac in cælos aſcendiſſe nimium leviter credere conſueverunt.

1. ad Cor. 1. 18.

V. Verùm tamen iis non ſolum mirum ſed ſtultum quoque videtur, verbum ſcilicet Crucis, ajente Paulo, *verbum Crucis gentibus ſtultitia:* neque enim ſuſpicantur quorſum prædicetur Deus mala ab hominibus paſſus. Quapropter originalis peccati malum eis proponendum, & exponendum eſt: ut morbum, remediumque dignoſcant: quod in hunc modum fieri poterit.

B

Statuamus nos apud infideles coram diſſerere.

Adpetitus hominis ad vitia proclivis.

VI. Nemo eſt inter vos, qui in ſemetipſo pronitatem ad malum non experiatur: appetitus quippe hominis ad vitia, puta ad libidinem, ad voracitatem, ad vindictam adeo proclivis eſt, ut belluarum ſæpe furorem excedat; belluæ quippe ſtata ventris tempora obſervant, quod homines minimè præſtant, ut vel hoc exemplo è multis uno pateat hominis naturam, vitio fuiſſe deformatam. Neque credendum à clementiſſimo Deo, qui eſt ipſamet bonitas infinita, hominem, qui ad imaginem ipſius creatus fuit, ut univerſis animantibus ratione præeſſet, tam deformiter conditum fuiſſe: re ſcilicet non ex naturæ debito, ſed ex bonitate Dei ponderata.

C

VII. Si enim imago Dei lucet in homine, quod Philoſophi per naturæ lumen aliqua ex parte animadvertere poſſunt (animus quippe noſter felicitatis capax, virtutum divinarum particeps, & imitator eſt) non decet ſuſpicari in hominis prima origine, cum à Deo formam ſeu naturam accepit, ita Deum nobiliſſimæ creaturæ ſuæ, ad ipſius imaginem formatæ partes perenni, ac inteſtino bello conflicturas dereliquiſſe, ut contra naturæ lumen, & ſuæ felicitatis rationem, vehementiſſimis motibus, homo præceps in malum ferretur.

D

Juſtitiæ originalis integritas gratis Deo naturæ humanæ donata.

Etſi enim naturæ humanæ non deberetur juſtitiæ originalis integritas, quæ gratis à Deo donata fuit: decebat tamen omnino divinam bonitatem hominem internum in puris naturalibus non derelinquere. Infeliciſſimus enim inter univerſa animantia eſſet, ſi Deus ei ultra pura naturalia nihil gratuitum conferre decreviſſet: quandoquidem illa juxta naturæ ſuæ legem agerent, ac ſua qualicumque felicitate fruerentur, ſoluſque homo extra legem, pro importuniſſima, & acerrima appetitus rebellione ageret, ac felicitatem cujus capax eſſet, perperam agendo comparare nequiret.

VIII. Cum ergo quiſque in ſe intemperiem animi, corporiſque rebellionem ſatis apertè dignoſcat, nec Deo tribuendum eſſe facile perſpiciat, rationi profectò conſonum eſt, in hominis à Deo formati, ſed ſua culpa deformati vitium ſortem hanc miſerrimam refundere.

E

Peccati originis effectus.

IX. Poſtquam verò his, aliisvè ſimilibus rationibus vir Chriſtianus infideles ad mentem revocaverit, doctrinam Catholicam de peccato originali ſubdere poterit. Permagni enim intereſt, ut ſe infirmos, ac remedii egentes infideles agnoſcant: quod efficient, ſi hæreditariæ infirmitatis admoneantur. Propterea enim in tot mala prolabuntur, quia ex peccato Adæ protoparentis noſtri naturam acceperunt non integram, in qua à Deo conditus fuit, cum donis gratiæ, ac juſtitiæ originalis pro ſe, ac ſua poſteritate (ſi rectè ageret) à Deo collatæ: ſed vitiatam Adæ ipſius inobedientia, quæ, & ipſum, & nos iræ Dei fecit obnoxios.

F

Deus cur homo factus?

X. Cum ergo totius generis humani ſalutem homo primus in paradiſo prodegerit, ac totam poſteritatem Deo inviſam reddiderit, immenſæ bonitatis argumento, ubi tam juſte punire poterat, elegit Deus miſereri. Et quia iniuria Deo illata infinitè gravis ob infinitam Dei Majeſtatem offenſam fuit; cum creatura nulla ex juſtitiæ rigore Deum placare, ac humanum genus ei reconciliare valeret, ipſemet æternus Deus, & æterni Patris Filius naturam humanam aſſumens hominum cauſam egit, & infinito merito, ac ſatisfactione per dolores, & mortis agonem homines ab interitu ſempiterno clementiſſimè vindicavit: naturæque corruptæ reparandæ Sacramentorum remedia opportuniſſima providit.

G

Sacramentorum uſus, & effectus.

XI. Hinc eſt, ut novo vitæ genere infantuli, qui ex Adæ culpa, quam contrahunt, Deo inviſi naſcuntur, Baptiſmi lavacro, in gratiæ vitam renaſcantur: Chriſmate vero in accepta novæ nativitatis gratia confirmentur: Euchariſtia, ne vires deficiant, alantur: Pœnitentia, ſi defecerint, in eamdem gratiæ vitam ſuſcitentur: extrema unctione, ab inhærentibus præteritarum culparum reliquiis emundentur. Quæ ſunt quinque remedia ſingulis hominibus exhibenda, ut vero concupiſcentia temperetur, & numerus electorum expleatur, ſubeſt matrimonium: & ne ſpiritualis politia, gubernatioque deſideretur, adeſt Ordinis hierarchia, quæ ſunt duo communia generis humani remedia: quæ omnia vir Chriſtianus infidelibus fuſius exponere, & commendare debebit.

H

CA-

Scrip. An. 1605.

CAPUT XVII.

Imaginum adoratio rationibus aſſeritur.

Sacrarum Imaginum adoratio commendata.

I. NON hæretici tantum, ſed alii quoque infideles ſacrarum imaginum adorationem, velut idololatriæ genus deteſtantur, & ex hoc etiam capite Chriſtianam Religionem execrantur, & infeſtant. Non enim veræ adorationis rationem capiunt; quamobrem neceſſe eſt, hoc myſterium eis adeo difficile explanare, & rationibus à naturali lumine deductis, veritatem fidei credibilem eſſe demonſtrare.

II. Primum ergo Peripateticorum omnium conſenſio eſt, eodem motu animum ferri in imaginem, & rem imagine repræſentatam: neque alia ratio hujus pronuntiati exquirenda eſt, quam ipſius rei experientia unicuique homini per ſe perſpicua: quoties enim imaginem intuetur, eodem animi actu rem ipſam recordatur, & quaſi præſentem ſibi ſtatuit.

III. Neque vel mediocriter philoſophiæ periti aſſertum hoc in dubium revocare poſſunt: ipſa quippe imaginandi virtus nihil frequentius cogitat, quàm per phantaſmamata, hoc eſt rerum conceptarum ſimulacra, uno motu in res abſentes animum intendere.

IV. Cum igitur ex ipſa naturali philoſophia conſtet imaginum vim nativam eſſe, ut rem quaſi præſentem hominis animo ſtatuant: quis niſi ultro inſaniat inficiari poſſit uſum imaginum naturali rationi congenerem, & ad multa etiam humanæ vitæ ſolatia percommodum eſſe? nam ſi mœrorem importunum ex boni viri amicique abſentia quis patiatur, cur non imaginem illius in cubiculo pictam habeat, ut mœrorem elevet, ac ſalubria ejus conſilia meminerit? Si enim figuram aliquam mathematicam puta triangulum, quadrangulum, vel ſignum aliud, puta annulum in amici memoriam ſervare, ſæpeque inſpectare virtutis amicitiæ actus eſt: cur ad eumdem finem, ac virtutis cultum imagine uti non liceat?

V. Profectò, nihil aptum reſponderi poteſt; è contrario verò imaginem aptiorem ſignis vel figuris aliis univerſis ad amici recordationem eſſe, luce clarius eſt; ſi ergo res ita ſe habet, & amici, qui vir bonus eſt, imago ad virtutis cultum confert, cur imagines Sanctorum, quæ virtutes heroïcas repræſentant, animum ad imitationem excitant, ſpe interceſſionis apud Deum exhilarant, mœſtitiam pellunt, mundi contemptum inducunt, ad immortalia bona quærenda movent, alioſque plurimos pios affectus ingenerant, pingi vel haberi non poſſint?

VI. Quod ſi haberi poſſunt, ut ratio apertè convincit, ſanè, & honorari poterunt; quod ſic perſuademus: in exemplo imaginis, quæ amicum laude dignum repræſentat, nemo eſt, qui non videat turpius eſſe imaginem illam, quàm ſtabuli pavimentum cœno inquinare: & quemvis hominem, ipſo rationis ductu, aliquod injuriæ genus amico repræſentato ibi depræhendere, quod ſane in ſtabuli inquinamento non dignoſcit. Neque ratio idonea reddi poteſt, niſi quia imago propter rem honore dignam, quam exprimit, aliquo honore, ſeu cultu digna eſt, non vero ſtabuli locus, neceſſariò ergo fatendum eſt, Sanctorum imagines aliquo cultu dignas eſſe.

Imaginum cultus a quibus excogitatus?

VII. Neque Chriſtiani primum imaginum cultum excogitarunt: conſtat quippe ex antiquiſſimo ethnicorum more, viris illuſtribus ſtatuas poni ſolitas, ad quas (ut alios populos taceamus) populus Romanus vino & farre, aut aliis ſacrificiis ſupplicabat. Quorſum ergo populus ſtatuas colebat, niſi quia naturali lumine, propter viros clariſſimos, quibus poſitæ fuerant, cultu dignas judicabat. Hinc patet hæreticos Iconoclaſtas ethnicis rudiores eſſe. Res enim tam comperta, & rationi naturali ac morali, politicæque conſentanea eſt, ut intolerabili ignorationi, ſeu ruditati error ille vertendus ſit. Ipſi quoque ethnici animadvertiſſe videntur, ſtatuas non colendas, quia in ſe aliquid divinitatis, vel virtutis haberent, ſed quia vel ad Deum, vel ad homines illuſtres referrentur, vel cultus earum in prototypum refunderetur.

Quomodo Pater æternus pingatur, Filius, & Spiritus Sanctus, & cur ita pingantur?

VIII. Unum dumtaxat obſtare videtur, Deum ſcilicet, Angeloſque corporis expertes imaginibus, ſine errore repræſentari non poſſe? At hoc vanum eſt: imagines enim Dei, & Angelorum non ſic à Chriſtians uſurpantur, ut ea corpora Deo, & Angelis tribuant: ſed ita corpora illa pingunt, ut aliquam proprietatem Deo, Angeliſque dignam, verum humano captui per eas formas ſive imagines attemperatam ſignificent; ſic Patrem æternum cani ſenis imagine ad æternitatem innuendam, Dei Verbum ſeu Filium juniore ad verum ejus corpus, quod aſſumpſit, & in quo uſque ad ætatem iuvenilem nobiſcum verſatus eſt, exprimendum: Spiritum Sanctum imagine ignis, vel columbæ, ad charitatem igne, & ſanctificationem columba candida deſignandam: Angelos verò, quaſi juvenes pulcherrimos, & expeditos ad opus, ad eorum naturam vivacem, & celeritatem agendi demonſtrandam, depingere prudentiſſimo conſilio Religio Chriſtiana conſuevit.

CAPUT XVIII.

Liberum arbitrium rationibus aſſeritur.

I. EXploratum eſt, infideles tamquam belluas in ea, quæ turpiter appetunt, ferri, & liberi arbitrii impotentiam prætexere, quaſi motus in appetitu excitatos coerceri nequeant: cui certè graviſſimo errori tempeſtatis noſtræ hæretici acceſſerunt.

II. At error tam cœcus ac delirus eſt, ut

Scrip. An. 1605.

ut non argumentis revincendus, ſed experimentis à nobis oſtendendus ſit. Prætermiſſis quippe Scripturæ Sacræ, & Authorum Ethnicorum aſſertis, quæ neceſſaria non videntur, rogamus infideles, an cum libet animi gratia deambulare, & ſubit cogitatio, nempe ad rem familiarem, augendam, domi potius immorandum, an inquam, tunc experiantur, ſe poſſe eligere quod malint; an ſcilicet animadvertant, ſe vel domi manere, vel prodire foras pro libito valere.

III. Reſpondebunt ſanè, niſi velint inſanire, ſe poſſe optare proculdubiò, quod malint: at in rebus difficilioribus, cum paſſiones deſæviunt, naturam imbecillem neceſſariò ſuccumbere, quid enim, dicent, cum libido acriter urget, vel appetitus vindictæ ingruit, poſſit obſiſtere, cum totus homo flagret, & niſi expleat libidinem, experiatur ſe non poſſe conquieſcere?

IV. Verum ſciſcitamur, an cum luxuria invaleſcit, & aliunde imminet rei familiaris, vel exiſtimationis grave detrimentum, ut ſi pro uno actu turpi totum patrimonium, vel magna ſaltem pars prodigenda ſit, an ſcilicet tunc à libidine ſedanda ſibi temperare queant?

V. Reſpondebunt non eſſe uſque adeo difficile libidinis appetitum, avaritiæ appetitu ſuperare, quia quod inde ſubtrahitur, hinc facile reponitur, animaque omnino delectatione non vacat: majorem quippe vim ingens avaritiæ irritamentum, quàm veneris modicum incitamentum facit: ſed in cultura virtutum longe aliter evenire; cum nihil ibi niſi arduum, voluptatis expers occurrat: quapropter neceſſe eſſe naturam omni oblectamento deſtitutam vinci, ac proinde in eo genere liberi arbitrii uſura carere.

VI. Verumtamen rogamus, an ex Dei auxilio (quod nemini deeſſe perſpectum eſt) poſſit liberum hominis arbitrium virtutem colere, quandoquidem ex appetitu proprio, dœmonis inſtigatione à vitio uno pro altero amplectendo, ſibi valet temperare? Rationi enim conſentaneum eſt, ut præcipiente Deo virtutis cultum, & auxilium ſuggerente, imbecillis homo poſſit vitia ſuperare; ſi poteſt, viribus propriis, aut certe cum dœmonis impulſu, à rebus, quas impotenter appetit, ob aliarum turpem appetitionem abſtinere. Et ut exemplo pateat, quam perſpicua res ſit, interrogamus infidelem, Lutheranum, vel quemvis alium, ubi appetitus avaritiæ, vel ambitionis flammeſcit, an poſſit ob hypocriſim, quaſi pecuniæ, honoriſve contemptor, oblatam ſibi opulentiam, vel dignitatem reſpuere.

VII. Reſpondebit certe poſſe. Cur ergo eamdem opulentiam, vel dignitatem humanam pro ſempiternis divitiis & honoribus, Deo auxilium præſtante, aſpernari non valeat? Profectò ad rem hanc nihil ab infidelibus appoſitè produci poteſt, niſi auxilium divinum hominibus deeſſe (nam eo admiſſo rem inficiari aperta blaſphemia foret). At credere hominibus ad malefacta vires à diabolo ſuggeri, à Deo autem ad opera pia minimè conferri, & ſtultiſſimum, & impiiſſimum eſt. Quod ſanè luculenter oſtendi poteſt, ex tot ſacrarum Virginum & Martyrum millibus, à quibus in caſtitatis, & fortitudinis actibus omnibus difficillimis, ad quos vires ſibi deeſſe ipſi teſtantur, teſtimonium Chriſto perhibitum eſt.

Actus caſtitatis omnium difficillimi.

VIII. Neque verò per ea, quæ prompſimus, aſſerere voluimus, doctrinam de libero arbitrio captu facilem eſſe, quaſi ſtoliditati vertendum ſit, eam non callere. Eſt quippe abſtruſus admodum libitarum operationum ſinus, ſi modum liberi arbitrii exercendi, & Dei concurſum homini præſentem penſitemus. At enim quicquid de ſpeculatione ſit, experientia luce clarior eſt: & in re tam philoſophica, quam Theologica, permulta celebrantur aſſerta, quæ dum in ſcholis agitantur, inſuperabilem fore difficultatem obtendunt: & tamen communis univerſorum hominum ſenſus de veritate non ambigit: cujuſmodi eſt propria in phyſicis temporis, & loci ratio, & memorandi locus. Nihil enim verius quàm me modo recordari oblivionis rerum cæleſtium, quam ſæpe paſſus ſum: veriſſimum ſanè, & planiſſimum eſt: at quis explicet, quomodo recorder oblivionis, quæ dum adeſt, obliviſcor, & tamen adeſſe in memoria debet, ut ejus recorder. Hæc, quæ per decem, & octo capita tradidimus, ad Religionis Chriſtianæ veritatem exiguo infidelium captui attemperandam, & appoſitis rationibus naturæ conſentaneis ſuadendam, prodeſſe poſſe viſa ſunt: in quibus tradendis, ſi vir Chriſtianus opportunitatem captet, omnemque violentam agendi ſpeciem caveat, magnopere proficere poterit. Poſtquam verò veritas Chriſtiana infidelibus fuerit perſuaſa, fidei ſymbolum brevi, aptaque cum explanatione tradendum eſt, ad conceptam fidem confirmandam, & frequenti actuum plurimorum exercitio perficiendam.

PARS TERTIA.

De modo perſuadendi temperantiam.

CAPUT I.

De Temperantia in communi.

I. QUamquam infidelium eruditio, de iis, quæ ad finem ſpectant, eſt laude digniſſima: non tamen continuo res tota ex voto ſucceſſiſſe credenda eſt. Subeſt enim arduitas virtutum, temperantiæ præſertim, cujus leges, homines luxui aſſueti, ferre ſe poſſe vix credunt; quapropter nonnumquam evenire ſolet, ut laborem omnem in catholicis veritatibus perſuadendis exhauſtum, perfidia perdat, doctrina temperantiæ ſubintrante: qua, vix dici poſſet, quantopere infideles terreantur.

II. Erunt fortaſſe, qui levi negotio ad fidem amplectendam inducantur, qui omnia probent, interim dum de concupiſcentia reprimenda nihil agitur: at mox ut ſibi temperare jubebuntur, dubium eſt, an ſint in accepta fide permanſuri: quod ſæculi hujus noviſſimæ hiſtoriæ Orientales proteſtantur.

III. Hinc efficitur; ut vir Chriſtianus rationes ad perſuadendam temperantiam in promptu habere debeat, & in re difficillima multum orationis, & operæ collocare. Primum ergo de legis naturalis obſervatione, quam leniter poterit, quoties occaſio prudentiaque ſuggerit, acturus eſt; non quaſi ex abrupto velit infideles redarguere, ſed quaſi à Religione Chriſtiana ſuperſedere, ac de infidelium ipſorum ſententia certior fieri velit. Cum enim certum ſit, eos legem naturæ minimè obſervare (ſine remediis quippe gratiæ obſervari nequit) neceſſe eſt, ut (ſi vera dicant) confeſſione propria, & ſpontanea viro Chriſtiano erroris improbandi anſam porrigant.

IV. Si enim rogentur, an vindictam appetere, turpes cogitationes admittere, aliena bona concupiſcere, & alia ejus generis, ſaltem optare apud eos liceat; multa proculdubiò deformia reſpondebunt; quæ cum lege naturæ pugnare per efficaces rationes oſtendi poſſunt.

V. Quid, quod præter internorum actuum turpitudinem, externos quoque quaſi licitos innumeri infideles admittunt, de quibus facilè revinci poſſent, cum ignoratione profunda laborent: nam & inter Chriſtianos, qui doctores idoneos habent, multa ejuſmodi monſtra viſuntur.

Chriſtiana Religio a Deo inſpirata.

VI. Inſtruendi ergo ſunt, ut cum naturæ humanæ dignitate, ac rationis lumine, vindictam, ingluviem, proximorum contemptum, alienorum bonorum appetitionem cohærere non poſſe animadvertant: & ex hoc ipſo capite dignoſcant, Religionem Chriſtianam verè à Deo naturæ conditore inſpiratam fuiſſe; cum in ea ſola, integra lex naturæ ſervetur, & ejus præcepta atque remedia ad naturæ lapſæ reparationem, ſummoperè conducant.

VII. Hinc etiam conſiderent, appetitum effrenem naturali rationi valde repugnantem ſeverè coercendum eſſe, ut a ſupervacaneis, & mollibus abſtineat, & imperio rationis obtemperet: alioquin legem naturæ ſervari, ac proinde cruciatum ſempiternum vitari non poſſe.

VIII. Ad rem hanc per mortis, judicii extremi, inferni, gloriæque præmeditationem aptè inducentur; hæc enim, quæ illi vel ignorant, vel minimè cogitant, & proponenda, & inculcanda ſunt: inſtandumque ut æternos dolores vitare ſtudeant: non enim Deus vel cœcus, vel injuſtus eſt, ut aut non cernat, aut injuriam ulciſci nolit. Bonis quippe virtutum præmia, malis ultionem judicio æquiſſimo rependet: aliter oporteret Dei ſapientiam, providentiamque negare, quod planè ſtultiſſimum eſt.

IX. Neque ſera Dei vindicta eis imponat: cum inſaniæ genus ſit, exiſtimare Deum vel obliviſci, vel temporis prorogatione, niſi homo reſipiſcat, ſententiam mutare. Hæc & alia ſimilia proponenda ſunt, ut homines feri miteſcant, & appetitum ſubjugare, orationem, jejunium, vigiliam, & id genus alia, quæ ſenſus perhorreſcit, ſpe ſaltem mercedis, aut pœnæ metu exercere conſueſcant; & ut cautius agant, hinc hoſtium animæ, inde Angelorum tutelarium caſtra, & divinarum inſpirationum auxilia exponenda ſunt, ut Chriſtiano more certare condiſcant. Verùm in latiſſimo temperantiæ campo unum peculiariter tractandum eſt, quod Chriſtianæ Religioni validius reluctatur.

CAPUT II.

Plurium uxorum vincula legi naturæ repugnare oſtenditur.

I. NEminem latere poteſt, inter illecebras omnes, quibus infideles dœmone capti, & obſtricti ſunt, multarum uxorum vincula inprimis ponenda eſſe. Quod mali genus eò gravius eſt, quò altius hæſit, & majora oblectamenta parit, quibus carere durum eis genus ſervitutis videtur. Propterea ne fidem Chriſtianam, cum tantæ voluptatis jactura complecti detrectent, vel acceptam abjurent, danda opera eſt, ut unius uxoris coniugium, non quaſi à Chriſtiana Religione recenter præceptum, ſed quaſi cum ipſo homine, ſeu humano genere natum, & à lumine rationis naturalis profectum (ut revera credendum eſt) proponatur.

Conjugium ad quid inſtitutum?

II. Et primum quidem, cum coniugium ex naturæ lege ad procreandos liberos deſtinatum ſit, perſpicuum eſt, uxorum plurium connubia cum ipſa naturali, rectaque ratione pugnare. Cum enim liberi non ritu belluarum nutriendi, ſed humano ac paterno more educandi ſint; quomodo vir unus tot liberos ex multis uxoribus ſuſceptos educabit? quo amore, quo labore, qui vix paucis ſufficit, multorum, tum animæ, tum corporis ſalutem procurabit? Profecto ſine paterna cura, vel educatione, una, vel altera chariore forſitan excepta, reliqua proles neglectui habebitur, & contra jus naturæ à parentibus deſtituetur.

III. Quid quod uxores ipſæ adverſus naturalem homini pacis legem, & œconomiæ rationem, quotidianis litibus, & rixis altercabuntur: neceſſe eſt enim, pro humana fragilitate, pulchriores non ita pulchris præferri, & rei familiaris curam alicui præ aliis credi: quæ ſunt implacabilis iræ, ac odii ſemina. Etſi verò tot monſtra, quot indicavimus, conjugum plurium licentia non pareret, ex intrinſeco tamen hominum intemperantium malo, rei turpitudinem proſpicere liceret. Non enim matrimonio ſic utendum, juxta naturale rationis lumen, quaſi ad explendam libidinem inſtitutum eſſet: abuſus enim hic in belluas degenerat, & à recta rationis uſura longiſſimè divertit. Habet enim hoc grave malum, etiam licita Venus, ut animum hebetet, ac obtuſum, & voluptatum fluctibus obrutum, in rationis auram reſpirare non ſinat. At quia voluptate capti, rationis bonum dignè penſitare neſciunt, vel contemnunt: ipſa ſaltem corporis læſione reſipiſcere deberent. Corpus enim enervatur, & computreſcit, & quamvis vegetum permaneret, mollia ſemper amare, ac pertractare, ardua perhorreſcere diſcit, & neque Reipublicæ curis, neque militiæ laboribus aſſueſcere poteſt. Quapropter effœminatos homines eſſe oportet, nullamque vel virtutis, vel honoris rationem habere; ſed unam voluptatem bonis omnibus anteponere: quod cum naturali lege cohærere minimè valet. Hinc eſt, ut ubi ea Veneris licentia graſſatur, miraculo tribuatur, unum è multis millibus virum fortem, aut ſapientem eſſe; neque mirum: nam ut litteris ſacris conſignatum eſt, ſapientia Salomonis, & Sampſonis fortitudo, inter mulierum blandimenta evanuerunt. Quid ergo mirum, ſi, ubi neque ſapientia, neque fortitudo præceſſit, affectata voluptas rudes homines dementet?

Veneris etiam licitæ effectus.

Salomonis Sapientia, Sampſoniſque fortitudo quomodo evanuerint?

IV. Quod verò viri antiqui, ſanctitate clari, in lege naturali, ac ſcripta, plures conjuges habuiſſe legantur, minimè obſtat? illud enim ex diſpenſatione Dei accidit; ut genus humanum, vel paulò ante creatum, vel aquis diluvii deletum numero augeretur, vel etiam, ut peculiaris Dei populus, verum Dei cultum edoctus, propagaretur. Ubi verò hujuſmodi cauſæ deſunt, non Dei conniventia, ſed abuſus hominum eſt. Unam ſanè Adæ coniugem Deus è viri coſta finxit: & duorum tantummodo conjugum, unius ſcilicet viri, & unius dumtaxat uxoris coniunctio, naturalis matrimonii inſtitutio eſt. Hoc ergo temperantiæ præceptum infidelibus tradendum eſt, & unius tori licita conſuetudo commendanda: neque nimis feſtinandum ad alios Chriſtianæ caſtitatis gradus; donec fidei conceptus calor, & ſalutis æternæ deſideria creſcant, quæ proventum majorem ex una prole promittant.

Polygamia primævis cur permiſſa Patribus?

V. Inceſtus autem, ac præpoſteri concubitus, tanta certè, tamque manifeſta turpitudo eſt, ut facilè à quovis Chriſtiano confutari poſſit. Inceſtus enim cum naturali reverentia, & naturæ debito generationis ordine; præpoſterus verò concubitus, cum ipſa generationis ratione, ob quam ſemen licitè fundi poteſt, apertè repugnant. Ab his ergo criminibus vir Chriſtianus infideles efficaciter dehortetur.

CAPUT III.

Aliæ naturalis legis corruptelæ indicantur.

I. Facilè per ſe quiſque perſpicere poteſt, homines Veneri deditos in aliorum criminum voraginem, ſordidæ illius voluptatis affectu demergi: ac proinde in animis infidelium vix aliquid purum poſſe reperiri. Etſi enim alii natura minus feri, quam alii ſint, ipſo tamen vitiorum contagio pervertuntur, & divinarum inſpirationum lumen extinguunt.

II. Hinc exiſtunt latrocinia, homicidia, veneni pocula, dœmonum pacta, & reſponſa, divinationes, & alia teterrima crimina, quæ in exules à Chriſto nationes proſerpſerunt: à quibus infideles oſtenſa rerum deformitate, & contraria naturæ lege avertendi ſunt.

III. Et quidem hujuſmodi peccata ea ſunt, quæ ſua turpitudine horrorem incutiant, & levi negotio cum æterna ſalute cohærere non poſſe probentur: at nonnulla ſcelera, licentia peccandi, ac diuturna, univerſalique conſuetudine, tam altè concepta ſunt; ut licita jam infidelibus videantur.

IV. Hujuſmodi apud efferatiores Barbaros eſſe videntur, uſura, concubitus, qui dicitur ſimplex fornicatio, uxores promiſcuæ, ebrietas, &c. eſus carnis humanæ &c. quæ multo labore, ac perſeverantia militum Chriſti egent, ſi extirpanda ſint: ad ſingula verò refellenda appoſitas rationes producere oporteret: quas è vulgatiſſimis authoribus, iis præſertim, qui de virtutibus parandis, & vitiis evellendis ſcripſerunt, excerpere facilè eſt.

V. Plurima ſunt alia, quæ ad excolendos mores obſervari debent, quæ vir Chriſtianus per Decalogi capita, idoneis rationibus refutare valebit. Præcepta quippe naturalia, quaſi totidem loci communes, argumentorumque ſedes ſunt: quæ altè perpenſa dicendi copiam, & efficacitatem ſuggerunt. Faxit clementiſſimus Deus, ut labor hic noſter uſui ſit iis, qui pro Chriſti Jeſu Filii ejus, ac dulciſſimi Redemptoris noſtri nomine, ac pro tot populorum ſalute fortiter decertare, & glorioſè occumbere decreverint.

IN SEQUENS OPUS
AUCTORIS PRÆFATIO.

I. *Divino planè conſilio actum eſt, ut Carmelitici Ordinis reformationem, quam B. Virgo, & Parens noſtra Tereſia inſtituit, Summus Pontifex Clemens VIII. auctoritate ſua maxima, in duo quaſi unius corporis brachia dirimeret, e quibus unum ex Hiſpania in occidentales Indos, alterum ex Italia in Septentrionem, & reflexu quodam in Orientis quoque regna porrigeret.*

II. *Sic enim tantæ Fundatricis vota expleri decuit, quæ ipſa reformatione ineunte concipit. Optavit quippe ardentiſſimè (quod ex ipſius liquet hiſtoria) iis, qui ab Eccleſia exulant, auxilium præſentiſſimum ferre: & in eum ſcopum gentis ſuæ labores, preces, ac pietatem omnem propoſito virili direxit.*

III. *Congregationi verò Italicæ Clementiſſimus Deus in hoc genere hiſce diebus inſigniter favere cœpit, & non animos tantùm Religioſorum ad opus arduum, & ſanè glorioſum, multis cum perfectionis Monaſticæ acceſſionibus inflammavit; verùm & Summorum Pontificum, aliorumque Principum, tum Eccleſiaſticorum, tum Sæcularium voluntates excivit, ut grande cæptum alerent, & ad majora tentanda moverent.*

IV. *Quocirca è Congregationis noſtræ bono fore viſum eſt, Miſſionum ſeriem hiſtorico more contexere, ut ardor recenter ortus, hiſtoriæ materiam ſuggerens invaleſcat, & poſteri, qui hæc primæva vota lectitabunt, ad æmulationem excitentur: præterquam quod nefas eſt ſingularia Dei beneficia, quibus Congregatio naſcens augetur, reticere, ac pietati, quæ hinc procul dubiò naſcetur ſtupido quodam ſilentio viam intercludere.*

V. *Erit autem opus bipartitum, primaque pars Hiſtoriæ more procurret: ſecunda, verò Maximorum Pontificum, & aliorum Principium litteras, privilegia, & alia ejuſmodi ſcripta complectetur. At ut veritati brevitas, & perſpicuitas accedat, opem principio divinam imploramus.*

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ EXCALCEATI CALAGURITANI
LIBER
SEU
HISTORIA MISSIONUM.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

Congregatio Italica ab erectione ipſa ad miſſiones deſtinatur.

Scrip. An. 1615. I.

Italica Congregatio ab Hiſpaniæ cœtu, unde originem duxit, Pontificia Clementis VIII. auctoritate ſejuncta eſt, ut ubique terrarum, præter Hiſpaniam unam, Cœnobia conderet, ac in eum modum reformationis diſciplinam, quo vellet, inferret. Quod ſanè perinde eſt, ac ſi ſummus ipſe Pontifex diplomate ſuo miſſiones Congregationi commendaſſet. Quorſum enim duobus dumtaxat Cœnobiis (neque enim plura tunc erant) tantam orbis terrarum vaſtitatem prudentiſſimus Pater luſtrandam deſignaret, niſi colonias gentis in exteras nationes ex Italia ducendas eſſe proſpiceret? Patres verò primi, quibus ab Apoſtolica Sede tam lata orbis pars ad novam culturam credita eſt, bene norunt, quo moles novæ Congregationis aſpiraret: cùm enim B. Virgo Tereſia adverſus hæreſes hac tempeſtate graſſantes, apud mortales agens, immortali quodam fidei Catholicæ ardore ſuam gentem armaverit, cui majora nunc è cœleſti arce auxilia confert; Patres ii ad ſe provinciam hanc non minima ex parte pertinere rati, Hiſpanis patribus occidentem permittentes, de aſperiore Aquilonis parte cogitarunt, ut Regna primum Italiæ contigua pervaderent, ac inde ad ulteriora facto gradu, Eccleſiæ propagandæ, ſub Maxim. Pontificum auſpiciis ſtrenuè ſe totos addicerent.

A

S. M Tereſia. ejus adverſus hæreſes odium.

B

III. Hanc videlicet animi magnitudinem ad Inſtituti proprii cuſtodiam è re fore non fruſtra ſenſerunt, & clariſſimos Patres noſtros Sanctorum numero aſcriptos, qui in ejuſce opus validè incubuerunt æmulantes, in dies ſingulos, quàm eſſet acceptum Deo ſtudium experimentis multis comprobarunt. Nihil tamen adhuc de oriente excolendo ſubierat: propinquiora enim regna prius tentare conſilium erat. Cæterùm res adhuc infecta, conſilio Dei altiore non extincto, neque tepefacto nationum propinquarum cultu, in ardua magis, longiuſque diſſita Mahometanorum regna collimabatur. Pater quippe Joannes Thadæus à S. Eliſæo, natione Hiſpanus, qui à pueritia ſtudio terræ ſanctæ à Mahometica perfidia liberandæ mirifice incenſus fuerat, nec ullis artibus, ſeu laboribus ſententiam umquam mutare potuerat, inſperatus Romam venit; & quibus flagraſſet deſideriis gravioribus Congregationis Italicæ Patribus ad cenſuram expoſuit.

C

P. F. Johannes Thadæus a S. Eliſæo.

III. Res parum conſilii, ac prudentiæ præ ſe ferre viſa eſt. Nam præter ſummam operis difficultatem, quam gens Mahometana non rationis exercitu, ſed armorum impetu de Religione diſceptare ſolita, obtendebat: Pater ille non iis dotibus pruden-

D

den-

Scrip. An. 1615.

dentiæ, ſolertiæ, doctrinæ, ac eloquentiæ Chriſtianæ præditus videbatur, quas moles tanta requireret. Exploſa ergo ſententia eſt. At rei tentandæ ardorem per intervalla exultantem Pater ille ſanè pius reprimere non valens, tametſi ad obedientiæ lineam omnes ſuos actus exigeret, coram Superiore profitebatur, ſe intrinſecus ad opus vehementer urgeri: unam illam cogitationem ad omnem Clauſtri diſciplinam, ad tentamenta depellenda, ad paſſiones ſubjugandas, ad cor in Deum erigendum, ad univerſa mundi bona generosè aſpernanda ſibi acerrimum calcar adſtringere: ut proinde non eſſet habendum neglectui, quod tam uberes pietatis fructus producebat: cenſeret ſuperior, quid facto opus eſſet: Deo quippe obtemperare impenſius optabat. Quod hucuſque Romæ actum eſt.

CAPUT II.

Neapoli de Miſſionibus ſeriò agi cœptum.

P. F. Petrus a Matre Dei.

Neapolitana fundatio notata.

I. PRæerat tunc temporis Congregationi P. Petrus a Matre Dei Commiſſarius Apoſtolicus, (nam ei à ſummo Pontifice Clemente VIII. paulò ante Congregationis adminiſtratio credita fuerat) qui propagandæ diſciplinæ ſtudio tertii Cœnobii fundamenta, concionum, ac pietatis laude, animis urbis totius allectis, Neapoli jecerat; habitoque delectu P. Joannem Thaddæum inter alios Inſtituti noſtri tenaciſſimum, eò miſit, ut in arctiſſimam legum cuſtodiam totus incumberet: quod facilè præſtitit. Vix dum nova monaſterii laus urbem occuparat, cum vir perilluſtris è Calabriæ Toparchis, qui Barones appellantur, Franciſcus Ciminus, pietatis ergò locum petiit, & P. Joannem, quem Superior aliis negotiis diſtentus pro ſe ſuffecerat, forte fauſta nactus, hominem ſibi per omnia congruentem expertus eſt.

II. Anno quippe proximo cum Neapoli de cœleſti orationis exercitio concionantem P. Petrum audiſſet, tam ſeriò illi ſe otio dediderat, ut lumine divino, quod ſic vacantibus ubertim affulget, ſingulariter perfuſus, ad Chriſtianæ charitatis opera eximia non ſegniter aſpiraret. Decreverat nempe ad exules ab Eccleſia ſectas, ſi qua poſſet Chriſto conciliandas, magna ſaltem ex parte opes ſuas erogare. Quo circa ſeminarium puerorum Turcarum à Chriſtianis captorum condere, coemptos Chriſtianis ſacris inſtituere, ac ita divinæ charitatis, qua urgebatur, piiſſimum officium explere cogitaverat. Cum ergo ſimillimum ſibi hominem offendiſſet, quod ex primo congreſſu facilè perſpexit (ita enim natura comparatum eſt, ut de iis rebus libenter quiſque verba faciat, quas frequenter animo verſat) mutuis ſententiis uterque ſuum ſenſum expromit, verbiſque multis ultrò citroque habitis Franciſcus P. Joannis ſententiam proprio ſenſui facilè anteponit.

Agitur de Miſſionariis in Paleſtinam mittendis.

III. In ea verò ſententia, qua puerulus fuerat imbutus P. Joannes inſiſtebat, Deo gratius, & per ſe glorioſius fore, ſumptus, quos in Turcas conferre Franciſcus parabat, Fratribus noſtris ad Paleſtinam deſtinandis facere, ac eo unde orta fuerat noſtram Reformationem referre. Oraculum Franciſco viſum eſt: quod adeo arripuit acriter, ut non rem familiarem modo, verum, & ſe ipſum ad piam eam profectionem devoverit. Inita ergo familiaritate (ut erat uterque pius) frequentius de re agere mutuoque conſilio invaleſcere, ac firmius cœptis hærere pergunt.

CAPUT III.

P. Petrus Neapolim venit, & conceptum fervorem alit.

I. HÆC dum agitantur P. Petrus Roma Neapolim venit, & de re factus certior, pro Prælati munere, adverſus P. Joannem excanduit, ac in Patrum cœtu ſeverè objurgavit, quod rem à gravioribus Patribus exploratam, & improbatam, ſine Prælati conceſſu, ut conjectari poterat non modo tentaſſet, verùm, & promoviſſet. At ille pro animi ſui candore, licet in re cum viro ſpontaneo communicanda labem minimè contraxiſſet (neque enim quicquam pepigerat) ſupplex P. Petrum adit, non ab omni proprio ſenſu tantum ſe abdicaturus, ſed voto etiam Deo nuncupato, ſi videretur, perpetuum ejus rei ſilentium promiſſurus.

P. F. Paullus Simon, ejus vota.

Res Clementi VIII. P. M. defertur.

Miſſionarii in Perſidem mittuntur ex Pontificis ſummi oraculo.

II. Hanc, in re, quæ à pueritia cum annis coaluerat fidem, P. Petrus magni fecit, ſpiritumque ante improbatum non temere reſpuendum animadvertit: præſertim cum ex convictu P. Joannes, ſimilia Paleſtinæ vota P. Paulus Simon, qui Neapolitano Cœnobio præerat, hauſiſſet. Serpebat ſcilicet ardor, & in aliorum ſe animos inſinuabat. Precibus ergo à P. Petro indictis, & aliis piis operum ſacrificiis ad placitum divinum perveſtigandum inſtituerunt, & P. Joannes Thaddæus, cujus præcipuè res agebatur integram quadrageſimam pane dumtaxat, & aqua victitans, ſeveriſſimè jejunavit. At enim cum de miſſione gravi, ſine ſummi Pontificis conſenſu deliberandum non eſſet, nec aliunde ambiguæ litis diremptio, quam ab ea Sede, ubi ſapientia ſplendet peti deberet, Clementem VIII. P. Petrus de re tota convenit, Patrum vota, & perilluſtris viri Franciſci amplum opum ſuarum promiſſum expoſuit. Reſpondit Pont. Max. ſancta Paleſtinæ loca, non omni prorſus auxilio vacare, & præter Franciſcanorum Cœnobium Hieroſolymitanum, Libanum montem numero Criſtianorum Eccleſiæ Romanæ fœderatorum, (quos Maronitas nuncupamus) non exiguo incoli: Patriarcham, eique ſubjectos Epiſcopos habere, qui pro Chriſto legatione funguntur: ſalubrius fore in Perſidem

Scrip. An. 1605.

ſidem animos intendere, ubi ad rem Chriſtianam novi Regis propenſione, janua Evangelio patebat. Placuit ſummopere ſummi Pontificis inopinatum reſponſum; neque enim P. Petro umquam Perſarum miſſio in mentem venerat: tantum abeſt, ut aliquid de Perſicis rebus præmeditatus oraculum conſuluiſſet. Viris autem divinarum rerum peritis compertum eſt, Prælatorum reſponſa ſponte fluentia, quæ nullo eliciuntur artificio ad voluntatem Dei, ſine ulla impoſturæ ſuſpicione referri. Elapſis ergò à reſponſo diebus aliquot, P. Petrus ut res exitum ſortiretur, ſummo Pontifici ſupplicem libellum, omnia quæ verbotenus cum eo digeſſerat, complectentem porrigit: Patrum illorum vota, Franciſci munificentiam proponit, miſſionis tempus, modumque præſcribat, impensè precatur. Eo autem ſcopo libellum offert, ut ad Congregationem *De Propaganda Fide*, vel Prælatum aliquem rei conſultum remittatur, à quo brevem, opportunamque negotii totius expeditionem impetret. At nihil libello reſponſum eſt, præter hoc verbum: *in Perſidem*. Quod certè placuit; quoniam primum oraculum confirmaret, tametſi eò minus placuerit, quod temporis, ac modi poſtulata deeſſent. Inſtat iterum P. Petrus apud SS. Patrem, & Illuſt. Cardinali Aldobrandino res tota demandatur; qui pro virili parte ſua præſtat omnia, quæ ad optatum exitum pertinere videntur.

A

P. F. Petrus Pontifici libellum ſupplicē porrigit.

B

Tota res cui demandata?

CAPUT IV.

Patres Romam Neapoli vocantur, habetur delectus, ac deſignati à ſummo Pontifice mittuntur.

C

P. F. Paulus Simon, & Johann Thadæus Romam vocati.

I. REbus ergo authoritate Pontificia compoſitis, & Perſica miſſione maturata P. Petrus per litteras PP. Paulum Simonem, & Joannem Thaddæum Romam Neapoli evocavit, ſimulque D. Franciſcum Riolid de Peralta, natione Hiſpanum, virum illuſtrem, militaris diſciplinæ honoribus ac muneribus inſignem, ſed ſpiritus divini, ac orationis ſtudio clariorem miſſionis Perſicæ, quam audierat cupidiſſimum acceſſit, ut ſe in hac ſpirituali militia ſtrenujùs exerceret, Patres comitaretur, itinerum experientia, rerumque prudentia juvaret, et ſi expediret nuncia rerum Perſicarum Romam referret, aut certe veſte noſtra, quam diu ac vehementer optarat induendus unà cum Patribus ubi morarentur, permaneret. Mox verò, ac miſſionis tantæ fama inter noſtros percrebuit animi ferè omnes ardenter in opus aſpirarunt, & vota tam multa perplexitatis nonnihil genuerunt: non enim pervium erat, è tot animis in eamdem gloriam intentis noſſe, qui deberent anteferri, præſertim eum ad Pontificem pauci è multis deſignati, brevi introducendi forent, quos ille Apoſtolica authoritate legaret.

D

II. Facto ergo ſacrificio, fuſis precibus, adhibitiſque aliis piis operibus ad explorandam Dei voluntatem appoſitis, coactoque Patrum, ac Fratrum omnium cœtu P. Petrus à Patribus, Fratribuſque ſingulis clam ſententiam ſciſcitatur, ſperans proculdubiò, Dei lucem per candidas ſervorum Chriſti mentes derivatam ſibi affuturam. Omnes ad unum rogati in eos, quos Pater ipſe Petrus apud ſe probarat ferè conſpirarunt, tres ſcilicet Neapoli evocatos Patremque Vincentium à S. Franciſco Sacerdotem, & Fratrem Joannem ab Aſſumptione donatum, virtutum omnium ſed abſtinentiæ laude præcipuè inſignem. Quinque igitur ſelecti, tres videlicet Sacerdotes, Donatus unus, ſæcularis unus ſpectatæ virtutis, & conſtantiæ, omnes ad ſummum Pontificem ducuntur. Qui licet malè affectus in lecto decumberet, eos humaniſſimè excepit, & ad opus adeò glorioſum hortatus profuſis lachrymis paterna benedictione proſperavit. Ut verò felicius res tota ex ſententia ſuccederet, non modo ad nuncios Apoſtolicos Venetum, Germanicum, Polonicum, verum, Imperatorem ipſum, Poloniæ Regem, magnumque Moſcoviæ Ducem commendaticias litteras verè Pontificias dedit, ut & perhumanè à tantis Principibus tractarentur, & honorificè ac tutò per infeſta Regna deducerentur.

E

P. F. Vincentius a S. Franciſco.

FF. Johannes ab Aſſumptione.

F

CAPUT V.

In Cœnobio Romano ad profectionem armantur.

I. DOmum à ſummo Pontifice regreſſi, & Apoſtolico favore fortunati, multa, & celeriter pro temporis anguſtia, & excelsè pro rei magnitudine moliuntur. Inter alia verò ſilere non licet actum ſanè grandem, & ad animos excitandos efficacem, quem in exedra cætibus Patrum deſtinata obierunt. Decreta ergo die quinque deſignati in exadram ingreſſi coram totius Cœnobii conſeſſu flexere genua eo ſcilicet modo, qui ad ſolemnem profeſſionem apud nos in morem inductus eſt, ubi de rei magnitudine, ac vitæ ſanctitate ad opus tantum requiſita P. Petrus inſigni cum energia concionem gravem ac piam habuit. Expleta concione Patres profeſſionem ſolemnem renovant, binaque vota ſubiungunt: alterum de pecunia, gemmis, aliiſve ſimilibus pretioſis rebus, nec accipiendis, nec attingendis, niſi extrema quæpiam à Prælato deſignanda neceſſitas ingravat: alterum de violenta morte pro fide oppetenda, ſi occaſio ſeſe offerat. Dominus autem Franciſcus Riolid obedientiæ & caſtitatis votum ardenter emiſit, hymnoque (*Te Deum laudamus*) ac precibus ritè decantatis mutuis amplexibus, ſuſpiriis, & animorum motibus actus pietatis fœcundiſſimus abſolvitur. Inſtante igitur profectione, modeſto ad ſacrum faciendum ap-

G

Miſſionariorū noſtrorum ſollemnia vota quæ?

H

Scrip. An. 1615.

paratu, ſacris calicibus, reliquiis, imaginibus, libris, tribuſque præſertim Evangelii tomis Arabicè excuſis, ut Regi Perſarum, aliiſque Principibus Mahometanis offerrentur adaptatis, anno 1604. pridie nonas Julii, octava nempe à feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli die, Roma excedunt: & itineris arrepti deſiderium laborum æmulationem, & piam gloriæ illius invidentiam altè defixam in univerſa Congregatione relinquunt.

A

CAPUT VI.

Excurſus itineris uſque ad confinia Moſcoviæ.

I. POſt accuratam conſultationem ad cavendos Turcarum inſultus, & alia pericula, quibus terræ ſanctæ via infeſtatur declinanda per Septentrionem in Perſidem eundum eſſe deliberatum eſt, & ne inſalutata B. Virgine Lauretana, cujus ope miſſiones diriguntur, ex Italia diſcederent, Lauretum, & inde Venetias incolumes petunt, ubi à Nuntio Apoſtolico per litteras Pontificias moniti liberaliter tractantur.

Lauretum petunt

B

Inde Venetias.

Venetiis profecti Pragam Imperatoris Regiam ſalvi pertingunt, ut à Cæſare commendatitias litteras ad magnum Moſcoviæ Ducem obtineant, quas non modo amplas impetrant, verùm, & alias ad Regem Perſidis, officio plenas accipiunt: & ſuaviſſimo noſtræ diſciplinæ odore Germaniam totam è Regia pervaſuro Imperatoriam urbem perfundunt.

Pragam pertingunt.

Praga Cracoviam, Regiam ſcilicet Poloniæ urbem contendunt, ubi à ſereniſſimo Rege humaniter admodum habiti, multa Inſtituti noſtri laude claruerunt. Quod è rerum exitu facilè aſtruitur; nam præter alia ejus rei argumenta ipſe in primis ſereniſſimus Rex, ac Princeps, ejuſque filius, Illuſtriſſimuſque Cardinalis Cracoviæ, ac viri alii ejus Regni facile clariſſimi Congregationis noſtræ veſte, quam Scapulare dicimus, inſigni ad noſtram diſciplinam propenſione induti ſunt.

C

Inde Cracoviam.

Cracovia in Lituaniam commeant, ubi obſtacula longe gravia offendunt, quibus via in Moſcoviam prætexitur. Innotuerat quippe tunc legitimus hæres Moſcoviæ Demetrius, cui plurimi auxiliares accedebant, ut juſto exercitu Tyrannum occupata ſede deturbaret, ac debito ſibi principatu potiretur. Cumque Tyrannus omnia timeret, aditum Regionis numeroſo milite intercluſerat.

Indeque Lituaniam.

Magnus verò Lituaniæ Cancellarius, quod rem à Rege Poloniæ impensè commendatam exequi ardenter optaret, oratorem peculiarem Regis nomine mittit, ut Patres tamquam ſuos Sacerdotes honeſto prætextu in Moſcovitæ Principis regiam, & ſi opus eſſet, uſque ad mare Caſpium tutò perduceret.

D

Pergunt ergo, & in Moſcoviæ regionem pedem inferunt. Sed limitanei cuſtodes ingreſſos ſtatim ſuis finibus excludunt, quod Poloniæ Rex, à quo mitti dicebantur, Demetrio faveret.

Varſaviam redeunt & cur?

Regrediuntur excluſi Varſaviam, urbem videlicet nobilem, ubi Poloniæ Rex, cum Regni primoribus comitia celebrabat, ut aliam in Perſidem viam auſpiciis Regis inirent. Regi verò, qui magno Tartaro cum dono Regio Oratorem dirigere cogitarat, Patres oratoris Comites per Tartariam, in Perſarum fines deduci expedire viſum eſt. Cujus ſententia Principibus aliis in res noſtras pronis probata eo placuit magis, quod Caphæ, Chriſtianis, omni ope deſtitutis obiter conſuli, totiuſque Tartariæ ingenium, quàm eſſet Chriſtianæ ſementi aptum, à Patribus deprehendi poſſet.

E

At quia è Tartaris ad Perſas perdifficilis via, vix duobus patere poſſe videbatur: gentem diſtribuere P. Petrus prudenter cogitavit.

CAPUT VII.

Agitur de Cœnobio Cracoviæ condendo.

F

Cracoviæ Cœnobium condunt.

I. INterim, dum P. Paulus iter Tartaricum urgebat, cum P. Vincentius una cum Fratre Joanne ex itinere Moſcoviæ non confecto, ſed tentato, Cracoviam rediiſſet; exploratis jam Poloniæ animis ad noſtrum Inſtitutum propenſis, Illuſtriſſimi præſertim Cardinalis affectu ad condendum Monaſterium per litteras ſignificato, P. Petrus ut ex Polonia in Moſcoviam, & Perſidem gradum faceret, P. Vincentio, ut de re ſeriò ageret per litteras mandavit quod ſatis fœliciter cœptum, & promotum eſt. Per idem verò tempus, dum P. Paulus apud Tartariæ oratorem inſtat, Nuncium Polonis lætum perfertur; Demetrium ſcilicet tempeſtiva Tiranni morte Moſcovia potitum.

G

Quapropter omiſſa Tartaria curam facilioris viæ, quæ per Moſcovitas aperiebatur P. Paulus reſumpſit, & demum Cracoviam, cum ſociis regreſſus eſt. Diu ergo præcluſo Perſidis itinere, non abſque divino nutu Poloniæ proviſum eſt, ut inter ſubjecta, frigido axi regna calorem noſtræ diſciplinæ prima conciperet, ac noſtræ genti ulteriora Septentrionis, vel Orientis ſpatia petenti humanum præberet hoſpitium: unde, qui impoſterum de via feſſi aliquantum interquieverint, alacrius progreſſi reliquum iter conficiant.

Clementis VIII. obitus notatus.

Hìc verò interciſum iter orientalis miſſionis, & Pontificis Maximi Clementis VIII. à quo legati fuerant, obitum patienter ferunt, & divini Conſilii Mæandros explorantes, nullo interim otio torpeſcunt.

H

Cracovienſis quippe Cœnobii fundamenta defodiunt, novique Pontificis, qui miſſionem auctoritate nova redintegret electionem præſtolantur.

Leo XI. creatur paulloque poſt moritur.

Creatur Leo XI. fauſtis initiis orbi toti lætus, ſed ante viginti à creatione dies ſummo cum Romæ dolore ſublatus; qui, ut non obſcurè indicarat rebus noſtris erat egregiè fauturus. Verum iis diebus Patres Congregationis, animo minimè fracti, in Deo clementiſſimo ſpem totam reponunt, Paterque in primis Petrus, graviores è Cœnobiis Italiæ Patres ad

Scripta An. 1615.

ad generalia Comitia noſtra, anno milleſimo ſexcenteſimo quinto, menſe Majo, per literas convocat, ut inter multa negocia certè ſeria, miſſionum præſertim opus bene cœptum conſtabiliat.

CAPUT VIII.

In generalibus Comitiis noſtris de Miſſionibus ſeriò agitur.

P. F. Ferdinandus a S Maria Præpoſitus Generalis eligitur.

Miſſio Polonica ad Ruthenos juvandos ſtabilitur.

Seminarium miſſionum ſtabilitur.

P. F. Petrus a Matre Dei Procurator Miſſionum eligitur.

Paullus V. P. Maximus.

I. UT primùm ergo Comitia noſtra coacta ſunt, Rever. admodum P. Fr. Ferdinandus à S. M. delectus Congregationis Præpoſitus Generalis, inter primas ſeſſiones, de miſſionibus ex profeſſo egit, exemploque & hortatu omnium Patrum animos ad excelſum opus mirificè inflammavit, quod è ſubjectis actibus liquebit. Acceperat P. Petrus ab Eccleſiæ Ruthenæ Metropolita litteras, quibus Congregationis auxilium implorabat, ut Eccleſiæ Romanæ ſuam fœderatam efficeret, quibus in conſeſſu perlectis, mira concordia reſponſum eſt Fratres noſtros quantocyus eò deſtinandos, ut pia vota Metropolitæ juvarent. Polonica quippe miſſio ad Ruthenos adjuvandos opportuna viſa eſt. Edita eſt præterea lex Conſtitutionibus noſtris intexta: ut inter graviores Comitiorum actus, quoties Patres conveniunt, de miſſionibus cœptis, alendis, & novis tentandis agatur. Seminarium quoque unum, quem Conventum miſſionum appellare placuit, deſignatum eſt: ut ibi Fratres noſtri vitæ ſanctitate, ingenii, ac doctrinæ dotibus inſignes, qui id enixè poſtulaſſent, eruditioni, ac linguarum peritiæ, ſpiritualibuſque exercitiis intenti, ad proximas miſſiones ſeſe compararent: & ut commodius ea munia ſine diſtractionibus obirent annui redditus ei loco permiſſi ſunt. Quia verò Miſſionum Cœnobium Romæ condi oportebat, cum adhuc modus non ſuppeteret, proviſum eſt, ut Monaſterium S. Sylveſtri juxta Tuſculum vetus ſitum, in opus hoc ſufficeretur ad tempus, donec Romanum exſtrueretur. Superiorem autem ejus Cænobii, ſpectatæ virtutis, & animi ad fovendas miſſiones propenſi, creari oportere ſancitum eſt: & ne temporis decurſu animi languerent; P. Petrus tanti operis promotor acerrimus, in Procuratorem miſſionum fuit electus, ut novum, hoc munus lege nova decretum ad poſteros permanaret. Denique, quod inter omnia pietatis plurimum habet, genibus flexis, animiſque in Deum erectis Patres (ut bene auſpicarentur) non modo miſſionum opus Deo acceptiſſimum, ex animo amplexi ſunt, verùm, & ſe quo mitterentur profecturos, & prælationibus, ac officiis quibuſcumque jam inde eam ob cauſam renunciantes, ſe nihil detrecturos religioſiſſimè voverunt. Sic opus Patrum ſuffragiis, votiſque probatum, totius Congregationis animos mirum in modum excitavit, una cum ampla promovendæ proximorum ſalutis propoſitione concrevit. Quia verò divinam bonitatem ſtudiis adeo piis favere decebat, miſſionum ſtabilimento cumulus quidam hoc anno inſperatus acceſſit. Summus quippe Pontifex SS. D. N. Paulus V. ad Eccleſiæ propagationem intentiſſimus P. Petrum ingenio ſimili præditum graviſſimæ functionis miniſtrum aſcivit; injunxitque ut totius orbis terrarum regna percurreret animo, & quibus modis, qui ab Eccleſia diſſentiunt, poſſint ad Chriſti caſtra reduci meditaretur; ac per hebdomadas ſingulas, ea quæ ſuccurrerent, decreta Mercurii die ad ipſum referret. Quod providentiæ genus, & honorificum valde, & miſſionibus noſtris provehendis appoſitiſſimum eſſe facile perſpicimus: atque in hunc modum Perſicam quoque miſſionem feliciter ſucceſſuram exiſtimamus. Spes bene fulta ſuccreſcit, cæpit enim Sanctiſſimus Pontifex Apoſtolicis litteris Patres Cracoviæ agentes ad operis, itineriſque progreſſionem adhortari, & officium quod Summus Pont. Clem. VIII. erga principes præſtiterat, ſimili tenore perſequitur.

LECTORI.

Hic Vener. Pater vita abſtinuit, ac proinde, & ſcripto. Dolendum equidem ob ingentis operis, quo Carmeli gloriam in immenſum elatum ibat, jacturam, & tui, o Lector, deſiderii, quod (ut mihi ſpondeo) breve hoc, ſed eximium ſpecimen vehementer accenderat, importunam fruſtrationem. Morti iſthæc etiam injuria condonanda; & quantum equidem poſſumus minuenda.

Quando ergo in integrum non licet, ſupplendum eſt damnum ſaltem in parte. Eo damus tibi ex Annalibus noſtris hoc breviarium, ex quo coniicere queas quem in finem collimabat Author, niſi mors præripuiſſet illi oculos, tibi ſolatium, nobis gaudium noſtrum. Interim ſic habe.

PAter F. Petrus à Matre Dei, conſtans, & excellens noſtræ Reformationis columna, cum Romæ ageret anno 1597. gratus, & acceptus ſummo Paſtori Clementi VIII. à Sacra Cardinalium Congregatione permagni habitus, nec non totius Curiæ communi laude celebris; litteræ illi à Prælatis noſtris ex Hiſpania adſunt, eum ad ſe reverti jubentibus; & juſtis de cauſis, quæ id temporis expenſæ ſunt, cæptas in Italia fundationes intermittere. Itineri ſe daturus convenit ſuam Sanctitatem, & ab ea ſe benedictione muniri poſtulat. Cauſam percunctatus ſummus Pontifex, & de ea certior factus, cæleſti (prout exitus declaravit) inſtinctu, quo præparabatur ad magnos auſus pro gloria Dei promovenda, per jam adultam S. Tereſiæ ſobolem; deſtinato itineri obicem ponit, & Romæ eum con-

Scrip. An. 1615.

Monaſterium S. Mariæ de Scala Romæ conſtruitur.

A

conſiſtere jubet. Fundum illi deſignat ad S. Mariam de Scala, ad Monaſterii conſtructionem, in Bulla quæ incipit: *Sacrarum Religionis* 20. Martii anno prænotato conceſſa, & ſupremum eum tum Romanæ iſtius domus, cum etiam alterius Genuenſis, ſed & quarumlibet, quæ poſt fundandæ erant, Prælatum creat. Quanti fuerit momenti ea P. Petri in Urbe perſeverantia, mox rei ſucceſſus palam facit. Verùm enim ſummas in eo dotes, doctrinam, virtutem Sua Sanctitas deprehendens, miſſionum earum quæ id temporis ad fidei propagationem fiebant, ſuperintendentem conſtituit. Quo in munere, Clemens è vivis ſublato, Paulus V. non minus quàm ſuus Anteceſſor perſpectas, & acceptas habens animi divitias, quæ in eo vaſe mirificè coruſcabant, eum confirmavit. Ad eum igitur Legati confluent qui ex Oriente infectiſque aliis Occidentis regionibus, in Eccleſiæ Romanæ filiis recenſeri ſe volebant, aut curare illi obedientiam, aut ad eorum conditionem, adminiſtros poſtulare. Præfuit igitur ille unus, & ſolus, tantæ molis, tamque arduo muneri quicquid ætatis ſupervixit, annos novem. Porro antequam ad præmium conſummatæ, ut decuit ſuæ functionis, evolaret; P. noſter Thomas natione Boezanus, per id tempus almæ Urbis incola, ad ſpectantem eximium librum conſcripſit, in quo errores omnes quæ adverſus Chriſti fidem militant, & diſcooperit, & confutat; & ipſos miſſionarios optimis, ſaluberrimiſque, documentis, obarmatos dimittit. Iſque commentarius tantæ fidei eſt, ac ſecuritatis, ut quicumque ejuſmodi ſacræ occupationi ſe addixit, comparet eum ſibi, & aſſerat, eo uno, & bibliis mediantibus, adverſus quodlibet infidelitatis genus ſe affatim cataphractum incedere. Demortuo P. Petro, in eamdem vineam ſubrogarur venerabilis æque, ac admirabilis P. Fr. Dominicus à Jeſu Maria, eamque, veri inſtar Apoſtoli, & coluit, & promovit. Apoſtolica ea fabrica ſuper tres illas, quas jam diximus, Carmeli petras fundata adolevit adeo, ut ingreſſus ad Eccleſiæ regimen Gregorins XV. cum ejuſmodi negotiorum ſumma momenta expenderet, libraretque, legendorum exinde fructuum quam jucundiſſimam ubertatem, cætum ex eminentiſſimis Cardinalibus, aliiſque Eccleſiæ Prælatis conflavit, & titulo Congregationis *de Propaganda Fide* honoravit in Bulla, Romæ publicata 22. Junii. an. 1622. quæ incipit: *Inſcrutabile divinæ providentiæ arcanum &c.* cumque Pontificio muneri propria ſit ac Germana ea familia; ſummus idem Antiſtes, ei ſe præſeſſurum ſpondit, quandocumque Paſtoralis ſui officii capitales curæ, id illi indulgerent. Hac in Congregatione uni ſoli ex Religioſis omnibus, & graviſſimis viris, qui nec Cardinales, nec Prælati, Romæ cum degebant, P. Dominico à Jeſu locum eſſe voluit; eo quod illum ut Sancti Spiritum Sacrarium ſuſpicerent,

B

P. F. Thomas.

C

P. F. Dominicus a Jeſu Maria Procurator Miſſionum eligitur

Congregatio de propaganda fide juſſu Gregorii XV. erigitur.

D

& ſuper fundamentum decretorum ejus, ſua ipſorum dictamina, & concluſiones ſtabilirent. Priuſquam eo celſitudinis pertingeret ea Congregatio, Clemens VIII. qui primis eam delineamentis inumbrarat, ad inſtantiam P. Petri à Matre Dei (in cujus penetrabilis, numquam non exarſit fidei Catholicæ ignis & zelus) cùm ex noſtra Diſcalceatorum familia miniſtros in Perſidem emittere ſtatuiſſet; adinveniendum introducendæ veritati potentiores vias, quam per Turcicas ditiones, an. 1604. 2. Octobris, cum litteris, ad Regem Perſarum (de quibus l. 5. c. 4. annal. noſtræ Reform.) eos emiſit. Ter gemini hujus miſſionis primi Apoſtoli quorum memoria in æterna benedictione eſſe promeruit, fuerunt P. Paulus Simon, patria Genunenſis, F. Joannes Thadæus à S. Eliſæo Calahorranus, & F. Vincentius à S. Franciſco Valentiæ natus, in litteris illis ad Regem ſummopere amore commendati. Ipſi igitur pleni animo Patres, certiores facti de ſcabro admodum, ac pene ineluctabili in Perſidem ingreſſu, per Turcarum hoſtilem plagam ſtatuit, & per Septemtrionales partes eam circumgirare, & ea ratione ad metam ſuæ legationis pertingere. Italia igitur, Auſtriaque, & Ungaria retrò deſertis, in vaſtam Poloniam penetrantes, ibi virtute media, & rerum temporalium deſpectu, tantum nominis ſibi compararunt; ut Rex Sigiſmundus, complureſque Curiæ ſuæ Primates, ſacrum Scapulare ſuſceperint, ſeque in Ordinis Confratribus numerari, & nominatim inſcribi voluerint. Quod autem eo in ſolo jactum ſemen Evangelicum demiſerunt, feſtinatò fructum attulit, quem Regia Majeſtas, & Cracovienſis Academia in ſuis litteris tanta cum humanitate, ac benevolentia nobis obtulit votens ac lubens. Unde digreſſi, & magnum ſui deſiderium poſt ſe relinquentes, per Moſcoviam, & Tartariam compendiant iter: Pontum Euxinum, deſpectis rigoribus, & periculis ejus, prætervolant; & per Armeniam irrumpentes, ſuperatis, quæ hiſtoria ſingulari digna ſunt, univerſis obſtaculis, prolabuntur in Perſidem, & Curiæ Regiæ Civitatem Haſpaanium appellunt. Tradunt Regi Pontificis ſummi ſecum delatas litteras, quas ipſe dum ſe in Romana Curia tanti habitum vidit, magni fecit, & in patrium ſermonem traduci curavit; audienſque Religioſos illos nobiliſſimi Prophetæ Eliæ eſſe progeniem ſanctam, & vitæ integerrimæ, honorificè eos, & perhumaniter accepit; & ad ſui muneris functionem promovendam, opem & gratiam, quam poſtulabant, ſpopondit. Hùc ſpectavit, & ſummoperè profuit, ea qua N. S. P. Elias apud Orientales populos, & Chriſtianos, & Mauros in veneratione eſt, fama percelebris, & præcellens exiſtimatione eo quod ſæpius variiſque hominibus ipſo in noſtro Religioſo habitu comparuerit, prout oportuniore loco dicturi ſumus. Quæ noſtra ſacra Religio in illis mundi plagis Deo, &

E

Primi ex Diſcalceatorum familia Miſſionarii qui?

F

G

Miſſionarii Regem Perſarum adeunt, eique litteras Romani Pontificis exhibent.

H

Scrip. An. 1615.

Eccleſiæ præſtitit obſequia, eorum omnium conſummatam in Italia conſcribunt hiſtoriam: ſumma dumtaxat P. Proſper a Spiritu Sancti noſtri Monaſterii in Perſarum Curia, Civitate Haſpaan Prior concinnavit, quam Romæ SS. noſtro P. Urbano VIII. & Congregationi de propaganda fide legendam obtulit. Poſtmodum cum a. 1626. pertranſiret Hiſpaniam Madriti (ubi ipſe A mihi primum innotuit) ſereniſſimo infanti Cardinali D. Ferdinando, jam translato ad gloriam, eam dedicavit. Cum autem, plena ea ædificatione ſit, & ad aliquantam eorum, quæ ſciri volunt, notitiam ſpectet; condignam eam duxi, quæ hunc locum ſortiretur.

Perſequutio in Chriſt. fideles excitatur

Anno 1621. excitata perſecutionis procella in Armenios Chriſtianos qui Perſidem incolunt, cum jam ad Regis nutum, quadraginta duorum oppidorum primoribus, circumciſionis infamiam inuſſiſſent reliquumque vulgus, extenta ad cælum manu, Mahometum profiteri vi ſumma compuliſſent; ac Chulfam urbem conſimilis mali ſuſpicionibus impleviſſent: pro ejuſmodi B infœlicium animarum reparanda ſalute, vitam ſuam PP. noſtri prodigere concluſerunt, & nulla mora P. Joannem à S. Thadæo, & noſtri Monaſterii Superiorem P. Dimam à cruce, Perſici idiomatis peritos emiſerunt, qui & prædictos pauperes ſolarentur, & Chulfam periclitantem confortarent. Recepere eos Chulfani in multis lachrymis & plurimum conſolationis in eorum adventu invenere, qui mori potius, quam ad Mahometum reflectere decreverant. Sed mutato in melius Rege; & mox ſopito malo quod iſti Civitati imminebat, prædicti Patres Haſpaanium, quod inde uno circiter milliari diſtabat, ad propria C remearunt.

Eccleſiam conſtruunt.

Eodem vertente anno, 21. Novembris noſtri Patres novam Eccleſiam in Curia regali ſub titulo S. Eliæ Prophetæ canonica benedictione conſecrarunt, ad uſum commodiorem Chaldæorum Chriſtianorum, eorum maximè qui urgente Rege, & pecuniarum vi, à fide defecerant; ibique peractis miſſarum ſolemniis, ab ipſo noſtri Monaſterii Superiore, Chaldæus quidam Sacerdos cum omni populo ſuo, fidei Chriſtianæ profeſſionem edidit. Eo in templo docent aſſiduè noſtri Patres, ſacramenta adminiſtrant; diebus feſtivis, ſacris concionibus ſolantur, & confortant populum, magno cum proventu gloriæ Dei, & ædificationis animarum. Iis aliquoties etiam ſe D videndum exhibuit S. P. N. Elias, ea in habitus forma, qua induimur, priuſquam umquam in illis terris comparuiſſemus, prout oculati teſtes, qui adhuc in vivis ſunt, non pauci, & cum quibus familiariter egi, conſtanter aſſerunt.

28. Menſis ejuſdem, Mahometani quatuor, Sacro Fonte baptiſmatis in Haſpaanenſi noſtro Monaſterio renati ſunt, miniſtris Patribus noſtris, qui & mutatis nominibus, & vita, unus Alexander, alter Hebrainus, Joſeph tertius, quartus Alabardus appellati. Hos autem aliquanto poſt, Ormoſium ad noſtros dimiſimus, conducente eos Elia quodam à noſtris ante aliquot annos baptizato, & ſecum ferente epiſtolas, in quibus ipſorum nomina deſcripta erant, cum Mauritana, tum etiam Chriſtiana; quatenus eos ſecurius illic, ex charitate, in E fidei myſteriis erudirent. Decurſis igitur ſuſcepti itineris diebus decem, quatuor illi, cum ob ſuſceptum ex Regis juſſu in Luſitanos Joannis Chiræ bellum ultra progredi vererentur, retroverſis iis, prædictus Elias proſecutus iter, ab Anglis hæreticis, & Principis copiis intercipitur; & quòd probè ſcirent, eum Chriſto dediſſe nomen, ad hoc genus mortis condemnatur. Decoriant aſinum, & inſutum pellibus ejus Eliam palo infigunt adverſus Ormuſium, Regiam Inſulam, ab eo loco diſcretam itinere 15. dierum; (in quibus quanta paſſus fuerit, vix dici poteſt, quod non potuerint labefactare conſtantiam ejus, & Chriſtum ut ejuraret, impellere) ibique in confeſſione F puræ fidei pretioſam in conſpectu Domini mortem oppetit.

Quid paſſi Miſſionarii a Rege Perſarum, & cur?

Anno 1622. Februarii 14. mandat Perſarum Rex Gubernatori Haſpaanenſi feſtinare in ædes noſtras, qui ingreſſus, obſeratis, ut fuerat illi imperatum ſigillatiſque totius Eccleſiæ foribus, & omnium cubiculorum januis; nec non uno eodemque in loco tota Religioſorum communitate compacta, ordinatiſque per Monaſterium quaqua verſus excubiis; poſtmodum eò ſe refert, ubi Rex agebat dirè offenſus ex percepta epiſtola noſtrorum Patrum, per Eliam ad Prælatum noſtri Conventus Ormuſium traſmiſſa, quam à prædictis Anglis ex Hiſpanico in Perſicum ſermonem translatam G perlegerat iniquiſſimis oculis; noſque in ea deprehenderat conſecraſſe, Deo quaternionem illum Mahometanorum, quos & ſumma diligentia conquiri præcepit. Id temporis igitur ſemel, & iterum P. Sebaſtianus à Jeſu, Prior Conventus S. Auguſtini miſit P. Emmanuelem ſuum, qui ſua nos viſitatione ſolaretur; ſed quò minùs id præſtaret, ab ante memoratis Monaſterii noſtri cuſtodibus repulſam paſſus eſt.

5. Ejuſdem menſis, expendentes quamque temporis partem in præparationem mortis, ſinguli confeſſione generali expiabamus animam noſtram, legebamuſque ea nocte meditationis thema, inclyti Martyris S. Laurentii paſſionem; & matutinæ orationis materiam, H præclara geſta S. Catharinæ Virginis & Martyris: quo die per Præfecti urbis Secretarium, tranſmiſit Rex Patri Ioanni litteras ipſius, ſcriptas ad P. Baltazarum, Eliæ martyri creditas, earum ſimul interpretatione addita, quam Schiranus ille Vice-Rex fieri juſſerat, monetque, videret, an eſſent à ſua manu; ac deinde, ſi eſſent, probaretne traductionem? eaſque traduceret ipſemet; meminiſſet inſuper ho-

Scrip. An. 1615.

norum, quos exhibuerat ei ſua Majeſtas; & an id gratiæ rependeretur pro pane, & ſale quem toties una ſumpſerant? Faſſus eſt igitur P. Joannes ſuas eſſe litteras; earum autem converſionem à Rege miſſam cum deprehendiſſet plenam eſſe mendaciorum, aliam ipſe fideliorem ſubſtituit, Regi mox remittendam; unà cum reſponſo hoc: ſatis ſuperque ſe favores & gratias à S. M. ſibi præſtitas agnoſcere; ſuæ manus eſſe epiſtolam illam, neque quinos illos à ſe eſſe baptizatos inficiari. Quemadmodum enim S. Majeſtas tot Chriſtianos Chriſtum abjurare compellens, partes agit ſui Mahometi; ſic ego Chriſti, ut quicumque à Mahometo ad Chriſtum tranſire voluerint, neminem eorum non baptizatum à me dimittam. Neque enim adventus noſtri in hæc Regna ulla alia ratio, aut alius ſcopus fuit. Retulere Regi reſponſum, & hoc ipſum ſummopere illi arriſit; ut & ipſa litterarum traductio, longè alia ab illa, quam Schiranorum Prorex mendis & erroribus plenam jam ante illi tranſmiſerat. Declaravit itaque S. M. juſtum eſſe quicquid P. Jo. egerat, & Mulas (qui ſunt ſuæ ſectæ Sacerdotes) queritabundos, & obſtrepentes peſſum ire legem ſummi Prophetæ, & indignos nos vivere vociferantes, qui multa hominum millia baptizaſſemus, & quotquot S. M. ad Mahometum redire compulerat, denuò ad fidem noſtram revocaſſemus; ipſe Rex increpavit, & ite vos, inquiebat, in peſſimam crucem. Nullum eſt Patris iſtius peccatum. Quicquid geſſit, æquitatis eſt. Vigeſimum annum cum eo agens, nihil in eo, toto illo temporis ſpatio, nihil cum eis, qui illius ſunt, deprehendi, quod oleret mendacium. Cum autem Adminiſtri juſtitiæ incarceratos undecim in Regis conſpectum ſtatuiſſent, ſpretæ eos Mahometicæ legis accuſantes; quærit Rex à duobus eorum primis, ſi ſe denuo Chriſtianæ fidei reddidiſſent? qui dixerunt ab ipſis ſuis progenitoribus ſe fidem Chriſti didiciſſe, & nulli umquam alteri legi ſe geſſiſſe morem, ſeque PP. Carmelitarum obſequiis eſſe mancipatos. Ubi Rex ad Miniſtros ſuos converſus; qua igitur de cauſa ait eos huc producitis? ſolvite eos. Solvunt ergo eos, & libera eorum colla à catenis incunctanter expediunt. Sequentem autem percunctatus eſt; ſi ſe Chriſtianum feciſſet, & an Maurum nomen, in illa epiſtola quam præ manibus habebat, inſcriptum, ſi ſuum foret? & ille ad eum ita ſe rem habere profeſſus eſt, ſeque eſſe Chriſtianum, & continuo cum Rex igni cremandum eum addixiſſet, non inventis lignis in ſupplicii loco, quibus ſuum reum exurerent, lapidibus eum, Chriſtum Jeſum inſtantiſſimè confitentem obtrivere. Cœteris pari modo, quid eſſent, interrogatis, & ſibi nihil eſſe negotii cum Chriſtianis aſſeverantibus, (Hebraino excepto, qui, id quod erat ſe Chriſti eſſe ſervum inclamavit,) omnes reduci Rex imperat ad noſtras ædes; ubi quos P. Joannes diceret, non eſſe Chriſtianos, liberi abirent, alii ſibi denuò ſiſterentur; plus nempe fidei reponens in verbis inopis Religioſi, quam in bis mille ſuorum Mularum obſtreperis accuſationibus. Tanta vis eſt & energia veritatis. His igitur ad noſtrum Monaſterium appellentibus, ſub horam noctis primam feriæ tertiæ matutinum pro more celebramus, eoque ipſo momento temporis, captivi illi omnes quo & miniſtri juſtitiæ domum noſtram ingrederentur; occupati in Pſalmo 65. *Jubilate Deo* &c. ponunciabamus verſum nonum: *Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti* V. 10. 11. *ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Egreſſi ſumus igitur ad eos, tres ex nobis Sacerdotes, remanentibus aliis, conſiderantibusque, quam aptè ad rem præſentem verſus illi occurrerent, ibique ideo ſiſtentibus; donec, qui à Rege advenerant, ſatisfactis omnibus, & de duobus illis ſolis quod Chriſtiani eſſent, certum teſtimonium ſecum referentibus; rediremus ad chorum Patrum, & interruptum pſalmum proſequentes, diceremus fletu magis, quam voce; *tranſivimus* V. 12. *per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Videre tum illic fuit non ſine admiratione & ſtupore, quomodo, poſt factam à P. Joanne modicam exhortationem, in qua, quid ab aliis ſectis, Chriſti lex ſincera diſſonaret; quamque obſtricti eſſent, qui ſemel Chriſtum profeſſi ſunt, ibi hærere mordicùs, mortis cujuſcumque metu contempto: ipſimet perſecutionis miniſtri cohortarentur duos illos Athletas ne quid vererentur in ea fide mori; Chriſtum etiam eſſe Prophetam; mortem nihil habere, quod timeri jure debeat: quod ipſa in ſuæ legis obſervantia occumbentibus felix hæreditas foret, & bravium æternum. Certum eſſe Chriſtum adhuc vivere; Mahometum, licet magnum Prophetam, ſolviſſe morti jura ſua; Confitemini, Chriſtum 4. in cœlo agentem. Quid optabilius eſſe ducitis, qui in ipſius ſocietate ajebant, quartum illius cœli habitaculum eſtis poſſeſſuri? Cumque Patres ſpopondiſſent ſatellitio Regio, ſe ei ſatiſfacturos, ſi pauperes illos abſolvi ſatagerent; eadem nocte ad Gubernatoris ædes ubi eorum carceres erant, reduxerunt eos; & iteratò, primo diluculo pro foribus noſtris, reſtituentes eoſdem, de pacto pecuniæ accipiendæ, ſi qua ratione eos ſalvare poſſent, egere nobiſcum. Ubi ecce unum è noſtris, qui (cum nihil aliud toto Monaſterio inveniſſet, quod erogaret) panem unicum porrigit. Quem ipſi accipientes Neo-Chriſtianis, poſtmutuo datos, & acceptos amplexus, ad Regem qui tribus milliariis inde aberat, reducuntur. Id cujus conſpectum cum minimè admitterentur, accitis miniſtris jubet Rex eos, quos Patres pro non Chriſtianis haberent, abire ſinerent, alios verò, & obrui lapidibus, & igne conſumi. Repetentes igitur illa ipſa nocte ci-

Scrip. An. 1615.

vitatem, denunciant nobis ſe jam ire, & geminos illos extremo lapidis, & ignis afficere ſupplicio. Expedimus hic ergo quempiam, qui videret, quo pacto ſe gererent in ſuo agone Martyres; & pro illis orationi A incumbimus; dum interim juſſu regis proclamatur tota in urbe, per publicum Præconem, ut ſaxis inſtructi concurrerent, quibus cordi eſſet Mahometus, in Transfugarum, qui à lege ejus deſciverant, ultionem. Cum jam ad ſupplicii locum perveniſſent, ſcapulatim utrumque Martyrem craſſo fune colligarunt, ex uno latere eos ad terram incurvantes, & corda à genibus ad collum derivata innodantes, omni vi, ad confixum humi ſtatumve nexuerunt. Ubi demum per ſuos miniſtros Gubernator, qui Tragediæ præſidebat, miſit qui quærerent ab eis, qua tandem in fide morerentur, hortarenturque eos ad Mahometum, Chriſto repudiato denuo reflectere. Quibus cum generoſi B Martyres retuliſſent, ſe jam pernimium à falſo Propheta diffidere, ſe vivere, & mori Chriſtianos, agerent ipſi de ſe quicquid vellent, extemplò, lapidibus obtriti è terræ miſeriis, ad cœli gloriam felices animas emiſerunt. Reverſus ad nos à theatro, quem præmiſeramus exploratorem obitus, & virtutis eorum, fauſtum verbum nunciat, aſſeritque obiiſſe eos in Chriſto quàm conſtantiſſimè. Nos autem abrupta oratione mentali, & ad vocalem in jubilo converſi, *Te Deum* invocamus: Regis inhibitione neglecta, qui veritus, ne quid incarnationis ea die orando moliremur, nobis orationem interdixerat. Eo ipſo die Prior PP. Auguſtinum miſit qui viſitaret Martyres ad carcerem P. Ambroſium ſuum, nobis, ut dixi domi concluſis, & nulla ratio-C ne foras erumpere valentibus; quos cum minimè reperiſſet, convolans ad ſupplicii locum, ac condenſam ſpectantium multitudinem perfringens, animadvertit per felix incendium ad cœleſtem ſuam ſphæram evaſiſſe Martyres. Lætus ergo ad Conventum repetat, habens ut proprias, quas offerebamus Deo, Perſarum primitias, & pariter decantato in ſuis ædibus *Te Deum laudamus*, mittunt nobis Martyrii hoc nuntium, ſed priores nos jam jucundè affecerat.

Eadem die diviſis inter Satellites, qui noſtras ædes obſervarant, paucis nummulis; reſerarunt nobis, & valvas Eccleſiæ, & cellarum portas; & mediante cujuſdam Apparitoris famulo repetivimus corpora Martyrum, aut quidquid de eis ab igne ſupereſſe D poterat. Quod miratus Apparitor, adſtantibus dicebat: magna virtus Chriſtianæ legis; dum nihil obſtante quod hodie peractum viderunt Patres, nulla alia eos ſolicitudo habeat, quàm ut poſſint recipere, quod de combuſtis illis flamma abſorbere non valuit. Nocte eadem emiſit Superior domus F. Didacum in Perſico Schemate, tentaturum quid ejuſmodi acquirere poſſet: qui vacuus rediit, præpediente Satellitio, & quidpiam ſuffurandi, omnem rationem adimente; quod tamen obtinuerunt vi, cui obediunt omnia, pecuniæ; & quodcumque hoc fuit, Haſpaanium ad noſtras ædes tranſtulerunt, recondentes decenti in loco, & accepta occaſione, Romam proficiſcentis cujuſdam, ſcapulam ex eis unam atque oſſa E alia (quæ uſque in hodiernam diem ibidem in noſtro Monaſterio de ſcala aſſervantur) ad noſtros Patres traſmiſerunt.

His ita geſtis, ad bellum Cardaaranum Rege profecto, jam ante memoratus Gubernator, Monaſterio noſtro cuſtodias alias adhibet, ne quò foras prodiremus: & ut peſſimum nactus à natura animum, & à pauperibus nobis ſitiens quiddam extorquere pecuniæ; decurſu toto octo menſium nihil non moleſtiæ nobis faceſcit; cum interim de Dominicæ cultura vineæ nihil remittentes erga eos qui nos conveniebant, etiam ternos Mauros, conſtantia, & fide Neomartyrum commotos initiaremus ſacris undis, non abſque vitæ periculo. F

Eo ipſo anno, 6. Octobris conſummatis N. S. M. Tereſiæ ſolemniis, ritu Apoſtolico miſere Prælatum Conventus noſtri Haſpaanenſis P. Dimam à cruce ad 42. illa Armenorum loca, à quorum cordibus, & fidem, & Chriſtum Rex violentus extorſerat, videre, & ſcrutari, ſi quæ via ratioque pateret, qua denuo ad ſalutis portum naufragas animas reducere poſſet. Qui fauſtis avibus reverſus ad nos, poſt vicenos dies emenſit itineris, lætum ferens nuncium, aſſeruit, non deeſſe quiddam bonæ ſpei profectus ſpiritualis in illis operandi. Secundo igitur idem eodem amandatur cum omnibus, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad eos S. M. Eccleſiæ reſtituendos, opus erant. G Cui, & præſcriptum fuit, ne inde quo tendebat, emergeret, niſi Catechizatis eorum parvulis, & conſtituto Vicario, qui, quod ipſe feciſſet, continuò perficeret. Convenere itaque Religioſi omnes in Eccleſiam ante SS. Sacramentum, & Itinerarii precibus recitatis, ad alterum cornu Altaris deflectens Prælatus, & citato ad ſe P. Subpriore, pedum illi porrigens paſtorale, genuflexus genuflexo bene precatus dicebat: Eat Sua Reverentia, Angelus Domini tecum eſt. Stat in fide. Revocat ad Chriſtum quicquid amiſſum eſt. In Dei nomine tibi dictum volo, quod ipſe jam olim ſervo ſuo Moyſi: *Terra, quam calcaverit pes tuus, erit poſſeſſio tua.* Corruentes deinde in amplexus, & compluti lachrymis lætitiæ, emiſimus eum unà H cum diſcipulo ſuo, velut ad mortem pro Chriſto oppetendam. Favit obedientiæ Deus, ut quocumque ſe verteret hic fidei ſanctæ Legatus, denuò omnia Chriſto lucrifaceret; prophanatas à Rege, Eccleſias nova benedictione reſtaurans, eaſque ſuis imaginibus, crucibuſque reformans, & poliens. Cumque toto ſeptimeſtri non niſi duodena oppida perluſtrare poſſet; ex univerſis aliis convenerunt Haſpaanium ad noſtros, Priorem deprecari, ut ſibi etiam Patrem

Scrip. An. 1615.

trem illum concedere dignaretur. Proinde tantam animi fortitudinem induere omnes, & audaces adeò ſpiritus; ut qui in eis excellentiores erant, & ut capita cæterorum, certatim ad fores Regiæ domus confluxerint, Regemque ipſum hiſce affatibus exceperint. Quidquid rei familiaris eſt nobis, ò Rex, liberi, uxores, vita noſtra, ecce omnia illa in manibus tuis ſunt; porrò fides Chriſti eſt. Si tibi cordi eſt, ut moriamur, præſto ſumus. Chriſtum unum univerſi confitemur. Hujus fidem nuper abnegaſſe unus omnium dolor, & pœnitentia eſt. Robur, & fortitudo noſtra, nuperos illos innocentes à te occiſos ad memoriam revocare. Ita illi. Rex verò referens eis ſe, id minimè voluiſſe, quod à ſuis factum fuerat; cum unumquemque vivere in ſuæ legis obſervantia licere concluſiſſet, omnes unanimiter in obſequium fidei ſeſe denuo tradidere. Interea temporis quo proceſſit illa ſeptimana menſium, perſeveravit P. Dimas in ipſis Eccleſiis habitare, dormire in palea, modico illo quod pauperi pauperes impertiebantur, reficere ſeſe; abſtinere à vino ſemper, jejunia Ordinis accuratiſſimè obſervare, Miſſæ ſacrificium diluculo peragere, ſanctè hortari mulieres quæ domi manſerant, viros laboribus ad propria reverſos ſubveſperam erudire, & cum tota multitudine, compunctionis manantibus lacrymis, diſciplina ſeſe emendare, non ſine eximio profectu animarum ſuarum.

Perſidi contermina Arabia fælix Balſaram habet Civitatem, diſcretam ab Haſpaanenſi milliaribus circiter ducentis, quam Tigris, & Euphrates una præterlabuntur, & in ſinum Perſicum ſeſe deinde exonerant. Fama igitur perlata ad noſtros Patres, ea in urbe, & Provincia quamplurimos eſſe Chriſtianos, quos vocant S. Joannis, nihil Chriſtiani præter nomen habentes; ſtatuerunt gnarum Arabicæ linguæ Exploratorem eò præmittere, qui videret, ſi quæ ſpes ferendi eis auxiliatricem manum affulgeret. Proptereaque P. Franciſcus à S. Baſilio eò delegatur, cui, & viæ ducem aſſignant, & gentis iſtius indumentum accommodant 26. Martii an. 1623. obſervatis iiſdem cæremoniis, quibus antea P. Dimam emiſerant. Profectus ergo à nobis in mandatis habuit, ut quamprimum Balſaram appelleret; indumento Ordinis denuo reformatus incederet. Incidit in gravia vitæ pericula, ob graſſantia bella in finibus illis; ſimul, & varia, quæ ſunt gloriæ Dei, & ſingularis providentiæ ejus, in illos qui ſuæ Majeſtatis obſequio ſeſe totos offerunt, occurrerunt. Etenim ſervo illi ſuo fideli ſic adfuit, tantamque verbis illius energiam contulit, ut nulla ope pecuniæ, qua prorſus vacuus incedebat, nulloque humano fultus auxilio, qui nulli in ea Provincia notus erat, intraverit Civitatem; veſtem Religioſam iterum palam induerit. Et primò quod habuit cum Balſarano Principe colloquio, facultatem retulerit incolendi Provinciam illam, domum exſtruendi ſibi, conſecrandi Eccleſiam, & vitam vivendi Chriſtianam. Altera autem impetrata apud eumdem Principem poteſtate dicendi, ampliatam illam licentiam litteris exaratam acceperit, ut ſibi, & univerſis qui ſuam Religionem profiterentur, & quoſcumque haberet ea Provincia Chriſtianos, liceret ſecurè venire, frequentareque P. Baſilii Eccleſiam: idque cum tanta affectus humani demonſtratione conceſſit, ut cum jam prædictus Pater extra muros civitatis, habitationis ſuæ locum elegiſſet: & id temporis Provinciam illam Rex Perſarum occupare, & deprædari tentaret; vocaverit illum Principis filius in ſinum civitatis, ubi, & domum illi aſſignavit, ex qua, & habitationem ſibi, & ſuis Eccleſiam exſtrueret. Qua acceptata, ex eleemoſynis advenarum Chriſtianorum, maximè autem Luſitanorum, ad aptiorem amplioremque Eccleſiæ fabricam, grandem vaſtamque aliam quò extranei convenire ſueverant, coemerunt; ex qua ſolo adæquata, & majore parte domus alterius, ædem, & Eccleſiam, quæ noſtrarum referret imaginem moliri cæpit ab ipſis fundamentis, quam, & abſolutam vidit ope divina, & nomine B. V. Mariæ de Succurſu, quæ pro iſtarum nationum animabus ſalvandis ſubſidium foret, nominavit. Patri huic natione Luſitano videtur Dominus linguarum impertiviſſe gratiam ſingularem, qui ſemeſtri ſpatio callere potuit Arabicam, legere quoſcumque libros, & ſacras iſtius idiomatis habere conciones ad populum. Sed, & Turcici Perſicique ſermonis peritiſſimus fuit. Scripſit Priori noſtro Haſpaanenſi, ſibi, dante Deo, tantum ineſſe animi, ut non deſperet ipſa urbe Meca ubi ſpurcum Mahometi cadaver aſſervatur, & colitur, poſſe ſe media novæ fundationis invenire. Porrò Balſarana ea domus noſtra S. Mariæ de Succurſu, eximiè promovet gloriam Dei, & exinde fructus uberes colligere propediem præſtolamur.

P F. Franciſcus a S. Baſilio.

P. F. Baſilius Balſaræ Eccleſiam conſtruit.

Multis ab annis Chiranus Princeps expetierat noſtros Patres habere ſuarum terrarum incolas, & maximè ipſam Perſidis Metropolim, quæ eſt Chiras, inhabitare; ſed cum deeſſent nobis, qui mitterentur, defuit, & tam pulchræ occaſionis arripiendæ facultas. Verumtamen, cum an. 1621. Roma nobis quatuor Religioſi noſtri adveniſſent; ſcripſerunt PP. ad prædicti Principis jam defuncti filium; ſi in ipſo vigeret quidpiam paterni animi; eo ſe tum quoſdam è noſtris emiſſuros. Quibus ille, opus eſſe primo id Regem annuere, ſeque ab eo neceſſariam poſtulare velle facultatem. Poſtulavit, obtinuit, certioreſque de ea reddidit PP. noſtros, qui, & an. 1623. Julii 13. miſerunt ad eum P. Jo. Thadæum, & P. Thomam Luſitanos, excepit eos Chiranus Princeps quàm humaniſſimè, etiam in ſtativis agens procul ab urbe milliaribus plus minus quindenis; & erogatis illis in eleemoſy-

Scrip. An. 1615.

moſynam nummis aureis 150. & mula oblata, eos ad urbis Præfectum à ſe dimiſit, mandans ut confeſtim domum illis provideret, qualemcunque in tota civitate ſibi decernerent, etiam quam ipſe inhabitabat, ſi ea Patribus adluberet. Cum igitur 1. Auguſti eò appuliſſent, poſt comparatas ſibi ædes, ad majorem ejuſce fundationis ſecuritatem adverſus Mauritanam inconſtantiam, 4. ejuſdem menſis, earum poſſeſſionem iniverunt. Ubi poſt vicenos dies P. Petro Thoma è vivis ſublato, P. Joannes de tranſactis redditurus rationem, repetit Haſpaanium, & mox unà cum eo P. Dimam, F. Antonium tergeminoſque eorum diſcipulos optando fœnore reſtituunt. Fundatio ea qualis fuit in ſuis initiis, uſque huc talis eſſe perſeverat, divinæ gloriæ promotrix, & alumna. Cum enim Ormuſianam Inſulam, ſitam ad ſinum Perſicum, Princeps Chiranus, juſſu Perſæ Regis, ſuam feciſſet, eoque ingentem mancipiorum Chriſtianorum multitudinem contraxiſſet, quam, ut fidem ejuraret, impulerant; pars major, noſtris eouſque penetrantibus, ſeſe Matri Eccleſiæ reddiderunt. At quorum exemplum Mahumetani complures ſacris fontibus initiari deſiderant, aſſiduuſque ad nos, & Maurorum, & Chriſtianorum confluxus celebratur, in quibus mira operatur Dei virtus, his inopinam ſanitatem, illis deperditam emortuorum membrorum uſuram elargita, quæ benedicta eſto, &, ubique, & ſemper.

Diſtat ab Haſpaanenſi civitas alia gentilium milliari unico, qui ignem & elementa alia adorant, & quibuſdam aliis erroribus irretiti vivunt, credentes animarum in corpora varia tranſmigrationem, & idæas Platonicas, quas ipſi Reginas ſpecierum vocant. Qui omnes, mirum eſt, quantum erga noſtros PP. afficiantur, & Haſpaanenſe noſtrum Monaſterium frequentent. Pepigerant noſtri cum quodam eorum ſacrificulo; ut ipſe in domo ſua locum decerneret uni ex noſtris, qui ejus idioma conciperet, & omnium inſanarum opinionum ejus capax redderetur; unde poſtmodum ad gentes reliquas, quarum Deus ignis eſt, ut diximus aditus pateret: quæ tamen meſſis, deficiente hactenus qui metat, abſolvi non potuit.

Nulla dies fuit, qua non adeſſet nobis Mahometanus quiſpiam Sacerdos, tantæ doctrinæ, ut Rethoricen, aliaſque artium facultates ipſa in urbe, jam ab annis viginti prælegeret. Aderat autem ſub prætextu erudiendi nos in Grammatica Arabicæ linguæ, ubi aliquando videns ſibi proponi libellum cui titulus ſpeculum indagandæ veritatis, editum in lucem à PP. Societatis, qui ditionem magni Gomor inhabitant. (Agit is de Deo uno & trino; de Incarnationis Verbi Dei convenientia; & qua ratione, Alcoranus dici nequeat liber divinus, aut verò ipſi Evangelio ullatenus officere.) Accepit eum, cepit legere, ſeque in eo ita oblectavit, ut mutuo ſibi concedi poſtularet. Dederunt ergo ei, non librum, ſed antigraphum ejus. Ipſe cœtui doctiſſimorum, nobiliſſimorumque hominum ad ſceleratæ ſuæ ſectæ propagationem procurandam inſtituto, detulit. Quo perlecto, librum alium huic adverſantem ediderunt, quem & P. Priori noſtro obtulerunt, Romam ad ſuam ſanctitatem tranſmittendum; à quo & reſponſum præſtolantur, dicentes: ſi quod ipſos convinceret, ab eo audire valeant ad Chriſtianam fidem amplectendam, alio oratore ſe minimè indigere. Convocavit igitur Sua Sanctitas doctiſſimos quoſque, ſcire quid ad propoſitas theſes eo in codice, haberent opponere. Sed quod prætermitti non debet, prædicti Conciliabuli Antiſtes miſit, qui P. Priori noſtro nunciaret, ſe ad ſuum librum vidiſſe Romana reſponſa, quæ prorſus ad illius impugnationem invalidandam, nihil adducerent.

Sacerdoti illi, qui in noſtro Conventu quotidie lectionem habebat, obtulere Patres quinque libros Moyſis, ſermone Arabico conſcriptos, ut ſibi eos exſcriberet; nec non & SS. Evangelia, quæ in Perſicum idioma revocaret. Id autem eò fiebat, quo veram religionem penitus agnoſceret. Sed peractam jam traductionem, minimè reddere conſenſit, nos ſe ita affeciſſe, ut ultra vivere nequiret, ubi prædicandæ veritatis locum non haberet. Ideo litteras ad Romanum Pontificem ſibi à noſtris conſcribi poſtulavit; quibus tandem impetratis in Indias Orientales proficiſcitur intentione communicandi cum PP. Societ. eum librum quem in nos ipſi conſcripſerant, aſſeritque ſi Deus Romam eum aliquando aſſumeret, ſe in iis Regionibus ſui famam & nomen relicturum.

Poſtera die Epiphaniæ Dominicæ comparuit in noſtris ædibus Elias Sacerdos, qui Chaldæorum Chriſtianorum curæ in Eccleſia noſtra Haſpaanenſi incumbit, nuncians P. Priori, & P. Joanni Thadæo apparuiſſe ſibi glorioſiſſimam Virginem Dei matrem, quo tempore veſpertinas laudes ipſi in Choro perſolverent: & mandaſſe ſibi, diceret noſtris Patribus, ut quatuor prædictorum Martyrum univerſam parentelam baptizarent. Quæ verba piam imaginationem eſſe PP. interpetrati ſunt, cùm neminem eorum adhuc vidiſſent, qui id ſibi fieri poſtularet. Ecce autem poſt dierum hebdomadem, primi è prædictis ſoror, (quæ nulla umquam ratione perſuaderi potuerat, ut Chriſti fidem amplecteretur; licet fratri & cognatæ jam Chriſtianis cohabitaret) tandem comparet, dicens: ſuam cognatam aſſerere, adfuiſſe ſibi maritum ſuum in ſplendore multo; & monuiſſe eam, ut ſe ad mortem compararet, brevi tranſituram ad gloriam cæleſtem, qua jam ipſe fruebatur: & ut quadriennem filiolam ſuam Patribus commendaret: ſe verò, cum obiiſſet, inter Catholicos ſepelire curaret. Ipſa autem totum adhuc Mahometum in pectore gerens,

nulomnia illa, quæ dicebat, annis excipiebat: donec poſtera die cognatam ſuam demortuam offendit. Ea eſt Maria, quæ, tempore perſecutionis, extremo addicta ſupplicio, una cum ſua filia in brachiis, ex altiſſima totius civitatis turri præcipitari debuit: pro cujus redemptione Patres, poſt nullum non permotum lapidem, ſcutos aureos quindecim (quæ tota Conventus ſubſtantia erat) liberaliter offerentes, nudi ipſi omni nummo remanſerunt. Illa igitur defunctæ cognata, expectata noctis opportunitate, aſſumpſit eam in humeros ſuos, & ſepulturam Chriſtianam (prout rogata fuerat) illi impertivit: ac tandem reddens ſe Patribus cum ſuppliciter baptizari poſtulaſſet, mox baptizata, poſt dies paucos maritum ſuum, filias duas, & conſobrinum unum adduxit Patribus catechizandos abluendoſque, dicens: reliquorum Martyrum conſanguineos omnes, in eumdem finem peroptare congreſſum Patrum; ſed nimio adhuc metu perculſos, nondum id audere: quin etiam formidare ſeſe profiteri Chiſtianam. Unde, quæ viſio exhibita fuerat Sacerdoti illi, fidem ſibi adhiberi promeruit.

Eo ipſo tempore in civitate Chulfa Epiſcopus fuit nomine magiſter Moyſes, vir inter Armenos tanti ponderis ac precii ut ad illius adventum concurreret tota civitas obviam, ad diem unum procul adhuc agenti. Hujus amicitiam adepti ſunt noſtri Patres, dum eum frequentius conveniunt, ut miſſi à Sua Sanctitate in illa regna: maximè autem, dum, ipſo præſente cum ſuis ſtipatoribus Religioſis, in quadam Eccleſia, noſtri Patres, divina operante virtute, mulierem ab atrociſſimo dæmonio, quod illam toto ſpectante populo, diſtorquebat, liberarunt. Cumque eum unà cum noſtris Capitaneus quidam Haſpanii incola ad ſe invitaſſet; priuſquam illius ædes adiret Epiſcopus; unà ipſe cum quatuor paribus Religioſorum ſuorum Ordinis S. Baſilii, totidemque Sacerdotibus aliis, nec non, & totius civitatis primaria nobilitate ſtipatus Monaſterium noſtrum ſua viſitatione honoravit: cui juxta præſcriptum nobis canonem recepto, P. Joannes Thadæus publicam adhortationem exhibet, in qua quantum momenti eſſet vera unio cum Romano Pontifice qui Catholicæ Eccleſiæ verum ac legitimum caput, à Chriſto eſt Inſtitutus diſſeruit. Tum præmiſſis ſæcularibus in comitatu noſtrorum PP. domum Capitanei conceſſit: & finito convivio, noſtri ad Monaſterium reduxerunt eum. Non ignarus autem Capitaneus paupertatis, & inſufficientiæ noſtræ, ad ſplendidè habendum hominem tanti meriti, Religioſoſque, & Sacerdotes ejus, miſit nobis omnem pompam, & apparatum neceſſarium, eo uſque ut nec ſuam ipſius culcitram ubi dormiebat, ſibi retinuerit. Mane diei ſequentis noſtri ad aliam Eccleſiam, quam pro Chriſtianis Chaldæis Paralatam habent, deduxerunt eum, tum etiam ad eam, quæ eſt PP. Auguſtinianorum, & uſque ad Chulſani ſoli viciniam ſeſe ei comites præbuere. Ad cujus receptionem cum, ut ante dictum eſt, occurriſſet univerſus populus, & ipſo ordinante, in templo, manus PP. noſtrorum omnes exoſculati fuiſſent; mutuò datis, & acceptis tenerrimi affectus amplexibus, ab invicem avelluntur.

Feria 4. quæ Dominicam Quinquageſimæ antecedit, Idem Epiſcopus Religioſos duos, Sacerdotem unum ſæcularem, geminoſque alios, qui eorum eſſe diſcipuli videbantur, emiſit, qui noſtros PP. & Auguſtinianos, nec non noſtrum Eliam Sacerdotem Chaldæum Catholicum invitarent, ut mane ſequenti Chulfam convenirent omnes; juſſis illis nocte illa in noſtro Conventu quieſcere, & primo diluculo Priorem Monaſterii ſecum adducentes itineri ſeſe dare. His igitur pro more S. N. Ordinis humaniſſimè exceptis, lotis eorum pedibus, & conſueto oſculo honoratis; deinde à Superiore domus in media cœnaculi menſa accumbere juſſis, poſt noctis captatam quietem, primo mane P. Prior duos ſecum educens ſocios, profectus cum Herebanos (vicum civitatis, quem incolunt pluſquam bis mille Armeni) pertranſirent, ecce Sacerdotes eorum, & cum eis numeroſiſſimum vulgus (ut fieri mandarat Epiſcopus) crucem prætendentes obviam occurrere, accipere P. noſtrum Priorem, deducere eum in Eccleſiam, crucem in manibus ejus reponere, & brevi oratione habita, ipſe in ſignaculo noſtræ redemptionis, impertiri populo benedictionem, & exinde, quo tendebant progredi omnes.

Chulfæ igitur cum haberet Epiſcopus in Eccleſia congregatos ſuos Baſilianos omnes, & Sacerdotes, & populum; prodeunt ritu proceſſionis (quorum octo induti ſacris pluvialibus, Acholiti quatuor, thuriferarii tres, duo Muſici accincti ſuis organis, quæ illic pro more gentis uſurpare ſolent) uſque ad Eccleſiæ forinſecas valvas, ad Patrem Priorem, & ſocios ejus, nec non, & prædictum Sacerdotem Chaldæum recipiendos. Quos omnes quinque cum pluvialibus pretioſis induiſſent, & ſacrum codicem Evangeliorum cuique eorum geſtandum porrexiſſent; reſtaurata proceſſione, in canticis, & ſymphoniis patriæ deducunt eos ad majorem Capellam, ubi terna ſedilia ſeſſores ſuos exſpectabant. Quò ubi convenerunt unam P. Prior, binas alias ſocii ejus occupare jubentur; & mox ad nutum Epiſcopi, proferuntur odoratæ aquæ, quibus eorum capita abluuntur; ac deinde vulgari aqua alia pedes. Quibus ritè peractis, alia in ſede reſidens Epiſcopus, orationem habet ad populum, aſſumpto hoc Jo. 15. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benedicitis, ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros ego Dominus, ac magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Finita concione, & ablatis Priori, & ſociis ejus palliis ſacris, introducunt eos in Sancta Sanctorum, cedentes

Scrip. An. 1615.

tes ei primarium locum, ut Suæ Sanctitatis Legatis, & horis, quas minores vocamus, illic recitatis, jubente Epiſcopo ſedem apparant, & iteratò cappam illam auream adaptant Prioris humeris, reddunt illi ſancta Evangelia, ut ſederet innuunt; cumque Epiſcopus profundam illi reverentiam exhibuiſſet, & librum Evangeliorum exoſculatus fuiſſet, de aqua illa qua laverant illi pedes, compoſito è floribus aſpergillo caput ſibi irrogari mandat. Tum verò ipſe Religioſos omnes, & totum populum, obſervatis iiſdem cæremoniis, eodem manipulo florem, eademque aqua reſperſit. Duæ horæ in iis omnibus conſumptæ, & quippiam amplius. Inde digreſſi aſcenderunt in eximii ſplendoris, & ornatus cœnaculum, ubi ſolemniſſimo convivio charos hoſpites excepit, & noſtris quidem PP. piſces, Auguſtinianis autem, ſicut & reliquis carnes appoſitæ. Diſcedentibus tandem Priori, & ſuis precioſiſſimo balſamo nares obliniunt, eoſque donec urbe excederent, ſuo comitatu venerantur.

Paucis exinde diebus Regis Angliæ Legatus exceſſit è vivis. Proptereaque deprecantur Angli Epiſcopum illum ſibi id dignetur præſtare favoris, & gratiæ, mittere Religioſos ſuos, alioſque Sacerdotes, qui defuncti cadaver ſua præſentia honoraturi conveniant. Qui dum quærit ab eis an nos id facturi eſſemus, noſque id minimè velle reſponderent: neque mei, ait, cum ejuſdem fidei, & Religionis fratres ſimus, ulla ratione, id officii, mortuo veſtro exhibere poſſunt. Iis autem violentius inſtantibus accerſimus ipſi, & percunctanti quid cauſæ, ſit quod defuncto id abnueremus, reſpondimus nos adfuiſſe morienti ſuam ſanctitatem caput Eccleſiæ confiteri: eum igitur, & quicumque funus ejus celebrarent pro excommunicatis habere: mox ille ſimiliter excommunicationem fulminat in eos omnes qui id facerent, & qui funeri interfuerant porro eum noluiſſe declaravit excommunicatos, & quodcumque propterea dono acceperant, hoc ipſum in pauperes erogari præcepit.

Ita igitur inter optimum illum Antiſtitem, & PP. noſtros rebus Religionis ſeſe habentibus inſuper eo jamque profeſſo eſſet cum Romana Eccleſia unionem, eademque promulgata, optabat venire; & miſſarum ſolemnia in Eccleſia noſtra peragere, noſque ſimiliter in ſuis templis idem factitare. Noſtris autem fieri id nequaquam poſſe aſſerentibus, priuſquam ipſe ſua manu, & ſcripto, fidei profeſſionem confirmaret, reſpondit: Æmuli mihi multi ſunt, & hoſtes numeroſi valdè; unde, & facere, quod me vultis, ad id quod ego, & vos prætendimus, obeſſe plurimum poteſt, prodeſſe parum. Etenim inimicis meis me pro hæretico habentibus, fieri poſſet, ut qua jam polleo, autoritate me exuant, & omnem viam nobis occludant ad qualem volumus perfectam, Catholicamque unionem, quæ ſtare nequit, niſi ablatis occaſionibus quæ nos ab ea diſtrahunt, & veneno quod pueris inſtar lactis porrigitur in doctrinis, & dialogis erroneis à binis noſtratibus iiſque celebribus Doctoribus compoſitis, quorum alteri nomen, Magiſter David; alteri, magiſter Moyſes, qui poſt exacta Athenis ſtudia ſua, commentati ſunt in omnes ſcientias, & qui in nobis ſummo in precio ſunt. Floruere temporibus Concilii Chalcedonenſis. Convenerunt autem juſſi à Rege Armenorum, ad determinandum, quæ ex decretis à prædicto Conc. (ad quod Armeni vocati non fuerant) tenenda eſſent: eaque occaſione doctrinas ejuſmodi tradiderunt, uno quidem eorum agente partes Eccleſiæ Latinæ, altero Græcæ: ac ita Schiſma inter utramque invaluit. Quod igitur factum velim, hoc eſt: ut ad dialogiſmos illos aptè reſpondeatis, & quam mihi Apologiam exhibebitis, libris illis interſeram, & doctrinam illam aliam extirpabo. Quod quidem nullo negotio præſtitero quamdiu vigebit ea authoritas, quâ apud univerſos expertus ſum me eſſe præpotentem. Atque iis mediis æterna erit, ſemel celebrata Eccleſiæ unio; vobiſque mecum familiariter agentibus, quicquid erroris ſuperfuerit pedetentim emendabitur. Conſenſit tamen ut Sua Sanctitas de omnibus certior redderetur. Unde, & à ſacra Congregatione decretum, ut etiam ad miſſæ Pontificalis celebranda ſolemnia ab urbe Roma conveniens ornamentum dono illi mitteretur.

Cur Armeni Leonem I. Pont. Max. excommunicant?

Leonem I. ſolent excommunicare Armeni quod ſub ipſo Schiſma illud in Eccleſia contigerit. Ille verò, de quo nobis eſt ſermo, Epiſcopus optimus, Sabbato Dominicæ in albis, univerſis Epiſcopis, Religioſis, Sacerdotibus totius civitatis, & aliorum locorum quæ ad Armenios ſpectant, cum univerſis eorum Primatibus, convocatis, in medio omnium conventu ſolidis, efficacibuſque argumentis, Papam in terris Chriſti Vicarium nullatenus excommunicari poſſe comprobavit. Quo factum eſt ut convicti omnes, unanimiter dictis ejus acquieverint: ideoque & ſuffragantibus univerſis, principium illud, & caput ſchiſmatum è prædictis dialogiſmis eradi juſſit. His ita fœliciter concluſis, cum ſibi advocaſſet noſtros PP. dixit illis, ſibi eſſe in animo, alterum illi civitati Epiſcopum è ſenſu noſtro conſecrare, qui vices ſuas illic ageret, quatenus ea, quæ ſuos inter, & noſtros communicatio erat, & conſenſus, foveretur, & nata jam Eccleſiarum unio adoleſceret. Selectum igitur ex eodem Ordine S. Baſilii quemdam noſtris PP. amicum intimum, & familiariſſimum, ipſo die Octavæ Reſurrectionis Dominicæ feſto, Epiſcopum conſecravit, & in agnitionis, & obedientiæ ſummo Pontifici, & Chriſti Vicario debitæ ſymbolum, voluit Priorem noſtri Monaſterii Pontificiis ornamentis indutum, & Cruce Patriarchali illi tradita, capiti novi Antiſtitis, in ipſo conſecrationis actu, manus impo-

Scrip. An. 1615. imponere: quod totum in celſo, & ſpectabili pegmate complebatur. Cumque per omnia humaniſſimè affectuoſiſſimeque noſtri PP. ab eo excepti fuiſſent, facultate obtenta Haſpaanium redierunt. Ipſe verò tranſactis inde diebus paucis, imponit novo Epiſcopo ut ea ipſa in civitate Chulfenſi, Monaſterium fabricaret ſuis Religioſis, (qui A S. Baſilii regulam ſumma cum auſteritate obſervant) ſecundum quod N. P. Joannes illi præſcriberet: nihilque niſi conſultis, & approbantibus noſtris moliri attentaret. Jamque ante diſceſſum noſtrorum, viceni nobiliſſimi juvenes Religioſum habitum induerant, qui à vino abſtinent, Excalceati incedunt, paria numero nobiſcum colunt jejunia, carnes exceptis infirmis non manducant. Dehinc ipſe in majorem Armeniam iter inſtituit.

An. 1624. cum abſtuliſſet à Turcis ſuam Babylonem rex Perſarum, ecce, ut pro tam illuſtri obtenta victoria, ſuo Mahometo ſe gratum exhiberet, faceretque ei hoſtiam, & ſacrificium, quod tanto Prophetæ ſummopere arridere putabat, mandat cuidam B ſibi intimè charo Armenio, qui à Chriſti fide apoſtatarat, reverti quantocyus ad 42. illa Chriſtianorum Armeniorum oppida, quos à Mahometo (cui ſe, coacti reddiderant) reſtitueramus Chriſto. Continuò igitur omnibus conniſi viribus miniſtri impietatis incipere ſcelus imperatum, arripere miſeros, arctare funibus, arboribuſque alligatos cruenta circumciſione ſignare. Ii verò quo refugerent non invenientes, certatim Haſpaanium per 70. milliaria ad noſtros convolare, gementes, & quàm infeliciter ſeſe haberent res ſuæ declarantes. Compaſſione igitur, & miſericordia ducti, noſtri PP. licet res domeſtica brevis admodum foret, nummos aureos octoginta ab C Hollandis mutuo accipiunt, quum eos antea per totam civitatem propoſito pignore conquiſiſſent, eoſque ut acceſſum haberent ad miniſtrum illum Regis, unà cum quibuſdam aliis rebus, honorarii ſpecie, tranſmiſerunt, petentes ad conveniendum illum ſibi certum tempus aſſignari. Quo facto venientes noſtros PP. quàm urbaniſſimè excepit: & noſtri ad illum: quomodo, inquiunt, Sua Majeſtas pauperes illos Chriſtianos poteſt denuo tam enormi injuria afficere? quibus ille: Patres, ait, ego, quales eſtis, vos Chriſtianus ſum: verumtamen non poſſum non exſequi Regis imperata, ſi mihi incolume caput velim. Et hæc dicens diploma regium illis oſtendebat. Et Patres D ad illum: ſi in Regis illis placitis quidpiam derogaretur privilegio alteri, quod à Rege ipſi penes ſe habebant, ne quis Catholicos Armenios offendere attentaret? negavit ille. Hoc igitur privilegium, quo Rex permittit eos vivere liberos cum ipſi explicaſſent, acquieſcens promiſit, ſe illud obſervaturum. Et ut Patribus gratiæ aliquid referret, extemplo evulgat edictum, ut quicumque ſe Armenium Francum (ſic vocant Armenios Catholicos) fateretur, in terram Xiabulhagenſem, quæ eſt meditullium 42. illorum locorum, ſeſe reciperet, quo nullus erumperet ſuorum miniſtrorum. Concedens etiam Patribus Religioſos quoſcumque eo delegandi, ibique commorandi facultatem. Miſſus eò igitur Sacerdos quidam inſtructurus, & directurus eos, uſque dum noſtri adeſſent. Rex autem ab illo ſuo Mercurio E quicquid actum fuerat inter ipſum, & Patres noſtros, qui conatibus illius reſtiterant, intelligens, ſuper omnia illa dominia ſua jus Principatus illi conceſſit, mandans, ut ſineret omnes vivere vitam Chriſtianorum: & accepta ab eis aliqua pecuniæ ſumma, Commiſſarius ille, jam Princeps eorum, quaſcumque cruces, imagines, ſacros codices ipſis ablatos reſtituit.

Multa contigerunt in quatuor illis annis Miſſionis noſtræ, quæ faciunt ad magnam Dei gloriam & profectum animarum: quibus brevitatis ergo ſilentio obvolutis, unicum hoc prædictis ſuperaddam. Cum ego diſceſſum pararem ecce ingreditur noſtras F ædes Primas quiſpiam Arabum Chriſtianorum, qui unà cum filio ſuo Eccleſiæ ſanctæ reconciliatur, aſſerens univerſam ſuam gentem eſſe Chriſtianam, & rogans, veniret quiſpiam Patrum ad parvulos ſuos baptizandos; & ampliſſimam orthodoxæ fidei portam reſerabat. Quod factum eſt in urbe Tata, in ſyndico Inoiæ Regno, Ormuſii, & Goæ, ubi Monaſteria poſſidemus, ſiletur; propterea quòd ob bellorum impedimenta, minus perſpecta ſint. Hoc unum pro comperto eſt, & jam trium, quod ubivis terrarum gentilium tanti habemus, quanti ubivis Chriſtianorum locorum, quod luculenter apparet in eo, quod uni è Fratribus noſtris Clericis accidit. Ipſe enim Tata Goam proficiſcens, navem conſcendere haberet; in quodam Indiarum Regno, Rex G ipſiſſimus, Gentilis, & Idololatra, habens eum ut verum Dei ſervum, ipſum Myoparonem (Bergantinam dicimus) ubi eum accepturi erant, mundare, & abſtergere voluit, & quod voluit, præſtitit.

Poſt datam hanc Suæ Sanctitati, & Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, actorum noſtræ Miſſionis ſynopſin, magni admodum fecit omne id, quod ad Eccleſiæ, & animarum obſequium patratum fuerat, noſtris omnibus annuens poſtulatis; & mente attenta perpendit commentarios illos, quos adverſus Chriſti fidem doctiſſimi illi Perſarum conſcripſerunt. Unde & Romæ conventus pariter doctiſſimorum hominum, quos Sua Sanctitas ex omni ordine ſelegit, H celebratur; & datum cuique eorum codicis illud genus, ut per ſe omnes ſingulariter illi reſpondeant; ac jam modò, in re ſibi propoſita toti verſantur. Ut autem ad ejuſmodi miſſiones viri idonei formarentur, & ad complanandam difficultatem tranſeundi in Religioſa veſte, de placito Suæ Sanctitatis ſcripſit Melitam ſacra Congregatio ad Magnum Magiſtrum, ut noſtris Patribus quidam habitationis locus ibi concederetur; quòd Melitenſis, & Arabicus ſermo haud multum abſonent. Quod & extemplo illis conceſſerunt. Pari modo, & in finem parem ad Venetos ſcriptæ litteræ; quatenus Alepone urbe Syriæ, quædam nobis aſſignaretur Eccleſia. Et mox ad ſuum Conſulem, quem illic habent, mandatum exarant, ut quidquid ſacra Congregatio poſtularet, fierent incunctanter omnia; & continuò ad eorum poſſeſſionem duo noſtrorum ſeſe itineri commiſerunt. Alepone ad montem Carmelum quatriduana via eſt. His igitur mediis (mihi ipſe ſpondeo) poterit habitus noſter per orbem univerſum excurrere, & antiquas ſuas manſiones, maximè autem dilectiſſimum ſuum Montem, ſolum antiquitatis ſuæ venerandæ recuperare. Quæ omnia dicta ſunto ad gloriam Dei, Sanctiſſimæque Matris ſuæ, Patronæ ſingulariſſimæ noſtri Sacri Ordinis, nec non & glorioſæ M. N. Tereſiæ à Jeſu Fundatricis Reformationis noſtræ, quæ tantum itineris tantillo tempore confecit.

rmelo Conventus conſtruitur.

Byzantii, & Goæ.

Ita Hæc omnia P. Proſper. Complevit autem Dominus Deus deſideria ſancta ejus, decernens, ut antiquus ille N. S. Religionis fundus, qui mons Carmelus eſt, locum fundationis in ſeipſo eidem Patri præberet, anno ſupra milleſimum trigeſimo ſecundo, vel tertio. Continuò igitur expeditur Bulla Pontificia, quæ incipit: *Apoſtololicæ providentiæ*: quæ cavet, ut qua Religio alia abſque præhabita S. Ordinis noſtri facultate, in Sancto illo monte fundare præſumat. Præceſſerunt fundationem hanc variæ aliæ, inter quas Byzantina, & Goana excellunt, propter ſingulares illis à Deo, & Adminiſtris bonitatis ejus communicatas gratias, & ſpem futurorum incrementorum ingentium in Eccleſia Sancta, mediantibus illis.

P. F. Emmanuel à Cruce.

Hujus autem rei univerſæ quidam P. Emanuel à Cruce Uliſſiponenſis ſummam conſcripſit, typiſque mandavit an. 1639. hoc titulo notatam: *Quantum faciant ad divinum obſequium in Indiis PP. Carmelitæ Diſcalceati.* Quo in Opuſculo rariſſimum quiddam, & cum præſenti, tum etiam elapſis ante ſæculis inſolentiſſimum hoc in genere refert, unà cum circumſtantiis, plane omnibus iis, quas aliquando lectione percepi, majoribus quod præteriri æquum non eſt, cum ad prædicti tituli comprobationem apprimè faciat. Quod autem hîc refero, habeo ex quadam narratione diffuſa, (quæ penes me eſt) converſionis Chriſtianorum S. Joannis, & tranſmigrationis eorum ad terras Catholici noſtri Regis Philippi IV. imperio ſubjectas, & lectu miriſſimum, jucundiſſimumque eſt.

Chriſtiani S Johannis, eorumque Religio.

In regnis Bombaſanis, Geſelanis, Baſoranis, aliiſque, quæ ſunt Felicis Arabiæ, in partibus Perſidi propenſioribus agunt Chriſtiani quidam titulo S. Joannis inſcripti: quorum prima origo in Syria ad radices montis Carmeli. Quod ad Religionem eorum ſpectat à ſummo Dei Propheta S. P. N. Elia deſcendunt; cujus inſtituta, vivendi methodum, cultum divinum per multa annorum curricula legitimè obſervantes, S. Joannis nomen ſibi arrogarunt, propterea quòd idem feciſſent progenitores ſui, aliique nonnulli Orientis incolæ ad ripam Jordanis, prædicationis ejuſdem Sanctiſſimi Præcurſoris Chriſti rore vivifico delibuti. Magni ubique habiti in primis Eccleſiæ principiis, quæ in eis, ut in excellentiſſimis viris, gloriabatur, numeroſos in Paleſtinæ deſertis ſibi ex iis componens exercitus, ad diabolum, mundum, & carnem armis pœnitentiæ debellandam. Qui tamen excurſu temporum, quibus teruntur omnia, & variis varias in partes manſionis ſuæ permutationibus uſurpatis, diverſiſque Principibus dominantibus eorum, eò prolapſi ſunt, ut à fide adeò defecerint, ut nihil ſibi ultra, quàm Chriſtiani appellationem retinentes, gentium ritu, à rationis regulis plus ſatis abſtracti agant, atque unà cum fide, & armorum uſum, & primos honores amiſerint. Quoad rem temporalem, Regem patrium, cui morem gererent, non agnoſcebant, gubernantibus eos Mahometanis Principibus; in ſpiritualibus quoſdam Parochos habebant, ſed informes nimis, & in quibus nihil Sacerdotii comparebat, & quid baptiſma ſit, aut quid fides Catholica prorſus ignorabant.

Deſerto huic, & miſerando populo ſuccurrere deſiderans Rever. Archiepiſcopus D. Franciſcus Alſius à Menezes Indiæ Primas, ſancto ad hoc eum zelo inſtigante, elegit ſibi Patrem Franciſcum à Præſentatione, & Patrem Mathiam, Anglos ambos, ambos Ordinis S. Auguſtini, Religioſos virtutis eximiæ. Qui an. 1607. profecti Goa Veram, Bambaſiæ Metropolim, invenerunt Chriſtianos S. Joannis adeò ex lege, & omni fide nudatos, ac ſi anteceſſores ſui de ea nec apicem unum percepiſſent. Quo nihilominus haud obſtante piis conatibus Patres illi cum cæca ea gente nihil intentatum reliquerunt; ſed fruſtra. Neque enim illi à ſuis erroribus expediri potuerunt; & ipſi veritatis præceptores abire juſſi. Prædicti igitur Patres de tantis tenebris, in quibus tot animarum millia verſabantur, multùm contriſtati, Goam redierunt. Nondum enim tempus advenerat, quo ſol divinæ gratiæ iis oriretur, & hoc ipſum ſuperna providentia in theſauris ſuis reſervabat, donec decretas ſibi ab æterno occaſiones alias aucuparetur: dum ſcilicet novi Operarii, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Joannis progenies, obfirmatis animis comparerent; ut, quod eorum Parentes ædificarant, dirutum reſtaurarent. Cum autem id temporis, Carmelitæ Diſcalceati in Indiis (quò authoritate Apoſtolica delegati fuerant, ad toti Orienti fidem explicandam, & ſui Ordinis erigenda Monaſteria) bene haberentur, reflectit ad eos jam dictus Archiepiſcopus, & probè perſpecta eorum virtute, ac ſanctæ converſationis exemplis; quamque eximie lit-

Scrip. An. 1615.

litteris florerent, quove animo tractarent ea, quæ ad Dei, & S. Eccleſiæ obſequium ſpectant; ſimul etiam quàm uberem vindemiam animarum in Provinciis aliis jam ante collegiſſent; decrevit unà cum Prorege, illis hujus negotii molem univerſam imponere, judicantes prudenter, id Regem Catholicum nequaquam improbaturum. A Acceptavere lubentibus animis Diſcalceati noſtri factam ſibi oblationem, & continuò Miſſionarios ſuos ejuſce muneris, & ſtatus Chriſtianorum Joannitarum certiores fecerunt. Qui his auditis incitati, & Motu proprio S. Sanctitatis obligati, & à S. Congregatione de Propaganda Fide ſollicitati, luctari cum Andabatis illis, & gente obcœcata deliberant, & concludunt; ſi fortè ad divinæ lucis agnitionem, tenebris mortis eos transferre valerent; nihil eos deterrentibus difficultatum undis, quæ in ejuſmodi aſſumptis occurrere ſolent, ut ſatis expertos, quid id foret. Immo quò majora ſibi proponebant obſtacula, eò ferventiores adverſus agi videbantur. B Unde in litteris ſuis ad eos S. Sanctitas, *id vobis* (ait) *addit animos, quod alios enervat*.

P. F. Baſilius a S. Franciſco.

Ad genus hoc expeditionis inſolitæ ducem eligunt, ut prænotatum eſt, P. Baſilium à S. Franciſco Luſitanum, virum animi generoſi, & qualem Divina Providentia deſtinaſſe videatur ad ea, quæ pro impoſſibilibus haberi poſſunt, audenda, peragendaque. Primum ejuſce conditionis adynaton, ſeu impoſſibile, quod is ſuperavit, fuit, quod obſtinatarum in ſua Idolomania, & vetuſtis erroribus, animarum pluſquam ſeptuaginta millia aggreſſus, eas armis doctrinæ, pœnitentiæ, charitatis, miſericordiæ, eleemoſynarum, ad Deum, & fidem Catholicam reduxerit. Alterum, quod ipſummet earum gentium Regem ita ſupplantarit, ut ab ipſo facultatem obtineret, tantæ multitudini ſubditorum illi hominum, tranſmigrandi ad legem aliam, terraſque non ſuas, cum proprio damno, & prægrandi totius ſuæ ditionis decremento, factum admirantibus E circumvicinis regnis aliis, nullo uſus ferro alio, aut machinis, quàm quæ in præcedenti ſuperanda difficultate uſurparat. Tertium tandem, quòd tantæ multitudini perſuadere potuerit, ut volentes, ac lubentes deſererent patriam, domos, commercia, ſupellectilem, alimenta, natalem auram, & ad regna, quæ in India Orientali Catholico Regi ſubdita ſunt, transferri ſe ſinerent à paupere Monacho, ibique ſibi aſſignatas terras Doban, Quebanſium, Bonficenium, Zomam, ſimileſque alias Hiſpaniarum Regi proprietarias incolerent. Hanc tanti operis molem conſummavit Religioſus unus, aut ut religioſiùs loquar, brachium omnipotentis Dei. Etenim excellentia F adeo opera videntur in hominibus ſupergredi tum quod naturæ eſt, tum etiam quod miniſterii inſtrumentalis; & infinitæ omnipotentiæ, quod ſuum ipſius eſt, numquam non adſcribunt. Acta, & pacta ſuper his rebus, inter Regem Ormuſianum, & Comitem Linarezium, D. Michaelem Noroneum, Indiæ Proregem, Coronæ, & regiorum agendorum Procuratorem, & alia converſi iſtius populi capita an. 1632. & ſequenti, quæ plurima fuerunt, & ad Dei gloriam, Ordinis encomium attinentia, Chronica noſtra, quæ noſtri Patres in Italia edunt, luculentiùs explanabunt.

G

C

* * *

IN SEQUENTES EPISTOLAS

PRÆMONITIO.

Hanc primam hujus Voluminis partem claudent ſequentes Epiſtolæ, rem Monaſticam ſpectantes, quas Ven. Pater ferme omnes ſcripſit dum generalem Ordinis Præfecturam obiret. Præter II. III. & IV. quæ ſecundo Tomo Editionis Colonienſis a pag. 750. ad 766. exſtabant, & a Nobis ſupra pag. 64. 69. & 70. datæ ſunt, & VIII. XI. XXI. XXII. XXV. XXVI. XXVII. H *quæ de novo a nobis nunc primum ex Italicis auctographis latine eduntur* D *adſueto hoc ſigno * præfixo, omnes impreſſæ legebantur in quarto Operum Tomo ejuſdem Editionis Colonienſis a pag. 276. & ſeqq. Animadvertendum autem, ſingulas haſce etiam Italice vulgatas fuiſſe in Conlectione Paſtoralium Epiſtolarum noſtrorum Præſidum Mediolani edita an. 1671. Novum earum ordinem ita inivimus, ut in quatuor Claſſes tributæ, ſingulæ nihilominus ſeriem temporum, ac perſonarum rite obſervent.*

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA EPISTOLARUM LIBER SINGULARIS.

CLASSIS I.

PARÆNETICAS AD FRATRES IN COMMUNI, DUM PRÆPOSITI GENERALIS MUNERE FUNGERETUR, SCRIPTAS COMPLECTENS.

EPISTOLA I.

AD RELIGIOSOS IN COMMUNI.

Datis novis Conſtitutionibus, animum Religioſis addit ad operam in earum cuſtodia ſtrenuè collocandam. Scripta an. 1611. X. Id. Julii paullo poſt ſui electionem, ex Tomo IV. edit. Colon. pag. 276. & ex Conlectione Italica Mediolanenſi pag. 1.

Class. I. Scrip. An. 1611.

PAX Chriſti &c. Mitto RR. & CC. Veſtris Conſtitutiones noſtras, recens eo ſtudio, ac diligentia excuſas, ut ne verbum quidem ex iis, quibus à Patribus Capituli Generalis conceptæ, ac probatæ A ſunt, ſublatum, aut alteratum ullatenus fuerit. Utinam autem eaſdem cordibus RR. & CC. Veſtrarum ſic poſſem imprimere, ut zelo prorſus ardenti in cultum earum incumberetis: quippe ſine quo, nec doctrina, nec ingenium, nec aliqua alia excellentia proderit vobis ad finem, quem conſectamini. Unum eorum, quæ in hoc Orbe Deum Opt. Max. ſummè demulcent, eſt quævis congregatio juſtorum colligatorum iſtiuſmodi vinculo, & viventium uno, eodemque ſpiritu, quales Dei miſericordia ſunt Reverentiæ, & Caritates veſtræ, quæ mihi haud modica conſolatio eſt.

Et quidem commune eſt omnibus Reli- B gionibus, abundè inſtructas eſſe ab optimis, ſanctiſque legibus, ſed non item omnes Religioſi, vel cœtus eorum ligati ſunt, ut verò ſe vinciri ſinunt illo vinculo cuſtodiæ earum. Adeo omnes quidem obligationem habent, at non omnes illam adimplent. Ac proinde maxime æſtimari debent ſpiritus, & obſervantia primitiva, ipſæque Communitates Religioſorum reformatorum, quarum cum Prælati, tum ſubditi ſunt animo docili, ac flexili, ſeque duci ſinunt ab eo, quod ſcriptum eſt: in quo ſtat verus, & unicus modus aſſequendi perfectionem Religioſam, & ultimum, ac beatum finem noſtrum, vitam æternam. Hæc eſt, inquam, prudentia juſtorum, ſcire uti mediis, quæ C aptiſſima ſint ad obtinendum finem, ſeu ſcopum laborum ſuorum. Eſt etiam id votum meum, ne ſcilicet ſit inter vos ullus prævaricator, ullus ſiniſter interpres legum, ullus capito, ſeu duræ cervicis. Quum enim ad Regularum apicem certiſſimè jucandi ſimus, extremus foret error, aliquem Carmelitam Diſcalceatum facere ſuis affectibus licentiam innovandi, interpretandi, intorquendi, vel alio quovis modo alterandi ſenſum ſincerum, caſtum, literalem Regularum, claudentium utique in ſe expreſſam Dei voluntatem. Certiſſimè mihi perſuadeo, Religioſum, qui propria authoritate, vel (ut dicam planiùs) audacia, ac temeritate ju- D dicem legum agit in Religione, in qua corpus ipſum Communitatis ſimpliciter, & in fide bona procedit, graviſſimè aliquando punitum iri à Deo; quia palàm pugnat cum ſpiritu filiali, & ſincero, qui vivificat illud ſodalitium Religioſorum, ſeſe regentium ſe-

cun-

cundùm Dei voluntatem, ſibi intimatam per Conſtitutiones, ſeu leges, quas par eſt pro verbo Dei habere, & colere.

Bonus Religioſus intellectu, ac voluntate probè affectus, ſtudet præbere Deo cor ſuum, inſtar tabulæ raſæ, ut ipſe Spiritus ſui digito ſcribat in eo ſtatuta, ac leges eas A quæ in charta materiali exaratæ ſunt; quo facto, id unum attendit, ut omiſſis de earum valore diſcurſibus, ritè illis pareat: indubiè credens, quidquid à Superioribus in nomine Domini congregatis ſtatutum fuerit, id omne rectum, & aptiſſimum eſſe oportere ad conſequendam ſalutem, vereturque vel ad apicem intorquere ſenſum planum, & liquidum, quem textus offert. Hi ſunt chariſſimi, ac pluris æſtimati à Chriſto Domino. Hi ſunt, qui tuentur, ac veluti manu tenent primum florem Religionis. Hi ſunt, qui potiùs prævaricantur leges mundi, quàm remittant vel pauxillum de legibus Dei. Hi ſunt, qui ut ſe offert commodum aliquod temporale, favor Prin- B cipum, aliaque ejuſmodi minùs cum legum rigore conſiſtentia, fortiter negant ſemetipſos omnibus reſpectibus carnis, & ſanguinis, ut in ſolidum conſervent inæſtimabilia bona, quæ legum cuſtodia clauduntur. Unicus ex illis fortiſſimis bellatoribus pluris eſt in oculis Chriſti, imò & ſervorum ipſius, quàm plurimi celebres concionatores, lectores, librorum ſcriptores, & aliæ illius claſſis perſonæ, quæ oculis carnis videntur maximi momenti eſſe in Religioſis Ordinibus.

Patres, ac Fratres mei chariſſimi aſſueſcamus æſtimare res, juxta quod illas pendit ſapientia Dei, quæ falli non poteſt. Eſtote mites, humiles, obedientes, ac minimi facite eas excellentias, quæ videntur, ſunt- C que communes multis etiam reprobis, quos æternus cruciatus manet in futuro. Quòd ſi etiam velitis ex me audire media utilia ad eminens illud bonum, quod vobis ſuadeo, eſtque proprium filiorum Dei, breviſſimè dicam. Si RR. ac CC. Veſtræ corditùs ſe dederint ſtudio præſentiæ Dei, & emendationi linguæ, loquendo parcè, & bene, id eſt, tractando maximè de rebus ſpiritualibus, tum haud dubiè repererint ſemitam rectam, & planam ad bonum, quod ipſis jam nunc propoſui: atque utinam pro dignitate id ponderarent. Et ſanè, ſi ritè conſiderent Communitates, quibus convivunt, experientur eos, qui præſentiæ Dei, & ſancto ſilentio plurimùm vacant, eſſe quoque fideliores cuſtodes legum, tum Dei, tum Religionis, quæ & ipſæ Dei ſunt; vi- D vere præterea majori puritate, ſine proximi offenſione, cura novitatum, & pernicioſa illa aviditate ſciendi, quid fiat, aut non fiat in aliis Cœnobiis, vel ab aliis Religioſis, tandemque ſine nimia ſolicitudine ſui ipſorum, hoc eſt, quid ipſis erit, aut deerit; chari Superioribus, ſubditi, quieti, viſitati interius à Deo in oratione, & cæteris paribus, pluris æſtimati, magiſque efficaces in ſermone, prædicatione, in confeſſionum auditione, aliiſque occupationibus Religioni, ac proximo utilibus, quàm alii paris ingenii, ac talenti. Unde neſcio equidem, cur iſta non attendant Religioſi parùm ſpirituales, quandoquidem non modò ex rationibus divinis, verùm etiam huma- E his, tanti interſit bene, ac ſpiritualiter vivere.

Certè omnis homo deſiderat amari, & magni fieri. Quomodo ergo Religioſus Diſcalceatus, qui probè novit, ſe iſta non niſi à vera virtute ſperare, cedit campum quibuſdam crepundiis, propter quæ plures gradus gratiæ amittit, quos, ſi ſeipſum mortificaſſet, lucrari à Deo potuerat, perdit ſui æſtimationem apud Religioſos, unà cum amore, quo illum complecterentur, ſi ſe dignum præberet: famæ inſuper apud populum jacturam facit, & (quod majus eſt omnibus) fructum, quem concionando, ac confeſſiones excipiendo à pluribus animabus legere poterat, ſi modò conformiter ad F dicta ſua, & conſilia, ſuam ipſe vitam moderaretur, turpiſſimè prodigit.

Faciant ergo, Patres, ac Fratres mei chariſſimi, de ſemetipſis holocaſtum Domino; non admittant vana deſideria partis inferioris, vivant ſincere ad nutum obedientiæ, neque velint illam traducere ad modum ſuum, ſive mutando Monaſteria, ſive eligendo hoc exercitium præ altero, ſive hoc ſtudium ſibi potiùs poſcendo, quàm aliud, maximè verò cavendum eſt à ſcriptione epiſtolarum quærularum, indicantium modicam ſatisfactionem, quam habeant de aliis. Hæc enim oſtendunt animum modicè in virtute fundatum, parvi valoris, & minimè aptum ad res momenti, ſi quando o- G bedientia opera ipſius uti vellet. Præſtent ſe magnanimos, tolerando facilè ingenia ſuæ indoli contraria; alioqui ne menſem quidem unum fruentur quieta habitatione, & convictu, quin eos abripiat ſpiritus quidam vertiginis ſpiritualis, eruntque Religioſi ſteriles, & indevoti. Itaque in omnibus, & per omnia pendeant à Dei voluntate, nec alterius rei ſatagant, quàm exſolvendæ obligationis infinitæ, qua Chriſto tenentur, ſtudendo etiam invenire modos ſatisfaciendi pro ſuis præteritis peccatis, & citiſſimè pergendi per viam perfectionis, ac ita aſſequendi ocyſſimè vitam æternam, quam Dominus illis concedat, ut opto. Romæ IX. Idus Julii. Anno M. DC. XI.

EPISTOLA II.

H *Scripta eod. an.* 1611. *ad omnes Fratres in communi, eos ad Legum cuſtodiam excitans; ex Tomo ſecundo edit. Colonienſis à pag.* 750. *& ſeqq. ad modum Tractatus, ex Conlectione autem Italica Mediol.* 11. *pag.* 4. *Eſt idem* ac Tractatus de Cuſtodia Legum prior; *qui heic ſupra pag.* 64. *editus eſt.*

EPISTOLA III.

Scripta eod. an. 1611. *non diu poſt Comitia Generalia, ad omnes Italiæ Præſides, qua ſequentem ἐνκύκλιν eis mittit; ex Conl. Mediolanenſi tantum III. pag.* 16. *deeſt enim in tota editione Colonienſ. Eam latine red-* A *ditam ſupra dedimus ob rei nexum, pag.* 69.

EPISTOLA IV.

Scripta eod. tempore ad omnes Fratres in communi; ex Tomo ſecundo edit. Colonienſ. pag. 756. *& Tom. IV. remiſſive, pag.* 280. *ex Conl. Mediolanenſ. pag.* 17. *Exſtat ſupra pag.* 70. *ſub titulo,* Tractatus de Cuſtodia legum alter.

EPISTOLA V.

AD FRATRES IN COMMUNI,

B *Quos exhortatur ad ſtudium pacis, expoſita illius natura, propoſitis neceſſitate, commodis, mediiſque ad eamdem acquirendam, conſervandam, ac promovendam. Scripta an.* 1612. XII. *Kal. Februar. alias VI. edit. Colonienſ. Tom. IV. pag.* 281. *& XIII. Conlect. Ital. Mediol. pag.* 59. *ex qua heic ſubpletur tempus, quo data eſt.*

Scrip. An. 1612. XII. Kal. Febr.

PAX, & gaudium in Spiritu Sancto, &c. Minor eſt univerſa mundi facundia, Patres, Fratreſque chariſſimi, quàm ut exprimat quanti ſit momenti ſtudium pacis ſeu conſervandæ, ſi poſſideatur, ſeu recuperandæ, ſi foret amiſſa. Sapientes illi, quos pauciſſimos mundus recenſuit, pro varia ratione profeſſionum ſuarum agnoverunt, atque adeo maximi æſtimaverunt C bonum pacis: eſtque ejus amor eatenus hominibus inſitus, ut non modò juſti, qui Chriſtum veram pacem agnoſcunt, ſed & ipſi projectiſſimi peccatores, quò ad finem ſibi præſtitutum attingant, aliquale pacis ſpecimen obſervent; rati utpote ſine illa nullum illuſtre facinus edi poſſe.

Ea de cauſa fures, ac latrones ſimul conveniunt ad furandum, cum alioqui prædam unuſquiſque totam ſibi optet, velletque ſolus univerſa potiri. Quia enim vident non valere ſe ſine ſubſidio graſſari in eos, quorum morti, vel bonis inhiant, deſcendunt in fœdera cum aliis, quos amore nullo, odio autem acerrimo ſæpius proſequuntur. Adeo non ſolùm cum bona terrena pacis D artibus quæruntur; verùm etiam ubi eadem bello petuntur pace imprimis opus eſt. Hinc Scribæ cum Phariſæis coiverunt, ut Chriſtum Dominum mortis damnarent; tametſi inter ſe nihil ſinceræ pacis haberent, ſed quiſque eorum propriis commodis immineret. Ipſi quoque dæmones quamquam ſe mutuò peſſimè oderunt, & in ſe invicem infernali rabie deſæviunt; nihilominus ad nos impugnandum, ſpoliandumque bonis æternæ vitæ, conſpirare unanimes ſuſtinent.

Itaque, qualiter princeps tenebrarum cum malignis ſpiritibus aſſeclis ſuis, taliter ſe etiam gerunt inter ſe peccatores, utpote qui illius capitis unum veluti corpus ſunt: quod inſigni allegoria expreſſit Dominus apud Jobum, his verbis: *Corpus illius ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus.* Iob. 41. 6. E Quaſi planiùs diceret: Peccatores, qui ſunt corpus myſticum illius capitis, cum ſimul ad aliquod facinus paciſcuntur, ſeſe habent ad modum corporis cujuſdam ceti marini, horribilis, operti ſquamis, ſimilibus laminis æneis, arctiſſimè ſe complectentibus, & preſſiſſimè compactis.

Sive ergo peccatores, ſive ipſi Cacodæmones, omnes ſuo modo pacem exquirunt, indubiè autumantes, nullatenus ſine illa perfici poſſe, quæ deſtinant. Eamus nunc ulteriùs, hancque veritatem naturalibus etiam rationibus firmemus: quæ, tametſi non ejus ſint energiæ, cujus illæ, quæ pro pace Chriſtiana militant, ſunt nihilo- F minus valde efficaces, quippe natæ ex ipſo naturali lumine, & hominum indoli multùm agnatæ.

Norunt optimè RR. & CC. veſtræ, in omni Republica, ſit illa Maurorum, Turcarum, aut quorumvis aliorum barbarorum, haberi pro primo in moralibus principio eam maximam, quæ finem boni regiminis bellorum, & heroicorum facinorum ipſam pacem ſtatuit. Huic tot illis laboribus, necnon operibus moraliter bonis juſtitiæ, fortitudinis, magnanimitatis, hiſque ſimilium virtutum, quarum hiſtoriæ plenæ ſunt, tum Romani, tum Græci indefeſsè ſtuduerunt. Et certè hæc doctrina, cum tot experimentis probetur, haud alio tamen ex fonte, quàm ex ipſa hominum indole dimanat. Homo enim cum ſit animal ſociale, naturaliter in vitam pacificam, & mutuam cum G aliis concordiam propendet: ac ſi quando ad arma confugiat, non eò id agit, quòd rixa, vel jurgio delectetur; ſed ad tollendum de medio obſtacula pacis, cujus deſiderio naturaliter tenetur.

Ac, ut ſingillatim ad particularia deſcendamus, etiam tum, cum quis propriis concupiſcentiis indulget, clariſſimè patet, non aliò talem tendere, quàm ut pacem habeat: tollendo nempe prævii conflictus occaſionem, per conceſſionem objecti, cui paſſiones inhiabant. Hoc etenim pacto pacem ſibi ſuam ſartam tectam homo arbitratur, quamquam fallitur graviſſimè, pacis ſpecie pro veritate illuſus.

Jam ergo ſi amor, ac æſtimatio pacis non H veræ, ſed dumtaxat apparentis, tanti eſt, adeoque trahit cor humanum, etiam cum mala machinatur, quid de veriſſima illa pace, cujus author eſt Jeſus Chriſtus, dici par eſt?

Ego igitur ad pleniorem hujus Chriſtianæ pacis (qua RR. & CC. veſtræ altiſſima fruuntur) notitiam, manutentionem, & augmentum, modernam epiſtolam ſcribo, in

qua

Claſs. I. qua ante omnia id moneo, nullatenus poſſe veram pacem conſiſtere, ubi ſolidæ virtuti non ſit locus. Conventus, conjuratio, vel conciliabolum aliquod peccatorum eſſe poterit; numquam autem, niſi virtus adſit, ſecundum quam plures conveniant, & juxta illius canones operentur, vera, & genuina concordia ſubſiſtet. Ex quo ſequitur, inter eos, quibus Chriſtus numquam innotuit, pacem aliqualem in virtutibus naturalibus (puta juſtitia, & cuſtodia legum politicarum) fundatam reperiri quidem potuiſſe; eam tamen minimè perfectam fuiſſe, ſicut neque virtutes, quibus nitebatur, perfectæ, & abſolutæ erant, ſeu ob corruptionem naturæ ab Adam contractæ, ſeu propter conſortium vitiorum, ac peccatorum actualium, quæ veræ pacis jurati hoſtes ſunt.

Eſt ergo ſola, vera pax illa, quàm Chriſtus docuit, illuminando intellectum vera cognitione virtutum, & voluntatem viribus divinæ gratiæ roborando, ad integrandam unionem illi ſimilem, qua potiuntur Beati in Cælo.

Porrò modus, quo illam unionem, pacem, & concordiam operatur, fere ſtat in componendo interiores hominis affectus; quatenus Dei auxilio fretus, ea procul ſe removeat, quæ proximis offendiculo eſſe poſſunt, quæ verò ſolatium magis afferre ſolent, illa accuret: lubenter aliis connivendo, quantùm per Dei legem, eique conformia ſtatuta, quæ unuſquiſque profitetur, id licet. Quæ interior compoſitio, ut certiùs, meliuſque ſuccedat, ſemetipſum exemplum perhibet Chriſtus Dominus; cui quiſquis conformis fuerit, veriſſima, ac abſoluta pace fruetur.

Solemnitatem apud Thologos obtinuit famoſa hæc propoſitio: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* ita nempe, ut illud tertium, inſtar vinculi ſit, quo cætera duo vinciantur. At illa non alibi clariùs, & majore cum fructu probatur, quàm in moralibus, & ſupernaturalibus rebus.

Id videre licuit in primitiva Eccleſia, quando *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una:* (Act. c. 4. 32.) ſive, (quod idem ſonat) mira quædam ſanctorum affectuum, ac conſequenter bonorum operum conformitas, in eo fundata, quod omnes idem erant uni tertio, cordi ſcilicet Jeſu Chriſti, cujus virtute unum inter ſe fiebant, unione quidem uſque adeo ſtricta, ut cor unum, & anima una dicantur; quòd ſane eſt unum è maximis, mirabilibuſque Chriſtianæ virtutis operibus, in ſacris paginis nobis exhibitis.

Hanc ego unionem, cum divinum neſcio quid præ ſe ferat, maximè vellem in cordibus veſtris promovere, ac proinde ipſis in Dei nomine dico: ſi perfectioni ſui ſtatus reſpondere vitæ converſatione percupiunt, ſingulare, & aptiſſimum eſſe medium, ad Chriſti exempla ſe componere, attendendo, quàm non ſtuduerit ſibi placere: *Etenim Chriſtus non ſibi placuit*; (Rom. 15. 3.) neque vel propria commoda, vel proprium honorem, aut ſatisfactionem aliquando quæſivit, ſed aliorum jugiter, & ſtudiosè curavit, deſtituendo ſemetipſum omni ſolatio, & ſe nobis pro noſtra ſalute aptando. Ita nobis agendum, PP. Fratreſque chariſſimi: non noſtris, ſed aliorum commodis ſtudendum, juxta illud divinæ charitatis elogium: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum.* (1. Cor. 15. 5.)

Fons uberrimus diſcordiarum ſunt frigida illa verba, *meum*, & *tuum:* jure profectò excommunicata, & profliganda longiùs è ſchola Jeſu Chriſti: unde cum ſemel exulaverint, illicò pax Chriſtiana, modo ſuavi, brevi, & efficaciſſimo ſuccedet, agetque radices altiſſimas, quales egerat in primitiva Eccleſia. Poſſem hic loci immorari, ponderando debitum, quo Congregatio noſtra maximo tenetur, imitandi morem illum Apoſtolicum, olim in antiqua Eccleſia, recenter à Chriſto inſtituta, uſu receptum; vel eò ſaltem, quòd Primitivam Regulæ cujuſdam Apoſtolicæ obſervantiam profitetur: at ea doctrina cum plus ſatis vobis innotuerit, ejuſdemque meditationi quotidie incumbatis, ſatius arbitror aliò me convertere, & alia nonnulla, quæ ad pacem, quam poſſidetis, magni in utramque partem momenti ſunt, veſtræ conſiderationi ſubiicere.

Quocirca velim advertatis ad ea, quæ ſæcularibus unius ſeu familiæ, ſeu collegii, ſeu populi, ſeu etiam exercitus uſu veniunt. Cum enim clarius pateat, quàm ut negari poſſit, multiplices in ejuſmodi cœtibus occaſiones diſſentionum accidere, ob diverſas animorum, vel morum, vel finium, in quos varii tendunt, conditiones; attamen hic ut rem ſuam faciat, iſte ne honori ſuo officiat, alius ob alios reſpectus, quamquam mortificationis Jeſu Chriſti penitus ignari, diſſimulant, ſufferunt, digeruntque verba aſperrima, duras repulſas, iniquiores tractationes, vultus amœnitatem præferentes etiam erga illos, à quibus moleſtia affecti ſunt. Eſtque adeo recepta ea prætextæ patientiæ, & manſuetudinis oſtentatio, ut jam inter cæteras, quas vocant rationes ſtatus, diſſimulatio, & ficta illa tolerantia cenſeatur: ne ſcilicet regimini, & exinde ſequentibus honoribus, ac reditibus ineptos ſeſe eò probent, quòd nihil æquo animo ferre queant.

Neque verò dubito, quin RR. & CC. veſtræ ſæpe ſæpius obſervarint perſonas graviſſimas, ac alioqui acerrimi ſenſus, ſingulari cura ſerenaſſe faciem, & verbis tum maximè temperaſſe, cum occaſiones urgerent, multò omnibus acriores, quæ ſolent inter Religioſos reformatos occurrere. Jam ergo ſi ſæcularis in convictu, aulicus in regia, & in exercitu miles, quantislibet occaſionibus obſeſſi, propter reſpectus terrenos, illæſo pacis vinculo, tanta perferunt; quidni Religioſi reformati, ſpiritum, & mortificationem profeſſi, eatenus ſaltem animo valeant, ut taceant, & diſſimulent minora illa, quæ in Clauſtro patienda occurrunt, pro Religioſæ perfectionis, ac æternæ vitæ conſequutione?

Mundani tolerant æquanimiter illos, à quibus ſiniſtra intentione, &, ut dicitur, ex conſtituto impetuntur; & quidni igitur ſervi Jeſu Chriſti manſuetiſſimi, illos etiam moderatè ferant, qui verbulo fortè aliquo, vel etiam facto, præter intentionem, certè non determinato ad nocendum animo ipſos offendunt? Eſt ſanè hoc ſervorum Dei inſigne probrum, nonnumquam excandeſcentium, & multò contra quàm ſua profeſſio ferat, iræ cedentium ob nugas nullius momenti; quæ Dei, prudentumque judicio, ne hili quidem æſtimantur, quaſque ipſimet citra pudorem propalare non ſuſtinent: veriti nempè haberi vilis animi, vel etiam haud ſatis ſani judicii æſtimari.

Vigilate PP. Fratreſque chariſſimi; nequit enim diabolus ferre ingens id bonum, quod eſt habitare fratres in unum: atque ideo de muſcis conflat elephantes, ad inquietandum, & jurgiis mutuis committendum inter ſe Religioſos. Eapropter illos tentat adversùs alios, qui opinionem fortè ſuæ contrariam ſequuntur, tamquam enorme piaculum eſſet is eorum à ſe diſſenſus. Pellicit eoſdem ad colloquendum de rebus, quas Prælatus, aut quivis alius agit, minùs cum ſuo judicio conformes; tumque illas ad exteros conventus tranſcribendas ſuadet, ad ferendas ita diſſidiorum ſpinas.

Item alios ab aliis avertere nititur propter quiſquilias, vix ullo fundamento nixas: puta, quia in Capitulo, Refectorio, vel alibi loci quidpiam fortè minùs cum genio ſuo cohærens offenderint, ſeu etiam quia ſub tempus Religioſæ recreationis, verbulum aliquod non ſatis ad palatum ſuum, perceperint, vel ob alias eis ſimiles cauſas, quibus graviſſimè animo afficiuntur, & mœrori nimiopere concedunt, uſque eò, ut nonnumquam palàm profiteri audeant, ſe nullatenus ibi manere poſſe, ubi hic, vel ille præſens moretur, aliaque id genus, palàm indicantia, quàm effeminato corde ſint, quibus ne hoc ſaltem virtutis ſuppetat, quod ad frænandam vel minimam paſſionem ſufficiat. Hinc illa deſideria demigrandi, & animi rancores Religioſis, vel mediocriter bonis, prorſus indigni.

Tentat præterea Religioſos imperfectos Cacodæmon aliis in rebus minimis, ex quibus ipſi non minimam ſanè moleſtiam trahunt: curando ſcilicet, ut ſi quando hic, vel ille aliquid tantillum mortificationis redolens effutiat, id ipſi perſequutionem cenſeant, & vero appellent, titulo equidem à magnanimitate ſervorum Dei longiſſimè remoto; quo utique numquam illi dignantur crepundia ejuſmodi, quæ in communi hominum congreſſu integrè vitari nequeunt, tametſi omnes inſigni virtute pollerent.

Tandem tentat etiam pacis inimicus Religioſos inducendo illos in quoſdam motus, haud parum barbariem, ac feritatem olentes, ſicubi quæ optant, & poſtulant, non illico conſequantur ad votum: adeo quidem, ut quinquaginta, vel etiam pluribus melioris notæ beneficiis devincti, omnia facillimè reſolvant, & oblivioni tradant, eoſque, quibus propterea optimè affici, ac inſervire debuerant, modis parum urbanis habeant, imò ingratiſſimè averſentur; dum unica ſaltem recula parvi, aut nullius valoris illis aliquando negetur. At his induſtriis conatur diabolus pacem domus Dei evertere. Nunc velim mihi dicant RR. & CC. veſtræ, an jam recenſita talia ſint, quæ meritò cordibus ſervorum Dei vim faciant? Utinam autem de loco publico, attendentes præſentem Deum, coram viris prudentibus eam veſtram ſententiam proferretis! Quamquam opus non eſt, quid hac in re ſentiatis, ſolicitiùs indagare: cum non vos dumtaxat, quibus à Deo lux multa affulget, verùm etiam ſæculares, quamquam ad mundi canones educati, aliud dicere nequeant, niſi eos, qui ob enumerata ſuperiùs facilè moventur, nimis viliter paſſionibus ſuis mancipari, ac proinde fidem modicam mereri, nec eſſe *de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael.* *1. Mach. 5. 62.*

Hac ergo doctrina, (cujus veritas omnino indubia eſt) ſemel præſuppoſita, RR. & CC. veſtras enixè per Chriſti viſcera adhortor ad pacis theſaurum quàm dignè par eſt, æſtimandum: ne aliquando in ſcopulos miſeriarum offendant, quibus nonnulli Religioſi Ordines infeliciſſimè alliſerunt propter neglectam prædictorum conſiderationem, & factam olim pravis affectibus licentiam, ad effutiendum verba aculeata, dentataſque epiſtolas ſcribendum, & plus æquo pendendum nullius momenti quiſquilias, quas ſatius fuerat contemnere, exercendæ ergo charitatis, patientiæ, manſuetudinis, & cæterarum præcipuarum virtutum, quæ ſunt lapides fundamentales ædificii ſpiritalis. Decet omnino bonum Religioſum, ſibi honori ducere, ſi alios honore afficiat, alienas imperfectiones elevet, æqui bonique verba, & actus aliorum conſulat, & quantumvis renitente animo, ac certò certiùs præſagiente talia ſcommata jaci ex conſtituto à malevolis, benignè tamen interpretari: quiſque ſecus faxit, ferit apertè diſcordias, fitque palam inimicus boni communis.

Porrò ego ſpero de divina bonitate, omnia ſupradicta multùm profutura ad promovendam ulteriùs pacem, qua hactenus potimur; futurumque neminem eatenus oculis deſtitutum, ut non clariſſimè videat, nihil, per Dei gratiam, in Congregatione noſtra eſſe, propter quod ex vero dici queat non vigere in ea pacem altiſſimam, & ſtrictiſſimam cordium unionem. Non defuit etiam in Apoſtolatu opinionum aliqua diverſitas, nonnulla etiam contentio citò prætervolans: ob quas tamen tranſitorias im-

imperfectiones adſtrui nequit, pacem inter Apoſtolos, non eximiè floruiſſe; cum leviores iſti turbines inſeparabiles ſint à vita præſenti, & facillimè ab affluxu Spiritus divini ſopiantur; bonum inſuper longè amplius inde colligatur, quàm adferat mali recula illa pertranſiens, nec ullatenus hærens in anima. Penſemus igitur, & maximi faciamus miſericordiam nobis à Deo, quemadmodum ipſis Apoſtolis indultam. Nemo ſe facilem præbeat alterationibus, nemo ſpinas ſerat, nemo aliena vitia exaggeret: ſed omnes uno animo religioſiſſimè converſentur, cogitando, loquendo, ſcribendo, & operando juxta leges charitatis, quæ cum ſit vinculum perfectionis, colligabit corda noſtra cum ſpiritu Jeſu Chriſti, veræ pacis authoris, qui RR. & CC. Veſtras, ut opto, tueatur. Datum Romæ XII. Kal. Febr. 1612.

EPISTOLA VI.

AD EOSDEM.

Propoſito ſtrictiſſimo, quo ad perfectionem obligantur, vinculo, exhortatur eos ad illius conſequutionem, & ad evitandos quoſdam charitatis proximi defectus. Scripta anno 1612. *menſe Majo, al. X. edit. Colonienſ. Tom. IV. pag.* 290. *& IX. Conlect. Italicæ Mediol. pag.* 48.

Scrip. An. 1612.

Binis præſertim de cauſis viſum mihi has dare ad RR. & CC. veſtras. Prior eſt, ut vos excitarem ad currendam viam perfectionis, propoſito ſtrictiſſimo vinculo, quo omnes ad id obligamur; & quod ortum ex viſceribus noſtri ſtatus, nimium quantum accreſcit ob hominum de nobis exiſtimationem, quam utique conceperunt altiſſimam. Pudet ſanè me mei, quoties adverto, ſummum Pontificem, ipſoſque Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, adeo ſublimè de noſtris & rebus, & hominibus ſentire: ut proinde teneamur omnes quàm ſtrictiſſimè tales reipſa nos præbere, quales paſſim habemur; ni turpiter mundo imponere, & noſmetipſos circumvenire malimus. Me equidem id graviſſimè habet, quòd ipſe talis non ſum, & mecum nonnullus fortaſſis alius, ſimilis mei, ſeu imperfectus. Nam tametſi, Dei gratia, Congregatio noſtra ſic procedat, ut jure optimo cœtus Angelorum videri queat, & verò vocari etiam mereatur, cùm ob accuratam Regulæ, legumque omnium obſervationem, tum propter intimam pacem, quibus floret; tamen, quod omni alii Congregationi uſuvenit, non poterit à noſtra abeſſe, aliquis, videlicet, qui certè ſanctus non ſit.

Cæterùm laudo Dominum ob id boni, quod Ordini ineſt; & certè deceret, mecum pariter omnes ſumma in divinam Majeſtatem gratitudine eſſe. Pro re autem perfectos, ſi qui ſunt inter vos, admoneo obligationis ſuæ, quam maximam habent, tendendi ſemper ad ulteriorem perfectionem: imperfectos autem certiores facio, quì teneantur ſeſe pares illis efficere, quibuſcum quotidie verſantur. Ac utinam id animis veſtris penitiſſimè inſidat, ſimulque concipiatis ſanctam ſolicitudinem promovendi ſemper ulteriùs, quæ feliciter cœpta ſunt: nec ullatenus contenti ſitis medio quodam vivendi genere, quod cum parum magnanimitati congruit, tum maximis bonis poteſt officere. Quem enim animus non rapit ad magna, propter Dei gloriam patranda, ab illo ego vix ipſa modica, ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria, mihi promiſerim; obſtante videlicet ea, quæ in oppoſitum eſt ratione, & ipſa quotidiana experientia, qua videmus rariſſimè diteſcere eos, qui in ſummas divitias non collimant; hærere item, & jacere in infimis eum, qui in Republica non attentat gradum altiorem eo, quem occupat. Cum igitur pro terrenorum aſſequutione tantis animis, ac diligentia opus ſit; haud arbitror, exceſſi, ubi author fui RR. & CC. veſtris ad intenſo ſtudio laborandum propter regnum cælorum, cujus ineffabilibus præmiis paſſiones hujus temporis minimè condignæ ſunt.

Altera cauſa, quæ me ad has ſcribendas appulit, eſt; ut conſiderandam vobis proponam rem, quam fortè nondum omnes pro dignitate penſaveritis: ego verò ſæpiſſimè apud memetipſum expendi: maximum fortè vitium, quo nonnulli Religioſi laborant, eſſe locutiones, & ſcriptiones aliquas minùs expenſas, & providas. Cum enim, Dei beneficio, procul illis ſint culpæ graviores, fit, ut illud loqui, & ſcribere de aliis ſine fundamento (quod voco ego inconſultum) ſemper amplius ſonet, quàm res ipſa exigat: ac proinde ſæpe judicia pariat, non admodum è re, & honore proximorum. Ac tametſi non niſi in materia parva, ut vocant, & rebus levioris momenti contingat; optandum tamen eſt, ea ex integro ceſſare, foretque haud dubiè ſacrificium Domino longè acceptiſſimum; fundatum utpote in ipſa lege charitatis, tantopere nobis à Chriſto commendatæ. Addo, hoc pacto, diabolum enervatum iri, ut non multum adverſum nos proficere poſſit; veſtras autem RR. inſignes ad perfectionem progreſſus eſſe facturas. Certè in exiguum ævi geniti ſumus, ocyus item prætervolant ipſæ occaſiones congerendi ſibi coronas in cælo; æquum proinde eſt gnaviter ſtare ſuper ſui cuſtodia, ut qui tranſeunt per loca ſuſpecta, & intuta, dicentes cum Apoſtolo, futuram inquirimus. Et hoc quidem mihi de vobis ſpondeo. Spero autem inſuper maximam ad vitam æternam, quam inquirimus, contentionem; quin & ipſam Chriſti charitatem altiùs quotidie radicandam in cordibus veſtris; id maximè præſtantibus judiciis, locutionibus, & ſcriptionibus fundatis in dilectione Dei, *Honore invicem prævenientes*,

& donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus alterum habet querelam. Quod autem ad me attinet, corditus offero, imò polliceor omnem mihi poſſibilem RR. VV. cum corporis, tum animi conſolationem: viciſſim à vobis repoſcens fervidas, ac perpetuas orationes veſtras pro me, afflicto utpote, & graviſſimis corporis, animique moleſtiis A laborante. Deus vos cuſtodiat, &c. Romæ. . . Maii M. DC. XII.

EPISTOLA VII.

AD FRATRES IN COMMUNI.

Hortatur Religioſos ad ſervandam Deo fidem in iis, quæ profeſſi ſunt. Scripta an 1613. XVII. *Kal. Septembr. al. XIII. edit. Colonienſ. Tom. IV. pag.* 292. *& V. in Conlect. Ital. Mediol. pag.* 35.

Scrip. An. 1613. HAud par eſt me committere, uti ne vos aliquoties revocem ad aliquarum rerum memoriam, è multis illis, & maximis, B quarum obligatione tenemur: eò quidem maximè, quòd vetitus id coram agere, cogor ſupplere interventu litterarum, eiſque totum concredere, quod, ſi præſens forem, oretenus dicerem. Itaque præcipuum, quod animis veſtris inſitum deſidero, eſt fidelitas Deo ſervanda in iis, quæ illi promiſiſtis, vobiſque per mandata Prælatorum quotidie intimantur. Hæc nempe eſt doctrina princeps, univerſam complectens Religioſam diſciplinam: cujus ſolius neglectu, videre eſt nonnullas Religiones eo in ſtatu, qui abundè eſſet movendis ad miſericordiam ipſis etiam ſaxis: cujus ſanè notitia, quia, me quidem judice, inſigne erit Congregationi noſtræ alexipharmacum, viſum mihi vobis eam ſuccinctam proponere. Eſt enim C maximum operæ pretium, Patres, ac Fratres mei cariſſimi, ſedulò obſervare caſus alienos, ne & nos cadamus; & ne ipſi aliquando infirmemur, morbos aliorum habere compertos. Porrò caſus, ac morbus laxiorum aliquot Ordinum, haud aliunde ortum ſuum, quàm ex illa, cujus ſupra memini negligentia traxerunt, ſervandæ videlicet Deo fidei in rebus Inſtituti ſui propriis. Quo in genere uſque adeò ſolertem ſe Cacodæmon præbuit, uti videantur aliqui, jam tum à primo ſuſceptæ Religionis die, collimaſſe aciem non in illa, quæ Domino per vota ſpoponderunt, ſed in alios omnino mundanos, ac temporales fines: adeo ut quantumlibet exterior habitus diſſentiat, reapſe tamen ſubierit Monaſterium animus verè D ſæcularis, ac etiamnum idem perſeveret, vitam agens ſterilem quidem bonorum operum, plenam autem abuſibus mundi.. Interim autem cogit diabolus opima ſpolia à miſeris illis animabus, olim Deo, templorum inſtar, per vota religioſa conſecratis, dein verò modò tam execrabili prophanatis, ut mihi veniat in mentem illud Hieremiæ: *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus: quia vidit Gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam.* Thren. 1.

Prima ergo in calamitatibus, quæ laxas Religiones occupavere, recenſeri poteſt, cura propriorum commodorum in victu, veſtitu, habitatione, aliiſque id genus vi- E tæ temporalis ſubſidiis; quibus nonnulli tanta pertinacia inhærent, ut efficaciſſima Dei gratia, ac propemodum vi in paſſiones nativas facta opus ſit evellendo radicitus illi abuſui, tam abhorrenti à vita communi, & voto paupertatis Chriſto promiſſæ. Adeo jure merito viri graviſſimi, & vita Monaſtica probè exerciti, id inſanabile peneque deſperatum exiſtimant. Ubi notandum eſt, tantæ vaſtitatis incendium à modica ſcintilla creviſſe: eò nempè, quòd Religioſi minùs jam ipſi Deo, & ſanctæ Obedientiæ fidentes, cæpere ſinguli ſibi ad genium ſuum, etiam tum proſpicere, cum adhuc vita communis integrè vigeret, & neceſſaria cuique ad præſcriptum diſpenſarentur: unde dimiſit eos Dominus juxta deſi- F deria cordis eorum, & abierunt in adinventionibus ſuis, donec tandem eò devenerunt, quò difficile creditur, ipſos proceſſiſſe via recta, & anguſta, qualem in Evangelio Chriſtus nobis præivit.

Altera calamitas, quæ iſtiuſmodi Monaſteria invaſit, eſt ambitio honoris, qua abrepti nonnulli, in ſcopum omninò mundanum collimant, quærentes magni fieri ab hominibus, idque non modò mediis ſæcularibus (qualibus tamen neutiquam liberè uti poſſunt, minùs utpote cum ſuo ſtatu cohærentibus) ſed, quod pejus, etiam ſacris, puta concionibus, auditionibus confeſſionum, hiſque ſimilibus: quibus utique expiſcantur non tantùm ſubſidia vitæ tem- G poralis, verùm etiam vanam gloriam, in qua ſibi complaceant: quod ſanè maximi doloris anſam illis præbet, qui ſpirituali oculo rem expendunt. Nam infelices ii Religioſi, via lata gradientes vix dum emiſſa profeſſione, illicò incipiunt nundinari Ordines Sacros, negotiari pro ſtudiorum facultate, in quæ omni diligentia incumbentes, nituntur aliqui evadere inſignes Theologi, vel eximii verbi divini præcones. Ac ſi interrogentur, quò tandem tam improbo labore contendant? fateri habent (ſi modò ex vero reſpondere velint) ſe, non amore gloriæ Dei, vel etiam ſalutis animarum iſthuc adduci, ſed allici vaniſſima honoris mundani cupidine, quem in applauſu po- H puli, & altioribus Ordinis gradibus ſibi præſtituunt: cujus efficax argumentum eſt ipſe effectus, qui poſtea, ſub ipſas ſacras functiones, ad quas totus ille labor ſpectabat, patentiſſimè apparet. Si enim, (ut candidè dicamus quod res eſt) ex prædictis ſacris functionibus nihil admodum commodi, vel honoris referant, videre eſt miſeros illos aucupes mœrore tabeſcentes, &

con-

contra, geſtientes ſummo jubilo, ſeque valde
contentos præferentes, ubi meſſem gloriæ,
cui ſoli ſerebant, collegerint; quidquid
interim ſit de gloria Dei, & animarum
ſalute.

Tertia tandem calamitas eſt, quòd dum
diu, & toti intendunt rebus temporalibus
extra Clauſtra poſitis, tandem in ſupinum
A neglectum ſuæ Profeſſionis deveniunt, adeo
ut, ſi quando obeant vitæ Religioſæ actus,
minimè cum ſpiritu, præſentia Dei, directione,
ac aliis modis, qui ſolent vitam
ejuſmodi actibus impertiri, eos exerceant;
ſed dumtaxat ſuperficie tenus, ac iis circumſtantiis,
quæ ad rigorem Theologicum
expenſæ affatim timoris incutiunt. Dixi, ſi
quandoque actus aliquos Religionis proprios
exequantur, eos ita quomodo dictum eſt
peragere. Atqui hoc etiam mali accedit,
quod vix cum veritate dici poſſunt, aliquos
ſaltem iſtiuſmodi actus præſtare: cum
ægrè admodum tam immoderata animi in
res hujus ſæculi profuſio, componi queat
cum ſtudio eliciendi actus, qui verè, &
B propriè ſint Religioſi. Idque deprehendere
licet clariſſimè in materia obedientiæ (quæ
tamen eſt forma vitæ Religioſæ) in qua tales
inflexibili ſunt cervice, nec umquam Prælatorum
juſſis acquieſcere norunt, niſi ſicubi
ſors tulerit, rem illis injunctam cum eorum
genio quadrare. Eſtque id mali adeo
radicatum in illis, ut prorſus ſupervacaneum
videatur, quidquam ipſis injungere, quod
vel leviter mortificationem redoleat. Quoties
enim tale aliquid præſcribitur, illicò
finis non eſt jurgiorum, diſcordiarum, &
appellationum, non modò ad Prælatos majores
Religionis, verùm etiam externos,
quinimò Principum ſæcularinm favorem ſæpius
aucupantur, quo omni ſe humiliationi
ſubducant, ſuam porrò libertatem ſibi
C afferant, firmentque exemptiones, hoſtes
capitales obſervantiæ Regularis.

Ecce, Patres, ac Fratres mei chariſſimi,
finem horribilem, in quem tandem deveniunt
exigua apparenter principia, in tribus
calamitatis ſpeciebus ſupradictis: quæ
omnino decet nos attentè penſitare, & timentes
conari velis, ac remis illa effugere.
Solent omnes Religiones ſub ſuum initium
maximè florere, & aliquanto temporis ſpatio
ſartam tectam ſervare promiſſam Deo
fidelitatem: poſtea verò ſenſim irrepit deſtructio,
& ruina, quam his noſtris temporibus
alicubi videmus, ſuper qua, ſic modò
lubet Dominum percontari: *Domine,*
Matt.13.27. *nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo?*
28. *unde ergo habet zizania?* At jam dudum latum
D eſt reſponſum hac formula: *Inimicus
homo hoc fecit*. Atque hæc eſt miſeranda
ſors earum Religionum, quæ à rigore primo
deſciverunt, optima verò ſors noſtra
erit operari ſemper qualiter eos decet, qui
recentem adhuc Religionem profitentur, &
& qui, miſericordia Dei, nondum tantis
ſub malis gemunt, quamquam ea vehementer
timent. Quòd ſi ſciſcitentur ex me,
quid in rem facto opus ſit ad vitanda mala
tam prægnantia, in quæ nonnullæ Religiones
impegerunt, dicam in nomine Domini,
pauciſque verbis complectar omnia: ſtudeant
RR. & CC. veſtræ affectu, & opere,
ſe etiam in minimis, mortificare. Si enim
in ejuſmodi fuerint Deo fideles, ademerint
Dæmoni robur, & ſuis affectibus vires, ut
ne facilè poſſint in gravia crimina ipſos adducere. E
Nam qui ſtudioſè cavet verbum
otioſum, aberit is quidem à perjurio longiſſimè;
& qui religioni habet, medium
chartæ folium uſui ſuo ſumere, quando tamen
proprietatis crimen in gravi materia
incurret? vacabit etiam periculo ambitus
in rebus momenti, cui volupè eſt, honoris
ſui jacturam facere, fertque æquanimis,
ſicubi pro occaſione jocis, ac ſannis petatur,
neque verò facilè ſanctius illud noctis
ſilentium violabit, cui curæ fuerit, ne die
quidem, niſi præhabita facultate, loqui:
denique ſecurus erit graviorum noxarum,
quicumque à minimis in eo genere ſe continet:
ut proinde oporteat Reverentias &
CC. veſtras pro inimicis ſtatus Religioſi eos F
habere, qui conniventes paſſionibus dicere
audent, res iſtas minimas parvi eſſe momenti.
Iſti nempe ſunt, qui deſtruunt vineam
Domini Sabaoth, ſterilitatis damnati,
per Domini maledictionem, futurique aliquando
inſtar civitatis ſale reſperſæ: Religioſus
enim ſic animo affectus, ut ſciens,
ac prudens audeat aliquid, tametſi minimum
chartæ fruſtulum, ſine nutu Prælati
retinere, vereor illi vehementer, ne nihil
ad perfectionem proficiat; ſi autem modus
hic procedendi, quoad res minimas etiam
diutiùs perſeveret, certo certius reor, numquam
illum aſſecuturum perfectionem, tametſi
centum omnino annos in Clauſtro viveret.
Atque id eſt magnopere penſandum,
ne fortè nobis contingat excludi à theſauro G
perfectionis, propter quem reliquimus
omnia, quæcumque erant mundi hujus.

Spero de bonitate Dei RR. & CC. veſtras,
numquam commiſſuras, ut pandant
aditum ſimilibus imperfectionibus, tantopere
impedientibus inſigne illud perfectionis
bonum, quinimò ſecuturas iter veræ doctrinæ,
ducentis utique ad aſſecutionem illius:
maximè cum id ipſa ratio exigat, ut
qui degunt in Ordine tam ſancto, & exercitiis
utuntur tam aptis ad ſanctitatem acquirendam,
non vivant ſecundùm hominem
inferiorem, quemadmodum ii ſolent, qui
via lata incedunt. Interceſſio S. M. & Fundatricis
N. Tereſiæ plurimi erit apud Deum
ad impetrandum cor novum, quod ſcilicet
renovetur de die in diem, per profectum H
in vera charitate, ſincera obedientia,
humilitate profunda, nobili mundi contemptu,
& conſtante ambitione regni cælorum;
ſic, ut Religioſi noſtri primò, &
ante omnia conſulant ſuæ propriæ perfectioni,
dignè ambulantes vocatione, qua vocati
ſunt; dein autem ſint dociles, ſeque Epheſ. 4. 1.
ſinant occupari à S. obedientia, juxta cu-

juſque talentum, in rebus ad Dei gloriam, & proximi ſalutem facientibus, in quibus nihil humanum quærant, ſed ſolùm Dei beneplacitum, & mercedem æternam. Deut. 4. 6. *Hæc eſt ſapientia* noſtra, *& intellectus coram populis*. Cum hac doctrina nihil habent commune affectus, & opera Religioſorum laxiorum, A noſtra autem Religio facilè numerò, & meritis proficiet, quod eſt ipſum, quod majoris refert ad agenda opera Apoſtolica. Faxit utinam Deus, ut hæc epiſtola inſidat animis veſtris, juxta menſuram deſiderii, quo illam exaravi. Si quid occurrerit conſolationis toti Communitati, vel ſingulis ex illa porrigendum, præſtabo ego ſanè libenter, affectu paterno ſimul, & materno, vellemque præſens agere in omnibus Cœnobiis, non modò ad juvandum, ſed & ſerviendum in ſpiritualibus, & corporalibus, cuicumque ex Patribus, ac Fratribus, quibus deſidero tradere non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animam meam. Dominus Deus conſervet RR. & B CC. veſtras in ſua ſancta gratia, obſervantia, & concordia. Romæ XVII. Kal. Sept. Anno M. IↃC. XIII.

* EPISTOLA VIII.

AD VICARIOS TRANSALPINOS,

Qui pro prioribus tempore Comitiorum Cœnobiis præſunt; quæ eos, ut obſervantiæ ſpiritum tempore ſui regiminis ſervent, hortatur, ac ſequentem encyclicam illis commendat. Script. an. 1614. VI. Id. Februarii; nunc primum ex Conlectione MS. omnium aliarum epiſtolarum, quæ olim in Monaſterio S. Joſephi Viennne, nunc apud Sanctimoniales Carmelitas Excalceatas Neoſtadii ſervatur, ex Italico Latine reddita vulgatur. C

Scrip. An. 1614.

PAX Chriſti &c. Rem Deo gratiſſimam, & univerſæ Congregationi noſtræ perutilem efficiet Rev. Veſtra, ſi hoc brevi intervallo, quo ſe præeſſe contingit, intentiſſimè ſataget, ut rejectis omnibus novitatibus, Fratrum ſpiritum, diſciplinam, & pacem cuſtodiat. Cogitet R. V. quanti ſit ponderis perfectionem Monaſticam vel uno gradu promovere; quum enim res ſit nobiliſſima, quælibet etſi minima acceſſio tam magnæ æſtimationis eſt, ut ſi opera ſua, ſilentium, Dei præſentiam, aliaque id genus Fratres tantiſper diligentiùs ſervent, donum ſe pretioſiſſimum obtinuiſſe arbitrari poſſit, ob quod præter præmium æternum, me ipſum ſibi perpetuò, & peculiariùs devinctum habebit. D Epiſtolam omnibus communem ſcribo, qua ad viam perfectionis incedendam eos hortor; deinde veniam peto ob tenuitatem, qua in hoc meæ prælationis triennio eos juvavi. Eam publicè Rev. Veſtra legi curet in primo Regulari Capitulo, aut veriùs opportuniori tempore eos omnes convocando, ut ea, quæ ſcribo, graviùs ponderentur, illos ut etiam pro me Deum orent compellendo; qui V. R cum omni Cœtu ſuo ſoſpitem, ut opto, ſervet. Romæ VI. Idus Februarii M. IↃC. XIV.

EPISTOLA IX.

IN FINE SUI GENERALATUS E

Ad Patres, & Fratres totius Congregationis. Quos ad legum obſervantiam, difficultates enervando hortatur, & ſui ipſius veniam petit, Scripta an. 1614. VI. Id. Februarii, al. XV. edit. Colonienſ. Tom. 4. pag. 295. remiſſive ad Tom. 2. pag. 765. & ſeq. & VI. Conlect. Ital. Mediol. pag. 32.

Scrip. An. 1614.

PAX Chriſti, &c. Antequam prælatione defungar, duo mihi, RR. PP. & FF. Chariſſimi, officia ſupremis his litteris præſtanda cenſui, quorum alterum ad vos exhortandum, alterum ad veniam depoſcendam pertinebit. Et primi quidem ratio ſatis perſpicua eſt: debeo quippe vobis cæleſti ope bene currentibus calcar addere, F ne quis de ſolita animi intenſione quidquam remittat, cœptumque Monaſticæ perfectionis iter ſine defectione perficiat. Ut ergo officii hujus partes expleam, adeſte animis, & mentis oculos in ſcopum veſtri laboris collimate. Exploratum eſt, vos mundo renuntiaſſe, ut per arctam perfectionis Chriſtianæ viam incedentes, inter domeſticos Dei, & cives Sanctorum pace ſempiterna potiremini. Fœlicitas videlicet illa, quæ ſtrenuis Chriſti militibus ſpondetur, tanta eſt, ut prudentiſſimè eam æſtimaſſe, & univerſis mundi opibus, honoribus, voluptatibus prætuliſſe videamini; qui evangelico acquieſcentes conſilio, non parentes & patrimonia tantùm, ſed & voſipſos pernegare decreviſtis; huc profectò incumbere, huc ſeriò aſpirare cœpiſtis, G ex quo curam ſæculi abdicaſtis, non ferreis pertracti catenis, aut violento ullo imperio coacti, ſed allecti viva quadam æternæ mercedis energia, quæ rigentia prius colla inflexit, & ſuavi Chriſti jugo mirifice ſubdidit. Quod altè perpendit Bernardus, ubi vim verborum Chriſti, æternam vitam ſuis ſectatoribus pollicentis, in hunc modum expendit. Ser. in Mat. cap. 19. Hæc ſunt verba quæ Monachis Clauſtra replent, deſerta Anachoretis, hæc (inquam) ſunt verba quæ Ægyptum exſpoliant, & optima quæque ejus vaſa diripiunt; hic ſermo vivus, & efficax convertens animas fœlici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli. Hæc Bernardus, cui hæreditatis æternæ promiſſio tam efficax viſa eſt, H ut Monachorum, & Anacoretarum cœtus numeroſiſſimos concire, & viribus divinis ad ſuperandam arrepti propoſiti auſteritatem armare potuerit. Cum ergo inter hos fortiſſimos Chriſti milites, vos cum ſæviſſimo ſalutis noſtræ hoſte concertare, Regnumque æternum, quod vim patitur, expugnare ſtatueritis, cogitate, quàm delirum

eſſet

eſſet tentationibus frangi, vel indomitarum paſſionum motibus cedendo à tanti boni ſtudio diverti. Filii hujus ſæculi, quos prudentiores Filiis lucis Veritas ipſa nuncupavit, efficaciſſimo exemplo vos perurgebunt, ſi rerum momenta penſitetis. Illi nempe auri cupiditate vehementer impulſi, extremos Indos, victis Oceani fluctibus petunt, A neque ab ea contentione ullis vel laboribus vel periculis ſe patiuntur avelli, non animo concidunt ob demerſas plerumque naves, vel ob graſſantium piratarum incurſus, vel ob multiplicem peſtem, quæ corpora longis navigationibus graviter affecta depaſcit: tanta videlicet auri fames eſt. Si ergo per tot, tamque tremenda diſcrimina à mortalibus aurum exquiritur, aurum, inquam, illud, cujus adoratores innumeros Tartarus abſorbet, rogo vos, quantò ſit æquius, theſaurum non deficientem in cœlis, per arduam vitæ Monaſticæ diſciplinam exquirere, & jus civitatis Dei labore quoque multo comparare? Cur videatur B ſevera ſilentii, ac modeſtiæ lex mundi contemptoribus; qui dulciſſimis Æternæ Sapientiæ, hoc eſt, Chriſti ſermonibus, aſpectuque fruentur? Cur obedientiæ fida obſervantia dura videatur iis, qui libertate Filiorum Dei, bene proſperati gaudebunt? Cur momentaneum hoc, & leve onus colendæ pietatis, prolixum, graveque videatur, quandoquidem æterno gloriæ pondere remuneratur in cœlis? Extremæ quidem ſtultitiæ genus mihi videtur, Monachum qui à ſuæ vocationis primordio more Apoſtolico omnia reliquit, & quæ ſibi olim fuerunt lucra, arbitratus eſt propter Chriſtum detrimenta, leviſſimis de cauſis itineris incepti diverticula quærere: nunc obedientiæ præſcripta, nunc humilitatis occa- C ſiones detrectare; modò Chori, modò Oratorii exercitia ſubterfugere, & furtivam commoditatem, qua ſpiritus friget affectare. Quid captat hic rerum divinarum contemptor, & injuſtus propriæ ſalutis æſtimator? Oraculum eſt, quod verorum Mona- *Luc.* 13. 24. chorum animis hæret: Contendite intrare per anguſtam portam: hoc igitur oraculum cœleſte recolite, & per votorum, Regulæ, Conſtitutionum accuratiſſimam cuſtodiam vos ipſos arctate; nam laxos animos arcta via minimè capit. Multa hìc depromere poſſem ſatis vobis utilia; cæterùm brevitatis cauſa unum pro plurimis conſilium accipite: Eum qui præeſt, quicumque ille eſt, ſincerè veneramini, ejuſque imperatis D parere ſummam ſapientiam ducite; quo uno confecto omnem, Monachi juſtitiam complector. Si enim mandatis obtemperat, omnia virtutum capita, quarum exercitium paſſim à Prælatis injungitur, obedientiæ ſtudio connectit. Quæ Sanctorum Patrum, qui diſciplinæ noſtræ fundamenta locarunt, conſenſio eſt. Quapropter hoc ſimplex obedientiæ ſtudium, velut totius Juſtitiæ compendium vobis ſummopere commendo; cupioque, ut quælibet verborum interpretatio, ſive detorſio vobis horrori ſit, certoque credatis, vos fœliciter progreſſuros, ſummoque bono demum fruituros, ſi fide prævia, rationibus humanis procul actis, Prælatis ſyncere, ac perſeveranter obtemperetis. Hactenus vos hortatus ſum; modò è duobus propoſitis caput tractaturus, deberem ſanè verò ſecundum obmuteſcere ob multiplices culpas, E quas in prælatione commiſi, quarum me pœnitet. Fateor me frequenter non tam ex animo, quàm ex fragilitate peccaſſe, neque ut par erat, veſtri curam geſſiſſe. Multas exiguæ charitatis, & imprudentiæ notas mihi poſſetis obiicere, quas ego ita ſupplex confiteor, ut ſimul veniam poſtulem, & prece, & ſacrificio expiare decernam. Ignoſcite, Patres, Fratreſque Dilectiſſimi, homini ægroto, & graviſſimo internarum anxietatum pondere fatigato; & errata mea ferte patienter, qui Apoſtolicam Inſtitutionem, & ſpiritum lenitatis accepiſtis. Ego verò Clementiſſimum Deum impensè rogabo, vos divina charitate ſociatos multis Chriſtianæ F perfectionis acceſſionibus provehat, laboreſque veſtros mercede æterna repenſet. Romæ die VIII. Februarii M. IↃC. XIV.

EPISTOLA X.

AD CONVENTUS ITALIÆ.

Hortatur omnes ad charitatem mutuam, & pro admiſſis fortè Prælationis tempore, erroribus veniam petit. Scripta an. 1614. v. *Kal. Aprilis: al. XVII. edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 296. *&* X. *in Conlect. Ital. Mediol. pag.* 50.

Scrip. An. 1614. DE Chriſto Domino ſcriptum eſt: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. *Ioan.* 13. 1 Eò ſcilicet, quòd tametſi G toto ſanctiſſimæ vitæ ſuæ decurſu, ſumma in ſuos charitate fuerit; eam tamen haud alias luculentiùs, quàm ſub ipſum moriendi articulum, manifeſtam fecit. Immineo jam ego fini officii mei; qui ſanè, quod attinet ad agendum vobiſcum, alter veluti vitæ limes eſt: quandoquidem non ultra meum erit id munus, ſed in alterius curam in poſterum recumbet. Viſum proinde mihi eſt, nunc maximè ſignificare vobis, ſuprema hac epiſtola, amorem, quo ſemper adeo vehementi vos complexus ſum, ut mihi videar jure meo dicere poſſe cum Apoſtolo: *Volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras*. 1. *Theſſ.* 2. 8. Id nem- H pe proprium ſibi habet charitas Chriſti, urgere ſui poſſeſſorem ad præbendam ſubditis, non modò doctrinam Evangelicam, ſed vitam inſuper pro eorum ſalute. Cum igitur tali me in vos charitate Deus affecerit, adducor ad duo hìc loci breviter expendanda: quorum unum ad hortandum, alterum ad veniam admiſſis à me erroribus depoſcendam pertinebit.

Quod ad primum attinet, non alia præceptio mihi occurrit, dignior à me, coronidis

nidis loco, vobis præponi quam charitatis mutuæ operoſa, & cordialis commendatio: quippe quæ virtutum omnium, ac totius juſtitiæ noſtræ quidam veluti epilogus ſit, ſicut ſcriptum eſt: *Plenitudo legis eſt dilectio*. Habete igitur à me, tamquam ſupremum, & præcipuum documentum, hæc verba: *Fratres diligite invicem*. Ac ſi fortè ex me ſciſcitemini, cur eam potiſſimùm ſententiam elegerim, præ tot aliis à viris ſanctis cum altiſſimè laudatis, tum uſu quoque frequentiſſimè receptis? reſpondebo cum ſanctiſſimo Evangeliſta Joanne: *Quia præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit*. Nolo ego ampliùs ſapere, quàm ille, qui totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias: ut proinde fatendum ſit, inſigne prorſus in id muneris talentum accepiſſe. Verumenimverò ſi tantus Apoſtolus, nihil efficacius ad regendum commiſſas ſibi Eccleſias, ſuoſque diſcipulos rite inſtituendum æſtimavit, quàm hoc de mutua charitate præceptum, in eoque immobiliter conſtans, morte tenus perſtitit; conſequens eſt, iſtiuſmodi conſilium longè omnium aptiſſimum eſſe, ad bonum totius noſtræ Congregationis ac ſingulorum alumnorum ejus promovendum. Nec hujus ratio obſcura eſt: quin diſertè refertur ab Apoſtolo dicente: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum*. Hinc enim clarè ſequitur, Religioſum, ubi ſemel vera charitate efferbuerit, eo ipſo, juxta mentem Apoſtoli, patientem eſſe cum moleſtiis afficitur, benignum, ac ſuavem quoties in actione verſatur, non inficiari aliis, nemini nocere, non ſuperbire, non vanam gloriam aucupari, non quærere ſua commoda, non facilè indignari, aut verò ſiniſtrè de aliis opinari, ac demum pluribus aliis optimis dotibus inſigniri, quibus ea tandem vitæ ratio conficitur, quæ jure poſſit, imò etiam debeat æſtimari ſpecimen quoddam vitæ beatæ, illiuſque feliciſſimæ ſocietatis Sanctorum, æternùm in cælo regnantium.

Rom. 13.10.

In Lect. ejus Offic.

1. *Cor.* 13. 4. 5.

Jam ergo, ſi charitatem tot, adeoque nobiles affectus comitantur; quid æquè apud viros Religioſos, & regni cælorum candidatos, quales ii ſunt, quibus ſcribo, commendari meretur? Quid ita ſuſtollit animum in ſpem, & inquiſitionem ſummi boni, uti ſuaviſſima vis divinæ Charitatis, omnia vera animæ bona ſecum trahentis; pariterque ſubmoventis omnia vera illius mala; qualia ſunt ſingula vitia, & peccata, quippe puritati vitæ Monaſticæ ex adverſo oppoſita.

Digna haud dubiè ratione, Chriſtus Dominus hoc charitatis ſtudium, ceu luculentiſſimam hæreditatem novo nobis teſtamento reliquit; idque per antonomaſiam, ſuum mandatum appellavit, tum ob immenſa bona, quæ continet, tum quia noſtra adeo intererat. Cæterùm tametſi non ea cura, ac veluti ſolemnitate, id præceptum Sapientia Dei diſcipulis ſuis indixiſſet, debuerat vel merum ſolatium, quod in Charitatis exercitio ſentitur, potentiſſimè corda noſtra urgere ad ſedulam illius obſervationem: quandoquidem in mundo nihil æquè ſapit, & delectat, atque cohabitare Dei famulis, ſine fuco proximum, ſicut ſemetipſos, amantibus: ſeu (quod in idem recidit) ita pronis ad proximum à malo tutandum, & bonis omnibus cumulandum, ſicut avidiſſimè inclinant ad acquirenda ſibi vera bona, vera autem mala procul à ſe arcenda. Unde fit illos, quemadmodum cum fatigati, aut deſolati ſunt, requiem, & conſolationem ſibi quærunt, ita fratribus, ac ſodalibus ſuis, eadem ultro impendere, quoties ſimiliter affectos eſſe deprehendunt. Omnem evitant occaſionem, quæ proximo turbationis, aut mœroris vel minimum parere poſſet, lætantur de bona aliorum fama, de omnibus honorem loquuntur, eorumdem acta piè judicant, ac denique omnia aliis, ſicut ſibimetipſis facere ſtudent: unde pax multò ſuaviſſima in univerſum Collegium, ac ſpeciatim etiam in ſingula illius membra emanat: pax, inquam, non jam ſæcularis, & prophana, ſed Chriſtiana, illique non abſimilis, quam Chriſtus olim Apoſtolis, quorum imitationem profeſſi ſumus, impertivit.

Spero equidem, imò verò certo certiùs mihi promitto, RR. & CC. veſtras, pro ſua virili, in hoc Domini (à quo ad ſtatum Religioſum vocati ſunt) præceptum incubituras; alios juxta ac ſeipſas metiendo, totumque aliis vovendo, & agendo, quidquid boni ſibi optant, ac indulgent: honorando, compatiendo, connivendo, ſubveniendo, omnique eos conſolatione quatenus fieri poteſt, ac licet, præveniendo: ut ita ſimus veri Chriſti diſcipuli. Hæc eſt vera ſapientia Religioſorum, hæc prudentia juſtorum, hæc recta, ac regia via, ad ſinceram requiem. Cum hac doctrina nequaquam convenit proprium judicium, non voluntas propria, non adverſus obedientiam renixus, non ſiniſtræ rerum interpretationes, & querelæ. Qui enim modo ſupra dicto Prælatum ſuum colit, & amat, habet pro cæleſtibus oraculis quæcumque ille præſcripſerit. Cum hac doctrina ſtare nequit legum incuria, & vitæ diſſolutio: cum charitas divina omnes unanimiter adigat ad labores communes vitæ Religioſæ, perſuadens ſingulis, eam optimam eſſe curam, qua ſimul omnes, ceu unius, ejuſdemque corporis membra, eodem unionis ſpiritu animata, communibus actibus interſunt. Denique cum hac doctrina, minimè cohæret ſpiritus contradictionis, detractionis, & murmurationis, vultus mœſtus, & geſtus quidam animi proximo iniquioris indices. Ubi enim interior animus rectè cum proximo conſentit, exteriores etiam actus congruè componuntur: in quo ſtat potiſſima fere pars decoris domus Dei.

Class. I. Quando ergo homo uterque, internus, inquam, & externus, ritè per charitatem mutuam ordinetur, æquum eſt, Reverentias, & CC. veſtras in cultum hujus, virtutum omnium reginæ, impenſè incumbere, ſeſeque incitare ad currendum, hac regia via, ad æterni, & ſummi boni fruitionem. Et
A hæc circa exhortationem dicta ſunto.

Supereſt, agam alterum, petam, inquam, humiliter à RR. & CC. veſtris veniam ob culpas, quantaſcumque in prælatione commiſi. Ac ſanè, candidè, & ex corde illam efflagito, ingenuè confitens, minimè pro debito, me vobis opem, ac ſolatium tuliſſe? Ignoſcite, Patres Fratreſque chariſſimi; fragilitati meæ, & habete certiſſimum, voluntatem mihi, ad quemlibet quomodolibet ſolandum ſemper promptiſſimam fuiſſe; cæterum per valetudinem minùs licuiſſe: ut proinde mihi omnino perſuadeam continuas infirmitates meas, & graviſſimas interiorum laborum anguſtias, facilè me excuſaturas iis, qui ex charitate, de qua hactenus
B egi, me plurimùm diligunt. Errorum expiatio meæ curæ erit, porrò ſuppetias per orationes mihi præbere, favor erit veſter, &c. Romæ v. Kal. April. Anno M. DC. XIV.

* EPISTOLA XI.

RESPONDET FRATRIBUS QUIBUSDAM,

Qui eum forte de mediis ſanctioribus ad perfectionem Relligioſam conſequendam interrogaverant. Exſtat modò inter alias MSS. in Conventu a Deſponſatione B. V. M. Neoſtadii in Auſtria nuncupato Carmelitarum Excalceatarum; Scripta Italico ſermone, incerto anno, nunc primum Latine vulgata.

TRia potiſſimum viro Religioſo, ut perfectam vitam ducat, præſtanda ſunt; ſcilicet ſecum ipſo, tum cum Proximo, tan-
C dem cum Obedientia componi. Quod ad ſe pertinet, ſi pacem cupit, & Deo abſque ullo impedimento famulari, numquam cordis affectum in rem quamlibet nimium relaxare debet; in quo niſi attentè vigilet, innumeros angores ſibi comparabit: Quamobrem ad quietam, tranquillamqe vitam maxime cavendum eſt, ne ulli rei animus umquam adhæreſcat.

Quod verò Proximum ſpectat, is ita ſummopere diligendus eſt, ut nulla opinionum diſcrepantia, quæ maxime concordiam interturbare ſolet, oſtendatur; omnia, quæ in eo apparent, æqui, bonique facienda; illi minuſculæ offenſæ libenter donandæ, nec ſenſa iis contraria admittenda; ſecus enim, ob res minimi momenti ingenti aliquando
D ſollicitudine quiſquis eſt divexabitur, ab orando diſtrahetur, & id genus alia graviſſima damna patietur. Quapropter in id maxime incumbet, quod Chriſtus, ejuſque dilectus Diſcipulus docet: *Diligite alterutrum;*
Ioan. 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum.*

Quod tandem ad Superiorem, ſic apud ſe ſtatuat eum; tamquam a Chriſto ſibi datum habere; ita fiet, ut omnia ab eo patienter ferat, & nullo adverſo animi ſenſu illi cæco judicio obſequatur; nam alias numquam proficiet.

Si aſperioris forte naturæ, aut elatioris indolis Superior ſit, illum nihilominus a Chriſto electum cogitet; atque meminerit, gratiam Divinam naturæ defectiones non penitus auferre, quas etiam in Sanctis re-
manere perſpicimus. E Hac tandem certiſſima perſuaſione, qua Superiorem pro Chriſto, & a Chriſto eſſe credat, omnia vincet, nec aliis inferioris hominis rationibus, aut lamentationibus adſentietur.

Niſi enim firmiſſime teneat, id omne, quod a Superiore imperatur, aut dicitur, eſſe non ex humana ratione, ſed ex Dei maniſeſtiſſima voluntate, numquam ſincerè adquieſcet: non ita autem credere, ſuperbia eſt. Quod ſi creditur, par eſt, ut omnibus aliis rationibus obedientia præferatur. Optabant olim Corinthii, quemdam ex Apoſtolorum diſcipulis, nomine Apollo, apud ſe habere, quem propterea S. Paulus ut
iret multum rogavit, quemadmodum ipſe F ſcribit, I. *Corinth. c.* 16. his verbis: *Multum rogavi eum, ut veniret ad vos: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit.* Si ergo tantus Magiſter, & Paſtor, poſtquam diſcipulum rogaverat, ita ſuos componebat, quantò magis convenit, ut diſcipulus, & ſubditus quieſcat, quum Superioris, qui Dei vices gerit, voluntatem viderit? Quale igitur malum eſt, ſenſa oppoſita admittere, lamenta probare, & adverſam ſubjectioni mentem gerere? Vel ipſos catellos imitemur, qui etſi ſe a Domino ſubducant, quum vapulant, ad ejus tamen ridentem aſpectum lætitia geſtiunt, & mali præteriti obliviſcuntur. Ita & nos iram, & indignationem compeſcamus, quum plectimur a Supe-
riore, atque vel ſaltem commotione illa, G quæ primo excitatur, ſedata, quieſcamus, hilaremque faciem exhibeamus. Sic agite, ac pro me Deum orate, qui vos ſoſpites diu tueatur.

CLASSIS II.

Ad Singulares.

EPISTOLA XII.

AD PRIOREM QUEMDAM.

Quædam breviter attingit ad bonum, Monaſticumque regimen maximè neceſſaria, & utilia: deinde modum tradit obſervandum
hoſpitibus, & iter agentibus, legi charitatis, & paupertatis Religioſæ convenientem. Scripta forte an. 1611. *al. VII. edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 285. *& XV. Conl. Ital. Mediolan. pag.* 67. H

PAX Chriſti, &c. Quinque ego Reverentiæ veſtræ enixè in Domino commendo. Primum, ita Religioſis omnia in tem- Scrip. An. 1611.

temporalibus neceſſaria provideat, ut omnes in Reverentia veſtra patrem, ac matrem reperiant; ac ita ſui ipſorum curam, quoad ejuſmodi funditus exuant. Alterum, ac potius eſt, ut iiſdem lubens opituletur in ſpiritualibus: præſertim autem tempore tentationum, & afflictionum ſuarum. A Tertiò, ſtudeat illos promovere, quemque juxta talentum ſuum occupando, & ipſis ab otio diligenter cavendo. Quarto loco rogatum illum volo, ut Sacerdotes, qui confeſſiones excipiunt, prudenter inſtituat, moneatque neceſſariæ hoc in munere proſpicientiæ, præſertim cum mulieres audiunt. Quintò tandem, & poſtremò velim, Reverentiam veſtram jugiter (quatenus fieri poteſt) domi manere: abs ea enim aſſidua, & pertinace reſidentia haud ſatis perficere poterit, quæ nunc præſcripta ſunt, &c.

Addo & hoc, quod ad hoſpitalitatem attinet, ſat patere ex Sanctorum factis, & ſcriptis, quanti referat credere, propriam eſſe Religioſorum hanc virtutem: adeo quidem, B ut neglectus, remiſſio, vel quivis alius hoc in genere defectus, cum proximos peſſime afficiat, tum Ordinis decori, bonæque exſtimationi multùm officiat. Volo proinde, Reverentia veſtra palàm tota Communitate aperiat, quæ ſit mens mea hac in parte, ea ſcilicet; ut quanta poſſibile eſt charitate hoſpites excipiantur, tam quantùm ad ſubſtantiam rerum, quæ ſubminiſtrantur, quàm quoad modum promptè, expeditè, feſtinè, ac hilariter miniſtrandi: curando, more Sanctorum, non niſi contentos, & ædificatos illos dimittere. Et hoc quidem à recipientibus deſidero: nam ab aliis, qui recipiuntur, malim ego modeſtiam, & animadverſionem ad mala, in quæ C impingere poſſunt, niſi paupertatis, quam Deo voverunt, tunc maximè ritè meminerint.

Quod equidem non ob illa præcipuè moneo, quæ domi inter noſtros occurrunt; ſed magis propter alia, in ipſis itineribus frequentia: quæ ſanè ſi dignè, & more Carmelitas Excalceatos decente obire velint; neutiquam hæc ipſos cura habere debet, ut probè nummis inſtructi diſcedant, ad itinerandum inſtar nobilium, ac divitum hujus ſæculi: à quibus haud video, quo, præterquàm habitu, differant Carmelitæ; ſicubi equis vecti, etiam conſueta equitibus tractatione utantur. Ac decet, noſtros hoc monitum maturè admodum penſitare. Nam Congregatio noſtra cum in ipſis Monaſteriorum D adytis ſit reſtrictiſſima, ut quævis alia ex ordinatiſſimis totius orbis; forinſecus tamen (ubi potiſſimùm urget obligatio proximi bene ædificandi) ſolvitur à nonnullis in quemdam agendi modum, qui laxiorum Religioſorum proprius eſt. Neque hujus veritatis alios mihi teſtes volo, quàm ipſos noſtrates, ſi quando ritu prædicto iter agentes, obviam fiant aliis, mitioris, aut etiam paris ſecum profeſſionis, qui pedites iter faciant. Haud enim dubito, quin eis caſibus rubor pudore excitus, & remordentis conſcientiæ ſtimulus plus ſatis veram adſtruant, quam trado doctrinam. Porrò hic abuſus à quibuſdam jam cœptus induci, cum partim exinde manare videatur, quòd anguſtius tempus tribuatur, vel certè ſibi ipſi ſumant, quibus iter eſt; cenſerem operæ pretium, E amplius temporis aſſumere, quo decenter, ac religioſè itinera peragantur, rata ſcilicet in ſingulos dies ea tantùm viæ portione, in quantam ſe cujuſque vires exporrigunt. Quod tamen intelligi velim ita, ut non ſemper, ſed fere, ac plerumque ſervetur: quatenus excipiantur nonnulli caſus inevitabiles, quibus omnino oportet ipſos etiam ſanos, ac valentes (nam de infirmis non eſt difficultas) equites pergere.

Ex hac doctrina exceptis, & exceptoribus communi ingens in Communitatem bonum emanabit circa cultum charitatis, hoſpitalitatis, & paupertatis, quippe temperatum juxta Sanctorum moderationem, quam in collationibus Caſſiani legere eſt, F ac etiamnum ſequuntur boni, & ſpirituales Religioſi. Credo, facilè Patres, ac Fratres meos chariſſimos, ut ſunt impensè ad perfectionem inclinati, ſic mea hæc monita accepturos, quomodo cætera, quæ ipſis per leges præſcripta ſunt, quæ diligentiſſimè ſervare ratione profeſſionis, arctiſſimè tenentur: adeoque ſupervacuum arbitror vel minimum immorari, ad hanc doctrinam ipſis per argumenta probandam.

Hoc itaque dumtaxat adſtruo, me lubenter ac ultro etiam veſte me propria exuturum, imò verò detracturum ore panem, quo veſcor, ad hoſpites dignè, & commodè habendos; at hoc inſuper ſubjungo, me ſi hoſpes forem, adniſurum pro viribus, ut G ne in ullo receptoribus gravis fierem; admittendo ſimpliciter ea, que mihi offerrent, ſola neceſſitate, qua premerer, modeſtè propoſita: quomodo reapſe facere ſategi (tametſi imperfectè admodum) in quatuor præcipuis itineribus, quæ a tempore mei in Ordinem ingreſſus, diverſis temporibus confeci. In his enim non niſi ſemel, cum graviſſima valetudine laborarem, ſatis me neceſſariis inſtrui permiſi: in reliquis autem nec ſaltem quadrantem neceſſarii viatici à meo Prælato accipere volui. Dictat mihi mea conſcientia, minùs me avaritiæ, quàm aliis vitiis fuiſſe obnoxium: ac proinde quæ modò viatoribus præſcripſi, minimè ex tenacitate, qua ſim in bona temporalia, ſed ob meram rei ipſius honeſtatem H protuliſſe mihi videor: cujus luculento ſatis argumento eſt, quod quotidie ſentiunt, & impoſterum amplius experientur Conventus, eorumque Prælati, de mea ad ipſos pro poſſe temporalibus augendum propenſione: maximè quidem, quod in uno charitatis exercitio totum poſitum eſt, nec alia ſubſit difficultas, quàm providendi, ut ordinata ſit. Faxit utinam Deus, ut rectè in modum illum collimem, quem Sua Majeſtas plurium probat.

EPISTOLA XIII.

AD PP. BARTHOLOMMÆUM MARIAM, ET LUDOVICUM FRANCISCUM, &c.

Quos mittens in Perſidem, pro infidelium converſione, A *adhortatur ad tantum opus generoſe aggrediendum, ſancteque obeundum. Scripta an. 1612. XII. Kal. Majas, al. IX. edit Colon. Tom. 4. pag. 289. Deeſt in Conlect. Ital. Mediol.*

Scrip. An. 1612. XII. Kal. Maii.

PAX Chriſti, &c. Advenit tandem tempus, concepta olim ſancta deſideria opere etiam implendi: eundi, inquam, ad propagandam gloriam Domini noſtri Jeſu, opemque ferendam periclitantibus proximis, juxta creditum ſibi talentum, & menſuram gratiæ, qua à Domino donabuntur. Reverentiæ Veſtræ ſola Dei bonitate nitantur, ac fidant: ſibi verò omninò perſuadeant, iter hoc permagni intereſſe animarum ſuarum. Vanitatem mundi jam plus B ſatis, ipſo uſu, perſpectam habent; utpote qui promota jam ætate vocati, tamquam fugerent Babylonem, ita ad domum Domini venerunt. Ex quo acceſſio non modica facta eſt obligationi, quam habent, præſtandi fidem Deo, ponendique propter illum mille etiam vitas, ſi tamen totidem illis ſuppeterent. Hæc demum vera prudentia eſt, uti occaſione, cum ſe dat, & mediis ad æternæ vitæ conſequutionem appoſitis. Sunto igitur hoc rerum eventu prudentes, cooperentur gratiæ ſibi ultrò à Deo oblatæ, & occaſioni, quam habent ad manum, ſic immineant, ceu ſit illa ex aptiſſimis ad prædictum finem: qualem revera eſſe, ipſe mihi firmiſſimè perſuaſi.

Referent autem Patribus Perſidis, C Congregationem, Dei beneficio, rectè ambulare in virtute, maximo quidem legum omnium cultu, & ipſorum Religioſorum concordia, noſque omnes impensè cupere ſuppetias ipſis, opemque ferre; imò etiam reipſa laturos, quantùm res noſtræ permittent.

Ite, Fratres mei dilectiſſimi, *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.* Matt.10.16. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum. Roma XII. Kal. Maii, An. M. IↃC. XII.

INSTRUCTIO PRO IISDEM

I. Plurimum Divinæ Bonitati fidant, cer- D tum ſibi habentes, numquam illam terra, marique ſibi defuturam.

II. Maximi pendant ſanctam obedientiam, & ſummæ felicitati deputent legari ſe in oras exteras, occaſionum promovendæ Dei gloriæ feraciſſimas.

III. Sunto inter ſe multùm unanimes: alter alteri lubenter ſervito, & alteriùs commoda ſuis poſthabeto.

IV. Evitent opiniones contrarias: & ſibi invicem (præſertim autem junior ſeniori, Dei utpote locum tenenti) facilè cedant.

V. Sicubi mortis, aut gravis periculi occaſio ſe dabit, mutuò ſibi animum addant; fidelem Domini protectionem haud ſecus ſibi ſpondentes, ac ſi penes ſe haberent tutelare chirographum, ſanguine Chriſti ſubſcriptum.

E VI. Conſulunto (præſertim Maſſiliæ) peritos viarum ſui itineris: qui ſi conſultum dixerint indui ſcemate ſæculari, poterunt acquieſcere, ubi, & quando viſum fuerit opportunum: ac hoc enim Sua Sanctitas ipſis facultatem facit.

VII. Eadem Summi Pontificis Sanctitas, ſuam ipſis benedictionem impertitur, quam ſanè par eſt maximi æſtiment, cum quia Chriſti Vicarius eſt, tum ob ſingularem affectum, quo eam illis mandat. Porrò in periculis fortè ingruentibus erit operæ pretium ejus benedictionis reminiſci, robur utique cum multo ſolatio allaturæ.

VIII. Si opportunitas ſcribendi noſtris Patribus Perſidis ſe ſub iter dederit, F præmonento illos ſe adventare: id enim gratiſſimum illis, & conſolationi erit.

IX. Ne plus æquo faſtidii, ſine urgente cauſa, ſibi ſumant; neque curis inanibus, quid ſibi futurum ſit, admodum inveſtigent: nec committant, ut magis proſpicere velint, quàm exigat obedientia; ſed dumtaxat ejus ſatagant, quod ſibi præſcriptum eſt; atque ita neque facilè ipſi errabunt, neque diabolus eos technis ſuis circumveniet.

X. De Rege Perſarum ne ſint ſoliciti, nil illi novitatum referant, id enim minimè expedit. Mittuntur Haſpahanium, haud ſecus atque ad quodlibet Monaſteriorum noſtrorum Italiæ, vel Galliarum: ne igitur aliud concipiant, neque ſe Principum (ſint G illi Chriſtiani, ſeu Infideles) negotiis implicent.

XI. Sua Sanctitas nihil litterarum dabit hac vice ad Regem Perſarum; idque conſultò, ob plures cauſas. Quocirca ſi fortè ipſos videre, ac alloqui Rex voluerit; dicent, cum pervenerint, ſe ex remotis ab Urbe Monaſteriis, ex mera, & ſimplici obedientia ſolviſſe, nec aliud ea de re quæſiviſſe; cæterùm, ſi vera inaudierint, Sanctitatem ſuam bene valere, & prono in Regem animo eſſe.

XII. Id autem ſummopere procurent, quo proximus ædificatur. Cum omnibus, quibuſcum verſabuntur præcipua ſuavitate, & comitate agant: quo pacto ipſos etiam In- H fideles experientur ſibi beneficos.

XIII. Ante omnia autem patientia, conſtantia, & magnanimitas ipſis ſunt neceſſariæ, ut parati ſint tranſire per ignem, & aquam: ſi enim citò ſpiritu, & animo caderent, neutiquam apti eſſent ad munus, quod nunc ſuſcipiunt.

XIV. Studeant etiam pro viribus, numquam Dei præſentiam ex mente dimittere, ſed fideliter, uti olim ſub ſuum tyrocinium didicerunt, in illam incumbant, ita haud dubiè experturi, quàm ſuavis ſit Dominus & in iſtiuſmodi occaſionibus munificus.

XV. Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis frequentiſſimè eliciant; ac ſi quando per occaſionem non licebit ipſis celebrare, confiteantur tamen creberrimè, ad recipiendam gratiam hujus Sacramenti propriam, & Communionem, quam vocant ſpiritualem, non intermittant.

XVI. Ultimò tandem rogo Deum Opt. Max. det illis ſuam benedictionem, meam enim ultrò ipſis impertior, ut qui ſim loco Dei, qui RR. VV. illuminet, ac roboret juxta votum meum.

EPISTOLA XIV.

AD SUBPRIOREM QUEMDAM.

Oſtendit, quantum ſit boni recta FF. Novitiorum inſtitutio, ad quam illum maximè adhortatur, docens quibus potiſſimùm mediis proficere queant. Scripta an. 1613. III. Kal. Julias; Al. XII. in edit. Colon. Tom. 4. pag. 291. At in Conlect. Ital. Mediol. XIV. pag. 65. ex qua ſuppletur adjuncta Inſtructio, & finis Epiſtolæ, Latinè nunc reddita.

Scrip. An. 1613. PAX Chriſti &c. Unum eorum, quorum maximè ſatago, inter curas commiſſæ mihi Congregationis, eſt cultus, ſeu Inſtitutio FF. Novitiorum, & Profeſſorum: in quorum utique accurata educatione immenſum boni poſitum eſt; ſicut eſt maximum, & irreparabile malum, quod admiſſa in hoc genere negligentia invehit. Arbor, quæ initio, cum adhuc tenella erat, facillimè ductum coloni, omnem in partem ſequi poterat, ut crevit, jamque induruit, flecti ultra, aut dirigi nequit. Ita ferè in animorum formatione contingit. Quapropter etiam R. V. rogo, & per charitatem Dei obteſtor, ut id negotii juxta Sanctorum ſenſum, ac libram penſitet, nec omnino ulli labori parcat, quem quidem exiſtimet ad perfectam Fratrum inſtitutionem poſſe conducere. Illis Reverentia Veſtra à me ſalutem dicet, monebitque ſe dedant corditus ſtudio orationis, ac mortificationis; libellos etiam à me eorum inſtitutioni olim compoſitos ſæpius evolvant, maxime vero *Diſciplinam clauſtralem*, *Scholam Orationis*, & *Inſtructionem* ipſam *Novitiorum*, eatenus, ut notitiam aſceticorum, unà cum eorum amore referant. Tit. 2. 15. *Hæc loquere, & exhortare.* Id autem ſibi perſuaſum habeat, ob defectum hujus ſtudii perdi, imò verò jam deperditos eſſe plures Religioſos Ordines, in quibus regnat ſupina quædam rerum divinarum ignorantia. Reverentia Veſtra referat ad me de ſingulis Fratribus, eorumque qualitatibus, ut ego majorem habeam ſtimulum inſtandi apud Dominum Deum pro ulteriori eorum profectu; cujus rei cauſa heic junctam mitto Inſtructionem. Romæ III. Kal. Jul. cIↃ. IↃC. XIII.

INSTRUCTIO

Pro Magiſtris Fratrum Novitiorum, & Profeſſorum.

Primo: Eos in timore Dei inſtruere; qua in re negligentia, & inconſideratio Magiſtros obrepere ſolet, heinc paullatim timorem, deinde penitus amorem Dei abigi contingit, unde aliquando graves lapſus conſequuntur.

Secundo: In quatuor præcipua capita incumbere: I. Ut Fratres animi paſſiones dignoſcant, atque compeſcant. II. Ut virtutum actus noverint, exerceantque. III. Ut orationis modum ediſcant; qua in re velim eſſe diligentiſſimos. IV. Ut præſentia Dei, & actuum directioni quam maximè ſtudeant, actiones ſuas, qua quiſque potis eſt capacitate, ad divina erigentes. Quæ quatuor capita cumulatiſſimè Fratres dignoſcent, ſi *Inſtructioni Novitiorum*, *Diſciplinæ Clauſtrali*, *& Orationis Tractatui*, quem proximè ſingulari libro addimus, hoc titulo *Schola Orationis &c.*, ſedulam operam navaverint.

Tertio: Alios inſtituendorum Fratrum modos minimè admittere, nec nova adinvenire exercitia; quin & ab aliis parum utilibus pietatis exercitationibus eos exonerare, quum ſatis perſpectum ſit, hæc non modò ſolidum profectum, ſed etiam ſpiritualium rerum ſcientiam præpedire; quod quum ab aliquibus haud penſitetur, duo inde mala conſequuntur; alterum, Novitios non juxta Sanctorum doctrinam, & exempla, ſed caſu, & fortuitò inſtrui; alterum, eos ignorare, & fore perpetuò ignoraturos, quid ſit, Animas, quarum curam gerunt, inſtituere.

Quarto: Summa in Deum, & in univerſam Congregationem uti fide, in examine depoſcentium habitu noſtro indui, atque in ſincera eorum meritorum relatione ad Profeſſionem emittendam.

Quinto: Id efficere, ut Fratres in majora ſemper pro Dei honore contendant, quàm ea ſint, quibus ex Inſtituti Regula, & Conſtitutionibus tenentur; quum animus, qui ex primo vocationis fervore concepto ſupra debitum non extollitur, ut certis noſcitur experimentis, etiam à debitis ipſis operibus ſit defecturus. Nec verò Novitiorum, ſed Magiſtri prudentia hac in re expoſtulatur.

EPISTOLA XV.

AD QUEMDAM MAGISTRUM NOVITIORUM.

Tradit nonnulla neceſſario obſervanda ad rectam FF. Novitiorum, recenſque Profeſſorum educationem. Scripta forte an. 1613. Al. IV. edit. Colonienſ. Tom. 4. pag. 280. Deeſt in Conlect. Ital. Mediol.

PAX Chriſti, &c. Quando Leges noſtræ ita ſanciunt, ut Magiſter Novitiorum, ac Scrip. An. 1613.

ac recens Profeſſorum idem, qui Subprior ſit, velim Reverentiam Veſtram tanti, quanti par eſt, æſtimare munus ſibi à Domino impoſitum, quod ſanè unum illorum eſt, quæ in Religione maximi ſunt momenti: ut proinde noſſe debeat, ſe, ſi modò debitè illud obeat, longè optimè de Congregatione mereri, ſin autem ſecus, immenſum A eidem damnum afferre poſſe. Oportet igitur, Rev. Veſtram ſedulò cogitare, quanti referat recta Fratrum Novitiorum, Profeſſorumque inſtructio: jugique apud Deum prece contendere, pro impetranda gratia, ac luce, quibus novellas illas plantas Diſciplina Monaſtica ritè imbutas, feliciter ad perfectionem adducat. Præter hæc autem, opus eſt attenta librorum ſpiritualium lectione, eorum præſertim, qui cum Inſtituto noſtro magis conveniunt: cujuſmodi ſunt, quibus titulus: *Inſtructio Novitiorum*, *ipſiuſque* adeo eorumdem *Magiſtri*, *Schola Orationis*, & *Diſciplina clauſtralis;* quibus quatuor libellis totum aptè comprehenſum B eſt, quidquid ad rerum ſpiritualium notitiam, earumdemque declarationem facere poteſt.

Itaque Reverentia Veſtra præcipuo ſtudio in hæc incumbat, quatenus probè percepta, ad majorem Dei gloriam, & animarum fructum, eadem aliquando magiſtraliter expromere queat. Principalia puncta, quæ omnibus cordi eſſe oportet, ſunt oratio, & mortificatio, juxta directionem ſui magiſtri in praxim eductæ: porrò finis immediatus, in quem collimare debent ii, qui hoc in ſtadio verſantur, eſt verarum virtutum acquiſitio; verbi gratia profundæ humilitatis, obedientiæ fidelis, &c. quæ omnia Reverentia veſtra ſtudioſe advertat: refert enim plurimum arte, & induſtria procedere C in Fratrum educatione: qualiter neutiquam proceditur, ubi magiſter non ea, qua par eſt claritate, ac diſtinctione, ſibi, ſuiſque diſcipulis proponit finem, ſeu ſcopum exercitiorum ſpiritualium.

Quapropter id unum ſæpe ſæpius Fratribus inculcet, ut aciem in ſcopum ſuum irremiſſe colliment, norintque uti oratione, mortificatione, confeſſionibus, communionibus, & reliquis vitæ Religioſæ exercitiis, ad conſequendam majorem in dies humilitatem, ampliorem obedientiam, & copioſiorem manſuetudinem &c. in quibus niſi quotidie proficiant, ſuam orationem, ac mortificationem minimi æſtiment. Hæc enim doctrina Sanctorum; quam ſi R. Ve- D ſtra velit efficaciter alios docere, promoveat in ſe ipſo eaſdem illas virtutes, & agat cum ſuo Superiore humiliter, manſuetè, & cum debita obedientia, ita enim vivo exemplo, & inſtantia doctrinæ formabit in Criſto diſcipulos ſuos, & in bonum commune cooperabitur, ſicuti ex officio tenetur, accepturus ideo dignam in cælo mercedem, quam concedat Rev. Veſtræ Dominus, &c.

EPISTOLA XVI.

AD PP. CAPITULARES QUORUMDAM CONVENTUUM.

Expoſcit eorum preces, ſimulque admonet præſentiæ Dei, & ædificationis juniorum. Scripta forte an. 1614. *ut ex narratione ſuæ virium imbecillitatis conijcitur; Al. XI. edit. Colon. Tom.* 4. *pag.* 291. *Deeſt in Conlect. Ital. Mediolan.* E

OBſident me multi, iique graviſſimi cum angores in animo, tum in fracto corpore dolores: videorque mihi vivere, non jam vi naturæ, ſed virtute gratiæ Dei, per RR. Veſtrarum orationes. Hæc itaque eò ſcribitur, quò vos adducam ad orandum pro me Dominum, mihique ab eo impetrandam miſericordiam, qua præſertim res animæ meæ egent; quod eſt caput eorum, quæ magis deſidero. Deinde verò deſerviet eadem vobis admonendis jugis ſtudii divinæ præſentiæ, cultus legum, & ſervandæ concordiæ chariſſimorum Fratrum meorum, diſcipulorum Jeſu Chriſti. Tametſi enim minimè me fugiat, omnes in veritate ambulare, & ſingulos ad perfectionem conari; hæc tamen monita, quæ exaravit ſincerus amor, quo illos complector, calcar inſuper addent ad ampliùs currendum, citiuſque inſequendum beatiſſimum finem, ad quem anhelant. Id autem habeo primis in votis, ut RR. Veſtrarum ſuaſione, & exemplo Fratres omnes modeſtiſſimè, & in externis geſtibus compoſitè ſe gerant, quemadmodum decet eos, qui vitam ſpiritalem profitentur, in quorum numero cenſemur & nos. G Dominus RR. VV. protegat, & abundè ſua conſolatione reficiat. Ita deſidero. Romæ &c. Scrip. An. 1614. F

EPISTOLA XVII.

AD SCHOLARES.

Utilem tradit litterarum ſtudiis incumbendi methodum, ac cohortatur ad inſignes in eis progreſſus faciendos. Scripta an. 1714. *ſub finem ſui regiminis; Al. XVI. edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 295. *& XVI. quoque in Conl. Ital. Mediolan. pag.* 69. *ex qua ſuppletur Epiſtolæ finis ab iis verbis.* Quamobrem velim, *&c.*

PAX Chriſti, &c. Officio defuncturus brevi operæ pretium duxi, affectu paterno hortari vos, ut qui obedientiæ delectu litterarum ſtudio addicti eſtis, obedientiæ ipſius animo per omnia capita congruatis. H Animus autem noſter eſt, ut Chriſto primum, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, Philoſophicis mox, Theologiciſque veritatibus, diſcrimine altè perpenſo, ſtudeatis, ne ordine præpoſtero minus Scripta An. 1614. *Coloſſ.* 2. 3.

nùs bona melioribus anteferre, vel tanquam æqualia permiſcere contingat.

Primam ergo ſtudii partem Chriſto devovete, ut Dei ſincerum amorem, fidam obedientiam, profundam humilitatem, exactam legum obſervationem, cæteraſque virtutes, quibus ſtatus noſter debet excellere, A perquiratis. Quid enim proſit parta labore doctrina iis, quorum animus Dei ſapientiæ minimè conſentit? aut qualem pietatis proventum concionando, aut ſacras confeſſiones audiendo referet de aliorum animis, qui de ſalute propria curanda oſcitanter cogitat? Profectò timendum eſt, ne qui à proprio inſtituto degenerat, ſi aliis fortè prædicaverit, ipſe reprobus fiat. Spero autem, vos ad feliciſſimum prædeſtinatorum numerum pertinere, primamque proinde, ac potiſſimam curæ partem iis, quas recenſui virtutibus impendere. Quod ſi ex voto ſuccedit, bene eſt, ut quod ſupereſt curæ, ac laboris, ſcientiæ parandæ tribuatis, qua præſtare vos cupio.

B Novi enim, quàm ſit appoſita inſignis doctrina ad proprios animos veris virtutibus excolendos, & proximorum ſalutem promovendam. Quocirca nollem vos mediocres Philoſophos, aut gregales Theologos, vel (quod ſancta Parens Noſtra Tereſia oderat) Semi-theologos evadere; ſed adeo proficere, ut Patres noſtros planè doctiſſimos vita functos, Petrum, Franciſcum, Melchiorem, alioſque perſimiles æquare conemini. Quod ut aſſequamini nihil non tentandum, & pervincendum; non detrectandus labor, non animus ſegniter remittendus eſt. Si enim vel ex iis, qui ſtrenuè laborant, vix pauci laudem primam promerentur, quid de lentis diſcipulis opinemur? Memineritis Pythagoræ, qui prolixum terrarum C tractum Memphim uſque, & Platonis, qui Ægyptum, *Epiſt. ad Paulin.* & eam Italiæ oram, quæ quondam magna Græcia appellabatur, laborioſiſſimè, S. Hieronymo aſſertore, peragravit. Uterque ſcilicet ſapientia provectus, ulteriùs proficiendi cupidiſſimus labores omnes exantlare, & utile, & honorificum cenſuit. Si ergo ea doctrina, quæ ad ſempiternam felicitatem ſuis non profuit candidatis, tam operoſè exquiſita fuit, quid operæ vos collocare non debeatis ad eam comparandam, quæ ad æternitatem facilè conferre poſſit? Excutite ignaviam, & propoſito cæleſtium bonorum ſcopo, in cœptum opus conſtanter incumbite. Quamobrem velim, Patres, Fratreſque Cariſſimi, attentè conſideretis, quem in finem inſpi- D ciatis, & cur operoſo adeo ſtudiorum labori vos dedatis. Quid? Plauſuſne, exiſtimationemque ſæcularium hominum, aut certè caſuris divitiis diteſcere quæritis? At hæc ſibi curent negotiatores Theman, qui terrena prudentia ducuntur; vos autem gens Sancta, populus electus, & illuſtris portio Regalis Sacerdotii, quod a ſumma Dei excelſi, & manſuetiſſimi Majeſtate peractum eſt, ſæculi honores contemnite, & in æternos ſapientia duce contendite, dolores, laboreſque jugiter meditantes, & ipſum præ mente martyrium quotidie habentes. Huc omnis conatus veſter redeat, ut inſtar fortium catulorum leonis corda inimicorum Regis noſtri in eſcam capiatis. O vos beatos, ſuaviſſimi comites Filii Dei, qui ob veras, patriaſque leges, & ob in- E temeratam Chriſtiani candoris cuſtodiam in mortem glorioſè obeundam parati eſtis, qua meritas coronas accipietis aut doctrina virentes, aut paſſione rubicundas. Nolite, Milites fortiſſimi, Idumæis cedere, quin è Noſtri Sancti Parentis Eliæ progenie vos ipſos exerite, cujus dextera gladio flameſcenti circumducitur: nunc in Antichriſti damnum arma induite: jam ego vehementer optioni veſtræ invideo, quam ut altiùs mecum ipſe recogitem, modò ſcribendi finem facio. Preces autem, ſacrificiaque repoſco, quibus Deus placatus, gravia mihi condonet errata, ut ejus gratia munitus tandem pacatè defungar. Clementiſſimus Jeſus Chriſtus, F vos divina ſapientia illuſtret, doniſque cæleſtibus augeat. Romæ &c.

Heic adnectenda foret alia ad modum inſtructionis omnibus ſtudioſis, quam ſupra dedimus inter alias Inſtructiones Monaſticas, pag. 258. *In veteri editione autem erat ordine XIX. Tom.* 4. *pag.* 300.

CLASSIS III.

Ad Moniales.

EPISTOLA XVIII.

AD MONIALES IN COMMUNI G

Qua nonnulla eorum attingit, quæ perfectioni religioſæ acquirendæ plurimum prodeſſe, vel obeſſe ſolent. Scripta an. 1611. III. *Id. Jul. Al. II. edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 278. *& VI. in Conlect. Mediol. pag.* 39.

PAx Chriſti, &c. Jam ab initio demandatæ mihi provinciæ, unus omnium RR. Patrum Capituli Generalis ſenſus fuit, potiſſimum ſubſidiorum, quæ porrigenda Religioſis mihi incumbunt, oportere à me ferè per litteras exhiberi, ut cui per valetudinem non liceat præſenti cum ipſis agere. Quæ ſententia, quoniam cum ſenſu Chriſti (cui placitum eſt RR. & CC. Veſtras curæ meæ concedere) facere videtur, H cum mihi probatur maximè, tum etiam adducor, ut judicium meum cum illo communi componam. Itaque quod hac Epiſtola intendo, eſt inſinuare vobis nonnullas, eaſque aptiſſimas præceptiones ad evitanda vitia, acquirendam autem ocyùs Religioſam perfectionem, quam profeſſi ſumus. Scrip. An. 1611.

Atque ut ordiamur ab eo potiſſimùm Chri-

Chriſti mandato, quod præcipuum nobis teſtamento reliquit, charitatis inquam in proximum, moneo RR. & CC. veſtras ſolerter admodum attendant, tamquam excubias agendo ſuper corde ſuo, quoties ſub orationem mentalem, vel etiam extra illam amori divino, qui ſponſas Chriſti apprime decet, pro more operam navant; A advertant, inquam, illum amorem Dei examinare per amorem proximi; ita quidem, ut utantur ipſo amore proximi ad probandum amorem Dei; Volo dicere, ut attentè diſcutiant, qua affectus teneritudine ferantur erga alias ſorores: quî ſcilicet earum caſibus afficiantur: num ſoleant verbo, & opere illas conſolari: ſintne pronæ ad earum obſequium: rectène de iiſdem ſentiant, & loquantur: ferant, nec ne noxas earum, vel etiam honore eas præveniant; ſintne ſollicitæ in omnibus, quatenus per ſanctam obedientiam licet, eas oblectare, fovere, ac delinire; abſtinendo ſeſe à verbis, ſignis, geſtibus, operibus, & aliis, quibuſcumque tandem offendi poſſunt?

B Hæc omnia unaquæque cordi habeat, ſeque ipſa conſulat, ac juxta dictas regulas charitatis proximi vitam ſuam inſtituat: etſi quidem illam repererit bene cum his canonibus convenire, piè credere poteſt, habere ſe revera charitatem Dei, tenſiſque paſſibus, pergere ad perfectionem; ſin contra minùs rectè ſe habeant ad hanc normam, non vacabit periculo amor Dei, quem habere videntur, nec myſtici ſenſus, intimæ conſolationes, & quæcumque alia divinum aliquid præſeferunt; ſed ſuſpecta magis, incerta, ac denique talia erunt, quibus minimè fidendum ſibi. Quocirca RR. & CC. Veſtræ affectus ſuos ſic mutuò moderentur, ut quælibet animo comparata ſit, quodlibet pati propter quamlibet ſororum C ſuarum, juſſis procul faceſcere verbis, operibus, & quibuſvis affectibus haud ſatis charitati congruis, eamque doctrinam habeant tamquam fundamentum, & baſim omnium aliarum; indubiè credentes, qua proportione praxis illius frequentabitur, eadem (modo noſtro loquendi) auctum iri propenſionem Divinæ Majeſtatis, ad ipſis cohabitandum, unà cum copia ſublimium chariſmatum, quæ ſunt excellentes virtutes, quibus Dominus muneratur veras Carmelitanas Diſcalceatas, quæ ſcilicet ſunt genuinæ imitatrices Sanctæ Matris Noſtræ Thereſiæ inſignis vitæ ſpiritualis Magiſtræ.

Proximè traditam doctrinam ſequitur alia de exercenda fideliter ſancta obedientia, quam ſanè penes RR. & CC. Veſtras D heroicum in modum ſplendere par eſt; adeo quidem, ut veſte, quam induunt, minimè ſe dignas æſtiment, niſi quam fideliſſimæ fuerint in componendis cum genio ſuorum Prælatorum animis ſuis, ac tum etiam diligentiſſimæ in iis omnibus, quæ illi juſſerint exequendis.

Porrò componitur animus cum Superioribus, ubi illos ſummo amore, ac reverentia dignamur. Amore quidem; nam præter titulum proximitatis, quo fruuntur communi cum quibuslibet aliis, quos ſupra diligendos monuimus, ſunt inſuper nobis vice patrum, ac matrum, magiſtrorum, canalium Dei, per quos derivat rorem miſericordiæ ſuæ in animas ſubditorum: ſunt denique mediatores, ad impetrandas multas E gratias utiles ad perfectionem, ac ſalutem æternam eorum, quibus præſunt; quæ ſanè omnia haud leves ſunt ſtimuli ad amorem acerrimè urgendum. Reverentiam autem vel eò merentur ampliſſimam, quòd Jeſu Chriſti Domini noſtri, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum perſonam, viceſque ſuſtinent. Ament itaque, & revereantur Superiores ſuos: habeant oculos columbarum, quibus candidè, & ſimpliciter reſpectent ea, quæcumque præſcripſerint: non admittant ſuper his diſcurſus, & interpretationes; quin potiùs etiam tremore tenus vereantur illa diſcutere, ac omnino voces eorum, non aliter, ac tranſmiſſa de cælo oracula ſuſci- F piant.

Hæc doctrina inſtar epilogi eſt, & compendii totius juſtitiæ Religioſæ. Nam obedientia cum ſecum trahat veluti concatenatas cæteras virtutes, fit, ut animæ puræ, quæ Superioribus amanter, ac reverenter dicto audientes ſunt, eo ipſo, quo verbum obedientiæ condigno cultu, & affectu ſuſcipiunt, trahunt etiam ad ſe omnes alias virtutes, quarum actus ſibi ab illa dictantur, ac ita breviſſimo tempore evadunt ditiſſimæ earum opum, quæ ſemper duraturæ ſunt, vivuntque ſumma conſcientiæ ſecuritate, & pace mirabili, quæ filiorum Dei propria eſt. Ea quidem de cauſa ſine erroris periculo, ſine perplexitate, ſine caligine ducuntur per viam vitæ.

G Næ, beata anima Religioſa, quæ per obedientiam aciem interiorem collimat in Chriſtum: quia fœcundabitur à Spiritu Sancto, & multiplicabit deſideria ſancta, ſicut arena maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. Væ autem Religioſo, vel Religioſæ, qui opere, verbo, vel affectu, adverſus ſanctam obedientiam pugnant; præterquam enim vix juſtitia belli ab ipſis ſtare poteſt, vitam inſuper ducunt infeliciſſimam, vacuam virtutibus, & afflictam plurimis remordentis coſcientiæ aculeis, quæ nullam eis quietem indulgent.

Contingit aliquando, & huius ego teſtis ſum, ut, qui certa id experientia didicerim, bonos, & Deum timentes Religioſos, ob aliquam fortè paſſionem, contra ſuum H Prælatum nonnihil commoveri, ita tamen leviter, ut vix peccati venialis periculum immineat, qui nihilominus uſque adeo anguntur, ut nullatenus quieſcere valeant, donec ſe ad pedes Prælati proſtraverint, ut ita ſuæ ſe paci denuo reſtituant, eamque pœnam, quam intollerabilem cenſent, quantocyus à ſe ſubmoveant. Id autem inde oritur, quod ſublimiter de Prælato ſentiunt, judi-

judicantes nullo ſe pacto poſſe pacem cum Chriſto inire, quamdiu non illi animum tota devotione ſubmittunt, qui ipſius Chriſti vices obit. Eſt autem hic ſenſus, ſeu conſcientiæ remorſus ſignum prædeſtinatæ ſalutis, quem utinam divina Majeſtas omnibus Religioſis, ac Monialibus noſtris altè infigat, eoſque liberet hac in parte à A ſtatu inſenſibilitatis, cum quo nullatenus ſtare poteſt perfectio religioſa, quam ſpectamus. Sin autem Reverentiæ, & Charitates Veſtræ fideliter Superioribus ſuis morem geſſerint, ſibi perſudaeant, experturas ſe à Chriſto ſummum recipere affectum, & influxum copioſum in animas ſuas, perfectam obſervantiam cæterorum votorum, Regulæ, Conſtitutionum, omniumque aliarum obligationum ſui ſtatus. Creſcent inſuper eximium in modum puritas, paupertatis amor, profunda humilitas, contemptus mundi, & deſiderium æternorum bonorum; ac ſæpiùs videbunt ſibi hanc virtutem veluti manu palpare, unde plurimum conſolationis haurient, ſuſtollenturque corda B ſua quodam ſpei niſu ſublimiſſimo, meliore cunctis divitiis, honoribus, ac deliciis hujus mundi, tametſi per infinita ſæcula ea durarent.

Poſt aſſertum Obedientiæ cultum, ſupereſt hortari RR. & CC. veſtras ad ſedulam cuſtodiam diſciplinæ Religioſæ, quà præſertim reſpicit actus communes; quos utique pluris ſemper æſtimare par eſt, quàm quodvis eorum, quæ ex libera cujuſvis devotione ſupererogantur, ſit id licèt excellentiſſimum. Et hoc quoque documentum intimo cordi habere debent, ne quando Cacodæmon, ſpecie meliorum, ipſis turpiter imponat. Laudabile eſt, fateor, opera ſupererogatoria aggerare: at longe eſt præſtantius, ipſa, quæ obligationis ſunt, C adamuſſim implere: & potior pars modi tendendi ad perfectionem in eo poſita eſt, quòd actus communes ſummo ſtudio, ac diligentia obeantur: ſtudio, inquam, eos exequendi majori ſemper animi contentione, & creſcente indies ampliùs deſiderio placendi Deo. In quo diabolus religioſæ perfectionis hoſtis capitalis, nititur pro viribus decipulam ſtruere, propoſitis in eſcam particularibus ejuſmodi exercitiis, non id equidem captans, quo in vera pietate proficiant, ſed ut in quotidianis langueſcant, ac tepeant obligatoriis exercitiis; ſicque jacturam faciant meritorum, quæ alioqui legere potuiſſent ex illis, utpote quæ ſint inſtar certi, ac ſtabilis cenſus, quo D ditantur animæ inſigni gratiæ, & gloriæ proventu. Unumquodque ſuo pondere æſtiment, & primas obligatoriis concedentes, procedant deinde ulteriùs ad ulteriora, & ſupererogatoria ex conſenſu, & directione Prælatorum.

Concludo hanc epiſtolam, excitando RR. & CC. Veſtras ad frequentiam plurimorum actuum virtutum, quibus inſtruitur pars ferè potior decoris domus Dei: quales ſunt, verbi gratia modeſtiæ virginalis, nolendo quicquam intueri præter Jeſum Chriſtum Sponſum ſuum, caſtigationis linguæ, parcè, & cum facultate loquendo, de rebus quidem ſpiritualibus: reformationis auditus, claudendo aures inutilibus, & vanis, ſoliſque bonis, quæ ædificationem habent aperiendo. Quæ tria genera mortificationis, E oculorum, linguæ, & auditus, tanti ſunt momenti, uti abs illis ferè incaſſum ſit ſtudere orationi, & præſentiæ Dei, quibus tamen vacare ex profeſſo tenemur, ac conſequenter manebunt deſtitutæ exercitiis internis, quæ ſunt veluti anima boni Religioſi, ac Monialis; de quibus plura ſuperaddere ſuperfluum videtur, quandoquidem perſonis loquor, ſtudio orationis, & præſentiæ Dei plus ſatis deditis, & quæ toto animi conatu illi incumbunt.

Vita hæc brevis eſt, & ambitus bonorum æternorum vult cor liberum, & exoneratum ſollicitudine terrenorum. Non igitur ſinant ſe gravari, neque admodum deiici à noxiis cogitationibus, & ſuggeſtionibus diaboli: ſed utcumque ſe ſenſerint F afflictas, recurrant illico ad ſanctam obedientiam, cum humilitate, & fide, conenturque quàm citiſſimè ſe allevare, uti ne intima illa cum Deo conſuetudo intermittatur, aut verò damnum aliquod ferat ſuavitas convictus mutui, qui in vobis eſt. At ſi Deo viſum fuerit (ut ſolet cum chariſſimis ſibi) ipſas aliqua tribulatione probare, ne cedunto afflictioni, torquendo ſe ipſas, quia affliguntur, ſed æqui bonique conſulant ſortem ſuam, eo quod dignæ habitæ ſint tribulationem pati, & Chriſto ſocietatem præſtare in pœna, dilatando interim ſinus cordis, ſeque animando ad ferendam crucem; quippe quòd ſua referat, coronas acquirere, & perficere virtutes G igne tribulationis. Brevi tranſibit quicquid cruciat; ſequetur autem illico refrigerium, & ob ipſam afflictionem, tentationemque præteritam, ſincera ex animo cordis lætitia: ſtatim dicet paterfamilias procuratori ſuo: *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam.* Matth. 20. 8. Quæ, ſi me interrogent, qualis ſit? dicam eſſe beatiſſimam viſionem divinæ Majeſtatis, ac fruitionem delicatiſſimam ſupremi, & æterni boni: denique optatiſſimam ſatietatem cordis humani, nihil præter quod poſſederit, deſiderantis.

Arbitror indubiè, frequentem uſum orationis, & ſanctæ lectionis, qui ſolitus veſter cibus eſt, effecturum, ut ſufficienter intelligant, quàm ſupra æſtimationem omnem ſit merces, quæ ipſas manet ob H præſentes hujus vitæ, & Diſciplinæ Monaſticæ labores. Non itaque faſtidiant, aut verò ſe turbent ob ullum eorum, ſed potiùs animo grandi difficultates exantlent, & aſcendant per aſperum truncum palmæ ad colligendos ſapidiſſimos æternorum ſolatiorum fructus, quos divina Majeſtas concedat RR. & CC. veſtris, uti voveo. Romæ III. Idus Julii. Anno Domini M. DC. XI.

EPISTOLA XIX.

AD MONIALES MONASTERII A JESU MARIA GENUÆ NUNCUPATI.

A *Hortatur eas ad præcellentem virtutum omnium maximè Magnanimitatis cultum, exemplo S. M. Tereſiæ. Scripta an.* 1611. VII. *Kal. Decembris; Al.* V. *edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 281. *&* VII. *Conlect. Ital. Mediolan. pag.* 43.

Scrip. An. 1611. PAX Chriſti, &c. Quod præcipuum erga RR. & CC. veſtras debitum habeo, eſt procurandi juge incrementum ſpiritus in cordibus veſtris, unaque cum illo cæterorum bonorum, quæ initio vobis ſtatui quadrant, & congruunt. Porrò hunc in finem ea media videntur aptiſſima, quæ & notiſſima vobis, atque adeò adhibenda ſunt: uſus ſcilicet divinæ præſentiæ, & ſumma in ſtudio virtutum, jugique mortificatione fidelitas: quarum equidem rerum notitiam, B cum multam ineſſe vobis ſciam, tum arbitror neque praxim ipſam deſiderari. Velim autem in præſentiarum prædicta bona ulteriùs etiam promovere, & obſtacula, ſi quæ illa remorantur, ocyùs ſubmovere, refricando vobis memoriam multæ obligationis, qua tenemini amplioribus in dies acceſſionibus ad perfectionem vergere. Primò quidem ob ſponſalia, olim cum Jeſu Chriſto ſolemniter inita: deinde etiam propter inſignem titulum, quem præfertis, filiarum S. Matris Tereſiæ: cujus ſpiritus utinam evadatis hæredes, maximè quidem magnanimitatis, quæ in illa ſingulariſſimè ſemper reſplenduit, numquam aut paucis, aut mediocribus contenta, ſed virili prorſus animo in ſupremos virtutum gradus ſemper C erecta. Neque enim ſatis illi erat, in virtutum (puta obedientiæ) exercitio quomodocumque ſe gerere: ſed enitebatur perfectiſſimum obediendi modum æmulari ſine diſcurſu, ſine replicatione, nihil pendendo intercurrentes fortè rationes humanas, imo revelationes ipſas, tametſi divinæ viderentur: gnara utpote, credendo revelationibus, ſeſe falli poſſe, minimè verò prælatis ſuis parendo. Atque hoc pede, proportione ſervata, in reliquis etiam virtutibus procedebat: & cum tanta ageret, omnia tamen nihil eſſe cenſebat, præ illis, ad quæ præſtanda ſe obligatam ſentiebat. Imitentur RR. & CC. veſtræ, magna cordis conſtantia, Matrem ſuam, ut feliciter proficiant: ſi quid autem in rem D eam in me opis ſit, inſinuent tantùm, & multò lubentiſſimè illam impendam. Orent interea Dominum pro me, & univeſa Congregatione noſtra, ut abundanti gratia, & luce cæleſti augeatur, ad majorem Dei gloriam, qui RR. & CC. Veſtras cuſtodiat, ut opto. Dat. Romæ Kal. Decembr. CIↃ. IↃC. XI.

EPISTOLA XX.

AD SANCTIMONIALES IN COMMUNI.

Tria exhortando illis proponit, quæ ad perfectionem Religioſam compendio, ac feliciter obtinendam plurimum conferunt. Scripta anno 1612. *menſe Januario; Al.* VIII. *edit. Colonienſ. Tom.* 4. *pag.* 286. *& in Conlect. quoque Mediol.* VIII. *pag.* 44. E

PAX Chriſti, &c. Non aliud conſilium magis pro viatore facit, quam latis paſſibus eò citiſſimè eniti, ubi ſua eum requies manet. Hanc veritatem unanimiter omnes recipiunt, ſequuntur autem ſolertiſſimè ipſi mundani in ambitionibus ſuis. Soli aliqui, qui ſe Chriſti clientes profitentur, videri poſſunt non ſatis eam capere, nedum ipſa praxi exequi: quippe quorum vita eam ſegnitiem in proceſſu ad perfectionem præ ſe fert, quæ meritò attentiùs rem penſitantibus admirationem moveat. Scrip. An. 1612.

F Certè viator, qui ſtationem ſibi, ſuæque familiæ habet in rupe, aut alio quovis loco ſterili, & inculto pergit equidem ſæpiſſimè per oras fertiles, & amœnas: ſubinde etiam illectus variis objectis ſibi fortè per iter occurrentibus adducitur, ut gradum ſiſtat, & tantiſper intueatur nunc palatiorum ſuperbiam, nunc amœnitatem hortorum, nunc alias ejuſmodi magnatum delicias. At quàm mox animadvertit, hæc omnia nihil ſua referre, urgetur potenti ſtimulo ad feſtinandum, imò & currendum ocyùs ad arentem illam rupem, in qua habitaculum, & quietem ſibi præſtituit. Verùm animæ complures, etiam religioſæ, (quæ tamen potiori ratione ſunt advenæ in terra, & cum Apoſtolo dicunt: *futuram inquirimus,*) tanto tepore, ac lentitudine procedunt, G ſicque illicio obiectorum vitæ præſentis ſe permittunt, ac ſi diuturnam valde ſedem, hac in mortalite ſibi præſtruerent, & non potiùs certiſſimè ſcirent, eam tandem dimitti oportere, ſe verò ipſa ſui ſtatus qualitate ſpecialiſſimè obligari ad feſtinandum ad perfectionem Monaſticam, ipſamque adeo requiem vitæ ſempiternæ.

Arbitror, equidem Reverentias, & Charitates veſtras neutiquam in horum numero cenſeri. Verùm profeſſio noſtra ita celſa ac ſublimis eſt, finis autem laboris noſtri tam inæſtimabile decus habet, ut omnino ſentiam me, ratione officii, graviſſimè teneri, non jam ad pigritantes ſtimulandas, ſed quando ipſæ ſponte ſua velociſſimè currunt, H urgendas etiam ampliùs ad comprehenſionem ſummi boni.

Ac quandoquidem in modis Reverentias & Charitates veſtras adiuvandi non alius aptior occurrit, quàm ipſis inſinuare ea, quæ ad Monaſticam diſciplinam plurimùm conferunt, viſum eſt mihi præcipua aliquot capita ſeligere, eademque hanc in epiſtolam contrahere: quorum utinam ſedulò memineminerint; quo vel ſic remetiantur aliquatenus infinita beneficia, quibus ſponſo animarum ſuarum Jeſu Chriſto tantopere obſtrictæ ſunt.

Primum, quod velim centro cordium ſuorum altiſſimè impreſſum, eſt firmum, ac virile propoſitum eligendi in omnibus, & per omnia, quod exiſtimaverint optimum, & Chriſto Domino magis gratum: ita, ut ſi fortè duo, vel etiam plura occurrant ex iis, quæ divinæ Majeſtati placere ſolent, id ſemper præferant, quod illi præ cæteris acceptum judicarint, vertantque ſibi ceu perfidiæ vitio quidpiam eligere, de quo, ſua ipſis conſcientia dictaverit minus eſſe perfectum.

Hæc doctrina propria eſt filiarum Sanctæ Matris noſtræ Thereſiæ, quæ (ut palàm eſt) votum etiam Deo nuncupavit, ſemper id operandi, quod propiùs ad perfectionem vergere cenſuiſſet. Id tamen adduco cauſa addendi vobis animi, minimè verò incitandi ad concipienda ejuſmodi vota (plura enim in edendo hoc admirabili voto maturiùs penſanda ſunt) quamquam adniti ad magnanimitatem noſtræ magnæ Matris, id proculdubiò rationi conſentaneum ſit, nec ambigere liceat, quin animæ, eam vitæ rationem, divini amoris indoli adeo conſonam, ineuntes, brevi tempore plurimùm proficiant, magno utique animi conatu operantes, & modo quadantenus divinum æmulante.

Nec eſt, cur hac in parte errare vereantur. Cum enim Reverentiæ, & Charitates Veſtræ vitam agant ſub jugi ſanctæ obedientiæ exercitio, præcluſa eſt hoc ipſo janua omnibus ſcrupulorum, & dubitationum moleſtiis: quandoquidem id minimè ignorant, ſicubi ſancta obedientia aliquid præſcripſerit, id haud dubiè eſſe optimum, Deoque inter omnia gratiſſimum, quæcumque hic loci, & temporis fieri queunt. Soli negotium faceſſere poſſent illi actus, de quibus cum nihil lege ſanciatur, liberæ cujuſque devotioni relicti videntur. Sed etiam quoad illos, res vacat periculo. Eſt nempe ipſis ad manum promptum ſanctæ obedientiæ oraculum; cui, quidquid difficultatis occurrit, proponere poſſunt, ac debent; tumque certò credere qualecumque demum ab ea reſponſum tulerint, id eſſe Domino longè omnium acceptiſſimum, abactis interim procul ſcrupulis, & viva fide nitendo. Porrò hanc ego ſanctionem velim eſſe ratam, firmam, & in animis veſtris immobiliter ſtabilem: qualem ſi obtinuero, ingens ſanè lucrum me ex vobis confeciſſe putabo. Nec verò dubito, quin ipſe etiam Chriſtus (ut ſic ad modum noſtrum loquar) ſummo ſuo delicio ſpectaturus ſit Congregationem Diſcalceatarum, æmulantium utpote chariſmata meliora, & ſatagentium delicias illi facere, quas poſſunt maximas, more uſui peccatorum contrario, qui graviſſimis quibuſque criminibus, divinam Majeſtatem offendere ſtudent.

Alterum, quod item velim ſumma fide ſervari, eſt, ne facilè conniveant odii, vel indignationis motibus, ſolitis ſubinde in parte inferiori excitari, ob indolem proximi, noſtræ fortè adverſam, ejuſdemque agendi modos, genio noſtro minus conformes. Eſt hoc punctum maximi momenti: quippe quo uno reſecantur innumeri defectus, & veluti manutenentur inter perſonas religioſas pax, concordia, & ſerenitas ad quamdam ejus ſimilitudinem, quæ in cælo viget.

Quod, ut altiùs animis veſtris inſidat, notare oportet, impoſſibile eſſe, hoc quidem mortalitatis tempore, vitam vel inter Sanctos agere, quæ immunis ſit omni ſenſu moleſtiæ, ſolitæ oriri ex illa antipathia, ſeu modico conſenſu variorum ingeniorum: ſed divina gratia, & efficacia ſanguinis Jeſu Chriſti, id omninò mirabile in juſtorum cœtibus operatur, quo jungit, unitque diſpares animos, & decoquit calore divinæ charitatis omnem acerbitatem hæreditatis, quam à primo parente noſtro omnes extulimus: ut proinde ſuavis admodum harmonia reſonet ex tot diſſonis naturaliter ingeniis, compoſitis tamen in eumdem tonum, ſive comparem Dei amorem, cui ſolemne eſt exuperare illum renixum, proprium fœtum naturæ corruptæ.

Nunc igitur, ea doctrina ſemel præmiſſa, ego in nomine Domini vos hortor, uti ne facilè ſinatis vos moveri, ſed magis aſſueſcatis dominari in voſipſas, & aliarum ſententiæ ſuam unaquæque (more Sanctorum) poſthabere. Non eſt ſatis univerſa mundi facundia explicando maximo bono, quod modus hic procedendi obcludit, in eo potiſſimùm conſiſtens, quòd ſingulæ ſeipſas coerceant, conniveant autem aliarum indoli, quatenus per Religioſam diſciplinam id licet. Eſt hæc admirabilis ratio ſerviendi Chriſto; quæ, ſicubi Religioſorum cœtuum viget, videntur illi redolere, neſcio quam fragrantiam authoris pacis noſtræ, quæ convertit animas, & paulò minùs, ipſa quoque ſaxa mulceret.

Tertium tandem ex iis, quæ viſum mihi proponere, eſt ſolida humilitas: talis inquam, quæ non in externis dumtaxat cæremoniis hæreat, ſed quæ intrò penetret, & omnino ſingulas adducat, ut credant ſe indignas aliis miniſtrare, vel etiam ſanctam Ordinis veſtem gerere, iiſque gratiis frui, quibus in dies à Domino cumulantur. Iſthæc eſt lectio præcipua ſcholæ Jeſu Chriſti, qui pro nobis modo tam ineffabili ſe demiſit, ut mirum videatur, exinde reliquum eſſe in cordibus hominum ſenſum ſuperbiæ, ſeu ſuiipſorum æſtimationem. Novit intimè hanc veritatem Cacodæmon, cui pro more eſt animas minùs providas circumvenire, inducendo illas ad quædam exorbitantium affectuum exercitia, ſpecie quidem, quaſi eſſent amoris Dei, vel aliorum id genus, ſublimium myſteriorum ſpiritus; re autem, ut eas avertat à recordatione ſuæ vilitatis,

tis, & à praxi Chriſtianæ humilitatis: quo aſtu, ubi ſe anſa præbet, opportunè utitur, valide illas ſuccutiens, ac deturbans in graviſſima crimina; in quæ eò facillimè ruunt, quòd fabricæ ſuæ ſpiritali non ſuberat ſolidum humilitatis fundamentum.

Ea de cauſa, aliiſque, quas ſciens, ac prudens A omitto, author ſum RR. & CC. Veſtris, ut unaquæque ſemetipſum vili faciat, credatque firmiſſimè ſe nec ſcire, nec poſſe, niſi ex Dei gratia, vel minimum boni agere: par proindè eſſe, alias ſibi præferre, & potiores æſtimare, ac tandem honore debito liberaliſſimè omnes habere. Quam ſanè doctrinam, ſi quo decet modo impleverint, in dubium habento, mirè auctum iri in ſuis cordibus divinum amorem, ut cui ſolemne ſit, lubenter cum humilibus verſari, qui ſcilicet nullo ſuperbiæ tumore turgent, ſed mundi vanitate vacui aptiſſimi ſunt ſapientia, & charitate repleri. Et hæc obiter inſinuaſſe, impræſentiarum quidem ſuffecerit.

B Sepoſitis igitur in aliam occaſionem reliquis, concludo reſpondendo objectioni, quæ hoc loco mihi proponi poſſet. Diceret enim non abs ratione aliquis, puncta modò à me recenſita, ut ſublimia valde, ita plurimum difficultatis præſeferre. At enim fuit etiam arduum ipſi Chriſto Domino opus redemptionis noſtræ, per tot, ac tam exquiſitos modos mortificationis, & humiliationis ſanctiſſimæ illius humanitatis. Deinde charitas, ipſis à Chriſto in eo exhibita, quod eas ad ſeipſum traxit, tanti ponderis eſt, ut tametſi RR. & CC. Veſtræ totis præcordiis adniterentur exequi omnia, quæcumque præſcripſi, parum tamen, aut etiam omnino nihil agerent, pro intenſione amoris, C & operum perfectione, quæ meritis talis Domini, infinitè utique amabilis, ac honorabilis debita ſunt.

Addo præterea: ſi perpendimus, quanta faciant mundi amatores in gratiam mecœnatum ſuorum, à quibus augentur ſubſidiis vitæ temporalis, patebit apertè, quàm modicum ſit quidquid ſuperiùs attigi, agendumque ſancivi propter Dominum tam fidelem, ut amore ſingularum ex ipſis, vitam ſuam ultrò, ac lubentiſſimè prodegerit. Quid multis? Tranſeunt res omnes hujus vitæ. Curandum porrò, ut ſapienter negotientur, & inſtar Virginum prudentum, ſtent jugiter ſuper ſui cuſtodiam, paratæ illicò Sponſo reſpondere, cum primùm vocabuntur ad cænam nuptialem Agni Dei. D Hæc eſt ſua profeſſio, hunc in finem reliquerunt patrem & matrem, nuntiumque remiſerunt divitiis, deliciis, & reliquis deſiderabilibus hujus mundi. Erigant modò mentem, eamque advertant ad Filium Altiſſimi, cujus converſatio ſic ſuavis, & delicioſa eſt, ut quamvis nihil aliud nobis pro omni noſtro obſequio rependeret, quàm ſubinde, in orationis ſecreto, copiam ſuimetipſius; abundè nobis eſſe deberet ad abiiciendos honores, divitias, & hujus vitæ ſolatia. Ego quidem pleriſque cùm animæ, tum corporis afflictationibus laboro, & vereor valde jure Terræ viventium, & delicioſiſſima Civitatis Dei habitatione privari. Dico, me maximè timere ob peccata mea, & fidem exiguam, qua ſervivi E hactenus, ac etiamnum ſervio Deo meo. Spero tamen orationes veſtras, multo mihi fore ſubſidio ad requiem æternam, quam inquiro. Neque enim id ipſas rogo, quo corporalem ſanitatem mihi exorent (neſcio, an mihi conducat) ſed animæ ſalutem, & pretioſam ſuper aurum & topazion, amicitiam Jeſu Chriſti: qui vos cuſtodiat, & deducat in beatiſſimam patriam noſtram, ubi regnant primogeniti, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Romæ menſe Januario. cIɔ. Iɔc. xii.

* EPISTOLA XXI.

AD SANCTIMONIALES, MONASTERII A JESU MARIA GENUÆ, F

Nunc primum ex auctographo Italico Archivi Romani Latine in lucem edita. Adfert Definitorii Generalis mandatum, quo Fratres Donatos noſtros ab ſervitiis Monialium arcentur: eaſque bono animo eſſe ſolatur, & ſuæ valetudinis rationem reddit.

Scrip. An. 1613. VII. Non. Maii

PAX Chriſti &c. Quum Definitorium noſtrum Generale diſſeruerit, utrum expediret, necne, Fratres noſtros Donatos extra Clauſtra ſervitiis RR. VV. commorari, magis Deo honorificum, & bono Congregationis obportunius eſſe judicavit, non ultra ejuſmodi facultatem, quæ antehac concedebatur, G protrahere. Quamobrem omnibus Monaſteriis tam antiquiùs, quàm recentiùs erectis, ubi Fratres noſtri Donati ſerviebant, hoc ipſum decretum miſimus, ut ſive per aliquem Præsbyterum ſæcularem, ſive per Laicum bonis moribus præditum ſuis neceſſitatibus conſulant, ut primitus moris erat. Confido in Domino, Reverentias Veſtras id, quod eſt ſtatutum æqui, bonique facturas, quum probe ſciant, nil aliud nos velle hac noſtra conſtitutione, niſi Deo placere; cæterùm omnium Patrum Definitorum animos ita in vos eſſe comparatos, ut vos adjuvent, & ſolentur in omni perfectione, quæ totius noſtri ſanioris regiminis ſcopus præcipuus, & vobiſipſis H communis eſſe debet. Ego quidem aliquantulum meliùs valeo, at nihilominus ex delapſa ægritudine viribus multùm perfractus. Deum precor, qui ſoſpitet, & ſoletur Reverentias Veſtras, ut opto. Romæ VII. nonas Maii cIɔ. Iɔc. xiii.

* EPISTOLA XXII.

AD PRIORISSAM,

Et Inſtitutricem novi Monaſterii Monialium Cremonæ; (a) nunc primùm ex Italico autographo, quod apud Carmelitas Excal- A *ceatas Bononiæ adſervatur Latine edita. Ipſi gratulatur de ſpirituali ejus Monaſterii profectu, & Religioſam paupertatem commendat. Scripta An. 1613. XI. Kalend. Octobris.*

Scrip. An. 1613. PAX Chriſti &c. Pergrata mihi fuit epiſtola Rev. Veſtræ ob ſui Monaſterii, quem mihi refert, ſpiritualem profectum. In Fundationum ejuſmodi exordiis redundare ſolent ſpirituales divitiæ, quò ſanctæ paupertatis exercitium magis viget. Studeat Rev. Veſtra, ut hujuſmodi ſpiritus, & legum obſervatio in dies augeatur, ſingulaſque Sorores meo nomine ſalutet. Reverentiam Veſtram Deus, ut opto, incolumem B ſervet. Romæ XI. Kal. Oct. cIↄ. Iↄc. XIII.

EPISTOLA XXIII.

AD MONIALES GENUÆ.

Exhortatur eas ad juge ſtudium mortificationis, cultumque præcipuarum virtutum, expoſito illarum fine ac meta. Scripta an. 1613. X. Kalend. Decembr. Al. XIV. edit. Colon. Tom. 4. pag. 294. & XI. Conlect. Ital. Mediol. pag. 53.

Scrip. An. 1613. PAx Chriſti, &c. Etiam hæc eòdem tendit, ut ſcilicet RR. & CC. Veſtras, more mihi ſolito admoneam ſtrictiſſimæ obligationis, quà tenentur ad iter perfectio- C nis, quam profitentur, contentis animi paſſibus obeundum; ipſo intentionis oculo jugiter in beatiſſimum finem laborum vitæ Monaſticæ erecto. Quò autem diſtinctè, ac ordine procedam, obiter attingam duo puncta directiſſimè ad Religioſam diſciplinam ſpectantia, ac tum demum ſubjungam & tertium, finem ejuſdem diſciplinæ reſpiciens.

Primum eſt juge mortificationis ſtudium, proprium ſanè earum perſonarum, quæ, ut Chriſto, vitaliſſimæ vitæ noſtræ, feliciùs vivant, ſe mundo mortuas profitentur. Id autem haud aliud eſt, præter continuum in proprios appetitus certamen, negando ſenſibus omnia, quibus delectan- D tur, & proprium judicium, unà cum voluntate, ejuſdemque inordinatis deſideriis refrænando: fine quidem Chriſtum imitandi, ſcilicet prototypum, cui nos aptari, & reſpondere par eſt. Hoc eſt prælium juſtorum, quibus utique in more eſt vitam ſolicitè agere, & inſtar eorum, qui plagam hoſtilem inhabitant. Et verò anima eo in corpore degit, à quo tot viis, ac modis in horas ſingulas bello laceſſitur, ut non niſi difficilè admodum, omnes enumerari poſſent: ac proinde neutiquam adhibitis jam olim quantislibet diligentiis fidendum ſit; cum conſtet exemplis longè terribiliſſimis, plures poſt exantlatos multos, ac ingentes in vita Monaſtica labores, data E tandem aliquando occaſione, qua inermes ipſi, ac minimè de periculo ſoliciti agerent, ab hoſte tartareo expugnatos, miſerum in modum corruiſſe. Decet igitur numquam cultrum Chriſtianæ mortificationis de manu dimittere, ſed indeſinenter illo uti, amputando continuò ſuperflua verba, cogitationes, curioſitates, ac deſideria: haud ſecus atque aſſidua reſectione, rude ſaxum in alicuius Sancti imaginem ita expolitur, ut qua menſura ictus aggerantur, ea cum ipſe lapis lævigetur, tum forma, ſeu perfectio ſtatuæ inducatur. Quid enim aliud Religioſi in ſæculo, niſi rudia marmora erant, qui tamen ſacra Clauſtra ingredientes, & gratia Dei, ſpiritualibuſ- F que exercitationibus dignè utentes, evadunt tandem genuinæ valde Chriſti Domini effigies: quales ſpero etiam RR. & CC. Veſtras aliquando futuras, quandoquidem Dominus hanc doctrinam altiſſimè earum animis inſculpſiſſe videtur.

Alterum punctum eſt, diligens cultus præcipuarum virtutum, quales ferè æſtimantur humilitas, obedientia, manſuetudo, & aliæ ſimiles, in quibus conſiſtunt ſolidæ animarum divitiæ; ad quas comparandas, par eſt vendere pretioſa quæque vitæ hujus: ita quidem, ut ſicubi ſe dederit occaſio alicuius ex illis exercendæ, nihil ducatis omnes conſolationes, & commoditates prodigere, ne eximii illius theſauri, tanti apud Deum pretii, jacturam faciatis. Ex re erit, firmum, ac ſtabile de- G cretum ſancire, nulli omnino labori, quantuſcumque demum ſit, aliquando parcendi, quo bonum uſqueadeo ingens acquiri poſſit: uti paſſim fidelioribus Dei famulis in more poſitum eſt; qui, ubi ſemel animo perpenderunt honeſtatem, verbi gratia obedientiæ, perſuaſi infinitum ſua referre virtutis illius nobiliſſimæ conſequutionem, rogant, urgent, & inſtant apud Superiores ſuos, ut difficillima, ac humillima quæque ſibi authoritative, & minimè conſulta ſua ipſorum naturali propenſione, frequenter imperitent: eaque ipſi, cum ſe totos obedientiæ in perfectiſſimum holocauſtum mancipaverint, omnia accuratiſſimè, præ- H ciſo omni diſcurſu, vivaciſſima fide perficiunt, ſummæ ſapientiæ totum deputantes, quod ſibi à Prælatis præſcriptum fuerit, tamquam ſi Chriſtus ipſe, viſibiliter apparens eadem ipſis injungeret.

Ac ſi fortè ob rerum arduitatem, vel modum jubendi aſperiorem, aut etiam minùs ad regulas prudentiæ compoſitum, ſubin-

de

(a) Erat illa Ven. Mater Maria a Jeſu, cujus vitæ encomium exſtat 3. *par. Decor. Carmeli pag.* 50. quæque paullo poſt etiam Bononiæ Monaſterium inſtituit, unde hanc Epiſtolam habuimus.

de motibus corripiantur, ipſi Prælato minùs æquis, in ſeipſos iram, & arma reflectunt, duriuſque, tamquam in ſervos Domino ſuo infideles, animadvertunt: qua ſane ratione, innumeras à Deo gratias, easque prorſus eximias obtinent. Incumbant igitur RR. & CC. Veſtræ huic agendi modo diligentiſſimè, ſi Divinæ Majeſtati delicias, A ſibi verò bona inæſtimabilia conficere optent.

Tertium, ac poſtremum, eſt finis ipſe, ac terminus mortificationis, & ſtudii virtutum; qui quidem ſuaviſſimis prorſus ſolatiis abundat. Modicum torſerunt Patriarcham Jacob vigiliæ, frigora, æſtus, & labores paſtionis, penſitantem ſcilicet præmium illorum deſponſam ſibi eſſe Rachelem. Atqui nihilo magis offenditur bona Sanctimonialis ab aſperitate obſervantiarum regularium, vel etiam à durioribus Prælatorum ſuorum imperiis, cum mentis oculum in ubertatem terræ promiſſionis, ad quam properat, intendit, meminitque civitatis B Dei, & paradiſi deliciarum, quas præparavit diligentibus ſe: requirunt autem avidiſſimè, & feliciter aſſequuntur animæ perfectarum Monialium Regulæ ſuæ tenacium.

Diſſerens S. Bernardus de ſuavi illo Chriſti, & Petri colloquio, quo ingens valde præmium veris mundi aſpernatoribus præſtituitur ſic totius Eccleſiæ nomine exponit *Pſal. 16. 4.* hunc Prophetæ verſiculum: *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras*; tamquam fuſius Eccleſia diceret: Promiſſiones tuæ, quibus æternam mihi requiem ſpopondiſti, cor mihi exporrexere, & animum addidere ad devorandas quaſcumque difficultates præceptorum tuorum; quæ ſunt viæ illæ duræ, & arctæ, quibus C ad fruitionem ſummi, & æterni boni tandem aliquando venitur. Quando ergo etiam RR. & CC. Veſtras, ſimili promiſſo cor ad profeſſionis ſuæ obſervantiam ſurrigente, divina Majeſtas dignata ſit; ſunto illi fideles, à quo vocatæ ſunt; & æmulentur inter ſeſe chariſmata meliora; maximè verò in materiis charitatis, obedientiæ humilitatis, &c. nec umquam ſatientur, ad horam uſque ſupremi ſui tranſitus, quando, ut ſpero, vocabuntur ad requiem, quam modò laborioſè inquirunt. Mementote mei in precibus veſtris ad Dominum. Roma x. Kalen. Decemb. Anno cIↄ. Iↄc. XIII.

D

EPISTOLA XXIV.

AD MONIALES PROVINCIÆ BELGICÆ, ET CRACOVIÆ.

Exhortatur illas ad obedientiam, adductis rationibus nonnullis efficaciſſimè eam perſuadentibus. Scripta an. 1614. *ſub finem ſui regiminis, al. XVIII. edit. Coloniens pag.* 298. *& XII. Conlect. Ital. Mediol. pag.* 56. *Ex Hiſpanico auctographo Italice primum, deinde Latine reddita.*

Scrip. An. 1614.

PAX Chriſti, &c. Hanc arbitror poſtremam fore epiſtolarum communium, quas ad RR. & CC. Veſtras dare ſolitus ſum. Vergit enim ad finem tempus prælationis meæ; porrò finis officii, quantum ad ſimiles ſcriptiones attinet, inſtar eſt termini vitæ. Placet igitur bonos parentes imitari, E qui, cum filios tenerrimè diligant, imminente ſibi morte, optima illis conſilia, ſpeciali etiam amoris exhibitione præbent: certò ſcilicet æſtimantes, paternas monitiones, hac tam pregnante occaſione, eſſe efficaciſſimas ad corda movenda, dum fideliter memoriæ inſidant.

Sanctiſſima Mater Noſtra Thereſia, cum jam ad optatam horam feliciſſimi ſui tranſitus appuliſſet, rogareturque à filiabus ſuis aliquam inſtructionem, quam animis altè impreſſam ſemper retinerent, paucis verbis totum complexa eſt, quidquid hoc in genere dici poterat: ut nempe Regulam, & Conſtitutiones adamuſſim, diligentiſſimè ſervarent: quæ eſt doctrina multò præcipua, F pertinens reductivè ad princeps. votum obedientiæ, quod ſummam totius juſtitiæ Religioſæ meritò dixerimus. Volo etiam ego premere hæc veſtigia, & ad hanc magnæ noſtræ Matris doctrinam, præſentem epiſtolam conformare; adhortando ſcilicet RR. & CC. Veſtras ad univerſalem quamdam obedientiam in omnibus, tam quæ ſcripto per regulas, & conſtitutiones, quàm quæ verbo tenus ipſis intimantur: qualia ferè ſunt ea omnia, quæ immediati Superiores, pro ratione occurrentium occaſionum, fieri mandant. Et quo preſſius adhuc eam doctrinam contraham, ac ita agam etiam diſtinctiùs; unum dumtaxat punctum attingam, exequutionem inquam voluntatis divinæ, ſcripto, vel verbo manifeſtatæ: quod (ut exiſtimo) erit RR. & CC. Veſtris inſignis ſtimulus ad percurrendam G ſummo fervore arctam ſemitam vitæ Religioſæ, cui ſe devoverunt.

Inprimis igitur, ſuppono RR. & CC. Veſtras ſatis reminiſci, ſæpiuſque recolere vocationem ſuam; & aſſidua illa orationis, ac divinæ præſentiæ conſuetudine, debitè ponderaſſe miſericordiam, qua Divina Majeſtas ipſas amantiſſimè prævenit, cum eduxit è ſæculo iſto nequam; ubi innumeræ animæ deſtitutæ duce miſerabiliter pereunt, vitam haud aliter tranſigentes, ac qui nocte illuni per invium deſertum iter agit, & tandem in ipſo viæ termino profundiſſima abyſſo abſorptus, ſine ullo remedio demergitur. Sors hæc infeliciſſima, ſicut pluribus aliis ejuſdem vobiſcum ſtatus, & conditionis evenit, ita potuit RR. H Veſtris accidere: Deus autem ſola infinita ſua miſericordia, ipſas elegit, & coegit in locum privilegiatum, qui ipſum eſt Monaſterium, in quo nunc degunt in ſpiritu, obſervantia, & ſpe firma conſequendæ aliquando vitæ æternæ, in quam collimant.

Quando ergo hæc ita ſe habeant, & deduxerit eas Deus, tamquam filios Iſrael, per deſertum hujus ſæculi, in terram promiſſionis, quæ eſt ſancta Religio, clariſſimè perſpicient, dum bene conſiderent, quàm indigna perſonis Religioſis ingratitudo eſſet, ducem, à quo tanto favore donatæ ſunt, faſtuoſè negligere. Eſt autem ducem negligere, nolle quovis tempore, & caſu per ſanctam obedientiam dirigi, A deſiderando corde ſincero, ſeſe in omnibus, ad Dei nutum conformare. Non equidem arbitror ullam veſtrum adeo cæcutire, ut non intimo animo comparata ſit, vela ſua ad hanc cynoſuram dirigere, ac non plurimùm vereatur eam amittere ex oculis; cum certo certiùs ſciat, nihil hac in vita ſibi proſperè ſucceſſurum, niſi divinæ voluntati (quæ ipſiſſima Prælati eſt) ita ſe coaptet, ut quæ ille iniungit, nec hilo quidem diſtinguat ab iis, quæ Chriſtus præciperet, ſi toties oculis corporeis pateret, quoties occaſio quidpiam ordinandi, jubendique occurrit. Et ſanè, quantum ad rem ſpectat, una, eademque eſt Dei voluntas: nec eo diſtinguenda videtur, quòd Chriſtus neutiquam B palàm appareat, nec immediatè per ſeipſum loquatur; quandoquidem fatur per Prælatum, & idem omnino ait, quod, ſi externè conſpiceretur, ac loqueretur, ediceret. Atque hic eſt ſenſus planus verborum Chriſti Domini: *Qui vos audit, me audit*. Luc. 10. Tamquam ſi apertiùs diceret: Quiſquis ſuis Superioribus paret, nullo penitus diſcrimine illis obedire debet, atque mihi, ſi me videret, ac audiret jubentem ea, quæ Prælati ipſi præcipiunt. Quæ verborum Chriſti authoritas, tantum ſemper apud illos potuit, qui veraciter divino ſe obſequio, in Religione dedicarunt, ut nuſpiam reperirent lautius lucrum ſpirituale, vel etiam ſinceriora animarum ſuarum ſolatia, quàm in humili, ac totali dependentia à C nutu Superioris, timendo quaſi mortem præſentiſſimam, illis inconſultis quidpiam tametſi minimum adoriri. Porrò rationes, quibus ii movebantur, ſunt ſequentes.

Prima, ſumma probabilitas, quam exinde concipiebant, rectè ſe in via ſpiritus procedere, & procul omni præcipitandi periculo: quod equidem pluris æſtimari par eſt, quam omnes mundi theſauros; hoc præſertim tempore, quod plurium miſerrimorum caſuum ferax non paucos exhibuit ſucceſſus longè infeliciſſimos, quorum initia ſub ſpecioſo ſpiritus, ac mortificationis prætextu, juſta, & ſancta videbantur; poſtea verò decipula diaboli retecta eſt.

Secunda ratio eſt, ſatisfactio bene contentæ conſcientiæ, &, quod ex illa naſcitur, D intimum gaudium, multò delicatius illo, quod ex operibus alioqui bonis, ſed proprio auſpicio, vel etiam nutu alterius qui Prælatus non eſt, effectis, colligitur. Cum enim hic agendi modus ſublimior ſit, & perfectioni, quam profitemur, multò magis conſonus, varios effectus in anima producit, quibus valde roboratur ad pondus Diſciplinæ Religioſæ majori animo ferendum: tribuendo illi experiri ſuavitatem, quæ ſub Chriſti jugo abſcondita deliteſcit.

Tertia ratio eſt, conformitas cum Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem*. Philip. 2. Quæ ſanè efficaciſſima eſt pro animabus veſtri ſimilibus: cum omnino certiſſimum ſit, ſolam conſiderationem humilitatis Filii E Dei, obedientiam ex altiſſimo divinæ Sapientiæ conſilio exercentis, affatim ſufficere (nullo etiam commodo, ſeu conſolationum præmio intercedente) ut qui avet illi placere, ſeſe totum in manus ſui Prælati coniiciat, ita ut nolit ſapere, vel agere amplius, aut minus, quàm Superiori viſum fuerit: tametſi pro hac fidelitate vitam dare oporteret, quemadmodum Redemptor noſter ſuam obedientiæ lubens impendit.

Sat ſecurus ſum RR. Veſtras impensè perfectionem deſiderare: ac proindè ſpero allatas modò rationes vim plurimam habituras ad addendum ipſis ſtimulum aliquem, quo incitentur amplius in præcipuum votorum, obedientiam; promptiori indies animo F ei ſe ſubdentes, à qua reguntur, oculis ad autem quaslibet rationes humanas, huicce ſubmiſſioni oppoſitas animosè occluſis; idque ut interiorem oculum, quo videtur Deus, puriorem, & validiorem acquirant. Agite ergo, diligentem huic doctrinæ operam navate, & ſtudete generoſè progredi, ut requiem, ad quam adſpiratis, citò conſequamini. Nolite paucis, ac parvis eſſe contentæ: ad magna enim vocatæ eſtis. Difficultatibus ne terreamini: qui enim Deum à ſe habet, illi mundus, & infernus cedat neceſſe eſt. Præſertim autem in finem vitæ Religioſæ frequenter intendite, qui cum feliciſſimus eſt, tum inſigni pollet energia, ad firmandum in officio corda debilium. G Citò præterit quod cruciat; porrò æterna conſolatio, quæ in præmium datur, numquam finem admittet. Sancta orationis, & mortificationis exercitia, & quævis alia obſervantiæ capita ſtudioſè manutenete, ut ita dignæ efficiamini, quæ ſitis genuinæ filiæ Sanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, ejuſdemque ſpiritus ex aſſe hæredes, quæ vobis legitimè certantibus, de cælo aſſiſtit, & opem fert. Et hæc exhortationi ſuffecerint.

Nunc finem epiſtolæ faciens, humiliter veniam à RR. & CC. veſtris peto, eò quòd toto eo tempore, quo clavum Congregationis tenui, non ſatis ipſis ſerviverim, & opitulatus ſim. Voluntas equidem ſemper fuit promptiſſima, ſed illi obſtiterunt continui morbi, & multæ, eæque graviſſimæ H tribulationes internæ, quibus affligor: quæ, ſpero, partem ſaltem excuſabunt plurimorum errorum à me admiſſorum. Adiuvent me Reverentiæ, & Charitates Veſtræ ſanctis precibus ſuis, quas utique ſummo affectu expoſtulo, ut quas exiſtimem, magni pro me momenti apud Deum futuras, qui vos cuſtodiat, &c. Romæ (menſe forte Martio) cIↄ. Iↄc.

CLASSIS IV.

Ad Exteros.

A *Quæ tres tantum Epiſtolas Friderico Borromæo S. R. E. Card. & Archiepiſcopo Mediolanenſi Italice Scriptas continet, quas nobis humaniſſime communicavit Reverendiſſimus D. D. Felix Montius Ambroſianæ Bibliothecæ, ubi earum auctographon adſervatur, Præfectus laudatiſſimus, & a nobis nunc primum Latine redditas, ac vulgatas.*

*EPISTOLA XXV.

DOM. CARDINALI BORROMÆO.

Erectionem Cœnobii pro noſtris ab ipſo confidentiſſime poſtulat. Scripta an. 1611. III. *Non. Septembr.*

B Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine.

Scrip. An. 1611. NOſtra Congregatio multis, iiſque piis de cauſis Mediolani admitti cupit. Cœtus eſt ab altero Hiſpaniæ diviſus, quietus quoque, nec, Deo opitulante, alia uſpiam de re in eo agitur, præter quam quod de oratione, & carnis mortificatione, nec non ut proximum cum vitæ exemplis, tum doctrina juvet. Cœptum, Pietate, ac Dominatione Tua præclariſſima dignum, hoc eſt. Neque id aut ſuſpicionem, aut moleſtiam adferet; nam ex tenuiſſimis principiis, ut Romæ contigit, ex communi Dei Providentia ſubcreſcet. Dominationem Tuam Clariſſimam oro, nobis favere velis, illud C maxime perpendens, quod ſin minus Tu id expleveris, alter ſane probabiliſſime, velut dixerim, Succeſſor tuus efficiet; quum credi vix poſſit, ejuſmodi Congregationem in iſthac urbe ſua locum minime fore habituram; at ſatius eſt, non alium a Dominatione Tua eo merito cum Deo Optimo Maximo augeri. Veriſimile autem mihi eſt, ſi quidem Dominatio Tua Clariſſima res noſtras penitius dignoſceret, id facile conceſſurum, quod unà cum P. Dominico (*a*), qui Tibi devotiſſimus eſt, adprecor. Dominationem Tuam Illuſtriſſimam Deus incolumem ſervet, ac tueatur, ut opto. Romæ III. Nonas Septembres cIↃ. IↃC. XI.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. ac Reveredifs.
Servus in Domino
D F. JOHANNES A JESU MARIA.

P. S. P. Fr. Ferdinandus (*b*), qui has meas Litteras Dominationi Tuæ reddet, meus anteceſſor eſt, eximiæ probitatis, & prudentiæ vir.

*EPISTOLA XXVI.

AD EUMDEM II.

Idem perſequitur argumentum, gratias agens, quod petita benigne promiſerit, ipſique gratulatur de inſtituto ad Linguas ediſcendas Orientales Conlegio pro Miſſionibus. Scripta an. 1612. XVIII. *Kal. Januarias.* E

Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domine.

Scripta An. 1612 DOminus Præſul Seneca me convenit, beneficium, quod noſtræ Congregationi in iſthac urbe Dominatio Tua conferre ſtatuit, mihi narrans. Quo ſane novo titulo, eximia, qua flagras, caritate parto, me totum Dominationis Tuæ obſequiis obſtrictum ſentio. Mandata Tua expectabo, quibus Relligioſum aliquem mihi jubeas Mediolanum mittendum. Inſtituti a Dominatione Tua Illuſtriſs. pro Linguis Orientalibus Conlegii impenſe gaviſus ſum, quod noſtræ ad Perſas Miſſioni maxime faciat. Quæ omnia in multam Dei Optimi F Maximi gloriam, in magnum animarum lucrum, & in cumulatiſſimum cedent meritum Dominationis Tuæ, quam volo Deus ipſe ſoſpitem diu tueatur. Rome XVIII. Kal. Januarias cIↃ. IↃC. XII.

Domin. Tuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.
Survus in Domino
F. JOHANNES A JESU MARIA.

*EPISTOLA XXVII.

AD EUMDEM III.

Ipſi maximas refert gratias de obtenta, & cœpta jam poſtulati Cœnobii inſtitutione, quod eum quoque viſitaſſe gratum habet, ac preces illi ab ſucceſſoribus promittit. Scripta ſub finem ſui regiminis, IX. *Id. Martii* 1614. G

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine.

Scrip. An. 1614. DOminationi Tuæ me plurimum deberi intelligo ob inſigne, quod in noſtram Congregationem contuliſti, beneficium, ut ea in hanc tuam Civitatem poſſit tandem induci, & quod novum iſtud Cœnobium noſtrum tanta humanitate, & amore inviſeris. Aliud nullum Dominationi Tuæ grati animi argumentum exhibere valeo, quam ut pro Te Deum orem, præſertim quum intra paucos dies Præfecturam hanc meam ſim abſoluturus. At debitum hoc ſuum ſucceſſores mei omnes probe dignoſcent, atque ego ipſe numquam non Deum orabo H ut quod exopto, Dominationem Tuam Illuſtriſs. gratia ſua ſervet. Romæ, IX. Id. Martii cIↃ. IↃC. XIV.

Domin. Tuæ Illuſtriſs. ac Revendiſs.
Servus in Domino
FR. JOHANNES A JESU MARIA.

(*a*) Scilicet Ven. P. F. Dominicus a Ieſu Maria in Faſtis noſtris celebratiſſimus.

(*b*) Ideſt Ven. P. F. Ferdinandus a S. Maria, cujus ſæpe in his operibus mentionem facimus.

IN SEQUENS OPUS

PRÆMONITIO.

Alteri jam hujus poſtremi Voluminis Parti, Deo auſpice, manus admoturis ea ſtatim occurrunt, quæ argumenti nobilitate præcellunt. Quamquam enim piiſſimus Scriptor ſolitariam plerumque vitam, quæque longe a ſæculi tumultibus divinæ contemplationi, cui maximè inhiabat, foret opportunior, egerit, mentis tamen latiſſima amplitudine non uno Clauſtro, aut Cellæ anguſtiis continebatur, ſed Principum quoque aulas, Magiſtratuum prætoria, & cujuſque generis hominum fines perluſtrabat, jura pendebat, obſicia ſcrutabatur, atque ex tanta mentis fœcunditate ea, quæ animo concepiſſet, poſtulantibus præſertim viris ſummatibus, licet corporis infirmitate, & jugi Regularis diſciplinæ exercitatione, ac domeſtici regiminis curis maxime diſtentus, calamo diſertiſſimo exarabat, efferebatque. Heinc factum eſt, ut non modo quæ ad Monaſticam inſtitutionem, & politiam ſpectant, ſed tam multa alia ad omnium hominum utilitatem egregie ab eo ſcripta habeamus. Sic quæ ſequitur Opera, ad uuiverſam Principum inſtructionem abſolutiſſima, comparata eſt; in qua tum quæ ad ipſorum Principum mores, *tum* quæ ad domus, ſive aulæ moderationem, *tum demum* quæ ad Reipublicæ gubernationem conferunt, *compendioſo quidem, ſed uberrimo ſcripto, triplici partitione traduntur. Duobus libris tota Inſtructio conficitur; & altero ſane ad univerſos generatim Principes, in quorum etiam gratiam Pſalmus ſeptuageſimus primus explanatur; altero vero ad Eccleſiaſticos maxime Præſules ſermo dirigitur. Opus ab ipſo, dum Generalem Ordinis Præpoſitum agebat, anno 1612. ſcriptum eſt, eodemque anno typis Jacobi Maſcardi primum Romæ paruit; quod deinde ad initium tertii omnium Operum Tomi Colonienſes Editores recuſerunt.*

TOMI TERTII

PARS ALTERA

MIXTA OPERA COMPLECTENS.

AUCTORIS PRÆFATIO

AD LECTOREM.

SCriptum hoc Principibus communis boni ſtudio deſtinatum conſilia ſelecta compendio tradita complectitur, ethica ſive moralia, quæ ad Principum ipſorum mores; œconomica, quæ ad domus, ſive aulæ moderationem; politica, quæ ad Reip. gubernationem conferunt. Nihil hic carpitur, ſed monetur, ut Principes, quos ætas noſtra piiſſimos, ac prudentiſſimos nacta eſt, in promptu habeant, quæ ſpatio temporis exiguo, oculis ſaltem luſtrata imprimantur animo, ad eventus varios velut à fonte in areas aptè diſcretas prudentiæ ſulco ducenda. Et primum quidem libro uno præſcripta ſunt, quæ ad Principes penè omnes (paucis monitis exceptis, quæ non æquè omnibus congruunt,) universè pertinent: mox libro altero ſubjecta nonnulla monita eccleſiaſticis peculiaria, quæ ampliſſimo Chriſti Regno conſentiant. Opus certè conſultò modicum eſt: viſum quippe, ſat fore Principibus, viris nimirum ſapientibus capita pauca, & brevia indicaſſe, quæ ipſi ponderent, ac introſpiciant: neque enim grandia, & importuna volumina iis, quibus vix tempus exiguum ſppetit, obtrudere decuit. Pauca ſanè ſunt, at ſalubria: ubi opera navata eſt, vera pietas cum recta gubernatione coaleſcat. Legant ergo Principes candidè, quæ ſyncerè depromp ſi: & ad divinæ majeſtatis gloriam, ſuamque ſalutem utantur, ut volent. Profectum Religionis, & gubernationis exopto. Huc incubui, quoad potui. Jam verò, ubi erratum eſt, ſcriptori ingenuè parcatur. Ego interim Clementiſſimum Deum, per quem Principes imperant, quàm potero enixè, precabor, Principum Chriſtianorum animos heroicis virtutibus exornet.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA

CARMELITÆ EXCALCEATI CALAGURITANI

INSTRUCTIO PRINCIPUM

ETHICE, OECONOMICE AC POLITICE.

LIBER PRIMUS.

DE PRINCIPIBUS IN COMMUNE.

Ethica Principum moribus perficendis deſtinata.

CAPUT I.

Perfectæ vitæ inſtitutio.

Scrip. An. 1612.

PErfectum virum imperio dignum vivis quaſi coloribus exprimere, nimis operoſum eſt. At cum ſingulare labor hic operæpretium pariat, decet profectò rem tantam propitio Deo moliri, nec animum prorſus deſpondere. Ex ipſo enim exprimendi conatu ſpes oritur ſaltem adumbrandi: ut labor noſter viris piis, ac ſapientibus probandus ſit. Boni ergo Principis mores pingendi, qui perfectæ animi, corporiſque proprii culturæ conſentiant: Chriſtus quippe ab ſtudio perfectionis Principes neutiquam exploſit. Neque fas eſt, excuſationes varias ipſi prætexant, quaſi meliora conſilia ad eos minimè pertineant. Ecquid enim Principum ſublimitate dignius, quàm qui populis dignitate multum antecellunt, vitæ integritate tantundem excellant? Eximia Chriſtianæ perfectionis dignitas, quæ Principatum exornat, ob oculos verſetur.

CAPUT II.

Crebra Divinæ Majeſtatis cogitatio.

INdomitum mortalium genus eſt, ex quo divinæ legis jugum excuſſit. Fit autem natura hominis efferatior, dum aſſueſcit imperio. A quo enim coërcebitur? Quapropter ſaluberrimum conſilium ſit Principibus, quibus terra paret, caput in cœlum tollant, & caſtum Divinæ Majeſtatis timorem ediſcant. Qua de re cum plurima dici poſſent, illud mihi ſanè mirabile, & Chriſtianis Principibus ad æmulationem proponendum videtur, quod ante annos circiter ſeptem de quodam Indorum Orientalium Rege, recentibus hiſtoriis memoriæ proditum legi. Rex nempe ſuperſtitioſè adeo Idolum, divinitatis imagine deluſus colebat, ut cum per ſingulos ferè dies, ternis, aut quaternis horis jus diceret, frequentiſſimo populo ad tribunal confluente, decretos haberet Brachmanas (Sacerdotes videlicet ſuos) qui ei crebriùs, quàm credi poſſit, inter ipſos judicii actus, Idoli nomen ſuggererent, ut ne dicendo quidem jure falſi Numinis timor intercideret. Quid ergo par eſſet à noſtris effici? Penſitent rarum exemplum hoc cenſores orbis: qui utinam haberent fideliſſimum aliquem è familiaribus, à quo Dei memoria excitaretur. Profectò pietas hæc populos tamquam ſulco ducta permanaret.

CAPUT III.

Dei cultus internus.

Principum negotia.

Aphricanus Scipio ex Plinio ſecundo, de viris illuſtribus.

Dei memoria Principibus commendata.

DEI cultus alter internus, alter externus eſt. De interno nunc dicendum, qui ſolet incuria, vel neglectu paſſim interire. Porrò Principes negotia gerunt extricatu difficillima, numero plurima, pondere graviſſima. Qua ergo ratione his ſe laqueis expedient, rebus modos addent, pericula proſpicient, mala propulſabunt, res fœliciter abſolvent, niſi Deum frequentiſſimè implorent, ac divinæ ſapientiæ candidiſſimam lucem gemitibus multis expoſcant? Sanè civis quidam Romanus Senatu dignus, numquam in Senatum aſcendiſſe fertur, antequam in ſacello Jovis diù ſediſſet, quaſi mentem ibi divinam accepturus. Cur ergo Chriſtiani Principes, modico ſaltem ſtudio, divinæ bonitatis, ac ſapientiæ ſcholam taciti non frequentent oraculum conſulentes, unde & animos proprios excolere, & bonum commune tueri, ac promovere perdiſcant? Aſſueſcant, precor, viri graviſſimi cœleſtibus oraculis, multiplici internorum actuum exercitio, ut rectè agant, ſeque ipſos, dum ſaluti communi navant operam, ab interitu præſervent. Quod ſi à me ſciſcitentur, ecquis internus Dei cultus tantopere commendatus ſit? reponſio in promptu eſt. Cultus nimirum internus ex crebra Dei memoria proximo capite laudata, & internis actibus adorationis, fidei, ſpei, charitatis, aliiſque ſimilibus, ac denique ex perenni auxilii cœleſtis imploratione conflatur. Qua certè in re planè maxima timendum eſt, ne ſegniter verſentur nonnulli orbis terrarum Satrapæ immenſo negotiorum pondere depreſſi.

CAPUT IV.

Dei cultus externus.

Conſtantinus Magnus.

Heraclius.

SAnè ſi cultus ille internus ſemel animo hæſerit, proclive erit externum perſuadere. Affectus quippe, qui altè inſedit, exerit ſe in exteriores actus ſignis minimè levibus, unde conjici poſſit, quid intus deliteſcat. Res adeò per ſe honeſta eſt, ut tametſi exempla priſca, vel recentia deeſſent, deberet Principum animos perurgere ad pium affectum externè teſtandum. Quid enim, rogo, jacturæ faceret potentiſſimus quiſque Princeps, qui uno, vel altero ſingulari pietatis indicio, præter conſuetos ſibi modos, Deo cultum afferret? Porrò Conſtantinus ille cognomento Magnus, nihil ſe imperio indignum admittere cenſuit, cum diademate poſito humi jacuit, & mox accepto ligone, ac bidente, terram in Vaticano eruit. Heraclius quoque, Coſroa Perſarum rege devicto, nihil majeſtati diſſentaneum ſe gerere opinatus eſt, quòd Crucem Chriſti ſuis humeris referret in montem, quò eam primum Chriſtus ipſe geſtarat. Verùm hæc planè ſint grandia, quæ animus audere detrectet: at minora, ſed genere ſimilia cur animus formidet? Huc Sacramentorum frequentia, Sanctorum veneratio, & id genus alia pertinent. Neque Reip. ex hoc capite timendum: experimentis quippe conſtat frequentibus, teſtatam ejuſmodi actibus Principum pietatem immenſum calcar populis addere, ut id ſibi nobiliſſimus quiſque honorificum ducat, quod à Principibus cernit honeſtum æſtimari. Si enim quas Rex veſtes uſurpat, licèt nec auro intertextas, nec holoſericas, primores omnes cupidè induunt; cur non, & actus divini cultus ingenuis viris planè dignos imitentur? Hæc, precor, ſedatis animis expendantur.

CAPUT V.

Meditationis cura.

LXX. Interpret. ita ſenſerunt.

ERE Principum eſt, modicum tempus quotidie meditationi decernere. Nam præter propriæ conſcientiæ expiationem, luce divina illuſtrantur, & negotia fœliciùs expediunt, Deo, per ſtatum tempus, propitiato. At tempus, inquiunt, minimè ſuppetit. Verùm obiectio hæc non tam elidenda, quàm contemnenda eſt. Rogo enim: ſi negotiis multis, quibus diſtinentur, fieret acceſſio unius, è quo vel honoris, vel auri ſplendor eluceſceret, an obtenderent eam temporis excuſationem? Ipſi certè norunt, ſe negotiis multiplicibus ferme oppreſſos, accedentia negotia neutiquam reſpuere, temporiſque reliquias furtim arripere. Cur ergo æternæ ſalutis gratia, vel ſucciſiuum horæ quadrantem conſiderationi non devoveant? Sint, precor, Principes ſuæ ſalutis, & officii memores; & ſummo ſaltem mane, Principem quemdam (Job ſcilicet, quem Regem fuiſſe, non levis conjectura eſt) imitentur; holocauſtaque ſpiritualia immolare non abnuant, quæ ſibi, populiſque proficiant. Erit verò ad rem maximè, ſi in locum aliquem ab ſtrepitu aulicorum remotiſſimum ſe, decretis horis, abdere aſſueſcant. Id autem, quod ſummopere in hoc genere commendatur, fidiſſima deſignati temporis quantumvis exigui obſervatio eſt.

CAPUT VI.

Moderatio paſſionum.

INter ſævientes procellas clavum regere, profectò difficillimum eſt. Ecquando verò Principibus negotiorum fluctus non illiduntur? Porrò perenniter navigant, & tu-

Scrip. An. 1612.

tumentium aquarum vorticibus correpti penè merguntur. Quocirca tempus debent antevertere, ac de futuris eventibus cogitare: ut cum importunè interpellati, cum parum liberaliter habiti, cum tædio affecti, aliiſque motibus infeſtati fuerint, adpetitum irritatum intra rationis orbitas contineant, & feroces motus ſpei, audaciæ, A iræ, cæterarumque paſſionum, ne vehementer erumpant, Chriſtiano ſenſu componant. Meminerint ſe mortales eſſe, alioſque vel æquales, vel majores, poſt titulos multos, & nominis claritatem, calamitosè interiiſſe. Caveant, ne degenerent in Pharaones, Antiochos, aut Nerones. Quicquid agant, judicio pio temperent: & quamvis paſſiones indomitæ fremant, divinæ ultionis recordatione, externè ita corpus, geſtuſque moderentur, ut ii, qui cum eis verſantur, nihil turbulentum deprehendant. Non habenda neglectui hæc moralis doctrinæ pars, quæ licet interiores motus non continuò ſedet, ſic tamen externum ſervat decorem, ut Principes quaſi divinos homines haud paſſionibus obnoxios populis mirantibus repræſentet. Non huc Ethnicum B aliquem intexam, cum è noſtris non deſint recentia quoque bonorum Principum exempla. Studium conſulitur, & imitatio, quæ ferarum gentium victoriis antefertur, ut non malè cecinerit ille:

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincet
Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.

CAPUT VII.

Cultus Virtutum.

PRæſcribendus hîc virtutum cultus viro bono conſentaneus: ut Princeps ſtatuat, ſe populis non benè imperaturum, niſi animum principio ſuum veris virtutibus C excoluerit. Quale quippe jus dicet, niſi ſobrius, caſtus, patiens, mitis, cæterarum virtutum, quæ virum bonum efficiant, opes primum exquirat? Porrò hac virtutum armatura ſeptus facilè ſtruet ſibi gradum ad eas perquirendas, quibus populos moderetur. Labor hic ab ætate tenella ſubeundus, ne longo temporis excurſu ingenio callus obducatur, qui ne impacto quidem ferro poſſit excindi.

CAPUT VIII.

Verba qualia.

Principis ſermo qualis eſſe debet.

EXpolitus, affectatuſque ſermo Principum gravitatem, ac dignitatem minimè decet. Habet quippe idiomatis nativi D expolitio neſcio quid fœmineum, quod virili animo congruere vix poſſit. Et ſanè quicquid de hujus controverſiæ genere aſſeratur, exploratum eſt, viros eos, qui comptè dicunt, apud ſapientes in ſuſpicionem incidere, ne fortè, qui verborum nitore, artificioque capiuntur, res grandes, ac ſerias ignorent, aut leviter attingant. Sit ergo Principis ſermo, præſertum dum vulgariter loquitur, ſine affectatione caſtus, & intellectu facilis. Quod verò ad ſermonis modum ſpectat parcè, ſedatèque loquatur: ſintque verba ſuavia, & animi lenitatem præferentia. Verba tamen contumelioſa, violenta vocis contortio, ac vociferatio intemperantis animi indicia planè deformia E ſunt, viriſque fortibus, & magnanimis indigna. Hæc igitur caveant Principes Chriſtiani, quos fortitudine, ac magnanimitate decet excellere.

CAPUT IX.

Intuitus qualis.

Eſther 15. 10.

BArbarorum regnum eſt, torvo intuitu timorem incutere. Sic Aſſueri intuitus à Scriptura Sacra deſcribitur in hæc verba: *Cumque elevaſſet faciem, & ardentibus oculis favorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.* En, quem è populo non terruiſſet, qui reginam intuitu terribili pene exanimavit? At barbaris F fortaſſe parcendum, quòd inculti errent in iis, quæ vel politicè agere mutato vultu deberent: Chriſtianis verò Principibus tetrior nota ſit, truculentum præferre vultum, poſtquam & cultura non deeſt, & orthodoxæ fidei luce, rei deformitatem agnoſcunt. Oculi ergo Principum noſtrorum nihil crudele, nihil ferum, ſed pium, miteque prætendant, ut ingenuè agant, populique pectora demulceant. Abſit quoque gravitas in aſpectu nimia: abſit & circumſpectandi, caputque celeriter huc illucve torquendi levitas. Sit intuitus ita gravis, ut & ſyncerus, placidus, modeſtus: quo certè uno animos vehementer afficient.

Oculi Principum quales?

G

CAPUT X.

Audientia qualis.

SIve læta, ſive triſtia nunc, ſive opportunos, ſive importunos poſtulatores Princeps audiat; ſive libellos ſupplices ſecretò, aut palàm accipiat; ſupercilium contractum, geſtus iracundiæ indices, & acria reſponſa vitet, benignitatemque præferat, qua temperet gravitatem: quæ ſanè temperies viro grandi, ac magnanimo planè digna eſt, ſimillimaque cœlo, cui elementorum inferiùs reſidentium commotiones nihil de ſerenitate decerpunt.

H

CAPUT XI.

Inceſſus qualis.

CElſitudo Principum non eſt ea, quæ harmonicum aliquem incedendi modum, inceſſui virorum gravium adverſum nova forma requirat. Ecquis enim non liquidò

Scrip. An. 1612.

perſpiciat, affectationem hanc parùm eſſe virilem? Non ſermonis ornatus, non intuitus, aut inceſſus, ſed dignitas ſublimior Principem cæteris hominibus anteponit. Quocirca vitia omnia, quæ ſynceros in hoc genere oculos offendunt, excludenda ſunt: & medium tenendum, ne videlicet inceſſus in celeritatem, tarditatemvè degeneret. Celeritas quippe levitatem, tarditas odioſam gravitatem arguit: illa contemptum, hæc tædium parit: utraque actionis moderationem, ac decorem extinguit. Non tamen dedecet, in rebus turbidis, ubi periculum Reipublicæ imminet, aliquantum feſtinare, ut populus animadvertat, communem ſalutem Principi eſſe cordi, quem à ſe dato inceſſu præſens adverſitas communi bono inimica deducit. Sic in caſtris, aut in obſidione urbium, ſtrenui Principes abſque gravitatis decremento, omnia expeditè obeunt, & conſilio, præſentiaque tuentur.

CAPUT XII.

Corporis cultus qualis.

PRincipes boni, cum ſeria negotia gerant, corporis cultui, ornatuive ſtudere vix poſſunt: neque ſi poſſent, id niſi parcè in animum inducerent. Videntur hæc parva viris magnanimis, & in animo veris virtutibus excolendo ſe totos exercent. Ne ergo Principes Chriſtiani, in corpore veſtimentis interpunctis exornando multùm operæ ponant, curentve, ſitne veſtitus auro intertextus, opereve phrygionico variatus. Sat eſt ſit abſque affectatione pretioſus, ut dignitati congruat. Neglectus autem, & ſqualor minimè commendatur.

CAPUT XIII.

Menſa qualis.

MEns Principum vigil, & ad ferendum ubique judicium expedita ſit neceſſe eſt. At qui poterit rectè cenſere, qui ſe mero, & epulis obruit? Natura certè hujuſmodi oneribus prægravata, tantùm abeſt, ut ad honeſtum dijudicandum perſpicax ſit, ut belluarum ritu in omnem ſe turpitudinem præcipitet. Quapropter bonorum Principum menſa non tam ferculorum numero, aut lautitia, quàm moderato ciborum appoſitu, & frugalitate inſtruenda. Divinæ majeſtatis timor deberet epulas Principum condire, atque metiri, ne ruerent in præceps, quod portentoſa Septentrionis menſa pervincit. Brevis admodum vitæ periodus eſt: incitamur ad curſum, quem nemo vel Princeps, vel plebejus niſi pondere nimio exoneratus conficiet.

Menſæ frugalitas Principibus commendata.

CAPUT XIV.

Animi remiſſio qualis.

Recreatio cujus virtutis actus?

MOderata animi feſſi recreatio (quæ virtutis Eutrapeliæ actus eſt) Principibus jure ſummo debetur: ut omnino æquum ſit, vel harmonico tibiarum concentu, vel honeſti ludi genere aliquo, vel alia negotiorum incurſantium intermiſſione, vires fractas reficiant, ne oneri tanto, quod Reipublicæ gratia geſtant, cum boni communis jactura ſuccumbant. Quicquid autem viris ſapientibus, ac piis in hoc genere diſſentaneum eſt, graviter reſpuendum.

CAPUT XV.

Colloquia qualia.

SOlent Principes à prudentia, & rebus geſtis laudati, ſive domi, ſive foris verſentur, eas horas, quibus à negotiis vacatur, cum viris multiplici litteratura, virtutum cultu, & rerum experientia eximiis collocare, ut ſuaviter multa diſcant, & ingenium excolant, quod laudi aſcribendum. Colloquia verò noxia ſeverè prohibenda, cum bonos mores corrumpant.

CAPUT XVI.

Amicitia qualis.

HÆrent altè amicorum virtutes, ac vitia, quæ quaſi contagio necant: quapropter Principum amicos oportet eſſe inculpatiſſimos. Ubi verò amicos ejuſmodi nacti ſunt, amicitia fidiſſimè colenda, atque ita iis utendum, ut nihil ab eis, niſi honeſtum, requiratur. Cavendum autem, ne antiquiores amici levibus de cauſis deſerantur, neve quicquam adverſus fidem diu probatam temerè credatur.

CAPUT XVII.

Modus agendi qualis.

SI Princeps agat cum alio Principe, cui paret, modeſtia tum in ſermone, tum in corporis geſtu obſervanda. Si cum æquali Principe, comitas quædam virilis exercenda, quæ placeat, ſervetque decorum. Si cum inferioribus, benignitati gravitas concilianda, ne terreat, ſed animos alliciat. Expeditque non parum modos agendi ſuaves abſque dignitatis decremento excogitare, quibus animi ultro ad imperata ducantur. Quocirca majeſtatis affectatio vitanda, ineunduſque modus quidam hominum ingenio attemperatus, ut ſine auſteritate ſermonis, vultuve torvo, Princeps aſſueſcat non tam imperare, quàm petere, ſive quodammodo rogare. Obſervatio hæc ſanè perantiqua eſt, quam expreſſit Ethnicus ille in hæc verba:

Scrip. An. 1612. Hor. Poet.

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

At modus hic ſenſu Chriſtiano fit multò ſuavior, & ad flectendos, molliendoſque animos efficacior.

OECONOMICA

Moderationi aulæ Principum deſtinata.

CAPUT I.

Œconomiæ diſtinctio.

NON huc pars Œconomiæ illa obtrudenda, quæ horrei, promptuarii, variæque ſupellectilis procurationi debetur, quam Principes fido, providoque rei familiaris adminiſtratori demandant: ſed pars illa nobilior, de qua ſæpe, ac ſeriò cogitare Principes deceat. Hanc in præcipua capita diducere, ut faciliùs memoriæ imprimi, recolique poſſit, conſilium eſt.

CAPUT II.

Accurata liberorum educatio.

PAterfamilias bonus Princeps ſit neceſſe eſt: quam enim ſpem de recta Reip. moderatione excitabit, qui domui ſuæ præeſſe neſcit? Prima verò inter domeſticas curas liberorum educatio ſit, ut bonus Princeps inculpatæ vitæ exemplo, & appoſito, repetitoque admonitu ipſe, quoad poſſit, liberos ad honeſtum inſtruat, laudatiſſimoſque à pietate, ac doctrina illis eruditores aſſignet, à quibus tenella ætas caſtum Dei timorem ediſcat. Excolatur quidem ingenua proles liberalibus diſciplinis, ut ad futuros eventus comparetur: at cura potiſſima in animo rudi ad pietatem informando, & exorbitantium motuum fræno ponenda: ne pueritia licentiæ aſſueſcat, fræniquè impatiens natu major evadat.

CAPUT III.

Qua litteratura liberi inſtruendi.

OPtandum ſanè, ut Chriſtianorum Principum liberi ingenium varia diſciplina excolant, pro mortalium captu omnia norint; ut ſapientes Reip. moderatores evadant, quod ad Principatus perfectionem proculdubio faceret. At cum exigua vitæ periodo, rerumque graviorum molitione cohærere nequit tam multiplex litteratura, quam vix alii, curis omnibus ablegatis, prolixo agone perquirunt. Delectus ergo habendus eſt: & poſt latinæ, grecæque linguæ, Rhetoricæ, ac Dialecticæ notitiam, aliquid è Juriſprudentiæ fontibus hauriendum, quod ad exercendum ſpectet Imperium. Quod verò ad rem Philoſophicam, & Theologicam pertinet, è re communi videtur, ſi à præceptore aliquo inſigni, ſupervacaneis, ac inutilibus controverſiis conſultò rejectis, quæ gravia, fructuoſa, & ſolida ſunt compendio tradantur: ut Principes ad omne judicii genus comparati, perſpicaciùs cuncta diſcernant, & fœliciùs imperent. Non hîc tabulas geographicas, Sphæras, hiſtorias, & ejuſmodi alia leviora commemoro, quæ ſunt gravioribus ſcientiis adiuncta, tamquam picturæ παρέργον.

Nimirum hæc, ut ſeriis ſtudiis tempus adimere non debent, ita neque ſucciſivis horis repellenda. In his tamen omnibus cavendum, ne ob ſermonis caſtitatem ſcriptores parùm caſti avidiùs, quàm decentiùs arripiantur. Cavendum item, ne geſta Ethnicorum, quæ in tyrannidem vergunt, aut in alia vitia degenerant, per incautam hiſtoriarum lectionem animis juventutis adhæreant: è contrario navanda opera, ut res geſtæ, quibus Principes vitæ ſanctimonia eximii claruerunt, animo inſculpantur. Summopere quippe confert, exempla præclariſſima ad imitationem ob oculos poſita contemplari, ut animus à primo ætatis flore diſcat, & exquirat honeſtum, noveritque quibus veſtigiis inſiſtere debeat.

CAPUT IV.

Quibus præſertim virtutibus liberi ornandi.

COngruunt maximè liberali juventuti virtutes, quæ animum, corpuſque à fœditate præſervant: quibus eò accuratiùs incumbendum, quò expeditior per eas via aperitur ad virtutes alias, quæ Remp. ſive collapſam reſtituunt, ſive nutantem ſuſtinent, ſive integram tuentur. Ergo Dei veneratione, ac timore altè impreſſo, frugalitas, ſobrietas, caſtitas perquam ſtrenuè colenda. Corpus quippe dapibus benè fartum, caputque penè temulentum, velut oppilatis ſenſuum oſtiis, omnem diſciplinam excludit: tantum abeſt, ut juſtitiam vel decernat, vel diſcernat. Obſcœnitas quoque omnis animum excæcat, ne honeſti rationem internoſcat, nedum exquirat. Jam verò pueritia, & adoleſcentia temperantiæ aſſueta facilè addiſcit proprias boni Principis virtutes, quas in politico tractatu trademus.

CAPUT V.

Famuli quales.

ET numerus, & probitas familiæ ad trutinam examinanda: ne Princeps, qui, quod ad ſe attinet, pietatem colit, inculti famulitii reus fiat. Pii planè Principis eſt, idoneo famulorum numero pro ratione digni-

Scrip. An. 1612. gnitatis expenſo, neminem ad famulatum admittere, niſi quem integritas vitæ commendet. Ii ergo ſeligendi, ac remunerandi, quos Dei timor, otii fuga, Sacramentorum frequentia, ingenii, ac doctrinæ laus facit idoneos: qui verò vitiis ſordent, ab aula quantocyus arcendi, ne cæteros A contagio ſuo turpiter inficiant. Quò tamen ii, qui inculpatè agunt, otio minimè torpeant, variis exercitiis ad pietatis, ac doctrinæ decorum excitandi ſunt.

CAPUT VI.

Corporalia liberorum, & ingenui famulitii exercitia.

Exercitia, quæ ad animum excolendum pertinent, ad ſcripti hujus calcem tradentur, corporalia nunc præſcribenda. Nocet mollis educatio, & ad menſam, & ſomnum ſcrupuloſa decretarum horarum obſervatio. Eo quippe ipſo fiunt ingenui B pueri laboris impatientes, & morbis obnoxii, ſi negotiorum occaſione cibum, ſomnumve prorogent, vel iis parciùs utantur. Quamobrem ad ſpontaneas horarum tranſgreſſiones, inediam, vigiliam, æſtus, frigoriſque tolerantiam erudiendi, & laborioſis exercitiis addicendi, qualia ſunt venatio, jaculatio, equitatio, lucta regibus orientalibus creberrima, & ad longiorem vitam, valetudinemque appoſitiſſima: præterquam quod hiſce exercitiis, quæ cum palatinorum cœtu in hortorum viis, mediiſve areis frequentari poſſunt, ad egregios fortitudinis, ac patientiæ actus juventus bene afficitur. Quod obſervaſſe videtur ille, qui cecinit.

C

Aen. Lib. 7.

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, luctuque, ictuque laceſſunt.

2. Reg. 1. Sed melius David, qui præcepit, ut docerent filios Juda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Juſtorum. Et quidem exercitia hæc exornantur pietate dum in ſcopo fidei propugnandæ, vel propagandæ deſtinantur, Principibuſque ſæcularibus apprimè congruunt. Principum verò Eccleſiaſticorum familiam lectio aliqua eruditionis variæ, cantus, licitus aliquis ludus, & id genus alia decent.

D

CAPUT VII.

Currus & equi,

Numerus, ornatuſque curruum, & equorum Chriſtiano ſenſu temperandus, qui neque abuſum Ethnicorum, neque faſtum præferat. Quod cum laude obſervari cernimus à Principibus, quorum fama non ab aſcititia Majeſtatis oſtenſione, ſed à virtutibus eximiis orbe toto percrebuit.

CAPUT VIII.

Aula

Principibus ſolemne eſt amplas ædes è E quadro ad imum lapide, è lateritiis mox parietibus, cum clauſtro latè patenti, columnis marmoreis, vel pilis puriſſimo albario tectis, & in lævorem adductis per quaterna compluvii latera ſplendentibus extruere, mirabili architecturæ peritia per teſtudines, coronides, pergulas, cæteraſque ædificii partes ſe prodente, quæ oculos pariter, & animum oblectet. Hîc nihil temerè carpendum: ſed inſiſtendum, optandumque, nihil ibi poſſe circumſpici, quod aulas Principum Chriſtianorum minimè deceat. Laus in hoc genere debetur iis, qui non ſibi, ſed Reipublicæ ad templorum, urbiumque decorem dignitati congruentem ædificant. F

CAPUT IX.

Oratorium.

Pietatis argumentum eſt, in abditiſſima totius aulæ parte Oratorium extruere, ac Sanctorum reliquiis, imaginibus, & aliis pietatis incitamentis exornare: ubi Princeps negotiorum voluminibus ſe furtim eripiens Divinam Majeſtatem precetur, agatque de ſalutis æternæ cauſa quàm impenſè poterit. Solent timorati Principes in hujuſmodi receſſu corpus alias molliter habitum verberibus caſtigare, & vim lachrymarum profundere: quod recentibus quoque G exemplis exploratum eſt.

CAPUT X.

Sacellum.

Expedit profectò, in loco maximè idoneo ſacellum conſtrui, ac exornari, ubi Miſſæ Sacrificio Princeps, familiaque interſint, ſi Eccleſias petere per negotia minimè liceat. Solent Principes pietate inſignes, in ejuſmodi ſacellis conciones audire, & aliqua cum famulitio toto frequentare exercitia, qualis eſt ſolita Beatiſſimæ Virginis ſalutatio, ac Litania. Quin & ſolemniſſimis feſtis Euchariſtiæ Sacramentum ſumunt, vel ſi Principes Eccleſiaſtici ſint, ipſi miniſtrant, familiamque univerſam recenſent, ac in officio continet. H Œconomiæ genus laudatiſſimum eſt.

CAPUT XI.

Bibliotheca.

Non Eccleſiaſticos tantùm, verùm & ſæculares Principes benè inſtructa Sanctorum, Theologorum, Juris utriuſque pru-

Scrip. An. 1612.

dentum, Philoſophorum, Hiſtoricorum, aliorumque ſimilium monumentis bibliotheca decet: ubi non jaceant libri pulvere obſiti, ſed pietatis, eruditionis, & animi gratia exerceantur. Curandum tamen, ne coacervetur noxia congeries librorum, qui amatoriis, vel magicis inventis candidos, pioſque animos inficiant, atque dementent. A Caſta piaque oblectamenta Principes decent.

CAPUT XII.

Apparatus aulæ.

AD Principatus proportionem decoro aulæ ornatui conſulendum, cauto, nequid nimis: dignitatis nempe ratio habenda: decent quippe nonnullos aulæa ſerica filis aureis intercurrentibus diſtincta: alios coriacea non admodum elaborata decent. Atque in hunc modum de tabulis pictis, ſtatuis, ſellis, lectis, cæteriſque domeſtici apparatus partibus ita cenſendum, ut nihil præcipiti conſilio vituperetur: ſed pietati, ac modeſtiæ Principum credatur. Unum B dumtaxat improbandum, quod ad ſtatuas obſcœnas, à quantumvis egregio Polycleto ſcalptas attinet, quas à piiſſimis Principibus minimè ferendas omnino exiſtimandum eſt. Præſtat, novi cujuſvis Apellis, aut Phidiæ peritiam in Sanctorum, aliorumque virorum fortium perſonis, & rebus geſtis exprimendis exercere.

CAPXT XIII.

Veſtibuli laus.

PRincipum piiſſimorum veſtibula modeſtè elaborata pro aſylo ſunt pauperibus, quorum vocibus, ſive clamoribus perſtrepunt: gaudentque ipſi quotidianæ beneficen- C tiæ occaſionem nacti: quam identidem recolunt, firmiter ſperantes, aulam miſericordia inſignem proventu multo fortunandam, quod & ætate noſtra exemplis clariſſimis patuit.

CAPUT XIV.

Horti.

NON continuò improbandi horti penſiles, ad mœrorem furtim exhalandum deſtinati, ut animus ad reſumenda negotia fiat alacrior. Non horti latiores, vel aulis adiacentes, vel diſſiti, ubi opere topiario myrti, vel aliarum tonſilium plantarum orbibus, variiſque flexuris areæ ad propor- D tionem figurentur, è quarum centro ſonus aliquis ſubterraneis fiſtulis ductus erumpat. Non tophi, è quibus aqua guttatim diſtillet, vel in morem imbris, tanquam è nube ſolis radiis reſoluta, ſpargatur. Hæc pro ratione cauſæ, & circumſtantiarum æſtimanda, ne præcipiti motu vitio vertantur. At minimè proſunt ſtatuæ lævigatæ, quæ caſtos oculos offendant, & incautos animos pelliciant. Longi calles, arborum ſerie hinc inde ad lineam ſata, ſtipitibus æquali incremento ſurgentibus, & ſeſe in ramorum ambitum æqualem fundentibus, puriorem creant voluptatem, quæ Principum animos exhilaret.

CAPUT XV.

E *Scrutinium aulæ.*

PRudentes porrò Principes, quaſi aliud agentes, aulæ partes obeunt, non ſanè ut minutiſſima quæque explorent, aut trutinent, ſed ut capita præcipua pernoſcant, familiamque excitent ad ſtudium honeſti, dum cogitat, cordi eſſe Principibus domus decorem, nihilque turpe tam oculatis cenſoribus poſſe celari.

POLITICA

Tripartita Reipublicæ gubernationi deſtinata. F

PARS PRIMA.

Quæ prænotiones, & præcipua quædam monita complectitur.

CAPUT I.

Politicæ doctrinæ diſtinctio.

NOſſe genus rei, de qua cogites, operæ pretium eſt, ut idoneus fias æſtimator. Non hîc ea politica doctrina tradenda, quæ orbis terrarum partem non exi- G guam penè dementavit, quam plerique divinæ lucis exortes eò collimant, ut opes, honores, voluptates imperando conquirant, vel immenſis conatibus augeant, & in poſteros, ſimulata æternitatis imagine derivent. Huc incumbit cura fere omnis, arcium extructio, ærarii acceſſio, militum delectus, exterorum fœdera, belli apparatus, amicorum conſilia, & quicquid antiquo Ethnicorum ritu ſervatum, vel inſtauratum eſt. At civilis doctrina, de qua ſcribere paramus, excelſior multò, & caſtior eſt, quod nihil prorſus admittat ſordidum, quod Religionis Chriſtianæ puritatem dedeceat. Ingenuè nimirum intuetur, ac perquirit honeſtum: opulentiam, nominis celebritatem, & oblectamenta ita demum ad- H mittit, ut pietas caput efferat, non tam ferro, quàm cuſtodia divinæ legis armata: & militiam, togamque ita moderatur, ut nihil fauſtum etſi iniuria Numinis coaleſcere poſſe perſentiat.

Scrip. An. 1612.

CAPUT II.

Politicæ doctrinæ ſcopus.

SParta Græcis, Roma Latinis exemplo eſſe poſſunt, ut quiſque dignoſcat, quouſque civilis doctrina olim celebrata pertingat. A Profectò Spartæ obſervatione legum, Romani diſciplina militari temporariam quamdam fœlicitatem pepererunt, quæ demum extincta eſt, molitoribus ſuis in ſempiternum incendium devolutis. Et quidem, qui inter eos ſapienter egerunt, Reip. pacem, nihilque amplius, aut ſpecioſius cogitarunt. At hoc ſat fuerit iis, quos Chriſtianæ Religionis celſitudo latuit, qui vota intra philoſophicas metas concluſerunt. Verùm Principes Chriſtiani mox ac ſceptro manum admovent, eas metas animo tranſcendant. Quod plane aſſequentur, ſi omnino decreverint ita Remp. adminiſtrare, ut Divinæ Majeſtatis cultum univerſis orbis terrarum bonis præferant: B populoſque ſic moderentur, ut publica pietatis profeſſione illos ad imitationem alliciant, ſtudentes non pacem dumtaxat temporalem exquirere, ſed in pacem ævo perenni conſtantiſſimè permanſuram propoſitum mentis attollere. Quocirca ad rem erit, cum jus reddunt, arma capiunt, urbes muris ambiunt hoſtes, debellant, ſeu denique aliud quidvis attentant, animo conſtituere, ſe illud, quicquid accidat, eò deſtinare, ut rebus pacatis atque compoſitis, ſubditorum animos ad æternæ ſalutis lucra permoveant.

CAPUT III.

Studium pacis.

C

OMnia pacem expetunt, pro ſuo quæque captu: pax quippe ad cujuſque rei bonum optimum, ac præſtantiſſimum pertinet. Et in Rebuſp. genus quoddam fœlicitatis eſt, diuturna, conſtantique pace potiri. Pax quoque cum pietate coaleſcit optimè, quod ad politiam Chriſtianam ſpectat. Quocirca nihil non tentandum, & pervincendum, ut pax vel amiſſa reparetur, vel ſervetur integra, & vires acquirat. E tribus ordinibus optimates à bono Principe conſiliis imbuendi, ne velut pingues tauri, jugi impatientes obvia prata pererrent, & Rempublicam perturbent. Ingenui piè alliciendi ad concordiæ ſtudium honorificis D præmiis, ac veris benevolentiæ ſignis. Plebs multa dexteritate verborum, interdumque donorum, aliquove immunitatis incitamento demulcenda. Quòd ſi primores, qui vulgus in partes diſcindunt, inter ſe diſcrepent, celerrimè accurrendum, animique divortia cogitantes quàm primum Principis auctoritate placandi, vel compeſcendi, ne ignis diſcordiæ, tamquam violentis ventorum flatibus abreptus, vicinis tectis adhæreat, & Rempublicam totam depaſcat. Omnis hìc mora noxia videtur: experientia videlicet teſte multiplicis exitus planè tragici, à levi diſcrepantia plerumque coorti. Principis ergo pii animus ſit ad flammulam quamlibet extinguendam velociſſimus.

CAPUT IV. E

Belli fuga, & uſus.

PRincipibus Chriſtianis exploratum eſt, bellum ex eo eſſe rerum genere, quæ per ſe minimè eliguntur, aut optantur, ſed quibus, neceſſitate urgente, conquirendæ ſtudio pacis, utendum ſit. Quamobrem parcè admodùm agendum, quantùm ſcilicet fuerit ſatis ad propria bona capienda, vel tuenda, propulſandaque mala ingruentia, quæ Reipublicæ ſaluti adverſantur; quod exempli cauſa profertur, ne juſtas omnes belli gerendi cauſas diſtinctè percenſeam. Ubi ergo bellum gerendum omninò ſit, Chriſtiani Principis partes erunt, F milites piè inſtruere, ne in ſpolia, & cædes oculos intendant, ſed in Dei gloriam, pro qua decertant, quoties pro juſtitia ſuſtinenda confligunt. Severè ſcorta, & pœanas interdicat, jubeatque antequàm ſigna cum hoſte conferant, conſcientiam pœnitentiæ Sacramento repurgent, divinoque Euchariſtiæ pane religioſè ſumpto, ad prælium animoſè proſiliant. Multa hìc ſubtexi poſſent, quæ viris ſapientibus, quales Principes eſſe ponendum eſt, cordi ſunt, & ad pietatem inter caſtrorum diſcrimina alendam conferunt: at ſi pauca ea, quæ tetigimus, obſerventur, ſperandum proculdubio, piè compoſitis ductorum, ac militum animis, rem quoque militarem fœliciter ſucceſſuram. G

CAPUT V.

Conſilii æſtimatio.

PER pacis fœdera, bellique diſcrimina, Princeps nunc trabeatus, nunc loricatus incedit, vario eventu, ancipitique conſilio: neque res adeò leves cogitat, quibus diſcutiendis, ac pervidendis ſat ſit hominis unius animus quantumvis prudens, ac perſpicax. Cogitationes quippe mortalium timidæ, incertæque providentiæ ſunt, *Sap.* 9. 14. ubique ſalus ubi multa conſilia. Quamobrem pars magna communis ſalutis in conſiliariis H optimis, & integerrimis ſeligendis poſita eſt. Eos verò dixerim optimos, quos ambitio nulla, nulluſque privati boni detorquet intuitus: quique nota probitate, ac Reipublicæ ſtudio, perſpicacique judicio, communem ſalutem æſtimare, & mala obſtantia internoſcere poſſint. Quo in genere ii excellunt, qui vitæ ſanctimonia clarent: nam, ut capita multa ſupprimam, habet hoc ſanctitas ſpectata, atque probata, ut licet

Scripta An. 1612.

licet liberiùs ſententiam dicat, animos Principum ingenuos tamquàm oraculo intentos haudquaquàm offendat. Habet & hoc, ut ſerpentia in Rempublicam mala, quæ ambitioſo artificio Principibus celari ſolent, aperiat. Abſit autem à bonis Principibus, ut ægrè ferant ſyncera, piaque conſilia ſuis opinionibus diſſentanea, ſi meliora ſint; aut ſententiam propriam auctoritate metiantur, non rationum pondere, ac pietate. Nam ſi potentia in hoc genere abutantur, torvis oculis intuentes, aut verbis auſteris repellentes, quos ſibi accinere non cernunt, hoc ipſo commune bonum labefactant. Profectò conſiliarius prudens, pius, ac in ſententia dicenda modeſtus, tametſi Principi non conſonet, non modò patienter, verùm & humaniter audiendus eſt, ut ſalus publica illæſa conſiſtat.

CAPUT VI.

Legiſlatio.

MInimè dubitandum, quin prudens legiſlatio ad commune bonum tuendum, & amplificandum impendiò conferat. Oportet quippe novis ſanctionibus (quas & paucas, & ſelectas eſſe oportet) vetuſta mala extirpare, & bona, quæ deſiderantur, in morem inducere. Inter leges autem Chriſtianorum Principum, illæ laudem primam facilè promerentur, quæ ad pietatem colendam diriguntur. Porrò ætate hac noſtra impietas enormiter invaluit, & pleraque flagitia adeò impunè perpetrantur, ut timendum ſit, ne Divina Majeſtas graviſſimis injuriis laceſſita ſuppliciis horrendis urbes aliquas evertat. Et ut manifeſtò rem totam exemplo convincam, quis ita ſit ſtupidus, qui uſitatiſſimum blaſphemiæ crimen in mediis Catholicorum urbibus contemplans divinæ ultionis fulmina non pertimeſcat? Cum ergo grande malum hoc, aliudve ſimile cum impunitate graſſatur, Chriſtiani certè Principis partes ſunt, legem ſeveram de ulſciſcenda blaſphemia, crimineve alio, condere, ac fidiſſimè exequi. Hanc nimirum honoris divini tuendi curam magna Deus proſperitate repenſat.

CAPUT VII.

Providentia.

INtereſt Reipublicæ futuros eventus proſpicere, & annonæ curam ita gerere, ut populus minimè gravetur. Solent autem boni Principes in hoc genere nihil non tentare, ut populum alant, & exhilarent. Princeps bonus ſteriles annos ſuſpicatur, timetque ne ingruat inopinata calamitas: atque ideò urgente populi amore providentiæ tempus ſollicitè antevertit, ut ei congruat celebratum illud:

Quando ego non timui graviora pericula veri?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Ovid. Her. Epiſt. 1.

Laus verò ſumma iis debetur, qui exhauſtis quoque ſuis horreis famem populi depellunt. Laudi verò huic coronidem addunt, cum inopes, penuriæ tempore, recenſeri, paſcique imperant.

CAPUT VIII.

Decernendi modus.

VErſum eſt in proverbium effatum illud: Matura deliberatio, celeris executio. Ergo, ut Princeps appoſitè ad Rempublicam decernat, ne feſtinet, ſed cunctetur, conſultet, cogitet, rerúmque momenta æquis bilancibus expendat. Quod tamen conſilium ita in gravioribus cauſis uſurpandum, ut leves, expedituque faciles minimè pertrahantur, ne Princeps fiat inviſus, & mora noceat. Jam verò, ubi deliberatum eſt, ac decretum, quid fieri expediat, executio celeris commendatur.

CAPUT IX.

Delectus miniſtrorum.

SApientis proculdubio Principis eſt, optimum habere delectum miniſtrorum, quibus graves functiones demandet: quid enim profit bene decernere, ac imperare, ſi miniſtri, per quos negotia expediri debent, deſides, ignari, ignavi, immites, & aliis ejus generis notis fœdati ſint? Non ſeligendi tantùm, ſed explorandi, ne quid indecorum committant, vel ſegniter agant. Quia verò ex bono delectu ſpes propemodùm tota pendet, ſolent Principes boni, merita virorum, quos virtutibus egregiis excellere fama eſt, ſolerter exquirere, ac perſpicaciter intueri, & quos probatiſſimos norunt, nihil ejuſmodi fortaſſe cogitantes accire, populiſque præficere: quod inter Principum encomia ponendum eſt.

CAPUT X.

Regendi modus.

IDoneus regendi modus laudem facilè primam promeretur. Hic ſcopo pacis propoſito, ex ſeveritate, ac lenitate componitur. Proponitur primùm ſcopus, aut finis pacis, quæ in Republica eſt id ipſum, quod in corpore naturali ſanitas: ut enim ſanitas humorum, & qualitatum, ita pax multorum animorum proportio, ſive temperies eſt. Quapropter, ut prudens medicus, ſanitatis gratia, medicamenta lenia primùm admovet, ac iterat; quæ ſi non proſint, acria profert, putridaque membra præcidenda cenſet, ut ſana præſervet: ita bonus Princeps modos principiò mites init, repetitque ſi fortè ad Reipublicæ pacem conferant; qui ſi minimè proficiant, protervos, tamquam membra putrefacta ſeverè præcidit: quod jam priſcus obtinuit mos, ut cecinit ille:

Scrip. An. 1612. Æn. Lib. 6.

Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Modos hos Chriſtianus ſenſus mirificè perficit.

A

PARS SECUNDA.

Virtutes, quæ à Principibus præſertim colendæ ſunt.

CAPUT I.

Obſervatio.

NON univerſas virtutes, quibus Princeps exornari debet, ſed aliquot ſelectas perſequi conſilium eſt. Hoc quippe noſtro ſatis inſtituto: præterquam quod qui paucas has exactè coluerit, cæteras omnes B velut catenæ orbibus conſertas acquiret.

CAPUT II.

Studium prudentiæ.

PRudentia virtutum moderatrix, quæ Principum actus populi oculis expoſitos temperare, & ad rectæ gubernationis normam exigere debet, adeò imperio neceſſaria eſt, ut incaſſum quis laboret, quantumvis ingenio polleat, variaque diſciplina excultus ſit, niſi peculiari ſtudio, obſervatione multiplici, eam virtutem humanæ vitæ, ac politicæ doctrinæ aurigam exquirat. Exquiret autem attento animo ex lectione varia, ex rerum, circumſtan- C tiarumque expenſione, ex virorum expertorum, ſeniorumque conſilio. Lectio ſanè varia, velut pictura quædam vivis coloribus expreſſa, quid agendum ſit, repræſentat, ex eventu ſimili: rectè quippe ab Imperatorum, Regumque prudentia inſignium geſtis argumentum ducitur ad eventus ſimiles: ideoque Principes noſtri, qui prudentiùs præſunt, antiqua paſſim exempla requirunt, hærentque cunctabundi, donec iis repertis viam ſibi tutæ deliberationis aperiant. Rerum, & circumſtantiarum expenſio eò dirigitur, ut Princeps omnia circumſpiciens nullam ſollicitudinis partem ad bene decernendum prætereat. Circumſtantiæ nimirum ita rem eamdem per tempora varia diſcriminant, ut eumdem civem criminis reum nunc repentino ſupplicio ple- D ctere, nunc ad tempus pœna prorogata ignoſcere, nunc pejora damna Reip. vitanda abſolvere oporteat, colore quodam innocentiæ populis eleganter picto. Expertos viros, ſeneſque palam eſt conſulendos eſſe, ut quæ ipſi habent explorata doceant, moneantque rerum varios anfractus, & exitus, quos inexpertis, & junioribus incognitos eſſe, nemo eſt, qui ambigere queat.

Senum reſponſa quanti facienda?

Senum ergo reſponſa æſtimanda Principibus, tantoque avidiùs excipienda, quantò ſalubriora, & ad futurorum eventuum prænotionem aptiora. Verùm pars ſtudii hujus potiſſima ſit, animo demiſſo Deum precari, &, quod Salomon fecit, ſapientiam enixiùs poſtulare, ad populum ſine propriæ ſalutis jactura moderandum.

3. Reg. 3.

E

CAPUT III.

Prudentia erga Principes alios.

BInos Principes profero, & eos, qui extra Remp. fortaſſe potentia pares, aut majores ſunt, & eos, qui in Rep. ſupremo Principi parent. Erga externos, prudentiæ Chriſtianæ pars maxima eſt, eorum neminem lædere, itaque officiis demereri, ut mutuò benevolentia concreſcat. Huc ſpectat exiguarum rerum, occaſionumve contemptus, ne ſcilicet Chriſtianus Princeps, levibus de cauſis, aut per viſum, aut per auditum acceptis, belli ſementem ſpargat, F & tragœdias excitet. Huc pertinent mutua dona ſyncerè oblata. Huc fœdera ſanctè percuſſa. Huc familiares litteræ ad amicitiam alendam deſtinatæ: aliaque ſimilia, quibus concordia pacta firmetur. At ſi externus Princeps Catholicæ fidei hoſtis ſit, ita irritandus non eſt, ut nec facilè ad amicitiam invitandus, vel admittendus, ne ſocietas ea in fidei detrimentum vergat. Quod verò ad Principes in regno proprio agentes attinet, is Princeps ſupremus prudentiſſimus erit, qui eorum animos ad pietatem primùm, mox ad temporalem communis boni ſtatum tuendum, malumque avertendum flexerit. Huc ſpectat familiaris cum eis agendi modus, ita temperatus, ut invidioſam unius præ cæteris æ- G qualibus communicationem excludat. Huc exemplum vitæ inculpatæ, quæ iis velut amplexu quodam imprimatur, in populum derivanda. Huc adhortationes dulcedine multa conditæ: & quicquid ad animos ſyncerè demulcendos, & in officio proinde continendos, Princeps prudens, ac pius excogitet.

CAPUT IV.

Prudentia erga ingenuos.

PRudentiæ, quæ erga Principes exercetur, appoſitè ſubtexitur ea, quæ ad regendos viros patritios (qui Reip. flos eſt) H uſurpatur. Hîc Princeps ſapiens ſe benevolum, & ad honores, ac præmia ſtrenuis largienda propenſum exhibeat. Peramanter eos excipiat, verbiſque ſuaviſſimis ad pietatem, ac res geſtas hortetur. Ex hoc quippe genere viri fortiſſimi, terra, marique fortunatiſſimi ætate noſtra prodierunt; quos ad Principatum, cum familiæ ſplendore, & (quod eſt excelſius) cum fidei Catholicæ mira propagatione, virtus ſola provexit.

xit. Hos cernimus mirificè ad ſtudium virtutis incendi, cùm Principem magnanimum, & rerum conſultum nacti ſunt. Quapropter Princeps nobilitatem urgeat his exercitiis, quæ viros fortes, ac invictos creent; ejuſmodi ferè ſunt belli ſimulacra, & navalis induſtria; neque ſinat viros grandibus natos, inutilibus expenſis patrimonia prodigere, ac effœminatos effici. Huc confert A ludis, conviviis, veſtimentis modum præſcribere, fortes præmiis cumulare, & ignavos, quorum conſiliis bona juventutis indoles corrumpitur, procul arcere.

CAPUT V.

Prudentia erga plebeios.

REctè Princeps agit, ſi ſe interdum populo ſpectandum exhibeat, depoſita interim majeſtate, ſupplicumque poſtulata humaniter audiat. Prodeſt, exiguo cum comitatu, urbem obire, & hilari intuitu plebeis arridere. Prodeſt vectigalium B diminutio, vel ablatio. Prodeſt ubertas annonæ, & id genus alia, ut animadvertat populus, eum ſe Principem habere, à quo impensè ametur. Hinc exoritur mutuus populi amor, ac fides ad omnem eventum comparata.

CAPUT VI.

Religio.

QUicquid agat Princeps Religionis Chriſtianæ neglector, aut immemor inglorius erit. Is verò nomen immortale parabit, qui ſuis conatibus univerſis id potiſſimùm enitetur, ut Religionis cultus altas radices defigat. Quo ſanè cum ſtudio mirificè C cohæret honos ſacris hominibus, & rebus impenſus. Huc pertinet templorum, clerique æſtimatio, & omnium denique rerum, quæ Divinæ Majeſtatis cultui addictæ ſunt, quibus veneratio multa debetur.

CAPUT VII.

Juſtitia.

BOni Principis eſt, juſtitiæ partes omnes explere. Non hìc immorandum in contemplatione juſtitiæ commutativæ, quæ ad univerſos homines pertinet. Sat ſit admonere, ut quod ſuum eſt, cuique inviolatè reddat, reddique aliis ſeriò imperet. Illud D verò in primis agat, ut eam juſtitiam, quæ legalis appellatur; eam item, quæ in diſtribuendis muneribus verſatur, ſanctè colat. Princeps quippe, quod ad legalem attinet, ſcriptarum legum velut anima eſt, debetque Reip. corpus vitali motu ad illarum cuſtodiam excitare, ac permovere. Quod verò ad juſtitiam diſtributivam ſpectat, exploret neceſſe eſt virorum merita, & pro cujuſque proportione munia, præmiave decernat. Vix enim credi poſſit, quàm fortes, ac induſtrios viros Reſp. producat, cum idonea bonorum communium diſtributio animos ad grandia geſta perurget. Id verò quod de bonis conferendis aſſertum eſt, pari æquitatis ratione, ad inferenda reis ſupplicia transferendum. Ultio E nimirum flagitioſis hominibus ad proportionem inflicta Remp. expiat, & viam, ne in poſterum audeant, intercludit. In jure dicendo ita Princeps juſtitiam colat, ut exemplo luculento, Principatus ſui judices, ad jus ſanctè ſervandum adigat. Et quos parùm rectos, vel in judicii forma, vel in cauſarum expeditione repererit, ſeverè puniat: quos verò legitimè, pièque officio functos reſcierit, honoribus cumulet, ut Reſp. juſtitiæ luce reſplendeat.

CAPUT VIII.

Clementia.

ÆQuitas accuratè ſpectata nequit reprehendi: F ſummum verò jus, in ultione præſertim irroganda, ſolet vituperari. Ita videlicet ſupplicium inferri debet, ut meminerit Princeps omnem crudelitatis imaginem bono communi parùm proficere, aut certè nocere. Quod apud Chriſtianos judices pondus habet immenſum, cum mitem Chriſtum venerentur, noverintque, ſe homines eſſe ſupremo Dei judicio tandem obnoxios. Et profectò tametſi nihil futuri judicii diſtrictionem formident, præſens tamen populi affectus tener, ac pius, clementiæ ſtudium ab eis requirit. Quemadmodum enim, quos crudeles Principes populus novit, vel abſentes ipſe in tuto poſitus horret, ac refugit; ita è contrario, quos clementes expertus eſt, impenſiùs amat, & per diſcrimina quæque ſectatur. G

CAPUT IX.

Liberalitas.

QUod ad bonorum temporalium diſtributionem pertinet, non ſatis officio fecerit Princeps, qui juſtè dumtaxat, ſed qui juſtè, ac liberaliter egerit. Nimirum, qui communia Reipublicæ bona diſtribuit, propria verò tenaciter ſervat, vel auget, avaritiæ ſuſpicionem incurrit, & animos civium alienat, vel certè minimè conciliat. Quamobrem Principes, qui non tam corporibus, quàm animis, Chriſtiano ſenſu, imperare cupiunt, opportuna largitione, & privatos homines, & urbes mirificè devinciunt, H innumeroſque ſuarum laudum præcones creant.

CAPUT X.

Fortitudo.

PRincipes, quos populus togæ, militiæque tutelares habet, viros planè fortes eſſe debere, omnino perſpectum eſt. Ecquis enim dignè queat eloqui, quanti ſit momenti, per oblatas belli occaſiones, Principem non conſilio tantùm, verùm & exemplo præire, caſtra ducere, exploſas glandes, tormentorum ſtrepitum, & univerſa mortis diſcrimina neutiquam formidare? Profectò Principis fortitudo exemplis probata viros invictiſſimos in Republica procreat, & ignaviam omnem expungit. Quòd ſi belli A cauſa pia ſit, eo ipſo Principis robur è cœlo auctum majora interdum præſtat, quàm poſſe videatur; miramque nominis claritatem orbe toto diffundit.

CAPUT XI.

Patientia.

NImis vulgatum eſt, Principes, quò graviora moliuntur, eò moleſtiora perferre. Nunc triſtitia belli nuntia, nunc primogeniti mors inopinata, nunc demerſæ naves, & alii perſimiles eventus animum graviter afficiunt. Quamobrem ictus hi patien- B tiæ Chriſtianæ clypeo excipiendi ſunt: & animus repentè perculſus erigendus eſt ad omnia invictè ferenda, & ſpem in uno Deo collocandam: Vultus quippe Principis mœſtitia concidentis Rempublicam totam deiiceret. Hinc liquet ad libellos ſupplices, & quotidianum tot poſtulatorum auditum, quàm crebrò patientia ſit exercenda, & vultu læto, cum benignitate, ac lenitate concilianda.

CAPUT XII.

Magnanimitas.

EXcelſo certè animo Principes eſſe par eſt, ad grandia proponenda, atque pa- C tranda. Nam qui ejuſmodi res cogitant, duce pietate, atque juſtitia, & famam, & opes, & imperium amplificant. Horum mos nobiliſſimus eſt, honeſtum, non quà eſt honoribus, & opulentia conveſtitum, ſed quà per ſe lucet, intueri, perſequi, & cum jactura quoque aliorum bonorum exquirere. Virtus hæc grandia molitur, mediocria non curat, & aliarum virtutum conatus perficit, ad excelſa in quovis honeſti genere tentanda, & abſolvenda.

CAPUT XIII.

Magnificentia.

D DEcet Principes magnificentia, cujus eſt pietatis, & communis boni gratia, impenſis minimè parcere, animumque ad templa, cœnobia, xenodochia, academias, & collegia erigenda, & amplius redditibus alenda excelsè afficere. Hæc publicorum ædificiorum, viarum, pontium, aquæductuum curam ſuggerit, excogitatque multa, quæ ad Reipublicæ uſum, ornamentumque pertineant.

CAPUT XIV.

Miſericordia.

MIſericordia, quâ univerſa Dei opera mirificè exornantur, propria Principum, & ſanè laudatiſſima virtus eſt. Neque ad rem hanc confirmandam alio utar argumento, quàm voce populi acclamantis E Principi, quem ad pauperes ſolandos, & fovendos novit eſſe propenſum. Hæc certè virtus regii diadematis ſplendor eſt: claritaſque inſignis Rempublicam honeſtat, dum Principis aula benignè inopes excipit, lætoſque dimittit. Quo in genere egentes conſanguineos cæteris anteferre, ordo divinæ charitati, ac miſericordiæ conſentaneus eſt.

* * *

PARS TERTIA.

Vitia, quæ à Principibus præſertim vitanda ſunt. F

CAPUT I.

Obſervatio.

NEminem certè fugit, Principum vitam defœcatiſſimam eſſe oportere, ut ſalus Reipublicæ tuta conſiſtat. Nimirum illorum vitia à populo concipiuntur, & infauſto eduntur partu, quo nihil calamitoſius. Ii ergo Principes, qui inculpatè imperare, bonumque commune tueri cupiunt, ſolerter caveant incitamenta vitiorum, ne quid impurum ſe in animum inſinuet. Quòd ſi (quæ ſors mortalium eſt) quandoque labantur, G vigilantiſſimè ſe contineant, ne quid niſi candidum, & ſanctum populus eis creditus ſuſpicetur: neque enim ſimulatio hæc hypocriſi vertitur, ſed officio. Poſſent quidem viri ſapientes ex iis, quæ breviter de virtutibus prompſimus, vitia declinanda proſpicere: at nonnulla graviora ſubtexere operæ pretium erit.

CAPUT II.

Superbia.

PAtitur neſcio quid mortalis conditio, ut in celſitudinem Principatus evecta obliviſcatur ſui, & in quamdam confictæ divinitatis ſimilitudinem, imperii, ac potentiæ H pennis efferatur. Ægritudo hæreditaria eſt, cujus remedium Chriſtiana diſciplina paratur. Hanc Chriſtiani Principes ediſcant humanæ fragilitatis memores. Comprimant feroces animos Chriſti manſuetudine, Divinamque Majeſtatem expaveſcant. Meminerint potentiſſimi regis Nabuchodonoſor, qui cum die quadam in aula ſua quàm ampliſſi-

Scrip. An. 1612.

Dan. 4. 27. 28.

pliſſima deambularet, ſuperbia tumidus, urbem circumſpiciens, in hæc verba prorupit: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Meminerint hæc, caveantque ne vox è cœlo feratur: *Tibi dicitur, Nabuchodonoſor, Regnum tranſibit à te &c.* Opportuniſſimum Principibus conſilium eſto, Majorem A Numinis potentiam crebrò cogitare: nam quemadmodum animus minora pertractans extollitur, quòd ſe illis prælatum cernat; ita majorem potentiam attentè contemplans demittitur, quòd eam capiti incumbentem, & quaſi minantem ſuſpiciat.

CAPUT III.

Adulatorum conniventia.

ANtiquiſſimum certè vitium adulationis jampridem in aulas Principum irrepſit. Patitur quippe mortalium Principum animus neſcio quid tenerum ac molle, quod hæret blandè, dum laudatur, tametſi ea B ſe laude carere perſpiciat. Faxit divina bonitas, ut à Principum Chriſtianorum animis cujuslibet aſſentationis aſſenſus longe abſit, & veritatem ardentiſſimè ament. Avertant, precor, aures caſtas ab hujuſmodi blandimentis: adulatores eliminent.

CAPUT IV.

Avaritia.

TUrpe ſanè vitium avaritia eſt, quod Principes Chriſtianos præſertim dedecet: neque ſatis exprimi poteſt, quàm longè populi animos abſterreat. Credit certè populus, nihil ſe boni ſperare poſſe ab eo Principe, qui ad congerendas divitias, inoC pumque proinde ſanguinem exorbendum proclivis eſt. Abſit ergo à Principibus, quos liberales, ac miſericordes eſſe oportet, nota hæc, quæ nullis artibus valet expungi.

CAPUT V.

Prodigalitas.

MEdium tenet virtus liberalitatis: avaritia, & prodigalitas in extrema feruntur. Acciditque nonnumquam, ut Princeps, qui fugit avaritiam, ſupervacaneis ſumptibus prodigalitatem incurrat. Quapropter ſit Princeps æquus redditutuum ſuorum D æſtimator, pius, & liberalis expenſor.

CAPUT VI.

Ambitio amplioris Principatus.

PRincipes, quem latioris imperii infeſtat ambitio, & ſibi animi tranquillitatem adimit, & rem cæteris Principibus invidioſam attentat; quod viris ſapientibus, quibus hæc traduntur, compertiſſimum eſt. Qua enim ratione animo pacato quieſcet, quem amplioris dominii libido contorquet? Bene ſcripſit ille:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis: Iuv. Sat. 10.
Æſtuat infœlix anguſto limite mundi.

At Principes Chriſtiani, quorum animis pietas altè inſedit, non ita torquentur. E

CAPUT VII.

Tyrannis.

VIctorum aliorum ſeriem longam contexere ſupervacaneum videtur, ſi Princeps tyrannidem operit. Cum enim eo nomine inviſo ſignificemus horrendum monſtrum, quod ſpreta regni ſalute, curam in ſe omnem reflectit; ſat erit Principes admonere, ut è contrario curam in commune bonum ſtudioſiſſimè conferant: & ubi propria bona cum communibus pugnant, aſpernentur ingenuè ſua, & Reipublicæ fidiſſimè proſpiciant. F Hæc una compendiaria admonitio, tota inſtructio boni Principis eſt.

PRÆFATIO

IN PSALMUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM.

POſtquam doctrina politica Principibus compendio tradita eſt, æquum videtur, boni Principis formam in Scriptura Sacra Pſalmo ſeptuageſimo primo expreſſam ſubtexere; ut exemplar ſuum Chriſtum, ſupremum videlicet Regem, caſtis oculis Chriſtiani Principes intueantur, & certatim imitentur: quemadmodum Rex ille, qui pſalmum prophetico ſpiritu afflatus conſcripſit, egiſſe creditur, ad Iſraelis regnum florentiſſimum ex lege temperandum G *ac proſperandum. Canitur hic juſtitia, pax, opulentia, victoria, multiplexque regni gloria, quæ bonos Principes ad obſervationem, & imitationem alliciat.*

EXPLANATIO

IN PSALMUM SEPTUAGESIMUM PRIMUM.

℣. 1. Deus judicium tuum regi da: & juſtitiam tuam filio regis. H

PSalmo huic præfigitur hic titulus: *Pſalmus in Salomonem:* in eum ſcilicet Salomonem, qui debellatis humani generis hoſtibus, pacem animis invexit: nam & de Meſſia Doctores Hebræi titulum interpretati ſunt; neque enim fœlicitas, & opulentia, quæ in Pſalmo eleganter exprimitur, Salomoni illi, cujus gloria demum extincta eſt, poſſit aſcribi, quemadmodum è con-

Scrip. An. 1612.

Salomon quis?

è contextu, & interpretamento liquebit. Tantumdem ergo dicas, *Pſalmus in Salomonem*: ac ſi planiùs in hunc modum efferres: Pſalmus collimatus, directuſve in regem Salomonem, hoc eſt, pacificum: qui videlicet, domitis, ac profligatis humanæ ſalutis acerrimis impugnatoribus, pacem ſuaviſſimam votis immenſis expetitam in animos afflictos induxit. Hoc optavit impenſè Rex ille invictiſſimus David bellis gerendis aſſuetus, & natalis Chriſti cupidiſſimus: quaſi liquidò per hoc ipſum teſtaretur, regnum illud ſuum, quamvis inter mortales florentiſſimum, debere tandem loco excidere, ut regnum Chriſti, non ferro, ſed manſuetudine armatum, terrarum orbem ſubjugaret. Erupit ergo affectus impotens in hæc verba: *Deus judicium tuum regi da*: hoc eſt: Æterne Pater, rerum conditor, & moderator, animadverto, orbem hunc noſtrum funeſtis caſibus obnoxium, variis conſiliis perturbatum, nequire pace diuturna, & optata fœlicitate fortunari, donec Unigenitus tuus, pacificus nempe rex, è ſublimi throno, ubi tecum res univerſas moderatur, ad mortalitatem noſtram delapſus, cauſas inter homines controverſas dirimat, proterviam comprimat, injuriam propulſet, animorum perturbationem ſedet, omniaque pro tribunali dijudicet. Da ergo, age jam, defer precor, judicium tuum Regi Filio tuo. Præſta, oro, juſtitiæ munus Filio Regis, Filio videlicet tuo, qui Rex immortalis, ac ſempiternus es. Dicat jus, ſanctè pronunciet, ac inculpatè Rempublicam adminiſtret.

A

B

℣. 2. Judicare populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.

C

EXplanat Pſalmographus quod verſu primo expetiverat, tamquam ſi rogatus; cur tantopere efferbuiſſet votis, & Chriſtum regem optaſſet, reſponderet. Optavi equidem è cœleſti throno quantocyus in terrarum orbem deſcenderet, ut exerceret partes omnes juſtitiæ, quæ inter mortales neglecta, vel proculcata jacet, ut ſcilicet jus diceret populo, redderetque cuique quod ſuum eſt, quod eſt proprium juſtitiæ ingenium: & ut inopes, qui à potentioribus ſolent in judicio per nefas opprimi, rex æquus protegeret, atque à violenta irruptione opprimentium eriperet. Quod Chriſtus inviſibili quodam judicio animas à Dæmonum unguibus eripiens, viſibili quoque, dum inopes per Eccleſiæ judices à criminationibus, & injuſtis vexationibus eximit, crebrò efficit, in ſupremo judicio id perfectiſſimè expleturus.

D

℣. 3. Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.

E

Montis colliſque diſcrimen.

MEtaphora pulcherrima eſt à corporatis montibus, & collibus anno fœcundiſſimo vernantibus, herbaſque ſalubres producentibus. Perſimilis quippe fœcunditas à divino Vate, tranſlato ſermone, deſcribitur, in regno Chriſti inſtar montis excelſo, pacis ac juſtitiæ tum internæ, tum externæ feraciſſimo. Diſcrimen verò inter montes, & colles, loca videlicet editiora, & minus edita, meritò expendendum eſt: quemadmodum enim in opificio naturæ, infimus hic terræ globus, variò partium ſuarum poſitu, ad decorem, hominumque uſum diſtinguitur; ita Reſpublica diſtinctis ordinibus, & functionibus mira concinnitate diſcernitur. Profectò in orbe terrarum, ſive mox ut creatus eſt, ſive paulò poſt, ubi imperatum eſt aquis, confluerent in locum unum; ſic Deus molem hanc architectatus eſt, ut montes in ſublime, quaſi caput attolleret; quibus colles minùs elatos, ac denique devexa, & plana terræ loca ſuppoſuit, ut è verticibus montium, & collium coronis, aquarum rivi terram fœcundaturi decurrerent. Hæc eſt imago quædam graphicè picta Reipublicæ Chriſtianæ, quæ regis ſui Salomonis, hoc eſt, Chriſti ſapientia, ordine certè miro, in gradus, ac partes diſcreta eſt, ut pars una in alteram influeret, & vitalis quidam ſpiritus à capite ortus membra omnia permearet. Et in Eccleſiaſtica quidem Hierarchia, montibus Pontifices Summi, collibus cæteri antiſtites, locis planioribus populus Chriſtianus ſacra ſuſcipiens appoſitè notatur. In Republica verò ſæculari, Principes ſatis aptè montibus, proceres ab eis, urbibus, ac tribunalibus præfecti collibus, populi planis terræ locis concinna varietate reſpondent. Dum ergo divinus vates ſic precatur. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam*: idem eſt, ac precaretur: Summe Deus, enixè poſtulo, ut Rerumpublicarum Principes edocti juſtitiam Unigeniti tui, pacem è cælo lapſam accipiant, in populum idonea gubernatione derivandam. Poſco etiam, ut rectores urbium, judiceſque ad tribunalia deſignati, à Principibus admoniti, atque animati juſtitiæ cultum ediſcant, & jus populi intemeratè dicere aſſueſcant.

F

Montes, & colles, eorumque allegorica ſignificatio.

G

℣. 4. Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

H

MIrum eſt, quàm ſæpè protectionem pauperum inculcet. Conjectandum proculdubiò, inopes Chriſto Regi maximo cordi eſſe, quæ piiſſima Principum eruditio eſt. Propheta ergo fauſta nunciat, dum vaticinatur

natur fore, ut in regno Chriſti, indigi, ac derelicti homines, tametſi cum potentiſſimis in judicio confligant, cauſa minimè cadant. Et quidem Chriſtus ipſe exercuit judicium mirum pro pauperibus, hoc eſt, hominibus divinæ gratiæ opulentia carentibus: quos non ex operibus juſtitiæ, ſed gratis ſalvos fecit, dum copioſa redemptione oblata ſempiterno Patri ſuo, A Satanam humani generis diriſſimum hoſtem, calumniatoremque repreſſit. Verùm Vatis animus procurrit ulteriùs; ſenſit enim æquos judices Chriſtianos, veros Chriſti imitatores, eo ipſo, in litibus dirimendis, peculiarem inopum curam geſturos, quòd eos egeſtate ſqualere conſpiciant. Non ſanè, quòd eos egeſtate ſqualere conſpiciant. Non ſanè, quòd in judicio, inopum gratia jus violandum ſit: ſed quòd inopia ipſa, divitum, ac potentium viribus comparata, pios, ac rectos judices excitet ad cauſas perſpicaciùs explorandas, nè fortè oblivioni tradatur, aut habeatur neglectui inopis cauſa, quem faſtus nullus, nulla remunerationis ſpes, lucrumve commendat. Sic Job, cum capite B vigeſimo nono dixiſſet: *Pater eram pauperum*, adjecit mox: *Et cauſam, quam, neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam.* In hunc ergo ſenſum Vates divinus enunciat: *Judicabit pauperes populi &c.* quaſi liquidò ſic proferret: Tribunal Chriſtianum longè aliud erit ab eo, quod à divinæ lucis expertibus nefariè uſurpatum eſt. Apud judices quippe mortales, qui leges divinas, æternam mercedem, ac ultionem ignorant, qui potentia excellunt, potiores exiſtimantur, & impotentibus præferuntur: at juſtitia, quam rex à me flagitatus in ampliſſimo regno ſuo ſtabiliet, adeò afficiet judicum animos, ut à recto, nulla prece, vi, pretiove deflectant. Verba igitur textus ſic explananda ſunt: *Judicabit pauperes populi:* hoc eſt ju- C dicium gratia inopum, ac derelictorum exercebit, ne jure ſuo expolientur: *Salvos faciet filios pauperum:* id eſt, non quovis modo inopes tuebitur, ſed eorum quoque liberos protegendos ſuſcipiet: *Humiliabit calumniatorem:* hoc eſt, calumniatores ſynechdogicè, ſingulari numero accepto pro plurali, falſos nempe delatores, qui afflictis audent inferre calumniam, quod utinam judices univerſi perpendant.

Cauſæ pauperum defendendæ.

Verſ. 16.

℣. 5. Et permanebit cum ſole, & ante lunam: in generatione, & generationem.

D PErgit Regius Pſaltes fauſta nuntia vulgare: cujus ſenſus eſt, non timendum, quod ſuperveniens poſterior judex acta Chriſti reſcindat; quemadmodum inter mortales fieri conſuevit, ut priorum judicum, aut prætorum facta poſteriores, ob nimiam crudelitatem, aut juris corruptelam, aboleant. Profectò minimè verendum: nam quem Chriſtus abſolverit, tutiſſimus erit, ac ſempiterna libertate gaudebit. Sic ergo textus exponendus eſt: *Et permanebit cum ſole, & ante lunam:* quaſi Vates diceret: Rex, quem exopto, ac poſtulo, nullum ſucceſſorem patietur: nemoque judicio ipſius à tormentis exemptus adverſam vim formidabit, cum Regem æternum, ac tutelarem immortalem nactus ſit. E Permanebit quippe *cum ſole:* hoc eſt, coram ſole (Græcè ἐναντίον) & *ante lunam:* id eſt, in conſpectu lunæ, tanquam diceret: Quamdiù ſolis, & lunæ facies ſeipſam oſtentabit, tamdiù perſtabit rex, quem expeto, ac imploro, ejuſque tribunal pauperibus propitium, quod nulla poteſtas adverſa deturbavit. Veriſſimum eſt ſanè Vatis aſſertum, cum ævo ſempiterno Chriſtus permanſurus ſit. Quòd ſi verba textus de temporis excurſu, qui uſque ad judicii diem porrigitur, accipiantur, ut commodè poſſunt, ſenſus, eſt, Chriſtus in boni, æquique judicis officio, quod in Eccleſiæ regno per Chriſtianos judices exercet, perduraturum, quamdiu ſol, ac luna, alterna diei, ac noctis viciſſitudine orbi noſtro prælucebunt. F

℣. 6. Deſcendet ſicut pluvia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

SImilitudo hæc, à campis imbrem ſitientibus, & velut ore diducto poſtulantibus, petita, in rem à Propheta prædictam, & exoptatam mirificè convenit. Terra videlicet, niſi cœli clementia humectetur, ac fœcundetur, in pulverem diſſipatur: neque pecoribus pabula, neque hominibus fruges arefacta producit. Quocirca ubi aruit, & in rimas diffinditur, in cœlum hiare, & velut ſuſpiria trahere ad clementiam implorandam, G eleganter dicitur: quemadmodum Vates ipſe alibi ſignificavit uſus hac metaphora, ut animum ad æterna ſuſpirantem exprimeret, per hæc verba: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Poſtquam ergo Propheta Chriſti juſtitiam uberrimam prædixit, ut indicaret, quibus deſideriis humanum genus tanti Regis adventum expeteret, ſubtexuit hæc verba: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus &c.* Vellus hoc loco, illum quaſi terræ crinem, hoc eſt varia herbarum germina, quæ rore cœli conſperguntur, atque ſuccreſcunt, appellavit. Ejuſmodi quippe vellera, in ſolo quoque parum pingui proveniunt: at exorto ſole torrentur, & intereunt, niſi cœlum largè pluviam effundat, aut certè copioſum rorem, H quo herbarum caules humoris ſuccu pubeſcant. Qua certè naturali obſervatione in Vatis ſenſum nos ipſos inſinuare poterimus. Natura profectò humana quamquam viribus attrita, numquam adeò effœta fuit, ut virtutum ſemina in ipſa creatione impreſſa prorſus amiſerit: liberum videlicet hominis ar-

Pſal. 142. 6.

Scrip. An. 1612.

Concil. Trid. Seſ. 6. can. 5.

arbitrium attenuatum quidem, at culpa extinctum non fuit: quæ univerſorum Theologorum Catholica conſenſio eſt. Modica ergo virtute illa, virtutiſque ſemente, potuit utcumque juſtitiam colere, ut per Græcorum, ac Latinorum hiſtorias facilè patebit: Lacedæmonum nimirum juſtitia in latarum à Lycurgo legum cuſtodia, Romanorum quoque juſtitia in legum ſuarum obſervatio reſplenduit: at enim vellera herbæ exilia fuere actus illi multiplices, a ſcriptoribus profanis tantopere laudati, ſi cum eo juſtitiæ cultu, quem Chriſtus in Eccleſiæ regno inſtituit, comparentur. Cujus diſcriminis ratio theologica eſt, quòd juſtitiæ noſtræ auctor deſcenſu ſuo, velut largo imbre, humani generis terram perfuderit, & naturales virtutum propenſiones inſtar herbæ enaſcentes, divinæ gratiæ munere perfecerit, viribus novis, quas natura proferre nequibat, cœleſti dono additis, ad juſtitiam Chriſtiano more colendam. Ex quo ſanè perſpici poteſt, quàm eſſet in votis Chriſti adventus mortalitatis noſtræ toga induendi. Hæc ergo vota porrò ardentiſſima ſignificanter admodùm exprimuntur per hæc verba: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus &c.* hoc eſt: Rex noſter Salomon tempore per æternum Senatuſconſultum decreto delabetur in hominum animos arentes, ac ſteriles, quemadmodum pluvia fluit in herbarum comas è terra exortas, ac humoris penuria languentes: ut animos fœcundet illos, & ad juſtitiam exercendam vegetiores efficiat. Quod verò additur: *Sicut ſtillicidia ſtillantia*: ejuſdem ſententiæ repetitio eſt, more poetico, ſimul & rhetorico. Subeſt interpretatio altera hujus verſus, quæ ad rem eamdem amplificandam conducit. Alludit nempe Vates ad vellus Gedeonis, quod cœleſtem rorem abſque ulla læſione concepit; ut ſenſus ſit, Unigenitum Dei Filium, humani generis regem optatiſſimum, illapſurum in uterum Virginis intemerato pudore, ſicut ros in lanæ vellus, abſque ſectione, aut diviſione ulla deſcendit. Explanatio hæc planè piiſſima eſt, & Eccleſiæ ipſius ſenſu confirmata per hæc verba: *Sicut pluvia in vellus deſcendiſti*. Confert autem ad rem eamdem, uti diximus. In hoc quippe Dei Sapientia in Virginis utero corporata eſt, ut inde progrediens juſtitiæ regnum conderet, tantæque virtutis cultum mortalium animis imprimeret: ut ex proximo verſu liquebit.

Lacedæmonũ Romanorumque juſtitia notata.

A

B

Altera textus explicatio ex Gedeonis vellere petita.

C

℣. 7. Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

D

ECce, quo pacto vota Vatis explentur. Optarat ille, ac poſtularat, ut tandem Chriſtus rex laberetur, ſicut pluvia in vellus: & nunc attexit rationem, quæ ipſum ad id expetendum impulerat, in hæc verba: *Orietur in diebus ejus &c.* quaſi planiùs ita effaretur: Ratio, quæ me vehementer urget ad Meſſiam votis immenſis depoſcendum, juſtitiæ ubertas eſt, quam prophetico lumine proſpicio. Nimirum, cùm acceſſerit ille, & terram generis humani præſens excoluerit, mira erit juſtitiæ, & pacis ubertas. Idoneus ordo, ut juſtitia antecedat, lites componat, & jure ſuo cuique attributo, diſcordes animos conciliet: & mox exuberet pax, a qua Salomonis cognomentum exortum eſt. Hic ſubnotandum, juſtitiam, & pacem à Propheta decantatam duplicem eſſe: alteram, qua homines juſti ſunt apud Deum ſecretiſſimo divinæ gratiæ dono intus recepto, alteram velut aſpectabilem, quæ ſcilicet à Principibus Chriſtianis eccleſiaſticis, ac ſæcularibus exercetur in Republica temperanda, in legibus ſervandis, in rerum contractarum fide tuenda, qua comune bonum, & jus quoque privatorum perſtat illæſum. Quod verò ſubiicitur, *Donec auferatur luna*: idem eſt, ac diceret: Donec quieſcat luna, uſque ad ſupremam ſcilicet judicii diem, ubi Divinæ majeſtatis imperio, auferetur hæc inconſtantia, ſeu varietas per incrementa, & decrementa, lunæ. Tunc quippe quod ad Rempublicam mortalium attinet, juſtitiæ exercitium ceſſabit: at juſtitia illa interna, & pax animorum Chriſti ſanguine parta, per æternitatem abſque ullo defectu protendetur.

E

Juſtitia duplex, & quæ?

F

℣. 8. Et dominabitur à mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum.

HIC palàm fit, pſalmum hunc Salomoni vetuſto non poſſe omnino congruere: regnum quippe illius, quamvis pacatum, & opulentum; anguſtis tamen finibus circumſcriptum, non potuit hujus verſus ſenſum æquare: regnum tamen Chriſti, ut & antiquis monumentis, & recentibus conſtat exemplis, ab orientali oceano uſque ad occiduum procurrit, ac Indos utroſque complectitur: & à flumine Jordane, ubi fons ſacri baptiſmatis conſecratus eſt, ad extremas orbis terrarum metas, ſummæ Triadis prædicatione, & baptiſmi aqua pertingit. Et quidem hæc periphraſis, qua regius Vates ampliſſimum Chriſti regnum deſcribit, non ad animorum tantùm imperium, quod Chriſtus exercet, referenda eſt; verùm ad externam quoque gubernationem Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum Chriſto parentium, referenda eſt; quorum juriſdictio illuc uſque procurrit. Patet nimirum, Indos orientales, & occidentales, qui Chriſto nomen dederunt, & à Summis Pontificibus, & à Catholicis regi-

G

H

regibus inter Eccleſiæ alumnos, ſubditoſque ſuos recenſeri. Ex quo certè conſpicimus, vaticinium hoc verſu proditum, hiſce quoque diebus expleri. Qua in re oculatè animadvertendum eſt, Prophetam verſui proximo, quo juſtitiam, paciſque abundantiam decantavit, ſubieciſſe hunc, quo latiſſimum depingit imperium: quaſi manifeſtiùs oſtenA deret, regna quælibet juſtitiæ cultu, paciſque ſtudio non modò tuta conſiſtere, ſed fœliciùs amplificari: quod memoriæ Chriſtianorum Principum inſculpendum eſt.

℣. 9. Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent.

ÆThiopum nomine non proprios dumtaxat Æthiopes, ſed univerſè locorum arentium, & ſqualentium incolas remotiſſimos, ac incognitos ſignificat, quos vaticinatur florentiſſimo Chriſti regno collum ſubdituros: ut præter argumenta totius antiquitatis, ætas noſtra pervincit. Sa B nè præter catholicæ fidei ſemina, quæ India utraque concepit, ſi de propriis Æthiopibus ſermo fiat, ætate noſtra vulgatiſſimum eſt, Guineos, quos Æthiopes Heſperios ſcriptores antiqui appellarunt, legationes plures inſtituiſſe, quibus ad fidem acceptam religioſiùs colendam, à Summis Pontificibus impenſè auxilium poſtularunt. Quòd verò ſubjungitur: *Et inimici ejus terram lingent* ejuſdem ſententiæ amplificatio eſt: homines quippe barbari ab orbe noſtro longè diſſiti prædicuntur ea animi demiſſione adoraturi, ut terram in venerationis ſignum oſculentur, quod & hiſtoricè verum eſt. Jam autem ex hac pereleganti ſubjectionis deſcriptione duci poteſt argumentum, ad juſtitiæ culturam Chriſtianis Principibus ef C ficaciùs perſuadendam. Si enim juſtitiæ cultui ſe totos dedere, & pacis bonum promovere ſtuduerint, & ampliorem principatum nanciſcentur, & populos feroces, Chriſtiana diſciplina lenitos, vectigales, ac ſervituti ſpontaneæ addictiſſimos habebunt.

℣. 10. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.

SUmmæ inter mortales fœlicitatis argumentum exiſtimatur, regem aliquem non modò peramplo, & pacato regno po D tiri, verùm reges tributarios ultro munera ferentes habere. Et ſanè nihil ſublimius mortales futurorum bonorum ignari expetere norunt, aut exquirere. Profectò, quod ad Chriſti regnum ſpectat, exploratum eſt, reges Tharſis, hoc eſt, maris, qui videlicet mari imperitarunt, & Inſularum dynaſtas, ſponte ad fidem Catholicam conceſſiſſe, & muneribus multis templa Chriſtiano ritu conſecrata exornaſſe: ut præteream trium regum Magorum adorationem, ſacramque munerum oblationem ab Eccleſia, pia hujus verſus interpretatione, ſolemni apparatu celebrari ſolitam. Quod verò Pſaltes ait: *Reges Arabum, & Saba*; ad rem eamdem peculiari quadam obſervatione facit, propter E Arabum aromata, & thus præſertim Sabæorum, quod ad divinæ Majeſtatis venerationem adoletur, præterquam quòd reges Sabæi, & Arabes in Chriſtum credituri notantur: quod olim rei exitus comprobavit. Omnia ergo Propheta complexus eſt, mare ſub nomine Tharſis, Inſulas expreſſo nomine, continentem Saba, & Arabiæ nomine, ut per ſynecdogem, univerſam terræ molem intelligas. Undique videlicet prodiere, qui Chriſti divinitatem, regnum, & Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam religioſè profiterentur. Ex quo traditæ doctrinæ non modica acceſſio fit, qua juſtitiæ cultus commendatur: hinc enim effici ſolet, ut Principes, qui in Republica juſtitiæ intenſiſſimè vacant, Principes alios vectigales habeant, quorum opibus ſponte oblatis, vel F in tributum repenſis, propria regna condecorant, atque communiunt.

℣. 11. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſervient ei.

SEnſus verſiculi hujus adeò propriè Chriſto, ejuſque regno congruit, ut Salomoni non poſſit adaptari: patet quippe ex univerſo terrarum orbe reges, ac gentes per temporum diſcrimina Chriſtum colere, & culturas eſſe: quod Salomoni minimè quadrat. Non eſt autem cur in hujus verſus expoſitione immoremur, cùm explana G torum verſuum rhetorica quædam amplificatio ſit, ad affectum excitandum, & Chriſti laudes celebrandas.

℣. 12. Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erat adjutor.

VErſus hic nova interpretatione non eget, ſed obſervatione. Quotidie quippe Chriſtus animorum imperio inopes, hoc eſt, peccatores à potente, ſive tyranno dæmone eripit, & in Eccleſia recti judices derelictos homines à locupletibus, & vio H lentis æquo judicio liberare, conſueſcunt. Videtur certè Vates divinus pauperum ſtudioſiſſimus, dum eorum auxilia tam ſæpe commemorat: quod & ſuperiùs annotavimus, & verſu proximo mirificè confirmatur.

Scrip. An. 1612.

ŷ. 13. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet.

FAmiliare eſt iis, quos vehemens urget affectus, rem eamdem multifariam deſcribere ad ſenſus exaggerationem. Hic autem verſus, ut & alii in pſalmo hoc, de peccatorum remiſſione, ac ſempiterna ſalute præſertim intelligendi. Parcit Chriſtus dum crimina relaxat, & animum expiat: ſalvas facit animas, dum à preſſura mortis, tartarique faucibus eripit, & victrices in cœleſtem patriam introducit. Simile quiddam in Eccleſia cernitur, dum Principes pauperibus debita condonant, & vitam in diſcrimen adductam, à potentiorum manibus præſervant: quod ſe pro munere, quod gerebat, Job egiſſe teſtatur in hæc verba: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

Cap. 29. 17.

ŷ. 14. Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

NON videtur Propheta à pauperum favoribus celebrandis poſſe divelli. Hìc apertè commemorat iniquitatem, ſive injuſtitiam, qua opprimuntur, quod bifariam exponitur. Nimirum dæmon injuſtus exactor, iniquè divexat afflictos animos, & uſuras multiplices, hoc eſt, lucra ſua, importuna infeſtatione extorquere pertentat: Chriſtus verò, uti verus humani generis redemptor dæmonis impetum frangit, & oppugnatos homines, natura inopes, in libertatem vindicant. Unde liquet: *Eſſe honorabile nomen eorum coram illo:* honorabile ἐν ιμον, id eſt, pretioſum, magno ſcilicet ſanguinis ejus pretio comparatum. Expoſitio altera ad viſibile Eccleſiæ regnum, & Chriſtianæ juſtitiæ exercitium pertinet: per hanc quippe virtutem homines egeſtate conſumpti, non modò ab uſuris, ſed ab iniqua exactione qualibet, ut cives, ac patritii civitatis Dei à piis, juſtiſque Principibus illæſo jure ſervantur.

ŷ. 15. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.

PRædicit Pſaltes regius hoc verſu immortalem Chriſti à mortuis reſurgentis vitam; hoc enim ſibi volunt ea verba: *Et vivet:* quaſi diceret: non timendum Chriſto, pauperum tutelari, tamquam defuturæ ſint ei vires ad boni regis, ac judicis munus obeundum. Non deficient: etſi enim mortem pro generis humani ſalute perlaturus ſit: mortem tamen ipſam, qua occumbet, reſurgendo calcabit, condetque Eccleſiæ regnum, quod non evertetur, ac vivet numquam interiturus. Munduſque univerſus agnoſcet, & colet illum, ut vitæ immortalis auctorem, atque in ejus fidei profeſſionem afferent ei aurum Arabiæ, & laudes ejus pii adoratores, munerumque oblatores celebrabunt. Quod ſanè vaticinium jam pridem impletum animadvertimus. Quod verò ait Vates: *Adorabunt de ipſo:* ſcilicet auro, tantumdem eſt, ac ſi dixiſſet, cum ipſo: ſimul quippe religio, & munus fidei profitendæ deſtinatum commendatur. Adiunctum autem illud: *tota die benedicent ei:* ad perennes orientalis, & occidentalis Eccleſiæ laudes, die nocteque repetitas pertinere videtur. Duo ergo encomia Propheta conjunxit ad Chriſti regnum ſpectantia, munera videlicet, & laudes Chriſto regi ſummo jure reddendas. Sic ſanè qui ad Chriſti exemplar juſtè imperant, & muneribus, & laudibus augentur.

ŷ. 16. Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.

VAria eſt hujus verſus interpretatio: placet tamen duplex, altera, quæ de ubertate ſpirituali, altera, quæ de temporali traditur: ita ut elegans hæc affluentiæ ſignificatio à Propheta deſcripta univerſè de ſpirituali, internoque animi paſtu, quicumque ille ſit, & de naturali quoque tritico queat enunciari. Ubi enim juſtitia colitur, & pax à regibus Chriſtiano more ſancitur, pauperumque tutela æquo judicio ſuſcipitur, cum ſpiritualis nutrimenti tritico notati ubertate, qua Deus piorum animos, inſtar montium, virtutum incrementis adultus roborat, & florere facit, affluentia quoque annonæ, mira Dei providentia cumulatur: quod à Vate divino hyperbolicè ſignificatum eſt. Per verba nimirum illa: *Erit firmamentum &c.* idem agit, ac ſi luculentiùs in hunc modum eloqueretur: Tanta erit terræ feracitas, ut montium cacumina, quæ ſolent eſſe ſterilia, triticum abundè refundant: cujus tritici fructus *ſuperextolletur ſuper Libanum:* hoc eſt, longiùs vincet fructus alios, quàm Libanus editiſſimus mons alios montes excelſos ſuperat: cujus paſtu florebunt, hoc eſt, vegeti, hilares, & quaſi florentes incedent, qui ſunt de civitate, hoc eſt, cives Eccleſiæ, qui tantò bene valentes numero cenſebuntur, quantò cenſetur fœnum terræ, quod ubique abſque numero provenit. Porrò He-

Libani montis celſitudo notata.

Judith. 5.

He-

Hebraicus populus, ut apud barbaros quoque vulgatum fuit, dum Deum coleret, ac legem inviolatè ſervaret, temporalibus bonis à clementiſſimo Deo locupletari conſuevit: quemadmodum è contrario dum legis jugum excuteret, calamitates multiplices, ipſam ſervitutem, ac necem identidem incurrit: ut mirandum non ſit, popu- A lum Chriſtianum beneficiis majoribus obſtrictum, dum pietati ſtudet, ſecundis eventibus terra marique proſperari, dum ſceleribus fœdatur, à fidei hoſtibus cædi: quod Principum animos urgere deberet, ad Dei cultum inſtaurandum, & alendum.

℣. 17. Sit nomen ejus benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen ejus.

POſtquam regni Chriſtiani proſperitatem cœleſti lumine Propheta conſpicatus eſt; divinæ bonitatis admiratione permo- B tus, in hæc verba prorupit *Sit nomen ejus &c.* quaſi liquidiùs diceret: Aequum profectò eſt, Regis adeò liberalis, & ad beneficentiam expediti nomen, hoc eſt, famam, res geſtas, opera planè divina laudare: mortales perenniter, hac laude concertent. Neque exiſtiment, ſe regis alicuius mortalis nomen decantare: Rex quippe hic ſempiternus eſt. Hoc Propheta ſubiectis verbis evicit: *Ante ſolem permanet nomen ejus:* quorum verborum intellectus ſatis perſpicuus, ac ſyncerus eſt, Chriſtum æternum Deum eſſe. Si enim nomen ejus, id eſt, res nomine ſignificata ante ſolem permanet, hoc eſt, ante primas creaturas extitit, neceſſe profectò eſt, eum increatum, ac proinde Deum æternum eſſe. Quod Chriſti encomium, Principibus ad venerationem, ca- C ſtumque timorem propoſitum, numquam deberet ab animo diſcedere, ut eorum regna florerent.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

OMnino certum eſt, quicquid benedictionis, hoc eſt, proſperitatis, juxta uſitatam Scripturæ phraſim, mortalibus è cœlo provenit, per Chriſtum impendi: quamvis Propheta, hoc verſu, ad laudatiſſimam benedictionem Abrahæ in Chriſto D promiſſam peculiariùs videatur alludere. Rectè autem adjecta verba cohærent: *Omnes gentes magnificabunt eum:* ex quo enim Chriſti merito, gentes proſperatæ ſunt, reciproco amore ejus nomen amplificant, & jugi laude concelebrant. Et quidem verſu hoc Chriſtiani Principes erudiuntur, & admonentur, ut ii ſint, per quos fœlicitas in populum, tamquam aquæductu quodam corrivetur: ut eorum quoque pietati feratur acceptum, quicquid boni Reſpublica univerſa recepit.

℣. 18. Benedictus Dominus Deus Iſrael: qui facit mirabilia ſolus.

ACclamat Propheta Regi, cujus laudes E recenſuit. Senſus per ſe planus videtur, excepto verbo: *Solus*: quod theologicè agendo de principali, propriaque auctoritate accipiendum eſt. Patrarunt ſanè multi mira minimè pauca, ipſius adiutorio: at auctoritate propria ea mira præſtare, Dei ſolius eſt. Fortaſſe etiam Vates ſanctus Deum Iſraelis, hoc eſt, verum Deum à confictis diis diſcernere voluit argumento mirabilium operum, qualia nullum è confictis numinibus patrare potuit.

℣. 19. Et benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum: & replebitur majeſtate ejus omnis terra; fiat, fiat.

F

HÆc ſumma acclamatio eſt divino Vate digniſſima. Nimirum non ſat fuit Prophetæ, penultimo verſu Dei laudes impenſiùs optaſſe, niſi laudes æternas ultimo verſu hoc expeteret, ac poſtularet. Quod ſanè votum è prophetico lumine natum videtur: proſpexit quippe terram univerſam Chriſti Majeſtate, ſive gloria, ſive ſalute implendam, populoſque acclamaturos: *Fiat, fiat*: hoc eſt, ita contingat, ut Divinæ Majeſtatis nomen ævo ſempiterno celebretur: quapropter exarſit laudis deſiderio, & dulciſſimo epiphonemate, carmen voto concluſit; quod à Principum animis non deberet excidere.

G

PRÆFATIO

IN LIBRUM SECUNDUM.

RAtiones politicæ non paucæ, quæ congruerent aliis, viros Eccleſiaſticos minimè decent. Status quippe Eccleſiaſticus rationibus divinis innititur, quibus præſertim regendus eſt, ut ex ejus inſtitutione, ac ſanctorum præſulum exemplis evincitur. Quin etiam Eccleſiæ forma aſpectabilis, mira concinnitate partium cœleſti conſilio mutuò cohærentium, & harmonico hierarchicorum actuum ordine diſ- H *poſita, facilè demonſtrat, mortalium conſilia, atque conatus, tantæ celſitudini palàm impares eſſe. Quæ non ideo dicta, quòd acquiſitæ prudentiæ in eo regimine locus non pateat: ſed quòd prudentia illa divinis rationibus debeat mitiſſimè ſubiici, & multa pietate conveſtiri, ut nihil niſi pium, ac ſanctum emineat. Quocirca hæc pauca præfari viſum eſt, ut Eccleſia-*

Scrip. An. 1612.

ſtiaſtici viri ſtatum proprium explorent, & animum ad genus doctrinæ temperatæ coaptent. Etenim, quæ hoc ſecundo libro ſubiicio, perpauca ſunt: & ea quidem, non tamquam præjudicata conſilia, ſed quaſi monita ad memoriæ adminiculum Principibus Eccleſiaſticis oblata, eorumque judicio credita. A *Quod prudens lector animadvertat.*

LIBER SECUNDUS

De Principibus Eccleſiaſticis.

PARS PRIMA.

De virorum Eccleſiaſticorum perfectione.

CAPUT I.

B *Eccleſiaſticus ſtatus expenditur.*

DEcet profectò viros Eccleſiaſticos mira vitæ puritate nitere. Is quippe ſtatus eſt, in quem cœleſti munere cooptantur; ut ab omni fœditate procul abſiſtere ſummo jure debeant, ſive politicos mores, ſive divinos obſervent. Dan. 1. 4. Politicè quidem egit Rex ille Babylonis, dum imperavit Aſphenez eunuchorum præpoſito, introduceret de ſemine regio *Pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio Regis.* Senſit ita decere Nabuchodonoſor homo certè ferus, at imperatoriæ majeſtatis non ſtupidus expenſor. Et ne quid C obſtaret juſſioni: Dan. 1. 4. *Conſtituit eis Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis.* Quales ergo Eccleſiaſticus qualis eſſe debeat? eſſe deceat viros à Divina Majeſtate ad aulam ſuam ampliſſimam, Eccleſiam videlicet exornandam accerſitos, quàm ingenuos juſtitiæ ſplendore, quàm decoros actu, quàm inſignes ſapientia, quàm prudentes conſilio, quàm egregiè variis diſciplinis excultos? Etenim deforme nimis monſtrum foret, vel à mortalibus regibus, rudes, obſcuros, invenuſtos homines ad intimas ædes admitti: neque enim tam anguſtæ dignitati congruere poteſt, niſi primus, ac pulcherrimus patritiorum flos. Antiquorum Theologorum opinio. Antiquiſſimi Theologi è cœleſti beatorum ſpirituum hierarchia, ſupremos illos, quos ab incendio Seraphim appellarunt, in quodam velut divinitatis veſtibulo D poſuere: ut ii Deo proximi aſſiſtere crederentur, qui eſſent omnium perfectiſſimi, & in verticem quemdam editiſſimum caput efferrent. Simile quiddam de ſupremo Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordine credendum, tametſi ordines alii ſapientiſſimè diſpoſiti, aliis quoque Angelicis choris mira concinnitate reſpondeant. Hæc Eccleſiaſticorum integritas, & ſublimitas eſt: tam longè à rerum infirmarum, ne dicam turpium vilitate recedendum. Et ne quis excuſationem obtendat, patrimonium Chriſti, quod in uſus vanos, aut profanos impendere culpa gravis cenſetur, in annonam clero decretum eſt: ut curis aliis ablegatis, ſtatus Eccleſiaſticus in unum Dei cultum E perſeveranter incumbat. Hæc eſt Eccleſiaſtici ſtatus æſtimatio.

CAPUT II.

Quàm ſit è Republica virorum Eccleſiaſticorum integritas.

UT corpus ab anima ita in regno Eccleſiæ, ſtatus ſæcularis ab Eccleſiaſtico vim quamdam vitalem haurit, qua in cœleſte regnum abſque defectione contendat. Quod non ad Sacramentorum miniſterium, verbique divini paſtum modò, ſed ad inculpatæ vitæ exemplum proculdubiò referendum. Habet quippe Eccleſiaſticorum integritas F vivam quamdam energiam ad populum piis motibus perurgendum, ut & flagitioſi abjurata vitæ licentia reſipiſcant, & pii, dum eis exempli calcar additur, cœptum pietatis curſum auctiore ſtrenuitate conficiant. E contrario verò, ſat exprimi Chriſti vitia, quam exitioſa? nequit, quàm graviter ſaluti officiant Cleri vitia, quæ ſerpunt in populum ſeſe eo nomine excuſantem, quòd facilè ignoſcendum ſit vulgo iis in erratis, quæ ſanctior ſtatus incurrit. Ergo Cleri probitas populi antidotum, improbitas venenum eſt. Senſit Paulus exempli mali vim ſanè validiſſimam, quæ coactionis genus poſſit nuncupari, ut patet ex illo: Gal. 2. 14. *Quomodo Gentes cogis Judaizare?* Carpſit Petrum, quòd ne Judæorum nuper converſorum animos tenellos G commoveret, ad cæremonias, rituſve Judaicos tunc ſanè licitos nimium foret intentus: ex quo Ethnici non ſatis capientes, qua mente id à Petro fieret, in errorem induci poſſent: oportere videlicet ad ſalutem, Moſaicas cæremonias cum recens orta Chriſti lege connectere. Ecce actus illos, quos parum oculatè Petrus obibat, coactionis genus Paulus interpretatus eſt, quod cederent in exemplum, quod Eccleſiæ naſcenti poſſet obeſſe. Ecquid ergo, ſi Paulus fœdum aliquid aſpexiſſet?

CAPUT III.

Quæ rationes urgeant virum Eccleſiaſticum ad vitæ perfectionem exquirendam.

H PRincipio Clerus urget: nam quos Chriſtus in Clerum, hoc eſt, ſortem coaptat ſuam, oportet eſſe Chriſto ſimillimos. Exemptum à mundi ſervitute genus eſt, & rebus divinis addictum: animumque proinde gerat cœleſtibus deſideriis erectum, & à concretione carnis longè actum porrò par eſt. Mox officii divini crebritas ſubit, cui qui aſſueſcunt, Angelicos mores deberent expri-

Scrip. An. 1612.

Eccleſiaſtici, eorumque obligatio ad perfectionem tendendi.

A

exprimere, mortalium vitia, ignaviamque pertæſi. Prodigioſum quippe videtur, officio perfungi divino, quem vitia nimis humana, vel certè profana deformant. Succedit ordo ſacer, annexumque caſtimoniæ votum, quod candidam arguit vitam, quæ labem reſpuat omnem, ut nihil in corpore ſordeat, quo animus fœdetur. Accedit ſacrificium incruentum, cui puritas ſumma debetur, quod rei dignitas, qua ne cogitari poſſit major, evincit. Quod ſi Sacerdos ad prælationem evehatur, perſpicuum eſt, arcto perfectionis vinculo necti, ut alios, quibus præficitur, hierarchicis actibus perficiat. En, quam defœcatè agendum Eccleſiaſticis, ut ſtatui congruant, & ſancta decorè pertractent. Hinc efficitur, ut Cleri culpæ turpiores ſint, pejuſque noceant, velut exitialia tela, quæ populo dæmon intorquet. Ergo inculpatæ vitæ impensè vacandum eſt.

CAPUT IV.

B

Ecquid ſit, virum eſſe perfectum?

S. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1. & 2. 2. q. 84. ar. 9.

Viri perfecti effigies, quæ?

C

D

PErfectionem vitæ in charitate divina Patres poſuere, tres in ea gradus, ſive ſtatus diſtinguentes: vitæ incipientis, proficientis, atque perfectæ, quarum prima in vitiis convellendis, ſecunda in parandis virtutibus, tertia in amoris divini partibus explendis potiſſimum verſatur. Quocirca perfectus is erit, qui expugnatis vitiis, virtutibuſque partis, ad juſtam charitatis menſuram adoleverit, qua & Deo propter divinam ipſius bonitatem, & proximo propter Deum arctè ſocietur, poſſitque ea de cauſa mala ingruentia conſtanter ferre, & in arrepto voto perſiſtere. Hæc viri perfecti effigies. Nemo ergo ſibi blandiatur, & perfectionem vitæ novam confingat: niſi enim vitia expungat, virtutes acquirat, & charitatis bipartitum munus in Deum, ac in proximum generosè obeat, nequit eſſe perfectus. Et quidem hæc perfectæ vitæ deſcriptio timorem incutit viris quoque fortiſſimis, ne prælationibus, niſi imperio coacti, humeros ſupponant, quos oportet, ne ſuccumbant, eſſe firmiſſimos. Et ſanè præter eam vitæ integritatem, prudentia, doctrinaque ad functiones ſacras minimè vulgaris exigitur: nam, ut cætera ſileamus, Sacramentorum miniſterium, & prælatio diſciplinam inſignem, & conſilium exquirunt, quæ cum vitæ probitate coaleſcant: ut is perfectus Eccleſiaſticus ſit, quem vitæ ſanctitas, prudentiæ canicies, & peritia multa commendat.

CAPUT V.

Quanti à Deo fiat Eccleſiaſticorum perfectio.

E

F

DIci nequit, quàm ſit accepta Deo virorum eccleſiaſticorum integritas. Ratio rem aſtruit: ſelegit quippe ejuſmodi viros, tamquam divinæ bonitatis ſulcos, per quos in Eccleſiæ areas, multis ordinibus ad culturam diſcretas, & gratiam, & ſapientiam derivare. Quapropter ſi ii ſint, quos eſſe decet, bonitas divina, quaſi beneficentiæ ſuæ opportunam occaſionem nacta, illos in primis liberaliter habet, atque fœcundat, ut alios inſtruere, corrigere, & in cæleſtium divitiarum conſortium accire queant. Fons nimirum ille puriſſimus in Eccleſiaſticos viros, ut in crateres ſibi proximos primùm influit, ſtatimque per illos Eccleſiæ arva perfundit: quod Clerus olim non ita numeroſus, & nunc alicubi bene cultus, & in populi ſalutem intentus omnino pervincit. Poſſent huc intexi multa priſcorum Epiſcoporum exempla, & Sacerdotum, qui ſub iis præſulibus pietate claruere: quos Chriſtus velut in deliciis habuit, implevitque ſpiritu ſapientiæ, & intellectus. At res comperta eſt, neque ambigendum, eos viros à Deo plurimi factos, quos tot, tamque eximiis muneribus auxit, & quaſi cœleſtia quædam lumina conſtituit, quæ ignorantiæ tenebras ſuo ſplendore diſpellerent.

CAPUT VI.

Quid agendum Eccleſiaſticis, ut perfecti evadant.

G

H

AEſtimanda primùm perfectio eſt: ægrè quippe quis conatur, quod non magni pendit. Aurum apud ultimos Indos terra permiſtum Europæos mercatores excivit, quia magni æſtimatum. Mox exemplar aliquod vir Eccleſiaſticus, quod æmuletur, ſibi ob oculos ſtatuat, puta quem virum in Eccleſia ſua Clerus à vitæ integritate, ac peritia celebrat, niſi malit ex alia Eccleſia, vel ex anteacta ætate inſignem aliquem omni exceptione majorem imitari. Erit ſcilicet unus, vel alter omnium ſermone vulgatus, qui ut fama fert juxta ſenſum Apoſtoli, non ſe negotiis ſæcularibus implicet, qui orationis ſtudio ſe dedat, qui in ſacrificio Miſſæ, in officii divini penſo, in aliis ſacris ritibus ſe religioſiùs exerceat, qui eleemoſynas largiùs eroget, proximis inſtruendis, ſolandis, roborandis totum, quod ſupereſt, temporis impendat. Hæc via compendiaria eſt. Quod ſi quis in aliorum imitationem non uſque adeò propendeat, cupiatque nihilo ſecius rationem aliam parandæ perfectionis inire, conſilio prudentum utatur, ne aberret, & ad capita pauca rem totam redigat, quæ poſſit perſeveranter explere.

CAPUT VII.

Quænam ſint capita doctrinæ ad perfectionem vitæ parandam requiſitæ.

HÆC ferè ſunt capita: divinæ inprimis legis obſervatio: mox Eccleſiaſticæ: de-

Scrip. An. 1612.

demum orationis ſtudium cum aliquo mortificationis exercitio connexum, ſtatuique attemperatum. Debebit ergo vir Eccleſiaſticus, qui perfectionem vitæ molitur, Dei præcepta ſeriò cogitare, & ad duos quaſi cardines amoris Dei, ac proximi vertere. Compendio quippe iſto, qui rem ad praxim referre cupit, expeditè legem explebit, ſi ſæpe recolat, quo modo erga Deum, ac proximum affici debeat. Si enim ſemel affectum, uti decet, excitare norit, inter occaſiones multiplices paſſim incidentes, Divinæ Majeſtatis cultum bonis univerſis anteferre, proximique bono tamquam proprio conſulere aſſueſcet, quod eſt, legi divinæ per omnia congruere. Sanè, qui de affectu in Deum erigendo, molliendoque cogitat, ita compoſitus eſt, ut fidei, ſpei, charitatis, latriæ, pœnitentiæ virtutes frequenter exerceat: qui ſi in proximos pium concipiat affectum, nullum eis damnum inferre, imò bonis cumulare nitetur: quod certè bimembre ſtudium legis totius complexio eſt. Jam verò, quod ad leges ſpectat Eccleſiæ, navanda opera capitum paucitati, quæ facilè queat mente pertractari, ne multitudo confuſionem pariat. Et quidem, qui de Officio Divino quàm Religioſiſſimè perſolvendo, de ſacrificio altaris expiata conſcientia, quàm poterit perfectè, immolando, de modeſto veſtitu, frugali menſa, pioque convictu egerit, & quotidianis Eccleſiæ actibus intereſſe curaverit, legum eccleſiaſticarum fidus obſervator erit. Profectò eccleſiaſtici viri, quibus vita laudi vertitur, ſolent eo, quem indicamus compendio, mentem pacare ſuam, quod ad Eccleſiæ leges attinet: neque enim ſolet cum eo actuum Eccleſiæ quotidiano ſtudio, rectaque vitæ inſtitutione, tranſgreſſio cohærere: præſtatque in eum perfacilem, expeditumque agendi modum omnia contrahere, quàm ſingula juris Canonici præcepta velle animo percurrere, ne quid peccetur. Denique quod reliquum eſt, crebræ Dei memoriæ, & moderato alicui mortificationis exercitio animus addicendus: neque enim viri Eccleſiaſtici nomine cenſendus, qui Dei frequenter meminiſſe, carnem ſpiritui ſubjugare, paſſionumque ferociam lenire non fortiter enititur. Tetigimus capita doctrinæ, quæ ad vitæ perfectionem conferunt: at quotuſquiſque illa penſitat. Hominis animus à Deo excitatus immenſæ frugis ferax eſt: at ſi cultura deſit, ſylvam fundit ſenticoſam.

Eccleſiaſticis quarum potiſſimum virtutum exercitium commendatur?

Dei præſentia Eccleſiaſticis commendata.

CAPUT VIII.

Quænam induſtria adhibenda ad prædictorum capitum obſervationem.

SOlerter admodum viro eccleſiaſtico agendum, ſi velit eſſe perfectus. Duo potiſſimum curanda, unum, ne ſpeculetur quouſque proficere valeat: alterum, ne leves culpas ſinat excreſcere, verùm recenter exortas reſecet. Primi moniti neglectus animos parum generoſos creat: nimirum, qui cum Deo ita parcè agit, ut imperata dumtaxat præſtet, nolitque majora refundere, tenuiter gratus, & bonorum operum exiliter ferax eſt. Dirupit Chriſtus fontem abyſſi magnæ, dum ſanguinem profudit, cujus vel gutta una ſordes humani generis eluiſſet: quocirca non decet virum Eccleſiaſticum terminos ſibi præfigere, nolleque in apertum pietatis campum fidentiùs procurrere. Alterum verò, quod erga levia errata hortamur, ſtrenuè obeundum; ut leviores culpæ, puta linguæ, oculorum, tamquam tenellæ adhuc ſpinæ, antequam obdurentur, & ſylveſcant, mortificationis falce præcidantur: ne virum, qui Divinæ Majeſtati tam frequenter aſſiſtit, turpiter deforment. Solent hortorum cultores è plexilibus plantis aquilas, leones, aliaque id genus animantia egregiè fingere, ac Principibus eo amœnitatis gratia divertentibus jucunda ſpectacula adhibere. At ſi poſtero die redeas, ipſa plantarum detonſarum pullulatio, aquilarum, & leonum effigiem obducit, atque confundit: ut operis topiarii curatori neceſſe fiat, forfices in dies ſingulos exercere, ut formata ſervet, vel deformata reformet. Hic labor Eccleſiaſticorum, è quorum aſpectu ſupremus Rex Chriſtus, tamquam è paradiſo quodam voluptatem capit. Falx mortificationis urgenda, qua germina veteris Adæ paſſim erumpentia præſecentur, ne formam virtutum divino conſpectui gratiſſimam obnubant.

Hortorum cultores eorumque uſus.

CAPUT IX.

Concluſio.

EX iis, quæ de virorum Eccleſiaſticorum perfectione tradita ſunt, efficitur, ut ea, quæ de Principibus univerſè ſcripſimus, Eccleſiaſticis Principibus cum peculiari perfecti ſtatus obſervatione aptanda ſint: ut ſcilicet horum menſa ſit frugalior, aula modeſtior, & in hunc modum totius vitæ ſeries virtutibus inſtructior, & bonorum operum ſplendore luculentior.

PARS SECUNDA.

De Summis Pontificibus.

CAPUT I.

Pontificum ſtatus.

PRincipatus eccleſiaſticus ſæculari ſublimior eſt, unde par eſt, ſit & ſanctior. Concors Sanctorum Patrum, ac Theologorum ſententia eſt, Epiſcopos, ac proinde Pontifices Summos eſſe in ſtatu perfectionis acquiſitæ conſtitutos: ex quo efficitur viros

Scrip. An. 1612. eſſe debere planè grandes, qui populum ſibi creditum hierarchico more illuminare, purgare, ac perficere valeant: quod ſanè non minùs tremendum, quàm excelſum eſt.

CAPUT II.

A

Antiſtitum creatio.

SAnè cum ad ſtatum Antiſtitum, & vitæ perfectio, & exacta rerum intelligentia requiratur, neceſſe eſt anteactæ vitæ integritatem, partamque labore doctrinam, & prudentiam perſpicaciter explorare, ut dignè præfici, ac præeſſe valeant. Res profectò hæc pondus habet immenſum ad Eccleſiæ bonum mirificè augendum. Huc preces, & Sacroſanctum Altaris Sacrificium, rebus quoque pro humano captu diligentiſſimè perquiſitis.

CAPUT III.

B

Cura erga Epiſcopos.

POntifex Summus ex officio agit, dum creatis Epiſcopis ſeriò admodum Eccleſias excolendas, uti ſponſas commendat: dum inſtruit, hortatur, ſolatur: dum ad libertatem, immunitatemque eccleſiaſticam, pro virili tuendam animos addit. Jam verò eccleſiaſticæ diſciplinæ mirificè favet, dum quos extra Eccleſias ſibi creditas vagari novit, vel hortatu, vel imperio reducit. Etenim ad hunc modum, magna Pontificiæ ſollicitudinis parte ſeipſum exonerat.

CAPUT IV.

Cura erga Religioſos.

C CŒnobiticæ vitæ cultores, qui legum cuſtodia florent, Eccleſiam mirificè illuſtrant doctrina, vitæque integritate, quæ mores apoſtolicos facilè repræſentat. Quapropter Reipublicæ Chriſtianæ operæpretium ſit maximum, dum Summus Pontifex eam Eccleſiæ partem excolere, perficereque conatur, Et quidem, quod ad rei modum ſpectat, non eſt adeò pervium, decernere quid facto opus ſit, ad Monaſticam diſciplinam collapſam reparandam, & reparatam, ſeu primævo ſtatu florentem alendam. Conſilio, & auctoritate opus eſt.

CAPUT V.

Cura erga Concionatores.

D

NON leviter à concionatoribus multis erratum eſt, qui legatione Chriſti parùm graviter, ſancteque funguntur. Non ſunt uſque adeò multi, qui Jeſum Chriſtum crucifixum, Dei ſapientiam, & virtutem prædicent. Malum hoc nimis vulgatum eſt, & Pontificiam auctoritatem, cenſuramque requirit. Modus prædicandi Apoſtolicus eſt, ſtylo temperato doctrinam tutam, ac fructuoſam, ad mores corrigendos, ad vitia extirpanda, ad virtutes acquirendas, vitamque in caſto Dei timore, & amore ducendam, oculis non in propriam exiſtimationem, aut quæſtum, ſed in Dei gloriam, & animarum ſalutem intentis, exponere. Apoſtolicæ ſedis eſt, de abuſibus extirpandis cogitare. E

CAPUT VI.

Cura erga Sacramenti Pœnitentiæ miniſtros.

ALtum eſt Sacramenti pœnitentiæ ſecretum: at per indicia minimè levia multiplex ſe prodit abuſus. Profectò legitimus ejus uſus, bonum immenſum eſt. Ecquid enim majus, aut mirabilius, quàm criminum expiatio, divinæ pacis conciliatio, vitæ correctio, & religioſa animi adverſus tentamenta, & caſus futuros obfirmatio? Etenim bonum hoc multiplex, univerſis mundi theſauris pretioſis, in Sacramento F Pœnitentiæ, ſi rectè miniſtretur, tamquam in ſolo pingui enaſcitur, atque ſuccreſcit. Quapropter vigilanter providendum, ne tanta ſeges intereat.

CAPUT VII.

Cura erga Academias.

QUanti referat, de corrigendis Academiis conferre, controverſiæ inter Catholicos quoque doctores hac ætate coortæ ſatis evincunt: præterquam quod neſcio qualis jam in Academias florentiſſimas abuſus irrepſit, qui ſupervacaneis ſubtilitatibus tempus, vitamque conſumit. Norunt hoc viri periti, qui penitus dolent, ingenia præclara, quæ inſigni Eccleſiæ ornamento forent, ætate florida, nihil fere ſolidum addiſcere: G ſed plurimum operæ, ac ſollicitudinis ponere in iis diſcendis, quæ brevi memoria excidunt, & quæ tametſi diutiſſimè perdurarent, uſui nulli deſervirent. Eſſet ergo appoſitiſſimum providentiæ genus, ſi ſuperflua, & nimis ſubtilia reſecarentur, eaque prælegerentur, quæ gravia, ſancta, & utilia eſſent ad ſacras conciones, ad Sacramentorum miniſterium, ad conſcientiæ inſtructionem, litiumque diremptionem, & ad infidelium errores cum Catholicarum veritatum aſſertione refellendos. Profectò ſi Chriſtianis Academiis modus præſcriberetur, executione rectoribus demandata, res Deo grata, Eccleſiæque ſalutaris fieret: H cujus utilitas in poſteros permanaret.

CAPUT VIII.

Cura erga infideles.

AD Summi Pontificis ſpectat officium, ita Eccleſiæ regnum moderari, ut quo-

Scrip. An. 1612.

quoad poſſit, illud amplificet, & iis, qui jacent in umbra mortis, candidiſſimam fidei catholicæ lucem oſtentet. Piiſſimum munus eſt, ut qui Chriſti vices in orbe terrarum gerit, ad Chriſti ipſius imitationem, ſeligat, hortēturque idoneos viros, qui ea legatione ſtrenuè fungantur, ne tam numeroſam generis humani partem infernus abſorbeat.

A

CAPUT IX.

Admonitio.

PRoferri poſſent & alia, quæ inter Summi Pontificis curas meritò recenſentur: at quæ tetigimus, nec pauca, nec levia ſunt; multaque ex iis, quæ huc poſſent adiici, ad capita univerſis Principibus communia pertinent: poteruntque è libro primo, ſuis è ſedibus peti, & ad praxim pro temporum, rerumque ratione, juxta Summorum Pontificum ſapientiam, prudentiſſimumque judicium derivari.

B

* * *

PARS TERTIA.

De Cardinalibus.

CAPUT I.

Officia Cardinalium recenſentur.

FErt animus Cardinalis officia omnium graviſſima breviter attingere, quæ ſi Epiſcopatus annumeretur, ſunt omnino tria. Primum ad curam pertinet cum Epiſcopis communem, ſecundum ad juſtam Summi Pontificis creationem, tertium ad conſilia, C quibus univerſalis Eccleſiæ bono proſpicitur. Et quidem quod ad primum ſpectat caput, non huc inſerendnm, cùm propriam ſedem in Epiſcoporum tractatu inferius ſubiiciendo habeat: quæ verò ad capita duo poſteriora conducunt, mox tradenda, ut idoneus ordo ſervetur.

CAPUT II.

Summi Pontificis creatio perpenditur.

NEmo adeò rationis expers credendus, qui Summi Pontificis creationem, rem omninò graviſſimam, minimè cenſeat. Agitur quippe de homine uno univerſis mortalibus præponendo, Deique vices in terrarum orbe geſturo; D in quo proinde ſumma ſapientia, & pene divina vitæ integritas debet ineſſe, ac Reipublicæ oculis prælucere. Ex quo planè liquet, teterrimum eſſe piaculum, ſi electores rationibus parum ſpiritualibus ducti, eum qui præeſſe non deberet, ad eam ſublimitatem efferant. Sint ergo Principes purpurati æqui communis boni æſtimatores, ut Chriſti regnum amplificent. Si enim in re tam excelſa, propria bona communibus poſthabeant, clementiſſimus Deus ampla mercede opus egregium remunerabit, & adverſa quæque depellet.

CAPUT III.

Conſiliarii officium æſtimatur.

E

RES plane maxima, & honorificentiſſima eſt, Summo Pontifici à conſiliis eſſe. Nimirum agitur de univerſæ Eccleſiæ gubernatione, quæ, ſi proſperè cedat, bona parit immenſa. Quocirca officium Cardinalis in re tanta eſt, omnia animo circumſpicere, attentè contemplari, libros evolvere, ſeniores conſulere, lumen cœleſte ſacrificio, ac prece poſtulare, & quod demum Reipublicæ Chriſtianæ ſalubrius arbitrabitur, ſyncerè, ac modeſtè in Sacro Senatu depromere. Quæ quidem capita, ad munus ſuum variis in Congregationibus exactè obeundum, à Cardinalibus obſervanda ſunt. F Qua in re longiùs minimè procurram; cùm de ſententia dicenda, modoque tenendo, ab aliis disertè ſcriptum ſit.

CAPUT IV.

Admonitio.

PLurima, quæ ad boni Principis formam, familiæ, populive gubernationem proferri poſſent, libro jam primo univerſè tradidimns: quamobrem ea repetere ſupervacaneum eſt.

* * *

PARS QUARTA.

De Epiſcopis.

G

CAPUT I.

Commendatur fides in Eccleſiam ſibi creditam.

PAtres, qui clariſſima Dei luce ſplenduerunt, quique poſſent orbem terrarum humeris geſtare, Epiſcopatum detrectarunt, donec imperio coacti onus tremendum generosè ſubierunt. Hoc altè imprimendum; electuſque jam Epiſcopus admonendus, ex quo ſibi credi cernit Eccleſiam, ſe caſtiſſimam ſponſam ducere cenſeat, pro cujus pudore tuendo, ſi opus fuerit, decernat occumbere. H Hoc animo verſet, identidemque pertractet, ſponſæque ſuæ pio amplexu ſocietur.

CAPUT II.

Epiſcopi prudentia bimembris.

GRex Epiſcopo commiſſus in partes duas diſtribuitur, in clerum ſcilicet, ac populum

Scrip. An. 1612.

pulum: & utrique pars prudentiæ non exigua impendenda eſt. Principio ergo Epiſcopus in ſuam provinciam ingreſſus, ſignis benevolentiæ quàm maximis ſtudeat omnes demereri. Nihil enim egregium præſtabit, niſi animos ſibi conciliet, quod è primo acceſſu potiſſimùm pendet. Affectus quippe, A qui ad ingreſſum Prælati primùm excitatur, animum imbuit, unde difficulter poſſit expelli. Neque in hoc doctrinæ genere, ulla inter ſapientes controverſia eſt. Interim verò, dum Epiſcopus univerſalia omnibus amoris ſigna exhibet, clerum, populumque attentè conſideret: diſpiciatque mores hominum, ut providentiam, & curam attemperet, omneſque quoad per eum fieri poterit, Jeſu Chriſto lucretur.

CAPUT III.

Cleri gubernatio.

EPiſcopus, ut parens, liberos habet duos, è quibus Clerus, uti primogenitus exi- B ſtimandus eſt; atque idcirco prima in eo exornando cura ponenda. Præcaveat ergo Epiſcopus omnem in Clero diſcordiam: ſenſimque ſingulos demulcens patienter initio ferat multa, quæ temporis excurſu prudentiùs, & efficaciùs corriget. Sit exemplar Cleri inculpatè admodùm agens, ut quæ perſuadere cupit, imprimantur altiùs, & ſine reniſu accipiantur. Non agat imperioſè, cum ſenibus præſertim, quos uti fratres debet familiariter excipere. Si quando ad Clerum verba faciat ſeorſim, ita vitia, ſi quæ deprehenderit, reprehendat, ut eorum execretur turpitudinem, homines verò ſe impenſiùs amare ipſa in concione demonſtret. Abuſus, qui obrepere ſolent, ita ex- C tirpet, ut feſtinata vis non inferatur: conſtat enim, quæ violenta ſunt, animos vehementer avertere. Conſuetudines novas, quæ ad pietatem conferunt, cujuſmodi eſſet orationis ſtudium, ſic inducat, ut priùs animos antiquiorum è Clero privatis, ſuaviſſimiſque colloquiis emolliat, viamque per hos ipſos aperiat ad cæteros juniores permovendos. Cathalogum Cleri ad ſuum Epiſcopatum pertinentis apud ſe in promptu habeat: & ad Sacros Ordines, Sacramentorum miniſterium, ſacraſque conciones, quos veris virtutibus præditos noverit, admittat, reliquoſque reiiciat. Caveat ne præficiat immeritos Eccleſiis, ſed optimos quoſque, ac probatiſſimos. Eos verò ad ſuam familiam cooptet, qui cum morum D integritate, doctrina quoque præſtent, quibus ad officia pietatis familiariùs utatur. Vicarium Sacrorum Canonum bene peritum exquirat, qui cauſas rectè, ac breviter expediat, & integerrimus ſit. Denique Clerum omnem, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervationem, ad horas præſertim canonicas, & Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium præſcriptis ritibus religioſiſſimè offerendum, vitamque bonis moribus exornandam, quàm efficaciter poſſit, inducat.

CAPUT IV.

Cura erga Religioſos.

SI Clauſtra exempta, & vitæ ſanctimonia conſpicua ſint, erit ad rem, cum iis humaniſſimè agere, E viros inde ad ſacras conciones, & conſilia, cæteraque pietatis officia petere, nihilque illis moleſtiæ irrogare: imò privilegia eorum intacta tueri. Si flos primævus in Clauſtris exemptis emarcuerit, ſuaviter admodum Epiſcopus prælatos admoneat, quæ ſunt arguenda, vel corrigenda ipſi per ſe ipſos præſtent, ne malum è ſeptis eorum externa correptione compeſcendum ſit. Caveatque ne nimis feſtinet, & prælatos proprios, ubi lentè procedunt, patienter, ac identidem hortetur. Si Clauſtra Epiſcopo ſubſint, adhibita lenitate Apoſtolica erudiat, ſoletur, arguat, obſecret, increpet, meritaque diſcernat: bonis, ac modeſtis utatur, cæteroſque, coer- F ceat. Univerſè autem enitendum, ut legum propriarum cuſtodia in quovis monaſtico cœtu vigeat: & quod eſt collapſum per ejuſdem Inſtituti prælatos, quoad fieri poſſit, reparetur: modus quippe hic, ut ſuavior, ita efficacior eſt.

CAPUT V.

Cura ſacrarum Virginum.

SExus fragilitas, & levitas peculiares prudentiæ modos repoſcit ad Virgines ſacras, quas Moniales appellamus, regendas, quemadmodum experti viri benè norunt. Iis ergo, quæ cum Religioſis viris ſolent eſſe communia, prætermiſſis, Epiſcopus in receptione Monialium perſpicaciter omnia G circumſpiciat, & temperet: nam quod viris profeſſio, fœminis penè receptio eſt, raroque locus expulſioni patet. Exploret, an regulæ, conſtitutionumqe ſenſum, & obligandi vim perſpectam habeant, & ſpontaneis exercitiis anteponant. Nimirum in hoc genere graviter errari ſolet, proprii ſtatus ignorantia impunè graſſante. Provideat idoneos prædicatores, & Sacramenti pœnitentiæ miniſtros, qui gentem fragilem inſtruant, & ſolentur, exercitiaque nonnulla ſpiritualia, puta orationis, & internorum actuum ad virtutes parandas, & paſſiones reprimendas attinentium, in morem inducant. Quod ut efficiat, multa dexteritate, animi ad pietatem flectendi ſunt. H

CAPUT VI.

Modus agendi cum populi proceribus.

NEque rara, neque levis eſſe conſuevit inter Epiſcopos, & urbium proceres controverſia. Epiſcopus ergo tempus antevertat, & antequam grande hoc malum ingruat, humaniſſimis officiis procerum bene-

Scripta An. 1612.

volentiam ita captet, ut ſibi omnino perſuadeant, optare ſe illis perplacere, neque velle eorum poſtulatis, ſi ſint honeſta, renuere. Officiis igitur initio inſiſtendum, ut animi bene afficiantur. Quòd ſi officia diu impenſa, & lenitas repetita minimè proſint, ita communi Eccleſiæ bono proſpiciendum eſt, ut libertas, & immunitas eccleſiaſtica nulla ex parte lædatur.

A

CAPUT VII.

Cura Epiſcopi erga Sacramentorum miniſteria.

IMmenſi certè emolumenti eſt ſolliciti Epiſcopi providentia idoneo Sacramentorum uſui deſtinata. Cum enim ad expianda peccata, novaſque divinæ gratiæ acceſſiones acquirendas Deus ea remedia providerit; perſpectum eſt, impenſam iis remediis curam ad ſalutem hominum ſummopere conferre. Quapropter navanda opera eſt, ut Sacramenti pœnitentiæ in primis, & Euchariſtiæ miniſtri ea vitæ puritate niteant, eaque doctrina excellant, quæ fructum uberrimum promittat. Huc B ſpectat accuratum miniſtrorum examen, antequam ad munus obeundum admittantur, & ſcrutinium quoddam fidei, quam ſervant in officio explendo, poſtquàm admiſſi ſunt. Huc quoque conducit exercitium multiplex, quod ſtatis diebus in morem ſolet induci, ut inter Miniſtros Sacramentorum, de munere rectè gerendo, de cæremoniis ſacris exercendis, de virtutibus parandis, de vitiis evellendis, de vitæ perfectione promovenda conferatur. In hunc quippe modum ediſcuntur, quæ ad hominum ſalutem, uti par eſt, procurandam, ab idoneis miniſtris explorata decet haberi.

CAPUT VIII.

C

Cura Epiſcopi erga doctrinæ Chriſtianæ rudimenta.

DIci non poſſit, quàm ſit Deo accepta Epiſcoporum ſedulitas in ætate tenella Chriſtianæ fidei veritatibus inſtruenda; quod enim prima ætas primum concipit, diutiſſimè ſervat. Erit autem ad exercitii hujus pietatem alendam opportunum, ſi Epiſcopus ipſe interſit, & auctoritate ſua animos ad Dei cultum excitet, adulto quoque populo ad rem illam ſalutarem convocato. Ubi ſolerter curandum, ne concio tædio afficiatur, ordine rerum perturbato, aut parum concinnè digeſto. Huc facit genus quoddam temperamenti rerum D utilium, ac ſuavium alternè ſuccedentium. Enitendum quoque, ut in publicis hujuſmodi actibus non doceantur rudimenta fidei Catholicæ tantùm, ſed verarum quoque virtutum fundamenta jaciantur, ut pueritia timori Dei, ac divinæ legis cuſtodiæ aſſueſcat.

CAPUT IX.

Cura Epiſcopi erga templorum munditiam.

NIhil turpius, quàm ea, quæ munditia ſumma nitere deberent, cujuſmodi ſunt templa, altaria, ſacra vaſa, ſacræ veſtes, ac lintea, per incuriam prælatorum ſordere. Cum enim res Divinæ Majeſtatis E cultui adeò proximè addictæ ſint, ipſi Majeſtati irrogatur injuria: præterquam quod ægrè creditur, cum piis, & puris bonorum Epiſcoporum mentibus ſordes eas poſſe cohærere. Quocirca boni Epiſcopi partes ſunt, hæc ſedulò admodùm curare: neque ita Eccleſiarum rectoribus ea credere, ut eadem ipſe non crebrò recenſeat, nitida laudet, ſordida execretur, & mundari præcipiat.

CAPUT X.

Cura Epiſcopi erga orationem, quæ mentalis appellatur.

PRæſules, qui animarum ſaluti ſeriò ſtudent, F non id dumtaxat enituntur, ut vitia extirpent, & animos in divinæ gratiæ ſtatum aſſerant, per Sacramentorum receptionem, & uſitata ſacrarum concionum auxilia; ſed feruntur ulteriùs, mores novos, qui ad pietatis incrementa conferant, inducentes, ut in Eccleſia, quam curandam ſuſcepere, nonnulli ſingulari vitæ ſanctitate præcellant. Huc impendio ſpectat divinum orationis exercitium, à Scriptura Sacra, & Patribus miris præconiis commendatum: quo qui religioſè utuntur, compendio quodam, breviùs multò, quàm vulgares alii, longam perfectionis viam cumulata pietate percurrunt: quod Epiſcopis, viris nempe ſapientibus, compertum eſſe, G omnino credendum eſt. Quamobrem expediret maximè animos populi permulcere ad hujuſmodi bonum conquirendum. Eſſet autem ad rem, locum aliquem commodum, & ab ſtrepitu quovis remotum deſignare, in quem, qui vellent, comiter allecti ſtatis diebus convenirent, ut habita ibi concione, quæ materiam meditandi ſuggereret, per horam circiter dimidiam, ſilentes orare condiſcerent. Res fortaſſe videbitur ardua: verùm fructu adeò ſublimi compenſatur, ut meritò viri ſuæ ſalutis cupidi eam difficultatem contemnant. Sperandum autem, fore non paucos, qui, ſi ſemel aſſueſcant, firmiſſimè cœptis inſiſtant.

CAPUT XI.

H

Cura Epiſcopi in pauperes.

LIbro I. de Principum miſericordia ſcripſimus, quod Epiſcopi, uti pauperum patres, pro ſuo munere cupidè arripiant neceſſe eſt. Hìc verò memoria excitatur, & miſericordiæ ſtudium ad modos miſerendi in-

Scrip. An. 1612.

di inveniendos intentum ſuadetur. Solent certè Epiſcopi miſerendo celebres apud ſe cathalogum inopum in promptu habere, ut non rogati modò, ſed tamquam rogantes, quod eſt nobiliſſimum eleemoſynæ genus, maxima ſuorum reddituum partem erogent. Quòd quàm ſit Deo acceptum, quàm ad populi exemplum, & ad cæterorum Prælatorum æmulationem appoſitum, quilibet bonus exiſtimator per ſe ipſum dijudicet; res quippe perſpicua eſt.

CAPUT XII.

Commendatur præſentia Epiſcopi in Eccleſia ſibi credita.

Illud præſentiæ genus, quod eccleſiaſtico nomine reſidentiam appellamus, adeò Epiſcopi proprium eſt, ut abſque illo, vix prælationis ratio illæſa conſiſtat: nam ut cætera ſileam, juri divino, à quo Epiſcoporum dignitas ducit originem, maximè conſentanea eſt ea præſentia: quæ ſi deſit, grex Chriſti paſtu ſuo deſtituitur. Quomodo enim paſcet, qui abeſt? At dices: Paſcet per alium fidum adminiſtrum: ſed profectò paſtori ipſi hæc functio demandata eſt. Et quidem, ut quæ de jure divino aſſeruntur ſileam, exploratum eſt, Epiſcopo abſente, omnia languere, atque concidere: quemadmodum ductore militum longè agente, exercitus levi quoque hoſtium terrore perculſus in fugam vertitur, aut certè infœliciter occumbit.

CAPUT XIII.

Admonitio.

Pauca hæc ad Epiſcoporum memoriam juvandam digeſta pro Inſtituto noſtro ſat erunt. Cætera, quæ uſui eſſe poſſint, è libro primo, ubi cauſa Principum communis agitur, petantur, ut lectori licebit.

PARS QUINTA.

De ſpiritualibus Principum exercitiis.

CONSILIUM.

Decet ſanè Principes bonos ſpiritualium exercitiorum Principatui congruentium cura plurimorum meritorum, internæ lucis, ac lætitiæ Deo afflante feraciſſima. Hanc æſtiment, &, ſi placeat, ſubjecta monita obſervare aſſueſcant.

CAPUT I.

Directio actuum mane ſummo exercenda.

Clementiſſime Deus, immortalis, ac ſempiterne Rex, me totum, cogitationes, verba, & opera mea, quæ hodie variè ſuccedent, Unigeniti Filii tui, ac Redemptoris mei Jeſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum meritis ſociata offero Divinæ Majeſtati tuæ, ut cedant in ejus gloriam, animæ meæ ſalutem, rectamque Reipublicæ, ac familiæ gubernationem. Oro te, Altiſſime, quanta poſſum animi demiſſione, efficias me tuæ infinitæ bonitatis participem, ne ullo peccato fœder, tuæque ſapientiæ, ne in adminiſtratione Reipublicæ aberrem.

CAPUT II.

Orandi modus per horam ſaltem dimidiam.

Inſtructio à viro rerum internarum perito petenda.

Princeps in abditiſſimo totius aulæ loco coram effigie Jeſu Chriſti crucifixi genua flectens, corpuſque totum modeſtiſſimè coaptans, leget aliquid è pio aliquo libro, quod ſit ad exercendam meditationem opportunum: cujuſmodi ſunt meditationes de Chriſti paſſione, vel de quatuor noviſſimis. Et brevi lectione expleta, punctum illud, quo ſe fortiùs moveri animadvertit, altè conſideret, atque pertractet, ut animus rationibus convictus, firmiter decernat Deo ſubdi, ac inſervire. Tunc, ubi affectus exarſit, multiplices actus virtutum, puta fidei, ſpei, amoris, contritionis producendi; quibus animus intra ſe colligitur, ac vires concipit, ne per eventus varios, negotiorum volumina, cum jactura ſpiritus diſſipetur. Unde ad ſæcularia prælia fortis, armatuſque procedit.

CAPUT III.

Sacrificium Miſſæ.

Si per Rempublicam liceat, expedit ſanè ut Princeps, ſi ſacerdos ſit, ante negotia ſacrificet, ſecus Miſſæ ſacrificio interſit: ut vi hoſtiæ illius, qua nihil acceptius æterno Patri immolari poteſt, impetret ſpiritum ſapientiæ, ut diſcernat, & vires, ut quæ diſcreverit, expleat. Offeret ſe ipſum unà cum Sacroſancta Hoſtia: & cæremoniis Sacris intentus Deum enixè precabitur, animum ſuum, & Reipublicæ corpus expiet, & temporalem gubernationem ad ſalutem populi ſempiternam dirigat. Atque in hunc ſcopum, uti poterit hujuſmodi prece.

Clementiſſime Deus, offero Divinæ Majeſtati tuæ hoſtiam incruentam Unigeniti Filii tui, ac me ipſum altiſſimo ſacrificio conjunctum, ut tibi placeam. Oro te quàm impenſè poſſum, emundes, ac illumines me famulum tuum, ut bene diſcernam, & corroibores, ut invictè exequar. Expietur, precor te, animus meus, & Reſpublica univerſa per ſacrificium hoc tuæ majeſtati gratiſſimum, & gubernatio temporalis ad æternam ſalutem dirigatur.

Scrip. An. 1612.

CAPUT IV.

Spiritus directio dum ad negotia gerenda proceditur.

Directionis modus.

A

POſt matutinam directionem illam, quam capite primo præfiximus, pius quilibet Princeps, dum negotia inchoat, debet in Deum mentis oculos attollere, precarique adſit divina bonitas, & ſapientia, ne quid à pietate, ac juſtitia exorbitet. Qua certè in re affectus præſertim commendatur: nam quod ad actus pertinet, breviſſima, facillimaque ſpiritus directione utendum eſt, cujus formula hæc eſſe poterit.

Clementiſſime Deus, Majeſtatem tuam ſupplex oro, adſit mihi divina bonitas tua, ne in hoc actu peccem, & ſapientia, ne à recto aberrem, ſed per omnia tibi placeam.

CAPUT V.

Pius modus ad temperantiam excercendus.

B

Directionis modus.

NEgotiis abſolutis itur ad menſam, quæ Chriſtiana frugalitate, ac Dei timore temperanda eſt. Præmiſſa ergo benedictione, breviſſimo mentis aſcenſu Princeps Deum precetur, addat modum animo, corporique, ut menſæ uſus non ſerviat voluptati, ſed neceſſitati, ad vitæ labores pro ipſius gloria, & Reipublicæ bono ſuſtinendos, in hunc modum.

Clementiſſime Deus, Majeſtatem tuam demiſsè precor, contineat me totum intra Chriſtianæ temperantiæ metas; ut veſcar quantum exigit vitæ dumtaxat neceſſitas, ad gloriam tuam, & Reipublicæ ſalutem exquirendam. Denique gratiarum actio ſubiicienda.

C

CAPUT VI.

Examen conſcientiæ.

EXpeditis rebus omnibus, pius Princeps, antequam cubitum eat, genibus ante Crucifixi effigiem flexis, præmiſſa generali confeſſione, quæ die illo egit, breviter per tria capita cogitationum, verborum, operumque recenſeat. Mox de bonis operibus gratias agat, de culpis veniam humillimè precetur, ac peccata præcavere conſtituat, in hanc formam.

D

Clementiſſime Deus, ecce hæc bona gratiæ tuæ munere operatus ſum: pro quibus immenſas Divinæ Majeſtati tuæ gratias ago, vellemque univerſorum Angelorum, ac Sanctorum affectum concipere, ut te ardentiſſimè laudarem. Ecce Domine, culpas has commiſi, quarum me pœnitet, quia tibi injuriam irrogavi. Firmiſſimè ſtatuo, me auxilio tuo numquam poſthac peccaturum, & culpas admiſſas pœnitentiæ Sacramento expiaturum. Hæc ſeriò, ex animoque dicenda: & ſtatim oratio dominica, & ſalutatio angelica recitanda, ad qualemcumque ſatisfactionem; demum divina miſericordia, & tutelaris Angeli cuſtodia ad caſtum ſomnum imploranda.

CAPUT VII.

Uſus præſentiæ Dei.

E

HIS, quæ per ſex capita digeſſimus, ſi adiungatur uſus præſentiæ Dei, profectò vita Principis cultu pietatis ornabitur, & Reipublicæ ſalus augebitur. Uſum autem præſentiæ Dei, hoc loco appellamus fidam, crebramque Dei memoriam frequentibus virtutum actibus fœcundam. Ut ſcilicet Princeps, qui uberiore, quàm alii, eget Divinæ Majeſtatis auxilio, frequentiùs, quàm alii, de illa cogitet, fidem, ſpem, amorem, contritionem, cæteroſque internos actus exerceat, ſive ſolus agat, ſive curru cum aliis vehatur, ſive negotia gerat. Fateor equidem, curis multis, ac importunis Principes diverti: at pro re tanta, nemo eſt, qui laborem modicum ſuſcipere non poſſit, ac debeat. Cur enim (ut hoc utar exemplo) ſi Princeps curru vehatur, non poſſit intercalatis, ac breviſſimis mentis aſcenſibus in Deum aſpirare, ac ſermones hominum brevibus moris intermittere? Cur interim, dum à verbis interquieſcit, & obvia quæque circumſpicit, non valeat his, aut ſimilibus cordis motibus uti? Credo, o Jeſu Chriſte Fili Dei Unigenite, te eſſe ipſam veritatem, ſapientiam, & bonitatem. Spero, o generis humani Redemptor, me per merita tua ita piè victurum, ut ſalvus fiam. Diligam te, o ſummum bonum, & infinita pulchritndo, cui conſecro viſcera mea. Pœnitet me, o Clementiſſime, peccatorum meorum: moriar potiùs, quam te leviter offendam. Hæc, precor, Principes attentè conſiderent, & pro dignitate æſtiment: ne tantorum bonorum, quæ cum Dei auxilio, ſine labore, aut tædio parare valent, jacturam faciant.

F

G

CAPUT VIII.

Exhortatio ad Principes, ut divinam gratiam æquo judicio æſtiment.

DUM ſexti capitis verba penultima ſcriberem, convenit me vir quidam mihi amiciſſimus, & rerum divinarum experientia clariſſimus, cum quo, poſito calamo, verba feci, & rationem ſcripti, quod ferè abſolvebam, expoſui. Et quidem res ei in optatis erat: mecum quippe ante dies multos egerat, de inſtructione quadam Principibus tradenda, & ſtatui attemperanda, ut & ipſorum ſaluti, & Reipublicæ gubernationi congrueret. Ut verò animadvertit, me brevi ſcripto conſilia caſta complexum, ultima penè verba de examine conſcientiæ ante ſomnum exercendo ſubtexere; monuit, hortarer Principes, quàm ſeriò poſſem

H

Scripta An. 1612.

ſem, ne umquam cum peccati mortalis conſcientia cubitum irent. Monitum certè viro cordato, idoneoque ſalutis æternæ æſtimatore dignum: cui ut à me ſatisfiat, nonnulla depromam.

Hortantur Principes, ne cubitum eant cum peccati mortalis conſcientia fœdata.

Et primum quidem (ſi qui hujuſmodi ſunt, quos dumtaxat alloquor) miror ego, viros ſapientes, ac ſempiternam pœnam horrentes, qua mente ſe ipſos adeò tepidè ament, ut ſomno indulgere audeant, ſcientes, ſe potentiſſimum Regem inimicum habere, A ſub cujus enſe, qui ad ictum pendet, infœliciter jacent. Quomodò quieſcere poſſit corpus leviſſimæ incommoditatis impatiens, cujus animus novit, ſi mors inopinata irruat, æterno ſe igne perenniter torquendum? At ſperant, ſe non ita repente interituros, ut pœnitentiæ Sacramento, quo expientur, tempus non ſuppetat. Verùm eſto ſperent, ſciunt profectò, multos ſpe ſimili fretos à morte feſtinata correptos, fruſtra ſperaſſe quod obtenturi non erant. Cur ergo non timeant? At inquiunt, ii, quos interitus improviſus corripuit, ſi cum aliis ea morte non interemptis comparentur, pauci certè ſunt: ac proinde non B uſque adeò formidandum. Sed rogo, paucis illis, quos cum ſubitaneo interitu tartarus abſorpſit, quid profuit ejuſmodi diſtinctio tametſi vera? Porrò, ei, qui damnatur, ſalus juſtorum æterna libertate fruentium quid prodeſt? At nos, dicent, ad eum infœlicem numerum minimè pertinemus: ſubeſt quippe propoſitum pœnitentiæ; credendumque Deum nobis fore propitium. Verumtamen, quomodò norunt, ſe ad eorum non pertinere numerum, quorum auſum imitantur? Si aliis ejuſmodi propoſitum, quod prætexunt, neutiquam profuit; quo pacto credunt ſibi profuturum? An cum morte, & inferno pactum inierunt, aut Deum ita demerentur, ut, cum C ſciant ſe ejus inimicos eſſe, nec tam ſollicitè, ut par eſt, de amicitia recuperanda cogitare, adhuc eis prærogativa temporis indulgenda ſit? Quid de hujuſmodi prætextibus ſentiam? Sed quid dicendum? Porrò ſi Princeps quiſpiam ſuſpicetur regem mortalem, cui in terrarum orbe ſubeſt, ſibi eſſe infenſum, quamvis ei lectus molliter ſternatur, nequit præ ſollicitudine requieſcere: & tamen cum non per ſuſpicionem, ſed per admiſſi peccati evidentiam, Catholicæ fidei certitudine, ſciat Deum ſibi eſſe inimicum, audet ſomno ſe dedere, & abſque ſollicitudine ſtertit. Mirum eſt planè prodigium hoc. Jam verò ſi rationis vim expendere libeat, meminerit lector Principum (quorum ætas quoque noſtra ferax fuit) qui cum Regem ſuum, per D incogitantiam fortaſſe, offendiſſent, terra marique fugientes, in aliorum etiam regum gratiam, tutelamque recepti, ad horas penè ſingulas mortis impetum timuerunt, aut etiam hac ipſa hora ſuperſtites timent. Ab his ego ſciſcitor, cur horrent? Cur expalleſcunt? Cur loricis onerati, ſatellitibuſque ad cuſtodiam circumſepti incedunt? Porrò jam ab offenſi regis exceſſerunt regno, & in fidem regis æqualis, aut fortè potentioris admiſſi ſunt. Jam nox incubuit, & in aula, vel arce bene tuta oppilatis oſtiis, inter familiares verſantur. Cur ergo adhuc ad omnem ſtrepitum expaveſcunt? Poſſunt certè illi, quod reliquum eſt vitæ in ea tutela ducere, opes ibi conquirere, ac pacata morte defungi: neque enim rex infeſtus E eò ſuum protendit imperium, & licèt id moliretur, minimè valeret. Quomodo igitur hominis unius timor in alienum regnum irrumpit, & in arces clauſas velut fatali quadam neceſſitate penetrat? Reſponſio in promptu eſt, quia quò penetravit commiſſæ culpæ conſcientia, eò, & timor pervaſit. Quin etiam pervadere opus non eſt, quaſi timor aliunde ortus in alienum tranſeat principatum: adnaſcitur quippe culpæ; aut ex ea ita naſcitur, ut non poſſit expelli, quantumvis inter munimenta cuſtodiis ſepta offenſor culpæ conſcius deliteſcat. Et hæc quidem nullo indigent aſſertore, qui rationibus egregiè concinnatis veritatem aſtruat, lectorique perſua- F deat. Etſi enim lector neque Princeps ſit, neque cum Principibus agat, videt paſſim flagitioſos homines veſtimentis mutatis, confictiſque nominibus vagantes, & anxiè omnia circumſpicientes, ne judex, aut ultor improviſus inſiliat. Rogo ergo, eccur hujuſmodi ſceleſti homines, per momenta ferè quælibet diſtrictos enſes, vel exploſas glandes pertimeſcunt? An iſti non poſſint, per diem ſaltem unum tranquilla mente conſiſtere? Reſpondebunt ſanè, ſe minimè poſſe: nam cum necem commeruerint, & ultioni incertæ obnoxii ſint, nulla ratione poſſunt conquieſcere, niſi fortè conſtaret, & Principem placatum eſſe, & ab eis facti rationem non exigendam: cæterùm cùm G hæc minimè contingant, ſemper formidandum. O mortalium animos! Dicant modò, precor, orbis terrarum Principes, ſi qui ſint, quos inimicitiæ Dei arguit conſcientia, quomodo ſine accelerata reconciliatione ſomno indulgeant. Ipſi conſcientia propria teſte, incœnati, & inſomnes cubant, quia mortali regi irrogarunt injuriam: cœlum mutant, quia in hominem ſibi ſimilem peccarunt: & tamen ſopiuntur bene paſti, nec de remedio cogitant, cum excelſiſſimam Dei Majeſtatem irritaverint? Quale portentum eſt hoc? Qui fieri poteſt, ut horis ſingulis Divinæ Juſtitiæ Miniſtros non formident, & intempeſta nocte è lecto non exiliant, ad pœnitentiæ Sacramentum requirendum? Caveant, oro, viri ſa- H pientes grande malum hoc, & ne per horas quidem paucas in peccati cœno jaceant: neque fortuitò contingere putent, quod illuſtres viri nonnulli, qui bene valentes cubitum diſceſſere, exanimes poſtero die inveniantur. Reſpondebunt medici, corpore graviter affecto, ſed affectione incognita interiiſſe. Profectò, quicquid de pra-

Scrip. An. 1612.

prava corporis affectione dicatur, veroſimile videtur, ob ægritudinem animæ in culpa mortali jacentis, divinamque gratiam parùm æſtimantis, nonnullos ejuſmodi ultione repentina peremptos. Hoc alta mente pertractent, qui cæteris ad pietatem antecellere debent. Et hactenus quidem de ſummo diſcrimine, quod viri timorati, & verè prudentes perhorreſcunt, ſcriptum eſt. At enim quamvis nihil periculi immineret, clementiſſimuſque Deus pollicitus fuiſſet, Principem ſub culpa mortali dormientem ad judicium non accerſendum quis non apertè perſpiciat, ſtultitiæ extremæ vertendum eſſe, qui amicus Dei eſſe poteſt, vel per horam malit inimicus eſſe? Porrò infœlix hæc commutatio non poteſt Viro ſapienti probari: nam præter immenſarum divitiarum jacturam, calamitoſa ſors eſt, hominem, qui cum Dei adjutorio poſſet Dei eſſe Filius, ſponte ſua fieri, vel per horam, diaboli mancipium. Et verò Princeps, qui Remp. moderatur, quid boni præſtabit Deo inviſus, & ultronea peccati cæcitate obtenebratus? Quo pacto dirimet lites implexas, pacem alet, hoſtes arcebit, qui caret Dei ſapientia, pace, ac fortitudine? Sanè, & ad Chriſtiani nominis dignitatem tuendam, & ad Remp. piè temperandam, Princeps quilibet, pro divinæ gratiæ dono vel ad horam poſſidendo, millies deberet occumbere. Inter alia ergo pietatis opera, pœnitentiæ Sacramentum citiſſimè recipiat, quoties conſcientiam graviter læſam ſenſerit: ſibique perſuadeat, velocem hunc motum ad inſtaurandam Dei amicitiam deſtinatum, rem eſſe Divinæ Majeſtati acceptiſſimam, ſibique ad univerſa, quæ ex officio agit, utiliſſimam. Conſcientia, quæ culpæ aculeis excruciabatur requieſcit: animus timore ultionis ſollicitus ſedatur: cor culpæ ægritudine languidum, ac mœſtum, convaleſcit, & exhilaratur: ſpes viget, & ad labores alacriter ſubeundos incitat: opera laborioſa, cum Dei gratia exercita, evadunt auctoris gratiæ, ac gloriæ merita: lux cœleſtis juſti Principis mentem ad jus dicendum illuſtrat: omnia denique adverſa conſtantiùs, & patientiùs feruntur: & in hunc modum totus homo divinitus proſperatur. Animadvertant hoc viri prudentes: &, ut ſe à morte animæ cum Dei auxilio præſervent, vel, ſi lapſi ſint, quantocyus eripiant, habeant ad manum virum idoneum, qui ſit eis à ſacris confeſſionibus cujus opera frequenter utantur. Nihil inchoent, antequam in Dei amicitiam aſſurgant, quæ boni conſilii fundamentum eſt. Exornent animam nuptiali divinæ gratiæ veſte, qui ad populi conſpectum pretioſis veſtimentis amicti prodeunt: neque pergant animam ſordidam, & fœtentem, purpura, byſſoque contegere. Conſiderent, amentque ſuaviſſimam pulchritudinem animæ, quæ cœleſtis gratiæ munere fit ſponſa Jeſu Chriſti Unigeniti Filii Dei, qui ei caſtiſſimo amplexu ſociatur. Ament Angelorum, Sanctorumque conſortium, quibus ſi charitate fœderati ſint, reciproco eorum amore, ac protectione gaudebunt. Quærant in primis regnum Dei, & juſtitiam ejus: & ita ſe cautè gerant, ut è temporali principatu, quacumque hora vocentur, in regnum ævo ſempiterno permanſurum, aſcendant.

Peroratio.

HÆC habui, Principes piiſſimi, quæ vobis ad propriam cujuſque ſalutem, & communem Reip. fœlicitatem offerrem. Scriptoris vota planè immenſa ſunt; at vires exiguæ. Percurrite non ſemel, quæ digeſſi, ut crebra meditatione relecta generoſis animis altiùs imprimantur. Spero equidem divinam bonitatem, ac ſapientiam candidè legentibus affuturam, ut ſcriptum hoc affectu pio elaboratum, ad politiam civitatis Dei utcumque proficiat.

* * *

IN SEQUENS OPUS

PRÆMONITIO.

ANno ſequenti poſt ſuperiorem, hanc alteram auream Opellam, medius inter tot totius Ordinis Præfecturæ ſollicitudines, ſcripſit Johannes, multa jam rerum experientia abſolutus; in qua videtur mihi imaginem ſui regiminis ipſe affabre referre. Operis ideam, & partitionem habes ex ejus Præfatione. Illius meminit in Libro de Regimine Monaſtico par. 2. cap 1. *quod ſupra in hoc ipſo Tomo videris, pag.* 82. *Eodem anno* 1613. *primo Romæ parvo libello edita eſt per Jacobum Maſcardum; deinde tertio Operum Tomo Coloniæ inſerta a pag.* 35.

VETUS AUCTORIS NUNCUPATORIA EPISTOLA

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE DOMINO

D. CARDINALI BURGHESIO

FR. JOANNES A JESU MARIA S.

VIderis mihi, Cardinalis Ampliſſime, partem maximam orbis terrarum ſuppoſitis innixam humeris geſtare; quippe qui inter purpuratos Senatores, proximus ades Pontifici Maximo, dignus tanto Principe nepos. Erit ergo è Republica, ut qui ad Eccleſiæ gubernandæ conſortium ſingulari Dei providentia videris accitus, in promptu habeas Artem Gubernandi ſelectis concinnatam conſiliis, & paucis non ſententiis modò, ſed & verbis comprehenſam, univerſiſque, qui quovis nomine præſunt, conſultò deſtinatam. Humanitas adſit mihi tua, ut ſcriptum hoc compendiarium, quod abſque functionum graviſſimarum decremento, lectitari poteſt, tibi nuncupari æquo animo feras; tametſi ferre vix poſſis, quod in dedicatoriis epiſtolis uſu percrebuit; ut merita tua eximia recenſeam: quod quidem officium lubens prætereo, cùm perſpectum ſit, perquàm raras animi tui dotes, quas mundus penè univerſus habet exploratas, epiſtola una quantumvis prolixa, vel tenuiter delibari non poſſe. Cedo equidem præclariſſimis dotibus, quas Deus provehat Clementiſſimus: quem precor enixè, Ampliſſimi Cardinalis Burgheſii virtus per annos plurimos cœleſtibus auxiliis cumulata, & ſecundis ſucceſſibus aucta procurrat.

AUCTORIS PRÆFATIO

AD LECTOREM.

FErt animus, ſelecta conſilia imperio deſtinata perſpicuè, breviterque digerere. Non huc intexo præceptiones proprias, quæ ad ſingula gubernationis genera pertinent; neque enim Pontificiam, Regiam, Monaſticam, aliaſve regiminis ſpecies, ſed univerſalia pietatis, ac prudentiæ, aliarumque virtutum capita tradere conſtitui, quæ omnibus, qui præſunt, facilè congruant. Utor gubernatoris nomine quod Pontifices, Prælatoſque omnes Eccleſiaſticos, Imperatores, Reges, Prætores, & univerſos, qui quovis nomine gubernant, communi ſignificatu complectitur. Spero autem, doctrinam ſcripti hujus eam eſſe, quæ altè concepta conferre poſſit, non ad genus modò, ſed ad ipſas quoque præfecturæ ſpecies, quod perſpicax Lector expendat. Scriptum in partes diſcrevi quinque: in prima prænotiones tres planè neceſſarias, in ſecunda conſilia ad exordium, & progreſſum gubernationis appoſita, in tertia ſelecta nonnulla, quæ meritum, benevolentiam, & nominis claritatem gubernatori conciliant, in quarta gubernatoris dotes ſive virtutes, in quinta exhortationem repoſui: omniaque S. R. E. correctioni ſubmiſi. Clementiſſimus Deus Scriptoris vota in commune bonum collimata ſecundet.

J. B. Jackſon in.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
CARMELITÆ EXCALCEATI CALAGURITANI
ARS GUBERNANDI
COMPENDIO SCRIPTA.

PARS PRIMA.

De tribus gubernationis prænotionibus.

Scrip. An. 1613.

CAPUT I.

Gubernatio triplex, & quænam optima.

Plato in Politico. Ariſt. l. 3. Pol. c. 5. & 8. Eth. c. 10.

TRes omnino gubernationis formas philoſophorum principes diſcrevere, Monarchiam, unius ſcilicet principatum, Ariſtocratiam, regimen videlicet optimatum, Democratiam, populi nempe totius imperium: quæ quidem formæ ſolent interdum permiſceri. A Monarchicam verò gubernationem eſſe omnium perfectiſſimam, ſcriptorum omnium Hebræorum, Græcorum, Latinorum conſenſio eſt, quæ ratione multiplici aſtruitur. Primùm quidem ex ipſa generis humani inſtitutione: non enim ex humo pariter Deus virum, & fœminam, ſed hanc ex illo produxit, ut monarchiam conderet. Inter homines quippe plures ex humo ſimul productos, nec ab uno genus ducentes, non ita perſpicuè monarchica gubernatio à Deo inſtituta, & ariſtocraticæ, democraticæque prælata crederetur. Mox idem liquet ex Hebræorum Republica ubi B monarchicam gubernationem, uti optimam proculdubiò, Deus inſtituit, quod ex Moſis, Judicum, Regum, ac Ducum ſuccedentium principatu palàm evincitur. Denique idem aſſeritur ex proprietate multiplici, quæ optimæ gubernationi congruit; ſive enim Reipublicæ ordo, ſive pax, ſive robur, ſive ſtabilitas, quatuor ſcilicet optimi principatus proprietates ſpectentur, extra controverſiam eſt, monarchica gubernatione, qua efficitur, ut omnes uni ſubſint, unius judicio ſe dedant, vires omnes in unum caput conferant, factioneſque præcaveant, feliciùs omnia ſuccedere, quàm ſi à pluribus, quorum ſententiæ vix coaleſcunt, imperium gereretur.

Phil. de conf. linguar. S. Iuſtinus Exhor. ad gentes.

S. Cyprianus de Idol. van. Chryſ. Hom 34. in ep. 1. ad Corinth.

CAPUT II. C

Gubernatio bona non tam ex genere, quàm ex veris virtutibus cenſenda.

QUemadmodum ariſtocratia in oligarchiam, ſive paucorum factionem, & democratia in ſeditionem, ita monarchia in tyrannidem degenerat, ubi pietas, & æquitas peſſundari cœperunt. Proportione verò ſervata, inter tria vitia triplici gubernationi adverſa, tyrannis peſſima; ut inter peccata, Dei odium amori divino ut actui nobiliſſimæ virtutis infeſtum, deterrimum eſt. Et quidem, licet monarchicus D principatus non ſemper adeò corrumpatur, ut in tyrannidem exorbitet, ſolet tamen imprudentia, neglectu, incogitantiaque vitiari, propriaque integritate detrita, ab ſtatu nativo velut abduci, quod aliis gubernationis generibus ſimplicibus, aut mixtis accidere, nemo Reipublicæ conſultus eſt, quem

præ-

Scrip. An. 1613.

prætereat. Ergo, ut quis rectè gubernet, non regiminis genere, ſed iis virtutibus, quæ vitia gubernationis excludant, nitatur oportet. Quocirca non mihi in vario genere expendendo, comparandoque cunctandum; ſed agendum, ut quocumque tandem genere quis præſit, norit plurimos prudentiæ, A aliarumque virtutum modos, quibus officii partes queat explere.

CAPUT III.

Gubernatio bona divinæ legi congruit.

POlitici, qui jam eo nomine malè audiunt, bonam gubernationem duobus in capitibus, quæ cum lege divina apertè confligunt, conſtituere ſolent, in religionis nempè neglectu, & proximorum damno; ut quoties ad parandam, tuendam, vel amplificandam ditionem, lucrum, vel honorem, eis quicquam appoſitum videatur, non magni pendant divinæ legis tranſgreſſionem, vel proximorum injuriam. At quàm ſit B delira hæc mortalium opinio, hac efficaciſſima ratione conficitur. Ratio, qua Deus hominum genus gubernat, omnino bona, & ad imperandum mortalibus opportuna eſt: novit quippe Deus, quibus modis hominum animi ad honeſtum flectendi ſint. Cùm ergo Deus lege divina, duobuſque in primis præceptis homines moderetur; nemo adeò deſipiet, ut eum regendi modum hominis ingenio congruentiſſimum non cenſeat. Si ergo ad regendos homines is modus duplici amore ſubnixus, ac proinde ab injuria Dei, proximique abſtinens, appoſitiſſimus eſt; quis ita ineptiat, ut gubernationem ullam credat bene inſtitui, aut proſperari poſſe, quæ legem amore Dei, proximique C comprehenſam, lucri, voluptatis, vel honoris gratia aſpernetur, vel tenuiter curet? Profectò ratio hæc una multis politicorum argumentis nequit everti, planeque pervincit, neminem umquam bene præfuiſſe, qui legis divinæ obſervationem lucris, honoribus, voluptatibus non anteferret. Quapropter, qui bene imperare cupit, duobus in cardinibus amoris in Deum, & proximos Rempublicam vertet, navabitque operam ut omnem Dei injuriam, & proximorum damna propulſet.

Politici, eorumque errores.

PARS SECUNDA.

De ſelectis conſiliis, ad exordium, & progreſſum gubernationis appoſitis.

D

CAPUT I.

De ſapientia initio poſcenda.

PRima boni gubernatoris cura, precatio, & ſacrificium eſt, ut cœleſti ſapientia cumuletur, qui rem tentat multis difficultatum ſcopulis prætextam, quæ abſque ope divina feliciter nequit abſolvi. Senſit hoc Salomon, qui ne quid inauguratò faceret, ſic Deum precatus eſt: *Ego ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* Hæc Salomonis E prima cura feliciſſimi principatus fuit origo, quod è ſubjectis verbis evincitur. *Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet hujuſcemodi rem: Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſermones tuos.* Et paulò poſt: *Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet, & gloriam &c.* Graviter ergo ſeducitur, qui politica ſolicitudine anxius, incertæ mortalium providentiæ innixus, officio ſibi credito ſe credit poſſe honeſtè perfungi, niſi Dei ſapientiam primùm exquirat. Quòd ſi opes, gloriamque appetat, præpoſterus F ordo eſt, neque ex voto res ea ſuccedit, niſi priùs ſapientia juſtitiæ aſſertrix poſtuletur, cui opulentia, & claritas nominis adnaſcitur. Dei ergo ſapientia primùm depoſcenda eſt.

3.Reg. 3.7.9.

Ibid. v. 10. 11. 12.

Ibid. v. 13.

CAPUT II.

Affectus repurgandus.

QUI affectu impuro Reipublicæ tamquam navis procellis jactatæ clavo, privati boni ſtudio manum admovet, curſum minimè diriget, verùm in ſcopulos eam impinget; ut cæteris demerſis, ipſe præmeditatus, è naufragio alienas opes diripiens, G velut infidus nauclerus in ſcapham deſiliat, & in littus erumpat: Affectus porrò purus exiſtimandus, cùm Dei gloria, populique ſalus, abſque privati boni intuitu, expetitur, quod altè imprimendum eſt. Sanè Moſes numeroſi populi rex amplam felicioris principatus, ac proinde auctioris gloriæ, opulentiæque pollicitationem accepit, dum acerbam populo detractiori necem Deus minaretur in hæc verba: *Uſquequò detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam: te autem faciam principem ſuper gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc eſt.* Ecce promiſſio regni felicioris: & tamen Moſes propriæ felicitatis immemor, ratus cladem populi, Ægyptiorum interpretatione, in dedecus H Divinæ Majeſtatis ceſſuram, ferre non potuit, quod ab Ægyptiis obiiciendum præſagiebat. *Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: idcirco occidit eos in ſolitudine.* Sic in preces incumbens, Deum ut iræ gladium diſtrictum reconderet, exoravit, & cum divinæ gloriæ ſtudio populi ſalutem connexuit, ut patet è ſubjectis Dei verbis: *Dimiſi juxta verbum tuum.* In hunc modum affectus repurgandus eſt, ut guber-

Num.14. 11. 12.

Ibid. v. 16.

Ibid. v. 20.

Scrip. An. 1613. natio privati boni appetentia minimè vitietur, & cœleſtibus auxiliis aucta procurrat.

CAPUT III.

Animi ſub initium conciliandi.

NEquit bene præeſſe, qui non imperat animis: corpora quippe coacta, A animis interim averſantibus imperium, nec fideliter, neque diu parent, ſed valido reniſu obedientiæ repagula perrumpunt. Quapropter animos primùm boni gubernatores ſibi conciliant ipſo præfecturæ ingreſſu, quod modeſtia, verborum dulcedine, morum ſuavitate, promiſſis, muneribuſque obtinetur, ut per ſe compertum, ac experimentis creberrimis probatum eſt. Confert ad hanc rem ſubditorum adhortatio, & animorum dejectorum erectio, qualis illa David: 2. Reg. 2. 7. *Confortentur manus veſtræ, & eſtote filii fortitudinis: licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamen me unxit domus Juda in Regem ſibi.* Quibus certè in verbis tacita quædam tuendæ gentis promiſſio ineſt; B cui ſi accedat fida cuſtodia, expletaque pollicitatio, miris incrementis gubernator augetur, ut patet ex illo: 2. Reg. 3. 1. *Facta eſt ergo longa concertatio inter domum David, & inter domum Saulis: David proficiens, & ſemper ſe ipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.* Obſervandum hîc è primo gubernatoris orſu, ſubditos concipere ſenſum, quem vix umquam deponant, timoremque principio incuſſum tragicam ruinam portendere. 3. Reg. 12. 14. Potuit certè, debuitque Roboam ipſo in regni primordio animos devincere miti reſponſo, ubi populus imperium Salomonis graviſſimum leniri poſtulavit: at durè reſpondit, & infauſtum exordium populi defectio excepit. Ergo animi ſub initium C conciliandi ſunt.

CAPUT IV.

Tanquam inter æquales agendum.

MAjeſtas inviſa, humanitas grata mortalibus eſt, meritoque ſcriptum: Eccl. 32. 1. *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis.* Majeſtas timoris, humanitas amoris genitrix jure appellatur: atque idcirco, qui bene imperant, in humanitatem verbis, actibuſque propendent, ut vulgò inter æquales verſari videantur. Sic Paulus, cum ſcriberet Romanis in hæc verba: Rom. 1. 11. *Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos.* Quæ quidem verba magiſterii gravitatem olere videbantur; D ſtatim ne quid grande jactaſſe crederetur, ſic ſeipſum interpretatus eſt: Ibid. v. 12. *Ideſt ſimul conſolari in vobis per eam, qua invicem eſt, fidem veſtram atque meam.* Quaſi planiùs ita effaretur: Scripſi, velle me vobis aliquid inſtructionis impertiri, non ſanè quod ipſe me vobis præferam; ſenſus ergo meus eſt, optare me vobiſcum familiariter agere, ut velut æquales mutua fidei oſtenſione recreemur.

Ceterùm Chriſti poſt lotionem pedum diſcipulos admonentis exemplum efficaciſſimum eſt. Nimirum ait: Ioan. 13. 13. *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine: & bene dicitis; ſum etenim.* Quibus ex verbis planè deduci potuit, debere diſcipulos demiſſiùs multò agere, quàm ipſe feciſſet: & tamen velut æqualis intulit: Ibid. v. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros dominus, & magiſter: & vos debetis alter alterius* E *lavare pedes.* Ergo qui præeſt, velut æqualis agat, niſi ubi ratio ipſa gravitatem exigit, & quodammodo extorquet; quæ certè doctrina ad flectendos animos vim habet immenſam.

CAPUT V.

Diſſimulandum, ſi non omnes acquieſcant.

BOni gubernatoris eſt, omnium captare benevolentiam, ut omnes flectat ad honeſtum: ferre verò patienter, diſſimulareque, ſi non omnes applaudant: proceſſu quippe temporis dura pectora mulcebit. Profectò poſtquam Sauli acclamatum fuit, Vivat Rex, populuſque ab Samuele dimiſſus domos proprias repetivit, F non eveſtigiò univerſi acquieverunt, ſed ut ſacer textus habet: 1. Reg. 10. 26. 27. *Abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filii verò Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille verò diſſimulabat ſe audire.* Profuit verò ſimulatio; nam paulò poſt univerſus Iſrael miro concurſu Saulem in bellum ſubſequitur, ſicut ſcriptum eſt: 1. Reg. 11. 7. *Et egreſſi ſunt quaſi vir unus:* Et quidem tunc Saul piè, ac prudenter egit, ut in exemplum proferri queat, cum vitæ puritate niteret, conſilioque divino regeretur, nondumque deſipere cœpiſſet: præterquam quòd doctrina hæc à bonis Prælatis, Principibus, Prætoribus, & G quovis nomine Præfectis paſſim exercetur, ut opportuna ſimulatione de ſubditorum animis ante rigentibus, poſtea flexis illuſtres victorias referant, quarum exempla ætate quoque noſtra minimè deſiderantur, ſive togam, ſive militiam, ſive Monachorum Clauſtra ſcrutemur.

CAPUT VI.

Subditorum ingenia principiò exploranda.

FAmiliare eſt iis, qui piè, ac prudenter præeſſe cupiunt, ingenia ſubditorum explorare, ut quemque ſuaviter ducant: neque enim militarem animum civilibus, neque civilem militaribus exercitiis addicere ſapientis gubernatoris eſt. Hunc Philoſophia, H illum Juriſprudentia, alium Muſica, nativo quodam voluptatis genere trahit; velleque ingenia ſic affecta aliorſum abducere, violentum præfecturæ genus eſt, quod bona ſemina naturæ opprimit, feracemque terram reddit effœtam. Quocirca gubernator quiſque non aliorum relatu modò, ſed periclitatione propria ſubditorum propenſiones internoſcere curet: & cuique functiones eas credat, in quas pronior, & expe-

Scrip. An. 1613.

expeditior eſt, ut Deo propenſionum honeſtarum ſatori congruat. Profectò Prælati minimè pauci hac tempeſtate ex hoc capite laudem multam promerentur, & ingenia pro naturæ ductu expolientes, viros eximios appoſita cultura procreant, quos Eccleſia honore digniſſimos cenſet. Quin etiam Ethnici ipſi hoc ingeniorum examen A indicarunt, ſuaſeruntque, ut liquet ex illo:

Virg. Lib. 6. Æneid.

Excudent alii ſpirantia molliùs æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt alii cauſas, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.
Tu regere Imperio populos Romane memento, &c.

Quaſi Poeta luculentiùs diceret: Obeant alii functiones alias pro ingenio quiſque ſuo: tu verò, Civis Romane, qui ad imperium natus videris, imperio aſſueſce.

CATPU VII.

Subditi privatim monendi

B

FRequenti experimento compertum eſt, communes adhortationes cum privatis conferri non poſſe, ſi ſubditorum inſtructio, utilitaſque ſpectetur. Illa quippe vivæ vocis energia non vaga, & indifferenter effuſa, ſed ad unum hominem permulcendum, roborandum, vel erudiendum intenta, efficaciùs multò animum mollit, flectitque quò velis. Nimirum peculiaris eſt amoris index, nemoque adeò ferus eſt, qui ſe privato benevolentiæ ſignificatu tantillum urgeri non ſentiat, fiatque ad ſubdendum collum aliquantò facilior, & ad correptiones, vel monita manſuetior. Obſervavit hoc Apoſtolus, ut patet ex illo: *Quoniam per triennium nocte, & die non ceſſavi cum lachrymis monens unumquemque veſtrum.* (Act. 20. 31.) C Quod Apoſtolicis viris altè impreſſum eſt. Quinetiam non viri Apoſtolici, ut Epiſcopi, Monachorumque Prælati ſolùm, ſed Principes quoque ſæculares, militumque ductores eam doctrinam communi ductu prudentiæ obſervant, quæ ſine gravi communis boni decremento negligi nequit. Verùm hìc annotandum; privata monita, quæ nihil niſi blandum præferunt, crebra eſſe debere, nec indigere uſque adeo expenſis verbis, aut ſententiis: illa verò, quæ ad inferendam correptionem deſtinata, & proinde aculeata videntur, multa eſſe meditatione libranda; rariuſque adibenda, ne animos exacerbent.

D

CAPUT VIII.

Rationes humanæ divinis admiſcendæ.

OPtanda, ſed non exigenda eſt à populo, vel familia ſumma perfectio, quæ à paucis conquiritur, & à paucioribus paratur. Quocirca bonus, ſapienſque gubernator rationibus humanis plerumque conveſtit, quod ſubditis demandat, licet impurum quid videatur, ejuſmodi rationibus animos urgeri, quos Dei ſolius intuitu agi, foret honeſtius. Sic hominem gloriæ cupidum ad Dei cultum non ex ſola rei honeſtate, ſed ex adjuncta nominis claritate, quæ inde ſolet oriri permovere viri prudentis eſt: experientiaque conſtat, E induſtriam hanc ſæpe profuiſſe, non modò ut ſubditi res arduas impigrè aggrederentur, ſed ut temporis proceſſu affectum repurgarent, perſequerenturque rationibus divinis innixi, quod humanis extimulati cœperant. Neque ideò doctrina hæc à viris Chriſtianis reſpuenda, quòd ea homines Chriſti exortes familiariter uſi fuerint: ſcopus quippe ſtudia diſcriminat. Illi ſcilicet profanè doctrinam uſurparunt, ut patet ex illo, qui gloria propoſita fœmineum animum ſic ad ſua vota flectebat:

Ibis Dardanias ingens Regina per urbes: Ovid. Her.
Teque novam vulgus credet adeſſe Deam. Epiſt. 15.

Et ex illa, quæ virilem animum perſimili ſcopo ita demulcebat: F

Quando erit, ut condas inſtar Carthaginis urbem, Ovid. Her.
Et videas populos altus ab arce tuos? Epiſt. 10.

At ſcopus Chriſtiani gubernatoris pius eſt, prudentiaque ductrice, ſubditorum ingeniis, & affectibus ad pietatem colendam utitur: qua quidem obſervatione, inepta coaptat, & deformata reformat.

CAPUT IX.

Irati placandi.

SAtis crebrò intemperantes, vel graviter affecti ſubditi non æquè ac decet, eos qui præſunt, venerantur, verbiſque, ac incompoſitis motibus inſoleſcunt: qui ſi objecta Majeſtate aſperè reiicerentur, pejùs ineptirent, G perſimileſque evaderent commoto mari ſcopulis illiſo, atque recuſſo, ac proinde ſpumas agenti, ſtrepituque multo excandeſcenti. Hos ergo leniter accipere, ſuavitateque multa delinire prudentis gubernatoris eſt, ut miteſcant non abſimiles mari, quod poſtquam extumuit, ad mollis arenæ in littore jacentis tactum ſeſe placido lapſu demittit. Rectè ſcriptum: *Reſponſio mollis frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem.* (Prov. 15. 1.) Quocirca ſapiens gubernator leniter reſpondet iratis, neque illorum verba trutinat: dictitatque ſubridens, credere ſe eos, ubi ira reſederit, aliter opinaturos, & unam fore omnium ſententiam, interimque H ſatius eſſe rem differre, aliaque id genus, quæ nequeunt certo numero comprehendi.

CAPUT X.

Mœſti exhilarandi.

MOeſtitia, ubi populum, vel familiam invaſit, animos hebetat, & contrahit, corporaque torpore multo retardat, Scrip. An. 1613. ne munia obeant, & expeditè obſequantur, atque adeò ſolerter præcavenda, vel depellenda eſt. Remedium præſentaneum eſſe ſolet lætus gubernatoris vultus, ut ex una Davidis poſt Abſalonem cæſum liquet 2. Reg. 19.1. 2. 3. hiſtoria in hæc verba: *Nuntiatum eſt autem Ioab, quod Rex fleret, & lugeret filium ſuum: & verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo, & declinavit populus in die illa* A *ingredi civitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiens de prælio.* Ecce quàm efficax eſt vultus gubernatoris mœſtus, qui exercitum parta victoria exultantem deiicit. Novit hoc rei benè conſultus Joab, cujus admonitu rex deterſis lachrymis, exutaque veſte lugubri in publicum prodiens, victorem populum expeditum, 2.Reg. 19. 8. & alacrem mira celeritate concivit, ſicut ſcriptum eſt: *Surrexit ergo rex, & ſedit in porta: & omni populo nuntiatum eſt, quod rex ſederet in porta: venitque univerſa multitudo coram rege &c.* Ceterùm læto gubernatoris vultui ars quædam ad excogitandos inducendæ, augendæque lætitiæ modos adiicienda eſt, qua plurimùm excellunt Prælati B numero pauci, quos ſpiritus inſtruxit divinus, cujus capitalis inimica mœſtitia eſt. Hi, ubi quempiam vel nativa, vel acquiſita melancholia ægrum, vel fortuitò afflictum animadvertunt, peculiari cura ei adeſſe, ſolari, à laboribus quoad licet, eximere aſſueſcunt, ut animus mœroris collectione diſcuſſa, ad virtutem colendam fiat expeditus, & alacer.

CAPUT XI.

Ante correptionem animi demulcendi.

GRaviter ſubditis nocet, qui parum prudenter correptionem infert: mox quippe ac animus aculeum correptionis exertum, nulloque molli operimento cernit obtectum, contrahit ſeſe ductu naturæ, quæ C aſperitatem horret. Quamobrem lenia primùm verba promenda, benevolentiaque amanter valde captanda, ſtatimque adhibenda correptio: quæ tametſi dura, concepta jam amoris perſuaſione libenter, vel patienter ſaltem accipitur. Doctrinam certè hanc Deus ipſe luculento commendavit exemplo, cum Nathan Prophetam ſubmiſit, qui Davidem ob adulterium, homicidiumque corriperet. Propheta ſcilicet, ne Regem exaſperaret, parabolam præmiſit, qua ſaxa molliret, Regique molli laqueo parabolæ capto, hæc verba Dei nomine ſubtexuit. *Ego unxi te in Regem ſuper Iſrael,* 2. Reg. 12.7. 8. *& ego erui de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu* D *tuo, dedique tibi domum Iſrael, & Juda: & ſi parva ſunt iſta, adiiciam tibi multò majora.* Exordium hoc melle dulcius eſt, quo feræ ſæviſſimæ manſueſcerent; animoque jam molli adhibetur correptio in hæc verba: *Quare ergo contempſiſti verbum Domini?* Ibid. v. 9. Sic David convictus, intimoque dolore correptus eſt, Ibid. v. 13. unde vox illa erupit, *Peccavi Domino.* Hic fructus porrò ſuaviſſimus maturæ correptionis eſt.

CAPUT XII.

Sæpe parcendum.

QUàm ſit prudenti, pioque gubernatori conſentaneum, ſæpe ignoſcere, ex ipſa Dei providentia, qua mundum adminiſtrat, E perſpici poteſt. Perſpicitur quoque ex oraculo illo per Chriſtum reddito: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Matt. 18.22. Res planè comperta eſt, cui nemo refragetur, niſi qui ſe mortalem, fragilemque non meminit. Vel ipſi Ethnici naturæ lumine ducti in hanc ſententiam, tamquam diis ſuis confictis probatam conſpiravere, ut cecinit ille:

> *Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat* Ovid. Lib. 4. de Triſt. ad Aug. Cæſ.
> *Juppiter, exiguo tempore inermis erit:*
> *Nunc ubi detonuit, ſtrepituque exterruit orbem,*
> *Purum diſcuſſis aera reddit aquis.*

F Quibus in verbis illud obſervatione dignum videtur, quòd Juppiter inducitur territans homines, ut formidine coerceat, quos punire nollet. Atra nubes quaſi Jovis irati ſubſellium, pingitur, unde horrendo cum fragore, multiplici crepitu fulmina vibrat, rutilatque per quoſdam hiatus diſciſſæ nubis, ut aquis potiùs ruentibus, quàm fluentibus mortales obruere velle videatur: & tamen mox ſereno cœlo velut arridet. Appoſitum ſanè commentum, quod bonis gubernatoribus congruere nemo inficietur.

CAPUT XIII.

Punitio differenda.

QUod Imperatores laudati in expugnandis hoſtium urbibus moliuntur, G ut iteratis militaris diſciplinæ verſutiis excidium, cædemque procraſtinent, deditionem expectantes, hoc boni gubernatores in Republica, familiaque conantur; atque adeò non parcunt modò, quod ad præcedentis capitis doctrinam ſpectat; ſed ubi parcendum non eſt, pœnam, quoad fieri poteſt, prorogant, ne puniendi cupidi videantur. Qua ſanè in re conſentiunt Divinæ Majeſtati, quæ ulciſcitur ſerò, ut jam in proverbium abierit, (Plutarchus ſic librum inſcripſit.) *Sera Numinis vindicta.* Ratio ſuffragatur, nam ſi pœna properè irrogetur, infertur plerumque damnum, quod repenſari nequeat: quod è maturo vindictæ conſilio non imminet. H At non proinde pœna ita proroganda, ut licentia ingruat.

CAPUT XIV.

Abutentes venia, plectendi.

AB ineunte mundo familiare Deo fuit, priùs benefacere, ingratos poſtmodum ac

Scrip. An. 1623. ac protervos plectere. Quod tum alibi, tum in parabola ſervi nequam perſpicuè ſatis oſtendit, ubi hominem ingratum, immemorem indulgentiæ recenter acceptæ, graviter Matt. 18. 32. 33. objurgat in hunc modum: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit, & te miſereri conſervi* A *tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Hæc obiecit ſervo ad judicium revocato; quòd clementia divina abuſus eſſet: & mox, Ibid. v. 34. *Tradidit eum tortoribus*. Hæc boni gubernatoris inſtructio eſt, decoruſque ordo, ut impenſa, neglectaque beneficia ſubſequatur ultio, cui viam ingrati animi ſternunt, ſuoque ſe gladio jugulant.

CAPUT XV.

Criminum rei cædendi.

IIS, qui peccando ſibi dumtaxat nocent facilè ignoſcere; de iis verò quî multiplici crimine Reipublicæ officiunt, pœnam ſumere par eſt: nam venia, quæ Reipublicæ B perduellibus indulgetur, non clementiæ, ſed injuſtitiæ, ignaviæ, vel negligentiæ tribuitur. Sic David: *In matutino interficiebam* Psal. 100. 6. *omnes peccatores terræ: ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*. Evigilabat ſcilicet, ut inopinos malefactores caperet, ac nece illorum urbem expiaret, quæ alioqui multis criminibus ſorderet. Hæc Rex ille, qui cum mitiſſimus eſſet in eos, à quibus ei irrogabatur injuria, ſeverè in Reipublicæ hoſtes animadvertere conſuevit.

CAPUT XVI.

Leviora multa conſultò diſſimulanda.

C EXpedit pleraque levia non patienter ferre tantùm, ſed ea velut incognita præterire, ne gubernator occaſionum ultricis juſtitiæ captator videatur, fiatque proinde inviſus, unde pejora contingant. Hinc efficitur, ut Prælati à prudentia celebres, verbis artificioſè compoſitis, leviorum culparum, quarum conſcii ſunt, ignorationem crebrò confingant, tum ne impunitas conceſſa, ſed fortuita credatur, tum etiam ne ſubditorum cervicibus incumbere, & ab eis ſummum jus exigere velle exiſtimentur, quod animi ſubditorum horrent. Profectò Chriſtus Apoſtolos rudes, imperfectoſque tulit, nec leves culpas, quas nonnumquam admittebant, exprobare, ſeu penſitare conſuevit, licèt eos interdum ſuaviſſimè potiùs inſtrueret, quàm corriperet: quod ex ipſo D evangelico textu perſpici poteſt.

CAPUT XVII.

Populo ſatisfaciendum.

EVenire ſolet, ut perturbatus populus ſuſpicione vexetur, quæ alienet animos, dum auctoritate gubernatoris ſcelus aliquod perpetratum conjectat. Quo in eventu pii, ac prudentis gubernatoris munus eſt, ſuſpicionem ſerio aliquo actu abolere, atque ita ſe gerere, ut omnino perſuadeat, ſe culpa vacare. In hunc modum David, cùm injuſſu ipſius, Joab, & Abiſai interfeciſſent Abner Præfectum militiæ Saul, quem honore afficere debuerant, ſolemni funere elatum, ac tumulatum flevit, populumque E ad lacrymas permovit, juravitque ante ſolis occaſum ſe fore jejunum, ad ſenſum doloris, innoxii hominis morte conceptum exprimendum, quo quidem luctu ſe necis auctorem non fuiſſe convicit, ut ex his ſacri textus verbis liquet. 2. Reg. 3. 36. 37. *Omniſque populus audivit, & placuerunt eis cuncta, quæ fecit rex in conſpectu totius populi. Et cognovit omne vulgus, & univerſus Iſrael in die illa, quoniam non actum fuiſſet à rege, ut occideretur Abner*. Nocet, vel levis ſuſpicio ſiniſtra de integritate gubernatoris in vulgus illapſa: quocirca quantocyus expungenda eſt. Cavendum tamen, ne gubernator exoſus irato populo ſeipſum obtrudat. Qua quidem in re Paulum imitari decebit, F qui cum Epheſiorum vulgus à quodam Demetrio concitatum adverſus Apoſtoli ipſius doctrinam vehementer clamitaret, Act. 19. 34. *Magna Diana Epheſiorum*. Morem geſſit diſcipulis, & nonnullis Aſiæ principibus rogantibus ne ſe daret in theatrum, cum ejus tamquam odioſi hominis præſentia, & adhortatio importuna, & periculoſa videretur. Sic prudens gubernator ab intempeſtiva efferati populi admonitione abſtinet, alioſque ſubmittit, qui, grati cum ſint, vulgus pacare ſtudeant, donec ipſe animos jam ſedatos affari, ac permulcere queat.

CAPUT XVIII.

G

Quæ agenda ſunt non facilè prænuncianda.

VIR ſapiens non leviter prænunciat quæ agere conſtituit, cum conſilium mutare, vel imperfectum opus relinquere, vel cœptum corrigere, plerumque contingat: quo in eventu triplici, ſatius eſt rem non vulgaſſe. Accedit boni propoſiti ſpes ſæpe fruſtrata. Accedit cautio, ne bona cœpta à malevolis intercidantur. Accedit denique admiratio perfecti operis velut repente nati. Sunt & alia prudentiæ capita ad rem hanc confirmandam opportuna, quibus efficitur, frequentiùs peccari lingua exerta, quàm cohibita: Ergo ubi res maturuerit, tempeſtiva detectio eſt: dum verò obnoxia eſt mutationi, prudentiùs reticetur.

CAPUT XIX.

H

Abuſus extirpandi.

NUllus ager adeò felix eſt, qui inter bonam ſegetem, carduos aliquot, loliumque vel modicum non refundat, ut cultori opus ſit, noxium terræ feracis partum revellere, cauto, ne bonis ſeminibus officiat. Quocirca gubernator prudens, mox ac populi, familiæve abuſus deprehendit, ani-

Scrip. An. 1613. animum appellit ad eos evellendos, caveatque quàm ſeriò poteſt, ne bonis moribus ſeveritate noceat. Atque ideò leviter incipit illam velut ſylvam ſenticoſam apprehendere, & à bonis plantariis oculatè diſcernere, ut adhibito poſtmodum conatu, illæſo tritico zizania eradicet. Non ergo A impetus ſub initium faciendus, non acriter perſtrependum, ſed ſuavitate multa animi permulcendi, ut vim poſtea factam, vel admotam quaſi falcem patienter, vel etiam alacriter ferant. Profectò inſignis prudentiæ argumentum eſt, populum familiamve in morem unum diu incumbentem aliorſum vertere, quaſi dicas, fluvium alveo uno decurrentem aliò ducere: quod implorato Dei auxilio, adhibitoque ſenum conſilio tentandum eſt.

CAPUT XX.

Boni mores inducendi.

NON hîc conſulitur legiſlatio, quæ quò B parcior, eò ſolet eſſe ſalubrior, ſed modus quidam populum, familiamve ad pietatem, non tam verbo, quàm exemplo permovendi, quem pii ac prudentes gubernatores obſervant. Profectò Imperator, qui in Urbis obſidione verſatur, cernitque ad capiendam Urbem opus eſſe, ſylvam cædere, vel expleta foſſa viam exæquare, non mandato, ſed exemplo rem conficit, ſi tantùm ipſe primus excidat, vel accepto ligone terram effodiat. In hunc modum, qui bene præſunt, dum morem aliquem bonum animis ſubditorum ingenerare cupiunt, taciti primùm ipſi rem auſpicantur, eoque ipſo populum ad rem eamdem vehementer afficiunt, ſive de eleemoſyna eroganda, ſive de hoſpitalibus domibus extruendis, ſive de tradendis nuptui virginibus, ſive de ſpiritualibus exercitiis frequentandis ſermo fiat: C quod utinam Lector expendat.

CAPUT XXI.

Conſiliarii pii, ac prudentes aſciſcendi.

QUI Rempublicam familiamve gubernat, ſæpe velut nauclerus inter Oceani vortices, cœlo nubibus obducto, ventis ſævientibus, & imminente naufragio anceps, inopſque conſilii hæret, & quo ſe vertat ignorat. Subeunt cogitationes variæ, conjecturæ, ſuſpiciones, multipliceſque animi motus; qui abſque fido conſiliario minimè ſedantur. Exquirendi ergo viri, quos pietas, prudentiaque commendet: nam ſi deſit alterutrum, integritas ad conſilium requiſita D obtruncatur, cùm pietas voluntatem, prudentia intellectum inſtruat, & pars utraque ad bene conſulendum coeat. Quod gubernatores laudati percallentes, inculpatos ſenes à conſiliis habere ſolent; ſenes ob experientiam prudentiæ parentem, inculpatos ob exemplum pietatis ex vitæ candore ortum: neque enim impura vaſa purum liquorem evergunt. Non defuit Architophel experientia, adeoque conſilii fama claruit, ut tanquam oracula Divina ejus reſponſa acciperentur, ajente ſacro textu: *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum*. 2.Reg.16.23 Defuit autem ei pietas, ut liquidò perſpicitur ex turpiſſimis conſiliis, quibus Abſalonem inſtruxit, ut piiſſimum patrem exturbaret à regno: E atque adeo arte, quam profitebatur, captus eſt: nam cùm ferre non poſſet Chuſai conſilium ſuæ ſententiæ præferri, *Suſpendio interiit*. 2.Reg.17.23 Ergo experti piique conſiliari perquirendi.

PARS TERTIA.

De ſelectis nonnullis, quæ meritum, benevolentiam, & nominis claritatem gubernatori conciliant.

F

CAPUT I.

Nulla perſonarum acceptio.

PErmulta gubernatori ocurrunt, ſive in deferendis honoribus, ſive in muneribus diſtribuendis, in quibus intentio ab recto detorqueri, animique candor fœdari poteſt occaſione cognationis, amicitiæ, vel affectus immodici, qui ultra metam rationis exultet. Quapropter omnia rationum momenta penſitanda, ut virtuti honor, ac munera congruant: iſque aliis præferendus, quem auctiora merita commendant. Qua ſanè in re optimè de Republica merentur, qui monitores, ac deprecatores importunos ſic audiunt, ut nequaquam exaudiant; quod G viros ſapientes proculdubiò decet. Profectò Salomon matrem quoque propriam pro Adonia precantem rejecit: Exemplarque noſtrum Chriſtus Zebedæi filios primarum ſedium poſtulatores gravi reſponſo fregit. Sic bonus gubernator, ut idoneus meritorum expenſor, inepta poſtulata repellit.

CAPUT II.

Munerum repulſa.

INter corruptelas, quibus bonæ gubernationis forma fœdatur munerum recenſetur acceptio, quæ animum emollit, & à recto æquitatis ſtatu flectit, ut nimis tritum, ac vulgatum eſt. Quamobrem manus excutiendæ, H ne inquinetur animus, quod obſervaſſe videtur Job, incorruptus princeps, his verbis: *Si in manibus meis adhæſit macula; ſeram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur*. Iob.31.7.8. Imprecatur ſibi, ſi ejus culpæ reus ſit, grande malum, quod ſerpat in poſteros, tamquam ſubnotet, gubernatores indignos corrumpi muneribus gratia ſobo-

ſobolis, quam locupletare geſtiunt. Optandum, ut munera tamquam exitialia ſpicula animus extimeſcat, malitque pietatis, ac juſtitiæ cultu, quàm auro diteſcere.

CAPUT III.

Audientia facilis

FAcilitas audientiæ commendatur, ut gubernator ametur, dum ſubditos benignè acceptos, ac dimiſſos ſibi cordi eſſe demonſtrat. Compertum eſt quippe, difficultatem in hoc genere prætextam populo, familiæque ingratam accidere, additis querimoniis, quòd non pateat aditus ad eum, qui ex officio ejuſmodi labori obnoxius eſt. Rem expendiſſe videtur S. Ambroſius, de quo S. Auguſtinus: *Non enim vetabatur quiſquam ingredi, aut ei venientem nuntiari mos erat*. Quòd ſi hæc nimia facilitas celatur, certè id ſaltem hoc exemplo conficitur, ut gubernator audientiæ poſtulatores non ægrè admittere debeat: quæ quidem doctrina divinæ charitati, qua gubernator debet excellere, conſentanea eſt: præterquàm quòd Ethnici principes politica dumtaxat ratione ducti, ut Philippus Macedonum Rex, & Veſpaſianus Imperator, aliique nonnulli neminem ab audientia excludere conſuevere.

A

Lib. 6. Conf. cap. 3.

B

CAPUT IV.

Graviorum dumtaxat reſervatio.

NEgotia plurima, graviaque ab homine uno quantumvis perſpicaci, atque ſolerti vix prudenter geri poſſunt: quapropter boni gubernatoris eſt, rerum momenta perlibrare, aliiſque credere, quæ ipſe, vel minimè, vel imperfectè conficeret. Erat ſanè Moyſes vir ſapientia inſtructus divina: & tamen cum ejus cognatus Jethro dies totos pro tribunali ſedentem, & à populo circumdatum cerneret, ait: *Quid eſt hoc, quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane uſque ad veſperam?* Et paulò poſt: *Non bonam*, inquit, *rem facis: ſtulto labore conſumeris*. Hæc Jethro: cui auditis, quas prompſit, rationibus, Moſes acquievit, conſtituitque miniſtros, qui, ut ſacer textus habet, *Judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes*. Profectò gubernator, qui omnia quoque leviora diſquirere pergit, imperfecti operis auctor eſt, & dum nihil exactè pertractat, ſibi conflat invidiam, quod nemini fidem habere videatur. Hinc efficitur, ut viri prudentes, qui ſupremè præſunt, inferiorum præfectorum actibus ſeſe non obtrudant, quod laudati regiminis argumentum eſt.

C

Exod. 18. 14. 17.

Ibid. v. 26.

D

CAPUT V.

Graviorum demandata cura.

GRaviora interdum demandare opus eſt, ad quorum expeditionem perſpectæ fidei, ac prudentiæ viri ſeligendi: quibus ampla impertienda facultas, ut pro arbitratu quoque ſuo, quæ in rem præſentem quadrent, ex multiplici circumſtantia gubernatori incognita decernant. Nam in referendis ad gubernatorem rebus multum plerumque ineſt damni, occaſioque dilapſa revocari nequit. Doctrinam verò hanc adeò viri ſapientes obſervant, ut non modò fidis, prudentibuſque delegatis copiam decernendi faciant, ſed puras etiam chartas ſubſcriptas, & ab eis perſcribendas, & obſignandas, ubi occaſio id exegerit, concedant. Tantæ ſcilicet digna auctoritatis fides prudentiæ ſociata cenſetur.

E

CAPUT VI.

Salubrium monitorum acceptio.

NEC regem, nec prætorem, neque patremfamilias dedecet admoneri: decetque maximè prudenti admonitioni acquieſcere, ne durum evadat imperium. Si enim, qui præeſt, bonos monitores arceat, ipſe ſibi oculos eruit, vel obſtruit, qui ſolus omnia pervidere nequit. Solent autem viri graviter commoti acriùs, quàm alii, conſilia bona reſpuere, eo ſcilicet tempore, quo, cum ſint velut mentis impotes, maximè conſiliis indigent. Tunc ergo paſſiones irritatæ compeſcendæ, animuſque ad ſalubria monita coaptandus eſt. Quod præclaro aſtruxit exemplo Naaman princeps militiæ Regis Syriæ: qui cum ab Eliſæo Propheta non tam liberaliter, ac ipſe putarat, acceptus fuiſſet, juſſus per nuntium Jordanem petere, iratus primùm, monitiſque ſtatim correctus ſic à ſacro textu deſcribitur: *Cùm ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſervi ſui, & locuti ſunt ei: Pater, & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?* Verbis his mites præbuit aures, ut pervincunt adjecta mox verba: *Deſcendit, & lavit, &c.* Et Jordane ablutus mirificè deterſus, & perſanatus eſt. Hic fructus cordati viri, cujus animo conſilia bona ſine reniſu imprimuntur.

F

4. *Reg.* 5. 12. 13.

G

Ibid. v. 14.

CAPVT VII.

Juſta operariorum merces.

QUI proprias locant operas ad principum domos extruendas, vel colendos agros, cum vulgò inopes ſint, ac in diem vivant, non abſque turpi injuſtitiæ nota, egeſtate confici ſinuntur mercede dilata: duriorque repulſa eſt, quàm ſi à privatis hominibus reiicerentur, interim dum repetendæ mercedis cauſa libellos ſupplices porrigunt, ac imperioſè abiguntur. Bonus gubernator ab ejuſmodi culpa longè abſiſtit, quod de ſe Job in hunc modum profitetur: *Si adverſus me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent: ſi fructus ejus comedi abſque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi*

H

Iob. 31. 38. 39. 40.

Scrip. An. 1612. *flixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.* Terra ab operariis ſudore reſperſa clamitare, ſulcique multo cum conatu laborioſè proſciſſi deflere dicuntur, cum is, qui præeſt, ad clamorem & fletum agri cultores dirè perurget. Quod verò de terræ cultura aſſertum eſt, idem de quibuſvis aliis laboribus pretio repenſandis aſſe- A rendum: cavendumque ne Deus inopum clamoribus velut excitatus iniquos gubernatores ſevera ultione percellat.

CAPUT VIII.

Judicium aliis delatum in ſubditorum poſtulatis.

NON fert æquitas, ut dum ab eo, qui præeſt, ſubditus jure quicquam exigit, abutatur ille potentia, indecorumque putet, aliorum arbitrio ſubdi; quod mirificè expendit, amplificavitque Job his verbis: Iob. 31. 13. 14. 15. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent adverſum me. Quid enim faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit, quid* B *reſpondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus eſt: & formavit in vulva unus?* Hæc ſenſit, præſtititque bonus Princeps Job, à cujus integritate longe abſunt, qui famulos, populareſve creditores tetricè reiiciunt, & jure violato menſes totos eliminant. Dira repulſa eſt, quam Deus non ſinet inultam.

CAPUT IX.

Nulla ſubditorum oppreſſio.

BIfariam opprimuntur ſubditi, aut legibus, aut oneribus, qualia dixerim vectigalia, duraque obſequia: legibus conſcientiæ, oneribus corpora prægravantur. C Uterque oppreſſionis modus ſævitiam præfert, quam perhorreſcit animus. Quamobrem boni gubernatoris eſt, leges paucas, ſuaveſque ferre, vectigalia levia imponere, faciliaque obſequia iniungere, quæ ſubditi minimè detrectent. Et quidem doctrina hæc graviſſimo aſſeritur teſtimonio Chriſti Phariſæos ſuggillantis in hæc verba: Matt. 23. 4. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Turpe vitium iis, qui è cathedra Moyſi populo præſidebant: turpiuſque iis, qui Chriſtiano more Matt. 11. 30. præeſſe debent: quippe Chriſti *Jugum ſuave, & onus leve eſt.* Conqueſtus eſt Jeremias, quòd in captivitate Babylonica nimiùm durè populus tractaretur, hoc lamento: D *Laſſis non dabatur requies.* At po- Thren. 5. 5. pulus Chriſtianus ingenua Chriſti libertate donatus eſt. Etenim fragilitate hominum expenſa, æternæ ſalutis viam, ut arduam, difficilemque pauci metiuntur, tametſi à clementi gubernatore ducantur: quid ergo ſi ex præfectura fit via ſalutis aſperior?

CAPUT X.

Nulla mandata ratione diſſentanea.

QUÆ rationi conſentanea non ſunt, à gubernatore imperari non decet: hoc quippe imperandi genus metam excedit, neque à ſubditis æquo animo ferri poteſt, quod ex Nabuchodonoſor hiſtoria perſpicitur. E Cùm enim Rex is ſomniaſſet prodigioſum quiddam, cujus memoria exciderat, cuperetque meminiſſe, accitis ariolis in hunc modum locutus eſt: *Niſi indi-* Dan. 2. 5. *caveritis mihi ſomnium, & coniecturam ejus, peribitis vos, & domus veſtræ publicabuntur.* Stultum ſanè imperatum: quod Chaldæi minimè ſiluerunt, ut patet ex his eorum verbis: *Non eſt homo ſuper terram, qui ſer-* Ibid. v. 10. *monem tuum, Rex, poſſit implere: ſed neque Regum quiſquam magnus, & potens, verbum hujuſcemodi ſciſcitatur ab omni ariolo, mago, & Chaldæo.* Præmiſerant coniectores hi: *Dic ſomnium ſervis tuis, & interpretationem* Ibid. v. 4. *indicabimus:* Quod profectò rationi conſonum videbatur: at & ſomnium ab eiſdem exprimere velle, necemque propterea minari, ἄλογον viſum eſt. Porrò ſi carpi debent, F qui rationi adverſa præcipiunt, quid opinemur de iis gubernatoribus, qui ſubditos incuſſo timore ad homicidia, ad ſacrilegia, & ad omne denique maleficium impellunt? Deus ultor eſt, non impunè ferent.

CAPUT XI.

Otii prohibitio.

TErra pinguis, & ferax, niſi proſcindatur aratro, bonamque ſementem concipiat, aculeatas herbas, ſteriliaque virgulta profert. Sic ſubditi bonæ indolis niſi exerceantur, excolanturque vepres vitiorum, & noxias malarum conſuetudinum plantas ferunt, quæ ferro ſeveræ diſciplinæ præcidendæ, vel punitionis igne abſu- G mendæ ſint. Quapropter otium, quo animi inculti ſylveſcunt, interdicendum, dandaque opera, ut ſemper boni quicquam cogitetur, agaturque, quod ad virtutis cultum, & inertiæ depulſionem conferat. Hoc profectò monitum vel viris vitæ ſanctimonia claris, ipſiſque Monachis contemplationi deditis, qui minùs timere poſſent, cordi eſt: quantò ergo ſtrenujùs obſervandum, ubi gubernator cernit, populum, familiamque torpentem nihil pium, utileve moliri, ſed inſtar Urbis muris minimè ſeptæ hoſtium direptioni patere.

CAPUT XII.

Præfixa vanis ſumptibus meta.

H AMpla patrimonia, redditusque pingues populi, vel familiæ vanis expenſis prodigi ſolent, ut paſſim cernitur, ubi veſtimenta holoſerica, opere phrygio picta, auroque intertexta, & limbis vario pretioſorum lapillorum flore diſtinctis ornata in morem inducuntur, ubi aulæ apparatus, & men-

Scrip. An. 1613. menſæ lautitia certatim exquiritur, aliique id genus ſumptus factitantur. Quamobrem boni gubernatoris partes ſunt, luxum præſecare, metamque præfigere, quæ neque ſordidum quid admittat, neque decentem cultum, & ornatum excludat: atque in hunc modum decoro ſervato, opes ad Reipublicæ, & familiæ bonum promo- A vendum, & arcenda mala, liberalitatemque exercendam ſuppetunt: neque enim ſumptibus parcendum, ut inutiles theſauri condantur, quibus avaritia vires acquirat.

CAPUT XIII.

Peculiaris familiæ cura.

LEX divinæ charitatis, porrectis quaſi brachiis omnes amplectitur, & neminem à beneficentiæ conſortio repellit: ceterùm nemo umquam diſſentiet, domeſticos, à quibus rependitur quotidianum obſequium, laborque multiplex ſuſcipitur, externis præferendos. Dolendum quippe, pleroſque hujuſmodi viros bonos, perenni famulatu conſeneſcere, neque vel medio- B crem remunerationem accipere, ut ætate graviter affecta requieſcant, &, quod cupiunt, tranquillè defungantur. Profectò Apoſtolus rem hanc introſpexit, ac expromp- 1. *Tim.* 5. 8. ſit alto cum ſenſu, ubi dixit: *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Non potuit domeſticorum incuria ſignificantiùs damnari, neque hoc loco argutè domeſtici conſanguinei à famulis diſcernendi. Utroſque enim præ externis ſollicitè curandos, ſenſit Apoſtolus, & utrumque neglectum carpſit, tametſi alter altero deterior ſit. Porrò uterque geſtat immanitatis inſcriptum.

CAPUT XIV.

C

Vindicta, ubi quis in gratiam gubernatoris peccat.

SCeleſtorum hominum eſt, aſſentari principibus, audereque multa, quæ tametſi divinam violent legem, grata fore præſagiunt. His tamen aſſentiri, auſumque probare, patrati ſceleris aſſenſus eſt, quo gubernatori nota tetra ſatis inuritur. Quapropter non modò remunerandi, laudandive non ſunt, qui ejuſmodi audent, ſed acriter plectendi Davidis exemplo, qui Rechab, & Baana interfectores Isboſeth filii Saul, afferentes occiſi caput graviter ac- 2. *Re* 4. 9. 10. 11. 12. 13. cepit in hæc verba: *Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, quo-* D *niam eum, qui annunciaverat mihi, & dixerat mortuus eſt Saul, qui putabat ſe proſpera nunciare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuncio: quantò magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo ſua, ſuper lectum ſuum, non quæram ſanguinem ejus de manu veſtra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque David pueris ſuis, & interfecerunt eos, &c.* Expedit ſanè, ut ſubditi omnino ſibi perſuadeant, nihil turpe, quamtumvis in gratiam attentatum, ei, qui præeſt, umquam probandum; quod ad viam ſceleribus multis præcludendam planè conducit.

CAPUT XV.

Cauſarum exquiſitio.

E

ANtequam ferat judicium, qui præeſt, omnia, quæ inſunt, & quæ affinia, vel adiuncta ſunt, penitùs noſſe debet, ne iniquè, vel imprudenter pronunciet. Sunt pleraque in ſpeciem injuſta, quæ ſi attentiùs penſitentur, æqua cenſebimus. Hujus doctrinæ bene gnarus fuit Job, qui hæc promſit verba: *Cauſam, quam neſciebam, dili-* *Iob.* 29. 16. *gentiſſimè inveſtigabam*. Perſpicax intuitus, obſervatio, moraque requiritur ad implexos laqueos diſſolvendos, & ad fraudum labyrinthos explorandos, ut plerunque mirum videatur, à bonis gubernatoribus in lucem erui, quæ mortalium induſtriam fugere credebantur. F Deus animorum cognitor bonis prælatis ſubtiles cogitationes inſpirat, lucemque indit, qua latebras introſpiciant, & ſapienter decernant.

CAPUT XVI.

Rerum inanium, ludicrarumque rejectio.

ANimum rebus ſeriis intentum diù gerere perquam difficile eſt, decetque curas graves intermittere, ut reſumptis viribus gubernator laborem validiùs repetat. Et quidem hac de cauſa dum per tempus licet, hortorum amœnitas, muſicus concentus, aliave id genus animi remiſſio conſulitur, & abſque nota ſuſcipitur. Cæterum rebus inanibus, levibuſque ex profeſſo ſe dedere, indecorum eſt, quale ſtudium Domitiani configendis ſtylo muſcis ab ſcri- G ptoribus meritò reprehenſum, aliaque non abſimilia oblectamenta, quæ proculdubiò dedecent. Quin etiam uſus ſcurrarum, paraſitorum, & nebulonum aliorum vituperatur, cum animus à negotiorum, & curarum intentione modis aliis honeſtis relaxari poſſit, compertumque ſit, eos gubernatores, qui ejus farinæ hominum voluptate capiuntur, ſtudio Reipublicæ, atque familiæ non parùm adimere, quod officii deſerti vitio vertitur.

CAPUT XVII.

Adulatorum depulſio.

FAmiliare mortalibus eſt, iis adulari, à H quibus poſſunt donis, & honoribus augeri: atque adeò ſermone blando, mirificè compto, non veras tantùm laudes exaggerant, ſed mendacia plura concinnant, quibus benevolentiam captent: quod de ſe juniore Auguſtinus ſic faſſus eſt: *Cum para-* *Conf.* 6. *c.* 9. *rem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faveretur ab ſcientibus*, Scrip. An. 1613. *bus*. Verum eſt quippe, plura mendacia permiſceri, quæ licèt ſciantur, ab eo etiam, cui adulatorius honor deſertur, gratè accipiuntur, quia placent. At qui præeſt, vitium hoc odiſſe, blanditoreſque ut infame genus hominum abſterrere debet, oſtendereque nihil eo molli artificio ab ipſo impetrari, vel ſperari poſſe: qua quidem repulſa multam nominis celebritatem A comparabit, & in exemplum ſpectata integritas cedet.

CAPUT XVIII.

Suſurri averſatio.

VIrilis animi ſtatus, mentiſque maturitas gubernatorem decet, atque adeò muliebres, leveſque mores, qualis ſuſurrus eſt, deteſtari debet. Accedit efficax ratio à diſcordia inde oriri ſolita, quæ firmas quoque arces funditùs evertit: concepta quippe mali perſuaſione in aurem à ſuſurrone ſuggeſta, ira laceſſita in ultionem præceps fertur, innoxioſque plerumque percellit. Profectò David, cum chlamydis Saul B oram præcidiſſet, illamque oſtentaſſet in argumentum candoris ſui, ſcilicet qui hoſti acerrimo, quem interficere poterat, pe- 1.Reg.24.10. perciſſet, ſic eum affatus eſt: *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* Ac ſi expreſſiùs diceret: Cur non repellis diſcordiæ ſatores, qui tibi in aurem ſuggerunt, quæ ipſi comminiſcuntur, vel perperam interpretantur? Nonne vides, quàm ſit pernicioſum, & infame hoc genus hominum, qui animo tuo ſtimulos felle litos infigunt? Sanè quale inter felices, ſterileſque regiones à natura, tale inter conciliatores, diviſoreſque animorum à moribus diſcrimen exiſtit. Congruit poeticum illud:

C Virg. lib. 1. Georg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
Et Chalibes duri ferrum.

CAPUT XIX.

Gratiæ mortalium contemptus.

GRatia Principum gubernatores infeſtat, ut nonnihil attentent, vel admittant quo jus violetur. Fragilitas perantiqua eſt, quæ flexit Pilatum, licèt innocentia Chriſti convictum, ut eum traderet, ubi tamquam lethali telo perfoſſus fuit his populi verbis: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæ-* Ioan. 19.12. *ſaris.* Terrarum orbis hominum Pilato ſimilium feraciſſimus eſt, ut non mirum, ſi D & viros Deo ſacratos hoc contagium attingat, auſteramque diſciplinam quandoque relaxet. Ceterùm obſiſtendum eſt, & poſtulatis, vel propoſitis rebus ita annuendum, ut intemeratum jus, vitæque integritas illæſa conſiſtat.

CAPUT XX.

Singularis amoris fuga.

TAmetſi æquum ſit, meliores impenſiùs amare, & non æquè bonis anteferre; cavenda tamen ſingularia amoris ſigna, quæ vix ab aliis ferri poſſunt, & factionum, conjurationumque anſam præbere ſolent. E Sanè Joſeph eximiarum virtutum laude germanis fratribus præponi merebatur, ut meritò tunica polymita in ſignum amoris eum pater indueret: & tamen ſingularis amor fratres tanti patris diſciplina excultos graviter perculit, ſicut ſcriptum eſt: *Videntes au-* Gen. 37.4. *tem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Si ergo invidentia viros illos aduſſit, quid mirum, ſi per occaſiones ſimillimas incultos animos vellicet? Porro ſi curiam perluſtremus, ubi malum hoc licentiùs gliſcit, erit ad rem, quod de Daniele Darius cogitabat, ſacro textu expreſſum per verba hæc: *Porrò Rex cogita-* Dan. 6.4. *bat conſtituere eum ſuper omne regnum: unde* F *principes, & Satrapæ quærebant occaſionem, ut invenirent Danieli ex latere regni &c.* Ut ſcilicet invenirent opportunam calumniam inferendam Danieli, & eo ipſo amoverent eum à latere regis. Ergo & familia, & Reſpublica ſingularia amoris ſigna ferre nequit, licèt qui cæteris præponuntur, planè digni ſint, multoque minùs, ſi merito ſingulari non præſtent. Et quidem rationi cedendum eſt, ut pinguiora munera conferantur in meliores: ſed circumſpectio commendatur.

CAPUT XXI.

Miniſtrorum inſoleſcentium repreſſio.

G NON carpendus gubernator, qui perſpectæ fidei viro bono aliquo plurimùm utitur, per quem proinde graviora negotia expediat, quem proinde gratia præ aliis valere, communis omnium ſententia ſit. Cavendum tamen, ne is animo efferatur, gratiaque intemperanter innixus tentet, quæ Rempublicam, vel familiam labefactant, quale quiddam ſuperbus Aman, ad necem innoxiæ gentis Hebrææ in ampliſſimo Aſſueri regno auſus eſt: cujus audacia ad exemplum fracta eſt, repenſo ei patibulo, quod Mardochæo paraverat. Ergo qui Eſther. 7.10. gratia potiſſimùm valet, ut intra carceres æqui, ita intra modeſtiæ clauſtra continendus, vel ſi turpia attentaverit, plectendus. Athenienſibus mos fuit, opulentos, præpoten- H teſque cives, licèt inculpatos quodam relegationis genere, quod illi ὀστρακισμὸν appellarunt, ab Urbe depellere, ne potentia abuterentur: quid ergo non egiſſent, ut cives in Reipublicæ perniciem gratia abutentes, ſuffragiis populi mulctarent?

CAPUT XXII.

Verba minimè contumelioſa.

QUI gubernandi artem non ſatis callent, ubi errata deprehendunt, linguæ habenas laxant, & contumelioſis verbis animos ſubditorum vellicant, ruboreque ſuffundunt. A Error craſſus eſt: nam exaſperati animi bona conſilia, vel reſpuunt, vel difficulter excipiunt, omninoque conſtat, non perinde prodeſſe aculeata contumeliis monita, ac ea, quæ lenitate verborum condita dulceſcunt. Conſultius ergo eſt, honore afficere, quos admonere velis, ſalubribuſque monitis, honore delato viam aperire. In hunc modum ſapientes prælati, antequam corripiant, præmittere ſolent ſubditorum merita, puta ingenii perſpicacitatem, litteraturam, partam virtutibus laudem, ut ex his ipſis capitibus conficiant, debere eos, quod indecorum eſt, expungere, laudemque primam novis acceſſionibus augere. Hoc genus prudentiæ defuit Isboſeth, B qui Abner ſtrenuiſſimum virum, à quo domus Saul vita functi regebatur, quique cum Saulis concubina fortè congreſſus fuerat, ſic ex abrupto acribus verbis inceſſit: 2. *Reg.* 3. 8. *Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei?* Porrò Abner arrepta hinc anſa ad Davidis aulam conceſſit.

CAPUT XXIII.

Bonorum virorum amicitia.

DEcet eum, qui præſidet, bonorum virorum uti conſortio, qui rerum ſpectatores, ac teſtes adſint, quod ad fidem gubernatori conciliandam plurimùm valet. C Eo quippe ipſo, quicquid agat, ſiniſtris interpretationibus minimè patet, cum coram viris inculpatis, quibus vitia exoſa ſunt, geſtum credatur: præterquàm quòd laudi facilè aſcribitur amicitia illa, quæ probos dumtaxat admittit, improbos reſpuit. Hùc ſpectat, quod David cecinit in hæc verba: *Pſ.* 100. 6. *Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum.* Quaſi diceret? Non quoſvis amicos, convivas, & ſocios mecum conſeſſuros, confertim accipio, ſed examine prævio, poſtquam oculis omnia luſtravi, perſpexique eos fidos eſſe, ac exiſtimari, ut decorum videatur, ſpectatæ virtutis viros inter Regis amicos recenſeri. Horum fide, ac miniſterio expediuntur multa, quæ ad pietatem, & pacem alendam impendiò conferunt.

D

* * *

PARS QUARTA.

De ſelectis boni Gubernatoris Dotibus.

E

CAPUT I.

Dei timor, & cultus.

QUI aliis imperant, intentos ſubditis oculos gerunt, crebroque ejuſmodi viſu, cœlum plerumque non ſpectant, Deique Majeſtatem, ut par eſſet, minimè verentur. Error enormis eſt, qui Reipublicæ, ac familiæ officit: nam qui ultionis divinæ formidine non contrahit ſeſe, facilè inſoleſcit, & nimium ſevera diſciplina in ſubditos deſævit. Qui verò timet, affectui non laxat habenas, & ſi quando palantem animadvertit, intra æquitatis orbitas revocatum in officio continet. F Hic ſenſus Jobi, boni ſcilicet principis fuit, ne principatus occaſione intumeſceret, opeque deſtitutos opprimeret: quod ille mirificè perpendit in hæc verba: *Si levavi ſuper pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta* (hoc eſt, judicio in portis celebrari ſolito) *ſuperiorem: humerus meus à junctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* *Iob.* 31. 21. 22. 23. Certè, ut ex hoc textu perſpicitur, cum in judicio poſſet Jobus auctoritate, ac potentia pupillos, inopes, & ejus generis homines proſternere, familiare illi fuit, Dei timore contrahi, G divinamque potentiam inſtar elatorum fluctuum incumbentem ex imo loco ſuſpicere, neque vim tantæ majeſtatis ferre valere. Eaque de cauſa nihil iniquum, violentumve auſus eſt, quod deberet à ſupremo mortalium judice reſcindi. Timor ergo Dei altè condendus eſt.

CAPUT II.

Inſignis doctrina.

QUI aliis ut magiſter præficitur, doctrina debet excellere: ſi enim rerum ignarus ſit, exprobrari ei poterit, quod Chriſtus cæcis doctoribus Jeroſolymorum objecit: *Cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* *Matt.* 15.14. Cæcus cæcum ducit, dum gubernator ignarus populum, familiamve H ignaram regit, ſeque ipſum, æquè ac ſubditos, præcipitem agit. Quocirca, qui præeſt, ejus doctrinæ debet eſſe conſultus, quæ ad officium explendum conferat: alioſque aſciſcere peritos, quibus ad prudentiæ exercitium utatur, ut quæ didicit ipſe perficiat, vel quæ non didicit, ediſcat: Delectus virorum doctrina præſtantium, qui

Scripta An. 1613.

aſſiſtant, habendus, oculateque inſpiciendum, ut boni juxta ac docti ſint, cùm alterum ſine altero minimè in rem quadret, & utrumque reperire raro contingat, quod celebrari ſolet vulgato illo:

Sub Virgil. nomin.

Vir bonus, & ſapiens, qualem vix reperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo.

CAPUT III.

A

Fida memoria.

QUI præeſt, debet experimentorum præteritorum meminiſſe, & negotia, quæ ſibi creduntur, in promptu habere, hiſtoriaſque, unde exempla, & multiplex prudentia petitur, noſſe, ut his omnibus opportunè utatur. Quamobrem è Republica eſt, ſi memoria fida præſtet, infidamque excolere aſſueſcat, in exercitio quippe ipſo fieri ſolet, ut memoria quaſi durior materia ſcalpro inciſa, quæ ſemel inſculpuntur, diutiùs retineat. Prodeſt autem ars aliqua memoriæ juvandæ, quali concionatores, ac publici prælectores uti conſuevere, figuris mathematicis, aut B imaginibus, characteribus concinnata, prout cujuſque ingenio congruit.

CAPUT IV.

Bona conjectura.

AD gubernatoris prudentiam ſpectat conjectura non levibus, ſed probabilibus innixa rationibus, quæ eò ſolet eſſe congruentior, quò quis experientia provectior eſt. Cavendum tamen, ne conjecturis abutatur tamquàm certis incertarum rerum indiciis: modusque addendus, ut ſolertia, præſagiendique ratio quantùm fas eſt, admittatur: levitas autem in coniiciendo, nimiaque fides tamquam extrema vitentur. C Exploratum eſt, ſomnia, prædictiones liberorum, & fortuitorum eventuum, & id genus alia à prudenti gubernatore contemni.

CAPUT V.

Circumſpectio.

CUM prudentia ſit recta ratio mediorum ad intentum finem, ſæpeque contingat, quæ ex genere ad finem adipiſcendum conducunt, ex circumſtantiis obſtare, circumſpectio commendatur, quæ omnia rem ambientia inſpicit, penſitat, & cum fine confert, crebroque reiicit, quæ genere quidem ſuo eligenda videntur. Profectò boni gubernatoris eſt, amoris ſigna ſubdito exhibere, D eo quippe medio conciliatur animus, flectiturque quò velis: at ſi oſtenſi amoris occaſione ſubditus efferatur, ſatius erit graviter illum accipere, licentiamque compeſcere. Nota hieroglyphica oculatiſſimus gubernator pingi poſſet, ut omnia circumſpicere, ex officio ſe debere animadverteret.

CAPUT VI.

Maturitas conſilii.

PRæmittenda conſultatio gravibus negotiis, neque fidendum ingenio, vel induſtriæ, ne cum dedecore, ac damno oporteat mutare conſilium. Neque hic laudandum valde illud Græcum: Δεύτεραι φρόντιδες σοφώτεραι, Illudue Latinum: *Sapientis eſt mutare conſiliam.* E Etſi enim meliora ſint ſecunda conſilia, quàm prima, ubi primus error ſecunda obſervatione corrigitur; at vitio vertitur ingenium præceps, cui proinde neceſſe eſt, mala conſilia prima frequenter permutare ſecundis. Providentia, ſagacitas, circumſpectioque præcurrat, ut decernatur maturè. Non abs re Ennius Fabium Maximum cognomento Cunctatorem commendavit in hæc verba:

Erasm. in adag.

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Cunctatio ergo in gravioribus rebus prudentiæ ad bene gubernandum requiſitæ partus eſt: ſecus verò ubi leviora decidenda F ſuccurrunt, quorum diuturnam conſultationem prudentia minimè ſuggerit.

CAPUT VII.

Diligentia.

DUM laudatur cunctatio, nonnulli prudentiam prætexunt, ut tarditatem excuſent. Cæterùm neutiquam probanda tarditas, quæ à cunctatione longè differt, & in gravioribus quoque cauſis reprehenditur, cùm medium virtutis excedat. Vexantur tarditate negotiorum geſtores, & ad impenſas nimias dilatione coacti ad maledicentiam linguas ſolvunt. Quin etiam ſpe dilata bonas demum negotiorum expeditiones, G deflorata jam gratia minùs læti accipiunt, & bonum gubernatorum nomen obſcurant.

CAPUT VIII.

Providentia.

ET pietas, & prudentia exigit, quæ procul abſunt, bonus gubernator, velut è ſpecula proſpiciat, ut mala quæ Reipublicæ vel familiæ officere poſſent, avertat, & bona, quæ uſui fore conſiderat, ſolertia, & navitate multa perquirat. Quo quidem in genere, laudatur accurata temporis, & utilitatis obſervatio, & anticipatio quædam, qua efficitur, ut copia neceſſitatem incubituram præcurrat. Modus autem providentiæ potiſſimùm commendatur, ſi non H modò tempus antevertat, ſed ante conſumptam annonam, veſteſque laceras, ſubſidio impenſo ſuccurat, aliquantoque plus eroget, quam neceſſitas arcta requirat. Parcitatis quippe ſtudium animis ſubditorum teporem inducit, ne alacriter obſequantur, aut pareant, quod crebris exprimentis aſ-

ſeri-

Scrip. An. 1613.

Iob 31. 31.

ſeritur. Novit hoc prudentiſſimus Job, qui ea de cauſa, familiam liberaliter alebat, ut ipſe indicavit per hæc verba: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* Dicebat quippe familia liberalitati tanti Principis aſſueta, optare ſe menſam Job ad ſaturitatem bene inſtructam, obſervato diſcrimine menſarum ſterilium, quibus fames non poſſet expleri.

A

CAPUT IX.

Imperium animi.

Paſſionum mortificatio ad bene imperandum perneceſſaria.

NON bene imperabit aliis, qui ſibi nequit imperare, dum inteſtino bello concutitur, paſſioneſque indomitæ rationis arcem oppugnant. Qui enim intemperantiæ, timoris, audaciæ, aliiſque immoderatis ſuccumbit affectibus, quomodo intemperantes, timidos, audaces moderabitur? Profectò ſi architecti norma peccet, ædificium ad eam regulam exactum nequit eſſe perfectum. Debet ergo gubernator eſſe virtutum exemplar, quod ſubditi imitentur, lineaque qua dirigantur, ut Reipublicæ, vel familiæ partes, quaſi aulæ cujuſdam latera architectonica proportione conſentiant. B Atque idcirco animum ita debet regere ſuum, ut rationis imperio paſſiones effrænes coerceat, ne ira exæſtuet, concupiſcentia flagret, delectatio illiciat: quod auxilio cœleſti, divini judicii, mortis, ac tartari meditatione conſequetur. Etſi enim perquàm rarò victoria paſſionum perfecta paretur; eò tamen acceditur, ut motus immodici comprimantur, ne mentem à legis obſervatione diſtrahant, & ab excelſo divinæ gratiæ ſtatu deturbent.

CAPVT X.

Temperantia.

HErodes Rex intemperans bonos conſcientiæ ſtimulos, quibus excitus Joannem colebat immoderato convivio retudit, C bonamque ſementem, adnato quaſi lolio præfocavit. Omnino certum, ac exploratum eſt, voraces, bibaceſque homines nec Reipublicæ, nec familiæ regendæ idoneos eſſe, beneque paſtos, ac potos malè decernere, ut è Joannis nece perſpici poteſt, de qua lepidè S. Amb. *Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quæ non cuperet, vel abſolvi.* Abſolvi quippe à pœna præcepto temulenti hominis, non eſt innocentiæ argumentum, ſicut nec damnari, culpæ perſuaſio eſt. Abſtinentia, & ſobrietas ſenſus vigiles, & ad honeſtum diſpiciendum perſpicaces efficiunt. Frugalitas ergo à bono D gubernatore colenda eſt.

S. Amb. l. 3. de Virg.

CAPUT XI.

Caſtitas.

PErantiquum pravorum gubernatorum vitium eſt, potentia ad libidinem abuti: quod Daniel in Suſannæ cauſa, dum alterum è duobus ſceleratis ſenibus dijudicaret, expreſſit in hunc modum: *Semen Chanaan & non Juda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum: ſic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis: ſed non filia Juda ſuſtinuit iniquitatem veſtram.* Quibus ex verbis liquet, judices illos iniquos puellas ad ſe judicii cauſa ventitantes auctoritatis abuſu vitiare ſolitos: quod certè crimen ad ætatem quoque noſtram ſerpſiſſe videtur, ſi plurimis hiſtoriis E tragicis fides habenda ſit. Placeat potiùs illæſus vitæ candor bonis gubernatoribus congener, ut patet ex oraculo illo Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis?* Quaſi planiùs ſic enunciaret: Ego firmiter conſtitui non à turpi tantummodo actu abſiſtere, ſed oculos quoque obſtruere rationis imperio, ne pulchritudine carnea, cujus in virginibus præcipua laus eſt, capiantur; certò ſciens, niſi caſtè agam, me ad Dei quaſi peculium, omnipotentiſve hæreditatem minimè pertinere. Profectò qui præeſt, viſu perſpicax eſſe F debet: quomodo ergo viſu pollebit, qui indulget veneri cujus partus cæcitas mentis eſt?

Dan. 13. 56. 57.

Iob 31. 1. 2.

CAPUT XII.

Juſtitia.

QUàm ſit intrinſecùs nata ex gubernatoris officio juſtitia, tam eſt per ſe compertum, ut à nemine ignoratio ulla poſſit obtendi. Quorſum enim præeſt, niſi ut reddat cuique quod ſuum eſt, quod eſt ipſum tantæ virtutis ingenium? Juſtitiam ergo tamquam officii firmamentum colat, nec ſe prece, vel pretio corrumpi permittat. Ubi autem ex ultrice juſtitia in ſceleſtos animadvertet, clementiæ meminerit, qua ultionis aſperitas lenitur.

G

CAPUT XIII.

Miſericordia.

DEbet ex juſtitia gubernator afflictos in libertatem aſſerere, dum à potentibus opprimuntur. Ceterùm niſi extra hujuſmodi eventus, in pupillos, omneque inopum genus pronus, & liberalis ſit, præconio dignus minimè cenſendus. Rem hanc Job contemplatus hæc extulit verba. *Si negavi, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* In hunc morem qui præeſt, affici debet, ut H præfectura Deo, hominibuſque fiat accepta: juſtitiæ quippe actibus non valde flectuntur animi, quos tamen miſericordia mirificè capit, ut feliciter procurrat imperium. Speranda proſperitas, ubi à veſtibulis gubernatorum famelici ſaturi, nudi obtecti recedunt.

Iob 31. 15. 16. 17. 18.

CA-

Scrip. An. 1613.

CAPUT XIV.

Legum cuſtodia.

A

MIrum ſanè videtur, Reſpulblicas penè omnes, Monaſticoſque cœtus optimis legibus inſtitutos eſſe, & tamen legum cuſtodiam in paucis, brevique vigere. Porrò multiplex ejus calamitatis ratio poſſet afferri: illa verò minimè reticenda, quod cum gubernator ſit velut anima legis, ſi is legum cuſtodiam deſerat, perinde eſt, ac ſi à corpore anima recederet. Leges ergo à gubernatore animandæ, & tamquam ſpiritu vitali afflandæ ſunt, quod ſtudio duplici obtinetur: altero quod ad gubernatorem ſpectat ipſum, qui leges quoad poſſit obſervet; altero, quod derivatur ad ſubditos, quos ad legum obſervationem efficaciter debet inducere. Quo quidem duplici ſtudio expletur vulgatum illud: Imperatoriam Majeſtatem legibus armatam, & armis decoratam eſſe debere. Ubi enim legum cuſtodia prævalet, armatura Regum, ac Reipublicæ totius leges ſunt; arma verò ob pacis bonum ſuſpenſa ad ſolum conferunt decorem, quale quiddam de turri Davidis ſcriptum eſt in hunc modum: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Quin etiam fœlicitas quædam inde exoritur, qualis Reipublicæ Lacedæmodum contigiſſe fertur, qui legum cuſtodia potiùs, quàm muris Spartam ambierunt, ut nec inteſtina, nec externa bella metueret.

Imperatoria Majeſtas legibus armata, & decorata.

B

Cant. 4. 4.

CAPUT XV.

Studium pacis.

C

EXtra controverſiam eſt, neminem à rectrice prudentia laudari poſſe, qui pacis ſtudio neutiquam præſtet. Si enim, ut vulgatiſſimo circumfertur proverbio: *Concordia res parvæ creſcunt, Diſcordia maximæ dilabuntur*, profectò qui pacem inducere, vel augere non certat, perinde agit, ac ſi Rempublicam evertat, tametſi urbes benè munitas, & cuſtodiis ſeptas jactet: non enim præcipuum Reipublicæ firmamentum in arcibus, ſed in conſentientibus animis conſtitutum eſt. Quamobrem diſcordiæ ſeminibus quamtumvis exiguis, tamquam exitiali malo celeriter ſuccurrendum, ne vires acquirant, neque labori, vel auro parcendum. Quo certè in genere illi potiſſimùm commendandi, qui animos honeſti ratione propoſita ſuaviter, ac efficaciter alliciunt, ut omnes uno amoris nexu conſtricti, in ſenſum unum mirificè conſpirent, conſenſione ſcilicet harmonica diverſarum ſectionum, ac factionum expultrice. Senſum hunc togata, militaris, domeſticaque prudentia ipſo naturæ lumine ducta ſuggerit: quemadmodum enim naturale corpus viget, ubi membra omnia cohærent, ſtatimque ac unum è loco dimovetur ſuo, totum diris doloribus conficitur, quod tantilla oſſa eluxata convincunt, ita Reſpublica, vel familia, ubi animi omnes conſentiunt, valida, & conſtans eſt; at vel uno diſcrepante tota concutitur, ac perturbatur, quod experimentis quotidianis aſtruitur.

Proverbium

D

Prudentia Gubernatoribus commendata.

CAPUT XVI.

Conſtans animi firmitas.

E

PLeraque indigeſta, è conjecturis levibus orta ad gubernatores deferuntur, quæ animum non bene firmum graviter afficiunt, & ad odium, iram, vindictamque perpellunt. Quamobrem præmeditatione opus eſt, ut vir prudens non temerè fidem commodet nuntiis, vel ſuſurris, animumque dilatet, ut capiat multa, nec revomat, paſſioneſque ſubſultantes rationis fræno coerceat. Vix dici queat, quam deceat gubernatorum intus concepta, vultuque exhibita tranquillitas, incompoſitis motibus minimè obnoxia, quæ cœleſtem quemdam ſtatum repræſentat. Quo quidem in genere laudem primam promerentur, qui nuntia mœſta ſedatè, & conſtanter excipiunt, qualis Job, qui armentorum prædæ, cœleſtis incendii, concuſſæ domus conuivalis, oppreſſorumque liberorum nuntios incredibili animi fortitudine, ac latitudine accepit: cujus proinde laus nulla oblivione delebitur. Illi verò facilè vituperandi, qui levi ſuſpicione tacti vehementer commoventur, iræ impetu tamquam phrenitide correpti: qualis ille Rex Iſrael, qui acceptis per Naaman litteris Regis Syriæ, ubi lepræ remedium candidè poſtulabat, impotenti affectu ſciſſis veſtibus excanduit in hæc verba: *Numquid Deus ego ſum*, ut *occidere poſſim*, & *vivificare*, quia *iſte miſit ad me*, ut *curem hominem à lepra ſua*? *Animadvertite*, & *videte*, *quòd occaſiones quærat adverſum me*. Rex Syriæ Hebrææ puellæ indicio didicerat, ſe ex Iſrael ſperare poſſe ſalutem, ut rei probavit exitus, eoque animo ſincerè ſcripſit: & tamen Rex Iſrael ſuſpicatur, iis litteris belli occaſionem captari. Procul pellenda ſuſpicio malè nixa, quæ à bona conjectura longè diſſita eſt.

F

Jobi cōſtantia in adverſis commendata.

4. *Reg.* 5. 7.

G

CAPUT XVII.

Gratitudo.

DUO bonorum genera, qui præeſt, obſervata proportione diſpenſat, unum è communibus Reipublicæ opibus, vel honoribus, quod ad juſtitiam diſtributivam pertinet, alterum è propriis ipſius gubernatoris divitiis, vel officiis, quod ad gratitudinem ſpectat. Et quidem, quemadmodum juſtitiæ diſtributivæ neglectus bona civium ſtudia enervat, ita ingratitudinis incuria ſubditorum animos avertit. E contrario verò ſatis exprimi nequit, quàm ſit efficax gubernatoris gratitudo perſpecta ad excitandos animos, ut ardua quæque fortiter aggrediantur, & remuneratori alacres adſint. Quocirca piè, ac prudenter agunt principes

H

Gratitudo Gubernatoribus commendata.

grati

grati, qui honoribus ac opibus cives, famuloſque probatæ fidei pro exhauſtis laboribus augent, eoque ipſo ſibi conſulunt, dum plures alios beneficentia ſpectata ad obſequia quævis alliciunt: habet quippe vim quamdam magnetis gratitudo, qua hominis ingenium demulcetur, & capitur. Res adeo crebra, & comperta eſt, ut exemplo vel aſ- A ſertione non egeat.

CAPUT XVIII.

Comis gravitas.

DEbet qui præeſt, ſe in animos ſubditorum inſinuare, ut ſpontanea reddantur obſequia, quod obtinetur comitate: debet quoque ita ſe gerere, ut minimè irrideatur, quod gravitas efficit. Et quidem perſpectum eſt, affectum populi, familiæque bonum ex amore, ac timore, qui appellatur reverentia, temperari, ne quid ad obedientiæ perfectionem deſideretur: nam ea mortalium obedientia, quæ amore ducitur timoris experte in licentiam, quæ autem B timore exprimitur amoris exorte in ſervitutem degenerat. Hæc ergo temperies obſervanda, quam ſapiens gubernator conſiderat, qualis Job, qui cum eſſet planè humaniſſimus, erat quoque ſenatoria gravitate venerabilis, ut patet ex illo: *Quando pro-* Iob. 29. 7. 8. 9. *cedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me juvenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo.* Sic afficiebantur non populares modò, ſed patritii ex aſpectu Jobi, ad cujus amorem, ac venerationem plurimùm valebat, non faſtus, aut affectata majeſtas, ſed vitæ integritas, cujus perſuaſio animis univerſorum inſederat.

C

CAPUT XIX.

Decorum.

QUod in corporis partibus debita proportione conſentientibus, & quadam coloris ſuavitate nitidis pulchritudo, hoc in actione, vel externis actibus, uti decet, modificatis appellatur decor, ſive decorum, quo bonum gubernatorem oportet excellere, ut non internè tantùm Deo, ſed externè hominibus quoque placeat, & ſtudium virtutis compoſito geſtu excitet. Quapropter nihil in oculis torvum, leve, muliebre; nihil in fronte contractum, inverecundum, audax; nihil in ore diſtortum, ſordidum, incivile nihil in ſermone affecta- D tum, floridum, fœmineum; nihil in inceſſu præceps, tardum, obliquum; nihil in corporis motu ruſticum, deforme, inconcinnum admittat: ſed intuitu miti, ac ſedato, fronte ſerena, ore compoſito, ſermone caſto, inceſſu gravi, aptoque corporis motu præferat formam gubernatore dignam, quæ impensè ametur, & ſpectatores oblectet.

CAPUT XX.

Amor in ſubditos.

NEquit ſatis exprimi, ad perfectam gubernationem quàm conferat altè impreſſus, & ſignis exhibitus amor, qui variis formis nunc paternos, nunc maternos affectus concipiat, quos ſubditi deprehendant, ut meritò caput hoc parti huic quartæ tamquam coronis addatur. E Rem exactè perpendit Moſes, qui Deum, cujus ſenſum adeptus fuerat ſic affatus eſt: Num. 11. 12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua juraſti patribus eorum:* Quibus planè verbis oſtendit, Dei mentem fuiſſe, ita ſe erga populum gereret, ac ſi totius gentis proprius parens, mater, nutrixque foret. Eumdem Apoſtolus ſenſum aſſecutus eſt, qui cum pater crederetur, matris quoque affectum expreſſit in hæc verba: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Gal. 4. 19. Parturire genitricis eſt: obſervanduſque iteratus partus, quem Apoſtolicus amor edidit. Nutricis F autem functionem obtulit, ut liquet ex illo: *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum,* 1. Theſſ. 2. 7. *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Suppetit efficaciſſima ratio: nam gubernator amore ipſo fit patiens, ut ſubditorum tædia ferat: fit fortis, & conſtans, ut ſe pro iis, periculis obiiciat: fit ſedulus, ut eis adſit: fit providus, ut quæ officere, vel proficere poſſent, longè proſpiciat: fit denique ad omne honeſtum ſubditorum poſtulatum expeditus, & liberalis, & præfectura glorioſè perfungitur.

PARS QUINTA.

Exhortatio ad eos, qui præſunt.

G

§. I.

NEmo ex iis, qui præfuere, adeò delirus eſt, qui multiplicia, ſummaque diſcrimina, in quibus ii, qui aliis imperant, paſſim verſantur, non facilè dignoſcat; ut perſpectum ſit, eos exhortatione ſeria, identidemque repetita indigere, ſi æternæ ſalutis iter conficere velint. Debent quippe qui præſunt, virtutum exemplo aliis prælucere, ut qui eos intuentur, quemadmodum vitam inſtituere, vitia cavere, vel expungere, virtutes conquirere, vel tueri debeant, H animadvertant, & ad eorum exemplar mores coaptent. Quocirca gubernatorum integritas totius Reipublicæ, vel familiæ forma, & quaſi vita, è contrario eorum improbitas, communis deformitas, & velut interitus eſt: & proportione ſervata, pro culparum modo, bonum commune labefactat, vel evertit.

§. II.

Scrip. An. 1613.

§. II.

SI autem unius hominis vita ita debet eſſe æquis bilancibus expenſa, & ad juſtitiæ lineam exacta, ut quantùm deflexerit, tantùm populo noceat, culpa una in animos multos invecta, & ſerpendo vires A acquirente; quis tàm ſit cæcus, ut tremendum præfecturæ periculum non liquidò perſpiciat? Cum enim tam exacta vitæ integritas paucis, raroque contingat, ecquis ſibi blandiatur, & è ſelecto paucorum numero ſe fore promittat? Quòd ſi res perquàm raro ſuccedit, quis adeo deſipiat, ut Præfecturæ periculum notatur. de præfectura quærenda, vel cogitare audeat? Privatus homo, qui de animo dumtaxat ſuo Chriſtianis virtutibus excolendo agit, vix in propoſito perſtat, timetque ne de ſe uno ſupremo Judici ſciſcitanti reſpondere nequeat; & quod longè majus eſt, Monachus rerum divinarum ſtudio perſeveranter intentus, & alto mundi contemptu grandis judicii divini vim formidat, B precatoreſque multos inducit, ne cauſa demum cadat: quomodo ergo plerique in ſpeciem pii primas cathedras ambiunt, fidentes ſe, qui aliorum adiutorio ad iram Dei placandam proculdubiò egent, pro aliis in accuratiſſima Chriſti diſcuſſione reſponſuros?

§. III.

SAnè qui præſunt, ad faſtigium quoddam evecti ſunt, ubi proclive eſt, quamdam mentis vertiginem pati, atque decidere; quod non Eccleſiaſticis modò adſcribatur, quales Epiſcopi, è quorum numero paucos fieri ſalvos Chryſoſtomus cenſuit, ſed, & aliis, quos prodigioſè collapſos Scriptura C commemorat. Profectò Saul, qui candidè cœpit, ita imperando fœdatus eſt, ut, quod animus audire horret, de illo ſic Deus lu- 1.Reg.15.11. gubrem ſenſum expreſſerit: *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit.* Hæc ut Samuel audivit, repulſi à Deo regis vicem adeò doluit, ut fletum reprimere non poſſet: quem largiſſimè flentem ſic Deus ip- 1. Reg.16.1. ſe corripuit: *Uſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?* Si ergo, qui Dei conſilio ad gubernationem delecti ſunt, & innoxiè auſpicantur, tam portentoſè delinquunt, & à Deo tam imperioſè deturbantur: quis non ſibi timeat, ubi è ſublimi præfecturæ loco alienum caſum con- D templatur.

§. IV.

QUòd ſi quis inculpata Saulis primordia laudet, prætexat tamen ei ſapientiam defuiſſe, errabit ille ſanè; utrumque enim donum divinitus affuit: cæterùm, quò res fiat apertior, proferamus vulgatum quidem, ſed numquam ſatis expenſum Salomonis exemplum, in cujus orſu ſapientia mirificè eluceſcit. Profectò mundus obſtupuit, Salomone jus dicente, vel arcana reſerante, quòd neminem Scripturæ Sacræ conſultum latere poteſt: at regni pacatiſſimi opes, & commoda ſapientiſſimum virum imperio abutentem dementarunt, & in turpiſſima vitia demerſerunt; ſicut ſcriptum eſt: *Cumque* 3.Reg.11.4.5. *jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per* E *mulieres, ut ſequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus; ſed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniornm, & Moloch idolum Ammonitarum.* Si ergo ſapientiæ lucem regiæ celſitudinis abuſus eo uſque extinxit, ut ad idola colenda Rex jam ſenex procumberet: quis non formidet imperium, ubi animus ſimillimis irritamentis illectus cernit ſe præfecturæ abuſu per vetitos campos poſſe licenter excurrere?

§. V.

SI autem viri, cæleſti conſilio ad regnum F vocati, & virtutibus armati divinis, eximiaque ſapientia ſplendidi, occaſione regiminis tam enormiter peccant; quid cenſendum de iis audacibus, quos ad primas ſedes provexit ambitio? Virides beneque cultas arbores abſumit ignis; arentia ligna nonne depaſcet? Arentia ligna dixerim rectores eos, quos non intuitus Divinæ gloriæ, non Reipublicæ pax, non ſalus proximorum excitat, ſed cupiditas opum, & honorum, quos avidiſſimè captant. Utinam horrendum interitum præmeditarentur, ne tam cæcè aberrarent.

§. VI.

EXhibet enim neſcio quid blandum, & G lætum præfectura, quod mortales hæredes Adæ adeò vehementer oblectat, ut tamquam temulenti, mala, quæ cute illa nitida obteguntur, neque ſentiant, neque diſcernant. Verumtamen multis poſtea experimentis convicti fatentur, quàm ſit amarulenta potio, quæ dum appeteretur ſuaviter haurienda credebatur. Quod licèt alii dictitent, ii potiſſimùm probant, quos Dei timor coarctat, qui rebus perpenſis, atque collatis, mallent validè jugum prælationis excutere, quod ſponte ſubiere vel impoſitum ſuſcepere: è quorum ſelecto numero paucos aliquot mundi contemptores ætas quoque noſtra tulit. H

§. VII.

CÆterùm, qui oneri tanto juſſi, vel injuſſi humeros ſuppoſuere, ſive Eccleſiaſtici, ſive ſeculares ſint, in opus ſuum curis aliis ablegatis incumbant, tamquàm rationem Deo reddituri ejus functionis, quam obeunt, qua ſe populo piè, prudenterque regendo fecerunt obnoxios. *Deus (quippe) ſtetit* Pſal. 81. 1.

tit in Synagoga deorum. Hoc eſt, judicum, principum, præfectorum: *In medio autem deos dijudicat*. Porrò ubi, qui præeſt, ad tribunal Chriſti ſiſtetur, rogabiturque quid egerit, reſpondebit fortaſſe unus è multis, ſe quod ad perſonam ſpectat propriam, neque honoris, neque voluptatis, neque lucri gratia legem graviter violaſſe: verùm A obiicetur ei populum, familiamve peccaſſe, quod ipſe ex officio cavere debuit: & culpæ, quas corripere neglexit, in ejus caput refundentur, ut luat, quæ minimè putarat. *Matth.* 12. Si enim, quod Chriſtus præmonuit, de verbis ſingulis otioſis in ſupremo judicio reddenda ratio eſt, an non exigetur ratio neglectus Reipublicæ, vel familiæ, quam coercere oportuit, cum ejuſmodi neglectus gravior, & nocentior ſit, quàm otioſa verba, quæ paſſim effunduntur? An obſcœnitates, contentiones, detractiones, odia, furta, blaſphemiæ gentis incultæ non recenſebuntur, exquireturque à gubernatore, qui eam excolere debuit, cur populum, familiamve ſylveſcere permiſit, & luxuriem malæ ſegetis igni tradendæ non præſecuit? B

§. VIII.

Vereor, ne multi præſides, qui ſibi videntur innoxii, damnentur interitu ſempiterno, quem dum contemplor, equidem cohorreo. Et profectò timor hic meus fundamento minimè caret; quod planè perſpiciet, qui gubernatoris officium attentè trutinaverit, ſimulque animadverterit, quod ego ſæpe obſervavi, præfectos pleroſque admonitos de rebus ſeriis, quas officii ſuſcepti ratio ſuggerit, tanquam è gravi ſomno evigilantes, novamque doctrinam ſibi obtrudi credentes, facilè oſtendere, ſe de C gente ſibi credita tenuiter cogitaſſe iis præſertim in capitibus, quæ Chriſtus ab eis maximè requirit.

§. IX.

Quod verò bonis æſtimatoribus pejus in hoc genere videtur, audacia quædam eſt eorum præſidum, qui cum opiniones Theologorum, Juriſque prudentum communes audierint, hærent nihiloſeciùs levioribus paucorum ſententiis parùm tutis, maluntque periculoſo itineri ſe committere, quàm perarctam ſalutis viam a Chriſto oſtenſam incedere. Miror certè auſum hunc: ſi enim in urbe ampliſſima, quàm interfluit Comparatio. amnis, duo pontes populo tranſitum D præberent, communique bonorum architectorum ſententia pons alter parùm tutus exiſtimaretur, profectò vix è multis millibus unus tutiorem pontem, mortalis vitæ amore perurgente, non peteret. Quomodò ergo è duabus opinionibus, quarum altera communi ſapientum conſenſione reprobatur, quæ minùs tuta eſt, à tam multis eligitur? An immortalis vita æquè, ac mortalis non ametur? Cur tamen vitam hominis immortalem cum mortali confero? Certè ut in exemplo duorum pontium allato perſiſtam, nemo non ſe ipſum modò, ſed ne equum, quo ad exportandum ſtercus utitur, periculoſo ponti crederet. Si ergo equus, vel aſellus pontem infidum pertranſire non ſinitur, ne fiat modica rei familiaris jactura; cur anima E ſanguine Chriſti redempta periculoſis opinionibus in tanto æternæ mortis diſcrimine, ſe ipſam credit, ſibique tantopere vileſcit?

§. X.

Opto equidem, gubernatores Chriſtiani oculatiſſimi ſint, ut ſciant quid fieri expediat, & conſtantiſſimi, ut quod facto opus eſſe noverint, reſectis politicis rationibus parùm piis exequantur, placeantque ei, per quem *Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. *Prov.* 8. 51. Quod plane aſſequentur, ſi exemplar ipſum Chriſtum intueantur, actuſque ſuos ad illius perfectionem F effingant. Opto item, perfectum imperandi modum Chriſtiana diſciplina ſubnixum ineant, habeantque delectum rationi, & Scripturæ Sacræ exemplis congruentem, quo præfectura proſperetur. Quia verò campus hic latiſſimè patet, multorumque capitum ſtudio animi vis diviſa lenteſcit; erit ad rem, ut gubernator quiſque unum, vel pauca ſeligat, quibus præcipuè ad imperium utatur, vireſque omnes ad ſcopum unum intendat. Quòd ſi quis roget, quodnam caput ad feliciter imperandum appoſitiſſimum videatur, reſponderi poſſet illud à ſapientibus inter potiſſima reponi, quod ex humilitate, ac manſuetudine conflatur. Cum enim is feliciſſimè omnium gubernet, qui animis imperat, perſpectumque ſit, gubernatores G humiles, ac mites animis ultrò ſe ſubdentibus dominari; efficitur profectò, ut caput ex iis duabus eximiis virtutibus coagmentatum ad regendos ſecundis eventibus homines opportuniſſimum ſit.

§. XI.

Suppetit efficax ratio: Cum enim, qui præſidet, ſuperbus, ac iracundus eſt, territat ſubditos, qui homines cùm ſint, humaniter tractari expetunt: eoque ipſo, quòd gubernatorem ſeſe efferentem, & iraſcentem conſpicantur, refugiunt, ac renituntur, ut ſi aliqua reddant obſequia, coactis tributorum repenſoribus ſimillimi ſint, à H quibus pecunia non tam redditur, quàm extorquetur. E contrario verò, ubi, qui præeſt, velut æqualis inter ceteros verſari, mollibuſque reſponſis uti cœpit, animos mirificè capit, atque delectat: nihil in eo exoſum, nihil aſperum deprehenditur, quod natura detrectet, multaque cernuntur, quæ facilè probantur, & placent. Qui enim animo demiſſo, ac miti eſt, ceteros non exagitat,

Lenitas pręfectis commendata.

Scrip. An. 1613.

non vexat, ſed honore afficit, conſentit, cedit: ex quo efficitur, ut ſubditi animadvertentes habere ſe gubernatorem non capitibus eorum incumbentem, ſed (ut ita dicamus) ſuccumbentem, honorem deferentem, facilem, ac ſuavem; miteſcant ipſi, cedantque ex animo, quod laudatiſſimum ſubjectionis genus eſt. A

§. XII.

Humilitatis manſuetudiniſque effectus.

Quin etiam & ii, qui minimè præſunt, ſi humiles, ac mites ſint, iis cum quibus verſantur, quodammodo imperant, habentque multos ſpontaneos obſequiorum redditores, interim dum ipſi aliis obſequi, & ſubeſſe cupiunt. Experimentis quippe quotidianis liquet non in Monachorum clauſtris tantùm, ſed in ipſa curia, eum, qui humilitatis, & manſuetudinis laude præcellit, ab omnibus certatim honorari, beneficiis augeri, neminem illi invidere, familiaritatem ipſius ab omnibus expeti, atque requiri: B quod nihil eſt aliud, quàm aliorum animis dominari, imperio minimè quæſito, ſed delato. Sentiunt ſcilicet alii vim quamdam ſuavitate multa delibutam, quæ virorum humilium manſuetorumque conſuetudine, moribus, & verbis, vel à tanti boni ignaris percipitur. Ecquis enim non capiatur conſortio ejus, qui nihil moleſtiæ irrogat, cedit, honorat, ſubeſſe potiùs, quàm præeſſe optat, ſubit aliorum onera, & altercari, vel iraſci neſcit? Si autem qui æqualis eſt, his moribus præditus aliorum animis imperat, quid non obtinebit, qui cùm præſit, tam ſuavem moribus eiſdem præfecturam gerit? Immenſum quippe pondus habet lenitum hoc, & temperatum imperium. Porrò ſi quis dominatu cordium potiri velit, ſciſciteturque quanam arte id nanciſci queat C reſponſio ſat appoſita erit: Humilis, ac mitis eſto, & imperabis.

§. XIII.

Moſes vir mitiſſimus.

David eiuſque manſuetudo.

Confirmari ſanè poteſt doctrina hæc clariſſimis, plurimiſque tum antiquis, tum recentibus exemplis: verùm pauca indicare ſufficiet. Porrò Moſes qui regnum feliciter geſſit, ut è textu ſacro liquet, fuit vir mitiſſimus omnium, qui morabantur in terra, ſeque ipſum profundiſſima humilitate adeò deſpexit, ut, vel præcipiente ipſo Deo, ægrè adduci potuerit ad legationem coram Pharaone obeundam, D quippe qui ſe inertem, & nullius momenti hominem cenſeret. David quoque, qui ad regnum à Deo cooptatus fuit, ab incredibili manſuetudine, ſuique contemptu celebratur, quod ſacra Regum hiſtoria ſatis evincit. At hæc, & innumera alia humilium, mitiumque gubernatorum exempla conferri nequeunt cum eximio illo Regis Regum Jeſu Chriſti exemplo, qui cùm noſſet mortalium ingenia, regnum ſuum non apparatu militari, aut opibus, & potentiæ jactantia, ſed humilitate, ac manſuetudine inſtruxit, ut rigentes cervices flecteret, ferreaque corda molliret. Cujus certè veritatis teſtis locuples fuit dies ille, quo Jeroſolymam ingreſſus mirabili acclamatione populi exceptus fuit, tamquam Rex Sion mitiſſimus, & corde humillimus, E cui capitalium inimicorum feritas tunc præſertim irritata, & conjurata ſuccubuit, ut noſſent univerſi reges, ac præfecti, quas vires humilitas, & manſuetudo ad regendos animos haberet.

§. XIV.

Verùm ſupremus triumphus, quem egit è cruce pendens, rem hanc efficaciſſimè confirmat. Rogo enim, quiſnam ſtatus ad imperandum importunior, quàm crucifixi, publica ſcilicet ſententia patibulo addicti hominis, quem velut infamem contemptuque digniſſimum horrere mos erat? Profectò nullus ſtatus, nullum tempus, occaſio nulla excogitari poſſe videtur adeò inepta F regno, quàm conditio hominis adverſante mundo è medio ſublati: & tamen, *Regnavit à ligno Deus*. Pſal. 95. Nimirum quia non cœli, & elementa commota ſolùm, non petræ tantùm ſciſſæ ſunt, ſed corda petris duriora mitiſſimo Agno Dei collum ſubdidere, & Chriſtianæ humilitatis, ac manſuetudinis imperio conceſſere. Non abs re, licèt mundus aliud opinaretur, Crux Chriſti hoc inſcriptum, quaſi coronidem accepit: Rex Judæorum: etſi enim neque Judæi illi, qui tunc inſaniebant, neque Pilatus regnum Chriſti noſſent, re tamen vera ſub verbis illis altus latet ſenſus Chriſti manſuetudine ſua Judæis imperantis, regno quodam altiore, quod mundus minimè novit. Norunt tam contemptores mundi, qui jam Imperatorum, Regum, & nobiliſſimæ partis orbis terrarum colla à Chriſto Crucifixo ſubjugata G conſpiciunt.

§. XV.

Si ergo efficaciſſimis rationibus, & illuſtriſſimis exemplis compertum eſt gubernatores mites, ac humiles feliciter præeſſe, nemo miretur, ſingulari obſervatione me humilitatem, ac manſuetudinem gubernatoribus commendaſſe. Etſi enim prudentiam, juſtitiam, aliaſque virtutes proferre poſſem, quæ videntur regimini aptiores; non abſque conſilio hæ commendatæ, illæ prætermiſſæ ſunt, cùm exhortatio noſtra peculiari intuitu ad perſuadendum perfectum H imperii modum, qui in animis flectendis conſiſtit, deſtinetur. Omnia igitur, quæ in hoc libro tradidimus prudentiæ, juſtitiæ, aliarumque virtutum capita obſervanda, ſed ad victoriam animorum humilitas, & manſuetudo accuratiſſimè colenda.

§. XVI.

Scrip. An. 1612.

§. XVI.

UNiverſè autem ſtudendum eſt iis omnibus, quæ ad piam, prudentemque gubernationem utcumque conducunt, ut ſubiectus populus, vel familia ad percur- A rendam ſalutis æternæ viam fiat alacrior. Mundi occaſus imminet, gloria orbis terrarum concidit, opulentia deficit: ſola Chriſti virtus eclipſim non patitur. Quid ergo moramur? Quid prodeſt mundi felicitas æterno dolore repenſanda? Quid cogitat gubernator inſipiens, qui potentia ad explendam bonorum caducorum famem abutitur? Millenos ejuſmodi homines tartarus abſorpſit, qui licèt ſerò, vident tamen modò, quàm graviter peccarint, quorum interitus cautioni proponitur: & tamen à paucis tragœdia hæc tremenda perpenditur. Plurimi imperatores, reges, prætores, prælati, quorum nomen fuit marmoribus inſculptum, & ab hiſtoricis celebratum, perpetuo inferorum carcere torquentur; & vix ab uno vel E altero tam funeſtus caſus recolitur. Placeat ergo illud divini Vatis monitum: *Et nunc* Pſal. 2. 10. 11. 12. *reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via juſta*. Oraculum eſt, quod utinam gubernatorum animis hæreat, ut timoris Dei fræno coerciti cœptum pietatis iter ſine defectione conficiant.

IN SEQUENS OPUS

PRÆMONITIO.

BEne eſt, ut qui tam ſanctas Principibus contulit præceptiones, etiam Aulicis hominibus, a quibus multoties bonum Reipublicæ non minus, quam ab illis pendet, propria officia monſtraret. Sæpe enim fit, ut ſub bono Principe populi non tam recte vivant, quod malo Aulicorum exemplo corrumpantur. Hic ergo tenuis libellus huic morbo tam fortiter obponitur, quam ad veras Evangelii leges eorum Magnatum mores revocat, totamque Curiam, quæ vix Chriſti nomen pati ſolet, ad tanti ſupremi Domini, ac Præceptoris doctrinam componit. Quamobrem eum anthidotum non difficile dixerim tot venenatis Opellis adpoſitum, quæ tortuoſis humanæ verſutiæ anfractibus, doliſque artificioſiſſi- C *mis non modo ab lege Chriſtiana, ſed ab ipſa etiam ratione longiſſime averſis,* G *Principum Aulam tractare docent. Illum ſcripſit Ven. Auctor eodem, quo ſuperior Inſtructio Principum, anno* 1612. *& ex eodem Typographio Jacobi Maſcardi primum Romæ paruit; quem Colonienſes Editores tertio inſeruerunt Operum Tomo, a pag.* 239. *præfixa eadem ad Cardinalem Garſiam Congregationis noſtræ Protectorem nuncupatoria epiſtola, ut ſequitur.*

VETUS AUCTORIS
NUNCUPATORIA EPISTOLA
ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMOQUE DOMINO D.
JOHANNI GARZIÆ
CARDINALI MILLINO

FR. JOANNES A JESU MARIA S.

MUltis certè nominibus tibi nuncupari debuit, Card. Illuſtriſſime, libellus hic de bono uſu curiæ à me non tam ex aliorum ſententiis, quàm ex propria meditatione conſcriptus. Primùm quidem, quod ego calamo perſecutus fui, tu præclariſſimis meritis exhibes, dum nec purpura, nec populari aura, neque prece, neque pretio à recto Eccleſiaſtici Principis ſtatu, bonoque curiæ te admirantis uſu flexus, inter ſecundos eventus modeſtiſſimè officium exples: ut qui te intuetur, navem medio in pelago validis ventorum flatibus impulſam, illiſiſque fluctibus verberatam, ſed jactis anchoris immotam cernat. Mox officio coronidem appoſiturus pietatem, ut mihi ſat exploratum eſt, apprimè colis, dum per graviſſimas functiones, quas obis, id inprimis eniteris, ut Dei gloria amplificetur, Eccleſiæ bonum augeatur, animique tui ſalus tuta conſiſtat. Denique fauſto quodam præſagio Congregationis noſtræ protectionem auſpicatus es, multiplicique beneficio nos paſſim devincis, nihil non moliturus, ut diſciplina noſtra radices altas defigat. Capita tria, tamquam perennes laudum fontes leviter delibavi, quibus evinco, debuiſſe me, ſcripto huic, & publicis rationibus, & privata gratitudinis cauſa nomen tuum præfigere: quod ſpero equidem, ſcriptoris nebulas luculentiſſimo ſuo ſplendore diſpellet. Munus ergo meum, Cardinalis Illuſtriſſime, humaniter accipe, ac rem parvam ex grandi voto perpende: legeque per horas ſucciſivas, ut quæ breviter comprehenſa hinc excipis, in Reipublicæ bonum, qua ſoles pietate, ac prudentia derives, & alios ad imitationem auctoritate tua planè maxima, exemploque efficaci permoveas. Clementiſſimus Deus, ad Eccleſiæ bonum te, Cardinalis Illuſtriſſime, diu ſervet incolumem.

AUCTORIS PRÆFATIO
AD LECTOREM.

DIgeſſi, Lector candide, quæ ad bonum curiæ uſum pertinere cenſui, quàm breviter, ac perſpicuè potui: ut exiguo labore poſſis caſtam haurire doctrinam, quæ ad expungenda vitia, parandaſque virtutes Chriſtianæ curiæ conſentaneas conferat.

Scriptum in partes diſcrevi tres. Prima modos varios boni uſus curiæ, ſecunda aliquot ad pietatem colendam ſelecta conſilia, tertia internos virtutum actus complectitur. Ne pigeat, vel pauca hæc lectitare, atque recolere; quæ abſque tædio ullo, non legi modò, ſed memoriæ quoque imprimi poſſunt, ut afflante Deo, ad praxim deriventur. Precor, quàm impenſè poſſum, Divinam Majeſtatem, tibi proſit labor hic modicus, quem S. R. E. cenſuræ ſubiicio.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA LIBER DE BONO USU CURIÆ COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

De modis boni uſus Curiæ.

Scrip. An. 1612.

CAPUT I.

Bonus Curiæ uſus quis ſit.

Bonus Curiæ uſus is eſt, qui legitimus, ſcilicet, qui legi harmonicè conſentit. Lex autem cum ſit multiplex, divina primùm, mox humana ſpectanda, ut aulicus ad jus lege utraque præſcriptum tanquam ad A rectam lineam actus exigat ſuos, valideque propulſet quicquid lege interdictum eſt. Quod ſanè præſtabit, ſi affectum repurget, verba trutinet, actus circumſpectè obeat, appoſitè ad curiam, vel aulam in qua verſari conſtituit. Res non oſcitanter accipienda, cùm per ſe honeſta ſit, pariatque bona quamplurima, quæ mortales ſuaviter afficiunt, ac ſervet tutam inter diſcrimina conſcientiam, quod hominem Chriſtianum, idoneumque æternæ ſalutis æſtimatorem præſertim urgebit. Profectò nemo ſat mentis compos aliquod vitæ inſtitutum, niſi præmeditatus aggreditur: & quidnam ſit, quid honeſti, vel commodi referre poſſit, accu- B ratè perdiſcit. Quocirca mirum eſt, pleroſque curiæ ſectatores, neque noſſe Inſtituti ſui rationem, neque quid inde boni proveniat, velle diſpicere. Erunt fortaſſe permulti, qui curiæ ſinus, angulos, flexus, ac reflexus explorent, ſibique videantur omnia percallere, ac derideant alios, quibus curia Cretenſis labyrinthus eſt, quem ſic deſcripſit ille:

Circumſpectio commendata.

> *Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta,* Æneid. lib. 5.
> *Parietibus textum cæcis, iter, ancipitemque*
> *Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi*
> *Falleret indeprehenſus, & irremeabilis error.*

Hæc aliis incognita, ſibi jam perſpecta non C pauci jactabunt, cum tamen Chriſtianum curiæ uſum vix norint, quem penitus noſſe debuiſſent.

CAPUT II.

Quàm ſit è Republica bonus curiæ uſus.

Curia pars regni lectiſſima, & flos nobilitatis, litteraturæ, ac induſtriæ pulcherrimus eſt. Quocirca bonus curiæ uſus inter potiſſima Reipublicæ bona recenſendus, quippe qui ad præcipuam Reipublicæ partem expoliendam, perficiendamque pertineat. Sanè qui perſpicacitate ingenii, generis claritate, opibus, ac potentia ex- D cellunt, ad curiam, æquè ac mercatores ad nundinas, mira celebritate concurrunt: qui ſi ad legis normam conatus ſuos metiri aſſueſcant, ſalus publica multis quaſi propugnaculis aſtruitur, ſecùs multis agminibus hoſtium infeſtatur. Nimirum quò ſubtilius ingenium, opulentia, potentiaque amplior,

Boni curiæ uſus effectus.

eò

Scrip. An. 1612.

eò, ſi exorbitet, Reipublicæ oppugnatio acrior, & ruina funeſtior eſt. Non abs re pius contemplator hoc loco vim lachrymarum effundat, cum pateat eſſe non paucos, qui Reipublicæ munimenta eſſe poſſent, & tamen abuſu curiæ nihil grande moliuntur, ſed ſalutis publicæ quaſi arcem evertunt, obiiciuntque piis oculis ferale ſpectaculum, quale olim in excidio Hieroſolymæ, *Quando luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*

Thren. c.2.8.

A

CAPUT III.

Quàm ſit rarum curia bene uti.

CUria meliores ſolet recipere, quàm efficere: accedit enim juventus ingenua, natalibus in urbibus piè, ac liberaliter inſtituta, pauloque poſt delibatis vitiorum irritamentis illecta malitiæ plurimum haurit, neque ſpicula exitialia palatino melle delibuta perhorreſcit. Pietas languet, prior diſciplina dediſcitur, & praxis quædam argutiis, captionibuſque ad aucupandos honores, & congerendas opes intenta ſuccedit. Congruit altiore quodam ſenſu poeticum illud:

Curiæ effectus.

B

Virg. Bucol. Ecl. 5.

Pro molli viola, & pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Contagium eſt, quod licenter ſerpit, ut rarò è plurimis paucos invenias, quos curia minimè corruperit. Etenim quicquid de vitiis aliis in callos dureſcentibus aſſeratur, qui inter aulicos pietatem colere videntur, paſſim conqueruntur, ſe velut in captivitatem abductos nimis dura ſervitute torqueri, vix uno aut altero, ſàt intercalato ſuſpirio in cœlum cor attollere, totos ſe Oceani cujuſdam procellis obrui, paſſionum indomitarum motibus concuti, præcipites ad mundi oblectamenta ferri. Nolo autem alios hujus veritatis aſſertores accire, quando ipſi ſpontè teſtes accedunt. Ergo jaculis in curia confertim ingruentibus, quemadmodum in prælio, plumbeo nimbo è fiſtulis exploſo non lædi, perquàm rarum eſt: optandumque ut curia tales dimittat, quales admiſit, tametſi non omnibus integritatis numeris abſolutos. Quòd ſi quis melior evaſerit, porrò virorum illuſtrium catalogo adſcribendus eſt.

C

CAPUT IV.

Curia piè utendum.

NOcet graviter pietatis oblivio, ut liquidò perſpicitur, ſi aulicos duos unum è florentiſſima aliqua Chriſtiana curia, alterum è media Sinarum Regia petas, & utriuſque ſtudia, conatus, actus ad bilancem expendas. Profectò ſi Chriſtianos aulicos plurimos roges, quorſum curiam petant, vel frequentent, veroſimile videtur, te interrogationibus iteratis nihil aliud expreſſurum, quàm quod Sina Ethnicus reſponderet; ſe videlicet curiæ aſſueſcere, ut à principibus opes, honoreſque recipiant, neque ſe ad labores, quos ſuſcipiunt, ullo cæleſtis regni ſtimulo excitari, ſi vera fateri debeant. Cui ſanè veritati fides facilè habebitur, ſi contemplemur, quàm ipſi lentè afficiantur, ubi abſque mercede ſolo pietatis intuitu negotia gerenda ſuccurrunt. Si ergo Chriſtianus aulicus ſola temporalia bona in curia molitur, quo ex capite ab Ethnico differt? Adeò ne deformis ſit, qui Chriſtum novit, ut ab ethnico, quod ad mores attinet, ægrè poſſit diſcerni? Minimè mirandum, ſi teterrimis vitiis fœdetur, qui parùm piè vitam inſtituit. Etenim meditatio hæc, ſi aulicus prudenter agat, id ſaltem efficiet, ut introſpiciat ipſum, aperteque dignoſcat, ſe Chriſto judici neglectæ pietatis excuſationem non poſſe prætexere, dum conſcientià teſte, ethnico alicui juriſconſulto verborum venditori, fluxarum divitiarum, & honorum exquiſitori non antefertur. Opto autem, ne ſui cognitio jejuna ſit, ſed affectum excitet, ut omnino ſtatuat, velle ſe, quicquid agat, in Dei gloriam referre, officiumque quo fungitur ita demum explere, ut opes, & honores, quibus ad vitam ducendam indiget, Chriſtiano ſenſu ad animæ ſalutem dirigat, ſeriòque decernat, nihil prorſus admittere, quantumvis honorificum, & ſplendidum, quod cum divina lege non aptè cohæreat. Conſilium hoc, in dies ſingulos ſummo mane recolendum.

D

Quid communiter quæratur in curia?

E

Actiones ad Dei gloriam dirigendæ.

F

CAPUT V.

Curia parcè utendum.

APoſtoli ſenſui congruunt, *qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*: quod quàm ſit rationi conſentaneum, efficaciſſima ratio ab ipſo Apoſtolo ſubiecta pervincit his verbis: *Præterit enim figura hujus mundi*. Porrò amentiæ argumentum eſt umbram fugaciſſima inſequi, nedum velle apprehendere. Inſanum eſt, rotæ, quæ ſemper vertitur, inſidere velle. Quid ergo opinandum de iis, qui adeò ſe curiæ pelago immergunt, ac ſi eſſent perenniter victuri, omnique bono in re omnium inconſtantiſſima tranquillè fruituri? Profectò error hic homine Chriſtiano indignus videtur: quomodo enim ad curiam cœleſtem feſtinet, qui mentem humi defigit, & incredibili ſollicitudine caduca bona venatur? Quòd ſi cœleſtia bona, quæ non cernuntur, ſegniter moveant, cur aulicus non conſideret, neque pii, neque cordati viri eſſe, rei multis, & mæſtis caſibus obnoxiæ ſtudio avidè ſeipſum addicere, & perſeveranter inſiſtere? Non fidendum cœptis apparenter fauſtis: Abſalonem quippe ad tubæ clangorem ab univerſo Iſraele ſtipatum ira Dei capillorum laqueo è quercu ſuſpendit, lætaque principia penè contiguum funus excepit. Quid non lætum ab Aſſuero potentiſſimo Perſarum Rege Aman ſperaſſet? Et tamen è toro regii convivii, ubi fuerat honorificen-

1. Cor. 7. 31.

G

Aulicorum error.

H

2. Reg. 18. 9.

Eſth. 7. 9.

Scrip. An. 1612.

centiſſimè exceptus, ad patibulum probroſè pertrahitur. Sanè permultos Abſaloni, & Amano ſimiles curia intemperanter utentes, ſcopulis illiſos, ætas quoque noſtra palàm oſtentat. Curiæ voluptas non abſimilis eſt generoſo vino, quod, ſi ſobriè hauriatur, prodeſt, ſi immoderatè, & corpori nocet, & menti, cujus judicium intercipit. Parcè ergo curia utendum eſt.

Curia generoſo vino comparata.

A

CAPUT VI.

Curia prudenter utendum.

CUria prudenter uti dicendus, qui appoſitè ad finem utitur, juxta dotes animi quibus pollet: prudentia quippe in eo potiſſimùm verſatur, ut apta fini media præſcribat. Aulicus ergo iis dumtaxat manum admoveat, quibus explendis, pro ingenio, ſcientia, & induſtria, idoneus eſt: neque audacter ea tentet, quæ nequit abſolvere. In iis autem, quæ pro captu ſuo idoneè præſtare poteſt, ne metam excedat: ſed obſervet quouſque pertingendum ſit, ut tantumdem ſtudii, operæve collocet, quantum ad metam attingendam ſat eſſe cenſuerit. Eſt à ſecretis, eſt cauſarum auditor, eſt judex, ſatagitque iis officiis honeſtè perfungi, ut ad vitam decenter agendam reditus annuos demum acquirat. Ne ſinat ergo ſe auri ſplendore capi, ut abſque modo locupletari prætendat: quid enim ſtultius, quam procurrere, ubi ad locum quieti deſtinatum velox curſor acceſſit? Et quidem prudentiam hanc lux naturalis commendat: ceterùm altior eſt Chriſtiana prudentia in primis retinenda, quæ apertè docet, niſi addatur cupiditati modus, viam cæleſti regno intercludi: quomodò enim per viam ſublimem, arctam, confragoſam, vir oneratus immoderatis ponderibus aſcendet? Gravia onera detrectanda, vel excutienda ſunt ab aulico, qui ſalutis æternæ viam carpere conſtituit, quæ juſtorum prudentia eſt.

B

Prudentia Chriſtiana, quæ?

C

CAPUT VII.

Curia patienter utendum.

NUllus omnino ager urticarum, & tribulorum, ac curia mœroris, & gravium affectionum ferax eſt. Repulſæ, ſpes crebrò fruſtrata, cæterorum promotio cum dedecore proprio, negotiorum dilatio, vel infeſta expeditio, ſucceſſuſque varii votis adverſi, quaſi totidem horrentia ſpineta videntur, quibus animi punguntur, ac lacerantur. Quid verò ſubtexam de curis innumeris, quæ cor lancinant, atque pervellunt? Quoties noctes ducuntur inſomnes, dum cor ſollicitudine nimia palpitat, atque ſubſultat? Porrò anxietas hæc adeò ſolet ingraveſcere, ut viros quoque illuſtres exanimet, quod principum fortaſſe audientia non ita grata contigerit. Cum ergo curia tot vepres, ſenteſve refundat, neque animus poſſit læſionis ſenſu carere, appoſitum conſilium erit, ut ſe patientiæ clypeo contegat, quo immiſſos aculeos excipiat, vel etiam retundat. Conſideret nullum eſſe vitæ vel togatæ, vel armatæ Inſtitutum, quod adverſis caſibus non infeſtetur; exemplarque noſtrum Chriſtum intueatur, in quem Hieroſolymorum curia, tamquam phrenitide correpta, inſanivit; enitaturque inculpatè pati.

Anxietates curiæ notantur.

D

— Hic murus æneus eſto.

Hor. Ep. 1. ad Mæc.

E

CAPUT VIII.

Curia comiter utendum.

PRodeſt maximè ad omne genus hominum ſibi conciliandum comitas, quæ in agendo ſuavitas quædam eſt, qua aulicus omnium ſuffragiis, & ſibi, & aliis utile, ac delectabile bonum acquirit, ut ei congruat celebratum illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Hor. de Art. Poet.

Si enim commendatur, qui aliis utilitatem, & voluptatem affert, cur non, qui & aliis, & ſibi? At comitas non confert modò ad excitandum, ſed ad conſervandum quoque aliorum erga nos affectum, quæ certè ſecunda non minor, quàm prima laus eſt, juxta illud:

F

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri:
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Ovid. Lib. 2. de Arte.

Etenim doctrina hæc civilis admodum eſt, quæ, & candidatis Ethnicis, honorum, & opum poſtulatoribus placuit: cæterùm aulicus Chriſtianus ita eam debet moderari, ut affectationem Ethnicis uſitatam excludat. Quocirca cavendum, ne in muliebres modos degeneret, ſed abſque aſperitate, ac duritia, virili ſinceritate temperetur; quam ad libram geſtus, & verba perpendenda. Gravitas, quæ comitati permiſta in principibus laudi vertitur, in aulicis parcè laudatur: modicè tamen adhibita non videtur carpi debere.

G

CAPUT IX.

Curia leniter utendum.

LEnis uſus idem ac mitis eſt, qui in eo potiſſimùm verſatur, ut iram comprimat, externaque nulla perturbati animi ſigna, ſed tranquillum vultum exhibeat. Qui profectò adeò eſt ad animos permulcendos efficax, & ad negotia gerenda opportunus, ut quantumvis prolixo ſermone ſatis exprimi nequeat. Habet ſanè vir mitis vim quamdam animorum victricem, cui duriora ſaxis corda concedunt: creberrima quippe experimenta convincunt, manſuetudine ferociam ipſam leniri, ut quod intumeſcente mari, & ad mollem littoris arenam ſeſe remittente, cum voluptate cernimus, hoc in homine, qui excanduit, in alium mitem incurrente miremur, ubi hominis ingenium ira poſita quieſcit. Nimirum, ut morum aſperitas hominis ingenio diſplicet, ita lenitas placet, atque dulceſcit. Hinc credo equi-

Lenitatis effectus.

H

Scrip. An. 1612.

equidem, negotiorum geſtores, dum virum mitem conveniunt, ei hærere, ab eo nunquam recedere peroptant, cùm è contrario iracundum hominem exhorreant, atque refugiant. Naturæ nempe ductu res aſperas, aculeataſque attingere formidamus, molles, teneraſve non abſque voluptate contrectare A conſuevimus. Verùm aliquid natura ſublimius pius aulicus debet eniti, qui Chriſtum veneratur. Sanè Chriſtus, quod Auguſtinus In Pſal. 54. obſervavit, *Domuit orbem non ferro, ſed ligno*, quaſi luculentiùs diceret, à Chriſto prædura mortalium pectora domituro electum fuiſſe modum quemdam agendi non ferro armatum, ſed manſuetudine mollitum, atque ita demum regnaſſe, quod juxta LXX. Interpretum verſionem divinus Pſaltes cecinit in hæc verba: *Regnavit à ligno Deus*. Si ergo animorum conditor animis imperaturus expedire cenſuit, ut non ferro cæderet, ſed cæſus, & ligno affixus miteſceret; certò ſibi aulicus perſuadeat, ſe aliorum animos, quò velit, flexurum, dulciſſi- B moque imperio aliis dominaturum, ſi exemplo Chriſti mitis eſſe conſueverit.

CAPUT X.

Curia modeſtè utendum.

Modeſtia aulicis commendata.

AUlicis peropportuna eſt cultura modeſtiæ, dum inter æquales agunt, ſed dum principes conveniunt, eſt apprimè neceſſaria; iis verò potiſſimùm, qui familiariter admittuntur, qui principum humanitate abuti ſolent, donec à tædio affectis repelluntur. Quocirca bonus aulicus, ne tunc quidem modeſtiæ obliviſci debet, cùm ſingularia amoris ſigna deprehendit: quinetiam tunc minùs decet audere: tantùm a- C beſt, ut decorum ſit importunis, aut immoderatis petitionibus ſatis liberales principum animos premere, quod à nonnullis tentari ſolet, ubi lætos principes intuentur. Cæterùm graviter errant: licentia quippe, non audacia tantùm, pleroſque dejecit. Accedit huc iniqua rerum æſtimatio, dum importunus poſtulator fidentiùs, quàm par ſit, res parùm decoras, vel interventu gratia valentium extorquere contendit: ut Adonias, qui Bethſabeam Salomonis matrem precatus eſt, Abiſag Sunamitidem nuptui 3. Reg. 2. 22. 24. ſibi tradi, à Rege Salomone peteret: cui Salomon: *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei, & regnum*. Et paulo poſt: *Vivit Dominus, quia hodie occidetur Adonias*. Hic exitus intemperantis aulici eſt. Oportet ergo affectui imperare, & D tam in poſtulatis, quàm in ſermone, & vultu, cæteriſque omnibus, coram principibus modeſtiſſimè verſari.

CAPUT XI.

Curia non ſuperbè, vel ambitioſè utendum.

Animi demiſſio aulicis cõmendata.

SUperbiæ vitium curiæ familiare eſt, ubi quiſque in altiora conſcendere, merita ſua cum aliorum meritis conferre, ac fortaſſe anteferre contendit. Quapropter animi demiſſio, quaſi præſentaneum tanti mali remedium exquirenda eſt, ut neque actu, neque verbo quis aliis videri certet, quod re vera non eſt, non doctior, non prudentior, non ſanctior. Tantùm quippe abeſt, ut iis artibus claritas nominis paretur, ut E ea potiùs ſit trita ſucceſſuri dedecoris via, quàm plerique aliud affectantes emenſi ſunt. Porrò & ad mortalem quoque vitam pertinet oraculum illud: Luc. 14. 11. *Qui ſe exaltat, humiliabitur*. Nam præter antiquas tragœdias, ætate quoque noſtra, curia ipſa nonnullos parùm humiles exploſit. Suberbia enim capitalis Divinæ Gloriæ inimica, & majeſtatis ipſius infinitæ contemptrix eſt, cui proinde rependitur ultio illa: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. 1. Reg. 2. 30. Oporteret profectò ſuperbos honorum ambitores fide ipſa, quam profitentur, urgere. Si enim aliis præponi geſtiunt, quid cogitant? quanam ratione conſultant? Chriſtus palàm commendavit poſtremos accubitus, tamquam gradus, quibus in primos aſcenditur. Si ergo hæc pa- F randi ſplendoris via Chriſto aſſertore creditur, quomodo in primas ſedes validis conatibus, vaniſque propriorum meritorum encomiis feruntur? Incaſſum ſe ipſos curis, & laboribus conficiunt, vel enim non efferuntur quò cupiunt, vel elati deturbantur, ut verum probetur effatum illud: *Sedes ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis*. Eccl. 10. 17. At humiles, & mites, tametſi ſylvas, & dumeta pererrent, ad honores ampliſſimos evocantur, ſicut ſcriptum eſt: *De poſt fœtantes accepit eum paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam*. Pſal. 77. 70. 71.

CAPUT XII.

G

Curia caſtè utendum.

SOrdet Deo, ſordet & curiæ aulicus intemperans, ſeque proinde iis honoribus, & præmiis, quæ conquirit, reddit ineptum: Caſtimonia. neque enim credi poteſt, hominem libidinoſum fore negotiis gerendis idoneum: tantùm abeſt, ut ad præfecturam cenſeatur eligendus, qui ea infami nota fœdatur. Jam verò pejùs audiret, qui principum auribus aliquid impurum ſuggereret, non abſimilis proceribus Ægypti, qui Saram Pharaoni à forma commendarunt, ſicut ſcriptum eſt: Gen. 12. 15. *Laudaverunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis*. Abſit à Chriſtianis aulicis impudentia, & labes, quæ vix unquam abſtergitur. Conſcientiæ primùm, deinde nomini conſulant ſuo, & impuritatis occaſiones perquàm ſedulò vitent. Corpus H vegetum ſtudio, labore, jejunio enervandum, ne animus ſordidæ voluptatis illecebra captus intereat. Taurus jugo minimè aſſuetus virentia prata licenter oberrat, neque cogitat ſe paſci ad ſecurim. Securior eſt bos laſſus, & addictus aratro. Ergo aulicus æternæ ſalutis memor jugum Chriſti ſubeat, & inferorum tormenta formidet.

CA-

CAPUT XIII.

Curia frugaliter utendum.

BIſariam in hoc genere peccari poſſet, & quotidiano cibi, potuſque exceſſu, & fortuito, frequentique convivio nimis lauto, ac ſumptuoſo. Suppetit occaſio multiplex, ubi aulicus, vel domi, vel foris irritatur, ut abutatur menſa ad voluptatem qua mentem hebetat, & corpus obtundit. Finitimum veneri vitium, quin & illius origo eſt, ſimiliſque infamiæ geſtat inſcriptum. Homo quippe ſatur, & penè temulentus, cujus, ut Apoſtoli verbis utar, *Deus venter eſt*, neque divino cultui, neque Reipublicæ uſui, neque ſibi ipſi putatur idoneus. Nemo illum amicitia dignatur ſua, nemo ad conſilium accerſit, nemo illi ſecreta credit, nemo ei quicquam agendum committit: & quaſi mentis impos, à viris cordatis reſpuitur, atque contemnitur. Ergo temperanter agendum, præſcribenduſque menſæ modus, quo ita corpus alatur, ut animus minimè gravetur, ſed capite libero, inter epulas quoque medias de rebus propoſitis poſſit ferre judicium.

Philip. 3.19.

Temperantia.

CAPUT XIV.

Curia non invidè utendum.

FRequens nunc proviſa, nunc inopinata curiæ proſperitas aulicos malè vexat. Secundus unius hominis eventus permultos alios ejuſdem boni cupidos, tamquam jaculum fatale percellit. Ægrè quippe fertur, ut qui ante dies paucos æqualis erat, nunc ob altiorem dignitatem demiſſiùs honorandus ſit ab ejuſdem honoris rivalibus, mæſtis, & ſpe dejectis. Ex hac gravi animi affectione oritur multiplex malum, ſed illud creberrimum, ut aulicus ea peſte tactus difficulter admodum de aliis honorificè loquatur. Quin etiam eò procurrit affectio, ut quæ in aliis planè grandia videntur, tenuiter probet, aut etiam ita diſputet, ut opinio de aliorum meritis concepta decreſcat. Semper ſcilicet pungitur, ſatagitque alios deprimere, inglorioſque arguere, ne nomen ſibi inviſum celebretur. Chriſti charitas hujus veneni antidotum eſt: quocirca Chriſtianus aulicus aliorum merita æſtimare, laudibus efferre, imò & augere debet, ſi officium velit explere. Conſideret nequicquam ſe torqueri aliena claritate, quam nequit obnubilare, nedum extinguere: ſeque ipſum infeliciorem fieri, quò dolor alieno bono excitatus acerbior eſt: ſatiuſque eſſe divinam providentiam venerari, velleque omninò quod à Deo conſtitutum eſt. Quod ſi divinis rationibus non cedit animus livore tabeſcens, parcat ſibi ſaltem ipſi, ne tam diris vulneribus ſaucietur. Conſulat ſaltem exiſtimationi ſuæ, quæ in diſcrimen adducitur, quoties ſigna prodit invidentiæ, quæ diu celari nequit. Ne ſe præcipitet more Satraparum illorum, qui Danielis gloriam ferre non valentes, à Rege Dario ſententiam mortis extorſerunt, qua demum ipſi capti ſunt.

Aliorum æſtimatio Aulicis commendata.

Dan. 6. 24.

CAPUT XV.

Curia ſine detractione utendum.

NIhil in curia frequentius, quàm detractio modò tecta, modò detecta, quæ parùm piis aulicis incredibilem voluptatem ingenerat. Vitium eſt infame, arguitquè animum minimè generoſum, qui ſibi temperare neſciat. Omnia perversè interpretatur, omnes etiam inculpatos vellicat, adeoque dulceſcit, ut lingua illicitæ ſuavitati aſſueta vix umquam, niſi ad reprehenſionem ſolvatur. Profectò aulicus hoc contagio infectus divini judicii immemor eſt: Si enim meminiſſet, quæ, & qualia ei obiicienda ſint, fieret ipſe in alios clementior, ut Chriſtus animorum cognitor ei miteſceret. Sanè veriſſimum eſt illud: *Filii hominum: dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Quemadmodum enim ſagittis, & gladiis corpus perfoditur, atque diſcerpitur, ita bonum nomen linguis mordacibus deteritur, atque diſiicitur. Cæterùm non impunè ferent, ut è Pſalte divino liquet, qui cum oraſſet liberari ſe à labiis iniquis, & à lingua doloſa, rogaſſetque ecquid pœnæ detractoribus rependeretur, reſpondit: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis*. Ergo linguarum ſagittæ ſagittis omnipotentis retunduntur, & conatus obſcurandi aliorum claritatem inferorum carbonibus planè deſolatoriis plectetur, quo nihil calamitoſius excogitari valet. Miror certè linguæ licentiam, præſertim ubi in homine verboſè agente deſideratur bonum conſcientiæ teſtimonium. Saluberrimum conſilium eſt de proximis honorificentiùs loqui, obtrectatoribus obſiſtere, omneſque liberaliter commendare, atque tueri.

Curiæ vitium.

Pſ. 56.5.

Pſal. 119.4.

CAPUT XVI.

Curia non captioſè utendum.

INter vitia, quæ palatinos infeſtant, captioſum agendi genus eſt, quo viros bonos ſeducere, & tanquam ſimplices aviculas in laqueum adigere certant. Sic ſanè aulici Saul, ab invido rege inducti Davidem urgebant his verbis: *Ecce places regi, & omnes ſervi ejus diligunt te. Nunc ergo eſto gener regis*. Optabat Saul ſtimulis invidentiæ incitatus Davidem de medio tollere, ſubmiſitque aulicos, qui monerent, Regis filiam ei nuptui tradendam, ſi ſe dignum eo conjugio gereret; non opibus, aut ſpoliis, ſed cæde centum Philiſtæorum, ut liquet ex verbis illis: *Non habet Rex ſpolia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſtinorum, ut fiat ultio de inimicis regis*. Hic ſermo leniter, ac ſyncerè decurrere videtur; verùm quàm eſſet captioſus ex eo patet, quod non tendebatur laqueus Philiſtæis,

1. *Reg.* 18.22.

Ibid. v. 25.

Scripta An. 1612. is, ſed ipſi Davidi, juxta proxima ſacri textus verba: *Porrò Saul cogitabat tradere David in manus Philiſtinorum.* Ibid. Non rarò aulicus graviter affectus inducit, quem maximè odit, ad res in ſpeciem præclaras, eo ſcilicet ſcopo, ut in diſcrimen vitæ, vel honoris hominem inviſum impellat. At in caput ſuum inſidias parat, Deo malis artibus vicem reddente: ereptique innoxii celebrant ſacrum illud: Luc. 1. 71. *Salutem ex inimicis noſtris.* A

C A P U T XVII.

Curia non avarè utendum.

AUlici auro ſtudentes Reipublicæ hoſtes appellandi ſunt. Nimis emungunt, ſanguinemque proinde eliciunt, quod ferale ſpectaculum eſt. Profectò qui immoderatè in curia diteſcere nititur, ferus venator videtur, omnibus exoſus, & formidabilis efficitur, ejuſque mors ſummis votis expetitur, quod neminem latere poteſt. Cupiditas malorum omnium radix. Officit ſibi altè infixa radice omnium malorum, quæ eſt cupiditas. Officit Reipublicæ cujus munia parùm fideliter obit privati lucri turpiſſimo intuitu. B Officit proximis, quorum ſanguinem exorbet. Neque temerè ſperandum, corraſa pecunia diu feliciter uſurum, quem avaritia ſemel excæcavit: vulgò quippe ſordidè vivit avarus, & aurum rapina, vel fraude malè congeſtum intervertitur. Vivit anxius homo cupidus, timet ſibi, frui non audet; & tamen ut locupletior evadat ſeſe peccatorum pelago cæcus immergit. Nimirum cupiditas ea eſt, quam 1.Tim. 6. 10. teſte Apoſtolo: *Quidam appetentes erraverunt à fide.* Si autem Catholicæ fidei lumen extinguit, quæ criminum monſtra non generet? Hæret aurum carni, apprimitur, illabitur, ut rarò cupidus homo reſipiſcat, vel morti proximus. Ergo tempus anteverten- C dum gliſcentique avaritiæ robur atterendum eſt; & ex officiis ſibi creditis aulicus id dumtaxat debet requirere, quod æquitas, pietaſque refundit.

C A P U T XVIII.

Curia non otioſè utendum.

VIX dici queat, quàm ſint ſui impotes aulici otioſi, quàm inertes, garruli, detractores, inconſtantes, ignavi, aliorum- Inertia. que vitiorum notis reſperſi. Terra ferax eſt; at cum deſit cultura, pro tritico, & hordeo, carduos, loliumque progignit. Ratio, experientiaque rem confirmant: cum enim ſtudio nulli honeſto ſe ipſos deſtinent, D ingenium perſpicax, nobilitas, opes in malorum gravium inſtrumenta vertuntur, ipſique modos multos abutendi tempore excogitant, & alios benè inſtitutos ad ſua oble- Ezec. 16. 49 ctamenta demulcent. Timendum eſt: nam ſuppetit eis ſaturitas, & accedit otium, Sodomorum peccata, quę quæ fuere duo Sodomorum peccata tremendo incendio punita. Ergo aulicus quiſque ſic vitam inſtituat, ut minimè vacet, ſed pro ſtatu ſuo vel litterariis, vel militaribus, vel piis exercitiis tempus impendat, evadatque in dies ſe ipſo melior, Deo gratior, Reipublicæ, & proximis utilior. Ne torpeat, vel opus procraſtinet: fiet enim quotidie ineptior, & irriſione dignior. Et quidem ſi alia capita torporem non excutiunt, conſideret ſaltem mortalium ſedulitatem, qua opes caducas coagmentant, & tantumdem operæ pro ſapientia paranda, E & quod nobilius eſt, pro ſempiterno regno piis exercitiis nanciſcendo ponat, quantum laboris illi pro fluxis bonis exantlant.

C A P U T XIX.

Curia fideliter utendum.

AD boni aulici partes facilè pertinet ſpectata in negotiis gerendis, in ſecreto ſervando, in ratione reddenda, & univerſè in rebus ſibi creditis fides. Qui enim fidem fallit, non curia modò, ſed hominum ſocietate cenſetur indignus: quem ne ipſi quidem Ethnici milites, vel mercatores ad ſua pacta reciperent: pugnat enim cum naturali ratione fidei violatio, quæ aditum Fidei violatio. F ad fœdera, ad promiſſa, ad contractuſque omnes intercludit. Porrò fallentes datam fidem è ſublimi quovis curiæ loco, cum dedecore ſummo deturbantur, neque locus pœnitentiæ ſupereſt apud mortales principes, qui dementiæ genus ducunt, ei fidere à quo ſemel decepti ſunt, quod exempla vulgatiſſima convincunt. Quæ culpa? Si ergo temeratæ fidei culpa per ſe adeò deformis, adeò mortalibus odioſa, adeò ludibrio expoſita eſt; profectò ſuæ ſalutis, & honoris contemptorem oportet eſſe aulicum, qui ſe fidiſſimum probare non certat. Expedit ad virtutis hujus culturam circumſpectè agere, aſſervare ſcripta, moderatè polliceri, conventioniſque reddendæ tempus potiùs prævenire, G quàm differre, & pro explendo promiſſo, ſecreti jure, aliiſque ſimilibus, & rei familiaris, & commoditatis pati jacturam.

C A P U T XX.

Curia ſine adulatione utendum.

ADulatio ſaccharum aulicorum eſt, quod teritur, & negotiis quaſi dapibus inſpergitur. Adulatio aulicorum ſaccharum dicta. Nimirum mortales proni ſunt ad eos hyperbolicè, aut ſimulatè laudandos, à quibus opes, vel honores requirunt: eoque promptiùs laudes exaggerant, & agglomerant, quò ſibi certius eſt, abſque faſtidio accipi, molliter irrepere, interdumque vel mendacia ipſa graphicè picta placere. Cæterùm quicquid fragilitas excuſet, explo- H ratum eſt, Aſſentatio quale vitiũ? aſſentationem vitium eſſe abjectiſſimum, quod viros ingenuos minimè decet: neque credendum eo artificio vera ulla bona poſſe parari. Quin verò credendum mala ingentia inde prodire, præſertim ubi principibus Reipublicæ ſtatus pro perturbato tranquillus, pro ſterili fœlix coloratur: nam quæ aſſentatio principis ſolius per-

ſo-

Scrip. An. 1612.

Act. 12. 22.

A

Ibid. v. 23.

ſonam afficit levior eſt, tametſi, & hæc malè accepta graviſſimè lædat. Cujus rei argumento eſt tragica mors Herodis, cum trabeato, pro tribunali ſedenti, & concionanti Tyrii, & Sydonii adularentur in hæc verba: *Dei voces, & non hominis*. Intumuit ipſe divinitatis imagine, moxque horrendo ſupplicio peremptus eſt, ut liquet ex adiectis ſacri textus verbis: *Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expiravit*. Pruritum adulationis aures caſtæ non ferunt.

CAPUT XXI.

Curia ſine ſuſurro utendum.

Suſurrus quale vitiū?

B

1.Reg.24.10.

Prov. 26. 20.

C

SUſurrus diſcordiæ ſator, & Reipublicæ impugnator eſt: quod utinam pro rei gravitate perpenderent, qui ad principum cubicula penetrant, timores, ac ſuſpiciones excitant, & concordes ad infauſta divortia perpellunt. Funeſtius malum eſt, quàm ut ſcripto brevi exprimi poſſit. Turpe quidem vitium vel militibus transfugis, malèque mulctatis: quid autem de aulicis nullo ſtimulo punctis, ſed ſpontanea malitia peccantibus ſentiendum? Conqueſtus eſt David, quod hujuſmodi hominibus Saul aures præberet attentas, in hunc modum: *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adverſum te?* Perantiqua ſcilicet peſtis eſt; qua ſublata ſedantur animi uti ſcriptum eſt: *Cum defuerint ligna, extinguetur ignis; & ſuſurrone ſubtracto jurgia conquieſcunt*. Caveat ergo aulicus, ne ſit lignum aridum, ignis diſcordiæ pabulum, ſed quoad poterit incendio materiam ſubtrahat, divinæ charitatis legi obtemperet, pacem alat, nuncia allata, atque relata piè interpretetur. Quod ſi præſtiterit, omnino ſperet, ſe peramplam mercedem à Deo pacis auctore recepturum.

CAPUT XXII.

Curia ſine affectatione gratiæ utendum.

Gratia hominum, vas vitreum dicta.

D

Pſal. 145.3.

NIhil in aula, curiave æquè pretioſum, ac principum gratia ab aulicis æſtimari ſolet. Pro hac paranda, vel augenda nihil non mortales attentant, ut optandum ſit, tantumdem laboris pro gratia Divinæ Majeſtatis hauriant, quod eſt votum planè mirabile. Ceterùm quàm ſit fragilis, inconſtans, caſibus obnoxia hæc hominum gratia, quotidianæ mutationes evincunt. Porrò gratia hæc multo labore parta, vas vitreum eſt, quod ictu levi perfringitur: ut poſt annos plurimos videamus pleroſque gratiæ mercatores, ex ampliſſimis aulis depulſos, quia uno, vel altero verbo à principis ſententia diſcreparunt, vel quia lentè in ſententiam conceſſerunt: quo quid infelicius? Verùm licet à gratia non excidant, major eſt conſervationis labor, quàm fructus: quid enim ſperetur ab iis, in quibus, ut cecinit divinus Vates, *Non eſt ſalus*. Id autem boni, quod ſubeſt, ipſo temporis decurſu conflacceſcit, ut hominum gratiæ aptè conſonet illud, quod de forma quidam ſcriptor aſſeruit.

Ovid. lib. 2. de Arte.

> *Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,*
> *Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.*

E

1.Reg. 29. 6

Si ergo mortalium gratia ſterilis eſt, neque ſalutis ferax, neque eodem tenore procurrens, imò facillimè mobilis; quid cogitat aulicus, qui quodam velut idololatriæ cultu, eam gratiam aucupatur? An putat ſe ideò bonum virum, Reipublicæque proindè idoneum, quia placet? Minimè quidem: poteſt quippe cum bonus ſit, diſplicere. Novit hoc Achis rex Geth Davidem affatus: *Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo, ſed ſatrapis non places*. Gratia igitur principum non affectatè exquirenda, tametſi neque habenda neglectui.

CAPUT XXIII.

Curia ſine factionibus utendum.

F

Factiones vitandæ.

G

1. Cor. 1. 12.

Ibid. 13.

H

Corinthiorum gloriatio.

SÆviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis, ac nocendi cupidiſſimus animos aulicorum in ſtudia varia dividere, ac pro ſua quemque opinione vehementer afficere conſuevit, ut quod exempli cauſa producitur, hunc pro Gallia, hunc pro Hiſpania confligere paratum per oblatas occaſiones, in tetra peccata præcipitet. Et quidem mirum videtur, neque in Gallia, neque in Hiſpania ortos, neque oriundos adeò ardenter Regni unius, cum alterius exprobratione ſtudium arripere, pertinaciterque tueri, ut in mediis quoque plateis occaſiones importunæ laudis, & maledicentiæ captent, eaque de cauſa & vitam, & animæ ſalutem in diſcrimen adducant. Temeritas eſt Chriſtianis hominibus diſſentanea, juxta Apoſtolum Corinthios reprehendentem in hæc verba: *Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti*. Carpſit homines in ſtudia varia diviſos, quos malebat in unum Chriſtum coaleſcere: quocirca alto cum ſenſu ſubiecit: *Diviſus eſt Chriſtus?* quaſi planiùs dixiſſet: Quorſum Chriſti corpus ex multis Chriſti cultoribus compactum varia opinione diſcerpitis? Hoc ipſum iſtis nationum diverſarum unum Chriſti corpus componentium ſectoribus exprobrari poſſet. Neque ratio ulla poteſt obtendi, quæ affectum immoderatum honeſtet: nam quod à pleriſque prætexitur, affici ſe in hanc gentem, quia cultior, fortior, religioſior eſt; illam verò odiſſe ut minùs laude dignam, fortaſſe probandum, ut alteram præ altera quis amet; minimè verò ut alteram oderit, maledictiſque proſcindat, vel ut quam impenſiùs amat, intempeſtivè cum alterius expreſſa, vel tacita vituperatione commendet. Porrò Corinthii Pauli ſtudioſi, aliqua ratione ſubnixi ſibi laude vertere vide-

Scrip. An. 1612.

videbatur, quòd Pauli, non Apollo filii forent; & tamen jactatio illa Paulo diſplicuit. Salubrius conſilium eſt, porrectis divinæ charitatis brachiis omnes cujuſvis generis amplecti, illoſque ſibi amiciſſimos ducere, qui omnium optimi, ac integerrimi ſunt.

A

CAPUT XXIV.

Curia non curioſè utendum.

Tempus res pretioſiſſima.

Act. 17. 21.

B

Brevitas humanæ vitæ.

C

Act. 17. 23.

CUrioſitatis vitium à viris ſapientibus multis nominibus reprehenditur. Tempus, rem ſcilicet pretioſiſſimam, bonis exercitiis præripit, animum variè, ac noxiè afficit, caput rerum utilium, divinæ præſertim ſapientiæ ſtudio deſtinatum vanis imaginibus, ac mendaciis opplet, hominemque totum de mente deducit. Quocirca mirum eſt, aulicos Chriſtianos minimè paucos nihilo meliores in hoc genere videri, quàm Athenienſes, qui ex hoc capite vituperantur, ſicut ſcriptum eſt: *Athenienſes autem omnes, & advenæ, hoſpites, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Hinc efficitur ut per hebdomadas ſingulas totius orbis terrarum commentarios figmentis, ac ſuſpicionibus refertos, quos Gazetas appellant, accipere velint. Neque verò quieſcunt, ſed ſuperſtitioſo quodam politicæ divinationis genere noſſe cupiunt, quid alii ſpeculatores de rerum ſucceſſu prædicant; atque in hunc modum farragine quadam cogitationum inconditarum abſque numero ſubeuntium obruuntur. Quid de hujuſmodi voluptate proferam? Quantò eſſet conſultius, tot horas rebus dicare ſeriis, piis, utilibus? Brevis admodùm humanæ vitæ periodus eſt: Subſunt plurima diſcenda, quibus immortalis animus ad ſempiternam gloriam inſtrui, promoverique debet: quomodò ergo Chriſtianus aulicus non animadvertit, ſe toto aberrare cælo, dum novitatis illecebra permulcetur? Profectò qui ejuſmodi ſtudiis addicitur, *Ignoto Deo*, ut olim Athenienſes, aram erigit: ita quippe Deum colit, inexplebili rerum caducarum curioſitate præpeditus, ut eum minimè cognoſcat.

CAPUT XXV.

Curia non profanè utendum.

D

Antiquitatum diſquiſitio.

Pſ. 36. 4.

E

PRofanus curiæ uſus eſt multiplex, qualis ille, quo aulicus in ſtudium rerum planè profanarum incumbit, effectus diſquiſitor genealogiarum, & numiſmatum antiquorum, quorum imaginibus, ac inſcriptionibus diſpiciendis, ac intelligendis curam auctiorem, quàm obſervationi divinæ legis impendit. Sedulitas hæc facilè indicat, quid in animo deliteſcat. Quid enim de homine Chriſtiano cenſebimus, qui ſubterranea ſecreta rimatur, ut mutilas ſtatuas, parmulas vetuſtate exeſas, galeas contuſas in loco honeſtiore, quàm Sanctorum reliquias collocet, multiſque millibus ſpectacula profana convocatis admiratoribus oſtentanda emptitat? Parum felix eſt, qui profanis oblectamentis capitur, longeque recedit à conſilio illo: *Delectare in Domino.* Partem quippe vitæ non modicam Ethnicorum ritu tranſigit. Si autem Ethnicorum ritu vivit, quid à Chriſto remunerationis expectet? Dilabitur tempus, mors feſtinat accedere, judicium tremendum imminet: qualis ergo dementia eſt, alta oblivione ſalutis æternæ curam deponere, & terræ viſcera ethnica ſollicitudine permeare? At dicet quiſpiam, ſe ſalutis curam neutiquam ablegare, ſed animi gratia res antiquas, ſine ullius offenſione perquirere. Cæterùm quomodo Dei, ſalutiſque ſuæ curam non abiicit, qui ex profeſſo profanæ antiquitati plurimum, Deo, animæque curæ tam exiguum tempus attribuit? Quomodo nulla timetur Dei, ac proximi offenſio, ubi homo Chriſtianus profanis curis tam ſeriò ſe ipſum implicuit? Res ad trutinam divinæ legis expendenda eſt.

CAPUT XXVI.

Curia non ſuperſtitioſè utendum.

F

Curialium ſuperſtitio.

G

SUperſtitio multiplex curiam ſolet inficere; qualis eſt divinatio futuræ vitæ à natali accepta, qualis item prædictio mortis principum, quæ variis ex cauſis non exoritur, ſed exprimitur. Qua certè in prædictione culpa duplex vitanda, altera, quæ in ipſa prædictione ineſt nullo fundamento ſubnixa, altera, quæ ad affectum pertinet, qui ejuſmodi vanis obſervationibus irretitur, & paſcitur. Sanè quod ad ſuperſtitioſum præfandi genus ſpectat, exploratum eſt, nullam certam ſignorum, & eventuum connexionem piè, vel prudenter aſſeri poſſe, rebus theologicè, ac philoſophicè perpenſis: qualis enim connexio, exempli gratia, inter percuſſum fulmine, arcis faſtigium, principiſque mortem reperitur? Quòd ſi mors alicujus principis circiter ictum fulminis aliquando incidit; quis non perſpiciat, ex fortuito eventu nullum argumentum firmum duci poſſe? Profectò levitatis argumenta plurima inde promuntur, neque culpa vacat impenſum conjecturis tempus, quod curis aliis deberet impendi. Jam verò, ſi de affectu ſermo fiat, qui vanis obſervationibus ſtudent, facilè ſignificant, cupere ſe, quod conjectant, quod turpe videatur neceſſe eſt. Viros graves, atque cordatos decet, prædictiones vanas aſpernari, ſpontaneoſque hos mendaces Vates à ſuis aulis depellere.

H

CAPUT XXVII.

Curia non ſcurriliter utendum.

SCurræ, qui appoſitè ad riſum excitandum, verba, ſententiaſque confingunt, principumque aulas, & menſas frequentant, ignavum hominum genus eſt. Cui quaſi contiguum ſuccedit genus alterum, quod

Scrip. An. 1612.

Scurrilitas, facetia, & Satyra.

tametſi inſtitutum illud infame non profiteatur, proximè tamen accedit, & facetiis, ſcommatibus, ſatyricove ſermone omnia permiſcet, unde ſibi victum fortaſſe comparet. Exploratum eſt, quod in alvearibus cernimus, hoc in curia ſpectari, eſſe videlicet homines inutiles abliguriendis aliorum obſoniis intentos, æquè ac fucos apium mellificio inhiantes, qui uno dumtaxat A bombo gloriantur. Bonus aulicus ab hoc ſtudio longè debet abeſſe, quod cum vitæ integritate, ac ſtatus decoro connecti minimè valet. Certè ſcurrilitas ab Apoſtolo reiicitur, ut quæ Chriſtianum hominem *Epheſ.* 5. neutiquam deceat. Quomodo enim deceat inanis illa verborum effuſio, quæ prudentum virorum judicio mentis levitatem arguit, neque cum pietate cohæret? Qui ergo ſaluti, ac honori ſuo conſulit, vanitatem hanc procul arcebit.

CAPUT XXVIII.

Curia non verboſè utendum.

Loquacitas.

PAuci fortè aulici loquacitatis vitium penſitant, vel id eſſe ducunt. à quo abſti- B nendum ſit. Eò quippe proceſſit vitæ licentia, ut nihil mali ſe admittere plerique cenſeant, quamtumvis linguæ habenas laxent, dummodo non pejerent, mentiantur, aut detrahant alienæ famæ, vel alia id genus linguæ peccata perpetrent. Errant verò illi graviter, cum ſcriptum ſit: *In multiloquio* *Prov.* 10.19. *non deerit peccatum*, quod crebris experimentis aſſeritur. Et quidem res per ſe ipſa perſpicua eſt: Si enim, vel qui præmeditati loquuntur, vix ita verba trutinant, ut aliquid reprehenſione dignum non excidat, tametſi vitæ integritate, prudentia, & doctrina præcellant: quid ii non peccent, qui abſque conſilio ullo, tamquam per in- C exploratum mare vela explicant, & arrepta undecumque anſa cupidiſſimè verba faciunt, neque loquendi ſitim explere poſſunt? Nihil iſtis moleſtius, quàm ſilere, ut eis aptè congruat illud Eliu verba facere cupientis: *Plenus ſum ſermonibus, & coar-* *Iob.* 32. 81. 19. 20. *ctat me ſpiritus uteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguunculas novas diſrumpit. Loquar, & reſpirabo paululum.* Conceptum ſermonem reprimere nequeunt, & obſerata ratione clauſtra non tam aperiunt, quàm perrumpunt. Omnia permiſcent, aliis inviſi fiunt, quorum capita obtundunt, propriæque exiſtimationis jacturam faciunt, cum eò minùs idonei ſeriis negotiis credantur, quò uberiùs, leviuſque loquuntur. Nimirum cauſarum deciſio gravium, ſenſa multa, verba pauca, per- D penſaque requirit, eaque de hominibus tacitis perſuaſio à populo concipitur, ut dum illi labia diducunt, oracula reddere videantur. Ergo in curia parcè loquendum.

Verboſi ſeriis negotiis minus idonei.

CAPUT XXIX.

Curia veraciter utendum.

QUàm ſit viro aulico ad placendum Deo, ad fidem ſibi conciliandam, ad officii partes explendas opportuna veritas, tam eſt per ſe compertum, ut aſſertore non egeat. Erit autem ad rem, veritatis hone- E ſtatem ex oppoſita mendacii turpitudine perpendere: Ut enim mendacium honeſtari ulla de cauſa nequit, ita veritas à nativa pulchritudine detorqueri non poteſt. Quod verò ad hominum conſuetudinem attinet, manifeſtum eſt, aulicum mendacem infamiæ notis infici, bonorumque virorum amicitia indignum exiſtimari. Si autem de officio deferendo, vel magiſtratu gerendo ſermo fiat, quis umquam ſuffragetur ei, qui vel cum vera promit, eſt de mendacio ſuſpectus? Certè non Chriſtus modò, qui eſt ipſa veritas, ſed gentes univerſæ quocumque nomine cenſeantur, mendaces homines tamquam proditores intuentur: quos ſi ad mendacii conſuetudinem prolapſos videant, nihil eis bonæ ſpei ſupereſſe vide- F tur. Neque abs re, cum ſcriptum ſit: *Per-* *Pſal.* 5. 7. *des omnes, qui loquuntur mendacium.*

Veracitas.

Mendaces velut proditores habiti.

CAPUT XXX.

Curia ſine novis inventis utendum.

UT novorum dogmatum ab ſcholis, ita novorum rituum inventores à curia pellendi eſſent, nón inquam inventores piarum conſuetudinum, ſed vanorum rituum, aut morum, quorum origo malorum germinum ſeminarium eſt. Conſtat nempe unius hominis inventum in holoſericis, aurove textis veſtimentis, in menſæ lautitia, in domus apparatu incredibili æmulatione ab aliis arripi, immodiciſque acceſſionibus au- G geri: ut quàm difficillimum ſit, imitationis libidinem compeſcere. Jam verò quis non perſpiciat, inventa hæc Reipublicæ officere, cujus vires atteruntur, ſalutique animarum, quæ iis cupiditatibus affectæ à cultu pietatis longè abducuntur? Profectò recenſeri nequeunt mortalium inventa luxui, & voluptati deſtinata iis potiſſimùm in locis, ubi parùm pia, ſed perſpicacia ingenia excoluntur. Sat ergo ſit, abuſus in morem inductos latè ſerpere: quorſum tamen accuratum nova excogitandi ſtudium, quod à Chriſtiana diſciplina reſpuitur?

Novitates in Curia reprobantur.

CAPUT XXXI.

Curia non diu utendum.

PRudentes, piique milites, ac mercato- H res nonnulli, antequam ſeneſcant, à caſtris, nundiniſque deſiſtunt, præſertim ubi ſatis viatici ad reſiduum vitæ tempus comparatum eſt. Expedit quippe, ſeſe laqueis ſolutis, vel diruptis eripere, ne in agone ſupremo præfocentur. Conſilium hoc aulicis ſaluberrimum eſt, acceduntque exempla

per-

Scrip. An. 1612.

Curia comœdiæ comparata.

permulta eorum, qui ſenio confecti miſerrimè in aulis intereunt, cum poſſent non incommodè propriis in ædibus piè, ac tranquillè defungi. Curia, velut comœdia quædam eſt, cui aulici ſpectatores, & auditores interſunt, cujus voluptate allecti lapſum prolixi temporis minimè deprehendunt, totaſque interdum noctes incœnati, inſomneſque perdurant. Quapropter vel inviti ab- A ſcedant opus eſt, ne cunctatio diutiùs protracta tempus præmeditationi mortis, & conſcientiæ expiationi adimat, feroque querantur, ſe imprudenter egiſſe. Porrò vereor, ne pleriſque inclinatæ jam ætatis aulicis congruat illud, quod Iſraeli objectum eſt: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Non ineptè cecinit quidam:

Deut. 32. 28. 29.

Regum ſollicita quicumque ſeneſcit in aula,
Aut furit, aut ultro concupit eſſe miſer.

B

PARS SECUNDA.

De Conſiliis ad vitam piè inſtituendam.

CONSILIUM I.

De proponendo pietatis ſcopo.

Curialis quomodo agere debeat negotia?

REX quidam ætate hac planè prudentiſſimus tanti conſilium fecit, ut diceret placere ſibi minùs fortuitam victoriam, quàm exercitus cladem, quæ conſilio prævio contigiſſet. Nimirum ſecundi eventus ubi conſilium defuit, non ſunt argumenta virtutis. Debet ergo aulicus, qui virtutes Chriſtianas colere decernit, conſilio regi: C cui proinde primum conſilium eſto, ut dum in curiam pedem infert, non ſe præceps in pelagus negotiorum immergat, ſed pietatis ſcopum ſibi præfigat, & conſultet, qua potiſſimùm ratione genus vitæ, quod ſuſcipit, pietati ſubſerviat. Si enim pium ſibi ſcopum minimè proponat, perinde aget, ac ſi ædificium abſque fundamento moliatur, quod extremæ dementiæ tribuitur. Propoſitus autem pietatis ſcopus ab eo peti nequit, niſi omnino ſtatuat, ſe nihil auſurum, quod cum Divinæ Majeſtatis cultu ægrè cohæreat: non opes, non honores, non mortalium gratiam aucupaturum, accepturumve, niſi quatenus ad vitam piè ducendam conferre crediderit. Hoc ſanè conſilium tanti ponderis eſt, ut pium, prudentemque aulicum ab impio, ſtultoque diſcriminet. D Pius videlicet, ac prudens ſic opus auſpicatur, ut honeſtiſſimi finis gratia actus obeat ſuos, ad proportionem expenſos, atquè per lineam rectam juſtitiæ ad ſempiternæ felicitatis lucra directos. Stultus verò finis honeſti neglector, ordine præpoſtero res permiſcet, dum divinis humana, ſpiritualibus temporalia præfert: & abſque directione, ac proportione ulla, immoderatis æſtuat deſideriis, mortiferiſque ſe plerumque peccatis implicat, dum voluntas licenter fertur, quò immodicus fluxorum bonorum appetitus impellit, quod à paucis obſervari animadverto.

CONSILIUM II.

E

De Sacramentorum uſu.

Media ad alendam pietatem quæ?

PIetatis ſcopo præfixo prima boni aulici cura ſit, ut mediis illis utatur, quæ Chriſtus ad pietatem alendam inſtituit, cujuſmodi ſunt ſacramenta, quibus animus ad expugnanda vitia, & virtutes perquirendas armatur. Neque enim ſibi conſtat, qui finem ſibi ob oculos ſtatuit, mediaque negligit, vel ſegniter uſurpat. Qua profectò in re planè grandi, mirum eſt, quàm ſibi malè conſulant plerique aulici, qui negotiorum fluctibus ſe obrui cauſantur, ne pœnitentiæ ſacramento frequenter expientur, ſacramque Euchariſtiam octavo, vel quintodecimo quoque die ſumant: ne alios commemorem, qui menſes totos à ſacra- F mentis abſtinent. Ergone tam cæcè aberrent, ut minimè diſpiciant, quantopere ſibi noceant? In dies ſingulos pejores evadunt, acies mentis obtunditur, animus occœcatur, cor obdureſcit, ſenſus ingraveſcunt, infeliceſque homines cæleſtibus auxiliis ſpontè rejectis in oblectamenta mundi, pecudum ritu procumbunt. Quid, quòd Sacramentorum deſuetudine, altaque Dei oblivione eò pertingunt, ut quò longiùs remedia procraſtinant, eò difficiliùs, vel periculo mortis urgente illa requirant? Porrò, ut Sacramenta cætera ſileam, credo equidem, Ethnicus aliquis de veritate Euchariſtiæ monitus, recenterque converſus, ac ſententiam rogatus, reſponderet credere ſe, G Chriſtianos Euchariſtico pane quotidie ali, incredibilique ſtultitiæ vertendum eſſe, ſi quis menſam illam non creberrimè frequentet, qua Deus in æterni amoris fœdus mortales tam humaniter accerſit. Quæreret ille fortaſſe, an liceret vel ipſos viros Seraphica puritate nitentes, quoties vellent, accedere. Cæterùm menſam illam à quoquam rogato deſeri, ægerrimè ſibi perſuaderet. Et tamen eò aulici non pauci prolapſi ſunt, ut vix ter, quatervè per annum difficulter accedant, neque flecti poſſint, ut curiæ damna convivii illius crebritate compenſent. Hi ſerò ſapient.

Sacramentorum frequentia Aulicis commendata.

CONSILIUM III.

H

De orationis ſtudio.

INter alia bona, quæ aulici ſuæ ſalutis immemores profunda oblivione ſepeliunt, ſtudium orationis recenſetur. Quod adeò verum eſt, ut ne quidnam rei ſit oratio plerique noverint, quaſi res minimè neceſſaria foret, vel Chriſtus eam in Evangelio non impenſè commendaſſet. Mirum eſt profe-

Oratio Aulicis commendata.

ctò

Scrip. An. 1612.

ctò, viros ingenio perſpicaces, & orandis principibus aſſuetos, vel inclinata jam ætate nondum didiciſſe, quemadmodum Deus orandus ſit. Porrò prætexere nequeunt, ſe oratione parùm indigere, cum inter diſcrimina multa verſentur, à quibus nemo unquam evaſit incolumis, niſi quem propitius Deus eripuit. Si autem ſalus à Deo requirenda eſt, quomodo vitam feliciter ducet, qui Deum obſecrare minimè conſueſcit, aut novit? Ediſcant ergo aulici tempeſtivè modum orandi, & ſummo mane per horam ſaltem dimidiam Divinæ Majeſtati cogitationum, & affectuum primitias offerant, ut toto dierum excurſu à Clementiſſimo Deo dirigantur, & multiplicia tartari, mundique ſpicula clypeo divinæ protectionis elidant, vel eludant. Conferant de re tanta cum viris rerum divinarum conſultis, ut ab eis edocti, eo ſaltem affectu, quo mortales principes ad ſua vota conantur inflectere, regem immortalem deprecentur.

A

Salus à Deo requirenda.

B

CONSILIUM IV.

De præſentia Dei.

VIX dici poſſit, quàm ſit apud mortales exigua rerum divinarum ſcientia, quàm rara, vel certè neglecta mentio. Quis enim inter aulicos certam aliquam rationem iniit juvandæ memoriæ, ut artificio aliquo utatur, quo Dei amorem, ac timorem inter negotia recolat, ne ullo peccato fœdetur? Porrò paucos invenias, qui de re tanta cogitarint, nedum rei momentum expenderint. Caput innumeris imaginibus, & bonorum temporalium curis implent, ſolique Chriſto locus non ſupereſſe videtur. Sanè mirum eſt, animos cœleſtis ſapientiæ ſtudio deſtinatos alia pene omnia incredibili ſollicitudine velle complecti, & perquàm rarò meminiſſe ſummi, ac ſempiterni boni, quo proſperari poſſent. Abſit à cordatis aulicis oblivio hæc, quæ præter ingrati animi culpam, futuram infelicitatem portendit. Curent potiùs Divinæ Majeſtatis ubique præſentis identidem recordari, infinitam potentiam vereri, ſeſe frequenter ei ſubmittere, opem poſtulare: certoque ſibi perſuadeant, curam hanc eſſe bonorum fructuum feraciſſimam, ſive de peccatis præcavendis, ſive de piis actibus obeundis, ſive de appetitu effræni coercendo, ſive de virtutis arduitate ſuperanda ſermo fiat. Si enim ſemel animo altè impreſſa fuerit Dei præſentia, id planè confert toti homini, quod exemplo familiari mortalium principum præſentia famulis adſtantibus imprimit. Ii quippe, tametſi intemperantes ſint, quamdiu coram principibus agunt, modeſtè admodum ſe totos coaptant, ne quid incompoſitum in corpore, vel geſtu ſe prodat, quo iis diſpliceant, quibus placere ſummopere cupiunt. Ad hunc ergo modum, qui Deum præſentem contemplantur, Angelico more internos, externoſque actus proportione mira exercent, ipſoque intuitu, inceſſu, ſermone, totiuſque corporis moderatione facilè indicant, ſe Majeſtatem Divinam mente pertractare, attentèque diſpicere, ne quid indecorum admittant.

Præſentia Dei Aulicis commendata.

C

Præſentiæ Dei effectus.

D

CONSILIUM V.

De virtutum actibus internis.

AUlici ſapientis eſt, ita erga temporalem affici curiam, ut priore loco ponat æternam, ac proinde inter ipſa negotia, quæ gerit, frequentibus deſideriis ad cæleſtem civitatem aſpiret. Neque enim futuræ felicitatis curam adeò debet abiicere, ut eam dumtaxat repetat inter miſſæ ſacrificium, vel interim dum ſe ad ſacras Confeſſiones, vel Euchariſtiæ Sacramentum comparat, reliquo verò tempore terrenis ſe totum curis immergat. Non expedit profectò tam prolixum mundo, tam modicum Deo tempus impendere: ſed inter alia negotia crebris mentis aſcenſibus, & egregiis virtutum actibus, illud æternæ ſalutis negotium planè graviſſimum gerere, intercalatiſque motibus cor in Deum attollere, modò ſpei, modò amoris, nunc pœnitentiæ, nunc humilitatis, aliarumque virtutum actus producere: quod à nonnullis aulicis, numero paucis, merito eximiis factitari conſuevit. Neque ſanè video quid huic conſilio ſaluberrimo poſſint obtendere. Cum enim totas horas, vel ante principum cubicula, vel in hortis, vel in ſacris ædibus, exitum, ingreſſum, vel congreſſum principum præſtolentur nihil omninò agentes, ſimilique otio incertas alias horarum partes vario eventu deperdant; cur inertia torpeant, & non potiùs puris, piis, ſalutaribus cogitationibus Divinam Majeſtatem adorent, ament, timeant, ſe à malis eripi, ad vera bona promoveri, à mundi laqueis expediri, dæmonis tentamenta pervincere, pia morte perfungi depoſcant? Credo equidem, eſſe non paucos, qui antequam operi alicui manum admoveant, Deum precentur, ne quid culpæ committant: cæterùm non hîc ſubſiſtendum eſt, cum omnino conſtet, poſſe illos abſque animi tædio, vel bonorum temporalium decremento, pietatem augere, actuſque, uti diximus, virtutum, non in otio tantùm proferre, ſed ipſis quoque negotiis temporalibus intertexere, multiſque ſpei, divini amoris, contritionis, humilitatis affectibus animum excolere, jus æternæ hæreditatis acquirere, & multiplices victorias de infeſtiſſimo noſtræ ſalutis hoſte referre. Qua de re cum viris conſultis agendum eſt.

E

F

Actus virtutum interni.

G

Legatur pars 3. ubi formulæ internorum actuum præſcribuntur.

H

CONSILIUM VI.

De virtutum actibus externis.

EO licentia progreſſa eſt, ut parùm timorati nonnulli externos virtutum actus obire erubeſcant, tamquam indecorum aulico ſit, dum fuit iniuria laceſſitús, molli reſponſo iratos lenire, preces frequentare

ſacras

Actus externi.

ſacras, viros ſanctitate eximios convenire, hoſpitales, domos petere, de contemptu mundi verba facere, aliaque hujuſmodi, quæ prolixum foret, percenſere. Cæterùm error enormis eſt, hæc refugere, omittere, vel intermittere ob judicia mortalium, quæ Chriſti judicio minimè congruunt. At hypocriſi vertitur externus pietatis cultus, vel etiam ambitioni, quaſi ea ſanctitatis imagine A faciliùs in ſedes primas aſcendatur. Verùm argumentum hoc pios animos non deberet à propoſito deducere. Si enim ſyncerè, ac perſeveranter agant, feliciter proficient, & hominum commenta ipſo vitæ inculpatæ tenore refellent: vera quippe virtus, licèt malis ſuſpecta videatur, qui de aliis bene opinari neſciunt, temporis decurſu adeò conſtanter ſplendet, ut nebulas omnes à detractoribus offuſas diſpellat, ſuique ipſius aſſertrix, ac teſtis locuples luculentis ſignis protervos quoque revincat. Sed aulicus Chriſtianus habet altiora, quæ conſideret, Chriſtum videlicet ſpectatorem, ac remuneratorem. Habet exempla principum piiſſimorum, qui externis actibus, contempta B mundi cenſura, propalant quid internè animo verſent, dum inopes alunt, nudos veſtiunt, ære alieno gravatos abſolvunt, ſacramenta frequentant, jeiuniis corpus ſubiugant, precibus aſſueſcunt, & multarum meritis virtutum vitam, quaſi polymitam juſtitiæ veſtem ſibi contexunt.

CONSILIUM VII.

De mortificatione.

Mortificatio Aulicis commendata.

Mirabitur fortaſſe Lector palatinam inſtitutionem hanc tamquàm affectibus, & moribus aulicorum diſſentaneam. Ecquis enim in curia de mortificatione paſſionum, de abnegatione proprii judicii, ac voluntatis C cogitet? Porrò peregrinum doctrinæ genus pleriſque videbitur. Verùm ſi proprium vitæ inſtitutum explorent, comperient profectò, ſe perenni quadam mortificatione torqueri, multoque mitiora ab eis hoc loco requiri, quàm quæ ipſi, mundi jugum ſpontè ſubeuntes perferunt. Quoties, rogo, incommodè pernoctant, vel abnoctant, ut placeant iis, quorum potentiæ, vel gratiæ innituntur? Quoties ſolitas cibi horas, ut iis aſſiſtant, ſtomacho languente tranſiliunt? Quoties opinionem propriam ſupprimunt, vel pernegant, ne ab aliis, quorum aucupantur opem, diſſentire credantur? Quoties aliorum placita, vel exercitia ſe probare, cupideque arripere multo cum voluntatis reniſu confingunt? Si ergo D hæc, aliaque plurima mundi gratia pervincunt; cur eis novum dogma videatur, mitiorem aliquam mortificationem ſalutis æternæ cauſa ſuſcipere? Porrò ſine valetudinis, lucri, vel exiſtimationis damno, poſſent illi in cibo potuque ſumendo tantillum appetitui ſubtrahere, in ſermone familiari ab altercatione deſiſtere, vel etiam modeſtè cedere, in lecto ſternendo culcitras nimium molles reiicere, in veſtitu cultum nimis pretioſum, vel profanum excludere, atque in hunc modum in media curia Chriſti mortificationem comite meditatione vitæ cæleſtis exercere. Etenim novi ego aulicos paucos hæc fidiſſimè explentes: doleoque vicem aliorum, qui de diſciplina hac id planè reſpondere poſſunt, quod de ſapientia mare apud Job: *Abyſſus* E *dicit: non eſt in me; & mare loquitur: Non eſt mecum.* Et quidem ſi Chriſti abſit diſciplina, abſit & ſapientia; quid aulicis proſit mundi proſperitas confeſtim interitura?

Iob. 28. 14.

CONSILIUM VIII.

De pia lectione.

Sunt aulici plerique variæ lectionis, ac politioris litteraturæ cupidiſſimi, quibus perſuadere vellem piæ lectionis ſtudium, quod eſt immenſi boni feraciſſimum. Mollitur animus ad ſenſa divina concipienda, cæleſtibus flagrat deſideriis, ſordet ei mundi gloria, intima perfunditur lætitia, caſtaque voluptate penitus illapſa, alto cum mundi neglectu de ſummo bono conquirendo, F regnoque cælorum expugnando, prudentiſſimè cogitat. Exprimi nequit quàm ſit ſalubris piorum librorum lectio, quæ de pectoribus quoque duriſſimis victorias perilluſtres retulit, inopinatoque motu ex aulæ penetralibus ad Monaſticam diſciplinam palatinos traduxit. Sanè cum Treviris Circenſi ſpectaculo populus teneretur, duo aulici, occaſione lectionis libri pii, in quem unus inciderat, igne cæleſtis deſiderii adeò conflagrarunt, ut ipſa lectionis hora, ipſoque loco ſpem gratiæ principum, & quicquid mundus adorat, ipſas etiam ſponſas intactas reliquerint, ſeſeque totos, abjurato ſeculo, divino cultui exemplo miro devoverint, G quod ab Auguſtino memoriæ proditum eſt. Si ergo pius liber fortuitò arreptus eos pietatis ſtimulos inopinis lectoribus infigit; ſperandum profectò lectores præmeditatos, & cupidos vim divinam è pia lectione concepturos, qua feliciter proficiant. Quocirca deberent boni aulici modicum tempus aliis negotiis ereptum, quotidie piis libris impendere, ut præberent cor molle Chriſto, qui altè ſeipſum imprimeret. Experiantur, rogo, rem hanc per dies aliquot, fruanturque piæ lectionis ſuavitate: ſpero enim eos vel ipſa delectatione capiendos; nam, *Trahit ſua quemque voluptas.*

Piæ lectionis effectus.

Conf. 8. c. 6.

Virg. Bucol. Eclog. 2. prope finem.

CONSILIUM IX.

De eleemoſyna.

H

Peccarat Chaldæorum Rex Nabuchodonoſor; cui Daniel: *Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime.* Hoc ipſum conſilium aulicis ſaluberrimum eſt, ut quo affectu inopes proſequuntur, à Deo excipiantur, qui miſericordiam liberaliter repenſat. Eleemoſyna peccati incendium extinguit, & è ſinu pauperis clamitat

Dan. 4. 24.

mitat

Scrip. An. 1612.

Miſericordia in pauperes Aulicis commendata.

mitat peracutis vocibus, quæ in Dei ſinum ocyſſimè perferuntur. Aulicus ergo, qui expiari cupit, & lucrum augere, ſit omnino miſericors, & pro facultatis modo largè, largiuſve refundat: nam tot teſſeras collybyſticas ſpirituali cambio tranſmittit in cælum, quot eleemoſynas erogat: quod quidem negotiationis genus caſtiſſimum eſt. Solent viri genere, induſtriaque clariſſimi, in caſtro aliquo, oppidove natali, à curribus, lecticis, ſplendidoque apparatu abſtinere, ut facto per annos aliquot pecuniæ compendio, curiam glorioſè petant, liberaliuſque ſe ipſos, aulam, & famulitium exornent. Hoc ego conſulerem Chriſtiano aulico de cæleſti curia cogitanti, ut parciùs viveret, opeſque ad ampliſſimos civitatis Dei honores in ſinum inopum reponeret, quibus inter patritios, qui ſcripti ſunt in libro vitæ, mirificè exornatus incederet. Infelix cui doctrinæ hujus obrepſit oblivio, incaſſum quippe fluxas coacervat opes. *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Rectè dictum, Deſcendet: ſuo enim pondere deorſum fertur.

A

Parcitas Aulicis cōmendata.

Pſal. 48. 18.

B

CONSILIUM X.

De ſpirituali magiſtro.

NON eſt æqua rerum æſtimatio, ſi aulicus magiſtrum exquirat, à quo mundi prudentiam accuratè perdiſcat, negligat verò animi ductorem, ac magiſtrum quærere, à quo cæleſti prudentia inſtruatur. Ecquis enim illum æſtimatorem appellet æquum, qui de luto variè formando perquàm ſeriò, & de auro conflando perfunctoriè cogitat, cum ei liberum ſit, ingentem luti, vel puri auri vim pari labore congerere? Aulicis permultis animi cultura fortuitò ſuccedit, dum Confeſſarium modò hunc, modò illum adeunt, neque invenire ſatagunt virum rei bene conſultum, cui ſtatus, vitæque totius rationem exponant, & cujus conſilio negotia gerant, moreſque reforment. Porrò conſilium hoc de magiſtri delectu capita omnia ad vitam piè inſtituendam requiſita complectitur, ut patet ex appoſitis ad interrogata reſponſis, ac velut totidem oraculis, quæ divina luce affulgente redduntur, ob animi demiſſionem, qua poſtulantur. Quapropter, qui multiplices vitare laqueos, implexa diſſolvere, per viam tutam incedere, cumulare, conſcientiaque pacata vitam in caſto Dei timore, amoreque ducere optat, ſe ipſum velut navem in media procella dirigendam idoneo naviculario credat, nè fluctibus negotiorum converberatus, repentinoque aliquo vortice correptus intereat. Etenim exploratum eſt, monitum hoc à paucis aliquot omni exceptione majoribus obſervari: neſcio autem cur à tam multis reſpuatur, quos oporteret non eſſe ſuæ ſalutis immemores. Cæterum *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*, quam proinde à paucis percurri minimè ambigendum eſt.

C

Magiſtri ſpiritualis electio.

D

Matt. 7. 14.

CONSILIUM XI.

De ſpiritualibus exercitiis.

SOlent pii, ac timorati aulici aſſueſcere quotidie ſpiritualibus exercitiis in ordinem redactis, & ſtatui ſuo attemperatis, quæ à perito Confeſſario præſcribuntur. Nos in Principum Inſtructione nuper in lucem edita exercitia pauca, ſelectaque poſuimus, quibus aulici, ſi placeat, uti poterunt, in quibus attentio mentis, tener affectus, & perſeverantia commendatur.

E

PRÆFATIO

In tertiam partem.

SÆpe cum viris planè graviſſimis de internis virtutum actibus diſſerui, expendique quàm ſint ad animæ ſalutem appoſiti. Cæterùm non ſatis fuerit, de re tanta verba feciſſe, cùm pateat, non eſſe uſque adeò multos, qui actus illos frequentent, vel certè norint, qua ratione producendi ſint. Hac ergo de cauſa, eos ſeorſim è noſtra Inſtructione Novitiorum excerptos hac tertia parte tradere conſtitui, ut ſectatores curiæ actuum ipſorum forma, facilitate, ac ſuavitate allecti, eos in mediis aulis, in plateis, in viis taciti exercere aſſueſcant. Quibus præſertim commendo quatuor fidei, ſpei, amoris, & contritionis capita, quibus ad eventus varios, ſed ad ſupremum præcipuè mortis agonem animus armatur: quæ me ratio impulit, ut in Arte noſtra bene moriendi, ea quatuor capita fusè perſequerer.

F

Præmoneo hîc non ſat eſſe, ad veros actus virtutum producendos eos, uti jacent, mente concipere, crebroque repetere; ſed opus eſſe, affectum excitare, ut verbis ore prolatis, intuſve conceptis animus generoſè conſentiat.

G

PARS TERTIA.

De virtutum actibus internis.

CAPUT I.

Actus Fidei.

DUctor Fidei Jeſu Chriſte, firmiſſimè credo, vera eſſe omnia, quæ te revelante credit Santa Mater Eccleſia: & pro aſſertione hac libenter moriar. ⩦ Impoſſibile eſt, veraciſſime Domine, aliquid falſum Eccleſiæ tuæ à te revelari: quod morte teſtabor. ⩦ Omnino verum eſt, tres eſſe Sanctiſſimæ Trinitatis in una divinitate perſonas: pro qua veritate occumbere deſidero. ⩦ Verum eſt profectò, clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, te Deum, & homi-

H

nem, ſed unam tantùm perſonam eſſe: atque utinam pro hoc aſſerto diriſſimè comburar. ≕ Certè verum eſt, te clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, Deum & hominem perfectum in Sacramento altaris exiſtere: quod ego per medios gladios, & ignes profitebor.

CAPUT II.

Actus Spei.

Clementiſſime Deus, firmiſſimè ſpero, me tandem ex auxilio tuo, & bonis operibus gratia tua præſtitis, gloria ſempiterna fruiturum ≕. Tameſi graviſſima peccata commiſerim, liberaliſſime Domine, proculdubiò veniam indulgebis ≕. Quamvis ad horas ſingulas in multas culpas deformiter labar, certè Chriſtianam perfectionem, te juvante parabo ≕. Etiamſi licenter nimis graviora peccata perpetrarem, tu, mitiſſime Jeſu Chriſte, educeres me de lacu miſeriæ ≕. Quamquam ſolus ego peccatorum omnium, quæ ab ineunte mundo commiſſa fuere, reus eſſem, tu benigniſſime Deus, libenter ignoſceres ≕. Spero equidem, tuo munere, miſericordiſſime Domine, omnem à me vitæ hujus difficultatem ſuperandam, & in terra viventium me ſemper victurum ≕. Si conſiſtant adverſum me caſtra, & exurgat contra me prœlium extremum, ac inferni portis videar appropinquare, adhuc miſericordiam tuam magnam expectabo.

CAPVT III.

Actus amoris Dei.

Dulciſſime Deus, oro te, ut cordis mei principatum geras ≕. Amantiſſime Domine, ſacrifico tibi præcordia mea ≕. Optatiſſimum bonum meum, abſit, ut aliquid amem præter te ≕. Suaviſſime Deus animæ meæ, te ſolum quæro patrimonium meum ≕. Amabiliſſime auctor vitæ meæ, ſacrificabo tibi viſcera mea ≕. Specioſiſſime ſupra omnem mundi pulchritudinem, ure me incendio decoris tui ≕. Sereniſſime Princeps cordis mei, trahe me poſt te ≕. Nolo, Rex forma præſtantiſſime, aliam hæreditatem, niſi te ≕. Diſcedant à me, Splendor illuſtriſſime animæ meæ, affectus omnes peregrini, ut totis viſceribus requiram te ≕. Vive potentiſſime Imperator cordis mei, & dominare ſicut decet te ≕. Sede, excelſiſſime Domine, in æterna ſede Majeſtatis tuæ ≕. Bene eſt, opulentiſſime Deus viſcerum meorum, ut ſis feliciſſimus intra te ≕. Placet mihi certè, ſempiterne Rex, ut regnes in æternum, & ultra ≕. Utinam, puriſſime Splendor cordis mei, poſſem ſubdere tibi omnia colla filiorum Adæ, ut requirerent ſolam pulchritudinem tuam. ≕ Utinam innumera millia cordium, quotquot tibi placuere, vel placere poſſunt, ipſe poſſiderem, ut immenſis tui deſideriis æſtuarem. ≕ Da mihi, dulciſſime Deus, ut nihil mihi placeat, præter decorem tuum.

CAPUT IV.

Actus amoris proximi.

Utinam, Clementiſſime Deus, peccatores reſipiſcant, & requirant te. ≕ Fac, Domine benigniſſime, ut qui Eccleſiam oppugnant, ſe dedant Vicario tuo. ≕ Per viſcera miſericordiæ tuæ obſecro te, ut qui terrenas dignitates ambiunt, potiùs aſpirent ad te. ≕ Convertantur, precor te, mitiſſime Deus, quos voluptas carnis illexit. ≕ Fac amantiſſime Domine, ut avari omnes affectum divitiarum traducant ad lucra dilectionis tuæ.

CAPUT V.

Actus contritionis.

Miſericordiſſime Deus, deteſtor peccata mea propter te, ac decerno potiùs interire, quàm in poſterum peccare. ≕ Clementiſſime Domine, iniquitatem meam, quia tibi ſoli peccavi, odio habeo, & abominor: legem autem tuam diligere, nec ullo modo tranſgredi propono. ≕ Execror, mitiſſime Deus, peccata mea, quia tibi diſplicent, & vindictam de illis pro te ſumere ſtatuo. ≕ Utinam, benigniſſime Domine, priùs occubuiſſem, quàm peccaſſem: potiùs moriar, quam te leviter offendam. Diſplicet mihi valde peccatum meum, dulciſſime Deus: abſit, ut culpam ullam deinceps admittam. ≕ O ſuaviſſime Deus, quis poſſet peccata præterita proprio cruore delere; pro univerſis mundi bonis, ne venialem culpam committam. ≕ Utinam amantiſſime Deus, omnes inferni cruciatus potiùs toleraſſem, quàm tibi diſplicuiſſem: potiùs gloriæ fruitione priver, quàm te offendam.

CAPUT VI.

Actus Humilitatts.

Mitiſſime Jeſu Chriſte, profiteor coram te, eſſe me univerſorum hominum viliſſimum. ≕ Nemo eſt, benigniſſime Domine, tam tibi ingratus, & infidelis, ac ego. ≕ Latrones ipſi, & ſacrilegi, ò miſericordiſſime Domine, perfectiùs tibi famularentur, ſi eos, ac me, tot, & tantis beneficiis affeciſſes. ≕ Nihil novi, neque amo, Clementiſſime Domine, niſi terram: & propterea non ſum dignus aſpicere cælum, nedum ingredi. ≕ Animalia omnia, pro captu ſuo, Domine, tibi appropinquant: ſolus ego infinita vitæ meæ turpitudine à te recedo. ≕ Deformior certè ſum, Domine, ob culpas meas, omnibus leproſis, & ulceroſis, qui ſanie fluunt. ≕ Profectò, piſſime Deus, ego deberem in ſterquilinio jacere, à cæterorum hominum convictu ſequeſtratus, ne illos peccatorum contagiis inquinarem. ≕ Abſit à me Domine, ut velim

Scrip. An. 1612.

lim ambulare in magnis, vel mirabilibus ſuper me. = Utinam, æquiſſime Deus, univerſi homines cognoſcerent vilitatem meam, & deſpicerent me. = Utinam multis ignominiis exprobrarent mihi homines indignitatem meam Domine, ut ſpernerer propter te.

CAPUT VII.

Actus Manſuetudinis.

MAnſuetiſſime Jeſu Chriſte, certiſſimè ſtatuo, quoties læſus fuero, me quaſi agnum coram tondente futurum. = Dulciſſime Domine, ſi pungar, & importunè tenter, dono tuo, læſoribus arridebo. = Suaviſſime Deus, etiam ſi expolier, ac cædar ab inferiore quovis, amoris ſigna exhibebo. = Clementiſſime Domine, abſit à me, ut ob ullum damnum, contra amabiliſſimos proximos meos excandeſcam. = Mitiſſime Fili Dei, ſi quis me tentaverit, lætabor ſuper exercitia illa, ſicut qui invenit ſpolia multa. = Benigniſſime Domine, ſi quando vexatus à proximo fuero, obliviſcar mei, & compatiar illi propter te.

CAPUT VIII.

Actus Abſtinentiæ.

TEmperantiſſime Jeſu Chriſte, decerno, eſca, & potu eò tantùm uti, ut natura ad ſerviendum tibi conſiſtat. = Nolo, mitiſſime Domine, ullam in menſa voluptatem percipere. = Abſit à me, Domine, ut lauta, vel ullo modo palato ſuavia quæram. = Vellem, dulciſſime Deus, ut omnia, quæ ſumpturus ſum, abſynthium ſaperent, propter te. = Propono, amantiſſime Domine, cor à menſa ſubtrahere, ac lectioni ſacræ admovere. = Propono, Domine, corpus fame, ac ſiti vexare propter te. = Utinam, benigniſſime Jeſu Chriſte, felle quod guſtaſti, omnia mea prandia condiantur.

CAPUT IX.

Actus Caſtitatis.

PUriſſime, ac amore toto digniſſime Deus, conſtituo ab omni oblectatione abſtinere propter te. = Caſtiſſime Fili Virginis, etſi abſque culpa, omnibus carnis voluptatibus, quas homines affectant, frui poſſem; me ab eis vigilantiſſimè continerem. = Candidiſſime Deus cordis mei, non modò carnis delectationes reſpuo; ſed imagines quoque formoſorum corporum concipere nollem. = Amabiliſſime Jeſu Chriſte, pango fœdus cum oculis meis, me rerum corporearum elegantiam non intuiturum. = Suaviſſime decor animæ meæ, certò ſcias, me à rebus corporeis, nec tactu, nec auditu, nec aſpectu, nec alio modo (quoad mea fragilitas feret) ullam oblectationem percepturum. = Dulciſſime Domine, non tantùm oblectamenta carnis non recipiam; ſed quod ad me attinet, neque ſpiritus delectationes requiram.

CAPUT X.

Actus Patientiæ.

PAtientiſſime Jeſu Chriſte, quicquid laboris mihi umquam acciderit, propter te patienter feram. = Clementiſſime Deus, ſi tentationibus exercear, pectus firmum opponam. = Benigniſſime Domine, ſi tartarus deſæviat, conſtanter ictus excipiam. = Dulciſſime Deus, ſi mœror importunus ingruat, nulla de ratione me deiici feram. Amantiſſime Jeſu Chriſte, ſi morbi ſubeant, omnia tædia, dolores, anxietates fortiter exhauriam. = Suaviſſime Deus, ſi totius corporis contritio, membrorum diviſio, ignis, & quævis acria tormenta inferantur, invictè conſtabo. = Optatiſſime Deus, ſi hominum mores adverſi, & faſtidia moleſtiſſima contingant, pacata mente conſiſtam. = Jucundiſſime Jeſu Chriſte, ſi me ariditate, diuturnaque repulſa exerceas, libenter pœnam amplectar.

CAPUT XI.

Actus Gratitudinis.

DUlciſſime Deus, habeo tibi gratiam, pro immenſis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus bonis, quibus me ſemper cumulas. = Miſericordiſſime Domine, quid tibi pro creatione, conſervatione, redemptione, juſtificatione, præſervatione, auxiliis, inſpirationibus, reddam? Amantiſſime Domine, quid pro malis, quæ non committo, rependam, cum tot ſint beneficia, quot in mundo perpetrantur peccata? = Benigniſſime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus te donante, à me conceptis, & præſtitis referam? Quippe, qui niſi te largiente nihil boni cogitarem. = Optatiſſime Deus, hac ipſa hora, ut commerui, flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus ſum: quid ergo tibi retribuam. = Liberaliſſime Domine, contuliſti in me jus hæreditatis æternæ (ut ſpero) quid agam? = Fidiſſime Deus, providiſti Sacramenta, verbi tui paſtum, conſilia, ſolatia, & alia multa, quibus adiuver, ut ad te citiùs, commodiuſque perveniam: quid reſpondebo? = Reddo tibi Domine cor meum: offero viſcera mea: ſacrifico tibi in hoſtiam laudis præcordia mea. = Utinam, amabiliſſime Deus, univerſa & Angelorum, & Sanctorum, & quotquot in univerſo mundo tibi placent, Filii præſertim tui Unigeniti, ac Matris ejus corda poſſiderem, quæ tibi gratiſſimo affectu conſecrarem. = Quo pacto poſſum, dulciſſime Domine, Jeſum Chriſtum Redemptorem meum, ac Beatiſſimam Virginem, & omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum, reliquorumque juſtorum animas, quas rogo mihi ad gratitudinem ſociari, tibi pro beneficiis reddo.

Scrip. An. 1612.

CAPUT XII.

Actus Magnanimitatis.

EXcellentiſſime Deus, quem ſine cordis erectione non poſſum attingere, cupio apoſtolicas virtutes comparare. = Imprime, A fortiſſime Deus, robur magnum cordi meo, deſidero enim heroicos virtutum actus producere, propter te. = Deſpicio, altiſſime Domine, omnes mundi honores, & faſtus calco, ut ſupra mundum extollar ad te. = Utinam, potentiſſime Deus, univerſam mundi claritatem, & famam nunc haberem, non ut poſſiderem, ſed ut contemnerem propter te. = Opto, Domine, Job patientiam aſſequi. = Utinam te more Pauli diligerem. Utinam me, ſicut Magdalenam, peccatorum meorum pæniteret. = Certè, Clementiſſime Deus, daturus ſum operam, ut Angelico more in terris vivam. = Conabor, Domine, occaſionem pro te martyrium ſubeundi perquirere. = B Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego dulciſſime Deus, me offeram pugnaturum propter te. = Abſit à me, Domine, ut animum deſpondeam à Chriſtiana perfectione comparanda. = In mandatis tuis excellenter exercebor, & conſiderabo vias ſuas: In juſtificationibus tuis intentiſſimo corde meditabor: non obliviſcar ſermones tuos.

CAPUT XIII.

Actus perſeverantiæ.

CLementiſſime Deus, firmiſſimè ſtatuo, me uſque ad mortem tibi famulaturum. = Fideliſſime Domine, ſi per annos C mille in hac vita moleſtiſſima laborandum eſſet, à propoſito tibi vacandi non deſiſterem. = Miſericordiſſime Deus, abſit à me, ut ob ullam adverſitatem conſilium mutem. Potiùs, amantiſſime Domine, uri me ſinam, quàm ab inſtituto deſiſtam. = Et ſi oporteret, benigniſſime Deus, univerſis mundi miſeriis obrui, numquam à tuo famulatu recederem. = Utinam deſideratiſſime Domine, moriar, antequam à te recedam. = Mihi certè adhærere tibi, Domine, bonum eſt: propterea perenniter adhærebo. = Donec ſupereſt halitus in me, à te, ò ſummum bonum meum, non divellar.

CAPUT XIV. §. I.

D *Meditatio de agone mortis.*

MOrtis meditatio curiæ ſectatoribus perneceſſaria eſt, ad animum in officio continendum, mundique vanitatem aſpernandam. Capitur quippe animus aſpectabili rerum grandium ſplendore, ac pulchritudine, voluptateque ſenſim illabente delinitus ita ſeducitur, ac ſi diutiſſimè in ipſa mortalitate victurus eſſet. Mortem longiſſimè abſiſtentem ſuſpicatur, tametſi validam juventutem quotidiano funere cernat efferri: quocirca mortis ſpiculum tamquam procul diſſitum malum minimè formidat, quod eſt miſerrimæ cæcitatis argumentum. Taurus pinguis, ac vegetus licenter prata pererrat, prohibitaque pabula carpit: qui ſi proximam ſecurim præſagiret, laſciviam, E ferociamque compeſceret. Conſideret ergo aulicus, qui in aula, velut in peramœno loco verſatur, ſe brevi, velit, nolit, interiturum, piaque meditatione horrendum agonem ſibi ipſi repræſentet, ne improviſum interitus imparatum, inermemque corripiat. Cogitet ſe jam penè animam efflantem, deſperata mortali vita, & temporali gloria, quam ſtudioſiſſimè perquiſivit. Quid rogo, tunc ſentiet de labore improbo, & ſæcularibus curis, quibus ſe ipſum torſit, ut fugaciſſimam bonorum fluxorum umbram apprehenderet?

§. II.

INgraveſcit morbus, morientique ob oculos F verſatur mœſtum divortium, quo ab iis, quæ vehementer amaverat, invitus divellitur. Cogitarat ille de horreo implendo, & opibus ad annos multos congerendis: videturque ſibi vocem tremendam audire: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* *Luc.* 12. 20. Non omnes capiunt verbum hoc, quia plurimi forma mundi eleganter picta capti malunt divinis inſpirationibus aures cordis obturare, quàm fallaci voluptate carere. Quapropter vitam ducunt ſordidam, & multis notis infamem calice Babylonis temulenti, ad ictum denique mortis evigilaturi. Non placet conſilium hoc acerrimo dolore repenſandum. Salubrius conſilium G eſt, alta mortis præmeditatione dum tempus ſuppetit, propulſare illa, quæ imperioſè mors ablatura eſt; ut liber animus in ſupremo agone ad Deum feratur, & pro æterna ſalute validè cum ſæviſſimo humani generis hoſte concertet.

§. III.

GRaviter afficitur appetente interitu corpus leviſſimæ incommoditatis impatiens, & voluptatibus aſſuetum: Cæterùm gravius infeſtatur anima præteritorum ſcelerum conſcia, quæ ad tribunal accerſitur. Occurrunt nolenti funeſtiſſima ſpectacula, hinc peccata commiſſa velut totidem dracones venenum ſpirantes, inde dæmones ad prædam avidiſſimè intenti tartareum timorem incutientes, aliunde imminens H Chriſti judicium velut enſis è filo pendens ad ictum. Quid rogo tunc aget, quem conſcientia vitæ turpiter actæ divexat? Quò ſe vertet, qui quamdiu potuit noluit ſeriò ad Deum converti?

§. IV.

PRofectò anima, quæ tempeſtivè reſipiſcere noluit, incredibili metu contrahitur, mortiferaque deſperatione decumbit

Scrip. An. 1612. bit. Urgetur ad exitum, & ipſa validiſſimè nititur. Neque mirum: Si enim anima Hilarionis, quæ ſeptuaginta fere annis Chriſto fidiſſimè paruerat, exitum formidabat, quid non timebit anima, quæ totidem annis, re vera, ſeu voto, Chriſti jugum excuſſit, & horrendam inferorum pœnam teterrimis ſceleribus exaggeravit?

A

§. V.

BAlthaſar Rex Chaldæus, ſtatim ac vidit illam quaſi manum, quæ mortis ſententiam in ſuperficie parietis aulæ ſcribebat, licèt neſciret, quid ſibi vellet, timore maximo correptus eſt, quem in hæc verba ſcriptura deſcripſit: *Tunc facies regis* Dan. 5. 6. *commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Si ergo ſententia mortis in pariete ſcripta nec intellecta hominem in medio lautiſſimo convivio proſperè valentem adeò graviter afflixit; quid efficiet ſententia exarata in ipſa conſcientia hominis ægroti, B qui certò novit ſe mortem ſempiternam commeruiſſe, neque de remedio cogitaſſe, jamque luendæ pœnæ tempus imminere?

§. VI.

NEmo adeo ferus eſt, qui non miteſceret, ſi tremendam horam illam, in qua profertur æternæ vitæ, mortiſve ſententia, ſemel experiretur. Columnæ ferreæ contremiſcerent, & duriora ſaxis corda liqueſcerent. Quis enim non ageret ſeriam pœnitentiam, ſi tempus vitæ prorogaretur, cum ſciret, ſe divina clementia tartareum carcerem evaſiſſe, ea ipſa hora, qua æterno anathemate erat à Chriſto ſeparandus, & pertrahendus ad flammam? Verùm conſtitutum eſt hominibus ſemel mori, neque conceditur niſi ſemel horrendam horam experiri: quapropter accuratæ meditationis remedio frequenter uti debet, qui ſapiens eſſe, & feliciter defungi deſiderat. E

§. VII.

VIri piiſſimi ſe in antra devia, vel in Clauſtra Monachorum abdunt, ut mortis horam præmeditentur, & multiplici virtutum armatura ſe muniunt, mortiſque agonem quotidie ſibi repræſentant, velut ſtrenui milites, qui ad bellum præviis belli ſimulachris, ſe ipſos exercent: & tamen mundi adoratores, qui horam illam magis formidare deberent, non modò ſe non præmuniunt, ſed ne mortis nomen ſibi ſuggeri æquo animo ferunt. Quinetiam eò ſtultitia prolabitur, ut de ſummo ipſo mortis diſcrimine moneri nolint, inſtante jam interitu, &, ut prudenter coniicitur, ipſo etiam inferorum incendio. F Ergone credendum eſt, viros Chriſtianos eò uſque inſanire? Quomodo de ſeria ad Deum converſione aget, qui fert indignè, ſe de hora ſuprema, qua Deus placandus eſſet, admoneri? Abſit à piis lectoribus amentia hæc, qua nihil poſſit calamitoſiùs excogitari. Tempus antevertant, & appoſitis, crebriſque meditationibus ſe ad prælium comparent, ut exantlato mortis labore, victoriam de hoſte reportent, ſummoque ac ſempiterno bono perfruantur.

IN SEQUENS OPUS

C

PRÆMONITIO.

G

HAbemus vel ex hoc ad pueritiam recte inſtituendam commentariolo non modicum, nec ſpernendum ad Ven. Scriptoris vitam, & encomium additamentum, quod tamen ex aliis quoque capitibus innoteſcit. Quum enim, ut ipſe in ſequenti Epiſtola dedicatoria fatetur, Opuſculum ſcripſerit in gratiam Joſephi Calaſantii, cujus ille adhuc viventis ſanctitatem intimè perſpexerat, ac publice heic commendaverat, quemadmodum poſtremis his temporibus eam in ſuum Eccleſia canonem retulit; facile etiam patet, quanta ei cum viro illo omni virtute cumulatiſſimo pietatis neceſſitudo, & amoris familiaritas interceſſiſſe dicenda ſit. Et ſane ex Vita ejuſdem S. Joſephi Romæ ſcripta a Clariſs. Viro P. Urbano Toſectio, anno 1767. lib. I. cap. 6. n. III. & iterum lib. II. cap. 4. n. II. & VI. *luculentiùs adparet, inſignem Johannem noſtrum, una cum Ven. Petro a Matre Dei, operam perpetuo contuliſſe Calaſantio, ejuſque Chriſtianæ Reipublicæ perquam utili erigendæ Congregationi Scholarum Piarum cum apud Clementem VIII. & Paullum V. Pontifices Maximos, (quorum alter Johanne auctore rem tandem multis obpugnationibus impetitam pro Joſepho definivit,) tum apud ipſum Cardinalem Juſtinianum, qui earumdem Scholarum Protectione ſub aliorum regimine jam pridem fruebatur, tum demum ſanctioribus conſiliis, cohortationibus, & datis etiam primis* D *vitæ Regularis, necnon inſtruendæ ad ſcopum pueritiæ præceptionibus.* H *Quamquam verò libellus hic anno 1613. typis Jacobi Maſcardi Romæ primum vulgatus ſit, non eo tamen anno ab Auctore ſcriptus eſt, ſed multo ante, ut idem Auctor teſtatur, forte autem anno circiter 1606. quum opus Scholarum piarum, invicta Sancti Inſtitutoris conſtantia, feliciùs procurrebat, atque ei ex occaſione Johannes noſter magis favere potuit.* (Loc. cit. l. 1. c. 4.) *Illum autem PP. Colonienſes in tertio Operum Tomo recuſerunt, a pag. 191. In hac noſtra editione minuſcula quædam emendantur ex quodam, quod apud nos eſt, impreſſo exemplari Auctoris ipſius manu recognito.*

VETUS AUCTORIS
NUNCUPATORIA EPISTOLA

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D.

CARDINALI JUSTINIANO

SCHOLARUM PIARUM PROTECTORI

FR. JOANNES A JESU MARIA S.

GRatulor tibi, Cardinalis Illuſtriſſime Scholarum piarum protectionem, purpurati ſtatus charitatis, & eximiæ pietati tuæ mirificè congruentem. Uberem bonorum operum proventum tutela hæc pollicetur. Profectò mihi rem contemplanti divino planè conſilio factum videtur, ut acceſſerit ad laudis tuæ coronidem protectio deſertæ aliàs pueritiæ, opportunis pietatis, ac primæ litterarturæ præceptis imbuendæ, & à multiplici corruptela vindicandæ. Præſagio certè magnum cæleſtis gloriæ cumulum, ob curam humaniſſimè ſuſceptam, tibi rependendum: cum Chriſtus, cui ſalus animarum antiquiſſima eſt, ſexcentos circiter pueros indigos omni cultura carituros, & vitiis multis turpiter fœdandos, in gymnaſium non minùs verarum virtutum, quàm latini ſermonis exercitiis inſtructum receptos, ſub tuis auſpiciis accuratiſſimè educatos cernat. Et quidem, ut ſperata operis tanti merces pro voto ſuccedat, habebis tenellam ætatem intemeratæ pueritiæ mira conſenſione Deum precantis, ut anteactam vitæ laudem grandi heroicarum virtutum acceſſione perficias. Hunc jam fructum carpe ex credita tibi pueritia, cui excolendæ, ut Patri Ioſepho Calaſantio Scholarum Præfecto, ob inſignem Chriſtianæ vitæ perfectionem laude digniſſimo gratum facerem, ante annos aliquot deſtinavi ſcriptum hoc, quo bonæ educationis præcipua capita breviſſimè complector. Hoc tibi nuncupo recognitum, & auctum jure tutelari tibi debitum, ut merita tua clariſſima tacitus præteream, quæ per ſe ſatis ſplendent, nec ab ſterili ſcriptore poſſent æquari. Age ergo, progredere Cardinalis Illuſtriſſime, & oculis in ſolam pietatem intentis Scholas tuere Pias, cœptamque ſalutis viam celerrimè percurre. Clementiſſimus Deus te, Cardinalis Illuſtriſſime, donis cæleſtibus augeat.

AUCTORIS PRÆFATIO

SCriptum hoc non cujuis paſſim lectori, ſed piis inſtructoribus, educatoribusve pueritiæ deſtinatur, ut ſelecta monita in promtu habeant, quibus teneram ætatem piis præceptionibus imbuendam poſſint excolere, & à futuris lapſibus afflante Deo præſervare. Charitas, patientia, ſedulitas commendatur, ut opus tam Deo acceptum felici ſucceſſu promoveatur, inopeſque pueri, qui cultura deſtituti in dæmonis prædam ceſſuri videbantur, Piarum Scholarum opere bonos mores ediſcant, & Divinæ Majeſtatis cultum amplificent: de quorum inſtitutione ſolius pietatis intuitu cœpta, & abſoluta magiſtri cumulatiſſima æternæ felicitatis præmia referant.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
LIBER
DE PIA EDUCATIONE
SIVE
CULTURA PUERITIÆ
COMPENDIO SCRIPTUS.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De prima inſtructione puerorum.

Scrip. An. *1606.* PRincipio navanda opera eſt, ut pueri ſtatim ac malum à bono ſecernere incipiunt, in Majeſtatem Divinam mentis oculos colliment. Ex hac quippe directione, & velut ſacrificio matutino, felix vitæ totius pendet excurſus. Inſtruendi ergo ſunt pueri, qua ratione Deus ſit ſumma bonitas, & ſapientia, ut erga ipſum bene
A afficiantur; qua item ratione ſit ſuprema Majeſtas, & juſtitia, ut ipſum colere, ac timere diſcant. Præceptio hæc prima à magiſtris creberrimè repetenda eſt, ut quoddam pietatis velut ſigillum altè pueris imprimatur.

CAPUT II.

De Rudimentis fidei.

INter primos orſus pietatis, quæ pueris plurimùm commendari debet, fides ponenda eſt: ut ſcilicet Deo tamquam primæ, & infallibili veritati firmiter aſſentiri, credereve
B aſſueſcant: & capita fidei, quæ ab Eccleſia credenda proponuntur, memoriæ mandent. Qua in re ſtudendum eſt, ut ea non modò recitent, verùm & pro ætatis captu intelligant, & pro his, ſi oportuerit, jam inde à pueritia occumbere decernant. Magiſtri ergo de interno aſſenſu, de memoria, & de conſtanti propoſito periculum ſæpiſſimè (*a*) faciant.

CAPUT III.

De tartareæ pœnæ timore.

PUeritia, quæ honeſtum æſtimare neſcit, pœnam ſaltem timere novit. Quocir- C
ca de tremendis inferorum ſuppliciis crebrò cogitandis monenda eſt, ut quæ verbera metuit, ignem horrere perdiſcat. Et quidem formido hæc pondus habet immenſum ad ætatis laſciviam coercendam, ſi à Magiſtro conſiliis tempeſtivis alatur, & appoſitis horrendi cruciatus deſcriptionibus vires acquirat.

CAPUT IV.

De horrore peccati.

AD laudatiſſima pueritiæ culturam pertinet ingenerandus ætati primæ peccati horror: ut quemadmodum ſerpentem
primo aſpectu exhorreſcit, ac refugit, ita D
peccatum oderit (*b*), atque declinet. Confert ad horrorem hunc planè ſaluberrimum irati Dei repræſentata indignatio, & commen-

---

(*a*) Al. *identidem.*

(*b*) Al. *averſetur.*

Scrip. An. 1606. mendata proximo capite tartareæ pœnæ peccato rependendæ accurata deſcriptio, quæ captui puerorum conſentanea eſt.

CAPUT V.

De Sacramentorum uſu, & æſtimatione.

A ERudiendi ſunt pueri, mox ac eo uſu rationis pollent, qui judicio Confeſſarii, ad recipienda ſacramenta idoneus eſt, ut erga ſacramenta ipſa bene afficiantur, & ſe legitimè comparare, ac ſtatis temporibus ad ea ſumma cum veneratione accedere in morem inducant; magna enim pars inſtitutionis, qua ætas illa corrigenda eſt, ex pio ſacramenta frequentandi, ac æſtimandi modo dependet, per quod ipſum à multis lapſibus præſervatur. Præceptores ergo perquàm ſedulò doctrina Sacramentorum Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ, quod ad Catholicam veritatem, & ſalutarem receptionis praxim attinet, exactè pueros inſtruant, & de tradita inſtructione rationem frequenter exigant.

B

CAPUT VI.

De ſocietatis delectu.

EXploratum eſt, ætatem tenellam piorum virorum conſortio ita ſuſtineri, ut cum ætatis incremento pietas coaleſcat: è contrario verò facilè ætatem illam à recto itinere detorqueri, ſi noxia conſortia non accuratiſſimè vitet. Quocirca enitendum eſt, ut pueri Eccleſias, & reformata clauſtra frequentent, & familiaritatem cum viris piiſſimis ineant, à quibus moneantur, quemadmodum debeant puerorum aliorum impudentium conſortium perhorreſcere. Sic nempe memoriæ proditum eſt, pueros ingenuos olim Monachis ad educationem C commendari ſolitos, ne vitia ſæculi contraherent, quæ incautis ſolent adhærere.

CAPUT VII.

De ratione orandi.

IMmmenſi proventus eſt, ætatem primam orandi præceptionibus erudire. Ea quippe ratione animus excolitur, & adverſus naturæ corruptæ vitia ingruentia tempeſtivè armatur. Erit ergo ad rem, ut pueri matutino tempore, vel per quadrantem horæ, veſpertino item per quadrantem Deo taciti ſupplicare conſueſcant, ea mentis, corporiſque aptitudine (*a*), quam qui de oratione ſcripſerunt, vulgò docent. Compendio D quodam orandi rationem ediſcent, ſi moneantur, eo ſe animi affectu, inſtantiaque Deum orare debere, qua magiſtros precantur, ut parcant, ubi verbera commeruerunt.

CAPUT VIII.

De pia lectione.

NON eſt ætas prima adeò ſui compos, ut ſine pia lectione ſeipſam moderatura credatur: præterquàm quòd profana turpive lectione ſolet paſſim inquinari. Quapropter E monenda eſt, ut diebus ſingulis modicum ſaltem quidpiam è vitis Sanctorum Patrum, vel è libris Doctorum ſpiritualium legat: quoad ſtudium virtutis inflammetur, & noxiam curioſitatem profanorum ſcriptorum depellat. Debent pueri hac in re caſti, ac vigiles eſſe, ut neque ſermonis politioris, neque eruditionis gratia, ſcriptores Ethnicos impuros legere audeant: quod niſi magiſtri inſtent, ægrè ipſis perſuadebitur.

CAPUT IX.

De immoderatis appetitionibus coercendis:

EXperimentis plurimis perſpectum eſt, pueritiam optimè ad pietatem educari, F ſi crebrò cohibeatur à parentibus, vel magiſtris, ne ad propria deſideria explenda præceps feratur. Quamobrem oportebit pueros non indulgenter habere: ſed incompoſitos motus compeſcere, ut patientiam ediſcant, ne cum adulti fuerint, feroces evadant. Capitis hujus doctrinam multa Principum exempla piiſſima commendant. Neganda ſæpe, quæ vehementer appetunt, & imperanda, quæ detrectant, ut temperanter agere diſcant.

CAPUT X.

De cultu caſtitatis.

RArum eſt caſtitatis privilegium, ita ut ætas prima, vel ſponte, vel ſeducta G miſerrimo ſpectaculo ſordeſcat. Ex quo efficitur, ut ſemel corrupta iners, lentaque ad omnia pietatis officia fiat. Quocirca diligentiſſimè laborandum, ut caſtitatis amor puerorum animos aptè deſcripta tantæ virtutis pulchritudine capiat. Laudes ergo caſtimoniæ celebrandæ, & præclara virginum utriuſque ſexus exempla proponenda ſunt, quibus incenſi animi puritatis deſideria concipiant. Denique corporis jejunio, verberibuſque caſtigandi modus præſcribendus eſt.

CAPUT XI.

De abſtinentia ludorum, & actuum ſimilium.

EXpedit profectò pueros ludis licitis, juxta H educatorum ordinem. (*b*) exerceri: at ſummoperè cavendum, ne ludis abſimilibus tempus impendant. Primum monitum ætas repoſcit, ſecundum virtus excludit. Eſſet autem ad rem, iis diebus, quibus permittuntur ludi, tibiarum concentu, cantu, vel

---

(*a*) Al. *coaptatione*.

(*b*) Al. *præſcriptum*.

Scrip. An. 1606. vel aliquo pio artificio eos oblectare, ut ſponte ſua à ludis, & periculis diſtractionum abſtineant.

CAPUT XII.

De cura diſcendi, & otio vitando.

A ANimi puerorum, quos ſola non allicit honeſtas, vel propoſitis præmiis, vel aliorum æqualium æmulatione ad ſtudium litterarum permovendi ſunt: ut his quaſi ſtimulis incitati otium vitent, & plurimum temporis in litterarum exercitiis ponant. Experientia quippe compertum eſt, eos pueros à vitiis ætatis illius longiùs recedere, qui litteris impenſiùs vacant.

CAPUT XIII.

De catalogo exercitiorum ſpiritualium, quæ pueris congruunt.

I. DIrectio matutina actuum illius diei ad gloriam Divinæ Majeſtatis, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus ſtudioſiſſimi eſſe debebunt. B

II. Oratio brevis per horæ quadrantem, quæ erit de quatuor noviſſimis, & interdum de paſſione Chriſti.

III. Cura præſentiæ Dei, ut ſcilicet curent Dei frequenter meminiſſe: & aliquos erga eum actus, fidei, ſpei, amoris, & contritionis producant.

IV. Quotidie pium aliquid legant, vel audiant, ad cor emolliendum.

V. Per hebdomadas ſingulas, ſemel confiteantur. Euchariſtiam verò ſemel ſaltem in menſe ſumant.

VI. Coronam Beatiſsimæ Virginis quotidie recitent.

VII. Examinent propriam conſcientiam antequam cubitum eant: ubi per quadrantem horæ poterunt orationem protendere. C

CAPUT XIV.

De cultu modeſtiæ.

MAximi certè ponderis eſt, in ætate tenera modeſtiæ cultus, quo illa more Angelico decoratur. Quapropter eam ultimo loco, velut ſingulare, ac pretioſiſſimum ornamentum ejus ætatis ponimus. Magiſtri ergo pueros hortentur, ut oculos, & totius corporis moderationem ad Jeſu Chriſti Domini noſtri in ea ætate cum hominibus verſantis exemplar coaptent, & nihil ferum, incivile, & quovis genere incompoſitum admittant.

D

* * *

PARS SECUNDA.

De conſiliis, quæ a Præfecto, & Magiſtris obſervari decet.

E

CONSILIUM I.

DAnda opera, ut ſcholarum ſeries ordinatè procurrat: non enim ferenda eſt in hoc genere perturbatio ulla, quæ bonos Magiſtros vexat, torſitque adeò ipſum Auguſtinum, ut ea de cauſa Carthaginem deſereret, Romam peteret, ut ipſe disertè ait in hæc verba lib. 5. Conf. cap. 8. = Non ideo Romam pergere volui, quòd majores quæſtus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur (quamquàm, & iſta ducebant animum tunc meum) ſed illa erat tunc cauſa maxima, & penè ſola, quod audiebam quietiùs ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coertione ſedari, ne in ejus ſcholam, quo magiſtro non utuntur, paſſim & protervè irruant, nec eos admitti omnino, niſi ille permiſerit: contrà apud Carthaginem fœda eſt, & intemperans licentia ſcholaſticorum: irrumpunt impudenter, & propè furioſa fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. = Hæc Auguſtinus, quæ ad profectum diſciplinæ apprimè conducunt. F

CONSILIUM II.

G PUeri quovis genere intemperantes, qui cultura abutuntur, præſertim ſi alios bonæ indolis avertant, ab ſcholis expellendi: ut ceteri pœnam ejuſmodi timentes modeſtiores evadant, & ſtudio ſibi præſcripto attentiùs vacent. Et quidem, ubi puer aliquis protervus, omnibus notus ab ſcholis arcendus eſſet, poſſet ſolemni aliquo actu coram aliis repelli, ut alii cautiores fierent.

CONSILIUM III.

QUI cum licenter egerint, non tamen obduruerunt, ſed miteſcunt ad reſipiſcentiam, patienter ferendi, & leniter corripiendi ſunt: admonerique debent de expulſione futura, ſi per relapſum patientia magiſtrorum abutantur.

H

CONSILIUM IV.

EXercendi ſunt pueri quodam æmulationis genere ad cultum ingenii, atque memoriæ, non quotidianis modò ſcholarum actibus, verùm publicis orationibus, quæ feſtis diebus haberi poſſent, ut eo ſtimulo incitati feliciùs proficiant.

Scrip. An. 1613.

CONSILIUM V.

NUllus auctor à Magiſtris prælegendus, quo pietas lædatur: quocirca Martialis, aliique id genus interdicendi, quinetiam, & pueris ſubtrahendi, ſi eos fortè clam lectitent.

CONSILIUM VI.

PIetas potiſſimùm à Magiſtris alenda: quapropter præcipuè Magiſtri laudandi, qui multiplices augendæ pietatis modos puerili ætati attemperatos excogitare, ac ætati illi perſuadere norunt. Huc confert Sacra Communio ſolemniſſimo aliquo in feſto decreta, & imagunculæ ad latinum certamen divinarum laudum propoſitæ, aliaque hujuſmodi inventa.

CONSILIUM VII.

PRoderit maximè ſacra concio aliqua in diem certum indicta, advocato viro aliquo pio, puta Monacho ſanctimoniæ fama claro, qui pueros hortetur, à vitiis deterreat, & ad virtutes colendas inflammet. In ejuſmodi verò concionibus exempla Sanctorum ſaluberrima ſunt, altiùs imprimuntur, diutiuſque à pueris memoria retinentur.

CONSILIUM VIII.

PRoderit collatio aliqua à Magiſtris, Præſide, Præfecto interdum habita, ubi de abuſibus fortaſſe in ſcholas irrepentibus extirpandis, & de ratione utiliter docendi, & bonos mores perficiendi, multa cum animi demiſſione, concordia, & incenſo Deo placendi ſtudio agatur.

PARS TERTIA.

Exortatio ad Magiſtros

§. I.

QUI ad opus Scholarum Piarum tamquàm Magiſtri ſolius æternæ mercedis intuitu acceſſere; ſuſceptum laborem, præmiique ſpem animo verſare, ac pertractare debent, ut auctiora merita perquirant, & pueritiæ faſtidia patientiùs ferant. Animi quippe, qui temporale lucrum aſpernari, & futura dumtaxat bona ſperare decreverunt, perenni nonnumquam laboris onere frangi, aut delaſſari ſolent, niſi piis meditationibus ſeipſos excitent, atque confirment.

§. II.

COnſiderent ergo propoſiti ſui honeſtatem: non enim apud Deum animorum cognitorem tantùm, ſed apud ſapientes quoque homines honorificum eſt, Dei cauſam agere, & Chriſtianæ charitatis actus obire, præſertim cum ſimplex intentionis oculus Evangelico præconio commendatus hypocriſi nulla, nebula culpæ nulla offuſcatur. Et quidem quis ita ſit cæcus, qui deſtitutæ pueritiæ culturam laude dignam, & apoſtolicorum virorum moribus conſentaneam non apertè perſpiciat? Profectò mihi exploratum eſt, ſelectos nonnullos operarios optaſſe potiùs huic labori ſe totos dedere, quàm temporalem principatum acquirere.

§. III.

QUòd ſi quis inopiam prætexat, dicatque ſe poſſe aliis præeſſe ſcholis, ubi cum pietatis cultu lucrum futuris eventibus neceſſarium connecteret; profectò deberet animadvertere, quàm ſit immenſum cæleſtium divitiarum lucrum, quod pio labore paratur, & quàm facilè animus in bonum utile intentus, ab honeſto recedat: præterquàm quòd ii, qui pro Chriſto, & proximorum ſalute laborant, ſi aliqua conſcientiæ obligatione minimè cogantur, quales ſcholarum Piarum præceptores eſſe ſolent, Evangelicis conſiliis parùm conſentiunt, ſi de inopia craſtina ſolicitè cogitent. Porrò Chriſtus non deſerit eos, qui, ut ſaluti proximorum conſulerent, humanæ providentiæ curam ablegarunt. Accedit huc, quòd ſpectatæ virtutis viri, ad Eccleſiaſtica beneficia eò magis idonei cenſentur, quò ipſi minùs ea requirunt.

§. IV.

JAM verò ſi laborem diuturnum, nec intermiſſum quis obtendat; meminerit homines curis ſæcularibus addictos graviùs vexari, minuſque interquieſcere, cùm gerant innumeros aculeos cordi infixos, qui nec in molli lecto requiem permittunt. Certè quò quiſque plures patitur indomitarum paſſionum motus ſuſcepti laboris comites, eò requieſcit minùs. Si ergo è duobus operariis, quorum alter ſæculo, alter Chriſto laborat, ille millenis pungitur ſtimulis, hic ſedata conſcientia in opus incumbit; quis non judicet minùs hunc, quàm illum angi, minus labore premi? Quid, quòd conſcientiæ pax, & ſpes æternæ felicitatis cum labore pio abundè concreſcit, cor exhilarat, & laboris duritiam mollit: labor verò ſæcularis per quàm raro lætitiam parit, creberrimeque mœſtitiam ingenerat?

§. V.

SI ergo pii laboris hujus occaſione, magiſtri quaſi pingue ſolum arantes, adeo uberem proventum expectant; demandatum ſibi officium, quàm poſſunt accuratè, conentur explere. Revellant carduos, ac tribulos ætatis primæ, quos adhuc inculta profert, bonoque doctrinæ, ac pietatis ſemine, implorato cæleſti auxilio, illam fœcun-

cun-

Scrip. An. 1606.

cundent. Caveant, ne callidiſſimus noſtræ ſalutis inimicus erumpentes primarum virtutum gemmas noxio calore decoquat, divinique cultus germina primitiva decerpat.

§. VI.

A

Contemplentur veſtem Divinæ Gratiæ candidam, qua pueritia piè culta procedit amicta, & candorem illibatum tueri pergant, cæleſteſque inſpirationes, quas in ea ætate deprehendunt, vigilantiſſimè foveant, ut antequam pueri ſæculi vanitate ſeducantur, in tuto aliquo ſtatu collocentur, ubi ſine ſalutis æternæ jactura, vel etiam cum auctiore puritate, vitam caſto Dei timore, amoreque contextam feliciter ducant.

§. VII.

E

Labor hic ampliſſimo ſanè præmio in cæleſti civitate, quam inquirimus, repenſandus eſt. Momentaneum certè, & leve pondus videbitur, ſi cum æterno gloriæ pondere, quod operatur in cælis, comparetur. Felices profectò, qui ad pietatem colendam abſque hominum remuneratione vocantur; qui condunt in cœlo theſauros, quos neque ærugo, neque tinea demolitur. Si ergo labore modico tam exuberanter diteſcunt; quare cunctentur? quorſum laborem formident? cur non ocyſſimè currant? Magiſtri ergo impigrè rem Deo acceptiſſimam aggreſſi, cœptis conſtanter inſiſtant, & dum obſtant ſcholarum difficultates, quaſi per ſcabrum, ac procerum ſtipitem aſcendentes, ſuaviſſimos palmæ fructus colligant, ſummoque ac ſempiterno bono frui feſtinent.

IN SEQUENS OPUS
PRÆMONITIO.

B F

Expoſtulatus repetitis votis a pleriſque ſodalibus expeditam, elegantemque hanc Opellam digeſſit Johannes noſter, dum procurandis totius Congregationis negotiis præficiebatur, eo ſapientiſſimo præſertim conſilio, ut Apoſtolicum miniſterium, jam inde a ſua ætate multis vitiis, atque ineptiis indigniſſimis fœdatum, ſolidis, ſanctiſſimiſque præceptis, quantum privato Scriptori fas erat, corrigeret; eamque familiariſſimo Cardinali Roberto Bellarmino dicavit. Edita eſt primo Romæ typis Jacobi Maſcardi an. 1610. *deinde eodem anno Coloniæ, forte etiam alibi diverſis temporibus, a Colonienſibus autem Editoribus tertio Tomo inſerta a pag.* 96.

NUNCUPATORIA
AUCTORIS EPISTOLA.

C G

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D.
ROBERTO BELLARMINO
S. R. E. CARDINALI
FR. IOHANNES A IESU MARIA S.

Et excelſa purpuræ dignitas, & merita eximia, quibus in Eccleſiæ cœlo luculenter ſplendes, Cardinalis Illuſtriſſime, omnino exigunt, artem hanc compendiariam tibi nuncupem. Tibi, inquam, rei conſultiſſimo qui graviſſimæ, planeque Apoſtolicæ functionis deformationem expendere, ac dolere noſti. Nimirum dolendam penitus, quòd vitia plurima functionem ingenio ſuo caſtam fœdarint: & levia, affectata, vana, profana, pro gravibus, ſynceris, ſolidis, ſacris, noſtræ ſalutis hoſtis obtruſerit. Vales, Cardinalis Illuſtriſſime auctoritate, ac prudentia, quibus poſſis, de verbo Dei à multiplicibus adulteriis vindicando, ſeriò agere. Sit, oro, munuſculum hoc meum tanti proventus, piive quæſtus occaſio. Egoque impenſè precabor clementiſſimum Deum, te, Cardinalis Illuſtriſſime ad Eccleſiæ ornamentum, diu ſervet incolumen.

D H

ALIA EIUSDEM EPISTOLA SODALIBUS.

REVERENDIS PATRIBUS CONCIONATORIBUS CARMELITIS DISCALCEATIS CONGREGATIONIS S. ELIÆ.

FR. JOANNES A JESU MARIA S.

CRebrò à me officium artis hujus expetiſtis, RR. Patres, ut quod me audiſtis diſſerentem, in hoc ſcripto, tamquam in tabula penicillo expreſſum, in promptu haberetur, poſſetque ad excolendos eos, qui dicentem minime audierunt, utcumque conferre. Officium propagavi morbis obnoxius, & negotiis aliis diſtentus: modò nonnihil otii nactus, quæ optaſtis, expleo. Artem concionandi contexui; in qua quicqid ferè lectione, obſervatione, experientia, & virorum artis peritiſſimorum conſultatione contraxi, breviſſimè per capita digeſſi. Affectatæ ſcilicet brevitatis ſponte reus fio. Nimirum immodico præceptorum numero ingenia obruuntur, indigentque arte alia ad rerum delectum: præterquam quòd ars longa lectorem deterret, brevis autem & lectionis, & praxis irritamentum eſt. Immenſas Deo gratias ago, quòd qui ob adverſam valetudinem concionari nequeo, ſcriptione hac vel tenuiter adiuvo alios grandem Chriſti legationem obituros, ut Apoſtolici laboris conſors efficiar. Fauſta vobis precor. Utimini ſcripto, quod flagitaſtis, ad Divinæ Majeſtatis gloriam amplificandam; quam impenſiùs oro, vos cœleſti ſpiritu afflet, ut Eccleſiam Catholicam, vitæ primùm integritate, mox gravi, ſanctaque Evangelii prædicatione exornetis: &, ſi ſors fœlix tulerit, pro veritatis aſſertione, invictis animis occumbatis. Valete.

AUCTORIS PRÆFATIO

ARS legiſlatio quædam eſt, legiſlationem autem paucis capitibus expedit comprehendi, quippe quæ non ad voluptatem ex lectione capiendam, ſed ad praxim deſtinetur. Hac de cauſa, ſupervacanea multa rejecimus, quæ tametſi priſcis Oratoribus uſitata, Chriſti præconibus minimè congruerent. Ea verò ſelecta, & compendio ſcripta ſunt, quæ neque reſpuenda videntur, neque adeò ſunt pauca, ut ad concionatorem inſtruendum, ſat non eſſe cenſeantur. Scriptum in partes novem diſcrevimus. Pars prima inſcribitur de nonnullis monitis ſelectis ad concionatorem inſtruendum Secunda de inventione. Tertia de Diſpoſitione. Quarta de Elocutione. Quinta de Amplificatione. Sexta de Memoria excolenda. Septima de Pronunciatione. Octava de ſelectis aliquot conſiliis ad Prudentiam, officiumque Concionatoris attinentibus. Nona de ſpiritualibus actibus à Prædicatore circiter Concionem exercendis. Lectitanda ſunt hæc, precamurque, in amplam clementiſſimi Dei gloriam, & votis multis expetitam animarum ſalutem fœliciter cedant.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
ARS CONCIONANDI
COMPENDIO SCRIPTA.

PARS PRIMA.

De nonnullis monitis ſelectis, ad Concionatorem inſtruendum.

CAPUT I.

Dignitas functionis.

Scrip. An. 1606.

Functio Sacrarum concionum, Apoſtolicum opus, & gravis Chriſti legatio eſt. Suſcipitur ingenuus labor, ut immortalis hominis animus culpa fœdatus expietur, Deoque amplexu caſto ſocietur. A Senſit hoc Paulus in hæc verba: *Pro Chriſto legatione fungimur: Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo*. 2. *Cor.* 5. 20. Ecquis ergo functionis ſublimitatem, ſplendorem, puritatem hinc non liquidò perſpiciat? Excelſum ſanè munus, Urbes diſcordes, aut Regna in fœdus dicendo concire: at ibi pax coaleſcit humilis, ac temporaria, hìc Cœlo altior, & ſempiterna. Quid, quod ipſe Concionator agit perſonam Chriſti, *In quo Deus erat mundum reconcilians ſibi?* 2. *Cor.* 5. 19. Dignitatem ergo hanc profectò maximam cenſere, ne per incogitantiam ſordeat, inſigne operæpretium eſt.

CAPUT II.

B

Vitæ integritas requiſita.

Canduit ſplendore virtutum luculentiſſimo vita Concionatorum, quos Chriſtus in opus hoc Apoſtolicum deſtinavit, & quibus Apoſtoli ipſi ætatis proceſſu curam eamdem credidere. Divino quippe conſilio proviſum eſt, ut qui alios eſſent perfecturi, priùs ipſi perficerentur, quod negotii gerendi proportio prorſus exigebat. Qui enim fieret, ut aliis veræ ſanctitatis cultum perſuaderent, qui eam negligerent, aut ſegniter curarent? Ut alios acriter urgerent, qui virtutis arduitatem perhorreſcerent? Porrò monſtrum horrendum Apoſtolo viſum eſt illud: *Qui prædicas non furandum, furaris: Qui abominaris Idola, ſacrilegium facis*. *Rom.* 2. 21. 22. C Qua fronte, rogo, qui lautè veſcitur, populum ad abſtinentiam; qui auram popupularem captat, ad mundi contemptum permovebit, cum conſcientia teſte vellicetur, noritque ſe animum degenerem, & diſciplinæ auſteræ, quam commendat, inimicum gerere? Expendant hoc, qui vitam functioni Apoſtolicæ minimè coaptant, Deique ultionem tempeſtivè præcaveant. Etenim vitæ integritas vim ſermoni addit immenſam, qua populo altiùs imprimitur, Deo videlicet inſpirante, qui miniſtros idoneos afflare conſuevit.

CAPUT III.

D

Abuſus Apoſtolicæ prædicationis.

Apoſtolicum concionandi modum multiplex vitiavit abuſus. Irrepſit in ſuggeſta, vel profana, vel nimium ſcholaſtica, vel ſpecioſa eruditione picta doctrinæ,

Scrip. An. 1610.

ac ſermonis forma, quæ aſcititium quoddam genus eſt. Syncerus, & è Chriſti ſchola natus concionis uſus obſervat effatum illud: *Prædicamus Chriſtum Crucifixum*.

1. *Cor.* 2. 2.

Nihil aliud ſe ſcire putavit, aut docuit Paulus. Neque verò obſtat quam plerique recentes pictores prætexunt, temporis, populique diſcretio, quaſi priſca illa Apoſtolorum, Sanctorumque Patrum prædicatio populo nunc ægro, ut cibus ſolidior imbecilli ventriculo, minùs congruat, variandaque propterea, & operosè ad oblectandos animos tamquam floſculis exornanda ſit: cur enim modò non pervincat Chriſtianos forma illa, quæ domuit Ethnicos?

A

Quos æmulari debeant Concionatores.

At nunc non flat ſpiritus ille tam validus, fateor; ſed enitantur Concionatores Apoſtolos æmulari, uti decet, & flabit Spiritus Dei, qui ad ſua organa inflanda promptiſſimus eſt. Credo equidem, conatu hoc potiùs, quàm novarum ſententiarum, & verborum apparatu, idoneorum miniſtrorum partes explebunt, & pectora gelu peccati concreta reſolvent. Nimirum Deus per eos, utpote benefaciendi cupidiſſimus, mira patrabit.

B

Et quidem obſervatione propria, & virorum inſignium, qui juniores cum forent, minùs Apoſtolicè è ſuggeſto dixerant, confeſſione nobis conſtat, prætextum, ſive excuſationem hujus ætatis, quam multi concionatores obtendunt, levem profectò eſſe, & correctione palàm indigere.

CAPUT IV.

Abuſus Correctio.

E Republica Chriſtiana proculdubiò eſſet, vitia quæ ſacræ prædicationi hæſerunt, expungere, quod & publica auctoritate, & ipſorum concionatorum ſtudio perageretur.

C

Auctoritatis foret publicæ, Epiſcopis, Eccleſiarumque Rectoribus modum præſcribere, cui niſi concionatores congruerent, eam functionem ſibi interdicendam noſſent; aut certè rationem inire aliam, qua primæva Sanctorum forma renaſceretur: qua de re alii prudentiùs dicent.

Quomodo concionandum.

Quod verò ad ipſos attinet concionatores, omnino exploratum eſt, debere illos ad ſanctum, grave, efficax dicendi genus aſpirare, & levicula multa eleganter phalerata, & ſpecioſè concinnata aſpernari; non modò ſi fructum pretioſiſſimum ſalutis referre, verùm ſi propriæ quoque exiſtimationi conſulere velint. Norunt enim artis hujus Conſulti accuratum rerum levium ſtudium arte reſpui, ac improbari, præterquam quòd ſpiritu Chriſti reiicitur.

D

2. *Cor.* 2. 17.

Non probat Paulus *Adulterantes Verbum Dei*. Quod cum ſit caſtum, adulteria odit. Si quis autem Concionator ſciſcitetur, quænam ſibi ineunda ratio multiplicis abuſus extirpandi, reſpondemus, hanc à nobis hoc libro præſcribi: modò ſat ſit de ſanctè, graviter, efficaciter agendo decernere.

CAPUT V.

Humilitas Concionatori ſit cordi.

Longè aliter Chriſti prædicator, quàm Ethnicus, turgiduſque orator inſtruendus: quocirca nefas eſt ægrè ferat miteſcere, & admoneri, qui profitetur diſciplinam Magiſtri ajentis: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*.

Matt. 11. 29.

E

Et ſanè, ſi proficere, ac in opere Apoſtolico perfici cupiat, ſtatuat omnino, egere ſe monitore, quo ſyncerè audito, quicquid eminet reformet. Turpe quippe eſt in hoc genere Chriſti imitatorem erubeſcere.

S. Hieron. ad Paulinum.

Plato quidem (ut Hieronymus ſcriptum reliquit) Aegyptum, & Archytam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit: ut qui Athenis magiſter erat, & potens, cujuſque doctrinam Academiæ gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus, atque diſcipulus, malens aliena verecundè diſcere, quàm ſua impudenter ingerere. Hæc Hieronymus de Platone.

F

Quid ergo indignius, quàm eos, quibus Chriſti lux affulſit, de concionis methodo, de vocis flexu, de brachii motu, importunè quoque monentem non leniter audire?

Monitores patienter audiendi.

Omnes profectò vel ignari monitores patienter audiendi: licèt non omnibus, ſed artis benè conſultis parendum ſit. Utendum quoque ignorantium conſiliis, ſi à benè peritis probentur. Et hoc quidem, ad externum demiſſi animi exemplum pertinet, quod eximiis Concionatoribus inſigniter profuiſſe, nobis compertum eſt. Jam verò quod ad internam, altiſque radicibus nixam animi demiſſionem attinet, Concionator quantumvis doctrina, & eloquentia excultus ſibi perſuadeat, nihil ſe boni in ea functione præſtaturum, niſi humili Chriſti ſpiritu affletur: quinetiam ipſamet animi elatione, hominibuſque placendi ſollicitudine, ſe, arctato pectore, halitu penè intercluſo, memoria obturbata, corpore tremoribus concuſſo, vehementer angendum.

G

l. 6. *Conf. cap.* 6.

Nimirum propriæ exiſtimationis affectus nonnullos dirè torſit, è quorum numero fuit Auguſtinus, antequam in Chriſti ſchola manſueſceret, cum Mediolani, apud Imperatorem eſſet dicturus. Alios hac ætate prope dementavit, ut nobis renunciatum eſt.

1. *Cor.* 8. 2.

Officium ergo Concionatoris erit, illud Pauli recolere: *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire*.

H

Et hoc penitiſſimo ſenſu, Divinæ bonitati ſe totum credere, ac mundi plauſum aſpernari conſtituat. Ita verò ſe demittat, ſibique diffidat, ut firmiſſimè ſperet, ſe, quoties prædicarit, Dei munere, bene, appoſiteque dicturum.

Timor nimius cavendus.

Cavendum quippe, ne humilitatis ſpecie, timor nimius obrepat, qui vehementer officit. Quapropter piiſſimi, ac hujus artis peritiſſimi ſolent concionatoribus humilibus, ac paventibus conſulere, ſibi perſuadeant, ſe idoneos, artiſque conſultos eſſe, qui poſſint populum inſtruere; bo-

boniſque cenſoribus placere; ut audacia quadam pia timorem excutiant. Prudens certè conſilium, quod optimè cum vera humilitate cohæret.

CAPUT VI.

Zelus Concionatoris qualis.

A PErſpectum eſt, concionatorem quemlibet, niſi eum zelus Divinæ gloriæ ac ſalutis animarum, & (ut Apoſtolicis utamur verbis) charitas Chriſti urgeat, ea functione, ac nomine indignum cenſeri debere. Si enim neque gloriæ divinæ, nec ſalutis animarum ſtudio eam legationem obit, quò tendit? quid quærit? quorſum abutitur Evangelio? Abſit deformitas hæc a Chriſti Præconibus. Inſculpant animo illud Pauli votum: *Ita deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras*. (1. *Theſſ.* 2.8.) Caveant, ne ſæviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis affectum ab ſcopo, quem Chriſtus præfixit, callida ſuggeſtione detorqueat. Expendant ſalutem animarum, pro qua Chriſtus ſeipſum immolavit, poſtquam ſe quoque ipſum crebra prædicatione ſuis concionatoribus exemplar exhibuit. B

CAPUT VII.

Orationis, ſive contemplationis ſtudium concionatori neceſſarium.

NEminem artis hujus conſultum latere poteſt, orationis ſtudium eſſe Concionatori ſummopere neceſſarium, ſi velit exemplari congruere ſuo, Chriſto nempe, qui primos prædicatores electurus, *Erat pernoctans in oratione Dei*. (*Luc.* 6, 12.) Subeſt efficax ratio: Quicquid enim cogitet, dicat, conetur, licèt univerſam mundi peritiam contrahat, langueat, frigeatque neceſſe eſt, niſi Dei ſpiritu agatur, & incaleſcat. C

Orationis ſtudium.

Patet autem Dei ſpiritum, ſeu calorem oratione concipi: unde animus boni Concionatoris prodit armatus, & affectus eo planè modo, quo auditores cupit afficere. Res comperta, & perſpicua eſt; quam exempla priſca, noviſſimaque pervincunt. Poſſent certè produci teſtes locupletes nobis cogniti, quibus mos fuit, non oratione tantùm, ſed lectione pia, & corporis caſtigatione, ſeipſos ad conciones comparare, ut iis exercitiis ſpiritus excitaretur, & auditoribus imprimeretur. Exitus acta probavit. Viros hos imitentur concionatores novelli, ut ſpiritus divinus ſecundis flatibus aſpiret. D

Dei memoria.

Conſiderent præterea orationis ſtudio jugem Dei memoriam, & in communi convictu, ſermoneque pietatem annecti debere: turpe quippe foret in ſuggeſto duntaxat, ſimulata pietate, Apoſtolos exprimere, reliquo vero tempore Apoſtolicam vitam minimè profiteri. Pietas prius populo agnita, & ſpectata dicenti jam concionatori robur, audientibus calcar addit, quod animo non deberet excidere.

CAPUT VIII.

Theologiæ ſcolaſticæ ſtudium Concionatoribus curæ ſit,

POnendum, Concionatorem antequam functionem obeat, Theologiæ ſcolaſticæ curriculum confeciſſe, hac præſertim ætate, in qua Theologica aſſerta concioni admiſceri ſolent, ad extinguenda hæreſum ſemina, quibus Catholica regna infeſtantur. E

Doctrina Theologica

Ergo Prædicator doctrinæ Theologicæ bene peritus ſit; & quæ ex hoc genere prompturus eſt, ſint tutiſſima è S. Thomæ ſchola petita, quæ omnium graviſſima, & ſynceriſſima eſt. Caveat, ne, niſi urgente neceſſitate, ſcholaſticè dicat; parcè quippe agendum in concione, ſive functione, quæ ex genere ſuo moralis eſt. Si verò ſcholaſtica aſſerta omnino producenda ſint, ſtylo concionis attemperentur, ut proſint. Solent Concionatores noſtri unum ſaltem S. Thomæ articulum quotidie relegere, ne parta doctrina novis curis intereat.

CAPUT IX.

Sacræ Scripturæ ſtudium commendatur. F

QUemadmodum in Republica patritios è plebeis, ita in Concionatorum numero, Apoſtolicos à vulgaribus ſecernimus. Serpſit autem in vulgus hoc mira quædam Sacræ Scripturæ incuria, vel etiam ignoratio; totumque ſe ad quædam manuſcripta divini ſpiritus penè expertia convertit.

Sacrarum litterarum ſtudium.

Quaſi verò non conſtet Scripturæ Sacræ verba ſtylo Dei exarata, ſuaviora, utiliora, fortiora eſſe ad animos permulcendos, illuſtrandos, permonendos. Quid, quòd ſententiæ, rationes, hiſtoriæ, & quicquid ad eruditionem expeti poſſit, ex amœniſſimis Scripturæ Sacræ hortis carpitur à bonis rei æſtimatoribus, qui nolunt humana divinis æquare, profana Sacris permiſcere? G Jacent Sacra Biblia pulvere obſita; & pretio non exiguo coemuntur, neſcio quæ verboſorum hominum commenta. Utinam rem perpendant, qui hactenus errarunt: experientiaque diſcent, nihil lepidum, fructuoſum, efficax ſe ex aliis fontibus haurire poſſe, quod cum iis, quæ in Sacrarum Scripturarum fonte reperient, conferri valeat: quod experimento convicti teſtamur. Incipiendum maturè, & campi ſanctorum librorum percurrendi: nam ſi juniores hoc ſtudium negligant, profectò in eodem neglectu conſeneſcent.

Senſus Scripturæ Sacræ litteralis. H

Senſus autem litteralis editionis vulgatæ primùm capiendus, quæ propria divinorum voluminum notio eſt, & veros Concionatores, hoc eſt, Scripturæ Sacræ interpretes procreat. Hic quippe ipſe litteralis ſenſus plurimis in locis eſt moralis, & ad omne concionatoris officium appoſitiſſimus. Cavendum, ne impropriè allegetur. In ſenſu autem morali, qui litteralis quoque non ſit, obſervandum, ne proprietati ſenſus litteralis repugnet: quod item

tem in omni ſenſu arcano curandum, ut ſcilicet ſpiritualis ſenſus è litterali naſcatur. Sapientis Concionatoris eſt, dum profert verba Scripturæ, quibus utitur ad ſenſum moralem, dicere ſe in eo ſenſu morali velle illa interpretari, ne rei, quam pertractat, ignarus exiſtimetur. Si autem ſenſus duriuſculus ſit, proferat auctorem aliquem gravem, qui dictis fidem conciliet: ſic enim lenitur aſperitas. Vitet illas allegationes improprias, quas accommodationes appellant, puta dum quæ in ſenſu litterali de Angelo, vel Sancto aliquo accipiuntur, ad alium quoque Sanctum transfert. Licet autem iis accommodationibus uti in hunc modum: Rectè de Franciſco diceretur, quod de Andrea, ſeu Petro ſcriptum eſt: &c.

CAPUT X.

Aliis Scripturæ verſionibus parcè utendum.

Aliæ Scipturæ verſiones.

Verſione Septuaginta Interpretum, & Hebraica lectione uti decet, ubi quid myſterii latet. Paraphraſis Chaldaica, & aliæ verſiones minùs graves parciùs uſurpandæ. Profectò qui verſiones agglomerant, in artem peccant: nam corpus concionis, quod debet eſſe benè compactum, apteque connexum, in fragmenta malè cohærentia diſſilit: præterquam quòd incredibile eſt, ſenſus tam varios, ac diſparatos Spiritus Sancti menti congruere. Experientia quoque liquet, moleſtos verſionum allegatores, apud viros doctos, ignorantiæ notam incurrere, quod obvia quævis credant, & linguarum imperitia peccent.

CAPUT XI.

Lectio Sanctorum Patrum ſuadetur.

SS. Patrum Lectio.

Veriſimillimum eſt, eos, qui ne Sacram quidem Scripturam primoribus labiis deguſtant, Patrum lectioni operam neutiquam navaturos. At hoc vitio vertendum. Si enim profani oratores ſine ſtudio Demoſthenis, Ciceronis, Quintiliani, ſe nihil profecturos arbitrantur; cur oratores ſacri ſine Leone, Gregorio, Chryſoſtomo, aliiſque id genus, ſe omnia poſſe contendant? At inquiunt, tempus modicum ſuppetit; & Philoſophico, ac Theologico curriculo peracto, multa ad Sacramentorum miniſterium ediſcenda: nonnihil etiam è piis libris ad animum bonis moribus excolendum lectitare, ſtudioque orationis, ad calorem excitandum, tempus impendere opus eſt: Quid ergo temporis in tanta humanæ vitæ anguſtia ſuperſit? Diluuntur hæc, ſi ſuperflua recidant alia, & bono delectu habito, non omnes Patrum labores perluſtrent, ſed eos, qui ad conciones Sacras commodiores ſibi perſpexerint.

Unum eligendum.

Erit quoque ad rem, unum è Patribus deligere, quem ingenio congruentiorem ſuo experiuntur, ut eum frequentiùs legant, & ab eo excerpant, quæ in populum derivent. Omnia certè obſtacula perrumpent, ſi bene afficiantur, & ſanctè, ſalubriterque agere decernant. Notum eſt, tempus non deficere iis, qui poetas plurimos perſcrutantur, ad quædam delectabilia, ſive arguta, parùm verò utilia ſecernenda: quorſum ergo tempus excuſent? Patres luſtrent, modumque quo illi concionabantur, obſervent, ac eorum veſtigiis inſiſtant. In ſuggeſto autem ſumma cum veneratione illos nominent, neque eorum quemquam refellant. Sic verò varias ipſorum interpretationes producant, ut honore cæteris delato, quam ſeligunt expendendam, ſine aliarum neglectu commendent.

Concionatores juniores.

Hìc omnino annotandum, ætates diſcriminandas: bene quippe eſt, ut juniores prædicatores Patrum allegatione conciones exornent: bene item, ut ſeniores: at hi, cum veterani ſint, & auctoritatem ſibi conflaverint, non carpendi, ſi rarò Patrum teſtimoniis inter dicendum utantur: quod, & de varia eruditione, conceptuumque numero ſentiendum: Sat quippe populum, ſanctè, utiliterque dicendo erudiunt, & ad pietatem incendunt: quod experientia inſignium concionatorum aſtruitur. Quod ad numerum Patrum attinet, non tam multitudo, quàm paucorum ſelectorum delectus inter Catholicos commendatur: ubi verò inter ſectarios habetur concio, multitudinis Patrum in aſſertum unum conſpirantium habenda ratio, plurimique facienda.

CAPUT XII.

Lectio Auctorum, qui de concionibus ſcripſere, monetur.

Recentes concionum ſcriptores, cum jam numero excreverint, non ſine delectu legendi. Ergo, quos quiſque peritorum conſilio, experimentoque probaverit, evolvat: cæteram turbam abiiciat, ne meliori ſtudio tempus adimat, ex his ii probandi, in quibus ordo congruentior, pietas major, doctrina ſolidior, ac utilior, ſpiritus auctior deprehenditur.

CAPUT XIII.

Lectio Scriptorum Ethnicorum non prorſus reſpuenda: allegatio temperanda.

Quid de Scriptoribus Ethnicis?

Scriptores Ethnici tradidere multa, quæ Chriſti præcones, ſi prudenter agant, non abſque emolumento in ſuggeſtis uſurpant. Non dedecet doctrina, nomenque Platonis, Ariſtotelis, Plutarchi, Senecæ, aliorumve ſimilium: at neque horum crebritas commendanda, cum ſcriptores meliores, & functioni tantæ magis conſentaneos nacti ſimus.

Quid de Poetis?

Auctores verò alios profanos, poetas præſertim, minimè conſulerem: neque enim in Sanctorum Patrum concionibus, ejuſmodi auctores leguntur. Quòd autem Apoſtolus bis, aut ter, poeticis teſtimoniis uſus fuerit, ſi attentè obſervetur, parum favet adverſæ opinioni. Primùm quidem, quòd reſponderi poſſit, uterentur concio-

cio-

Scrip. An. 1610.

A

Act. 17. 28.

Ibid. v. 29.

B

Poetæ a Concionatoribus reprobandi.

cionatores poetarum ſtudioſi bis, aut ter ejuſmodi ſcriptoribus, per totius vitæ decurſum, quod illi difficulter admittent. Mox quod ratio diſpar eſt; cùm enim Paulus Ethnicos ad pietatem urgere vellet, ecquis non perſpiciat, appoſitiſſimè uſum Ethnicis auctoribus, qui cùm maximi fierent à gente, cui ſcriptores noſtros proponere extra rem foret; conſilium fuit, illam propriis velut armis impetere? Hoc nimirum apertè ſignificant verba illa cum Athenienſibus habita, ubi Apoſtolus Arati teſtimonio uſus eſt. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut, & quidam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim, & genus ſumus.* Quàm autem appoſitè, & efficaciter Arati verba prompſerit, & in gentem illam ſua tela retorſerit, ex proximè adiunctis liquet: *Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile.* Imitentur ergo Paulum Concionatores, oblataque ſibi occaſione, Ethnicos, Mahometanos, Sectarioſve quoſcumque gladiis propriis jugulent, & alienam armaturam exerceant. Verùm quid hoc ad Virgilios, Horatios, Ovidios, Martiales Chriſtianis obtruſos? Et quidem placeant hæc juventuti: viris tamen cordatis tantùm abeſt ut probentur, ut ſi quid ſanctum, grave, efficax, in tota ferè concione impreſſum ſit, audito ejuſmodi auctorum nomine, aut conflacceſcat, aut certè diſſipetur. Aegrè ſcilicet ſapientes viri ſibi perſuadent, eos prædicatores, qui cùm poſſent graviora proferre, levia promunt, ſpiritu ferventiſſimos eſſe, ergo, & re ipſa penſitata, & ſapientum opinione, ſatius foret, ſcriptores hos à ſuggeſtis arcere: quod Apoſtolici Concionatores animadvertant.

C

CAPUT XIV.

Magiſter exquirendus.

Præceptor inquirendus.

D

Familiare eſt univerſis tyronibus ducem ſubſequi: nemoque adeò ſibi ſapiens videtur, ut artis cujuſlibet, quam parat ediſcere, Magiſtrum minimè requirat. Decet ergo in arte hac neminem ſibi tantum tribuere, ut præceptorem vel non exquirat, vel negligat. Partes igitur novelli Concionatoris erunt, provectum in hoc genere virum diſcendi gratia convenire, ac ejus præceptionibus parere. Experientia quippe conſtat, viam hanc compendiariam eſſe: neque ſolùm breviùs, ſed tutiùs, faciliùs, commodiùs artem perdiſci: horamque unam, lectione, aut obſervatione plurium menſium fructuoſiorem eſſe. Quin etiam exploratum eſt, pleroſque Concionatores ingenio, & gratia præcellentes hujus moniti incuria, ad mortem uſque non paucis notis deformari, quas certè eluiſſent, ſi, tenelli cum forent, Magiſter eos formaſſet. At ubi obduruere, illos, uti & adultas arbores, flectere quò decet, porrò difficile eſt. Tanti verò momenti Magiſtri ductus, & rudis naturæ expolitio eſt, ut permulti, qui deſperata correctione, animum deſponderant, ope hac egregii Concionatores evaſerint. Non ab re ſcripſit ille:

Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Hor. lib. 1. Ep. 4.

E

CAPUT XV.

Concionatores diſcendi gratia audiendi.

Auditus, aſpectuſque Concionatorum mirificè confert ad bona ſeligenda, & imitanda, & ad mala longè fugienda. Pulchra, deformiaque in ſuggeſto ſeſe luculentiùs produnt, varièque animos afficiunt. Et quidem obſervatio hæc unà cum magiſtri cultura brevi Concionatorem perficit, ut propriis conatibus facilè anteferenda ſit. His ergo prænotionibus leviter attactis, ad Inventionem accedamus.

F

PARS SECUNDA.

De Inventione.

CAPUT I.

Primùm inveniendam eſſe Concionis materiam.

G

Concionum materia.

Architectonicè hîc agendum, ut quemadmodum rudes lapides primùm exquiruntur, mox ſuis ſedibus deſtinantur, ita concionis materia primo labore, tanquam congeries impolitorum lapidum hinc inde coagmentetur, deinde in partes diſtribuatur. Huc ſpectat, & ſimilitudo lignorum, quæ è ſylva cæduntur, ſtatim diſcernenda, & in ſuo quæque loco reponenda. Nequit rerum materia multiplex certo numero comprehendi: at ſine numero, excerpendum quicquid ad opus conducit: quod, & ſcriptores ethinici factitarunt, ut è vario labore in unum quaſi acervum contracto, ſcripta ſua componerent, digererent, expolirent. Qui ergo de Concionum opere cogitat, antequàm laborem auſpicetur, ex iis, quæ leget, audiet, obſervabit, ſententias, rationes, exempla, aliaque id genus congerat, quibus utatur poſtmodùm, minùs operoſè diſpoſitionem, ac exornationem additurus.

CAPUT II.

Modus inveniendi proponitur.

H

Loci Rhetorici, quales?

Duplex ad inventionem modus exercendus, alter proprio ex ingenio, alter ex alienis laboribus petendus. Primus campum latiſſimum aperit per communes locos, de quibus Dialectici in Topicis, & Rhetores in tractatu Inventionis diſſerunt. Loci hi fere ſunt, à genere, à differentia, à cauſa efficienti, à materia, à forma, à fine, ab effectis,

Scrip. An. 1610.

ab antecedentibus, à comitantibus, ab exemplo, à ſimili, à contrario, &c. locoſque Rhetores appellant, quaſdam velut ſedes, aut promptuaria, è quibus rationes, argumentave producuntur. Exemplum eſto: Decernit Concionator agere de divina charitate: & ut eam populo perſuadeat, incipit è ſede prima, hoc eſt, ex genere, argumentum A conflare in hunc modum: Acturo mihi de divina charitate, ſuccurrit primùm ejus genus: virtus quippe Chriſtiana, & prorſus divina eſt, ac proinde quoddam Dei ſemen univerſis mundi theſauris pretioſius, &c. ſtatim poteſt adiici differentia in hunc modum: Charitas videlicet cæteris virtutibus, ut earum princeps antecellit, neque ſolùm antecellit, ſed formam cæteris addit ſanè pulcherrimam, uti lux coloribus: unde à Theologis forma virtutum meritò nuncupatur, cum eis formoſiſſimum ſplendorem, motum, ac vitam impertiatur: eaque deficiente, verus, ac dulciſſimus animæ decor intereat.

Charitas virtutum forma adpellata.

Subiungi poteſt argumentum à cauſa finali ad hunc modum: Conſtat ſanè virtutem hanc planè divinam in hunc ſcopum ferri, ut animam B Deo ſociet, & caſtiſſimis amplexibus adſtringat, ineaturque quod jam ſempiterni amoris, paciſque fœdus: quo nihil excelſius, delectabilius, pretioſius excogitari poſſit, ut æquum ſit, pro virtute tanta colenda generosè certare &c. En modus quo tribus è ſedibus, rationes promuntur, quæ hìc leviter indicatæ poſſent facilè amplificari: exemploque hoc liquet poſſe ex aliis ſedibus rationes produci, itaque connecti, ut ad perſuadendum plurimum valeant. Si quis enim (ut cætera ſileamus) de charitatis effectibus ſermonem contexere vellet, materiam penè immenſam ab hac una ſede proferret; quod Apoſtolus innuit, dum charitatis effecta recenſuit ajens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt: non agit perperam, non æmulatur, non eſt ambitioſa,* C *&c. non cogitat malum &c.*

1.Cor. 13.4.5.

Etenim prædicator, qui locorum communium promptuariis uti novit, tametſi libri plerumque deſint, conciones appoſitas, validas, efficaces exiguo negotio componet: quapropter hoc Topicorum ſtudium vehementer commendamus.

Expendatur Cap. proximum de hoc ipſo primo inventionis modo.

Et hic eſt primus materiam inveniendi modus, quem proprio cujuſque tribuimus ingenio, ut eum à ſecundo jam ſubiiciendo diſcerneremus. Secundus ergo modus ad uſum alieni ingenii, ac laboris referendus, ut Concionator quiſque communes locos ſcripto conficiat, ordine alphabetico, & in eos referat quidquid ſelectum legendo, audiendove repererit, uti ſuperius monuimus. Interim verò, dum inops eſt, è ſylvis, ſeu locis communibus auctorum petat plurima, quæ ad D rem quamlibet, de qua dicere conſtituit, proculdubiò opportuna inveniet. Utatur quoque indicibus librorum, ad materiam inveſtigandam: qua via, compendio multa reperiet.

Materia quomodo inveſtiganda?

Et hoc ſanè, ſi concionem ipſe labore proprio componere velit: quod ad artem perdiſcendam, & ad efficaciter dicendum è ſuggeſto magnopere confert. Alienas enim conciones memoriæ mandare, ac evulgare, parum prodeſſe ſolet. Partus quippe alieni difficulter eduntur, niſi prius ingenio proprio concepti, & coaptati, tanquam proprii naſcantur. At ſi prædicator, neque ex alienis laboribus concionem principio conflare valeat; integras probatorum auctorum conciones, quæ abundè ſuppetunt, uſurpet, donec effectus E locupletior, eas ipſe è materia congeſta formet, atque depromat.

CAPUT III.

Proponitur exemplum ad rationes uſu locorum communium inveniendas.

PRotulimus Capite proximo exemplum, argumenta, ſive rationes è tribus, quatuorve locis producendi ad charitatis perſuaſionem: nunc alterum ſubteximus exemplum paulo fuſius, ut Concionatores locorum uſum æſtiment, animadvertantque rem tanti ponderis eſſe, ut ex iis capitibus non modò orationis, concioniſve materiam uberrimam petere, ſed & connectere, ſive diſponere facillimè valeant: poſſintque non raro, ubi libris F carent, è locorum bibliotheca, ſaluberrimas adhortationes expromere. Statuamus ergo Concionatorem velle de morte dicere, ut populum incuſſo timore ad vitæ correctionem permoveat, in hunc modum: Pars Chriſtianæ ſapientiæ profectò magna in mortis meditatione ponenda eſt, ad vitæ integritatem vitiis convulſis, ac virtutibus inductis perquirendam: quapropter de morte hodie mihi dicendum.

A genere, hoc eſt, à malo; malum quippe mortem, aliaque mala univerſa complectitur, uti genus ſpecies

Et quidem gravia quævis mala, quæ capiti hominis imminent, hominem totum curis, & ſollicitudine conficiunt: nemoque adeo væcors eſt, qui ea non præmeditetur, ut præcaveat illa ſi poſſit, ſecùs verò ictum inferendum conſtantiùs ferat. Patet ſanè hoc, ſive infortunia ad opes, ſive ad quodlibet mortalis hujus vitæ bonum pertineant. Omne videlicet G malum impendens natura cohorret, & timore urgetur ad illud longè proſpiciendum, & quà poſſit depellendum, aut certè extenuandum.

A differentia, qua mors ab aliis malis ſecernitur.

Etſi verò natura malum omne pertimeſcat, atque refugiat, illud præſertim pavet, quod eſt omnium maximè tremendum. Liquet autem non apud Chriſti cultores ſolùm, ſed apud Ethnicorum Academias, mortem eſſe ultimum terribilium, quod in proverbium philoſophicè verſum eſt. Aſtruitur hoc ipſa creberrima experientia: noſtis enim in ſummis periculis, ubi mors timetur, fortes quoque viros expalleſcere, & rerum omnium jacturam æquo animo ferre, modò ſoſpites è diſcriminibus evadant: ut in quotidianis H perſpicitur naufragiis, dum ſæviente procella, timor ſubeuntis interitus avaros quoque mercatores impellit ad ſpernendas, proiiciendaſque merces immenſo labore partas, & ab extremis fortaſſe Indis convectas, quod eſt planè factu difficillimum. Et verò malum hoc, quod univerſis mortalibus timorem penitiſſimum incutit, ſi juxta Chriſtianam diſci-

diſciplinam expendatur, plures, gravioreſque cauſas timoris habet.

A comitantibus.

Comitantur nempe mortem mala certè horribilia, quæ oportet à vobis cogitari, ut vos ad prælia comparetis. Quoties, rogo audiſtis homini animam agenti, peccata, quæ licenter perpetravit, velut totidem leones occurrere, ut virum injuſtum mala capiant in interitu? Porrò peccata, quaſi confertum hoſtium capitalium agmen cum homine inermi, A ac miſerrimo congrediuntur, & tartareis terroribus obſident. Quid tunc infœlix reſpondeat, quem conſcientia acerrime torquet, & diros morſus infigit? Quid? quod dæmones, tamquam lupi rabidi fame incitati ad prædam inſiliunt, & incredibili furore tentationum infeſtant? Profectò hæc omnia ſæpe audiſtis, quæ præ morte ipſa formidanda ſunt; ex quibus judicium ferte, qua virtutum armatura vos ipſos præmunire debeatis, ut tela illa inculpatæ vitæ clypeo excipere, eludereque poſſitis.

Ab effectibus.

Si verò ſciſcitemini, quos generet motus mors imparati hominis, in anima, quæ paulò poſt exhalanda eſt: reſpondemus, excitari tunc timorem, qui eloquentia nulla B ſatis exprimi poſſit: deiici animam ſumma deſperatione: mœſtitiam tartaream præſentire. Ecquid enim ſibi volunt horrenda illa peccatorum obeuntium ſpectacula, qui jam in lecto ipſo, è quo mox ad flammam pertrahendi ſunt, Inferorum ſontium tormenta prælibant? An putatis fortuitò horrores, ac tremores, verba impia, cæteraque conſcientiæ mortem refugientis portenta contingere? Mihi credite, nemo malum illud grande dicendo queat æquare. Quocirca illud præmeditamini, quod, niſi reſipiſcitis, ſubituri eſtis. Eluite vitæ labes: conſcientiam expiate: ſic vitam ducite, ut in agone illo ſummo cum tot hoſtibus C efferatis validè concertare, triumphumque agere valeatis, &c. Quatuor è locis rationes prompſimus, quibus concionator poſſet aliquot Sacræ Scripturæ loca inventu facilia intexere, unum vel alterum exemplum peccatorum infœliciter intereuntium adiicere. Et profectò concio hæc multo eſſet ſalubrior, & arti oratoriæ congruentior, quam compti, & floribus citò marcentibus inſperſi ſermones, quos modica apud immortalem judicem laus, exigua ſalutis proximorum ſigna commendant. Etenim nolumus lectori imponere, aut pia commenta pro veris aſſertis obtrudere: preſsè juxta proprietatem artis loquimur: ducimuſque dolendum, quàm pauci Concionatores D rem, quam profitentur, calleant.

CAPUT IV.

Locorum delectus pro cujuſque ingenio habendus.

CUM è communibus locis materia multiplex promi valeat, diſpiciendum eſt, quinam loci cujuſque ingenio congruant: ut iis familiariùs utatur. Patet quippe non omnes omnibus conſentire: alios enim alii afficiunt, & amplam dicendi materiamſuggerunt, qui ſi velint ingenium ad locos ſibi diſſentaneos compellere, incredibili ſterilitate torquentur, non ergo vis inferenda: ſed ſi, exempli gratia, concionator aliquis, ſtatim ac dicere parat, animadvertit ſe in ſedes ſibi certas, & uſitatas, puta in locum à cauſa finali, vel ab effectis, ferri, locos illos crebrò petat, rationeſque inde E expromptas apta methodo conſerat, Scripturæ Sacræ auctoritatibus intertexat, digerat, exornet. Nimirum facilitas illa inveniendi in iis præcipue locis ſignum eſt proportionis, quæ inter locos illos, & Concionatoris ingenium reperitur: ratioque pervincit, eorum locorum uſum ſuavem, ac ſpontaneum, efficaciorem fore ad perſuadendum, quàm ſi locos alios fortaſſe meliores invitus Concionator exerceret. Materiæ quoque diſcrimen ad locorum delectum obſervari debet; neque enim materiis omnibus omnes loci conſentiunt, nimirum (ut hoc uno exemplo pro multis utamur) non omnium de quibus dicendum ſit eſt cauſa efficiens, ut cum de Deo dicitur, F atque adeò in eo ſermone nequeunt à cauſa efficienti argumenta, rationeſve produci.

Qualium locorum electio.

Mariæ diſcrimen.

CAPUT V.

Quænam materia potiſſimum invenienda.

GRaviter profectò erratur à nonnullis in materiæ inventione, quaſi excellentis ingenii ſignum ſit, inauditam inopinatamque materiam excogitare, quæ auditores in admirationem arguti hominis extollat. Verùm apud idoneos cenſores, rara inventio hæc modicæ gravitatis, ac maturitatis argumentum conficit. Et quidem ars ipſa, G non longe petitam, vel è capillo aliquo arreptam, ſed intrinſecus natam ex ipſo Evangelici textus diſcurſu materiam probat. In hunc quippe modum, cùm in contextu Evangelico non inſint vana, vel inutilia themata, oportebit materiam gravem, ſanctam, ac ſalutarem eſſe. Conſiderent ergo Chriſti præcones quid ſeligant; niſi enim uti monemus fructuoſa, ſanctaque ſectentur, Chriſto injuriam irrogabunt, ſe artis ignaros oſtendent, ac virorum ſapientum irriſui exponent. Norintque laudem ingenii, non in materia, quam nemo umquam attigerit, invenienda, ſed in ea, quæ inſit, perfectiùs expendenda, amplificanda, ad mores derivanda reponi. Materia igitur optima, & ſaluberrima erit, quæ ad vitia extirpanda, virtutes parandas, divinæ legis obſervationem, quatuor noviſſimorum H meditationem, ſpiritualis vitæ primordium, ac progreſſum pertinebit. Qui ſecus faxit, non Jeſum Chriſtum, ſed ſeipſum prædicabit, nec impunè feret.

Materia cōcionatoris, qualis?

Quæ optima, & ſaluberima?

Scrip. An. 1610.

CAPUT VI.

Ad materiæ tractatum quænam argumenta è locis præſertim petenda.

Argumenti nomine, quid?

ARgumenti nomine, quicquid è locis promitur, comprehendimus. Petuntur è locis conceptus multiplices, quærimus A verò, ecquid copioſiùs promendum, & in promptu habendum ſit, quod noſſe plurimum refert. Eſt in cellariis divitum multiplex vinum aliud alio generoſius, eſt in horreis triticum aliud alio lectius: ergo, re perpenſa, & cum artis hujus peritiſſimis collata, cenſemus, copiam rationum è locis productarum, apteque conſertarum eſſe firmiſſimum robur ad animos, quò velis, flectendos, ac inflammandos, rationumque proinde copiam in primis exquirendam, ut ſermo nervoſus, efficaxque fiat. Nimirum

Conciones, quæ utiliores,

(quod experientia deprehenſum eſt) eæ conciones ſolent eſſe aliis utiliores, quæ rationibus armantur, & in animos auditorum ſic influunt, ut earum vim capiant, veritatiſque cognitionem intellectui impreſſam domum referant. Habent quippe rationes B bene connexæ, & in ſcopum perſuadendæ veritatis directæ pondus maximum, & propriiſſimam cum hominis ingenio, quod ratione ducitur, congruentiam. Et quidem, licet non ſtatim, ac proferuntur, protervos quoſque revincant, cerviceſque erectas ſubiugent, immenſi tamen fructus eſt, intellectui ſemel imprimi; cum veritas concepta denique voluntatem eò, quò vocatur, perurgeat. Etenim rationes aptè contextæ, & intellectum illuminant, & oblectant animum, & demum permovent. Ex hoc efficitur, ut conciones illæ multis conceptibus benè ſonantibus conſtructæ, quas modò plerique prædicatores concinnant, cum iis, quæ rationum ſtructura componuntur, minimè comparandæ C ſint, quod utinam Chriſti cultores obſervent. Etenim, ut exemplo utamur uno, in concione Dominicæ quartæ Adventus, ubi factum dicitur verbum Domini ſuper Joannem, quis non perſpiciat, inutilem eſſe prolixam ſpeculationem, ac diſtinctionem vocis, & verbi multiplici conceptu repetitam?

Johannes Baptiſta, vox dictus.

Quomodo ſcilicet Joannes ſit vox, hoc eſt, ſonus inarticulatus, Chriſtus verò verbum, ſonus nempè articulatus, ac proinde perfectior. Quomodo Joanni, qui vox eſt, reſpondit echo in antris deſerti, quæ repercuſſa Joannem perſonabant: & alia id genus eleganter picta? Quis hæc vehementer laudet? nemo ſanè cordatus, & artis peritus. At quis non laudet prædicatorem, D qui propoſito ſcopo pœnitentiæ perſuadendæ, à Dei electione, à proportione Joannis (idonei videlicet præconis, qui in ſeipſo quod perſuadere cupiebat, prius expreſſerat, & aſperrimam pœnitentiam egerat) Evangelico textu ipſo ſubnixus rationes producit, connectit, & ſenſui Evangeliſtæ congruit? Res profectò tam perſpicua eſt, ut à nemine in controverſiam vocari poſſe videatur.

CAPUT VII.

Proponunur nonnulla principalia Capita, quæ dicendi materiam uberem producunt.

Bonum triplex.

AD copiam inventionis pertinet triplex E boni genus, honeſtum, utile, delectabile: quo qui appoſitè uti norunt, efficaciſſima ad ſcopum quemlibet argumenta conficiunt. Ergo concionator, dum quippiam perſuadere nititur, illud circumſpiciat, & quod in eo ineſt honeſti, utilis, delectabilis promat ſatis crebrò, ſi velit animos permulcere, & ad pietatem colendam inflammare. Si quid verò dehortari tentet, argumenta contraria in eo triplici genere conflet, quæ altè imprimuntur. Profectò, qui pœnitentiam monet, efficaciter aget, ſi honeſtiſſimam conditionem Divinæ gratiæ, & cœleſtis adoptionis filiorum Dei, quæ pœnitentia comparatur, expendat. Si utilitatem in æternæ fœlicitatis lucro, meriti augmento, & amiſſæ gratiæ reparatione commendet. Si lætitiam intimam, ſpe F futuræ fruitionis gliſcentem, ſtrictaque viſcera laxantem deſcribat. E contrario auditores urgebit, ſi quàm ſit turpe, noxium, mœſtum in cœno culpæ jacere demonſtret.

Argumenta ineluctabilia.

Huic triplici generi conciliabit prædicator familiaria argumenta à minori ad majus, à majori ad minus, à contrario, à ſimili, quorum vis permagna eſt, ut & materiæ ubertas, & vires unà concreſcant. Nunc ad materiæ, concioniſve diſpoſitionem tranſeundum.

PARS TERTIA.

De Diſpoſitione. G

CAPUT I.

De diſpoſitione in commune.

Orationis diſpoſitio auditu jucundiſſima.

POllent ingenio plerique ad inveniendum, ut mirum ſit, quàm exuberanter ſylvam profundant, verùm ordo nullus. Alii ægrè inveniunt, ſed mirificè diſponunt. Alii neutrum, alii utrumque facilè, & egregiè præſtant. Res quidem ponderis maximi eſt, pro qua deceat labori minimè parcere. Oratio quippe rectè diſpoſita, eſt auditu jucundiſſima, ut eſt viſu pulcherrima caſtrorum acies ordinata. Reciſis ergo multis, quæ oratoribus Ethnicis ad ſua vota H explenda profuere vario dicendi genere, demonſtrativo, deliberativo, judiciali; quæ Chriſtianis oratoribus congruant, producemus. Et primùm quidem, expendi debet præceptio hæc, nullum concionatorem artis conſcium exiſtimari debere, nullum item ſatis noſſe, quid agat, qui in concione, quam conficit, certum ſcopum aliquem

Scrip. An. 1610.

ſibi minimè præfigit. Quò enim fertur? Quid quærit? Qua ratione poſſit concionis partes connectere, ac dirigere, niſi in ſcopum certum collimet? ſtupidus jaculator eſt, qui ſcopum neutiquam petit. His ergo præmiſſis, diſpoſitio multiplex tractanda, primoque loco ea, quæ unum thema ſumit, expendenda, quæ facilior eſt.

Obſervandum hìc, nullam eſſe certam narrationis ſedem in ſede concionandi: certum tamen eſſe narrationē opportunè adhibitam, pro rerum varietate variis tonis, geſtibuſque variatā plurimū leporis habere ad animos delectandos, ac permovendos. Huc ſpectant, quæ poſtea de pronunciatione trademus.

CAPUT II.

Quomodo diſponendum Concionis corpus.

PRopoſito ſcopo, charitatem, pœnitentiam, mundi contemptum, vel quid ſimile perſuadendi, illa concionis diſpoſitio idonea erit, quæ Sacræ Scripturæ loca, rationes, conceptus varios mutuo conſertos, ita diſtribuet, ut vel alii ex aliis enaſcantur, vel alii aliis ſuccedentes, ſenſumque augentes, eumdem ſcopum petant, idem thema confirment. Atque adeò aſſertum hoc universè accipi poteſt: Omnem concionem, cujus corpus, varia doctrina, ſive eruditione compactum, ſenſum creſcit, & in ſcopum præfixum dirigitur, rectè diſpoſitam eſſe. Nihil tamen certi ſtatuendum, ac ſi ars exigat ad rectam diſpoſitionem ordinem unum; ut, exempli gratia, Scripturæ Sacræ teſtimonia primo loco ponere, rationes mox ſubiicere, exempla demum addere, aut certè ab hiſtoria aliqua primordium petere, ſtatim Scripturæ loca promere &c. Nihil hìc certi, uti diximus, præſcribere opus eſt, aut orationem ad unam dumtaxat formam coercere, dummodo, quæ proferuntur, appoſita ſint, & mutuo contexta, paulatimque creſcentia, ad concionatoris ſcopum ferantur, quicquid primo loco collocetur. Si ergo tria, exempli gratia, argumentave præcipua concionator diſponere conſtituit, minùs firma loco primo, firmiora ſecundo, firmiſſima tertio reponat, ut animos illo incremento pervincant, & hoc ad Concionis corpus conſtruendum.

A

De ordine in Concionis diſpoſitione ſervando.

B

Quæ argumenta primo loco ponenda?

C

CAPUT III.

Agitur de Concionis exordio.

COncionis corpori proemium quoddam, ſive exordium præmitti, & ſub finem adhortatio quædam ſolet ſubiici. Quod ad exordium pertinet, noſſe oportet, exordii morem oratoribus antiquis uſitatum fuiſſe ad auditores attentos, benevolos, dociles efficiendos. Prætexebant dicturos ſe grandia ad attentionem, coniuncta cum auditoribus ad benevolentiam, diſtincta ad docilitatem; quæ quidem tria, vel duo interdum permiſceri, interdum diſcreta reperiri ſolebant. Hæc antiquis, quorum mos quoad duo ex his tribus capitibus, benevolentiam ſcilicet captandam, attentionemque poſcendam à Chriſti Prædicatoribus parcè ſolet uſurpari; ab iis verò, qui ſeipſos prædicant, ſolet etiam affectari, quod ſanè turpe eſt. Hi ad attentionem pollicentur montes aureos, ad benevolentiam ſe auditorum ſervos emptitios dictitant, titulos honorificos excogitant, & molliter repetunt, quod procul abſit: illi graviter, & comiter nonnihil præfantur, quo auditores in concionis campum introducant, ne ſermo videatur acephalus; & quod ad docilitatem attinet capita expendenda diſtinguunt: neque verò ſollicitè cogitant, qua ratione benevolentiam captent, aut grandibus pollicitis attentionem expoſcant. Levia ſunt hæc, neque à viris Apoſtolicis valde curanda. Ergo exordia ad morem Chriſtianum temperentur, ſint brevia, & concionis diſtinctionem, qua auditores fiant dociles, præmonſtrent. Illa ſunt omnium potiſſima, quæ intrinſecus nata, hoc eſt, ex ipſius Evangelii textu petita, non extrinſecus affixa: quamvis res hæc non ſit maximi ponderis, dummodo Concionator appoſitè incipiat, undecumque occaſionem arripiat. Solet evangelica hiſtoria pro exordio lepidè, ac utiliter præmitti, præſertim à Concionatoribus veteranis. Non hìc ſilendum, exordia in graviſſimis conſeſſibus non ſolere præmitti, quod olim qui apud Areopagitas dicebant, obſervarunt. At neque hoc affectatè curandum: licet quippe pauca gravia, ſuccique plena præfari.

Antiquorū exordium.

D

E

Exordium, quale eſſe debet.

Exordium quando, & ubi omittendum?

F

CAPUT IV.

Adhortatio ad calcem adhibenda.

QUI dicunt appoſitè ad perſuaſionem, orationis contextu intellectum illuſtrant. Reliquum ergo eſt, ut voluntatem inflamment. Etſi enim veritas ab auditoribus concepta voluntatem urgeat, eget tamen ope dicentis ad difficultates pervincendas. Concionator verò poſtquam in concionis corpore rationes diſpoſuit, & pro virili virtutem perſuaſit, opportunè hortatur, obſecrat, increpat. Congruit nempè ordo hic hominis ingenio, cui ſi quid boni perſuaſum ſit à ſe quoque ipſo, mox agit de illo exequendo, hortatur, imperat; quæ certè doctrina philoſophica eſt. Ne verò pars hæc imperfecta remaneat, ſapientis concionatoris eſt, non modò exhortari, ſed media quoque præſcribere, quibus auditores utantur ad id, quod perſuaſum eſt, exequendum. Exemplum eſto: Dictum fuit de abſtinentia colenda, rationeſque ad eam perſuadendam efficaces productæ. Tunc prædicator reſponſurus votis populi velut rogantis, ecquid ergo agendum? ſubiicit modos aliquos interdicendi ſibi lautiores dapes, quantitatem diminuendi, voluptatem cibi, potuſque piis cogitationibus aliò intentis extenuandi; aliave ſimilia, quæ concionem mirificè perficiunt, quod juxta Italicam concionis partitionem, in parte ſecunda peropportunè fit, ita ut pars prima exordium, thematis tractationem, adhortionemque complectatur: ſecunda mediis præſcribendis deſtinetur, & quidem ad hunc

Voluntatis motio.

G

H

Prima, & ſecunda Concionis pars, quid in illis agendum?

Scrip. An. 1610.

modum prædicator partes officii explet, & ut verus doctor auditores ita dimittit inſtructos, ut norint quid agendum, velint id prorſus exequi, mediiſque propoſitis uti decernant. Hîc lector, precamur, tantillum cunctetur, judicetque quàm ſint pauci Concionatores, qui officio ſatisfaciant. Hîc de epilogo, qui ad memoriam auditorum adiuvandam ſubiici ſolet, nihil diſſerimus. Si enim diſtinctè dicatur, juxta Italicam præſertim partitionem, epilogus parùm, vel minimè neceſſarius eſt, ſat quippe imprimuntur memoriæ puncta pauca benè diſpoſita, atque perpenſa.

A

CAPUT V.

Quot puncta expendenda in ea diſpoſitione, quam hucuſque quatuor capitibus expreſſimus.

VArias de re hac ſententias audivimus: illa verò nobis præ cæteris probatur, quæ unum, vel duo puncta penſitanda fatetur. Si enim res dignè tractandæ, digerendæ, amplificandæ ſint, vix id exiguo illo tempore licebit. Accedit hùc ipſa tractationis forma, quæ ſit rationibus, & multiplici conceptu componenda, & (uti diximus) in ſcopum dirigenda ſit, ut oratio ſit nervoſior, altiùſque imprimatur, non fert minutum illud, & tam ſæpe mutatum, ac interciſum plurium capitum agmen. Et quidem, ſi punctum penſitetur unum, puta, patientiæ, vel abſtinentiæ cultus, liquet, diſpoſitionem quam hactenus tradidimus, eſſe appoſitiſſimam. Si duo nequit diſpoſitio illa tam exactè, ac integrè, quoad ſingula puncta procurrere. Erit autem ſatis arti conſonum, in ſingulorum tractatu ad prædictam diſpoſitionem pro temporis menſura quoad fieri poſſit, accedere: ut ſcilicet ſingula aſſerta breviter probentur, ſuadeantur, & adiectis hortationibus auditores urgeantur ad res prorſus modis præſcriptis exequendas, quod ad calcem primæ, & ſecundæ partis juxta Italicam diviſionem præſtari poſſet.

B

Tractationis forma quomodo componenda?

C

CAPUT VI.

Traditur aliud diſpoſitionis genus.

COnſtat certè illud diſpoſitionis genus, quod hucuſque traditum eſt, non omnibus ingeniis congruere: nonnulloſque concionatores, non abſque lepore, & fructu probatum aliud genus exercere, id eſt, non unum, vel alterum thema ſibi digerendum proponere, ſed è textu Evangelico breviter per partes expoſito, rationes, conceptuſve morales numeroſiùs in ſingulis concionibus ducere, & in auditores derivare. Hi ergo ea, quam deſcripſimus, diſpoſitione uti minimè ſolent. Rectè tamen agent, ſi in ipſo ſuo dicendi genere, ſeſe formæ præſcriptæ quadantenus adaptaverint, præmiſſoque exordio ſcopum ſibi præfixerint, ac rationes ad perſuadendum ita connexuerint, ut paulatim creſcat oratio, minuſque firmis argumentis firmiora ſuccedant. Ingenia ergo diſcernenda, & exercenda: & facto periculo, is modus ab unoquoque probandus, quem utiliorem experientia perſuaſerit: Annotandum hîc, hujus ſecundi generis diſpoſitionem variam eſſe pro multiplici ſacri textus differentia, nec ullo certo numero poſſe comprehendi.

Materiæ altera diſpoſitio.

D

E

CAPUT VII.

Quænam ſit optima diſpoſitio.

POnendum eſt, Concionem in ipſo textu Evangelico fundandam. Hoc vero bifariam factitari ſolet, ut ex dictis jam patere poteſt, aut enim ſelecta una, vel altera Evangelii ſententia ſumitur digerenda, & expendenda: aut ſumitur fere totus Evangelii contextus, bonavè pars, ut ejus vis penſitetur. In primo ergo modo, diſpoſitio optima erit, quam ſuperius deſcripſimus Cap. 2. 3. 4. ubi de ordine rationum ſenſim creſcentium, in unum ſcopum directarum, de exordio præmittendo, de ſubiicienda adhortatione, mediiſque præſcribendis actum eſt. Secundus modus ægrè poteſt, æquè ac primus formari, eodemque tenore procurrere, ut in capite proximo indicatum eſt, cum Evangelicus contextus varias formas admittat: nunc parabola, nunc hiſtoria eſt; nunc rationes ad unum ſcopum tendentes, nunc diverſa virtutum, vitiorumve capita tanguntur. Nunc ipſe textus adhortatio quædam, nunc reprehenſio eſt &c. Nequit ergò una forma præfigi. Illa verò ſemper modi hujus idonea diſpoſitio, quæ texui congruit: illa optima, quæ ita texui conguit, ut ejus partes connexas oſtendat, alias ex aliis deducat, & in unum ſcopum dirigat, atque ad mores derivet. Et quidem primus, quem ſuperius tradidimus, diſpoſitionis modus non eſt adeò difficilis: facilè quippe videtur, themate uno propoſito, materiam variam è communibus locis, è libris, ex alienis concionibus ad libitum petitam diſponere, atque ad ſcopum dirigere. At ſecundus modus, qui ita textui hæret Evangelico, ut partes contexat, & ordinet, difficilior eſt, qui non ſinit ingenium, quà velit, excurrere, ſed ad contextum coercet, ad cujus ordinem inveniendum, parteſque connectendas, ſæpe multum dexteritatis, operæque requiritur. Hîc modus provectorum eſt, quamvis, & primo provecti fœliciter utantur, & ad ſecundum minùs provecti aſpirare debeant. Hic annotandum aliud eſſe textum Evangelicum abſque multa artis peritia, & partium connexione, velut in fragmenta diſſipatum explanare (ut ſolent ii, quos Poſtillatores appellant) aliud Evangelici textus filum invenire, ac ducere, partiumque texturam oſtendere, & auditoribus aptare, qui eſt ſecundus optimæ diſpoſitionis modus à nobis modo deſcriptus: in quo, qui invenerit eam diſpoſitionis formam conſertam, in ſcopumque di-

Concio ubi fundanda?

F

Modus ſecundus, qualis?

Quæ modi hujus diſpoſitio?

G

H

Secundus optimæ diſpoſitionis, modus, qualis?

Scrip. An. 1610.

directam, quam in modo primo propoſuimus, porrò perfectiſſimè omnium diſpoſuiſſe cenſendus eſt.

* * *

PARS QUARTA.

A

De Elocutione.

CAPUT I.

Attingitur elocutio in commune.

Elocutio quid?

ELocutio nihil eſt aliud, quàm materiæ inventæ, ac diſpoſitæ expoſitio, vel exornatio, quæ ſententiis, verbiſque componitur. Sculptores rudia marmora è monte cæſa in officinam important, & prægrandem ſtatuam molientes hoc marmor capiti, hoc brachio, illud cruribus, illud corpori deſtinant, parumque polita committunt: mox perficiunt, ac lævorem inducunt. B Sic etiam Concionator materiam primùm exquirit, ſtatim in unius quaſi ſtatuæ partes diſtribuit, conjungitque: demum ſententiarum, ac verborum exornatione perficit. Qua certè in re turpiter à multis parum Apoſtolicis Prædicatoribus erratur. Abutuntur exornatione, ac ſi apud Athenienſes, aut Romanos antiquos ignaros Chriſti dicere aſſueverint. Floſculos argutarum ſententiarum inſpergunt, figuras, tropoſque manifeſto artificio venditant: quibus certè ſtudiis Dei verbum adulteratum ipſos ſpecioſos locutores vanitatis arguit, auditoribus vanis placet quidem, at minimè prodeſt, viris verò cordatis vehementer diſplicet. (Verbi Dei adulteratio quibus ſtudiis fiat?) Et quidem, rationibus aliis prætermiſſis, C quid opinemur de homine, qui tempus non modicum impendit vulgaribus verbis ſimiliter cadentibus, veritus ne non ſimiliter cadant? Quid de homine, qui artificioſè verba reſumit, ut alia aliis gradum ſtruant, longaque ſerie repetita tinniant? An credi poſſit ſpiritui Chriſti hæc ingenia congruere? aut pectoribus auditorum quid ſanctum imprimere? Reſpuant vanitatem hanc, & muliebrem affectationem viri graves, Spiritus Divini organa, Chriſti tubæ: & ſanctè ſancta pertractent. Concio ergo exornanda Scripturæ Sacræ, Patrumque ſententiis ſelectis, aliiſque id genus, & ſermone caſto, ut mox dicemus.

Concionis ornatus, qualis?

D

CAPUT II.

Qualis eſſe debeat exornatio ſententiarum.

PRaeter ſelectas Scripturæ Sacræ, Sanctorumque ſententias, quæ concioni interſerendæ ſunt, prædicator eniti debet auctores graves imitari, qui ſcripta ſua ſententiis appoſitis è matura mente productis exornant. Obſervet Ambroſium, Gregorium è noſtris, ex alienis Senecam, Plutarchum, quorum ſcripta quot periodos, tot penè ſententias perquàm fructuoſas exhibent; aſſueſcatque ita dicere, ut non verborum agglomerator ſive coacervator, ſed gravis rerum expenſor videatur. Fatemur rem hanc ſublimem eſſe, mentiſque caniciem expoſcere: at Chriſti Præcones oportet mentis eſſe maturæ, licet ætate juniores: E quod de Clariſſima Virgine, & Martyre Agnete, in cujus feſto hæc ſcribimus, memoriæ proditum eſt, in hæc verba: *Infantia quidem computabatur in annis; ſed erat ſenectus mentis immenſa.* (In ejus officio.) Sint animo ſenes, qui pro Chriſto legatione funguntur: rem cogitent, conentur, aggrediantur: opem divinam implorent, & conciones ſententiis ſatis exornabunt.

CAPUT III.

Verborum exornatio qualis.

SErmo ab ſcriptoribus antiquis in grandem, mediocrem, ſive temperatum, argutum, ſive minimum diviſus fuit. Grandem è noſtris exercuit S. Leo, temperatum plures, è quibus S. Gregorius, F argutum plurimis in locis B. Auguſtinus. (Sermonis genera.) Grandis procedit graviter, velut armatus: mediocris excurrit leniter: argutus paſſim inciditur, & acuitur. Congruit ſermo varius ingenio vario: nam aliud à natura in granditatem, aliud in mediocritatem, aliud in argutiem propenditur. Alia ſunt ingenia, quæ in omnem ſermonis gradum, uſumque flectuntur. Hîc autem cùm populi ratio habenda ſit, is ſermo à Concionatore ſeligendus, qui popularibus quadret ingeniis, temperatus ſcilicet, pervius, uſitatus, ut plurimum caſtus, at minimè expolitus, nedum affectatè concinnatus. Certoque ſibi perſuadeant Concionatores, minùs malè barbariſmum, quàm Atticiſmum Chriſtianis auribus inſonare. G Porrò Apoſtolici prædicatores, qui hac ætate in Italia claruerunt, vix Italicè norant, quos, & nos audivimus. Alios fama vulgavit, quod eleganter, facundeque dicerent: at hos, ut oratores potiùs, quàm prædicatores celebrari, inter rei conſultos conſtitutum eſt. (Oratorũ, & Prædicatorum diſcrimen.) Conſtat præterea nobis ultronea confeſſione coram facta, & fido quoque relatu, doctiſſimos concionatores, qui verba olim expolierant, re poſtea perpenſa, & ſumma deteſtatione improbata, cum provectiores jam eſſent, ipſa præſertim mortis hora vehementer doluiſſe, aliosque prædicatores accerſitos, obſecraſſe, ne quid ejuſmodi committeret. Quocirca rem hanc Chriſti præcones H altè contemplentur, Apoſtolique meminerint aientis: *Non in ſublimitate ſermonis.* (1. *Cor.* 2. 1.) Neque ſe ſinant ex hac mente deduci, quod Patres multi eleganter ſcripſerint, aut concionati quoque fuerint: linguæ quippe, ac populi, & tempora diſcriminanda ſunt. Certè Græcus, ac Latinus ſermo fert plurima, quæ in vulgari idiomate, ſine affectationis nota exerceri minimè poſſunt.

CAPUT IV.

Artificium eſſe celandum.

Ars celanda

ET artis ratio, & functionis Apoſtolicæ gravitas exigit, ut artificium celetur: occultum quippe proficere, apertum officere exploratum eſt. Retia ita tendenda, ut animantia inopina laqueos incurrant. A Caveant ergo Chriſti Concionatores, ne videantur artificioſè venari: ſed ſi quid ex arte nectant, quod fieri decet, obtegant, ne detectum dedeceat. Divina potiùs gratia, quàm arte, ſe quicquid attentent, ſperent effecturos.

CAPUT V.

Quis Concionator eloquens.

Facundiæ, & eloquentiæ diſcrimen.

FAcundia profert verborum copiam; eloquentia verborum, perſonarum, rerum proportionem obſervat. Quocirca errant ii, qui mox ac prædicatorem exuberantia verborum inſignem audiunt, eloquentem dictitant. Nihil ab eloquentia longinquius. B Ergo vir eloquens eſt, qui ſapienter loquitur: ſapienter autem loqui nequit is, qui ſeipſum perſonis apud quas dicit, res verò, & verba, quæ profert, & ſibi, & iis apud quos dicit, minimè coaptat. Horum ratio eſt, quia niſi hæc omnia obſervet, deeſt proportio, deformitas eminet. Exemplum eſto; Statuamus, aliquem auſteræ vitæ profeſſorem ex iis, quos Religioſos reformatos appellamus, in concionis textura, ſtudium verborum ſimiliter cadentium oſtentare. Porrò ea verborum cura cum veſte, quam geſtat, qua mundi contemptum præfert, cohærere nequit, ac proinde inter dicentem, ac verba non proportio, ſed diſcrepantia cernitur: quapropter is vir eloquens C eſſe nequit. Exemplum ætatis: Si quis ætate provectus, res nimium philoſophicas, aut politioris litteraturæ coloribus pictas promeret, eloquens eſſe non poſſet, cum ætati dicentis neutiquam congruerent. Exemplum verborum, ac rerum. Si quis res quoque utiles inutilium verborum conglobatione, ac repetitione proferret, legem eloquentiæ violaret, cum verba rebus parùm conſentirent. Ex his efficitur, ut perquam raro Concionatorem eloquentem, non ita raro facundum invenias. Certè in tanta ætatis penuria is ad eloquentiam propè accederet, qui res paucas, graves, utiles, benè diſpoſitas, atque perpenſas, temperato ſermone, qui audientibus, dicentique D congrueret, appoſitè ad perſuaſionem depromeret.

Exemplum ex Religioſo auſteræ vitæ petitũ.

Ex ætate.

Ex verbis, ac rebus.

CAPUT VI.

Quis uſus triplicis dicendi generis.

Triplex dicendi genus, & quale?

TRiplex dicendi genus antiqui oratores diſcrevere, demonſtrativum, deliberativum, judiciale: demonſtrativum ad laudem, deliberativum ad perſuaſionem, judiciale ad actionem, ſeu defenſionem. Ex his tribus generibus tertium, quod olim coram judicibus exercebatur antequàm pronuntiarent, prædicatoribus minimè quadrat. Primum, quod ad laudes attinet, in Chriſti, Sanctorumque Feſtis is exercetur. Secundum eſt ſine exceptione uſitatiſſimum, & omnino neceſſarium: ſemper quippe Concionator E agit ad perſuaſionem boni, ac dehortationem mali: quod adeò eſt universè verum, ut & dum genere demonſtrativo in Sanctorum Feſtis utitur, debeat encomia illa ad perſuadendam imitationem, cultumve Religioſum dirigere. Ex quo efficitur, ut prædicator ab oratore diſcernatur, quòd orator exercet ſimplex genus demonſtrativum, prædicator ſemper demonſtrativum deliberativo permiſcet. Quemadmodum enim extra orbitas artis abiret orator, qui auditores ad imitationem hortaretur, cum ars nihil exquirat aliud in genere demonſtrativo, quàm rem laude dignam, grandem, mirabilem oſtendere, ſive demonſtrare: ſic prædicator in artem peccaret ſuam, ſi ita Sancti cujuſpiam præconia efferret, ut F auditores non hortaretur, aliquidque ab eis præter admirationem requireret. Diſcrimen hoc attentè obſervandum eſt.

Oratoris, & Concionatoris diſcrimen.

CAPUT VII.

Demonſtrativum genus temperanter exercendum.

ELocutio, quam parte quarta hac tractandam ſuſcepimus, in genere demonſtrativo ſuas vires exerit, & per campum laudum floribus vernantem licentiùs vagatur: quocirca temperanda eſt, ne in oratoriam licentiam degeneret. Hyperbole vitanda, ut laus ſyncerior, ac ſolidior ſit, uti gravitatem Apoſtolicæ functionis decet. G Conſtat quippe ingenia, quæ in hyperbolem proclivia ſunt, eò plerumque ferri, ut corrigi debeant: prudentiſque laudatoris eſt, dicenda perpendere, ac luxum præſecare, ut præcaſtigata lingua, dum incaluerit, metam tranſilire non audeat. Huc ſpectat admonitio, ne Chriſti prædicator faciliter utatur genere illo demonſtrativo, quod ſolet appellari contentioſum dicendi genus; quando videlicet ad Sancti alicujus præconia depromenda, aſſumitur Sanctus alter clariſſimus, cui primus probetur æquari. Res inexplorata, & invidioſa eſt, niſi parcè admodum cautèque uſurpetur. Et quidem, cùm via hæc ſcopulis prætexta ſit, neque concionator eam carpere cogatur, ſalubrius foret ſine contentione laudare, H abſtinereque à verbis, quæ æqualitatem, aut excellentiam præferrent. Huic verò doctrinæ, conſiliove non obſtat comparationis uſus, dum Sancti, quos Eccleſia aliis prætulit, laudantur: tunc quippe inferiorum præconia appoſitè aſſumuntur, ad altiorum laudes extollendas.

Hyperbole vitanda, & cur?

Cõparationes invidioſæ.

Scrip. An. 1610.

CAPUT VIII.

A quibus Capitibus Sancti præſertim laudandi.

A

Sanctorum laus.

REſponſio in promptu eſt: ab iis nempe capitibus, quibus vera excellentia, hoc eſt, vitæ Sanctimonia conſtat: quod oculate animadvertendum. Geſta quippe Sanctorum, quæ gratiis gratis datis tribuuntur, puta miracula, vaticinia, converſio infidelium &c. ſatis clareſcunt, & externo ſplendore ſeſe commendant: dexteritas verò concionatoris in his extollendis non adeò laude digna, ac in eruendis in lucem virtutibus, quibus ſanctitas vera conflatur, in iis penſitandis, amplificandis, animoque auditorum ad imitationem imprimendis. Divina ergo charitas, patientia invicta, humilitas altè defixa, excelſa mundi contemptio, fida obedientia, intemerata caſtimonia, & eximiæ virtutes aliæ ampliſſimam exornationis materiam, tamquam lætiſſimos flores in horto peramœno producunt.

B

PARS QUINTA.

De Amplificatione.

CAPUT I.

Deſcribitur Amplificatio:

Amplificatio, quid?

C

AMplificatio proprio ſignificatu accepta, nihil eſt aliud, quàm rei ſtrictæ laxatio: & ad orationem traducta, eſt quædam thematum, ſententiarumque expanſio, vel extenſio, quæ plurimum energiæ, ac voluptatis habet: ut merito celebrentur, qui amplificandi arte præcellunt. Debet ergo concionator huic addiſcendæ operam navare per ſubiecta præſertim documenta.

CAPUT II.

E locis petenda amplificatio.

D

Quomodo exercenda?

QUI rationem inveniendi, argumentaque è communibus locis ducendi, quam ſuperius tradidimus, bene novit, is profectò amplificandi rationem non difficulter perſpectam habebit. Si enim, ubi agitur de obedientia (quod exempli gratia proferimus) norit prædicator genus, differentiam, cauſas, effecta, comitantia, contraria &c. perpendere, porrò obedientiæ virtutem pulcherrimam apparere, auditoribus perplacere, animos allicere, copia rationum, apta methodo, & incremento, & rei, quæ non adeò ſuam prodebat amplitudinem, extenſione, ubertim efficiet. Ergo ubi dicendum erit, concionator ſententiam Evangelico textu ſumptam, per communia locorum capita pertractet, exenteret, fila quaſi ducat, &, quæ in ea inſunt, ſpectanda auditoribus exponat.

CAPUT III.

Exemplum amplificationis ex aliquot locis petitum.

E

Deſcriptio.

F

STatuamus Concionatorem de Chriſti paſſione dicere, velleque ſententiam illam, Ecce homo, amplificare in hunc modum: Expendite Auditores, quale ſpectaculum vobis proponatur, mecumque rem mirabilem contemplamini. Noſtis quid ageretur, quid populus Judaicus moliretur, cum imago hæc oculis impiorum apparuit. Satis in Agnum illum mitiſſimum ſævitum fuerat, verberibus diriſſimis, amariſſima irriſione, corporis nudi frigore, cutis diſciſſione, laniatu carnis, & horrenda deformatione, quæ ad commiſerationem ſaxa quoque molliret. Sic ergo lacer, concreto ſanguine, deformis, frigore tremens, peneque animam exhalans, è ſublimi loco ſpectandus populo furenti è platea intuituro proponitur, Ecce homo. Hucuſque deſcriptio, nunc adiicienda amplificatio, ad hunc modum.

A genere.

Spectaculum certè hujuſmodi, quicumque homo proponeretur, foret ſanè miſerrimum. Quis enim adeò ſit humanitatis expers, qui ex hoc ipſo capite, quod homo ſit, non apertè perſpiciat: dolendum vehementer, ſi quis alius ejuſdem naturæ conſors tam crudeliter laniatus oculis obiiciatur? Quin etiam, quis adeo immitis ſit, qui animal rationis expers adeo dirè ſaucium, ſine compaſſionis motu poſſit intueri?

A differentia.

G

Et tamen homo iſte, quem Pilatus exhibet, non quilibet vulgaris homo, ſed hominum, & Angelorum Rex eſt: non eſt purus homo, ſed ſempiternus quoque Deus, cujus Majeſtatem Seraphim verentur. Cui acclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. facie velata ob excelſiſſimam ejus magnitudinem. Quomodo ergo ad conditionem abiectiſſimam devolutus eſt?

A cauſa finali.

H

Et quidem mirandum, quòd unigenitus Dei Filius eò deſcenderit, ut quaſi viliſſimus vermis protereretur, ſperneretur, & neminem haberet adiutorem: at illud planè ſtupendum, quòd ſummam dolorum lethalium acerbitatem, extremamque ignominiam ferret pro illis ipſis, quorum oculis exponebatur, nec ferrea pectora illa ullo humano ſenſu mulcerentur, ergonè mitis, ac innocens homo iſte, qui pro furenti populo laceratur, & irridetur, non commoveat illorum latronum viſcera, cum eos redimere cogitet, & quò immaniùs ceditur, eò ampliùs miteſcat?

A cauſa materiali.

Jam verò ſi hominis iſtius cauſa, ſive ſupplicii, & ludibrii tanti materia, æquo judicio penderetur, ecquid, rogo, mali perpetravit? Certè curavit ægrotos, leproſos mundavit, cæcis viſum reſtituit, mortuos ad vitam revocavit. An hæc tam ſeveræ ultio-

Scrip. An. 1610.

ultionis materia ſit? Quid, quòd divinam veritatem nunciavit, quæ ad veram, beatamque vitam eſſet perductura feroces illos inimicos, ſi vellent conciliari ei, quem odiſſe maluerunt. Quid ergo mali fecit? Profectò Pilatus palam teſtificatus eſt, ſe nullam cauſam invenire in homine iſto, quantumvis hoſtes acerrimi ipſum accuſarent, A & cœptis criminationibus impatienter inſiſterent. Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Deus filiam Syon, Civitatem inquam illam, quam in cognitione ſui Redemptoris excæcari permiſit?

A contrario

Quid autem vobis videtur de lapideis cordibus efferatorum hominum, qui ad commiſerationem Chriſti neutiquam flectuntur? Non dubium, quin judicetis, duriora lapidibus corda illa extitiſſe. At pergite, æquaque lance librate optionem eis à Pilato datam, mallentne Chriſtum, aut Barabbam ſupervivere? Profectò contraria duo longiſſimè diſſita à Pilato propoſita ſunt, ut pectora illa veritati obluctantia evidentiſſimo diſcrimine pervinceret. Viſum quippe eſt homini quantumvis ethnico, rem ſanè B in comperto eſſe, Barabbam ſeditioſum, latronem, homicidam non poſſe non ad necem poſtulari, ſi cum Chriſto innoxio compararetur. Hac ergo fiducia erectus, urgente conſcientia, expendite, quo ſenſu dixerit, Ecce homo. Quid ergo reſponſi accepit? Quid reſpondes popule divinæ legis, & Prophetarum oraculis exculte? Quid reddis pro cultura antiqua, & pro recenti ſanguine Dei tui? Tolle, Tolle, crucifige, crucifige, non hunc, ſed Barabbam &c. O duritia tartarea? Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc: Intuemini ſpectaculum, Ecce homo. Ex hoc liquet exemplo, è locorum ſedibus amplificationem oriri, debereque Concionatorem è verbis ſacri textus plurima argumenta ibi latentia, C in lucem producere, ut ſapienter, ſive eloquenter ſententias expendat, & amplificet.

CAPUT IV.

Amplificatio petenda è circumſtantiis.

Circumſtantiæ rerum, quas digerendas Concionator aſſumpſit, conferunt non vulgariter ad amplificationem, ut è proximo patet exemplo: Ponamus Concionatorem de Chriſti Crucifixione dicere velle, penſitareque verba illa & crucifixerunt eum: Poſſet primum amplicare rem hanc ſanè grandem argumentis è locorum ſede promptis, eodem ferè modo, quo in capite proximo uſi ſumus in verba illa, Ecce homo. D Nunc verò illis prætermiſſis, circumſtantiæ adiiciendæ, quæ vel in ipſo Chriſti corpore, vel juxta, vel in univerſi mundi commotione cernuntur. Prædicator ergo populum ad Chriſti crucifixi amorem, & peccati, quod expiavit, deteſtationem hortaturus, in hunc modum eloqui poſſet: Contemplamini, Auditores, Redemptorem noſtrum è ligno pendentem, ut tam eximiæ charitatis jaculis ſauciemini, ut culpam, quæ horrendo Unigeniti Filii Dei ſupplicio eluitur, deteſtemini. Aſpicite pedes illos, Circūſtantiæ corporis qui numquam divinæ legis metas exceſſere, confixos, ac ſi pedes forent mancipii catenis revincti, cujus fuga timeretur. Intuamini manus, quarum attactu tot miracula patrata ſunt, diris clavis trajectas: nam terra, E quæ primo Adæ ſpinas, & tribulos germinavit, ſecundo Adæ clavos refudit, quibus manus ſui cultoris tranſverberaret. Quid vobis videtur de Capite illo, ubi divinitatis arcana latent? Siccine coronatur caput, quod Joannes Baptiſta non audet attingere, & quod Angelorum agmina venerantur? Hoc certè diademate nos Regem noſtrum peccando redimivimus. Cur Crucifixum non colimus, illique non ardentiſſimè adhæremus? Porrò perpauci aſſiſtunt Redemptori animam exhalanti, quod immanitati vertendum eſt.

A circumſtantiis externis.

Hinc inde duo pendent latrones, ut, & ipſe latro exiſtimetur, qui quæ non rapuit, affluenter exolvat. At iſti blaſphemiis illum proſcindunt, F quo quid miſerius excogitari poſſit? Quid, quòd ejus inimici, velut urſi, lupive inſtant morienti, & improperiis amariſſimis innocentem divexant? Ergonè fieri poteſt, ut hoſtes licet crudeliſſimi Agno obeunti non parcant? Quid quæritis proditores? cur mori feſtinantem urgetis? Satis pugnatum eſt. Jam illum patibulo affixiſtis: ecquid cauſæ ſubeſt, ut ſerpentium linguas adverſus inſontem exerceatis? Ignoſcite tantæ manſuetudini, quæ adamantem emolliret. Ille, ut rigentes cervices domet, enixè precatur Clementiſſimum Patrem ſuum, vobis ignoſcat: & vos furere pergitis, & tela venenata in amicum veſtrum intorquetis? Audite voces illas intermorientes è rauco pectore prodeuntes ad reprimendam iram Dei, ne vos G uti vorax flamma depaſcat: & quieſcite, amoreque mutuo immenſam charitatem repenſate. At illi morientem vellicare pergunt, & contumelioſiſſima verba profundunt. Quid agis popule Chriſtiane? Tu ſaltem redama Salvatorem tuum, qui clamitare videtur: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

A circumſtantiis aliis commotionis.

Numquid non animadvertis ſolem deficere, terram inſolitis motibus concuti, ſepulchra aperiri, templi velum dirumpi, petras collidi, mundumque univerſum eclipſi horrenda Redemptoris noſtri dulciſſimi mortem lugere? Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Mundi machina clamare videtur: H Jeruſalem Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum. Peccatores, ſi qui adeſtis, quid cunctamini? quid agitis? Conſpiraſtis in mortem veſtri Regis? ergo ſaltem modò quieſcite, & vos piaculi tanti pœniteat. Summum hoc beneficium piè recolite benefactorem tantum diligite, & gratitudinis debitum vera imitatione re-

pen-

Scrip. An. 1610.

pendite. Hactenus amplificatio à circumſtantiis, quæ poſſet latiùs, longiuſque protendi.

CAPUT V.

Pars amplificationis magna ponitur in Sacræ Scripturæ locis expendendis.

A PRæclarè aget concionator, & ad fructum, & ad voluptatem, ſi teſtimonia Scripturæ Sacræ, quæ prompſerit, non curſim tetigerit, ſed hinc inde verterit, ac reverterit, digeſſerit, & in partes diducta ponderaverit. Exempli gratia: Sumit Prædicator illud Matthæi, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; & in hunc modum effatur: Inſonuit veſtris auribus, auditores, dulciſſima vox Chriſti vos invitantis, & ad ſeipſum permulcentis, non decet profectò vocem ſuaviſſimam labi ſinere, & vix aure acceptam evaneſcere. Expendamus ergo ejus vim, ut pateat, quo affectu debeatis vocanti reſpondere. Venite inquit. Animadvertite, vos à Chriſto vocari, ut accedatis ad ipſum, vocat, ut excitet, urgeat, permoveat. B Hæc vox eſt, cui mundi pars nobiliſſima ſuccubuit; nam ipſos Apoſtolos ſimili voce incitatos mundum abiuraſſe, Chriſtoque adhæſiſſe, Evangelica prodit hiſtoria. Vox hæc mortuos ſuſcitavit: meminiſtis quippe Lazarum voce ſimili vocatum, extemplò ad vitam rediiſſe: conſtatque, mortuos univerſos fuiſſe redituros, ſi Chriſtus in omnes eam vocem collimaſſet: nam & in ſuprema Judicii die, mortui, qui jacent ubique, audient ſimillimam vocem, & ocyſſimè reſurgent. Quomodo ergo, dum peccatores Chriſtiani, Evangelicum hoc verbum accipiunt, non eveſtigiò ad Chriſtum accedunt? Mirum eſt hoc: quin & inſigne prodigium, quòd vox illa virorum grandium victrix, & mortuorum excitatrix, peccatores Chriſtianos non pervincat. C Succreſcit autem admirationis ratio ſi terminum vocationis obſervetis: ait enim, Venite ad me. Si enim aliquis Pharao, vel Nero peccatores vocaret, non ab re metuerent capitibus propriis: nam tyranni illi non ſontes tantùm, ſed inſontes quoque necarent. At cum Clementiſſimus Dei Filius, qui eſt vita ipſa, peccatores vocet ad ſe, profectò non eſt cur formident, quippe qui invitantur ad vitam. Cur ergo refugiunt? Cur Chriſtum quaſi Neronem perhorreſcunt? Et quidem amor vitæ immenſus eſt, ipſique peccatores Chriſtiani fide divina credunt, ſe abſque Jeſu Chriſto vivere minimè poſſe, morteque ſempiterna interituros eſſe: Quale ergo monſtrum D eſt, hæc fide profiteri, vita ſcelerata pernegare? At dicent: timemus laborem. Verùm reſponſio hæc planè delira eſt, cum conſtet omnes mortales laboribus, & ærumnis prægravari, velleque Chriſtum eos exonerare, & libertatis prærogativa inſignire. Accipite Chriſti verba: Omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: ſi quis laboris expers foret, non dixiſſet Chriſtus, venite ad me omnes, qui laboratis &c. omnes vocat: omnes ergo laborant. Expendite rem: ex quo Adam peccavit, confeſtim cœpit laborare: anxius nimirum labor fuit, corporis rebellio, erubeſcentia, timor Dei ambulantis ad auram poſt meridiem, E fuga, abſconſio, ſollicita culpæ excuſatio, & jam inde prægustata mors. Hæc ad univerſos Adæ poſteros hæreditaria infœlicitate permanavit: atque idcirco nemo eſt, qui experientia ipſa compulſus non fateatur, ſe, uti Adæ filium, culpæque conſortem, laboribus plurimis arctari. Sed quid opus ſit, veritatem hanc rationibus aſtruere, cum nihil in plateis crebrius, quàm quotidianæ paupertatis, dedecoris, diſcordiæ, ægritudinum, periculorum, & multiplicis infortunii tragœdiæ? Res nimis comperta eſt. Verùm perpendite adjectum, Et onerati eſtis. Aſſerit enim Veritas ipſa, homines non modò laborare, ſed oneratos etiam eſſe, quod eſt profectò mirabile. Jumentorum, non hominum eſt onerari: familiariſſimumque eſt, ſervos ipſos, ſi quid oneris geſtent, ad laborem neutiquam urgere, F donec onus deponant. Quomodò ergo homines laborantes ſimul, ac onerati pinguntur? Profectò prodigioſa hæc vexatio ab hominibus ipſis ſponte quæſita eſt. Contemplamini peccatorem ambitioſum ſeſe aliis, à quibus honorari cupit, curvantem, ut oneretur: quid enim ſunt officia illa multiplicia, quæ in caput ſuum congeri ſatagit, niſi graviſſima pondera, quibus deprimitur, & in tartarum mergitur? Vix de uno rationem Judici ſupremo redderet; & tamen ſat onuſtus minimè requieſcit, ut graviùs oneretur, emit pluſquam quinque juga boum, quibus collum obligandum incredibili aviditate ſubmittit. Quid hìc de oneribus avarorum, & intemperantium attexam? Palam hæc pondera feruntur; ea cogitate, & pertimeſcite. G Ergo mortales laborant, & onerati ſunt: & tamen vocati à Chriſto, venire detrectant: Quod eò calamitoſius eſt, quò ſcopus ad quem alliciuntur, eſt delectabilior. Et ego, inquit, reficiam vos. Conſiderate, quorſum invitemini. Refectio, hoc eſt ſolatium, lætitia, ſatietas illa, cujus humanus animus eſt cupidiſſimus, vobis proponitur. Perſpectum eſt, vota veſtra expleri non poſſe, niſi vos Chriſtum convivio excipiat, atque reficiat. Ille hortatur, allicit, urget: cur igitur immoramini? Expedite vos ipſos laqueis mundi, & ad requiem intimam, Deique ſolatia feſtinate. Modus hic teſtimonia ſacra ponderandi, lepore, ac energia præpollet. H Debent autem pauca, propria, & ſelecta eſſe, ut dignè amplificari valeant; numeroſa quippe congeries arti parum congruit.

Matt.11.28.

Mortuorū reſurrectio in poſtrema die.

Mortales laboribus, & ærumnis prægravati.

Peccati originis triſtes effectus.

Exemplum ex peccatore ambitioſo petitum.

Vota hominum in quo plenè explenda.

CAPUT VI.

Indicantur modi alii amplificationis exercendæ.

MUltiplex amplificatio aliis ex capitibus cooritur. Concionator ille idoneus expenſor, & amplicator erit, qui (quod A jam monuimus) dederit operam, ut inter dicendum, majora minoribus ſuccedant, & ſenſim aſcendendo vires acquirat oratio. Ille quoque amplificabit appoſitè, qui argumentis à minori ad majus familiariter utetur; cujus certè argumentationis anſam paſſim arripiet ex iis, quæ mortales fluxorum bonorum gratia aggrediuntur: quos à Chriſti cultoribus æternorum bonorum cauſa ſuperari æquum eſt. Ille denique amplificabit efficaciter, qui tria bonorum genera, honeſtum, utile, delectabile frequenter producet, quod ad perſuadendum calcar immenſum habet. Concionator ergo in iis, quæ pertractabit, auditorum animos ab honeſto, utili, delectabili urgeat, & hortetur, & à contrariis malis dehortetur.

Altera amplificationis ſpecies.

B

CAPUT VII.

Proponitur amplificationis perfectio.

HI omnes, quos diſtinximus, amplificationis modi, hinc inde petitis, & orationi creſcenti intextis Scripturæ Sacræ locis, ſimilitudinibus, gravibus ſententiis, variiſque conceptibus explendi, poliendi, & augendi ſunt, ut amplificatio ſuis numeris abſoluta procurrat. Cui ſi accedat venuſta pronunciatio (de qua poſtea dicendum) profectò concionator, & impenſè animos afficiet, & cum voluptate ad pietatem permovebit.

Amplificatio perfecta quæ?

C

PARS SEXTA.

De memoria excolenda.

CAPUT I.

Memoria quomodo juvanda.

PArtem hanc breviſſimè expediemus: neque enim medicorum remedia, quæ fortaſſe forent plurima, huc accire conſilium eſt, ſed duo, triave adiumenta uſitata proponere. Ergo ſi quis memoriæ fragilitate, inconſtantiave laboret, ſi ingenium id D ferat, ſignis, characteribus, figuriſve quibuslibet utatur, quod vulgatiſſimum eſt. Memoria localis appellatur. Si figuræ non proſint, repetito labore conciones lectitet, & præcipua potiſſimùm capita, ſive puncta recolat, ut, velut impacta vi, ſaltem imprimantur, nam crebritate ſtudii hujus memoria exculta, quæ ſibi creduntur, retinere condiſcit. Nonnulli ſunt, qui concionem æquè, ac orationem Græcam, ſive latinam, ad verbum memoriæ imprimunt. Alii præcipua dumtaxat capita. Utriſque autem prodeſt, dum in tyrocinio verſantur, concionem integram perſcribere, & identidem lectitare, ad memoriam adiuvandam, vel augendam. E

Ad memoriam juvandam, quid?

CAPUT II.

Quomodo conandum, ut memoria retineat.

APpoſitum conſilium eſt, quo plerique uſi ſunt, quotidie aliquid, licèt exiguum, memoriæ mandare, nonnullas videlicet lineas, ex aliquo Scripturæ Sacræ libro, puta ex epiſtolis Pauli: ut conatus ille fructuoſior evadat, dum pars aliqua divini ſermonis conando imprimitur, quæ poſtea dicenti opportunè ſuccurrat. Laborem hunc experientia commendat, qui memoriam imbecillem adiuvat, firmam, ſidamve perficit.

F

CAPUT III.

Quid agendum, ſi memoria inter dicendum deficiat.

TImor concionem collectam diſiicit, & fugat: Libertas fovet, ac ſervat. Ergo quacumque de cauſa concio memoria excidat, nullam honoris jacturam faceret, qui libertate filiorum Dei utens, id ſubridens, palàm aſſereret, auditoreſque moneret, ſatis appoſitam, & ſalutarem concionem eſſe, oblivionem illam, quæ humanæ fragilitatis è culpa ortæ ſignum eſt: remque Deo acceptiſſimam eſſe nativæ miſeriæ cognitionem, quæ animum, ne efferatur, in officio continet. Profectò, qui ſic diceret, auditores mirificè inſtrueret, ac ſine ullo dedecore recederet: præſertim G cum pateat, viros eruditiſſimos memoriæ infirmitate laboraſſe. Hoc remedium primum. Secundum foret, ſi concionator providus univerſalia aliquot Paſſionis Chriſti, virtutum, vitiorum capita in promptu ſemper haberet: quæ ubi memoria deficit, arriperet, ac pertractaret. Et quidem, ſi memor eorum, quæ dixit, pro dicendis, quæ memoria exciderunt, poſſet abſque nota univerſale caput attexere, res proſperè cederet. Quod ſi neque jam dictorum, neque dicendorum memor, caput illud univerſale cum aliqua concionis parte non poſſet connectere; ad rem eſſet ſuſpirio aliquo vehementer efflato, aliovè affectu, geſtuque qui cogitationem aliquam gravem ſubeuntem indicaret, palàm dicere, velle ſe, nulla præſentis concionis ratione habi- H ta, quod Deus ſuggerere videtur, expromere. Porrò experimento novimus, memoriæ defectum, in publicis, & graviſſimis actibus, à nonnullis familiaribus noſtris, ad quemdam modum ſimilem his, quos conſulimus, ita ſimulatum, ut è conſeſſu frequentiſſimo nemo illum deprehenderet.

Primū memoriæ remedium.

Secundum.

Hæc

Hæc exempli gratia protulimus, quibus alia ſimilia excogitare operæpretium eſt.

PARS SEPTIMA.

De Pronunciatione.

A

CAPUT I.

Deſcribitur Pronunciatio.

Pronunciatio quid?

B

ORatores antiqui, pronunciationis nomine, venuſtam quamdam totius corporis, geſtuum, vociſque moderationem ſignificarunt. Hanc potiſſimam totius artis dicendi partem cenſuerunt, quòd cæterarum velut anima ſit. Et meritò quidem: dictio quippe, quantumvis ſelectarum rerum contextu, ordine, ornatuque præcellat, exanime corpus eſt, quòd bonæ pronunciationis afflatu vivit. Hæc ſi deſit, languet, jacetve oratio, neque auditoribus proficit. Hæc ſi adſit, ſermo minùs aptè diſpoſitus, ac è rebus quoque parum ſelectis fortuitò confertus, placet, ac prodeſt; quod experimentis creberrimis perſpectum eſt. Hanc ergo prædicator ſtudio multo, & frequentis admonitionis patientia conquirat, ſi artis peritia velit excellere.

CAPUT II.

Status corporis in Concionatore qualis.

C

Quos ritus concionator in ſuggeſto obſervare debeat?

HAbenda eſt ratio aſcenſus in ſuggeſtum, ne ſit præproperus, aut tardus. Cavenda perturbatio, quæ tunc confertim ingruens, ſolet motus incompoſitos excitare, & diſſipata memoria totum animum tenebris obruere. Ergo prædicator ſedatè aſcendat, vires animi colligat, & ſe, mox ut conſcenderit, altari profundè, ſtatimque populo aliquantum inclinet, mitique ſimul, ac gravi intuitu auditores lentè circumſpiciat. Poſtea tantillum interquieſcens, ritus ſolitos manus committendi, ſublevandi, ſeque Crucis ſigno muniendi exerceat. Quæ gratia exempli ita producimus, ut nihil certi de eorum rituum numero decernamus: illud tamen certi concionator obſervet, ut quos decentes ritus in morem inductos compererit, graviter ſimul, & comiter exerceat. Jam verò, ut attingamus id, de quo caput hoc inſcriptum eſt, ſtatus corporis debet eſſe rectus abſque colli erectione, ut virilem ſinceritatem repræſentet.

D

CAPUT III.

Motus totus corporis qualis.

E

IN ſuggeſto, vel ſtatur, vel ſedetur, vel accumbitur, vel in latera itur. De ſtatu diximus: ſeſſio decet, ubi leniter oratio decurrit, præſertim ubi docetur populus, ſive inſtruitur: ſtatus, ubi affectus invaleſcunt, acritervè dicitur. Cavendum, ne celeriter ſedeatur, ſive ſurgatur, quòd levitatis indicium eſt. Motus in latera, niſi compoſitè, & neceſſitate cogente fiat, neque arti, neque functionis gravitati congruit. Pulpita lata excuſationem prætexunt, quod altera populi pars ægrè audiat, oporteatque concionatorem quaſi ſaltu ſe huc, illucque librare. At quicquid ſit de excuſatione hac, profectò ſaltus illi parum decere videntur; præſertim cum abuſus irrepſerit, qui pleroſque prædicatores ſimiles efficit textorum radiis, ſive naviculis, quæ cum filo ſubtegminis in latera coniiciuntur. Optandum certè, ut pulpita anguſtiora fabrefiant, e quibus Concionator ita emineat, ut à circumſedente populo uno in loco conſiſtens cerni poſſit, & audiri. Poſitus quippe ille gravior, venuſtior, & gratior eſt, neque motibus incompoſitis obnoxius. Accubitus in ſuggeſtum dum familiariter dicitur, gratia valet, ac moderatè uſurpandus. Congruit Concionatoribus provectis, junioribus parùm congruit.

F

CAPUT IV.

Capitis motus, geſtuſque qualis.

Quid cavendum in motu capitis.

Quid in habitu corporis.

G

Vultus qualis?

H

PErmagna pronunciationis pars in capitis moderatione ineſt: quocirca res hæc obſervatione digniſſima eſt, motus, poſitus, vultus, intuitus expendendus, vocis doctrina in caput aliud rejecta. Cavendum ergo, ne caput in latera torqueatur corpore immoto, quod minùs decorum eſt. Si flectendum ſit in latera, vertatur & corpus. Poſitus, habituſve capitis ſit abſque affectatione rectus, neque in latera decumbat, quod eſt languidum; neque in pectus ſit pronum, quod eſt ruſticum; neque inter humeros detecto collo infixum, quod eſt toruum. Vultus ſit graviter lætus, & manſuetudinem præ ſe ferat. Gravitas requiritur, ut Apoſtolicæ functioni congruat; lætitia, ut gravitatem temperet, animoſque alliciat; manſuetudo, ut Chriſti magiſterium repræſentet. Et hæc quidem vultus expreſſio ad primum concionatoris in ſuggeſtum aſcendentis, ſeſeque ſpectandum exhibentis aſpectum exigitur: nam in Concionis excurſu, vultus pro varietate rerum variandus eſt. Lætus debetur rebus lætis, mœſtis mœſtus, gravibus gravis, familiaribus familiaris: ut qualem vultum prædicator oſtenderet, ſi rebus de quibus agit, intereſſet, talem præferat, dum eas pertractat, & velut ſpectandas obiicit. Affectationem tamen vitet. Quod de vultus lætitia in primo concionatoris aſpectu traditum eſt, licèt vulgò debeat obſervari, decet tamen iis temporibus, quæ ab Eccleſia timori, & luctui deſtinata ſunt, lætitiam celare, gravemque ſimul, ac mitem vultum præferre. Oculi cohibendi, neque tamen claudendi; ſed intuitus ſyncerus permittendus, qui nihil nimis humanum, aut accuracuratum, aut leve portendat. Nihil tamen dedecet, dum promitur aliquid alto ſenſu dignum, oculos tantillum claudere, mox aperire.

CAPUT V.

Motus brachiorum qualis.

A BRachia ita regenda, ut congruant iis, quæ dicuntur, & decorum, quod in mediocritate conſiſtet, cum venuſtate ſervent. Brachia in Exordio Concionis. Mox ergo, ac prædicator dicere auſpicatur, per aliquot periodos brachia contineat, vel ſub veſte ſuperiore, ſi ea utatur, vel manibus interiori labio pulpiti innixis, ita ut foras non emineant, appareantve auditoribus. Poſt aliquot verò, puta quatuor, quinque aut ſex periodos, dextrum brachium exerat, ſenſimque movere incipiat manu videlicet, ac digitis omnibus extenſis, aut pollice, ac indice commiſſis: qui certè geſtus pergratus eſſe ſolet. Poſtquam dextra manu uti cœpit ſiniſtram ſuper pulpiti oram, coronidemve coaptet, ut præſto ſit, & venuſtiùs ſublevetur, B ubi, quæ dicuntur, utramque manum exegerint. Cavendum tamen, ne (uti diximus) manus pulpito innixa pendula, vel contracta foras emineat, interim dum quieſcit. Jam verò dextera, quæ ſub initium cœpit lentè moveri, ut congrueret ſermonis primordio graviter, cunctanterque prolato, in ipſo ſermonis excurſu debebit urgeri: nam motus in ſermonis proceſſu concitatior eſt. In progreſſu. Tunc pro varietate rerum, quæ promuntur, manus omnibus digitis rectà extenſis, vel pollice, ac indice (ut monuimus) coniunctis, aliove modo decenter aptata, nunc in hanc, nunc in illam partem agenda, brachiumque aptè flectendum in modos varios, qui rebus conſentiant. Ubi obſervandum, ut cum periodi C deſinunt, manus quoque quieſcat, ne à rebus, & interpunctione ſermonis diſcrepet, quod eſſet planè deforme. Simile quiddam in ſcriptura cernitur, ut in periodi fine punctum figatur, cui reſpondet illa, quam diximus, manus quies, ſive motus intermiſſio. In orationis decurſu. In hoc autem orationis decurſu, ubi res id exigit, ſiniſtra manus aliquoties adhibenda, ne ſit iners, præcipuè ubi affectus invaleſcunt, qui vehementiorem commotionem requirunt, quod in ultimis concionum paulò poſt deſinentium partibus crebriùs factitari decet; motio autem ſiniſtræ, dextera quieſcente, niſi parciſſima ſit, neque naturæ, neque arti conſentanea eſt, in quo plerique frequenter peccant. Quæ cavenda. D Universè verò cavenda extrema, ne ſcilicet motio nimis velox, & frequens in hiſtrionum abuſum; aut nimis lenta, & rara in inertiam degeneret. Vitandus quoque creber plauſus, comploſiove manuum, frequens ictus pulpito illatus, & quilibet importunus ſtrepitus. Etſi enim hæc quandoque deceat, ubi rei alicuius grandis, puta graviter dolendæ ſenſus ingraveſcit: at neque decet, neque prodeſt frequens illa colliſio, qua plerique capita auditorum obtundunt, & animos tranquillè alioquin audituros exaſperant. Error eſt viris artis conſultis indignus; neque enim Oratio fit ſtrepitu illo efficacior ad animos flectendos, ac perurgendos.

CAPUT VI.

Vocis moderatio qualis.

E TAnti profectò ponderis eſt legitima vocis moderatio ut res dicendo æquari non poſſit. Norunt hoc auditores, in quorum aures, & animos vox clara, & velut argentea, juxta præſcriptum artis temperata, ſuaviter illabitur, & pectora mirificè inflammat; quod & tubarum clangor arte proditus in præliis efficit: quemadmodum obſervavit ille, qui laudavit

Miſenum Æolidem, quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu. *Virg. lib. 6. Æneid.*

Hoc ergo ſibi perſuadeat Concionator, vocem, uti decet, modificatam, ad victoriam animorum momenti plurimum habere. Conſilia ad vocis moderationem. Primum. Quocirca ſubiecta conſilia lectitet. „ Prædicator quiſque vocem propriam exploret, in locis ſolitariis vociferetur, exclamet, F attendatque, quo uſque vocem poſſit extollere. Hinc enim pendet vocis moderatio, ut ſcilicet certò norit, quonam tono punctove, concionem exordiri debeat, ut pro rerum diverſitate vocem in ſermonis excurſu variare queat. Secundum „ Vitet illud vitium, quod Græci *μονοτονίαν*, monotoniam appellant, quando ſcilicet vox tono æquali in vario ſermonis contextu procurrit. Rebus quippe vox aptanda eſt, ut conſonet, ac proinde nunc efferenda, nunc demittenda pro rerum modo. Tertium. „ Vitet cantum, qui nimium jam ſerpſit. Plurimi enim ita concionantur, ut quadam vocis flexura, criſpatione, aſpiratione variè canant, quod profectò inſuave eſt. G Vox ergo eodem ſono, quo familiariter, ac privatim loquimur, edenda: altiùs quidem, ut audiatur, at non aliter. Quartum. „ Incipiat mediocri tono, qui a conſeſſu poſſit percipi: caveatque initio duo extrema, vocem ſcilicet nimis demiſſam, qua non percepta, concionis quaſi caput deperditur; & nimis elatam, quæ pectus, fauceſque lædit, & ita exaſperat, ut dicentem paulò poſt penè deficiat. Quintum. „ Incipiat ſedatè, graviter, diſtinctè, ultimaſque ſyllabas exactè proferat. Sextum. „ In concionis excurſu vox aliquantùm concitanda, ita tamen, ut integra prolatio, verborumque diſtinctio conſtet. Septimum. „ Lenta prolatio, quæ orationis exordio congruit, proceſſui non ita quadrat: dubiæque controverſiæ eſt, utra ſit pejor, concitatio nimia, an nimia cunctatio. Utraque reprehenditur. H Octavum. „ Poſtquam Concionator rationibus pietatem perſuaſit, vel à vitio dehortatus eſt, decet vocem extollere, ferventer urgere, totaque corporis actione vehementiùs agere. Priſcorum quippe Oratorum ſententia, ultima ora-

Scrip. An. 1610.

orationis pars, affectibus jam excitatis, ferventior eſſe debet. Nonum. „ Solent à præclaris concionatoribus interdum emitti voces aliquæ inarticulatæ, ſive interjectiones, aut gemitus, ubi ſenſus alicuius myſterii, vel luctuoſæ cladis, aut enormium criminum, aliorumque ſimilium invaluit: quibus certè modis auditores penitùs commoveri ſolent, A præſertim ſi Concionator ſanctitatis fama clareſcat. Decimum. „ Cavendum ne ſingula verba ſeorſim, quaſi conando exprimantur, quod nonnulli parum ſuaviter efficiunt. Moleſta quædam parturitio eſt, quæ ſuavitatem orationis leniter decurrentis de medio tollit, ſermonemque minutatim intercidit. At ubi ſententia aliqua ſelecta, expenſione facilè digna occurrit, leporem habet illa verborum expreſſio cum conatu ad ſingula adhibito: modus quippe ille prolationis pauca verba ſelecta à reliqua oratione diſcernentis, ſingulare quiddam præ ſe fert, quod altiùs imprimitur. Undecimū. „ Cavendum, ne prædicator clamoribus, ſive exclamationibus importunis templa impleat. Clamor quippe rebus grandibus, & affectibus validis B congruit, atque idcirco communibus ſententiis, & ordinario concionis contextui conſentire nequit. Ergo, dum quid grande, æſtimatione dignius, ardentius &c. ſuccurrit, quadrat interdum elatus clamor, ſive exclamatio, ut cùm poſt æternitatem gloriæ, ac pœnæ ſatis ponderatam, editur vox contentior. O æternitas. Solent autem periti Concionatores, ubi vocem extulerunt, tantillum interquieſcere: quod ſanè confert, ut auditores clamoris impetu tacti, rem clamore dignam expendant. Conducit etiam, ne pectus, quod vocem validam exploſit, eveſtigiò verba reſumens lædatur. Duodecimū. „ Apoſtrophe, ſive converſio ad Chriſtum, & Sanctos, non paſſim uſurpanda, ſed rarò, & ubi affectus curſu orationis C exarſit: Ut cùm poſt recenſita enormia, & multiplicia hominum crimina, prædicator incaluit, & ſic Chriſtum interpellat: Uſquequò, Clementiſſime Jeſu Chriſte, patiens eris? Decimum tertium Conſilium. „ Prædicatores vocem clariorem, ſuavioremque ſortiti, Deo grates agant: qui vocem inſuavem, aſperamve à natura accepere, medicorum conſilio, remediis utantur, quæ proficere ſolent.

CAPUT VII.

Admonitio ad univerſam pronunciationem perficiendam.

D Pronunciationis perfectio.

ERE concionatoris eſt, ubi dicendi tempus imminet, res meditando ſic affici, quemadmodum cupit auditores afficere. Exempla producimus. Dicturus eſt de mundi contemptu: enitatur ergo internis actibus mundum excelsè aſpernari. Dicturus eſt de patientia: ſtatuat ergo quicquid triſte ingruerit, æquo animo perferre. Dicturus eſt de fuga, odiove peccati: concipiat ergo intimum culpæ odium. Si enim ſeriò in ſeipſo eos affectus excitarit, ut Concionatores Apoſtolici ſolent, profectò univerſam pronunciationem mirificè perficiet. Subeſt appoſita, & quotidianis exemplis comperta ratio, quam à prædicatoribus obſervari decet. Exploratum eſt, non viros tantùm ingenio pollentes, ſed obtuſos, ipſas quoque ſimplices mulierculas, ubi paſſio aliqua exarſit, geſtus apprimè proprios affectui egregiè congruentes exprimere. E Quis enim non fateatur, quas diximus mulierculas, ubi excanduit ira, vel odium excrevit, vultu, voce, manu, quid ſentiant, aptè admodum, ac ſignificanter repræſentare? Profectò res teſtata eſt; affectus videlicet illi nativa ſui ſigna proferunt, licet proprietatem hanc, qui affectus ipſos vehementes patiuntur, nimimè curent, aut deprehendant. Ergo Concionator impensè afficiatur ad bonum, penitus oderit malum, & quamvis artis peritus non ſit, modico ſtudio adiecto venuſtè, ac efficaciter aget. Conſulat quoque artis conſcios, ut quod deformiter agit, eorum conſilio corrigat: atque ad hunc modum, inſigniter proficiet. Denique prædicatorum geſtus decoros obſervet, ac imitetur, cauto, ne quicquid aliis decorum eſt, ſibi aſciſcat. F Sunt enim geſtus nonnulli fortuiti, quos uni venuſtos, aliis indecoros eſſe compertum eſt. Concionatores quippe clariſſimi ſingulare aliquid in actione uſurpare ſolent, quod minùs claris congruere nequit. Conſilio hîc opus eſt. Pro coronide ſeptimæ partis hujus lectorem monemus, perquam rarò, aut certè numquam inveniri Oratorem, aut Concionatorem, qui pronunciando, ſive agendo omnino non peccet: eoſque optimos in hoc genere cenſendos qui omnium leviſſimè peccant. Pronunciatores qui perfecti? Quapropter non eſt cur doleat prædicator, ſe in hac parte non inculpatiſſimè agere, modò deformitatem vitare ſtudeat: G neque enim auditores minùs proficiunt, quòd aliquem brachii, manuſve motum non adeò arti quadrantem aſpiciant.

CAPUT VIII.

Qualis eſſe debeat excellentium Concionatorum Imitatio.

EXpedit præclaros Concionatores imitari: at imitatio affectata nocet. Sic quippe imitationi ſtudendum, ut prædicator quiſque, quod in aliis imitatione dignum animadvertit, ſibi coaptet, ſuoque ingenio velut nativum efficiat. Si enim deſit hæc quaſi nativa conceptio, ſimulatum quiddam, & frigidum eſt. H Solent autem prædicatores perſpicaces, ex multis, quos audiunt, varia obſervatione, unam ſibi formam boni Concionatoris componere. Rarò autem feliciter res cedit, ſi quis inſignem aliquem Concionatorem per omnia capita velit æmulari: Ingenia quippe diverſa nequeunt in omnibus mutuò inter ſe congruere.

CA-

CAPUT IX.

Affectus quomodo excitandi.

PRonunciatio idonea ad affectus permovendos plurimum valet: quocirca hîc, ubi pronuntiationis tractatio clauditur, nonnihil de affectibus ſcribendum. Pervia ſunt A capita, quibus affectus excitantur. Amor quippe, ac deſiderium (quod exempli gra- Affectuum excitatio. tia proferimus) propoſita virtutis honeſtate, ac pulchritudine, odium, & fuga picta vitiorum deformitate, ſpes, piaque audacia repræſentatis gratiæ cœleſtis auxiliis, timor obiecta Judicii divini diſtrictione, tartari cruciatu, mortis horrore, aliique affectus expoſitis vulgatiſſimis Chriſtianæ diſciplinæ rationibus, vehementer incaleſcunt. Qua ſanè in re, non eſt cur Concionator ſeipſum excruciet modos inſolitos exquirens, quibus auditores gaudio, mœrore, timore, amore, vario artificio perurgeat. Enitatur potiùs (uti Cap. VII. monuimus) odiſſe & fugere ea, quorum odium, & fugam per- B ſuadere, amare ac optare illa, quorum amorem, ac deſiderium ingenerare cupit, & ad rem appoſitè, ac ferventer dicere: eritque præclarus affectuum excitator, abſque tædio prolixæ doctrinæ, quam de affectibus movendis ſcriptores nonnulli exiguo cum emolumento tradere aſſueſcunt.

PARS OCTAVA.

De ſelectis aliquot Conſiliis, C ad prudentiam, officiumque Concionatoris attinentibus.

CAPUT I.

Prudentia commendatur.

OMnino neceſſe eſt Concionatorem in graviſſima functione, quam obit, eſſe prudentem. Parabit prudentiam veteranorum conſilio, obſervatione, præmeditatione, & (quod caput eſt) prece, ac ſacri- D ficio. Conſtat certè prædicatores pleroſque multum ſibi tribuentes, loco, in quo feliciter agebant excidiſſe, Deo id permittente, quod nollent ſibi temperare, aliiſque Chriſti ſervis matura monentibus acquieſcere. Ex quo non abſque Satanæ lucro effectum eſt, ut eis prædicatio fuerit interdicta, & iis, quos concionando ad pietatem flexerant, in deteriora relapſi, ut nobis experentia compertum eſt. Ergo prudenter agendum, nequid nimis.

CAPUT II.

Non ſuadenda, quæ ſtatui repugnent.

NOtum eſt, prædicatores nonnullos modum exceſſiſſe, quaſi ſpiritu vehementi correptos, ſuadentes promiſcuè populo, neſcio, quæ accurata orationis, ac pœnitentiæ capita, quæ tametſi cælibes ut- E cumque ferre poſſent, coniuges non abſque ſtatus injuria ferventer arripuerunt. Ergo monendus Dei cultus diſcrimine oculatè adhibito, ac diſtinctiùs expoſito, ne vulgus aberret. At hîc cavendum, nequis prædicator tyrunculus ſibi è contrario perſuadeat, Concionatoris prudentiam in eo ſitam eſſe, ut Dei cultum ea ſuavitate, temperet quæ Chriſti Cruci minimè conſentiat. Medium quippe tenendum.

CAPUT III.

Concionis quantitas quænam eſſe debeat.

OMnes propemodum tam Concionato- F res, quàm auditores fatentur, Concionem debere brevem eſſe, ut proficiat. Oratio quippe prolixa, ex quo prolixitas cœpit, non modò non proficit, verùm officit, corporibuſque delaſſatis, quicquid boni collegerat, diſſipat, atque diſperdit. Res planè perſpicua eſt: neque exceptionem admittit, nam & ipſi prædicatores celeberrimi ægrè feruntur, ſi longè procurrant: iidemque ipſi, dum breviter dicunt, gratiùs audiuntur, auditoreſque futurarum Concionum avidos dimittunt, quod ſanè fructuoſius eſt. Accedit huc rei explorata proportio: quomodo enim à populo capienda, & digerenda ſit oratio prolixa? Certè ſat nutrietur, ſi moderata ſpiritualium eſcarum quantitate paſcatur. G Cum ergo ratio pervincat, De Concionis prolixitate, vel duratione. & univerſa vota in brevitatem conſpirent, prudentes Chriſti prædicatores conſiderent, ne populum moleſtia afficiant. Hora profectò integra, ſatis longa menſura eſt idoneo concionatori, inepto prælonga. Tres horæ quadrantes horæ intregræ à bonis æſtimatoribus præferuntur: at horam excedere, nemo (quod ſciamus) probat; præſertim ubi frequenter Conciones habentur.

CAPUT IV.

Reprehenſio temperanda.

HAbet hoc hominis animus, ut vellicatus H exaſperetur, atque refugiat, leniter admonitus non ita ægrè flectatur, & acquieſcat. Quamobrem is Concionator fœliciùs auditoribus prodeſſe ſolet, qui non adhibet crebras obiurgationes, ſed animos ratione inſtruit, rei honeſtate allicit, hortando urget, ac inflammat. Et quidem expedit nonnumquam reprehendere: Sed qui (uti diximus) crebris increpationibus non inſiſtit, magis multò proficit dum carpit. Habet

Scrip. An. 1610.

bet quippe comparatos animos, beneque affectos, ut à miti admonitore libentiùs, quàm ab aliis correptionem accipiant. Crebritas, & aſperitas reprehenſionum multis concionatoribus, ac populis nocuit. Iam verò ſi populus temperanter corripiendus, quis non perſpiciat, Principes, Eccleſiaſticos præcipuè, temperantiùs in hoc genere tractandos? Quod ad numerum, & A quantitatem pertinet, ſat eſt, ubi omnino reprehenſio adhibenda ſit, ſemel in concione una, & id quidem breviter agere: quod Concionatores animadvertant. Caveant, ne aliis prædicatoribus obtrectent: neve quæſtus ullius gratia Concioni querimonias admiſceant.

Quomodo adhibenda reprehenſio

CAPUT V.

Singulares actus, ſive Cæremoniæ vitandæ.

RArò ſingulares cæremoniæ probantur: rarò ita tolerantur, ut ſeverè non mulctentur. Sic profectò recentibus liquet hiſtoriis, eos prædicatores ſingulares ad examen fuiſſe vocatos, & à ſuggeſtis repulſos. B Populus, vulguſve initio commovetur, & oſtentatis crucibus, imaginibus, craniis, prædicatorique catenis, aut funibus religato acclamat, flet, æſtuat: Verùm ſonitus, ſtrepituſve ille paulò poſt deficit, ac in fabulæ argumentum vertitur. Satius eſt communi, probatoque more duci, & ſpem victoriæ, non in ſpectaculis, & tumultibus, ſed in Dei ſpiritu, & rationum Chriſti veritate nitentium energia reponere. Non tamen improbandum, ſi quis, exempli gratia in Concione Paſſionis Chriſti, ubi conſuetudo ejus cæremoniæ viget effigiem Crucifixi ſpectandam proponat: verùm id in morem inducere non videtur conſulendum.

C CAPUT VI.

Eleemoſyna quomodo poſcenda.

NON decet nimis premere, non decet exquiſitis modis, velut extorquere. Parùm grave, ac decorum eſt affectatè depoſcere, & inſtare. Non congruunt viris prudentibus quidam adjurandi modi elucubrati, ac prolixi, quibus nonnulli poſtulatores importuni nimis emungere, & ſanguinem elicere velle videntur. Ergo rei honeſtas, & neceſſitas ſyncerè proponenda, & ex animo piè, graviter, & ardenter commendanda. Si quid in Evangelico textu ad eam rem conferat, brevi indicetur: ſin minùs (quod crebrius eſt) res ſyncerè, D uti diximus, proponatur, ac breviter expediatur. Hoc quippe modo decorum ſervatur, & officii partes explentur.

De petitione Eleemoſynæ.

CAPUT VII.

Populus ſuaviter ad ſupererogationis opera alliciendus.

COnſuevere prædicatores egregiè pii, ac prudentes, invenire modos aliquos appoſitos ad populum alliciendum, & ita afficiendum, ut decreta aliqua die per ſingulas hebdomadas, ſponte confluat in deſtinatum orationi locum; ubi brevi exhortatione, lectioneve pii alicujus libri incenſus orare, piaque alia exercitia frequentare aſſueſcat. Poſſet quoque ſolemnis aliqua Communio ultrò venientibus injungi, & Sacrum in oratorio aliqo fieri, cantus adhiberi, E & ejuſmodi alia pietatis incitamenta excogitari; quod animo Apoſtolicorum Concionatorum ad magnum pietatis quæſtum, inſculpendum eſt.

* * *

PARS NONA.

De ſpiritualibus actibus à prædicatore circiter concionem exercendis.

CAPUT I. F

Qua die concionandum eſt, latendum, ſilentiumque colendum.

EXpedit profectò, qua die concionator ſeipſum ad alios perficiendos comparat, non evagari, ſpiritumque collectum diſiicere. Expedit ſilentium colere, caſtamque linguam eloquiis Dei caſtis nunciandis ſervare. Res planè aperta eſt, ut opus non ſit, in ea rationibus aſtruenda tempus inſumere, quam tot piiſſimorum Concionatorum exempla demonſtrant.

CAPUT II. G

Qui actus à prædicatore proximè concionem exercendi.

TRes potiſſimùm actus interni à Concionatore coram divina Majeſtate genuflexo promendi. Primus, quo profiteatur, velle ſe in ſcopum divinæ gloriæ laborem illum ſuſcipere. Secundus, cupere ſe ſibi primum prædicare, atque prodeſſe, ad clariorem Dei cognitionem, amoremque puriorem comparandum. Tertius, optare ſe proximos ita inſtruere, ut à peccato reſipiſcant, & qui reſipuere in legis divinæ obſervatione proficiant. His ſubiicere decebit, popularis auræ, ſi qua flaverit, contemptum, & ſi reflaverit, æquanimitatem.

Primus. Secundus. Tertius.

CAPUT III. H

Acceſſus ad ſuggeſtum qualis.

DEbet Concionator, dum ad dicendum tendit, modeſtè, ſedatè, graviterque procedere: nihil circumſpicere: mentem in Deum attollere: ſpiritum divinum invocare: timorem, qui frequentiùs, quàm immoderata confidentia animum infeſtat,

De acceſſu ad Pulpitum.

Scrip. An. 1610.

ſpei motibus conſultò excitatis excutere: primordiumque concionis recolere, ut bene auſpicetur.

CAPUT IV.

Diſceſſus qualis.

De receſſu.

Abſoluta concione prædicator Deo gratias agat, tacituſque, ac modeſtus recedat. Subeuntes cogitationes, an hominibus placuerit, arceat; ita ut, ſi bene dixiſſe ſibi videatur, vanitatem ſerpentem ſui cognitione confeſtim reprimat: ſi ſecus, mœſtitiam obrepentem, ſeſe Deo ſubmittens depellat. Neque verò animi perturbationem exaggeret, mireturve, quòd hiſce ſtimulis tangatur: nam ſi, ut par eſt, eos retundat, non lædetur, aut miniſterio tanto propterea fiet indignus. Prælia ſunt, ex quibus ignavi vulnera, ſtrenui victoriam, lucrumque reportant. Qui tyrones hæc ſentiunt, effecti veterani, quaſi pacato regno tranquilla jam mente potientur. Quod Jeſus Chriſtus cœleſtis eloquentiæ magiſter, & concionatorum exemplar, præconibus ſuis largiatur: ut ejus ampla legatione valeant inculpatè perfungi.

IN SEQUENS OPUS
PRÆMONITIO.

Poſthumum Opus eſt, quod modo proferimus; quamquam enim illud ex ſtilo, & ex ipſo argumento multis ante obitum annis Ven. Scriptor exaraſſe credi poſſit, numquam tamen, quod ſciam, (forte modeſtiæ cauſſa) typis ſubjecit dum vixit, quin nec umquam ſeorſim alicubi editum eſſe novi, niſi Coloniæ anno 1718. longe diu poſtquam ibidem quarto omnium Operum Tomo inſertum fuerat, ubi legitur a pag. 331. Ut vero quod de tempore ſcriptionis coniicio dicam, illud ſcriptum arbitrarer circa annum 1600. dum Magiſtrum Novitiorum agebat, & viridiori adhuc ætate florebat, forte in gratiam præſertim Tyronum ſuorum, quibus non tam divinæ, quam humanæ ſapientiæ pabulum eum ſollicitiſſime præſtitiſſe ex ejus Vitæ narratione probe intelleximus. Quo autem conſilio poſt tot de arte Rhetorica Scriptores alios hunc laborem ſuſceperit, habes ex ſequenti ejus Proemio.

AUCTORIS
PROEMIUM.

CUM penè innumeri fuerint, qui unius Rhetorices præcepta tradere ſunt aggreſſi, ac aliàs diſertè, & fæliciter de hac arte conſcripſerunt; vix tamen hucuſque inveni, qui his duobus præſertim vitiis non laborent; diverſis tamen pro ipſorum ſcribentium varietate. Alii quippe latius, quam res poſtulat divagantes, dum prolixius agunt, tædia generant, ac plura etiam extra, & forinſecus petita coacervantes, intolerabilem planè ſcripturæ molem conficiunt, atque iterum dicta, iterum repetunt, non abſque Lectoris candidi moleſtia, & temporis (quo nihil pretioſius) haud parva jactura. Alii dum Charibdim hanc cupiunt vitare, in longè periculoſiorem incidunt Scyllam, & dum prolixitatis diffuſos campos fugiendo brevitati ſtudent, ita laconicè, & ſtrictè loquuntur, ut vix ſepiùs perlecti teneantur. Priores itaque in nimia diffuſione, & otioſa earumdem rerum repetitione; poſteriores verò in conciſione extrema, & perinde in ipſa dicendi obſcuritate peccare deprehedunțur.

Nos igitur, qui nuperrimè, atque (ut ita dicam) ex ocio elaboratæ jam rei manum admovemus, alieno periculo cautiores jam redditi, utramque peſtem media incedentes via evadere conabimur, ut (quæ appoſitiſſima videbitur, ſervata methodo) nihil, quod vel arti, vel perſpicuitati ſervire poſſit, deſideretur, nec tamen otioſis præceptionibus, aut iterum dictis, aut rebus aliunde extractis oneremus ſcriptum.

Neque verò curet, aut miretur prudens Lector, ſi à communi hujus artis tradenda ſemita deviaverimus aliquantulum, præſertim cum vix enumerata vitia effugi poſſint, niſi vulgari ordine tantiſper inverſo, quem ut minus dilucidum, atque aptum, ita vitiorum hujuſcemodi fomitem ſemper putavi. Et quamvis nulli penitus Auctori me addicere in animo ſit, tamen Aloyſium Granatenſem, Chriſtianum alterum Ciceronem, maxima ex parte ſectabor, ut qui elegantiſſimè, & luculenter, nec ullo ignobilius, (præcipuè pro Concionatoribus, quæ ferè unica Rhetoricæ artis exercitatio in Chriſtiana Republica reliqua eſt) hac de re ſcripſerit, eo in opere quod ſub Eccleſiaſticæ Rhetoricæ inſcriptione jam pridem evulgavit: quo quidem, ſi breviuſculè, & ſeriatiùs dixiſſet, nihil foret amplius optandum. Ad rem, & primam hujus Tractatus Partem accedamus.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA
RHETORICA SIVE DE ARTE DICENDI TRACTATUS.

PARS PRIMA.

Scrip. An. 1600.

CAPUT I.

De origine, utilitate, & dignitate Rhetoricæ.

A

Rhetoricæ origo.

B

DE Rhetoricæ artis origine, & vetuſtate, quamvis plura apud auctores reperiantur, difficile eſt (ne impoſſibile dixerim) certum quid proferre: nihil enim dubium, quin aliqui, quos nulla ad poſteros deducta ſcripta nobilitant, plura invenerint, quæ litteris mandare vel neſcierunt, vel contempſerunt, quod & Rhetoricæ arti accidiſſe potuit nullo negocio. Si quid verò circa illius originem, & primum Antiſtitem Alexandrum vel alii cenſent, ſolùm id de primo artis Doctore, aut Scriptore, quem alii Lyſiam, alii alios exiſtimarunt. Id certum non priùs homines fuiſſe, quàm Rhetores, quamvis ſucceſſu ipſo temporum, quæ rudis, & imperfecta fuerat, in debitam artis perfectionem adoleverit.

Utilitas.

C

Rhetorica naturalis.

Comparatio ex tyronibus Grammaticæ Studentibus.

D

Utilitatem hujus artis non Ethnici modò, verùm & Chriſtiani nominis ſapientiſſimi viri teſtantur, & ſummis laudibus interdum proſequuntur. Et quemadmodum cunctis mortalibus utilis eſt, iis certè, qui conciones Eccleſiaſticas exercent, non eſt utilis ſolùm, ſed neceſſaria. Etenim cum præcipuum ſit Concionatoris ſeu munus, ſeu finis, deterrere homines à vitiis, & ad animi virtutes colendas impellere, & illorum pectoribus æternæ fœlicitatis deſiderium ſimul, ac divinæ ultionis timorem incutere, quæ omnia ad ſuaſorium dicendi genus ſpectant, quì poterit finis hic ſine Rhetoricæ beneficio, & uſu teneri, quæ una ſuadendi vim ſuis præceptionibus tradit? Neque verò ii rectè cenſent, qui probare ſe quidem dicunt, & pluris facere dicendi virtutem, ut vero Concionatori neceſſariam, verùm hanc niſi à natura contingat, fruſtra per artem quæri, cujus multiplices, ac minutiſſimæ præceptiones nocere potiùs ſolent, quàm prodeſſe: ut quæ parvitate eludant, multitudine opprimant dicentem. Sicut enim Grammaticæ præcepta rudibus adhuc, & in ea arte tyronibus aliquantulum initiis ipſis obeſſe videntur, ne adeò facilè, & promptè dicant latinè, ac maternè dicunt, dum ad ſingula verba concinnanda conſulunt Canonem. Provecti tamen, & callentes hanc artem jam non minuſcula, & crebra conſultatione præceptionum grammaticalium, ſed habitu quodam ex uſu ingenerato facilè admodum, & promptè loquuntur; nec loquerentur tamen, aut huc perveniſſent, niſi priùs Canonibus, ac Regulis Grammaticæ fuiſſent addicti, ita prorſus contingit in noſtra Rhetorica.

CA-

CAPUT II.

De definitione Rhetoricæ, & in quo à Dialectica differat.

A

Rhetoricæ definitio.

IN Rhetoricæ definitione tradenda non omninò convenit inter auctores, ex quibus tamen, qui magis propriè loquuntur Rhetoricam decernunt artem eſſe dicendi bene, & appoſitè ad perſuadendum. Certè Hermagoras (D. Auguſtino teſte) ut calumniam effugeret eorum, qui etiamſi non perſuaderet orator, poſſe illum eſſe perfectum obiiciebant, definitioni addendum exiſtimavit: quatenus conditio rerum, & audientium patitur; ſed fruſtra; ſatis enim propulſatur calumnia, dum non perſuadendi ars, ſed appoſitè dicendi ad perſuadendum Rhetorica definitur. Unde licet quis dicendo non perſuadeat, perfectus tamen erit Orator, modo aptè dixerit ad perſuadendum. Dicentis quippe ars, & perfectio non ex audientium arbitrio, ſed ex propriæ mentis virtute dependet.

B

Rhetoricæ, & Dialecticæ diſcrimen.

Cæterum quid Rhetorica à Dialectica diſtet præclarè Zeno docuit, cum Rhetoricam protenſæ manui, Dialecticam verò eidem compreſsæ ſimiles eſſe dixit. Dialectica enim oratio velut oſſa, & nervos tantùm pangere, & ſuis locis aſſignare videtur, Rhetorica autem orationis ornatu, & ſplendore velut cutem, carnem, ſanguinem, colorem, ſpeciem, & venuſtatem ſuperaddit. Et quamvis utraque argumentis ad ſuadendum utatur, & eaſdem penè vires rationum aſſumant, illa nervosè tantùm, & preſſiùs agit; hæc argumentationes ipſas à Dialectica confectas variè exornat, ac proprii cultus floribus cohoneſtat; quò ſerie ſententiarum, & venuſtate verborum auditores capti, attentioreſque, & leniores redditi, faciliùs dicenti acquieſcant. Unde & latiùs quandoque ſolet divagari. Oriturque hìc alia non parva diſparitas; illa enim, quæ nudè ſolis rationis viribus nititur, aptior eſt, quæ inter peritos agat, & ſapientioribus audientibus gaudeat: hæc ad plebes audaciùs loquitur, & turbam frequentis populi non minùs, quàm illa Philoſophorum porticus, & conventus exoptat. Non quia erubeat Doctor, aut quia eis non placeat, ſed quia rudis, & imperita multitudo indiget longiori oratione (qualis eſt Rhetorica) ſapientibus verò eò magis acris, quò ſtricta, & brevis, atque adeò Dialectica.

C

Aliud diſcrimen.

CAPUT III.

De Oratoris munere, & fine, & ejus partibus in communi.

D

POſt Rhetoricam de ipſo Rhetore proximè ſermo incidit, ut poſt artem de artifice, poſt formam de compoſito, ſeu ſubjecto. Igitur ex iis, quæ hucuſque dicta, ſatis liquet, quod Oratoris munus, quis finis. Supereſt, quæ ſint ejus partes decernere, id eſt, quibus virtutibus indigeat, ut perfectus tandem Orator evadat. Hæ communi Ciceronis, Fabii, & reliquorum ſententia quinque præcipuè ſunt; inventio, diſpoſitio, eloquutio, memoria, & pronunciatio. Harum ſufficientia colligitur, quando præter illas nihil in oratore, quod oratorem perfectum deceat, deſideratur. Cognita enim prius quæſtione propoſita (de qua re ſtatim) quærit deindè orator appoſitas ad quæſtionem rationes, & ſententias, & argumenta apta conflat, quibus ſuſceptam partem confirmet, vel impugnet adverſam. Exinde judicium de inventis feret, quæ parum idonea, aut ſupervacanea reiiciet, iis, quæ probarit, aut ſelegerit, certam ſedem dabit: licet enim plura ad rem pertinentia, & pulchra ſint inventa, niſi pro dignitate, & qualitate cujuſque certis, & quaſi legitimis locis deſtinentur, aut oberunt, aut certè non magnopere proficient. Ornatum diſpoſitis partibus adhibebit, & quod invenerit, & diſpoſuerit ſententiarum pondere, venuſtate verborum, & aptis figuris exornabit. Hæc omnia tradet memoriæ, quam & Græcorum plurimi, & ipſe Tullius imprimis oratori neceſſariam decernunt. Memoriam ſequitur pronuntiatio, res (ut Demoſtheni placet) vel prima Oratori, vel ſola, quæ & vocis ſono, & corporis geſtu perficitur, & una id quod cœteræ partes elaborarunt, edit in lucem, fructumque prima excerpit, cum poſtuma coluerit. Sed præter has virtutes, quis aliam Oratori neceſſariam excogitabit? niſi forſan quis mecum putet, electionem ſecundo loco inter inventionem, & diſpoſitionem, ut virtutem à reliquis diſtinctam, debere conſtitui, quæ id potiſſimum curet, ex pluribus inventis aptiora ſeligere; à tertia deinde parte, id eſt, diſpoſitione, legitimis quæque ſedibus deſtinanda, & antequam de iis ſigillatim, operæpretium erit, de cauſarum diviſione diſputare. Ordo quippe ipſe orationis expoſtulat, priùs ab Oratore cognoſci cauſam, ſive materiam, de qua eſt dicturus, quàm de inveniendis, diſponendis, &c. ſatagat rebus.

Oratoris partes, quæ & quot.

E

F

Pronunciatio quomodo perficiatur?

G

CAPUT IV.

De Diviſione, & generibus Quæſtionum.

CAuſam vocant Rhetores id, quod dicenti, ut ſubiectum eſt Orationis, quamvis non de tota cauſa, ſed tantùm de altera ejus parte quiſque Orator dicat. Enim verò cauſa dubia quædam eſt propoſitio, cui & affirmatio, & negatio ſubſunt; quarum alteri adhæret Orator, fidemque illi dicendo facere, munus ipſius eſt. Exemplo res patet: cauſa erit dubia hæc propoſitio: Sit ne occidendus homo, nec ne? partes ejus ſunt, altera occidendum aſſerens, altera negans. Igitur cauſa duplex eſſe poteſt, aut infinita, quæ Græcè The-

H

Theſis, & hypotheſis, earum diſcrimen.

Scrip. An. 1600.

Theſis, Latinè propoſitum: aut finita, quam Græci hypotheſim, Latini controverſiam vocant. Theſis in latiſſimos campos funditur, & deſignatione perſonarum, temporùm, locorum, & circumſtantiarum alligari non fert. Eſt enim quæſtio quædam generalis, cujuſmodi hæc: ſitne ducenda uxor, nec ne? ſit ne philoſophandum, &c. Hypotheſis arctioribus limitibus clauditur, ac de ſingulis rebus diſſerit, quæ vel temporibus, vel locis, vel perſonis, vel ſimilibus circumſtantiis adſtricta, iiſque potiſſimùm diſtat à theſi, ex qua addito quolibet accidente ſingulari conſurgit; ut ſitne ducenda Maria à Petro? adoleſcentula ſeni? ſitne philoſophandum inter pocula? Regi? fæminis &c.

A

Quæſtio triplex, & quæ?

Forenſis.

Sed ut regrediamur ad rem, omnis quæſtio ſive finita ſit, ſive infinita, triplici ſpecie clauditur. Alia eſt forenſis, & civilis, ſive (ut ajunt) judicialis, verſaturque circa civiles cauſas, & quæſtiones; ut plectenduſne ſit Milo? vel Dejotarus, vel Verres, &c. Sit ne hoc fundum adſcribendum Antonio, an verò Julio? &c. & alia ejuſmodi, de quibus apud judices frequens erat antiquis Oratoribus concertatio, cùm cauſas non per Scripturas (ut nunc) ſed per dicentes Oratores allegarent, altero Actoris partes agente, altero Rei, ſi eos hæret cauſa; ſecus, unoquoque ſingulatim ſui clientis. De hac ſpecie ad nos parùm, quæ niſi exercitii cauſa, nuſquam ferè exiſtit, & etiamſi exiſteret, nihil tamen ad Concionatorem Eccleſiaſticum, quem nos inſtituimus. Alia eſt, quam vocant ſuaſoriam, ſive cohortatricem, quæ in cohortando, vel dehortando tota verſatur, cujuſmodi: ſectànda ne ſit militia Pompejo? colenda ne ſit urbs Philoſopho? &c. Ejus præcipuus finis eò ſpectat, ut ſuadeat fieri debere, ſi aſſerentem ſuſceperit partem, ſecus, ſi inficiantem. Eſt hæc ſpecies, ut noſtro ſæculo frequentiſſima, ſic & nobiliſſima, & cui (ni fallor) cœteræ omnes ſubſerviunt: ut quæ omnes tandem in finem ſuadendi, vel diſſuadendi oratione tendant. Ultimam appellant demonſtrativam, in qua aliquid, vel laudamus, vel vituperamus, finis ejus proximus, & potiſſimus, ut id, quod laude inſequimur, aut probro, his quoque digniſſimum cunctis audientibus videatur.

B

Suaſoria.

C

Demonſtrativa.

CAPUT V.

De Inventione, prima Oratoris parte.

D

Diviſa jam quæſtione, & ejuſdem generibus explicatis, ſupereſt de Oratoris partibus (quas in communi paulo antè enumeravimus) ſigillatim decernere. Et primo loco de inventione.

Quid agere debeat orator antequã res quærat?

Ad hujus virtutis munus ſpectat aptas ſuſceptæ parti probationes, ſententias, rationes, & vires quærere, & invenire. Oportet itaque Oratorem imprimis antequam quærendis rebus operam navet, orationis ſtruendæ ſubjectum cognoſcere, & qua de re ſit dicturus, & ad quem finem. Si affirmationi inhæret, argumenta, & rationes in favorem ejus partis. Si negationi, quibus oppoſitam aſſertionem improbet, undique corradet è fontibus inventionis, & ampliationis, qui veluti quædam uberrima promptuaria cuilibet de quolibet dicturo patent. Licèt autem, quæ ad amplificandum aliquid adducuntur, ſi vel convenire debeant, vel adverſari, ut pars ſuſcepta requirit attendendum ſit, nos tamen convenientiæ ſolùm aſſignabimus locos. Nam iidem ſunt & diſconvenientiæ ſumpti à contrario, cum (teſte Philoſopho) una ſit contrariorum diſciplina. Rebus igitur alia intrinſecus, alia extrinſecùs conveniunt: intrinſecùs conveniunt ipſa rei ſubſtantia, & quæ, vel ab ea oriuntur, vel à quibus ipſa proficiſcitur. Prioris generis ſunt forma, materia, genus, ſpecies, differentia, & paſſiones; partes item, & totum. Ad ſecundum genus ſpectant effectus, communia accidentia, temporis, loci, habitus, ſitus &c. In tertio demum genere collocantur omnes cauſæ extrinſecæ, ut efficiens, & finalis, ſivè immediatè, ſive præcipuè, ſive inſtrumentaliter. Quæ verò ſunt ſecundi generis, id eſt, quæ accidunt rei, & ab illa oriuntur, Dialectici vel adjuncta, vel adjacentia vocant, & in tria ſecant tempora, id eſt, in præteritum, præſens, & futurum. Unde alia dicunt eſſe præcedentia, alia concomitantia, alia conſequentia, quæ omnia intrinſecè dicuntur adjacere rei, & inter locos ductos ab intrinſeco numerantur. Extrinſecùs putant convenire ſimilia, diſſimilia, majora, paria, minora, exempla, teſtimonia, & oracula. Ex quibus hi tres ultimi loci (qui ſcilicet ab exemplis, à teſtimoniis, & oraculis excerpuntur) inartificiales: reliqui verò tam extrinſecùs, quàm intrinſecùs ſumpti artificiales appellantur. Hi arte, & ingenio dicentis, illi verò potius aliena induſtria, & labore comparantur. Quamvis (mea mente) non minus opus ſit ingenio, & arte oratoris ad hæc (quæ vocant artis expertia) concinnè, & opportunè aſſumenda, quàm ad quævis alia. Inartificiales itaque loci quamvis ſola exempla, teſtimonia, & oracula comprehendant, latiſſimum tamen campum oratori aperiunt, cùm quidquid in ſacris, vel profanis, noſtris, vel antiquorum libris continetur, huic parti inſerviat. Sed quia hucuſque omnem inveniendi, amplificandi, & probandi rationem, velut confusè induximus, quiſque nunc locus monſtrandus ſigillatim.

E

Convenientia rebus prioris generis, intrinſecùs.

Secundi, & tertii.

F

Convenientia extrinſecùs.

G

Primò itaque de ratione inveniendi in quæſtione infinita (quam diximus theſim) diſputationes aggrediamur. Et quia tota hæc res faciliùs, & commodiùs percipietur, ſi theoricæ praxim adjungamus, ſit propoſita theſis: Vacare oporteat orationi nunc? Hujus quæſtionis aſſumam ego partem

H

Scrip. An. 1600.

tem aſſerentem; ut eam probem, & amplificem, ad aſſignatos ſtatim locos confugio. Et primo loco intueor formam rei: & quid eſt aliud oratio, quàm elevatio mentis in Deum, ut Damaſcenus definivit?

Orationis definitio ex Damaſceno

Quid verò nobilius hac elevatione, qua animus ſupra ſemetipſum erigitur, & creatis omnibus eminens cuncta deſpicit, tendit in Deum, incircumſcriptumque illum divini numinis fulgorem in conniventibus oculis contemplatur?

A

Quàm latus ampliationis campus hoc loco patet? quàm valens probatio? quid enim? ſi id cenſetur nobilius, quod elevatius, & quod nobilius, id amore dignius, cui potiùs rei vacandum, quàm orationi, quandoquidem elevatione ipſa nihil elevatius, nihil ſublimius poteſt cogitari?

Deinde ex ipſa materia, circa quam verſatur oratio, probationem exquiro: eſt autem orationis ſubjectum cognitio Dei, ac noſtri, qua una totus beatitudinis humanæ limes clauditur.

Oratio cujus virtutis actus?

Genus, ſub quo oratio conſtituitur, Religio eſt, illuſtris illa, inter cœteras virtus, & moralium omnium longè præcellentiſſima, à qua non modica laudum portio accreſcit orationi.

B

Si verò ſint duo genera rei, aliud mediatum, immediatum aliud, ab utroque probare, & ampliare rem utile erit: Eſt enim optima hæc à genere probatio, cùm vel rudioribus pateat, ritè ſpeciei attribui quicquid generi quadrat.

Amplificatio a differentia.

A differentia quoque non ignobilis oritur amplificatio, neque enim parum laudis accedit orationi, ſi quid hæc à cœteris Religionis ſpeciebus differat, explicueris; nam hinc fiet, ut reliquis illuſtrior appareat, utque cum ea parte fiat, quæ nobilior eſt hominis portio, & Deo propinquior, ideſt mente, & circa ſummi numinis contemplationem, ac exorationem verſetur, primum facilè locum inter cæteras Religionis ſpecies videtur obtinere, quod liquebit apertiùs, dum aliis ſpeciebus Religionis eam compoſueris.

C

Componas igitur orationem cum juratione, vel cum adorationis cultu, & quàm illa ſit illuſtrior deprehendes. Juratio unde cenſetur religioſa, & illuſtris, niſi quia Deum unum teſtatur, omnium teſtem, omnia videntem, omnia providentem? vel unde ſibi adoratio Religionis nomen aſcivit, niſi quia illud ipſum ſimplex, trinumque Numen veneratur, & ſupplex colit? An verò orationem, his virtutibus inferiorem dicemus, quæ hujus ipſius Numinis cognitionis inhiat? quod fatetur quod orat? in quo tota ſpiritus ambitione fertur? ac demum, cui animum orantis ſumma charitate devovit.

D

Orationis partes.

Partes orationis præcipuæ ſunt: meditatio, contemplatio, petitio, & gratiarum actio, de quarum qualibet magna, & præclara dicendorum copia nullo pene inventionis labore ſeſe offert.

A paſſionibus ei adhærentibus.

Paſſiones, quæ illi, ut plurimùm, adhærent, ſunt vitæ candor, ſolitudinis amor, taciturnitas, & contemptus rerum humanarum.

Ab accidentibus.

A communibus accidentibus parùm, aut nihil probationis, vel ampliationis ad infinitam cauſam extrahere poteſt Orator: quippe cum illa potiùs hypotheſis circumſtantiæ ſint, & particulares cauſas reſpiciant, quàm infinitas.

A cauſſa efficiente.

Ad. Rom. c. 8. 26.

Jam verò cauſa orationis efficiens, eſt ipſe Spiritus Sanctus, qui (ut Paulus aſſerit) *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ideſt, qui animis noſtris inenarrabiles gemitus ad poſtulandum indit, noſque ad otium ſacræ precationis accendit.

E

A cauſa impellente.

Specialiores verò varii generis cauſæ nos ad orandum impellentes, ſunt Dei amor in primis, tum deinde quotidianæ, ac frequentiſſimæ miſeriæ, innumera peccandi pericula, proclivitas innata nobis ad malum, quæ niſi frequenti oratione & divino auxilio implorato cohibeatur, tandem nos in barathrum deducet; immenſa denique Dei O. M. bonitas, qui & ut petamus, admonet, & exaudit precantes, & quod religiosè petimus, benignè elargitur.

A fine.

Finis orationis eſt ipſe Deus, in quem illa ultimò tendit, ſed hic ultimus quidem, & mediatus, quando plures alios immediatiores fines poſſumus aſſignare, cujuſmodi ſolent eſſe poſtulata mentis, vel corporis valetudo, humilitas, continentia, &c.

F

Ab effectibus.

Effectus orationis vix aliquo certo numero claudi queunt. Primò eſt gratiæ, & beatitudinis augmentum. Secundò pro commiſſis criminibus ſatisfacere. Tertiò id, quod petitur, ſi debitè petatur, & petenti expediat, impetrare. Quartò denique animo corroborari, eo ſpirituali alimento, ac dulcedine refici, & alia plura, quæ longiſſimum eſſet recenſere. Ab iis locis ſumitur amplificatio, quæ ab intrinſeco dicitur.

Amplificatio a ſimilibus.

Extrinſeca verò diximus eſſe paria, majora, minora, ſimilia, & diſſimilia contraria. Amplificabis igitur a paribus, ſeu ſimilibus orationis laudes, ſi ea, quæ paria illi, vel ſimilia dixeris, cujuſmodi videntur eſſe ſacra lectio, honeſtæ de divinis rebus colloquutiones (iis enim elevatur etiam in Deum mens) egregiè laudaveris;

G

imò curabis aliqua ex iis, quæ ut paria enumeraſti, minora deinde oſtendere, atque inde tuo propoſito laudem venari, ut ſi parùm eſſe dixeris lectionem Orationi; & aliquid amplius in hac, quam in illa cures invenire, quo illuſtrior reddatur oratio; ut, quòd ſit remotior à ſenſibus, quòd proximior Deo, quòd ſecurior ab hypocriſi, quòd valentior ad animi affectus in Deum concitandos, &c.

A minori.

Cum enim id oſtenderis, ac deinde lectionem ſummè laudaveris, patebit alia à minori amplificatio.

H

Quid enim ſi ſacra lectio tantam laudem meretur, quid non promerebitur laudis ſacra Oratio, quæ tot gradibus lectioni antecellit? Inter has ampliationis formas non infimum locum obtinet, quæ à majori appellat, ubi majori aliquo expoſito, ei ferè æquali, & proximum eſſe, quod laudas, demonſtraveris.

A ſimili.

Cedo exemplum in ipſa ora-

Scrip. An. 1600.

oratione; quam ut laudem, primò charitatem, quæ virtutum maxima eſt, latè commendo: monſtro deinde nihil eſſe charitati affinius, nihil quod eam magis juvet, quàm crebra oratio, hæc enim quaſi ignem cordi ſubmittit, & totum hominem divini amoris face ſuccendit. Etenim cognitione alitur amor, oratio verò divinæ cognitioni ſtudet præcipuè, unde non immeritò dixeris, alimentum charitati ab oratione (haud aliter, quàm flemmæ à lignis) miniſtrari.

A

A contrariis.

Diſſimile, & contrarium orationi eſt oblivio Dei, omnium malorum fons, & unica origo: modus hinc amplificandi orationem, eò maximè nititur, ut Dei oblivio, quàm maximè pernicioſa demonſtretur. Etenim cùm contrariorum (ut jam ex Ariſtotele dixi) eadem ſit diſciplina, eo gradu alterius laus excreſcet, quo alterius excreverint probra, & vituperium; licèt id unum prudenti lectori cognitum velim, argumenta hæc à majori, & minori, æquali, contrario, & ſimili, omnibus penè amplificationis locis poſſe adaptari. Si enim effectus dignitatem cupis oſtendere, contrarii vilitatem, vel minoris excellentiæ, vel majoris affinitatem, vel ſimilis nobilitatem oſtende, & rem egiſti.

B

Idem & de cauſa, & de genere, & de forma, & de materia, & de reliquis enumeratis.

Jam verò accedamus ad eos locos, quos expertes artis dixi appellari; nam in iis non tenuiſſimus oratorum theſaurus reconditur, cum innumeri ſint, & paſſim obvii.

Ab exemplo.

Amplificabis igitur ab exemplo, ſi eo propoſito pulchrè illud rei, de qua agitur, accommodaveris, ut ſi de oratione dicas, & Magni Antonii exemplum à veſpere uſque ad auroram flexis genibus orantis adduxeris, id deinde adhibito ornatu accommodes in hunc modum. An verò nihil in oratione dulcedinis, nihil latentis theſauri magnus hic Eremitarum Pater inveniebat, cùm ei uni tanta aſſiduitate, & aviditate inhiabat, ut diem nocti, & luci tenebras orans intermiſceret?

C

Exempla aliquando tantum innuenda.

Hic admonemus Rhetorem, non ſemper fuſiùs exponenda exempla, ſed aliquando veluti innuenda tantummodo, quale eſt illud Hyeronimianum. Memento Daretis, & Entelli: ſed hoc & res, de qua agitur, & ipſum orationis curriculum apertè docebit.

Amplificatio a teſtimoniis, & oraculis.

A teſtimoniis, & oraculis, ut multiplex, ita & facilis eſt amplificatio, potiuſque aſſidua lectione, & evolutione librorum, quàm præceptionibus, & arte paratur. Præclarè augebitur hac ex parte amplificatio, ſi tempeſtiva, & appoſita teſtimonia ex variis excerpta, in medium proferantur; alia ſummis labris (ut ita dicam) deguſtata tantummodo, alia longiùs protracta, quod dicentis judicio totum relinquimus.

D

Id autem maximopere curabit orator, ne pervulgaria, & trita, atque (ut ajunt) lippis, & tonſoribus nota proferat (niſi inſigne aliquid eis addiderit, vel in eis reconditum & latens detexerit) ſed remotiora à communi eloquio, & vix alicui audita, ſi fieri poſſit; eo enim magis & attentionem, & admirationem audientium comparabit, atque idipſum, de quo agit, reddet commendatum, ſi præclarum aliquod, & illuſtre teſtimonium ad rem proferre videatur. Additur enim ſententiæ, neſcio quid ſplendoris ex fontis, à quo profecta eſt, claritate.

Amplificatio a circũſtantiis.

E

Sunt & plures alii communes inveniendi loci, pluresque modi ſtruendæ amplificationis. Sed cùm ex circumſtantiis rerum ſumantur ad Hypotheſim potiùs, quàm ad Theſim videntur pertinere; quamvis ad theſim quoque pertineant, quatenus & hæc amplificari poteſt per revocationem infinitæ quæſtionis ad finitam, qui modus amplificandi, non multùm diſtat ab eo, quem à rei partibus appellabamus. Nam cum quælibet theſis plures ſub ſe hypotheſes contineat, probatis hujuſmodi hypotheſibus, inde quaſi aſcenſu facto, theſis ipſa probatur. Præſtò eſt exemplum. Proponitur theſis; ſit libido vitanda, nec ne? Sub hac infinita cauſa plures finitæ clauduntur, quæ addito ferè unico verbo conſurgunt;

F

ut ſitne vitanda libido, virgini, cœlibi, viduæ, ſeni, monacho, pauperi, diviti, uxorato &c. in templis? in conviviis? apud hoſpites? inter cognatos? &c. Igitur cum vitandam ab horum quolibet libidinem demonſtraveris, vitandam quoque ab omnibus, erit demonſtratum. Eſt autem hic, ut pulcherrimus, ſic & efficaciſſimus modus amplificandi, ſed de amplificatione theſis hactenus. Ad Hypotheſim accedamus.

Præter hos, quos enumeravimus communes locos infinitæ quæſtioni deſervientes, ſunt alii quoque ex perſonarum, & rerum circumſtantiis, qui promanentes ad amplificandam, & probandam Hipotheſim præcipuè conducunt. Cùm enim communior ſit theſis materia, ſubjectum verò Hypotheſis ſingularius, hæc ſpecialioribus, illa univerſalioribus locis, & argumentis gaudet.

G

Sed cum ſemper Hypotheſis ſub theſi comprehendatur, & ei velut generi ſpecies ſubſit, per eum ipſum canonem, quo amplificationem à genere commendavimus, Hypotheſim in Theſim conſurgere ampliationis, & probationis gratia utiliſſimum eſt. Quo id pacto fieri debeat, licèt ſufficienter ex dictis colligi poſſit, exemplo tamen propoſito declarabimus. Sit ergo Hypotheſis, de qua dicendum eſt: ſectarine oporteat doctrinam D. Pauli?

Quæſtio.

Quæſtio hæc cùm perſonæ ſi adſtricta, abſque ullo dubio inter finitas recenſetur. Igitur ut aſſerentem partem oſtendamus, Hypotheſim hanc ad infinitatem primò reducemus;

H

reducetur autem, ſi ſectandam eſſe ſacram doctrinam oſtenderimus: ſub hac enim, quaſi ſub infinita quæſtione finita illa, quam aſſumpſimus, comprehenditur. Itaque cum Hypotheſis ad Theſim reducta per traditos ſupra canones infinitè, & genericè fuerit applicita, deſcendendum eſt ad ipſas Hypo-

Scrip. An. 1600.

potheſis conditiones, & ex perſonæ, ac rei adjunctis, & circumſtantiis quærenda amplificatio.

Fontes ampliationis ex perſona, & quales?

Undecim argumentorum, & ampliationum fontes ex perſona erumpentes numerari ſolent: ſcilicet à natione, à parentibus, ſive familia, à nomine, à ſexu, ab ætate, à fortuna, à victu, à dignitate, ab educatione, ab ingenio, à rebus geſtis, quibus accedunt exempla, & teſtimonia, ſive oracula de eadem perſona prolata.

A

Ab harum circumſtantiarum quaque variari ſolet probatio, & mirè amplificari propoſita res; ſic illas non immeritò Hermagoras elementa vocat, quia non ſecus ex earum conjunctione varia, diverſæ amplificationes, quàm ex varia elementorum complexione res diverſæ conflantur.

A natione.

Natio eſt ea Provincia, qua quiſque eſt oriundus, à qua non rarò amplificatio, & probatio deſumi ſolent, ut ſi Jovem mendacii reum confirmes, quia Cretenſis. Nam ea gens mendacii nota ſemper inuſta. Unde ex Epimenide D. Paulus, *Cretenſes* (inquit) *ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*.

Tit. c. 1. 12.

B

Contra ſi Lycurgum laudare volueris, Lacedæmonem dices, quæ gens modeſta, olim habita, ac fortis.

A Parentibus.

A parentibus, & familia plurimùm valet amplificatio, maximèque ſuaſioni deſervit; ſic nobilem quemque ne à parentum, & generis virtute deſciſcat, ne familiæ ſplendorem obſcuret adhortaberis. Sic Iſraelitas Vates hortatur: *Attendite ad Petram, unde exciſi eſtis, & ad Cavernam laci, de qua præciſi eſtis. Reſpicite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Sacram, quæ peperit vos* &c.

Iſai. 51. 1.

Scilicet ne à tam præclara fide, & juſtitia ſitis degeneres. Neque ſolùm parentum genus, ſed etiam Prædeceſſorum, quovis modo, virtus huc ſpectet. Ita noſtræ tempeſtatis Monachos, Pontifices, milites magiſtratus, &c. antiquorum ſive Monachorum, ſive Pontificum, ſive militum &c. propoſitis exemplis ad illorum ſectandos mores, & præclara geſta commonebis.

C

A Loco.

Valet etiam locus hic plurimùm ad purgationem dubii criminis, ut ſi cùm, qui ingenuis natus parentibus, fœdi criminis accuſatur, eò tuearis, quòd ex adeò præclaris fontibus credendum non eſt, oriri potuiſſe ſpurciſſimam aquam; nam neque imbelles progenerant aquilæ columbas (ut dixit Horatius).

Hor. lib. 4. Od. 4.

Sic vice verſa probos filios ab improbis parentibus, ut qui virtute naturam vicerint, laudari, & improbos à probis, ut qui ſuperarint naturam vitio, objurgari licebit.

A nomine.

A nomine rarò ſumuntur argumenta, niſi cum ſpeciali aliqua ratione perſonæ eſt impoſitum, quale eſt glorioſiſſimum Jeſu Nomen; nomina etiam Iſaac, Iſraelis, Petri, Joannis &c. quæ non ſine magno ſacramento quæſita ſunt.

D

Ab appellativis nominibus pulchrè, & frequentiùs argumentamur, ut apud D. Hjeronymum: *Quid facis in turba, qui Monachus es?*

Epiſt. 58. ad Paullinum.

Ibi enim à ſignificatione ipſius verbi (monachus, id eſt ſolitarius) acre argumentum pro ſolitudine ſuadenda extractum. Sic ad Nepotianum ex Clerici nomine Clericorum aſtruit dignitatem, & excellentiam: dicuntur enim Clerici, quia vel ipſi ſunt de Domini ſorte, vel aliam ſortem habere non debent niſi ſolum Dominum.

A ſexu.

A ſexu amplificamus fœminæ vituperia, ut inconſtantiam; quam lepido quidam Diſticho perſtrinxit:

E

Quid levius vento? fulgur. Quid fulgure? flamma.
Quid flamma? Mulier. Quid muliere? nihil.

Item & affectuum nuſquam temperatam mediocritatem, ſed extremam ubivis vehementiam. Nam:

Aut te ardenter amat, aut te capitaliter odit.

A ſexu item laudamus, & amplificamus virtutem Theclæ & Symphoroſæ, & ſimilium fœminarum, quæ mortem pro Chriſto non ſubierunt modò, ſed contempſerunt, ſed expotarunt. Sic etiam effœminatos, vel timidos viros à ſexus virtute vituperamus, ut Sardanapalum penſa puellis deſignantem, & expoſcentem.

F

Ab ætate,

Ab ætate amplificamus conſtantiam Paſtoris, & Juſti, & puerorum martyrum, & ſenum prudentiam probamus. Exprobramus ignorantiam: ſic ignoſcendum puerili laſciviæ, Terentius dixit:

Amavit, dum ætas tulit.

In Andr. Act. 2. Scen. 6.

A fortuna.

Fortunam vocamus ea omnia, quæ ad divitias, & honores pertinent: ſervus ne ſit, an liber, dives an pauper, clarus an ignobilis, &c. à quibus quandoque rectè amplificamus. Sic Davidis in imperio humilitatem & manſuetudinem, ſic ignobili morum nobilitatem laude dignam dici.

A victu.

A victu, id eſt, converſatione laudare licebit eum, qui amicis probis utitur, & eum vituperare, qui malorum conſuetudine, & familiaritate delectatur.

G

Sic Apoſtolos ex Chriſti Domini conſortio commendamus, attinetque huc, quod diximus de ampliatione à parentibus: nam cum illis frequentiſſimus, & neceſſarius convictus eſt.

A dignitate

A dignitate ſumimus amplificationem, ut ſi Petrum laudemus à Pontificatu: non enim res tanta, niſi digniſſimo Viro à Chriſto Servatore mandata fuit, ſuntque huc reducenda commoda & incommoda, proventa à natura, ut valetudo, infirmitas, pulchritudo, deformitas, proceritas, & brevitas corporis, ingenii acies, hebetudo &c. Nos verò hæc omnia ad ampliationem ex ingenio remittenda arbitramur.

Ab ingenio

Ab ingenio igitur non ſordida ſumitur amplificatio, quò ſpectent ea omnia, quæ à nonnullis (ut dixi) in dignitatem reiiciuntur: Si Adoleſcentis Alexandri laudes ab acie ingenii, à pulchritudine, à pudicitia naturali, à proceritate corporis, à valetudine, à viribus &c. facilè, & eleganter poſſunt amplificari.

H

Ab educatione.

Ab educatione etiam amplificamus: ſic dici ſolet improbus eſt, nec mirum, cum im-

Scrip. An. 1600.

A rebus geſtis.

A

improbè educatus, ſic è contra probos diſcipulos ab honeſtate præceptorum accuſamus, ut Neronem à Seneca. Ultimus amplificationis, & probationis locus à rebus geſtis proficiſcitur, ex quibus gerentis virtus aptè comprobatur. Verùm ad rei circumſtantias faciamus gradum, quando jam perſonæ adjuncta ſatis (ni fallor) manent explicata.

Rebus itaque communiter attribui ſolent hæc ſeptem, carmine incluſa.

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

David peccatum quomodo amplificandū.

A prima circumſtantia.

A ſecunda.

B

A tertia.

A quarta.

A quinta.

A ſexta.

C

A ſeptima circumſtantia.

Quibus, ſi peccatum Davidis volueris amplificare, nullo negocio præſtabis hoc ordine ſervato. A prima circumſtantia amplificabis, demonſtrans, quis fuerit is, qui peccavit, ſcilicet Rex ille David, qui plurima à D. O. M. receperat beneficia, & qui ex Regiæ dignitatis munere ſeipſum ſuis civibus juſtitiæ, & probitatis normam exhibere debuerat. A ſecunda amplificabis exponens, quam grave fuerit illius crimen, ſiquidem adulterio homicidium copulavit. A tertia, peregit enim crimen Hieroſolymis, ubi templum toto orbe auguſtiſſimum, ubi frequentiſſimus erat populus, & ex perpetrato Regis ſcelere omnes ſcandalo affici neceſſarium fuit. Demum ubi præcipuè à Domino beneficia nuper ipſe fuerat conſequutus. A quarta, quia uſus eſt gladio Ammonitarum, ut interficeret fideliſſimum ſibi, & addictiſſimum ſervum. A quinta, probans quàm ſit levi cauſa commotus, quia ſcilicet ſe abluentem Berſabeam ex ſolario conſpexit, & ut ſordidiſſimum, & planè belluinum appetitum expleret. A ſexta, etenim ut ſecuriùs ſua perfrueretur voluptate, Uriam Hethæum virum Berſabeæ conjugem fecit occidi, idque indignè, & traditione ejus capitis facta. A ſeptima denique, & ultima, oſtendens eo tempore facinus perpetraſſe, quo ſolent Reges ad bella procedere, eo tempore indulſiſſe libidini, quo cæteri præliis inſudabant. En quàm augeatur crimen Davidis his circumſtantiis, unde Rhetor facilè intelliget partis hujus miram utilitatem.

D

Præter hos omnes amplificandi, & probandi communes locos, quos hucuſque (qua maxima potuimus brevitate) collegimus, deſerviunt etiam probationi varia argumentorum genera, & formæ, & amplificationis figuræ, & epiphonemata; ſed commodiùs multò de argumentis, cum de confirmatione, & confutatione, de figuris autem, & epiphonematibus, cum de elocutione diſſeremus. Quibus locis quicquid hîc deeſſe videtur pleniùs explicabimus.

CAPUT VI.

De diſpoſitione, ſecunda Oratoris parte.

Inventorū diſpoſitio.

E

POſtquam de inveniendi ratione actum eſt, ordo ipſe rerum poſtulare videtur, ut de diſpoſitione aliquid dicamus. Eſt hæc virtus in Oratore, ſpreta quidem ab imperitis, ſed mea mente digniſſima: ut enim ſuperiùs ex D. Auguſtini ſententia diſſerebam, quamvis multa ad rem pertinentia inventa ſint; niſi ſuis unumquodque propriis, ac quaſi legitimis ſedibus collocetur, aut nihil ex eis, aut parùm fructus eveniet, qua in re quamplurimos alias peritos peccare video: dum enim, quicquid invenerint, dicere conantur, idque nullo ſervato diſpoſitionis ordine, efficiunt rudem quamdam, & indigeſtam aggerant molem, qua oratio tum obſcura redditur, tum moleſta. Oportet igitur hanc peſtem totis alis fugere, & impenſiùs curare, ut diſpoſitio colligat, & deſtinet, quicquid inventio latè invenerit, & effuderit. Verùm quia electio antecedere debet diſpoſitionem, operæpretium erit, pauca quædam de electione dicere, quibus quaſi complanatum diſpoſitionis iter minori negotio percurratur.

Electio quid?

F

Quid in electione ſervandum.

G

Orationis partes, quæ & quot.

Exordium.

Narratio,

Propoſitio.

Confirmatio.

H

Confutatio.

Epilogus.

Eſt ergo electio eximia Oratoris virtus, cujus præcipuum munus ab inventione reperta, & collecta, dijudicare, repudiare ſordida, aut minùs apta; præclara verò, & illuſtria ſeligere. Id tamen inter eligendum animadvertat Orator, ne potiora reputet, quæ illuſtrius ingenii acumen præ ſe ferunt, aut minus vulgaria ſunt, niſi rei ipſi, de qua eſt acturus, quaſi innatæ conveniant. Satius eſt aptè mediocria, quàm ſublimia ineptè proferri. Sanè hac in re frequens vitium eſt oratoribus noſtræ tempeſtatis, qui nihil ferè de ipſo primo propoſito cogitantes, per exteras res ineptè (dummodo acutè, & elevatè) vagari pulchrum cenſent, ſed quàm à vera virtute dicendi aberrent, quicumque artem docti, judices ſunto. Selectis igitur aptioribus argumento rebus, accedit opportunè diſpoſitio, illas ſuis locis ſeriatim aſſignans, quo concinnam, ac bene diſpoſitam, & congruentem reddat Orationem. Verùm hæc concinnitas, & recta diſpoſitio ſine cognitione partium, quibus oratio conſtat; nullatenus perfectè poteſt comparari. Sex itaque aſſignari ſolent partes, quibus abſoluta oratio conſtare debet. Exordium, Narratio, Propoſitio (cui diviſio eſt comes) Confirmatio, Confutatio, & Peroratio, ſive Epilogus. Exordium eſt primum orationis membrum, ejuſque caput, quo audientium animi concilientur, & vel benevoli, vel attenti redduntur. Narratio eſt ſimplex rei alicujus expoſitio, perinde ac res geſta fuit. Propoſitio ſummam dicendorum, & finem orationis complectitur, cui conjungitur partitio, quæ membra tractatus oſtendit. Confirmatio eſt noſtræ ſententiæ aſſeveratio, argumentis, ac rationibus petita. Confutatio verò enervatio argumentorum, quæ nobis ab adverſario objiciuntur. Epilogus denique eſt artificioſus terminus totius Orationis. His partibus conſtare oportet, &, ut ita dicam, integrari Orationem perfectam; eæ enim quaſi membra, & organa ſunt perfectæ Orationis, atque omnibus (ut ajunt) nu-

numeris abſolutæ. Quid verò unaquæque earum, ſequenti ſermone breviter explicandum.

PARS SECUNDA.

A

CAPUT I.

De Exordio, prima Orationis parte.

Exordium primæ Orationis pars.

EXordium eſt, ut dixi, prima Orationis pars, qua audientium animos initio dicendi præparamus ad audiendum, ut benevoli, ut attenti, ut dociles reddantur Auditores. Id qua ratione obtinendum ſit, longo verborum ductu, ſolet hîc ab aliquibus pertractari, nos de his aliquantò breviùs:

Benevolentia auditorum quot modis captatur? A dicente.

B

Igitur (ut à benevolentia incipiamus) quatuor illa modis poteſt captari: a dicentis videlicet, ab adverſariorum, & ab audientium perſonis, & demum ab ipſis rebus pertractandis. A dicentis quidem perſona, ſi ſuam erga Auditores, vel charitatem, vel reverentiam Orator expoſuerit. Congruè à charitate captabit, qui Epiſcopus, vel Præſul ad ſuas plebes dicit, ut ſæpe captat Chryſoſtomus. Ridiculum eſſet id in gregario Concionatore, vel etiam in non gregario, tum maximè, cum ad illuſtrem aliquem conventum diceret, ubi à reverentia potius ducenda captatio. Ab adverſariis ducitur, ſi eos in odium, contemptum, invidiamve audientium Orator adduxerit. Neque ſolùm cenſemus adverſariorum nomine eos, qui in Civilibus cauſis adverſarii appellantur, ſed ea etiam omnia quæ nobis dicentibus, vel iis, de quibus dicimus poſſunt adverſari; ſic de patientia dicturi optimè captabimus Auditorum benevolentiam, ſi patientiæ contrariam iracundiam in odium illorum adducere conabimur. Ab Auditoribus benevolentia conciliatur, ubi ipſorum ingenuitatem, laudes modeſtè oſtenderimus. A rebus denique ipſis, cum id, de quo ſumus dicturi, utile, & gratum audientibus fore demonſtrabimus.

Ab adverſariis.

C

Ab audientibus.

Ab ipſa re.

Et ejus magnitudine.

Deinde attenti reddentur Auditores, ſi magna nos de re, ſi de ardua, difficili, inſueta, locuturos prædixerimus. Neque verò decet promiſſis vincere dicendorum, aut rei ipſius momenta, aut audientium fidem, ne dum res acceſſerit, frigidus, ac irriſus maneat Orator.

D

A docilitate.

Docilitatem cæteris captandis intermiſcui, non quòd exordii ſit illam captare, ſed quòd ab omnibus Authoribus inter benevolentiam, & aſſertionem captanda docetur. Potiùs dixerim, munus id ſive ad narrationem, ſive multò congruentiùs ad partitionem, & propoſitionem attinere; ubi & nos de ea diſſeremus.

Nunc verò ut parti huic debitum finem imponamus, id unum maximè animadvertendum cenſeo: non ſemper ſcilicet neceſſarium eſſe aperto ſermone ab utriuſque, vel alterius ex aſſignatis rebus captatione orationem ordiri, præſertim cum non tam oratoriè, quàm Eccleſiaſticè fuerit dicturus. Tunc enim illuſtri aliqua figura propoſita, aut exemplo, aut ſententia, quod rei dicendæ congruerit exordium aptè ſumere licebit. In cauſis verò oratoriis exordium eo ordine, quo traditum eſt, in quo videlicet, & attenti, & benevoli, vel taciti, vel expreſſi Auditores reddantur, nullatenus prætermittendum.

E

CAPUT II.

De Narratione, ſecunda Orationis parte.

ACcedit proximè poſt Exordium Narratio, ad judiciales præcipuè cauſas excogitata. Spectat ad eam, præſertim in forenſibus, quis ſit cauſæ ſtatus, & quid ea contineat, & (ut uno dicam verbo) totam ejus rationem breviter, & quaſi ad punctum exponere. Ejus quatuor potiſſimè virtutes aſſignantur. Optant quippe Rhetores Narrationem brevem, dilucidam, veriſimilem, & jucundam fore. Brevis attentiùs, jucunda libentiùs, perſpicua faciliùs auditur, veriſimilis autem & confirmationi deſervit, & minori negocio comprobatur.

F

Quatuor Narrationis partes.

Brevitas.

Erit igitur brevis Narratio ſi inde ordiemur narrare, unde erit neceſſe, & ſi non ita involvemus narrationem rei, ut iterum dicta, iterum repetere, etiam ab ultimo initio neceſſarium ſit. Denique ſi ſummatim, non minutatim, & diffusè narrabimus, & ſi non ad extremum, ſed eò uſque, quò oportebit, perveniemus narrando. Si nullis utemur tranſitionibus, ſi non à ſcopo deerrantes, id quod exponere cœperimus relinquemus: ſi ita rerum dicendarum exitus narrabimus, ut ea, quæ facta fuerint, etiam nobis reticentibus ſcire poſſint. Ut, ſi dicam me ex Italia redeunte, ſubintelligi neceſſariò oportet, me in Italiam quandoque fuiſſe profectum. Et omninò non ſolùm reticendum erit, quidquid alicui narrationis virtuti obeſt, ſed quod non prodeſt. Curandum etiam, ne bis, ne aut pluries idem dicamus, aut id quod ſemel diximus, iterum inculcemus; ut quidam, Athenis, inquit, Megaram veſperi advenit Simo: ubi advenit veſperi Megaram inſidias fecit Virgini: inſidias poſtquam fecit vim in loco attulit. Quid ineptius, aut frigidius his repetitiunculis.

G

H

Perſpicuitas.

Rem dilucidè narrabimus, ſi quod primo eſt geſtum primo loco dicetur, & narrandi ſeries, rerum etiam geſtarum ordini conſonarit. Erit hîc animadvertendum Oratori, ne quid perturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, aut novè proferat, ne ex una in aliam rem tranſitio fiat, ne crebra ſit, aut longa digreſſio, neve inordinata Oratio obſcuritatem ſimul, & tædium pa-

pariat audienti. Servanda demum erunt, quæ de brevitate præcepta ſunt, quò enim brevior, eò dilucidior, & magis perſpicua redditur narratio.

Et ejus conditiones.

Sic redditur, ſi decorè, ſi lepidè, nova, inexſpectata, magna, gravia ediderit. Hujus certè virtutis perfectio à recta pronunciatione, & ab ornata elocutione maximè pendet.

Hinc ejus jucunditas.

Jucundè enim narramus, cum & appoſito geſtu, & digna voce, & ornatis ſermonibus exponimus rem.

A

Veriſimilitudo.

Veriſimiliter autem, ſi rerum, & temporum ſeriem obſervantes, ut geſtæ res erunt, vel ut potuiſſe geri videbuntur, exponemus; ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates, opportunitates locorum, conſiliorum rationes ſibi conſtabunt, ne ab unoquoque ſciolo, aut parum temporis interceſſiſſe, aut cauſam nullam, aut locum idoneum non fuiſſe, aut hæc eadem, quæ narrantur ab illis, quos dicimus, aut fieri, aut ſuſtineri non potuiſſe meritò obiici poſſit.

Quidque cavendum?

Summè itaque cavendum eſt, ne aliquid huic virtuti adverſetur, reddet enim ſuſpectam totam orationem, & reliquis dicendis ſubtrahet fidem. Neque enim magis quicquam diſplicet in dicente, quàm veraciter vera non tradere.

B

Quidquid ergo dicet veroſimile eſſe demonſtrabit. Id ut faciat audientis induet perſonam, & quidquid obiici ſibi poſſe conſpicit, aut rei narratæ quoquo modo veritati adverſari, brevi ſubjectione diluere conabitur. Hæc de narratione, ut forenſibus cauſis deſervire, & aſſumi proximè poſt exordium ſolet.

Cæterùm in ſuaſoriis, & Eccleſiaſticis, licèt nullum certum in oratione locum obtineat, incidit tamen frequenter, quoties, aut rem aliquam geſtam, aut Sanctorum hiſtorias, aut exempla aliqua inſignia commemoramus. Item cum Evangelicus textus (prima præcipuè dicendi fronte) fuerit explanandus.

C

Quibus in rebus eædem ipſæ Regulæ, quas forenſibus tradidimus, erunt & Eccleſiaſticis obſervandæ. Hoc addito quod in exponendis Divorum geſtis; aut deteſtandis pravorum factis (niſi obſtet brevitas) plurima amplificatione ex iis fontibus, quos nuper aſſignavimus uti oportebit. Hoc quippe narrationis genus majorem eloquentiæ vim, quam cœtera exoptat. Huic potiſſimè conveniunt amplæ rerum, & perſonarum deſcriptiones, quas infra (Deo juvante) cum de elocutione agendum fuerit, exponemus. Nihil autem ſatius ad has virtutes parandas, quàm eloquentiſſimorum virorum ſcripta aſſiduè evolvere, & quam artem in eis redolent graviter annotare.

D.

CAPUT III.

De Propoſitione, tertia Orationis parte.

QUamvis in forenſibus dictionibus, tertio loco numeretur hæc pars, in Eccleſiaſticis tamen, ubi nullam habet certam ſedem narratio, ſecundum obtinet locum propoſitio, ſequiturque immediatè exordium, imò, & exordio ipſi, neque rarò, neque ineptè ſolet immiſceri, quandoque etiam penitus prætermitti.

Propoſitio, quid?

Eſt autem propoſitio, qua breviter initio dicendi totam dicendorum ſummam colligimus, ac quaſi ob oculos audientium ponimus. Huic affinis eſt partitio, qua in membra concidimus orationis materiam. Explicamus itaque propoſitione, & partitione, quem ordinem in dicendo ſequuturi ſumus, quot item, & quibus de rebus dicendum eſt.

E

Quod unum vel maximè docilem reddit Auditorem; dum quæ quo ordine ſint pertractanda, quaſi uno aſpectu prænoſcit, plurimumque adjuvat ipſum dicentem, & lucem non modicam memoriæ affert; ſed curandum ne obſcura ſit diviſio, atque adeò ne multiplex, id eſt, ne abeat in plura membra, quippe ex duobus præſertim, ſeu diviſio, ſeu propoſitio commendatur, ex perſpicuitate videlicet, & brevitate. Cœtera, quæ de hac parte præcipi poſſunt, Rhetoris optimi judicio relinquimus, quandoquidem tota hæc dividendi, & proponendi ratio, prudentiæ potiùs conſilio, quàm artis præcepto conſtat, ut Ciceroni placet.

F

CAPUT IV.

De Confirmatione, & confutatione, quarta, & quinta Orationis parte.

HAS duas partes licèt ſummi Rhetores ſeparandas, & diſtinguendas exiſtiment (quibus & nos ſubſcripſimus, cum de partium orationis numero ageretur) quia tamen in eumdem incidunt ſcopum, de utraque ſimul dicere viſum eſt. Quæ enim argumenta partem noſtram ſtabiliunt, eadem adverſam enervant, & quibus rationibus contraria pars diluitur, iiſdem, & noſtra confirmatur.

G

Confirmatio, & confutatio, quid?

Agemus itaque de confirmatione, & confutatione, quaſi de eadem virtute, cum eumdem prorſus finem utraque ſpectet, & niſi ex mediorum proxima diverſitate nil diſtent. Hæc enim diluendo adverſas rationes (ſi quæ ſint) partem ſuam confirmat, illa propriis argumentis in id ipſum conatur. Hæc ad probandum, illa valet ad refellendum. Hæc adverſariorum argumenta, quæ vel objecta ſunt, vel obiici poſſent diſſolvit; illa hinc inde ſumptis argumentis ſuſceptæ cauſæ fidem facit. Sed cum jam de argumentorum fontibus, & inventione ſatis in ſuperioribus actum ſit, ſupereſt, ut de eorundem formatione, & modis dicamus.

H

Argumentorum genera. Inductio, quid?

Illud verò primo loco dicendum occurrit, omne ſcilicet argumentum, aut inductione, aut ratiocinatione pertractari. Inductio eſt oratio, ſive argumentatio, qua à plurium vel ſingularium, vel ſimilium inſpectione, alterum quid, ſive ſimile, ſive commune probatur. Erit ergo inductio, ſi

ad

Scrip. An. 1600.

Lib. de Idolor. vanitate

ad probandum mundum hunc Numine uno regi, dixeris cum D. Cypriano: Rex unus eſt apibus, dux unus gregibus, & armentis rector unus; multò magis mundi unus eſt Moderator, qui univerſa quæcumque ſunt verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat, &c. Inductio hæc à ſimilibus progreſſa in alterum quid ſimile deducit. Extat verò alterius inductionis, quæ à ſingularibus ad commune conſcendit præclarum exemplum in geſtis Machabæorum, ubi Mathatias filios exhortans ad ſpem in uno Deo reponendam, ejuſque præcepta ſervanda ſic ait: *Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad juſtitiam? Joſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodivit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti. Phinees Pater noſter zelando Zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotii æterni. Jeſus, dum implet verbum, factus eſt Dux in Iſrael. Caleb, dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hereditatem. David in ſua miſericordia conſequutus eſt ſedem regni in ſæcula. Elias, dum zelat Zelum legis receptus eſt in Cœlum. Ananias, & Azarias, & Miſael credentes liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore Leonum. Et ita cogitate per generationem & generationem; quia omnes, qui ſperant in eo non infirmantur*, &c. Sicut autem à ſingularibus ad univerſalia arguendo conſcendit, ita etiam à communibus ad ſingularia deſcendi poteſt, utque illud ad theſis præcipuè tractatum valet, ita hoc ad hypotheſim utile eſt.

Exemplum aliud.

A

1. Mach. 2. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61.

B

Altera inductionis ſpecies.

Neque verò prætereunda eſt ea inductio, quæ ſive à partibus totum probat, ſive à formis genus, cum hæc & valentiſſima ſit, & omnium acerrima. A partibus quidem totum, ut ſi dicas: Plebs Romana optimè de Milone ſentit, & equeſter ordo, & ſenatus; apud totum ergo Romanum populum optimè Milo audit. A formis verò, ut: Pompejo ineſt ſcientia rei militaris, ineſt virtus, ineſt authoritas, nec deeſt felicitas, optimè ergo eſt Princeps, utpote iis ornatus, quæ in optimo quoque Principe deſiderantur.

C

Syllogiſmus ſive ratiocinatio.

Proximus argumentandi modus, ac fere frequentiſſimus eſt ſyllogiſmus, quem nonnulli ratiocinationem appellant. Ejus partes, & præceptiones latiſſimè tradit Dialectica, ut quæ potiſſimùm de illo agit: licèt verò Dialectici tribus tantùm pronunciatis ſyllogiſmum conſtare dicant, propoſitione, aſſumptione, & complexione, quorum duo priora, majorem, & minorem, ſive etiam præmiſſas, tertium verò ſequelam, ſeu concluſionem Scholaſtici vocant, Rhetores tamen quoniam ad ſuas probationes propoſitioni, & aſſumptioni collectionem adjungunt, ex quinque pronunciatis conflari volunt (ut in plurimum) Rhetoricum ſyllogiſmum; quamvis & quatuor aliquando conſletur, ſcilicet cum altera ex præmiſſis probatione non eget, imò & tribus etiam, quando utraque præmiſſa propoſitio ſuapte natura aperta, & ante oculos eſt. Pleniſſimè verò fluit ſyllogiſmus quinque aſſertis conſtans, qui nonnunquam ſeptem etiam ſolet conſtare, appellaturque à Valgio Epicherema, & complectitur propoſitionem, probationem propoſitionis, & probationis confirmationem, deinde aſſumptionem, orationem aſſumptionis, & confirmationem rationis, ac tandem, complexionem, ſive conſequentiam.

D

Epicherema, quid?

Eſt & alius argumentandi modus, quaſi per compreſſum ſyllogiſmum duobus tantum pronunciatis coſtantem (quem Enthymema Rhetores appellant) quando aſſumptio omnino præteritur, eò quòd ex ſe liqueat, ut ſi dicerem. Amplectenda eſt omnis virtus, quidni ergo pudicitia? En argumentum, propoſitionem tantummodo, & complexionem claudens, prætermiſſa aſſumptione: nulli enim non conſtat, pudicitiam verè eſſe virtutem.

E

Enthimema quid?

Ultimo loco reponitur Dilemma, quod quaſi cornuta quædam argumentatio, hinc inde urget, ac premit, quando re in duplex caput diviſa ab utroque, quod aſſumpſimus, probamus; ut ſi ſciens, & volens occidit prætereuntem, criminis, & homicidii reus eſt: ſin potiùs projecto in incertum jaculo ignorans, necdum effugiet crimen nocentiſſimæ temeritatis, debuit enim cavere, ne quiſquis occidendus præteriret. Solet & ad conſultationem dilemma conflari inter conſultandum, ut quondam Suſanna: *Si hoc ergo mors mihi eſt, ſi autem non gero non effugiam manus veſtras*: Sed quidem dum conſultationi dilemma deſervit, immeritò inter argumentandi formas numeratur.

Dilemma, quale argumentum?

F

Dan. 13. 22.

In refutandis, ſeu reſolvendis adverſariorum objectis totam ſuam operam collocet orator, ut vel errorem in forma aut colligendi, ſeu argumentandi, vel falſitatem in materia deprehendat; ſi quid ejuſmodi deprehenderit debet id acerrimis rationibus demonſtrare, aut ſimpliciter per ſyllogiſmos decurrente oratione, aut certè figuratè, maximè per ironiam, & elevationem, figuraſque alias huic rei mirè opportunas; de quibus ſuo loco dicemus, Deo dante.

G

CAPUT V.

De peroratione, ſive epilogo, ſexta orationis parte.

De epilogo ejuſque partibus.

H

EPilogus, quæ ultimum eſt orationis membrum, quatuor partibus (per Ariſtotelem) conſtare debet. Curandum enim eſt in peroratione avertere audientium animos à contraria parte, & ad noſtram adducere, & componere affectus, & latè repetita, & diffuſa in orationis decurſu omnia argumenta quaſi in ſummam quamdam artificioſam redigere. Nam cum in confirmatione, & confutatione rationibus præcipuè diffuſis res fuerit acta, oportet in epilogo affectibus uti, omnemque vim ſuadendi in

A

Affectuum excitatio.

di in punctum colligere, idque quàm fieri poſſit acerrimè. Tota namque (ut ita dixerim) ſuaſoria virtus, & efficacia in hac una orationis parte conſtituta eſt: ubi ii, qui audiunt, movendi potiùs ſunt, quàm docendi (teſte Auguſtino) ut in eo, quod jam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus, quas fatentur veras, aſſenſum accommodent, & operationem. In Epilogum itaque reiicienda erit tota, vel maxima affectuum vis, ut ibi & commiſeratio, & coercitio, & obſecratio, & ſi quid eſt aliud, quod vehementer urgeat ſimul commoveant, ac quaſi cogant ad propoſitum audientes. Curabit verò Rhetor (præſertim ſi dicat Eccleſiaſticè) vel ſemper, vel frequentiùs in lenes affectus deſinere; mollificant enim hi, & alacres animos reddunt, iterumque audiendo oratori idoneos, nec à ſuæ ſalutis commontione abhorrentes, quaſi dicentis minis, & authoritate perterrefactos. Oportebit autem & converſione ad populum, vel apoſtrophe ad Deum, vel ad Beatiſſimam Virginem, aut ex Beatis aliquem uti; hæc enim attollunt, ac vehementer excitant audientes, aptiſſimumque orationi finem imponunt.

Apoſtrophe

B

Propoſitio aliquando omitti poteſt.

C

His itaque ſex partibus enumeratis perfectiſſima redditur, & undequaque abſoluta oratio. Ex quibus, licèt propoſitio aliquando ſine vitio poſſit præteriri, reliquæ tamen ita neceſſariò adſunt orationi, ut ſine eis omnibus, vel tacitis, vel expreſſis mutila prorſus, & inanis reddatur. Neque verò perpetuò hunc partium ordinem, quem digeſſimus, ſervare ſolent inſignes concionatores, ut qui aliter quàm Rhetores vulgares dicant, neque unico propoſito contenti plura aſſumant ſuadenda, quaſi oratiunculas plures unica concione complectentes. Quos nunc nec laudo, nec carpo. Equidem multò magis efficaciter dicere videtur is, qui in unicum ſcopum ſemper tendens, fluenti orationis decurſu, ac per ſua membra artificioſè digeſto (ut Rhetoribus accidit) id, quod ſibi perſuadendum aſſumpſit, plenè obtinet, huc tota dicendi ſtructura, & omnibus argumentorum, & affectuum machinis aptè converſis. Sed de diſpoſitione hactenus ſatis.

* * *

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De eloquutione tertia orationis parte.

D

Eloquutio quid, & ejus munia.

Latinitas.

Perſpicuitas.

E

Ornatus.

Eloquutio orationis eſt virtus, quæ orationem perpolit, & exornat. Si perfecta ſit, quatuor adſunt. Latinitas, perſpicuitas, ornatus, & ad id, de quo agitur, aptè dicere. De Latinitate non eſt noſtrum agere, neque enim ſine ea ex Grammaticis apprimè parta licet quemquam ad Rhetorices præcepta tranſire. De perſpicuitate verò unica obſervatione ſermonem abſolvimus, quippe illa perſpicua cenſetur oratio, quæ ſine hyperbatis frequentioribus, ſine crebra parentheſi, ſine abruptione, & hiatu, & demum ſine immodicis tranſlationibus, & allegoriis facilè, ac ſuaviter decurret. Qua in re vel maximè ii peccant, qui ornatiorem dicendi ſtylum tumidè affectantes, qui ſit verus ornatus ignorant: ut enim temperatus, & opportunus ſchematum uſus ornatam orationem reddit, ſic nimius, inflatam & moleſtam. Sed hoc liquidius erit, cum de ornatu ipſo diſſeruerimus. Ornatus itaque ex quatuor fontibus proficiſcitur. Hi ſunt affectus, tropi, & figuræ, & numerus, ſive conſonantia orationis, de quibus ſigillatim dicendum eſt.

CAPUT II.

De affectibus.

Affectuum genera.

F

G

Affectus communiter diſtinguuntur à Rhetoribus in lenes, & acres. Conſurgunt ex locis amplificationis (quos tradidimus cum de inventione ageremus) adjunctis præcipuè figuris, ornantque non mediocriter orationem, ſi, ut decet, excitentur, atque ideo in ornatum rejecimus eos, quamvis non immeritò & ad confirmationem reduci poſſent: movent quippe non minùs, quàm delectant audientes, firmant non minùs quàm ornant orationem: ſerviunt omnibus dicendi generibus deliberativo, demonſtrativo, & forenſi, unicuique ſuo modo. Commovent maximè miſerationem, iracundiam, amorem, odium, admirationem, & laudem. Miſeratio, & ira forum ſpectant. Odium, & amor deliberationem, laus verò, & admiratio ad encomia, & vituperationes dicendas pertinent. Neque aliquid aliud neceſſe eſt dicere ad movendos affectus, præter rectum uſum ſchematum, & locorum, unde argumenta, & amplificationes deſumuntur. Ex quibus hoc dictum eſt; ſuper illud ſtatim dicemus.

CAPUT III.

De Tropis.

Tropus, quid?

Metaphora.

H

Tropus eſt eloquutio, qua propria verborum ſignificatio in aliam pulchrè mutatur. Primus, & uſitatiſſimus eſt Metaphora, quæ ferè cœteris omnibus aliqua ex parte permiſcetur. Hanc latinè tranſlationem dixerunt, quia ex ſimili ſimile ſignificat transferendo: ut lumen in ſole proprium eſt lumen orationis, aut ingenii, per ſimilitudinem illinc traductum. Eam genuit neceſſitas, & inopia; dehinc verò delectatio celebravit, non aliter quàm veſtes nuditas invenit, luxus auxit. Utimur hac figura, aut quia aliter id, quod dicimus nequit ſignificari, aut quia ſic ornatiùs di-

Scrip. An. 1600.

cimus, & ſignificantiùs. Primo modo, ut cum rigidum hominis ingenium, aut hebetem intellectum appellamus: deeſt enim his affectionibus proprium nomen. Secundò, ut cum flammas cupiditatis, iracundiæ, turbinem, aut ſimile quid proferimus. Illud tamen admiratione non caret, plus ſcilicet animos translatis, quàm propriis verbis delectari. Cujus cauſa nulla eſt alia (ni fallor) niſi quod translatio ſimilitudinem unico includit verbo, animæ vero maximè ſimilitudine capiuntur.

A

Varia Metaphorarum genera.

Methaphoræ certa genera perſequi velle, propè eſt, ut ſtultum ſit, cum ex innumeris fontibus deſumantur; nihil eſt enim in rerum natura (ut ait Cicero) cujus non in aliis uti poſſimus vocabulo, & ſimilitudine. Transferimus itaque à Divinis, ut cum excellentiſſimum quodque diviniſſimum dicitur. Quod Ariſtoteles cum de bono communi agit frequentiſſimè uſurpat: ſic Virgilius maximum, ac beneficentiſſimum ſibi Cæſarem Deum appellat.

A divinis.

Ecl. 1.

O *Mælibee*, *Deus nobis hæc otia fecit*.

B

Ab elementis.

Item ab elementis; Ab igne, ut, omnes incenduntur ad ſtudium gloriæ. Ab aere: ut,

Æneid. 4.

Conſilium vultu tegit, *& ſpem fronte ſerenat*.

Ab aquis: ut, ingenii flumen, fluctus periculorum, & fluctuare animo, & his ſimilia. A terra: ut, cum ſuperbiæ montes dicimus, aut etiam difficultatum. A plantis: ut, virtus eſt una altiſſimis defixa radicibus, quæ numquam dimoveri loco, nulla re labefactari poteſt. Ex animantibus: ut oblatrare mordaces homines; hinnire impudicos, &c. Ex ſenſibus: ut, olfacere, pro reſcire, videre, pro certo cognoſcere, attrectare manibus, & cætera hujus generis. Ex artibus: ut limare poema, pingere verba, rei uſuram reſarcire, &c. Item & ex gentibus: ut cretizare pro mendaciter, & vafrè agere: Eſſe Romanum pro eo, quod eſt fortem, & ſtrenuum militem ſe præſtare, &c.

A plantis.

Ab animantibus.

A ſenſibus.

C

Ab artibus.

A gentibus.

Vitium.

Huic tropo proximum eſt vitium, aut diſſimilitudinis: ſcilicet cum non aptè quadrat rei ea ſimilitudo, unde Metaphora ducitur, cujuſmodi eſt illud Ennii: *Cæli ingentes fornices*, &c. Aut tumoris, aut humilitatis: fugere enim utrumque totis alis oportet, ne aut nimium ſint humiles translationes, aut nimium tumentes. Qua in re caveat Orator, ne omnia, quæ Poetis permittuntur, ſibi etiam putet licere; non enim aptè in oratione ſoluta diceretur, pennis remigare. Ut modicus autem, & oportunus uſus hujus tropi orationem illuſtrat, ita frequentiſſimè illam obſcurat, & tædio implet audientes; continuus verò in ænigma exit. Quod ſi translatio aliquantò videatur durior, molliri aliquo verbo opportebit: ut, ſi M. Catoni mortuo pupillum dixeris remanſiſſe Senatum; duriuſculè; ſi verò, ut ita dicam, pupillum; mitiùs aliquantò.

D

Allegoria.

Proxima eſt Metaphoræ Allegoria, quæ latinè dicitur inverſio, & aliud verbis, aliud ſenſu ſignificat. Fit autem, quoties multiplicata, & continuata Metaphora, perſequimur ſimilitudinem ſemel ſumptam, reticentes id, cui convenit ſimilitudo, quale eſt illud Horatii:

E

Lib. 1. Od. 14.

O *Navis*, *referent in mare te novi fluctus?*
O, *quid agis? fortiter occupa portum*.

Ubi Poeta navim pro Republica, fluctus pro bellis civilibus, mare pro clade, & ruina; portum pro pace, & concordia dixit, compreſſis tamen Reipublicæ, bellorum, cladis, & concordiæ nominibus. Perfrequens tropus in ſacris Literis, nec longè à parabolis diſtans, maximè verò propheticis ſermonibus familiaris.

Quando ænigma dicatur?

Allegoria ſi obſcurior ſit, Ænigma dicitur, eſtque alius tropus ab allegoria; modò id ſit Ænigma, quod tropi obtineat naturam, à propria ad non propriam inverſa ſignificatione verborum. Eſt enim Ænigma, non tropus, illud apud Virgilium:

F

Ecl. 4.

Dic, *quibus in terris*, *& eris mihi magnus Apollo*,
Tres pateat Cœli ſpatium, *non amplius ulnas*.

Et item illud in Judicuum hiſtoria; *De comedente exivit cibus*, *& de forti egreſſa eſt dulcedo*. Quibus in Ænigmatibus licèt obſcurus ſit ſenſus, ſignificatio tamen verborum nihil invertitur ab innata, & ſibi propria. Quandocumque autem ſenſus eſt abſtruſior, & verba immutantur à propria in non propriam ſignificationem, tropus in Ænigma conſurgit; cujuſmodi innumera ſunt Ænigmata, tum apud ſacros Vates, tum apud Sapientiales (ut vocant) Codices Bibliorum. Exemplum præſtò eſt ex ultimo capite Eccleſ. quod totum ferè Ænigmaticè decurrit: *Florebit amigdalus*, *impinguabitur locuſta*, *diſſipabitur capparis*, *&c. antequam rumpatur funiculus argenteus*, *& recurrat vitta aurea*, *& conteratur hydria ſuper fontem*, *& confringatur rota ſuper ciſternam &c.* Hæc verba non in propria ſignificatione proferri, ſed in translatitia quis dubitet? & cum alia ex parte ſermo ſit obſcurus, & ſenſum claudat reconditiorem, abſque dubio verum, & legitimum Ænigma cenſendum eſt.

Cap. 13. 14.

G

Verſ. 5. 6.

Ironia.

Ironia (quam Latini illuſionem appellant) contrarium ſenſu oſtendit, quàm verbis. Utimur ea præcipuè ad illudendum, unde & appellationem ſortita eſt; ſic Cicero in Nævium hominem vafrum pulchrè jocatur. Credamus hoc: Sextum nævium, cujus caput oppugnat, ejus auribus perperciſſe. Credamus hoc, ironicè dictum; ac ſi diceret, nullo modo credendum. Sic Virgilius.

H

Egre-

Scrip. An. 1600.

4. Æneid.

> *Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis,*
> *Tuque, puerque tuus magnum, & memorabile numen,*
> *Una dola Divum, ſi fœmina victa duorum eſt.*

Laudem egregiam, & numen memorabile, & ampla ſpolia in contrarium planè ſenſum dicuntur. Eſt hîc tropus adeo ſententiis, & affectibus ſerviens, ut licèt ad tropos ſpectet, non injuria ad ſententiarum figuras poſſet revocari. Valet præſertim ad enervanda argumenta contrariæ partis, & geſtu, ac tono vocis in primis declaratur.

A

Metonimia. Per cauſam

Metonimia tropus eſt, qui vel cauſas per effectus, vel effectus per cauſas, vel ex eo, quod continet, id quod continetur, vel rem à ſigno intelligimus. Effectus quidem per cauſas, ut cum ignem ſumimus pro calore, nivem pro frigore. Sic Livium dicimus pro hiſtoria ab eo ſcripta. Huc ſpectat ea virtus, quæ rerum inventores, aut Duces, ſive nomina pro ipſis rebus ponimus: ut Vulcanum pro igne, Cererem pro frumento, Bacchum pro vino, Venerem pro luxuria, &c. Item, cum materiam pro re (ut ita dicam) materiata: ut pinum pro navi, æs pro gladio, aut armis, aut pecunia, &c. Cauſas per effectus monſtramus, cum pallidam dicimus mortem, mœſtum timorem, inconſultam juventutem. Ex eo, quod continet, id quod continetur, venuſtè etiam intelligitur: ut cum Romam dicimus, pro Romanis, pro Siculis Siciliam, pro civibus urbem. Denique à ſigno monſtratur res. Unde Caduceus, qui inſigne pacis erat, pro pace; faſces pro magiſtratu; Purpura pro Regibus, toga pro Juris peritis, laurea pro militibus uſurpantur.

B

Per effectū.

Per continens.

Per ſignum

Synecdoche, & ejus genera.

C

Synecdoche aut ex parte totum, aut ex toto partem, aut ex antecedentibus ſequentia, aut antecedentia ex ſequentibus, ſignificat. Ex parte totum: ut ex mucrone enſem, ex tecto domum, ex puppi navim. Cujus generis tropus eſt, cum ex uno plures intelliguntur, ut Cæſar debellavit Pompejum, id eſt, Cæſariani milites Pompejanos. Pars oſtenditur ex toto, ut Æneid. L. 1.

Eclog. 1.

> *Pabula guſtaſſent Troiæ, Xantumque bibiſſent.* Item.
> *Aut Ararim Parthus bibit, aut Germania Tigrim.*

Ex antecedentibus ſequentia colliguntur; ut

Eclog. 3.

D

> *Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.*

Et ex conſequentibus antecedentia; ut Rediit ex Provincia: intelligitur enim iviſſe, qui redit.

Antonomaſia.

Antonomaſia aliquid ponit pro nomine, quo ipſum nomen circumloquitur. Sic Mariæ filium aſſertorem mundi, Deum hominem, Chriſtum appellamus. Sic Carthaginis everſor, pro Scipione aſſumitur. Sed tunc præcipuè hic tropus elucet, quando id, quod pro nomine ponitur, pluribus eſt commuue, ſed per excellentiam quamdam uni accommodatur, ut Apoſtolus pro Paulo, Orator pro Cicerone, Poeta pro Virgilio.

Hiperbole.

Hyperbole, Latinis ſuperlatio, ſeu ſuperjectio, tropus eſt, cum aliquid dicitur fidem excedens, ſed verba non in propria ſignificatione ſumuntur: ut Euro rapidior pro velociſſimo. Et illud Virgilii de Capellis: *Vix oſſibus hærent*; id eſt, tenuiſſimæ ſunt, & valde macræ. Et quod ait Poeta.

E

Eclog. 3.

7. Æneid.

> *Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret*
> *Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.*

Id totum hyperbolice dicitur; ut illud, Et fulminis ocior alis. Eſt tropus oratoribus frequens, neque ab eo ſacræ paginæ abhorrent.

Catachreſis

Catachreſis, quæ latinè dicitur abuſio, non habentibus nomen è proximo accommodat: ut cum fratris occiſor, fratricida dicitur. Hanc aliqui nolunt inter tropos annumerare, nec injuria; quia licèt non minùs, quàm cæteri omnes tropi verbum à propria ſignificatione ad non propriam traducat, (Parricida enim propriè occiſorem patris tantùm ſignificat, & velut tropicè ad ſignificandum occiſorem matris, aut ſororis transfertur,) tamen quod legitimi tropi cum ornatu præſtant, id abuſio ſine eo, ſed ex mera inopia, ſeu indigentia verborum.

F

Epitheton, & periphraſis.

Traduntur à Rhetoribus & alii tropi: ut Epitheton, Periphraſis, &c. qui tamen aut verè tropi non ſunt, aut ſi aliqualem ſpeciem troporum habent, ad ſupra dictos facilè reduci poſſunt. Contingit autem plures ſimul tropos in eamdem ſententiam concurrere, quos nullo negotio, qui hæc attentis oculis perlegerit dignoſcet.

G

CAPUT IV.

De figuris in communi.

Figura, quid?

POſtquam tropi naturam, ejusque ſpecies omnes recenſuimus, ſupereſt figuris manum admovere. Figura igitur eſt eloquutio, aut conformatio quædam orationis, qua ornatè removetur à communi, & ſimplici forma dicendi; non quòd nullatenus figuræ ſint in vulgarium hominum loquutione, ſed quòd rariùs, & inconſultiùs in hominum imperitorum ſermone, hæc orationis lumina reperiantur. Eſt autem duplex figuræ genus; alterum verborum, alterum ſententiarum: hoc præcipuè affectibus concitandis, & ſuaſioni ſervit; illud concinnitati, & pulchritudini orationis. Sed de his diſſeramus.

Quotuplex?

H

CAPUT V.

De figuris verborum in communi.

Figura verborum, quid?

FIgura verborum nihil eſt aliud, quàm modulus quidam, ſuaviſque, & apta dictionum adſonantium conformatio, quæ cum delectatione percipitur. Conſurgit tum ex concinna, & apta pedum ſtructura, tum ex ſuavi, & modulata vocum ſimilitudine, & varietate. De numero, & collocatione pedum agetur poſtea, nunc de verborum tantùm adſonantia. Poſſunt in quatuor claſſes figuræ verborum diſcerni, ut prima eas includat, quæ ejuſdem verbi repetitione conſtant: eas ſecunda, quæ plurimùm ſimilitudine; tertia, quæ contrarietate efficiuntur; & tandem quarta reliquas omnes, quæ ex iis ſuperſunt: ſingulas ergo claſſes percurramus.

A

Ejuſque claſſes.

CAPUT VI.

De figuris verborum primæ claſſis.

B

Claſſis primæ ejuſque modi.

Epizeuſis.

PRima claſſis ſeptem figuris completur, Epizeuxi, Anaphora, Epiſtrophi, Epanalepſi, Epanado, Anadiploſi, & Climace. Epizeuxis eſt figura, qua in eadem ſententia idem verbum immediatè, & continenter repetitur, ut:

Lib. 9. Æneid. *Meme adſum qui feci.* Et
Ipſa ſonant arbuſta; Deus, Deus ille Menalcha.
Eclog. 5. *—— Sit bonus, O felixque tuis.*

Ier. c. 4. 32.

C

Familiaris eſt hæc figura ſacris litteris, ut: *Heu, Heu, Heu, Domine Deus, &c.* Et alibi: Terra, Terra, Terra, audi vocem Domini. Solet & conjunctio interponi, neque ideo figuræ venuſtas tollitur, imò nec ſi interponatur brevis parentheſis, ut: Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Et alio loco: Haſta poſita, pro æde Jovis ſtatuis bona (miſerum me!) bona inquam Cnei Pompei &c.

Offic. 50.

Anaphora.

Anaphora, Latinis relatio, ſeu repetitio, idem verbum in principiis inciſorum, vel membrorum, vel periodorum ſolet recinere. In principiis inciſorum; quale eſt illud Pauli: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque inſtantia, neque futura* &c. Verbum (*neque*) toties reſumptum in inciſorum initiis pulcherrimam reddit orationem. Ejuſmodi figura uſus eſt Poeta:

Rom. c. 8. 38.

Æneid. 6. *—— Non vultus, non color unus,*
Non comptæ manſere comæ.

D

In principiis membrorum eſt Anaphora, cum ſimilis ſonus repetitur in unoquoque, ut:

Virg. Geor. 6. 2. *Primus humum fodito, primus devecta cremato*
Sarmenta, & vallos primus ſubtecta referto.

Denique in principiis periodorum pulchrè reſonat Anaphora, ut apud Cyprianum: *Confeſſor eſt? Sed poſt Confeſſionem periculum majus eſt. Confeſſor eſt? Hoc magis ſtare debet cum Domini Evangelio. Confeſſor eſt? Sit humilis,* &c.

Lib. de Unit. Eccleſ.

Epiſtrophe.

Epiſtrophe eſt numerus, quo eamdem dictionem ſæpius in eoſdem fines reiicimus: ut *Hæbrei ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen Abraham ſunt, & ego: Miniſtri Chriſti ſunt, & ego,* &c. Poſſet & in tria genera dividi Epiſtrophe, ſicut diviſa eſt Anaphora. Erit quippe Epiſtrophe in repetitione extrema ejuſdem vocis, ſi modò in extremis inciſorum, modò membrorum, modò etiam periodorum reſumatur. Quorum generum exempla paſſim in oratoribus, & Poetis, imò & in ſacris libris occurrent legenti.

2. Cor. 11. 22. 23.

E

Ejut genera quot?

Cum verò & eædem voces ſemper in membrorum, ſeu periodorum initiis, & aliæ itidem ſemper in extremis eorumdem aſſumuntur, aliqui diverſam conſtituunt figuram, quam vocant complexionem, quòd Anaphoram, & Epiſtrophem complectatur: cujuſmodi eſt illud apud D. Bonaventuram: *Si vis patienter tolerare adverſa, vaca orationi. Si vis tentationes ſuperare, vaca orationi. Si vis pravas affectiones conculcare, vaca orationi. Si vis aſtutias Sathani cognoſcere, vaca orationi,* &c. Ubi eadem vides principia, & eadem ſemper extrema periodorum aſſumi. Sed tamen hanc complexionem, non diverſam ab illis figuram, ſed illam utramque connexam, ac cohærentem eſſe exiſtimamus.

F

In Sermon.

Epanalepſis

Epanalepſis, figura eſt, quæ eamdem vocem in principio, & in fine conduplicat. Sic Ovidius:

Nullus erat, referoque manus, iterumque retento, Her. Ep. 9.
Perque thorum moveo brachia; nullus erat.

G

Et alia Epiſtola:

Graia juvenca venit, quæ te, patriamque, domumque Her. Ep. 5.
Perdat, Io prohibe, Graia juvenca venit.

Et Martialis:

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris? Lib. 8. Epigr. 21.
Cæſare venturo, Phoſphere redde diem.

Epanados.

Epanados, latinè regreſſio, ſive traductio, cum idem verbum crebriùs aſſumat, non modò non offendit, ſed concinniorem reddit orationem: ut apud Ciceronem, Offic. 47. Gratiam qui refert, habet; & qui habet, in eo quod habet, refert. Ubi eædem repetitæ voces ordinis mutatione, & ſimilitudinis gratia ſummopere delectant. Differt ab Epizeuxi Epanados, quòd illa continenter, hæc nullatenus eamdem vocem repetit, niſi intermiſſis aliis.

H

Ejus ab Epizeuxi diſcrimen.

Scrip. An. 1600.

Anadiploſis

Anadiploſis repetit idem verbum in fine unius ſententiæ, & in principio ſequentis. Sic Virgilius:

Eolog. 10.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas.

A

Differt ab Epizeuxi, quòd Epixeuxis intra eamdem ſententiam repetit continenter vocem. Anadiploſis verò ſemper in diverſis, fine ſcilicet unius, & alterius initio.

Climax.

Climax, ſive gradatio eſt, cum ita oratio progreditur, ut antecedens verbum ſequenti loco proximè aſſumatur; quo ordine pulcherrima quædam verborum catena innectitur. Sic Paulus: *Scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio verò ſpem,* &c. Et alibi: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Item: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur,* &c. Hac figura perpulchrè uſus eſt Poeta:

Rom. 5. 3. 4.

Rom. 8. 30.

Rom. 10. 14. 15.

B

Eclog. 2.

Torva Leæna Lupum ſequitur, Lupus ipſe Capellam:
Florentem Cytiſum ſequitur laſciva Capella.

Et Cicero pro Roſcio Amerino, cum dixit: Ex urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia, &c.

Hæ igitur ſeptem expoſitæ figuræ inveniuntur, in quibus ex ejuſdem verbi repetitione, ſive continenti, ſive ſeparata (certo tamen ordine, & loco diſpoſita) harmonicus quidam ſonus conſurgit, quo ſuaviter delectantur auditores. Ut verò verbum idem ſi artificioſè, & aptè repetat orationem exornat, auditores delectat, ſic crebrò ſine arte, & ſine ſale repetitum tædium audientibus parit, & in id vitium vertitur, quod Tautologiam veteres appellarunt.

C

CAPUT VII.

De figuris verborum ſecundæ claſſis.

Claſſis ſecundæ figuræ, quæ?

Continet claſſis ſecunda quinque figuras, quæ vocum, ſive orationum ſimilitudine delectant. Vocum quidem, ut Paronomaſia, & Polyptoton, quæ in ſimplicibus verbis ſpectantur; orationum verò, aut membrorum, ut Compar, & ſimiliter cadens, ac ſimiliter deſinens.

D

Paronomaſia.

Paronomaſia, Latinè agnominatio, eſt verborum ſimilitudo; in diſſimili tamen, ac ſeparato ſententiæ ſenſu, cujuſmodi plura apud D. Bernardum, nonnulla apud Cyprianum, nec raro etiam apud Auguſtinum, & alios ex Patribus. Pulcherrima eſt figura, & quæ ſi modò temperatè, & facetè fluat, vel maximo eſt auribus oblectamento. Sic Cyprianus. Non ſunt quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Pulcherrimè verò D. Bernardus in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, ubi ex vocibus Cœli, & Cellæ nactus agnominandi occaſionem, elegantiſſima ſimilium vocum colliſione velut jocatur: Nam cum in Cellis inquit, jugiter ac in cœlis cœleſtia actitantur (audeo dicere) ſancti Angeli Dei non minus gaudent in Cellis, ac in Cœlis. Sic denique Auguſtinus de Martyribus innocentibus loquens, ait: Pignora ſunt non poſita, ſed expoſita, non credita, ſed creata. Sic Gregorius de Magdalena: Acceſſit immunda, ut rediret munda: acceſſit ægra, ut rediret ſana; acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa.

E

Polyptoton.

Polyptoton eſt figura, qua ejuſdem verbi caſus terminatur, mutatur, & ſub hac mutatione bis, aut pluries idem verbum aſſumitur, jam non prorſus idem ſed ſimile. Caſum autem intelligi volumus non tam anguſtè, quàm definiunt Grammatici, ſed quemvis exitum, quo verbum diverſimodè deſinit. Qua figura eleganter uſus eſt Paulus, dum ait: *Sine nobis regnatis, & utinam regentis, ut & nos vobiſcum regnemus.* Et Galat. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, non ab hominibus, neque per hominem &c.* Et c. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Conſurgit hæc figura, mutatis vel caſibus Grammaticis, ut apud Virgilium:

1. Cor. 4. 8.

F

Gal. c. 1. 1.

Gal. c. 3. 13.

Æneid. 4.

Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

Vel numeris, ut:

—— *Non omnis fert omnia tellus.*

Eclog. 4.

Vel generibus, ut:

Æneid. 5.

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, longam muris dum congeret altam,
Retulit.

G

In verbis autem, ſi varientur perſonæ, quale eſt illud Chriſti Domini: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo &c.* Vel ſi varientur numeri, ut: Quare gemuit animal, gemuerunt greges, armenta &c. Vel tempora, ſive modi, ut: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Vel denique ſi activa in paſſivam vocem mutetur, ut: Qui diligit me, diligetur à Patre meo &c. Differt hæc figura ab omnibus primæ claſſis; quòd illæ verbum repetunt ſub eadem terminatione, & immutatum; at Polyptoton ſub exitu vario, & non aliter.

Luc. c. 12. 8.

Compar.

H

Compar (quod Græci Iſocolon) figura eſt, qua plura membra in eamdem ferè, & æqualem ſyllabarum menſuram colliguntur; quod non ſyllabarum numeratione (ut pueri ſolent) ſed ſenſu quodam, ac habitu mentis dignoſcendum eſt. Adeo debet eſſe figura hæc Oratori familiaris, ut ſine ea nullo modo poſſit non inornatè, & inſuaviter loqui. Mirum eſt quàm in ea ſit frequens Apoſtolus, & deinde quàm rectè illam

Scrip. An. 1600.

illam calluerint Cyprianus, & Ambroſius, ut Auguſtinum omittam, & Leonem, & innumeros alios ex noſtris.

Exempla. 2.Cor.11.25 A

Quid æqualius his duobus membris Auguſtini? Eximitur machera, & nulla intervenit cauſa. Quid comparius tribus illis Pauli? Ter *virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci*. Certè quod attinet ad hanc figuram (ſicut & in tota arte Rhetorica) plures ſunt ex Chriſtianis ſcriptoribus, qui neque Ciceronis, neque Demoſthenis primas cedunt. Id verò quiſque ſciat immeritò bene loquentis nomen retinere, qui non comparium uſum, ita ſibi conſuetudine comparavit, ut quaſi innatum habeat. Nihil enim abſurdius, quàm breviſſimo membro longiſſimum aliud adnectere, quod vel frequentiùs accidit ſine arte dicentibus.

Similiter cadens? B Exemplum hujus figuræ. C

Similiter cadens fit quotieſcunque idem verbum pluribus nominibus in eodem caſu conſtitutis offertur, ſive (ut clariùs dicam) ſimiliter cadentia ſunt nomina, vel participia fines conſimiles, ſeu terminationes habentia, ut hæc: Omnia ad memoriam vetuſtatis, non ad contumeliam Civitatis referri volo; & item: Catilinam audacia furentem, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, nobis, atque urbi ferrum minitantem ex urbe ejecimus. Similiter deſinens, exornatio eſt, qua plura aut verba, aut adverbia eoſdem exitus ſyllabarum ſortita in eamdem orationem conveniunt, ut apud Cyprianum: Accipe quod ſentitur antequam dicitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur. Et apud Ciceron. Quæ garrit impudenter, ea præſtare ſolet audacter. Has duas exornationes poſtremas ſimiliter cadentium, & deſinentium aliqui non obſcuri Rhetores, ut pueriles contemnunt, ſed certè ſi ſuo loco, & moderatè in orationem aſſumantur, non video cur ſperni debeant. Quamvis non tanti eas faciam, ut putem orationem in eis exquirendis, & collocandis ne minimùm quidem laborare debere.

CAPUT VIII.

De figuris verborum tertiæ claſſis.

Tertiæ Claſſis figuræ, quæ?

Tertia figurarum claſſis, quæ in verborum, vel potiùs rerum ſignificatarum oppoſitione reperitur, tribus tantùm figuris abſolvitur, Antimetabole, Paradiaſtole, & ea, quam vocant Latini cohabitationem.

Antimetabole. D

Antimetabole eſt figura, qua diverſæ ſententiæ eiſdem ferè verbis ritè tranſmutatis ad invicem ſeſe colligunt colliſione pulcherrima. Cujuſmodi eſt vulgare illud; Non ut edam vivo, ſed ut vivam edo; & illud, Si Poema loquens pictura eſt, pictura tacitum Poema debet eſſe. Demum Antimetabole eſt, quotieſcumque ita una ſententia invertitur, ut ab ea alia diſſimilis eodem ferè ſono colligatur.

Paradiaſtole.

Paradiaſtole eſt, cum ea, quæ ſimillima videbantur, in contrarium dividuntur, ut: In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur, humiliamur, ſed non confundimur, perſecutionem patimur. ſed non relinquimur, deiicimur, ſed non perimus.

Cohabitatio E

Cohabitatio, cui oppoſita Paradiaſtole, fit quoties ea, quæ ſunt contraria alicui, ſub diverſis rationibus tribuuntur, quale eſt illud ex Paulo: Cùm infirmor, tunc fortior ſum. Et alio loco: Ut egentes, multos autem locupletantes, ut nihil habentes, & omnia poſſidentes, ut morientes, & ecce vivimus. Sed perpulchrè hac figura uſus eſt Lactantius de Phœnice poſt incendium agens, his verſibus:

In fine.

Ipſa quidem, ſed non eadem, quia eſt ipſa, nec ipſa eſt;
Æternam vitam mortis adepta bono.

Et de B. Virgine.

Sum quod eram, neque eram quod ſum, modo dicor utrumque.

F 1.Cor.4.10.

Huc reduci poteſt ea exornatio orationis, qua continenter componuntur inter ſe contraria, vel diverſis perſonis attribuuntur, ut: *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto, nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles, nos autem ignobiles &c.* quamvis exornatio hæc, niſi impropriè, cohabitatio dici non poſſit.

CAPUT IX.

De figuris verborum quartæ claſſis.

Quartæ Claſſis figuræ, quæ?

Poſtquam de iis figuris actum eſt, quæ vel in repetitione, vel ſimilitudine, vel contrarietate verborum reperiuntur, reſtat nunc de cœteris omnibus aliquid dicere.

Synathriſmus. G Iſa.c.3.18.19.20. H Hebr.11.36.37.

Prima, quæ ſe offert, eſt Synathriſmus, Latinis Congeries, qua plura verba ita continenter proferuntur, ut vincant, & delectent audientes. Juvatur hæc figura vel maximè dictionis celeritate, & tunc aptè in orationem adſcribitur, cum diſerta, & gravis ſimilium rerum præceſſit explanatio. Cujuſmodi eſt illud Iſaiæ: *In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas, & olfactoriola* &c. Poſſunt congeri non minùs appoſitè & rejectis conjunctionibus, ut Paulus ad Hebræos congeſſit, dum enumeratis ſumma gravitate facinoribus veterum patrum, laudata ipſorum fide, & laborum tolerantia: *Alii verò* (inquit) *ludibria, & verbera experti, inſuper, & vincula & carceres, lapidati ſunt ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii occiſi ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti &c.*

Synonimia.

Sequitur deinde Synonimia, qua non plura diverſa congeruntur, ſed eadem ſententia variis modis offertur, vel amplificandi, vel

A

vel augendi, vel delectandi gratia; fugiendum quippe eſt Rhetori hac uti figura, niſi cum aliquid decoris orationi confert, quod res ſimpliciter prolata non conferret. Alioquin ſi inanis verborum multiplicatio ſolùm ſpectetur nihil Synonimia puerilius, nihil ignobilius, & inſolentius poteſt excogitari. Tunc itaque ſolummodo Synonima verba adſcribantur, cum neſcio quid, vel acrimoniæ, vel venuſtatis orationi addere oportet, vel difficile aliquid occurrerit, quod non ſatis unico verbo patefiet. Exempla hujus figuræ paſſim, & ubivis occurrent; ideò non offeruntur.

Diſtributio.

B

Ad Rom. c. 12. 6. 7. 8.

1. ad Tim. cap. 3.

Supereſt diſtributio, qua diverſis nominibus diverſa aut verba, aut adjecta coaptantur ad res, ſive affectus diverſos commodiùs exprimendos. Sic Cyprianus. Neceſſe eſt (inquit) violentia invitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet &c. In hujuſmodi autem diſtributionibus ut frequentiſſimus, ita & ornatiſſimus eſt Apoſtolus. Quæ pulchrior diſtributio, quàm illa, qua utitur ad Romanos? *Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis differentes, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exortando; qui tribuit in ſimplicitate; qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate &c.* Jam verò cùm ad Timotheum ſcribens Epiſcopi, Diaconi, ſenioris, juvenis, anus adoleſcentulæ, ſervi, domini mores, & præcepta diſtribuit, quid ornatius umquam apud prophanos Oratores inventum eſt?

Disjunctio.

C

Zeugma.

Protozeugma.

Metozeugma.

Hyperzeugma.

Ab hac figura pene nihil diſtat ea, quam aliqui disjunctionem appellant, qua unicuique Orationis membro ſuum verbum affigitur; qua ex parte directè opponitur diſjunctio ei figuræ, quæ apud Græcos dicitur Zeugma, & eſt quod ad unicum verbum plures ſententiæ referuntur: quod verbum, ſi in principio ſententiæ ſit, dicitur inde figura Protozeugma: ſi in medio, Metozeugma, ſi tandem in finem Hyperzeugma appellatur. Breviter hæc innuiſſe ſufficiat; quia parvi momenti eſſe arbitror, præſertim has ultimas figuras, etſi aliqualis forſan ſint, id totum ſuperiùs enumeratis diſſertum eſt. Hactenus de verborum figuris.

CAPUT X.

De figuris ſententiarum.

D

UT in varia verborum collocatione, ſic in ſententiis figuræ quædam exiſtunt, quæ licèt minùs aures delectent, quàm figuræ verborum; ſed vehementiùs multò, ac fortiùs de animis triumphant.

Figuræ ſententiarum, quæ.

E

Primò igitur inter ſententiarum figuras numerari poſſunt omnes eæ formæ argumentorum, quas ſupra docuimus, cum de inventione, atque confirmatione diſputaremus. Nam ab illis nihil differunt quædam figuræ, quæ hoc loco ſolent à Rethoribus recenſeri, ſcilicet definitio, diviſio, exemplum, & ſimilitudo; ex quibus definitio ad Syllogiſmum, diviſio ad inductionem, exemplum verò, & ſimilitudo ad ſuos modos pertinent, annumerarique eis poteſt comparatio, quæ cum in compoſitione unius perſonæ, aut cauſæ ad plures, & ſingulas ſpectetur, aut ad genus ſimilium, aut ad argumentationem à minori ad majus, ſive à majori ad minus videtur reducenda.

Icon.

Hypotypoſis.

F

Una ex his eſt ſimilitudo (Græcis Icon) quæ, vel argumentationi quandoque licèt deſerviat; frequentiùs tamen illuſtrationi, & explanationi eorum, quæ dicuntur. Ut apud Ciceronem in Vatinium: Repente enim te tamquam ſerpens è latibulo oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti &c. Eſt præclara figura hæc, & quæ non minimùm illuſtrat ſententias, neque minimùm valet ad auditorum animos demulcendos. Finitima huic eſt Hypotypoſis (Latinis evidentia, deſcriptio, vel ſubjectio ante oculos) qua rem, perſonam locum &c. ita deſcribit, ut geri potiùs, quàm legi, aut audiri exiſtimetur. Cujuſmodi eſt illud ejuſdem Ciceronis: Primum proceſſit, qua autoritate vir? Vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta &c. Hæc autem figura, ſi ſimilitudini deinde appoſitè conjungatur, plena & ornatiſſima undequaque redditur. Interrogatio duplex eſt; alia ſimpex, qua ſciſcitandi ſolummodo cauſa utimur, ut Æneid. 9.

Æneid. 9.

State viri quæ cauſa viæ? quive eſtis in armis?
Quove tenetis iter?

G

Ad Gal. 3. 3.

H

Quæ interrogatio nullam habet ſententiarum figuram. Eſt alia figurata, quæ variis affectibus obſervit. Nunc enim vehementiùs aſſeveramus, ut: Nonne tua maledicentia pueros bene inſtitutos depravaſti? Nunc miſerationem excitamus, ut: Tu me per hos in patriam revocaſti, Milo, ego te per eoſdem in patria retinere non potero? Nunc iram, ut: Quis tandem inſolentiſſimum hominem, legum contemporem, Patriæ inimicum æquo animo feret? Nunc adverſario inſtamus, ut: Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Nunc objurgamus, ut: Quoſdam Galatas Apoſtolus; *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini?* Nunc indignamur, ut 1. Æneid.

—— quiſquam Junonis adoret
Præterea?

Nunc admiramur, ut

—— quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Nunc iraſcimur, & miramur, ut

Ser-

Servare potui, perdere an poſſim, rogas?

Nunc tandem addubitamus, unde privata quædam figura naſcitur, addubitatio.

Aporia. Addubitatio igitur (Græcis Aporia) figura eſt, qua utrum potiùs, aut quid dicamus, aut faciamus hæremus, ut

Æneid. 3. *Eloquar? an ſileam?*

A

Id genus eſt, quod Cicero in principio de Oratore ait, utrum difficilius, aut majus eſſet, negare tibi ſæpiùs idem roganti, an efficere id quod rogares, diu, multumque, Brute, dubitavi. Licèt enim ſine interrogatione fuerit addubitatio, vim tamen, & acrimoniam non minimam habet.

Prolepſis. Subjectio (Græcè Prolepſis) quæ etiam ab aliquibus occupatio dicitur, figura eſt, qua quæſtio aliqua occupatur, eique protinus reſponſum redditur; contingit autem quadrupliciter. Primùm cum ab adverſariis objecta, vel obiicienda diluimus, ut Cicero pro Celio: Dicet aliquis; hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi hunc puerum pater commendavit, ut in amore, & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret? En objectum cui ſtatim ſolutio ſubjungitur. Ego ſi quid, judices, hoc robore animi &c. Secundò cum adverſarios interrogamus, & pro eiſdem oblato reſponſo iterum refellimus multò acriùs, & urgentiùs, quàm antea, ut: Quibus rebus fiſus tibi tantopere places? Patria? nihil eſt ea magis barbarum. Genere? eo es obſcuriſſimo. Ingenio? at id tibi ſtupidiſſimum natura contigit &c. Tertiò cùm in deliberando negocio ſingula, quæ contra eam partem, quam aſſerendam ſuſcepimus, videntur militare, ſigillatim proponimus, & refutamus; ut: Cur oppugnationem hanc differendam cenſetis? an quod hoſtes ſint integri & validi? atqui jam fuſos, & maxima ex parte collapſos eſſe conſtat. Num quod commeatibus abundent? at miſerrima fame cruciantur. An quod munitiſſimum oppidum ſit? ſed muros imbre dirutos, ſoloque æquatos, non eſt qui non aſpiciat &c.

B

C

Prolepſis. Ultimò tandem Prolepſis eſt, cum tacitis hominum cogitationibus reſpondemus, ut Cicero pro L. Man. Requiretur fortaſſe nunc, quemadmodum cum hæc ita ſint, reliquum eſſe poſſit magnum bellum? Cui cogitationi protinus ab ipſo Cicerone reſponſum adhibetur. Solet autem hæc figura præſertim initio Orationis uſurpari, cum aut ſuſceptæ cauſæ rationes reddimus, aut ab adverſariis contra nos dicenda ſtatim in ipſo limine diluimus. Qui Exordii modus adeo Quintiliano ſemper placuit, ut in eo ferè perpetuus ſit.

D

Anachinoſis. Anachinoſis (latinè communicatio) eſt figura, qua nimium noſtra cauſa freti, rem cum ipſo adverſario communicamus, quaſi ejus ſententiam depoſcentes; ut: Tu denique quid faceres tali in re, ac tempore &c. & pro Quinctio: Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, quicum mihi neceſſitudo vetus: controverſia de re pecuniaria recens intercedit; poſtulant à Prætore, ut ejus bona poſſidere mihi liceat? an cum Romæ domus ejus &c. quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? Creſcit hujus figuræ ornatus, ſi ſtatim quaſi adverſariorum pro nobis conceſſione utentes, eorum reſponſa, ſive quid facerent, aut reſponderent ſubiiciamus: qua arte ſtatim Cicero poſt prædicta: Profectò (inquit) ſi rectè veſtram bonitatem, & juſtitiam cognovi, non multum me fallit, ſi conſulamini quid ſitis reſponſuri &c. Hanc figuram videntur mihi aliquo modo imitati fuiſſe & Nathan Propheta, & mulier Thecuitis, dum fictis cauſis propoſitis, ex ipſius Davidis judicio, & lata ab ipſo ſententia, illum & Nathan de crimine adulterii convicit, & Thecuitis ad revocandum ab exilio Abſalonem argutè deflexit. Utimur etiam hac figura, quando alios reprehenſuri nos ſimul cum illis vituperamus, ut ego, & tu non geremus mithras, vel non erigemus ædes fornicatas.

E

2. *Reg* 12.

2. *Reg.* 14.

F

Permiſſio. Permiſſio eſt duplex; altera, qua judicum, vel Auditorum judicio aliquid exiſtimandum relinquimus, ut: Quid Reſpublica paſſa ſit illius adventu vobis (judices) exiſtimandum relinquo. Qui permiſſionis modus non longè à communicatione videtur diſtare. Altera eſt, quando cum permiſſione Ironia quadam conjungitur, & illud fieri, aut reſpondere permittimus, quod minimè aut fieri, aut valere deſideramus. Sed verò permittimus, ut aliter aut fieri, aut dici debere demonſtremus, ut Dido apud Virgilium cum Æneam alloquitur:

> *I, ſequere Italiam ventis, pote regna per undas.* *Æneid.* 10.

G

Non enim cupiebat illum abire, imò potiùs hac permiſſione retinendum ſperabat. Unde & quibuſdam hæc figura dicitur inſultatio.

Conceſſio. Conceſſio videtur eſſe cum adverſario concedimus, quod adhuc poſſemus negare, aut quod adverſarius contendit, ſed tamen quod vel noſtræ cauſæ non officiat, vel noceat adverſario, ut Cicero pro Ligario: Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum; ſed tamen hoc ita confitentem, ut ſe tamen in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, qua virum omni laude digniſſimum Patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis &c. Sic poſſet quidam, qui contra delicatam, ac vitioſam vitæ conſuetudinem cauſam ageret, cum ejus brevitatem, & inſtabilitatem latè oſtendiſſet poſtmodum ſubjungere: Sed eſto (ut optatis miſeri) diu latèque, vivendi ſpacia protendantur, quid in deliciis, niſi anxietas? niſi curæ? niſi ſolicitudines, & rei familiaris

H

Scrip. An. 1600. ris jactura? quid tandem niſi (ut Apoſtoli utar verbis) *theſaurus quidam iræ, in diem* Rom. 2. 5. *iræ Chriſti*.

Apophaſis. Apophaſis (latinè Præteritio) figura eſt, qua fingimus, id nos nolle dicere, quod tunc maximè dicimus; ut: Hæc itaque ſunt decreta Regis, nolo dicere Tyranni. Sic D. Cyprianus in epiſtola ad Cornel. Taceo (inquit) de fraudibus Eccleſiæ factis; A conjurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo &c. Hanc figuram tunc rectè in oratione uſurpamus cum id, quod dicitur præteriri, aut longum eſt, aut notum, aut ignobile, aut quod facili negocio poſſit diſſolvi ab adverſariis. Aut cum aliud quid dicturi, id unum maximoperè cupimus elevari, ut: Taceo id, prætereo illud: unum hoc reticere non licet &c.

Tranſitio. Tranſitio eſt figura, qua dicta breviter repetimus, & deinde dicenda ſummatim proponimus: quæ exornatio exordiolum quoddam videtur redolere, ut Cicero pro lege Manil. Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo B neceſſarium, magnitudine periculoſum: reſtat ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum eſſe videatur &c.

Optatio. Optatio voti ſignificationem habet, excitaturque communiter cum adverbio: Utinam, ut: Utinam aliquando dolor Populi Romani pariat, quod jam diu parturit. Huc etiam ſpectant imprecationes, ut

Æneid. 2. *At tibi pro ſcelere (exclamat) pro talibus auſis,*
Di (ſi qua è cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas.

Item, & ſalutationes, ut

C *Salve parva domus, pariter ſalvete penates.*

Nec non, & ominationes, ut

Æneid. 10. *Turno tempus erit magno cum optaverit emptum*
Intactum Pallanta.

Apoſtrophe Apoſtrophe figura eſt, qua oratio ab Auditoribus detorquetur ad aliam aut perſonam, aut rem. Diſtinguitur autem variè ab ipſa conditione rerum, aut perſonarum, ad quas convertimur. Alias quippe ad humanam perſonam fit converſio, alias ad rem inanimem, vel rationis expertem, alias ad Deum optimum, aut Divorum aliquem. Ad humanam perſonam, ut cum Anchiſes narrans Æneæ futuram nepotum D poſteritatem, obliquat ad certos quoſdam ex iis ſermones, & ait:

Æneid. 6. *Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat?*
Quis Gracchi genus? aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Lybiæ? parvoque potentem
Fabritium? vel te ſulco Serrane ſerentem?

Ad rem inanimem, ut Cic. pro Mil. Vos enim, Albani tumuli, atque luci, vos (inquam) imploro, atque obteſtor &c. Qui ſanè averſionis modus Propheticis ſermonibus frequentiſſimus eſt. Tandem ad Deum convertitur oratio, ut quondam Æneas ab eo, quod dicebat, ad Venerem matrem detorquebat orationem: E

Hoc erat alma parens quod me per tela, per ignes Æneid. 10.
Eripis?

Quandoque fit hæc ad Deum converſio cum imprecatione, ut:

O pater, ò hominum, Divumque æterna poteſtas,
Da letho crudele genus.

Aliquando ſola deprecatio ſine converſione (numine tantum commemorato, aut ea re, cujus auxilium imploramus) ſolet conſtitui, ut apud Ciceronem pro Rabino: Primum à Deo O. M. cœteriſque Diis, atque Deabus immortalibus pacem, & veniam peto. F

Exclamatio eſt orationis elatio, & contentio ad augendum reperta, quæ nota interiectionis ornata vehementer animos movet, ut: O tempora! o mores! o rem deteſtandam! & ante hoc tempus numquam auditam? & apud Poetam interrogatione admixta. Exclamatio

Eheu! quid volui miſero mihi? floribus auſtrum Ecl. 2.
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens?

Epiphonema, ſpecies quædam exclamationis eſt, quæ ad finem rei narratæ, & explicatæ ſubjungi ſolet, licèt frequentiùs notam interiectionis deponat, & quaſi per modum ſententiæ proferatur; ut cum Virgilius omnes cauſas expoſcit, quibus Juno Romanos proſequebatur, tandem acclamat: Epiphonema. G

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. 1. Æneid.

Solet, & cum interiectione haud rarò inveniri; ut Severus poſtquam D. Martinum optantem diſſolvi, ut eſſet cum Chriſto, nec tum renuentem vivere, ut obſerviret fidelibus, depinxiſſet: O (inquit) virum admirabilem, nec labore victum, nec morte vicendum, qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit.

Apoſiopeſis, ſive præciſio, aut reticentia, figura eſt, qua uno, vel pluribus verbis ſententiæ ſubſtractis, aliquid multò acrius in affectu oſtendimus, ut apud Virgilium: Apoſiopeſis H

Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus. 1. Æneid.

Et apud Ciceronem: An hujus ille legis, quam Clodius à ſe inventam gloriatus eſt, mentionem facere auſus eſſet, vivo Milone, ne dicam Conſule? De noſtrum enim om-

Scrip. An. 1600.

omnium non audeo totum dicere. Item: Tu iſtam nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui. Non auſim dicere, ne cum te digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe videar. Hîc atrocior tacita ſuſpicio, quàm fuiſſet umquam diſerta explanatio.

Emphaſis.

A

Emphaſis figura eſt, reticentiæ vicina, altiorem intellectum præbens ſententiæ, quàm verba ipſa per ſe declarant, ut Cicero pro Ligario: Quod ſi in tanta tua fortuna bonitas tanta non eſſet, quanta tu per te; per te (inquam) obtines (intelligo quid loquor) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria. His enim verbis altiorem quemdam ſenſum innuit Cicero, quàm verba per ſe explicant, ſcilicet, non deeſſe, qui Cæſarem ſua natura manſuetiſſimum ad Tyrannidem, & crudelitatem impellerent. Reperitur hæc figura & in vulgaribus verbis, ut: Virum eſſe oportet, & homo ille eſt. Elegantiſſimè verò uſus eſt Emphaſi Petrus, cum volenti Domino ſibi pedes lavare: *Domine* (inquit) *tu mihi lavas pedes*? Neque enim ignobilem Emphaſim includunt verba illa Petri, Tu mihi pedes; illis enim permulta comprehendit, quæ vix longa oratione poterant expediri, innuens ſcilicet Dei magnitudinem incomprehenſibilem non rectè provolvi pedibus miſelli piſcatoris.

Iohan. 13. 6.

B

Epanortoſis.

Epanortoſis, latinè correctio, eſt propoſitæ ſententiæ artificioſa emendatio, ut: Italiam ornare, quàm domum ſuam maluit, quamvis Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. Item: Rempublicam maleficientia offendit; imò non offendit, ſed evertit, ſed dilapidavit, ſed funditus delevit. Huc pertinet revocatio ſuiipſius, ut: Sed quid ego his teſtibus utor? Item; Sed finis ſit, neque enim præ lachrymis loqui poſſum, & hîc ſe lachrymis defendi vetat.

C

Licentia.

Licentia, (Græcis Parreſia) præ ſe fert audaciam dicendi, quod dictu periculoſum videbatur, abutimurque per eam nimia orationis libertate ab ipſa cauſa coacti, ut Cicero pro Ligario: Suſcepto bello Cœſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te. Hac licentia uſus eſt Tullius, ut oſtenderet non fuiſſe Ligarium condemnandum, quod partes Pompeii fuiſſet ſecutus. Hac figura rectè aliquando utetur Concionator, ſi ad pœnitentiam agendam Auditores exhortans, hoc modo loquatur: Neque verò admiror, mortales, & fragiles animos, (ut Apoſtolicis verbis dicam) concupiſcentia abſtractos, & illectos in ſcelere labi; labor ego quotidie, & ſepties, vel unuſquiſque juſtus in die labitur. Id non ſatis miror, non tandem homines reſipiſcere, & fœditatem commiſſi criminis ſalutaris pœnitentiæ lachrymis non abluere, quaſi non inſtet latrunculus ille mors, & id ſolùm ſpectet, ut nos imparatos, & ſopitos inveniat.

Exemplum.

Iacob c. 1.

D

Paradoxon.

Suſtentatio, (quam alii Paradoxon, ſeu Inopinatum vocant) eſt cum diu ſuſpendimus animos audientium, ac deinde inopinatum quid repente ſubjungimus. Hac figura dupliciter utimur, vel cum leve aliquid poſt maximam exſpectationem inferre volumus, quaſi deriſionis cauſa, ut apud Horatium:

Hor. Poet.

E

Parturient montes, & naſcetur ridiculus mus.

Vel ſummum aliquid, & inexſpectatum volumus amplificare. Pulcherrima quidem illa ſuſtentatio, qua Mensdemus apud Terentium loquitur:

Heaut. Act. 5. *Scen.* 1.

Cremes, hoc mihi præſtat in me quidvis horum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum: caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.
In illum nihil poteſt, nam excedit ejus ſtultitia omnia hæc.

Et apud Ludovicum Vives in eo dialogo, qui inſcribitur: Iter, & equus. Sic inquit, Philippus; ſi ſcirem quis fregiſſet, ego illi frangerem. *Miſ.* Quid tu nunc dices concitatus? *Philip.* Panem in Cœna.

F

Ironia.

Ironia figura ſententiarum eſt, qua cum jam ſatis noſtram cauſam communivimus, argumentationes, aut ſententias contrarias irridemus. Quod frequentiùs, & ornatiùs fit, dum ex ipſis objectis aliqua ridicula, & improbabilia oriri contendimus. Sic Cyprianus adverſus Pupianum, qui ipſum Cyprianum negabat Epiſcopum, acri ironia invehitur: Niſi (inquit) apud te purgati fuerimus, & ſententia abſoluti, & jam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec grex Paſtorem, nec Eccleſia Gubernatorem. Subveniat Pupianus, & ſententiam dicat, judicium Dei, & Chriſti in apertum referat, ne tantus fidelium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt, ſine ſpe ſalutis, & pacis exiſſe videatur. Eſt verò Ironia ſententiarum figura, quatenus a vulgari, & recta loquutione, vel ornandi, vel inſtandi gratia ſermo deflectitur; computatur autem inter Tropos, quatenus in ea non accipiuntur verba in proprio ſenſu, ſed in improprio, & alieno, ſcilicet, ut quæ affirmationem ſonant, negationem exprimant, aut vice verſa.

G

Pareechaſis

Pareechaſis, latine digreſſio, ſive excurſus, figura eſt, qua à re propoſita in rem aliam excurrimus, non prorſus à cauſa de qua agimus alienam. Ut Cicero, quarta Verrina digreditur in laudes Syracuſarum, ut inde acerbiùs inſectetur Verris ſcelera, qui talem urbem ſuo Magiſtratu, & injuriis pene delevit. Sic quiſque, ut illuſtriùs merita Chriſti oſtendat, quibus mors pulſa, Diabolus victus, & humanum genus in jus patriæ reſtitutum eſt, aptè digredi poterit, ad deſcribendas mortis vires, & ad efferendum imperium, quod Diabolus ante Chriſti necem in homines exercebat, & tan-

H

Scrip. An. 1600.

tandem ad miſerum humanæ gentis exilium deplorandum .

Parentheſis

Parentheſis eſt brevis abruptio, quæ media oratione interponi ſolet, & nulli non eſt nota. Vitioſa erit, ſi nullo modo cohæreat cum ea re, de qua dicimus, vel ſi ſententiam aut longitudine, aut intempeſtiva interpoſitione perturbet.

Proſopopæja.

Proſopopæja (quæ latinis dicitur fictio perſonæ) eſt, qua inducimus loquentem in A noſtra oratione, aut aliquam perſonam abſentem, aut rem etiam inanimem, & irrationabilem. Vehementiſſima eſt hæc figura, & quæ vel etiam aliquando contremiſcere faciat audientes, ſi aptè ſumatur. Induxit acerrimè Milonem Cicero his verbis: Me quidem (judices) exanimant, & interimunt hæc verba Milonis, quæ audio aſſidua, & quibus interſum quotidie; Valeant (inquit) valeant Cives mei: ſint florentes, ſint incolumes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, mihique patria chariſſima, quoquo modo merita de me erit, &c. Patriam verò ipſam non minùs eleganter effinxit Cæſari loquentem Lucanus in Pharſalicis, dum, ut fabulatur,

B

> —— *Parvi Rubiconis ad undas*
> *Ingens viſa Duci patriæ trepidantis imago. &c.*

Nihil eſt ſanè, quod per hanc figuram non obtineat concionator, ſi ad illam ſuo tempore, & artificioſè accedat, modò Chriſtum Dominum, modò Eccleſiam, modò aliquem vita functum, modò adſtantium conſcientiam, modò etiam dæmones loquentes inducens. Interdum ſolet hæc figura alienam cogitationem, tamquam vocem in medium proferre. Ut Cicero de Verre agens: Occurrebat (inquit) hæc ratio: Quid Cleomeni fiet? Potero ne animadvertere in eos, quos dicto audientes eſſe juſſi? &c. C

Dialogiſmus.

Incidit in Proſopopæjam Dialogiſmus (quem alii vocant ratiocinationem) quando nos ipſos alloquimur, & iterum reſpondemus, & inſtamus iterum, quaſi duæ adſint perſonæ colloquentes. Quale eſt illud Ciceronis: Malè judicavit Populus; At judicavit. Non debuit; At potuit. Non fero; At clariſſimi, & ſapientiſſimi Cives tulerunt. Non longè ab his diſtat ſermocinatio, qua deſcribentes aliquod geſtum, cui plures intervenerunt perſonæ, unicuique proprium pro dignitate ſermonem coaptamus. Longum eſt, & vulgare Cernificis exemplum, ſed illud adducam, ut quo aptius nullum, aut pulchrius. Cum militibus (inquit) urbs reddundaret, & omnes D timore oppreſſi domi continerentur, venit iſte cum Sago, gladio ſuccinctus, tenens jaculum. Quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequebantur; irrumpit in ædes ſubitò: Deinde magna voce: ubi eſt iſte beatus (inquit) ædium Dominus? quin mihi præſtò ſit? quid tacetis? Hîc alii omnes ſtupidi timore obſtupuerunt. Uxor illius cum magno fletu ad iſtius pedes abiecit ſe. Parce (inquit), & per ea quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri; noli extinguere extinctos. Fer manſuetè; fortunam nos quoque fuimus beati, noſce te eſſe hominem. Quin illum mihi datis (dixit ille) & vos auribus meis applorare deſinitis: non abibit. Illi nunciatur interea veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari; quod ſimul ut audivit: Heus (inquit) E Gorgia pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac incolumes ad adoleſcentiam perducas. Vix hæc dixerat, cum ecce iſte præſtò. Ades (inquit) audax? non vox mea tibi vitam ademit? Exple meas inimicitias, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Metuebam (inquit) ne planè victus eſſem. Nunc video, in judicio mecum contendere non vis, ubi ſuperari turpiſſimum eſt, ſuperare pulcherrimum. Interfice me: occidar equidem: ſed victus non peribo. At ille: in extremo vitæ tempore etiam ſententioſè loqueris? Neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare? Tum mulier. Immò quidem iſte rogat, & ſupplicat: ſed tu, quæſo, commoveare, & tu F per Deos (inquit) hunc amplexare. Dominus eſt. Vicit hic te. Vince tu nunc animum. Cur non deſinis (inquit) uxor loqui, quæ me digna non ſunt? Tace, & quæ curanda ſunt, cura. Tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi ſpem mea morte eripere? Iſte mulierem repulit à ſe lamentantem: illi neſcio quid inſipienti dicere, (quod dignum videlicet illius virtute eſſet) gladium in latere defixit &c. Vides in hac ſermocinatione, datos eſſe ſermones unicuique accommodatos, hoſti crudeles, mulieri molles, Philoſopho, ac forti viro conſtantes. Quod vel maximè equidem curandum eſt in hac figura omnium ornatiſſima, in qua rectè dicam cum Horatio, G

In Poetica.

> *Intererit multum Davus ne loquatur, an Heros,*
> *Maturus ne ſenex, an adhuc florente juventa,*
> *Fervidus, an Matrona potens, an ſedula nutrix,*
> *Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli,*
> *Colchus, an Aſſyrius, Thebis nutritus, an Argis.*

Commoratio.

Commoratio eſt figura, qua in loco totius cauſæ firmiſſimo manetur diutiùs, & eodem ſæpe reditur, & quod ſemel dictum eſt alia facie oſtendimus, aut per partes excurrimus. Ut pro L. Flacco vituperans H Cicero innatam Græcorum perfidiam: Teſtimoniorum (inquit) religionem, & fidem numquam iſta natio coluit, totiuſque hujuſce rei quæ ſit vis, quæ authoritas, quod pondus, ignorat. Hoc deinde alia facie demonſtrat ibidem commoratus: Num illis fidem aliquam ineſſe putatis, quibus jusjurandum jocus? teſtimonium ludus? exiſti-

Scrip. An. 1600.

ſtimatio veſtra tenebræ, laus, merces, gratia, gratulatio propoſita eſt in impudenti mendacio. Dein per partes hoc ipſum excurrit hoc pacto: Sed propiùs accedam: de his veſtris teſtibus dicam, &c.

Synarriſmus.

Huic figuræ finitima eſt Synatriſmus, latinè congeries, qua multa in unum locum velut coacervamus, majoris energiæ, non ornatus, & modulationis tantummodo cauſa, ut apud Cic. pro P. Sextio: At ſi ſceleſtum eſt amare patriam, pertuli pœnarum ſatis. Everſa eſt domus, fortunæ vexatæ, diſſipati liberi, rapta conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum. Ego pulſus aris, focis, Diis, penatibus, &c.

Diminutio.

Diminutio eſt figura, qua dicturi de nobis, aut de noſtris aliquid egregium, nequa ſignificetur arrogans oſtentatio, modeſtè id diminuimus, & attenuamus, ut Oratione pro Publio Sextio: Diſtractus à meis, carui patria, quam ut (leviſſimè dicam) certè rexeram &c. Simile eſt illud. Huic quidem pater (nolo nimium dicere) non tenuiſſimum patrimonium reliquit.

Diſtributio.

Diſtributio eſt, cum aliqua ſigillatim in plures, quibus competunt, perſonas diſpertiuntur. Neque plurimùm ab inductione diſtat, quæ fit per partium numerationem, niſi quòd inductio fit ad probandum, diſtributio autem præſertim ad exhortandum, & commovendum, ut: Qui veſtrum (judices) nomen Senatus diligit, hunc oderit neceſſe eſt: petulantiſſimè enim ſemper iſte Senatum oppugnavit. Qui equeſtrem locum ſplendidiſſimum eſſe cupit in Civitate, is oporteat iſtum maximas pœnas dediſſe velit, ne iſte turpitudine ſua ordini honeſtiſſimo turpitudini, ac dedecori ſit. Quibus liberi ſunt ſtatuite exemplum &c. Ad hanc figuram pertinet deſcenſus, qui fit in exhortationibus ad ſingularia, & diſtributio partium, quæ in Regionis, aut loci deſcriptionibus perſæpe contingit.

Adhortatio.

Adhortatio eſt cum plura monita, vel præcepta ſub uno orationis impetu quaſi effundimus, quod in Epilogis præcipuè neceſſarium eſt, maximè ſi in deliberativo genere verſetur oratio. Certè ferè nulla eſt Pauli Epiſtola, quæ non deſinat in hanc figuram. Sic ad Theſſalonic. ultimo capite: *Corripite* (inquit) *inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes: Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini invicem, & in omnes. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis: Spiritum nolite extinguere, Prophetas nolite ſpernere. Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis* &c. Abſolutum erit quidquid pertinet ad hanc rem, ſi ultimo loco quid ſit ſententia, & quis debeat eſſe illarum uſus exponamus.

1. *Theſſ.* 5. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

Sententia.

Sententia itaque eſt brevis quædam oratio præclara, & arguta pro inſtituendis moribus, aut circa res agendas artificioſè compacta. Hujuſmodi ſunt pleraque adagia vulgaria, quæ inſignem (ut plurimùm) continent vitæ, & agendorum inſtitutionem. Harum copiam paratam habere debet Orator, quibus orationem ſuam ubique diſperſis exornet. Quæ nimis humiles, omnino vitandæ, multò magis, ſi vel ſola ſpecie inhoneſtæ. Cæterùm ſi ſententiæ accedat ſcriptoris idonei teſtimonium majorem habet vim, & dignitatem. Decebit & ſcriptorem ipſum, cujus teſtimonium proferendum eſt brevi digreſſiuncula commendare, quo major ſit dignitas, & pondus orationis.

CAPUT XI.

De numero, ſive conſonantia orationis.

QUoties in hanc ornatus partem incido, non poſſum non ſpernere nimiam curam in aſſignanda pedum ſtructura, & varietate à nonnullis impenſam. Sanè nihil mihi videtur infelicius, quàm ſine ullo ſtudioſorum fructu in metrica aſſignatione deſudare. Quamvis enim negari non poſſit, aliquos eſſe certos pedes, quibus Oratio feliciter quandoque, & numeroſè auſpicatur, aliquos, qui deſinentis orationis extrema exornent; ſed tamen nullus poteſt adeo certus canon illis præſcribi, qui vel vocum pluralitate in eadem etiam ſtructura, vel ſubſequentium, aut antecedentium numerorum quantitate varia, millies non eludatur. In eodem numero, ſi modò unica dictione tetraſyllaba, modò altera triſyllaba, altera monoſyllaba, modò binis diſſyllabis, modò quatuor dictionibus monoſyllabis concludatur, quis non varium, ac diſſimilem concentum reperiat? Diſponendus pes quatuor longas ſyllabas comprehendit, has unica voce clauſas, ut, Romanorum; quis non ſono, & ſuavitate diſtinguat ab eiſdem in duabus diſſyllabis dictionibus comprehenſis? Ut: Nullum fœdus? & has iterum ab illis: Vix Orator? & omnes tandem reliquas ab his monoſyllabis: Non eſt in me? Quid verò non variant ſubſequentes, ſive antecedentes, aut voces, aut numeri? Turpis enim, & moleſta redditur oratio, aut continenti pedum oppoſitione, aut continenti, & perpetua ſimilitudine.

Quæ vitanda in oratione.

Si Moloſſo ſtatim adjungatur Trocheus, inſanire videtur numerus longiſſimus, modò ſtatim artiſſimus. Si plures Spondæi, aut Pyrichii ſe invicem ſequantur, aut levis, aut tarda oratio conficitur; quorum neutrum aures ferunt jucundæ; illæ enim ſunt, quæ an leniter verba fluant, an numeroſus ſit ſermo, an diſſonet, an offendat admoto ſenſu, facilè deprhendunt.

Neque verò is numerus in orationis Proſa quærendus eſt, quem carmen habet, ſed alia quædam concinnitas, & numeroſitas, quàm longiſſimè à carmine, & retinens nihilomi-

Scrip. An. 1600.

lominus metri delicias, quod fiet non tam pedum elaborata ſubductione, quàm ſonorum verbis varietate. Soluta igitur, & ſecundùm artem oratio numeroſam voluptatem furatur quodammodo à Poemate, nec tamen furti ſigna deprehendi vult; imò nihil indignius oratore, quàm verſum inter dicendum confingere, aut fruſtum carminis maximè in deſinente, aut incipiente oratione perſonare. Quamvis enim nullus ſit metricus pes, qui in Orationem rectè non veniat; cavenda tamen eſt ea pedum conjunctio, quæ in aliquod Poema videtur deſinere, & pedes pedibus commiſcendi ea unica obſervatione aurium, ut neque collidantur invicem, neque hient, neque perpetuo ſono efferatur oratio.

Euphonia vitanda.

Præter id verò, quod ad numerum attinet, oportet vocales, & conſonantes dictionum litteras attentiùs inſpicere, ut ex apta earumdem commiſtione, & varietate ea vocum conſonantia, quam Græci Euphoniam vocant, generetur. Ut enim, ſi continenter plures literæ ejuſdem naturæ, ac ſoni proferantur, nulla eſt auris, quæ ferre poſſit; ſic aptè interpoſitæ demulcent, ac retinent animos audientium. Nam inter omnes ſenſus vel unus eſt auditus, qui maximè varietate delectatur. Hæc igitur literarum, & numeri ratio, licèt ubique orationis, & periodi habenda ſit, accuratiùs tamen initio, & clauſula ſive membri, ſive circuitus, aut periodi. His enim locis faciliùs vitium dicentis deprehenditur. Initium quippe Auditores excitat, in clauſula verò &, fine requieſcunt. Ab adverbiis perpetuò incipere, & in extremum periodi verba aſſervare puerile eſt, cum non rarò aliis locis aptiùs collocentur: ſed unum & initio, & clauſula, & decurſu Orationis ſummè curandum, ut agreſtia verba, & ſeſquipedalia, & horrentia procul exulent: ea enim præter horrorem, & ſoni aſperitatem ignobilia ſunt, & Oratore indigna. Ubicumque conſulendas aures admoneo, quas ſi quis non concinnè audientes, aut non rectè judicantes ſortitus fuerit, illum de hac elocutionis non infima virtute aſſequenda protinus ſolicitum eſſe jubeo.

CAPUT XII.

De aptè dicendo.

Quibuſnam rebus aptanda ſit oratio?

Dictum eſt huc uſque de ornatu, & ejus partibus; nunc tandem, ut elocutionis virtutes abſolvamus, de aptè dicendi ratione dicendum eſt. Cicero breviter totam hujus virtutis naturam complexus non omni cauſſæ, neque Auditori, neque perſonæ, nec tempori unum genus orationis congruere dixit. His enim quatuor præcipuè aptanda eſt oratio. Quis ergo dicat, apud quos dicat, & qua de re dicat, præ oculis habere debet orator, dum dicit, ne ineptè tandem dixiſſe videatur. Tempus verò frequentiùs ad cauſam, aliquando etiam ad Auditores reducitur. In primis itaque ſemetipſum ſpectet orator, atque aliter ſciat dicendum eſſe ſeni, aliter juveni, aliter Antiſtiti, aut Principi, aliter privato, aliter de arte dicendi emerito, ac veterano, aliter tyroni, aliter ei, qui ſpectatæ vel doctrinæ, vel ſapientiæ, vel vitæ habetur ad populum, aliter illi, cui necdum hæc authoritas apud plebem contingit. Neque ſolùm in verbis proferendis id erit ſpectandum, ſed in ſententiis, & cauſis aſſumendis. Non enim quis juvenis, aut privatus de invertendo ſtatu Reipublicæ, de antiquandis, aut conſtituendis ſanctionibus, niſi ineptiſſimè dicet; quæ tamen Principis viri, aut Præſulis orationi inepta non erunt. Jam verò in modo ipſo loquendi nonnulla decent aliquos, quæ in quibuſdam ridicula eſſent. Quid enim magis ridiculum, quàm ſi quis Concionator gregarius, uti velit exordiis illis, quæ ſunt Chryſoſtomo Antiſtiti & devotiſſima, & frequentiſſima, dum Auditorum benevolentiam captat ſuam, erga illos paternam providentiam exponens? Severius, & graviùs dicere licet Præſuli ad ſuum gregem, non aliter quàm parenti ſuos liberos aut inſtituenti, aut adhortanti. Privato, & præſertim juveni Concionatori non perindè; ſed verecundiùs, ſed temperantiùs: et ſi aliquando acriùs invehi neceſſe erit, id ita fiat, ut non illum, ſed rem ipſam, de qua agit, erigi, inſtare, ac concitari credant Auditores. Nuſquam verò deſit modeſtia, nuſquam adſit jactantia, nuſquam non temperata quædam verecundia in ſermone colluceat. Nihil enim eſt, quod magis in odium dicentis vertat audientes, nihil quod magis victoriæ orationis obſtet, quàm affectata quædam ſive in ſententiis deprehenſa jactatio, præſertim verò in re, & concione ſacra, ubi totus modeſtiam, & humilitatem referat, qui dicit, neceſſe eſt. Quàm autem amandandi ſint longè à ſacro Oratore faceti quidam ſales, qui hac noſtra tempeſtate quæruntur paſſim à Concionatoribus, & ſpreto quandoque Dei verbo, & animarum ſalute (Ah dolor! Proh ſcelus!) in ſuggeſtis ubique teruntur, pius ergo, & ſeverus judex eſto.

Quid juveni Concionatori conveniat?

Perſonarum diſtinctio.

Deinde intereſt multum, apud quoſnam dicat Orator: aliter enim apud ruſticos, & agreſtes, aliter apud eruditos, aut nobiles, aut Principes viros dicendum eſt. Illis expedita quædam, & facilior oratio (utpote rudibus) exhibenda erit: his verò delicatas aures habentibus, ſublimis, & elaborata. Illis, ſi arguta dicas, non capient, his ſi rudia, aut inconcinna, non ferent. Præterea alia inter Monachos, & Virgines ſacras: aliter apud impios homines, in omnium ſcelerum vitia ſine Dei metu ruentes. Illas ineptiſſimum erit gehennæ metu terrere, acerbitate pœnarum minitari: his nihil aptius excogitari poteſt, quàm id genus omnia.

Et vitiorum

Denique pro varietate tum perſonarum, tum vitiorum, quæ vigent in populo, variè ſermo tractandus eſt, habita ſemper eorum ratione, qui adſunt. Si enim apud agreſtes in veſtium luxum, in ambitus dignitatum, in repetundas, & judicum munera inveharis, quid umquam inutilius, aut A importunius excogitari poteſt? Si apud eos homines, quos divinarum rerum ſtudio addictos noſti, concubinarum uſum, aut lucra, aut alia hujuſmodi ſcelera, longa orationis ſerie deteſteris, quis non jure optimo tuas ineptias rideat? Hoc ſanè parum animadvertunt, qui cum neque Epiſcopi, nec urbium Rectores, neque popularium cauſarum judices adſint concioni, adverſus illos tonare, ac fulgurare ſolent, cum ex hac ſua fatigatione, & labore non eorum, quos carpunt emendationem, aut inſtitutionem plebis ſint decerpturi, ſed ut odium, quod vel frequentiſſimè in ſuos Præpoſitos vulgus habet, irritent B atque exacerbent: quod quàm abeſſe debeat à Chriſtiano pectore manifeſtum eſt. Sed hæc ad Auditorum perſonam ſpectant.

Quid res ipſas deceat?

Nunc quid res ipſas, de quibus agitur, & tractandarum cauſarum varietatem deceat, exponamus. Atque id in primis oratori curandum eſt, ut cauſam, quam aſſumpſit aptè dicat, neque extra vagetur, etiamſi diſertè aliàs, & eloquenter. Sanè hoc loco non poſſum eos non carpere, qui nullam ferè dicendorum ſeriem obſervantes, huc, illucque oberrant, & conſummatè dixiſſe ſibi videntur, ſi undequaque argutula quæque corradentes, ſine ordine, ſine apta locatione, importunè, & inconnexè, quaſi mole facta, in orationem coniiciant, quo nihil poteſt eſſe (ni fal- C lor) ineptum magis, & ab arte dicendi alienum. Spernenda itaque ſunt (ut de electione agentes admonuimus) etiam quæ pulcherrima, & argutiſſima videbuntur, ſi orationi, & cauſæ pertractandæ quaſi innata non ſint. Quin adhuc ſi plura ſint inventa, quæ cauſæ optimè quadrent, non eſt obruenda oratio, ſed ſeligere oportet potiora, & ea, ut decet, digerere, polire, & ornare. Dives enim debet eſſe cauſa, non gravis: ornata, non onuſta: digeſta, non congeſta, & eructans.

Ornatus ſpecies ipſi cauſæ attemperandus.

Præterea attemperandæ erunt rationes, & ſpecies ornatus, ipſi cauſæ: ut neque ab ea deficiant, neque ab ejus dignitate ſupereffluant. Ineptum quippe erit, ſive rei parvæ magno inſtructarum rationum exer- D citu adeſſe, ſive magnæ adhibere parumper: ineptum, ubi opus non eſt, ciere affectibus multam vim figurarum, & troporum congerere, & nimiis verborum phaleris ſuperbire: non minùs (inquam) eſt ineptum, quàm, ubi res exigit, ſine affectibus, ſine figuris, ſine ornamento procedere.

Rethoris munia, quæ & quot?

Itaque ut modum in hac re teneat orator, ſcire debet, juxta triplex Rhetoris munus, videlicet docere, delectare, & flectere, triplicem item eſſe formam dicendi; ſubmiſſam, temperatam, & ſublimem. Submiſſè docemus, delectamus temperatè, flectimus ſublimiter.

Modus dicendi ſubmiſſus qualis?

Submiſſus dicendi modus eſt, qui ſtylo ſimplici, caſto, ſine affectibus, ſine figuris (quaſi omni fuco rejecto) modeſtè fluit: non quia hic nullas aſſumat figuras in dicendo, ſed quia id rarò, & quaſi incidenter, non elaboratè. Qui ſanè modus E doctrinæ, & inſtitutioni aptiſſimus eſt.

Temperatus, qualis?

Temperatus, qui ad delectandum ſpectat, multò eſt comptior; ornat ſe hic imprimis omnibus verborum figuris, captat conſonantiam, & numeros, & id præcipuè curat, ut auribus perquam gratus exiſtat. Ex tropis aſſumit frequentiſſimè tranſlationem, Metonymiam, Synechdochen, Antonomaſiam: rariùs Allegoriam, & Ænigma, rariſſimè Hyperbolem. Ex figuris verò ſententiarum iis utitur, quæ delectationi poſſunt deſervire; cujuſmodi ſunt præcipuè, Similitudo, Hypotipoſis, Interrogatio, Sermonicatio, Diſtributio, & alia F id genus.

Sublimis, qualis?

Tertius modus, qui & ſublimis eſt, & ad flectendos animos adhibetur, ſpernit quidem comptum, & numeros verborum: properat vehementior, ciet omnes affectus, adhibet actiones, figuras, & eos maximè tropos, qui temperato non ſerviunt, ſibi adſciſcit: fertur impetu ſuo, & elocutionis pulchritudinem, ſi occurrerit vi rerum, rapit, non cura decoris aſſumit. Satis enim ei eſt, ut verba congruentia, non artis eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem: in quo maximè diſtat ſublimis hic dicendi modus à temperato.

In quanam parte orationis hi modi conlocandi?

Sed quibuſnam in partibus orationis quiſque modus ex iſtis erit collocandus? Incertum eſt; poſſunt aliquando omnes parti uni, & eidem admiſceri. At ſi quid G in re incerta dici poteſt, certè in exordium, & narrationem humilis, & temperatus modus frequentiſſimè incidunt, ſed in exordium frequentiùs temperatus. Diviſioni, ſeu propoſitioni convenit ſubmiſſus. Confutatio, & Confirmatio omnes tres modos permixtim accipiunt. Epilogus ſublimi genere præcipuè gaudet. Cæterùm ſi cauſa verſetur in genere demonſtrativo, minùs apta eſt elato generi, quàm illa, quæ in genere ſuaſorio flectendorum animorum motus, & victoriam ſpectat.

Perutilis animadverſio.

Ad calcem hujus capitis id animadvertendum eſt, pro aptè dicendo etiam verba ipſa ita debere eſſe apta rei, de qua dicitur, & modo dicendi, & concitandis af- H fectibus, ut ſonus ipſe, & probatio dicentem ad victoriam, aut delectationem, aut doctrinam excitet. Præcipuè id ſpectandum in ſublimi genere, in quo ſi iræ (exempli cauſa) affectus excitandus ſit, & circa illum agamus, verba ea pulchrè aſſumamus, quæ conſonantes habeant horrentes, & quaſi minantes, cujuſmodi videntur eſſe R, M, L, & aliæ, quas aurium judicio duximus relinquendas. Eſt quippe in ipſis verbis ſimplicibus, & in eorum pro-

Scrip. An. 1600.

A

Vox aptanda rebus.

latione, ſua etiam ſubmiſſio, mediocritas, & elevatio, quæ tum in numero ſyllabarum, tum in vocalium, & conſonantium litterarum, quibus conſtant, naturis inſpicienda ſunt. Elatior eſt dictio tetraſyllaba, aut pentaſyllaba, quàm triſyllaba: hæc, licèt illis ſit inferior, excedit tamen diſſyllabam, & monoſyllabam, atque adeò eſt temperata: mediumque tenet locum inter ſublimes, & humiles. Inter vocales item ſonantiſſimæ ſunt, O, & V; mediocres A, & E; infima verò I. Aptandæ igitur ſunt (quoad fieri poterit) rebus voces, ut cauſam vox, geſtus, ſententiæ, verba, ſyllabæ, & cuncta loquantur. Quàm pulchrè verba, & prolationem ipſi rei adaptavit Maro, dum dixit!

1. *Æneid.*

> —— *At nunc horrentia Martis*
> *Arma virumque cano.*

Quid non horrent bellicum hæ dictiones, invicem ſibi ſyllabis collidentibus, quaſi ſtrideat æs armorum? Jam verò quàm non minùs pulchrè alibi dixit:

B

8. *Æneid.*

> *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.*

Aptanda verba rebus

C

Curſus ipſe, & repetitus ungularum ſonitus videtur planè his verbis inſonare, & dum velociter currunt pedes, præter ſextum omnes dactyli, pernicitatem equi currentis, quà poſſunt, conantur exprimere. Ut verò ſublimem rem ſublimia decent verba, ſic eadem dedecent communem, & quæ ibi redolent virtutem, hîc vitio dantur. In quo ſunt non pauci noſtri ſæculi Oratores, ubique ſine delectu ampullas verborum ſectantes, ubique tumentes, & (ut ita dicam) ſeſquipedantes. Aptentur ergo verba rebus, ut neque humilibus ſublimia, neque ſublimibus humilia tribuantur. Sed vitanda quoque eſt nimia cura, ne artificioſa numeratio deprehendatur, & audienti tædio ſit. Satius quippe judico, ei, qui in hac re modum artis non tenet, & qui auribus hiantibus eſt, & cui ſemper tumidiora magis placent, abſtinere à quæritandis verbis, & quibus occurrerint uti (dummodo agreſtia, rudia non ſint) etiamſi humilia videantur, quàm graviſſimo tumiditatis, & hiantiæ vitio exponere orationem.

PARS QUARTA.

CAPUT I.

De Memoria, quarta Oratoris parte.

D

Memoria exercenda.

E

Firmitas memoriæ.

F

QUamvis una ſit memoria, quæ inter cœteras Oratoris partes naturam maximè ſpectat, donumque illius eſt, parum, aut nihil ſubjectum arti; tamen exercitatione frequenti, & recitatione continua, & numquam otioſa facultate non raró ſolet, vel etiam quæ mediocris fuerat, in perfectam evadere. Quiſquis igitur debilem memoriam ſortitus eſt, exerceat ſe quotidiè in addiſcendis, & recitandis orationum fragmentis, nec ante ad oratorium munus capeſſendum accedat, quàm debilem facultatem confirmarit. Nam niſi hæc in dicente & prompta, & firma, & fidelis ſit, nihil aget, etiamſi cœteris partibus florentiſſimè polleat. Certè ubi deeſt memoria, ibi pronunciatio neceſſe eſt vacillet, diffluat geſtus, & frigida oratio rigeſcat. Orator (meo ſenſu) numquam ſuggeſtum deberet aſcendere, niſi quæ dicturus eſt, adeo firmiter memoriæ inſediſſent, ut alia de re cogitans, & nulla penè adhibita advertentia, quaſi habitu quodam animi ſuggerente, ſic fideliter recitare poſſet excogitata, ut ne verbum quidem excideret. Is neque tumultu populi diſtrahetur, neque erumpentibus puerilibus lachrymis, & vocibus, aut aliquo hujuſmodi novo caſu exorto, ab inceptæ orationis curriculo deviabit. Mirum eſt, quàm juvet hæc memoriæ firmitas omnes dicendi vires, ut expeditè, & opportunè, ut dilucidè agant. Mirum, quàm noceat oblivioſa recitatio. Iterum igitur Rhetores admoneo à dicendo abſtinere, niſi firma, & fideli memoria vigeant, ne fortè (quod maximè verendum eſt Oratori) in extremum aliquando dedecus incidant, memoria fallente, frequentiſſimè verò à perfecta pronunciatione decedere cogantur.

G

H

Solet quandoque juvari debilis in retinendo, & malè firma memoria, ſi dum oratio addiſcitur, eam in plures partes dividas, & unicuique ſuum nomen imponas, aut ſingulas ſingulis vel perſonis, vel etiam cubiculi partibus quaſi commendes, aut charactere diverſo ad marginem adnotes. Sic enim quaſi quibuſdam adminiculis, aut gradibus ab una parte orationis in aliam tutò proficiſcaris, dum notis, aut nominibus, aut characteribus facilè, & ſuo ordine ſingulæ revocantur. Sed certè hæc cura (præterquàm quòd nonnullis potiùs negocio, & impedimento eſt, quàm adjumento, ut expeditè dicant) non attingit id, quod vel unum pluribus deeſt, id eſt promptam dicendorum apprehenſionem: licèt enim ſemel apprehenſa ſeriatim vocet, & ſuo quæque loco retineat; tamen aut nihil, aut parum addiſcenti inſeruit: quin verò, qui verbatim recitat minùs adhuc juvat, cum illum etiamſi ad partes, ac ſeriem ſententiarum vocet, in verbis tamen dilabi, & aberrare latè permittat. Superſedendum ergo inventis frigidis, & medicæ artis adjumenta quærenda ſunt, quæ haud parum aliquibus profuiſſe experimenta teſtantur. Inter quæ omnia pharmacum illud probatiſſimum audio, quod Doctor Vega in libris De Arte medendi mirè commendat, ſed neque pharmaco illo, neque ullo alio ſine medicorum conſultu, & graviſſima

Scripta An. 1600.

ma privatæ naturæ inſpectione utendum, cum non raro aliis in venena vertantur, quæ aliis ſalubriter condiuntur.

CAPUT II.

De Pronunciatione, quinta Oratoris parte.

Rectæ pronunciationis effectus.

Ciceronis pronunciatio.

Demoſthenis.

Ejus ad recte pronunciandum conatus.

A VEntum eſt ad extremam Oratoris partem, non ordine tantummodo extremam, ſed difficultate, & præſtantia maximam. Hæc enim una cenſetur, quæ non ſolùm palmam de audientibus referat, ſi cætera recta ſint, ſed quæ quodammodo etiam dum pravè, quæ dicuntur, inventa ſunt, dum pejùs diſpoſita, dum nihil ornata, audientium tamen aures quaſi perſtringit, & in ſeſe animos faſcinat delectatione & efficacia. Quòd vel mille experimentis quotidie demonſtratur. Quot Rhetores (ne excurramus alias ætates) hoc noſtro ſæculo vidimus, nihil aliud præter ornatam quamdam, ac facilem pronunciationem prætendentes, ſive vocis præclaro ſono, B ſive ejuſdem ſecundùm artem ductu, ſive appoſito geſtu totius corporis, & partium ſingularum, ita audientibus turbis prævalere, ut illas & quo volunt flectant, & in ſui admirationem potentiſſimè adducant? Et quamvis hæc virtus præcipuè à natura proveniat, & ab ipſis incunabulis inſit quibuſdam, non minùs ſuis numeris abſoluta, quàm ab accuratiſſima arte doceri poſſet; negandum tamen non eſt, quin plurimùm ad eam ſive poliendam, ſive acquirendam artis præceptiones, & adjumenta conducant. Arte perpolita eſt natura in Cicerone, qui initiis ipſis & ætatis, & muneris non adeò perfectè pronunciabat, ut non in C immodica litterarum agitatione, & acriori tonitruo vocis frequenter peccaret, quod tamen vitium adhibito artis adjumento, & illuſtriſſimorum totius Aſiæ Rhetorum inſpectione, & exemplo, non correctum modò, ſed deletum eſt. Jam verò in Demoſthene (Græcorum dicam? an univerſorum Rhetorum Principe?) non perpolita hæc virtus, ſed acquiſita; non perfecta, ſed fundata etiam eſt (ut ita loquar) recta pronunciatio, ut qui & dicendo quondam perſtreperet, & mille tam linguæ, quam geſtus vitiis laboraret: ſed victa eſt tandem natura ab arte, & decorè dicere doctus fuit, qui indecorè natus. Verùm id quàm immenſis laboribus, quàm ſtrenua cura, ipſe nobis Demoſthenes teſtis eſto. D Barbam abraſit, ut ne egredi quidem domo liceret, ſecendenſque in remotum cubiculum, ibi oppoſito ſpeculo, toties è ſuggeſto repetebat periodum, donec & in oculis, & in fronte, & in manibus, & in toto demum corpore, & partibus ſingulis nihil pravum, nihil ſine arte, nihil non reſpondens orationi deprehendiſſet. Toties dicebat, donec & tonus vocis, & proceſſus dicendi, & variè formationes, & ipſe periodi exitus non diſplicerent. Tantam ſedulitatem quid manere poterat, niſi mira quædam artis perfectio & exitus fœliciſſimus? Sanè nullum vidi, qui in hac virtute paranda aliquantulum laboris impenderit, qui non uberrimos fructus ex labore collegerit. Sed quamvis innumera ſint, quæ de pronunciatione à Rhetoribus præcipiuntur, ne quaſi aggere præceptionum oppoſito obruamus addiſcentem, ea ſolùm dicemus, quæ præcipua, & aptiſſima videbuntur. E Pronunciatio itaque in duo ſcinditur membra, quibus tota continetur, vocem ſcilicet, & geſtum, de quibus ſeorſum, ac breviter dicendum eſt.

CAPUT III.

De iis, quæ ad vocem attinent.

Vox, quæ oratorio muneri apta?

Vocis conſtantia.

Et dilucíditas.

CUM de vocis & qualitate, & ductu præcepturi ſumus, inprimis eam vocem oratorio muneri non probamus, quæ aut nimis gracilis, & fœminea, aut nimis ruſtica, & horrens eſt, ſed quæ plenè, gratè, conſtanter, dilucidè, offeratur. Plenitudo, & placiditas, niſi à natura obtigerint, F fruſtra dicendi arte tentantur, cum ex ipſa pulmonum, thoracis, & aſperæ arteriæ incolumitate, & recta diſpoſitione proveniant, quæ Rhetoricæ non ſubſunt, ſed Medicinæ: à qua ſi forſan aliquid erit, quod ex medicorum conſilio poſſit ſolidare vocem, id nullo modo cenſeo prætermittendum. Cœterùm conſtantia, & dilucíditas vocis non minimùm ab arte parari poſſunt. Conſtantia quidem, ſi Rhetor ſuam vocem, atque ejus vires perpendens, non inter dicendum exſpectet, ut media periodo à ſpiritu deficiente deferatur, & hiet pronunciatio; ſed ſibi ſemper caveat, & ita G dicat temperatè, ut inter membrum, & membrum recreet ſpiritus, ne longiſſimo, & perpetuo decurſu fatigentur. Dilucíditas verò voci accedet, ſi non abſorbeantur verba, ſi non nares, ſed os, & labia loquantur, ſi oratio non currat, ſed gradiatur. Id autem, quod pluris ab aliquibus imperitis fieri video, videlicet magnitudinem, & reſonantiam, inter minimas ejus laudes ſemper rejeci: cum ſciam, eum, qui dicit non tonare, ſed loqui, non præconis, ſed Oratoris perſonam agere: præſertim cum hujuſmodi magnitudo plerumque aut acerbitatem quamdam, aut inflexibilitatem, aut immodeſtiam ſecum adferat, quæ Rhetorem nullatenus deceant. Malo itaque illam abeſſe, quàm horum ſuſpicionem vel minimam adeſſe dicenti. Sed de vocis qualitate hæc ſatis. H

De ejus inflexione.

Difficilior ſanè ars, ſicut erga illius ductum mille modis inflectitur, ſic penè innumeras patitur præceptiones pro ſingulis quibuſque affectibus, & figuris. Primò itaque nihil moleſtius, quam idem ubique tenor inflexibilis, qui neque erigatur calore dicendi, nec narrando, aut docendo remittatur: qui non aliter commiſerationi, quàm iracundiæ famuletur, uno, & immobili vocis

cis tono, initia, & fines orationis excurrens. Huic omnia frigida, omnia emortua, & quæ numquam ipſo conatu, & acrimonia dicentis ſeſe vel invitis ingerant, atque animos expugnent audientium. Sunt qui hoc vitium formidantes in aliud impingunt, dum nimis flexa voce, nunc ita ſubmiſsè A dicunt, ut vix capiantur: nunc ſubitò in eos clamores erumpunt, ut non loqui videantur, ſed vociferare, & non aliter vocem nunc ſubducunt, nunc elevant, quàm urinator, qui diu aquis immerſus, demum inſperatus toto corpore emergit. Utrique vitio eadem, & unica via occurrendum eſt, ut rebus, quæ dicuntur, ac ipſis ſententiis, & formis dicendi attemperetur vox, ne aut intempeſtivè flectatur, aut quando res ad fluxum vocat, obrigeat. Ejus autem flexus varios, & qua arte, cuique affectui, & figuræ ſit conformanda ſuperſedeo dicere; non modò quia id longiſſimi negotii eſt, verùm quia exiſtimo rem hanc non ſatis ſcriptis præſcriptionibus poſſe expediri. Quiſquis ergo doceri de hac re, & perpoliri in dicendo cupit, ſi rectas aures eſt nactus ſemetipſum exerceat, & audiat (Demoſthenis B exemplo) & quæcumque animadvertit vitia, millies repetita oratione emendet: aut, ſi ſibi ſatis non poſſit eſſe præceptor, coram emerito Rhetore ſæpiùs dicat, qui illum ubi erraverit, admoneat, & erudiat, & donec tonum perfectè teneat, non ulteriùs progredi patiatur. Hæc una eſt via, qua ad perfectè, & appoſitè pronunciandum poteſt perveniri. Cœterùm ſibi perſuadeat Orator, non alium tonum affectibus, qui in publica concione offeruntur, ac quem illis in familiari confabulatione tribuimus, eſſe tribuendum. Itaque eo vocis tono in ſuggeſtu agens, interroget, admiretur, iraſcatur, objurget, commiſereatur, quo hæc eadem extra ſuggeſtum præſtare C ſolet. Solùm meminerit ſe ad plures loqui, & ita loquatur, ut à remotiſſimo quoque audientium audiri poſſit.

Vox ſententiis, formiſque dicendi attêperanda.

Nunc quamvis ſigillatim de tono unicuique figuræ proprio non ſit animus agere; tamen ſingulis orationis partibus qui tonus conveniat, dicere tentabimus. Exordio competit vox initio quidem ſubmiſſa, deinde paulatim excreſcens, numquam tamen inſolens, numquam erectior, ſed quæ temperatè, & maturè fluat. Partitio, & narratio hilarem quemdam, & medium tonum expoſtulant, aliquantò concitatiorem, quàm exordium, ſed nuſquam rapidum, nuſquam levem. Acrior debetur confirmationi, & confutationi: acerrimus Epilogo, & multò quàm reliquis partibus expeditior. Neque verò expeditionem illam ullibi probo, quam D in quibuſdam non rarò animadverti, qui ſummam bene dicendi obtinuiſſe credunt, ſi rapidiſſima velocitate dixerint, & nuſquam ſermonem permiſerint conquieſcere. Qui ſanè adeo miſerè à vera perfectione artis aberrant, ut vel ipſo Rhetorum nomine injuria potiantur. Quid enim ineptius, quàm illas moras orationis confundere, quæ non minimam habent evincendi, & rapiendi animos facultatem? Neque enim rarò accidit, plus agere oratorem dum pauliſper tacet, & ſe in vires colligit, & quæ dixit, in audientium corda altiùs patitur penetrare (præſertim poſt acrem adhibitum affectum) quàm vel tota orationis ſerie peregerit. Sed his morulis ſuus etiam modus debeatur, & fœdum eſt E crebris cunctationibus ſomnum audientibus aut incutere, aut non fugare. Jam verò quid de illis dicam, qui ſine tibia canunt, & loqui neſciunt, niſi cantantes, & quaſi ſaltitantes voce, & flexibus riſu dignis? Quid de aliis, qui ubique ululant, & non recitare orationem, ſed deflere parentum obitus, aut cladem videntur?

Quæ vox exordio competat.

Quæ partitioni, & narrationi.

Quæ confirmationi, confutationique conveniat?

Cantatio, & ululatio devitanda.

Nec minùs ineptè agunt, qui (ut ſe nimis ſententiis, & orationi conforment) ſi accidat inter dicendum, aut puerum induci, aut fœminam loquentes (ut non rarò in ſermocinationibus contingit) vocem in puerilem, aut muliebrem attenuant, quod potiùs hiſtrionicè imitantibus, quam Rhetoricè dicentibus congruit. Si anus in rem veniat ſtatim tremula vox deducitur, quaſi dentibus vetuſtate collapſis, quo nihil ineptius poteſt excogitari. Jam illi, qui inflatis buccis tumidè loquuntur, F & à capite uſque ad calcem, quaſi ſemper buccinant, geminantes litteras, & repercutientes, cui ex audientibus non moleſtiam adferant? Innumera alia ſunt hujus partis vitia, quæ vel injuria dicentium, vel malè apta ad munus natura irrepere ſolent; quæ tamen omnia maturo præceptore, & ſtrenua cura adhibitis potiùs, quàm ſcriptis canonibus debent expungi.

Aliaque vitia fugienda.

CAPUT IV.

De iis, quæ attinent ad geſtum.

G SIcut in voce & qualitatem, & flexum conſideravimus, ſic in geſtu & ipſius corporis naturalem habitum, & regimen, quod ab arte eſt, oportet ſcrutari. Mihi quidem nil dubium, quin plurimùm in dicendo Rhetorem juvet innatus ipſe habitus & forma corporis; non modò quia Auditorum benevolentiam conciliet, ſed quia aptior etiam ſit ſuapte natura ipſi orationi. Ut enim extremè deformis, aut aliqua corporis parte conſpicua mutilus, aut pomilio, aut Æthiops non mediocrem obicem his defectibus eloquentiæ pariunt; ſic qui aſpectu decorus, & tota membrorum ſerie compoſitus eſt, haud parum ad dicendum H gratè juvatur. Quod adeo è mente Ciceronis fuit, ut primus talarem habitum Romæ induxerit, quo ipſe crurium gracilitatem indecoram occuleret. Sed certè non quilibet decor in Rhetore exoptatur, ſed ſeverus quidam, ac gravis, quàm longiſſimè diſtans à procaci, & muliebri pulchitudine.

Qualis decor in Rhetore exoptetur?

Equidem ſi qualem ego cuperem, talem

liceat

Scrip. An. 1600.

Oratoris corporatura, qualis ex Auctore?

liceat nunc fingere Oratorem, is non imberbis erit, ſed pubes: non admodum candidus, non flavus, ſed ſubobſcuro colore, nigro crine, facie ſevera, oculis magnis quidem, ſed non prominentibus, extenſa fronte, corpore nec nimis gracili, nec nimis obeſo, pleno tamen, ac recto, & mediæ cujuſdam longitudinis, ſive ſtaturæ.

A

Cæteris partibus qualem volueris effinge, dummodo nec mutilus ſit, nec mirè deformis, eæ aut parum, aut nihil ſerviunt Oratori. Manus excipe, quæ cum frequentiſſimæ ſint dicendi miniſtræ, & ſemper in audientium proſpectu ſtatuantur, plenas & oblongas eſſe, & concinnè diſpoſitas æquum eſt. Neque verò adeo hæc membrorum concinnitas in dicente quæritur, ut ſine ea prorſus oratio pereat; imò extrinſeca quædam adjumenta ſunt è natura, quibus ars ipſa juvatur aliquantò. Cæterùm non minùs curandum, hæc adſint, an abſint, in Eccleſiaſtico præſertim Concionatore; qui ut totus gratiam Chriſti redolere debet, ſic nihil intereſt, ſi non perfectè redoleat (in his præcipuè extrinſecis) oratoris naturam.

B

Quis in dicendo efficacior, aut illuſtrior Paulo? quem tamen non ſatis plena corporis ſtructura conſtaſſe certum eſt; ut alios taceam innumeros, qui non modicam in hoc munere gloriam ſine hujuſmodi naturæ ornamentis aſſecuti ſunt. Igitur innata formæ conſtitutione prætermiſſa, ad ſingulorum membrorum in oratione uſum deveniamus.

Quæ Oratoris membra ſerviant in dicendo?

Serviunt itaque in dicendo præcipuè manus, labra, oculi, frons, caput, humeri, & totum ſimul corpus, de quibus ſingillatim inſtituemus Oratorem, & exponemus, quæ vitia in eorum uſu caveri debent; nam qualiter ſingulis membris Orationis, & ſingulis ſententiis conformanda ſint ſingula membra corporis, id ſatis, niſi exemplo, & opere ipſo adhibito, exprimi nequit.

C

Quod ergo de prolatione addiſcenda diximus, id & de geſtu quoque cenſemus. Ut à toto igitur corpore auſpicemur, illud neque excludi nimium, neque includi ſuggeſto debet, ſed à renibus ſurſum apparere, ut vel cubitus ſuggeſti labro non penitus inſideat. Sic enim & expeditior actio, & promptior audientibus aſpectus redditur.

De corporis motu.

Is conſtans erit, non vagans, non fluctuans, non retro nunc, nunc ante jactatus. Quid enim indecentiùs, quàm totum ſimul corpus jam retrahere, jam proferre, jam deprimere, jam erigere nulla conſtantia? Sed verò illud leni quodam, & temperato motu, nunc in dexteram partem, nunc deinde poſt paululum in ſiniſtram adducere oportebit, nunc medio inſiſtere, quò omnes alloquatur: qui dicit & videat omnes, & licèt in plurimum erecto debeat eſſe corpore, & vel utraque, vel altera tantùm manu ſuggeſto innitens, vel etiam nulla; licebit tamen aliquando (maximè dum leniter aliquid, aut narrativè dicendum eſt) totum inniti, & quaſi reclinari parumper, ſurrecturum confeſtim, ubi acrius aliquid videbitur revocare.

D

Humerorū motus.

Humeri non ad unumquodque verbum jactandi, aut elevandi ſunt, ſed firmi conſiſtent, & immobiles, niſi vehemens aliqua admiratio, aut ignoratio confeſſa aliter ſuaſerint.

Capitis.

Caput non manus ſequetur, ſed quaſi Rex in arce, ſeverè maneat, et ſi agitandum aliquando fuerit, id non ſubitò, non violenter, ſed leni quadam, & modeſta concuſſione fiet.

E

Labiorum.

Labra non turpiter extracta deducentur, aut retorquebuntur, dum loquimur (quod fœdiſſimum ſimul, & uſitatiſſimum aliquibus eſt.)

Oculorumque motus.

Oculi non huc, illucque ſemper verſentur, non frons perpetuis rugis, aut ſupercilio contrahatur, ſed omnia tempeſtivè, & artificiosè, ſeveritate admixta.

Manuum motus, qualis?

Ad manus accedamus, quæ maximum hac in re negotium faceſſunt: illæ numquam in agendo aut humerum excedent, aut deſcendent infra ſuggeſtum, aut cubitum egredientur, aut è medio pectore in contrariam partem tranſibunt. Numquam ſiniſtra ſola, niſi aut viciſſim, aut ſimul cum dextera movebitur.

Digitorum motus qualis?

Jam verò eſt & in digitis, quid poſſit reprehendi. Pollex in frequenti narratione, & periodorum clauſulis non ſimul indici, & medio jungendus eſt, quaſi ad ſcribendum aptentur, ſed indici ſolùm, cæteris deductis quidem, non rigidè, ſed aliquantulùm inclinatis.

F

Dum numeratio per digitos facienda erit, aut diſtributio, dextra numeret, & ſiniſtræ digiti deſignentur; incipiendum eſt autem à pollice, deinde per indicem, & medium diſcurrendum, neque tamen eodem modo cunctis aſſignabuntur: pollicem ſiniſtræ aſſignabit dexteræ index ſummè tangendo, dehinc pollex & index ſimul dexteræ indicem, & reliquos ſiniſtræ ſociatim contingent, & deſignabunt. Manus oportet ſemper ſequatur rem, & aliquo modo curet idipſum explicare geſtu, quod lingua verbis, ſed id non adeo, ut hiſtrionicè agat;

G

neque enim ſi digladiantes paleſtritas dicamus, ſtatim nos totis brachiis digladiari honeſtum eſt, aut ſi cuncta militi arma, ſeu veſtimenta tribuamus, capiti galeam, vertici comam, pectori thoracem, enſem lateri, cruribus ocreas &c. has ipſas partes manibus contingere, & attrectare oportebit (ut mimus faceret) ſed vel è medio pectore ſufficit deſignare. Id unum tandem præ oculis habeat Orator, tantò efficaciùs, & meliùs dicturum, quantò ſeveriùs, dummodo à debita actione, & expreſſione non deficiat. Cæterùm licèt hoc regulare ſit, & in plurimùm, tamen non ſæpe accidit, hujuſmodi canones non indecorè pertranſiri, dum eximius aliquis affectus id hortatur.

H

Quod totum optimi Rhetoris judicio, non præceptionibus, & regulis expendendum eſt, cui innumera alia relinquimus.

SYNOPSIS
HUIUS TRACTATUS.

ANtiqua Rhetoricæ forma, quæ judiciis famulata eſt, ſtatu rerum longè mutato, ætati noſtræ, niſi multa, varia, inutilia, affectata recidamus, parum certè profuerit; quod nimis frequentibus experimentis, & notationibus deprehendimus. Libris enim, qui vulgò ex vetuſtis Oratoribus præleguntur, vix pueritia, ſeu adoleſcentia ſic excolitur ut otatoriam artem addiſcat. Diſcit ſanè ex Demoſthene, Cicerone, Quinctiliano multa nomina locorum, argumentationumve; at rei methodum minimè concipit, nec niſi unus è millibus, qui naturam ſortitus eſt conſentaneam, evadit Orator; quod parum juvetur præceptionibus, quæ non ætati, moribus, rebuſque conſentiant. In hoc ergo incubuimus, ut ſive Orator, ſive Concionator, genere judiciali relicto, ad exornationem, ac deliberationem, noſtrorum Rhetorum, hoc eſt Sanctorum Patrum more, Chriſtianam eloquentiam perſpicuè, facilè, brevique perdiſcat.

Rethorica quid?

Rhetorica, quæ ars dicendi eſt, originem à natura ducit, cujus notatio peperit artem, quæ exercitatione perficitur; quod cujuſvis agreſtis hominis patet exemplo. Is enim rationis ductu cum dicendum eſt, pro captu ſuo, quid dicat, invenit, diſponit, ornat, meminit, agit; quæ ſunt Rhetoricæ partes, quæ arte poliuntur. Primùm invenienda quæ dicamus, & quaſi rudis materia in locum unum conferenda, quæ à locis multis petitur: à definitione, à cauſis quatuor, efficiente, materiali, formali, finali: ab antecedentibus, comitantibus, conſequentibus, ab exemplis, à multiplici comparatione, nimirum à minore ad majus, vel à contrario, vel ab æquali, à genere & ſpecie, à differentia, ab effectis, adjunctis, comparatione, contrariis &c. Quicquid autem ad rem opportunam excogitatur, ad inventionem ſpectat: judicio in inventione opus eſt, ut meliora ſeligamus.

Exemplum de Inventione.

Inventio ex Definitione

SI verbi gratia de juſtitia dicendum, definitione poſſumus uti, & putabimus, nos etiam quippiam inveniſſe ad juſtitiæ tractationem idoneum; non enim abs re fuerit ad juſtitiæ laudem, vel perſuaſionem diſſerere, quo pacto ſit virtus, quæ tribuit cuique quod ſuum eſt. Deinde ſatis aptè aliqua ex cauſis, puta finalis, inventionem augebit: finis quippe juſtitiæ pax Reipublicæ ſeu concordia eſt, qua res etiam parvæ creſcunt. Adjuncta juſtitiæ multa virtutum lumina, multa bonorum ſtudia materiam ſuggerunt. Omnia enim virtutum ſtudia Chriſtianæ præſertim juſtitiæ cultui adnaſcuntur, ut ſit juſtitia, prudens, fortis, temperans, &c.

Ex cauſa finali.

Ex comparatione.

Comparatione creſcit inventio; ſatis enim magnam orationis partem ſibi vendicat Comparatio, ſi quis minora Reipublicæ bona perpendat, quæ commune bonum promovere ſolent, & mox ſermonem de juſtitia ſubtexat, à minore verò ad majus. Argumenta à contrario orationem copioſam ſuppeditant, quaſi quodam Antitheto; ut ſi dum juſtitiæ bona recenſentur, injuſtitiæ mala ſubiiciantur. Denique exempla, ſimilitudines, auctorum effata, & id genus alia ſylvam quamdam orationi coagmentant.

Ex argumentis a contrario.

Exemplum de Iudicio.

INter locos prædictos ille, qui petitur a fine, hoc eſt concordia, & qui à contrario, videntur ad perſuadendum meliores, licèt reliqui ſint etiam efficaces. At interdum locus natura exilior fortiora producet argumenta, auditorum, & circumſtantiarum collatione. Quod de juſtitia, idem de cæteris virtutibus ad inventionem coaptandum.

De Diſpoſitione.

Quæſtio infinita an virtus colenda?

PRætermiſſa quæſtione infinita, cui nullus ordo præſcribi poteſt, licet enim vagari per locos, dummodo dicenda cohæreant; cum de re finita dicendum, in quatuor partes diſtribuitur oratio. Exordium in judices non ſemper adhibeatur, puta cum res honeſta, vel parva; ſecus in aliis, ubi inſinuatione quandoque opus erat, puta quia cauſa turpitudine laborabat. In genere demonſtrativo exordia maximè libera, & admittuntur longè petita, tametſi conjuncta in quovis genere meliora. In deliberativo exordia nulla, vel brevia, quia ibi Orator non agit, ut ſupplex, ſed hortatur ut auctor. Hæc duo genera nobis congruunt. In exordio Auditor fit benevolus à perſonis, docilis à rei diſtinctione; attentus à magnitudine rei, neceſſitate, vel conjunctione. In exornatione attentio, in deliberatione docilitas captanda, quamvis plerumque miſceantur.

Exordium in exornatione ſive diſtinctione.

In genere demonſtrativo, & deliberativo.

Narratio brevis.

Narratio brevis, aperta, probabilis, non ſemper in judiciis. In Exornatione, ac deliberatione incerta eſt, præmittenda dum occurrit; numqam enim in iis duobus generibus certam ſedem habet: à Concionatoribus non abſque lepore ſolet adhiberi. Confirmatio conſtat firmis rationibus, quæ ducuntur à locis, & amplificatione, de qua poſtmodum agemus. Affectibus ſcateat, & in animum auditorum vehementer incumbat. Non ſemper neceſſaria, ſed ad neceſſarium, vel utile captum meminiſſe. Cæterum Epilogus perquam brevis, & nitidus ſit.

Confirmatio.

Eloquutio.

Elocutio eſt orationis expolitio ſtylus ſubtilis, temperatus, grandis: primus ex par-

te

Scrip. An. 1600.

te judiciis, ſecundus deliberationi apud nos, tertiùs exornationi, quamvis interdum permiſceantur. Primus docet, ſecundus delectat, tertius movet, etſi non mutuò excludantur. Nihil aptius, quàm valde proprius ſermo, vel cum nitore tranſlatus periodi brevis, cadentis, ſine artis affectatione. Nihil amplificatione potentius ad effectus excitandos: amplificatio eſt gravior argumentatione, quæ impellit animos quo vult: eruitur à locis prædictis.

A

Amplificatio.

Methodus apta amplificationis.

Amplificationum fontes.

A Rerum definitionibus præſertim conglobatis, ab effectis, contrariis, exemplis, ratione tripartita, ab utili, honeſto, delectabili, ita ut ordinis ratio ineatur, ut minoribus majora ſuccedant.

Exemplum ad charitatem perſuadendam.

B

Perſuaſio cum amplificatione.

Effecta.

Exempla.

PRimum pronunciatum: Charitati ſtudendum. Charitas eſt lux animi, cordis firmamentum, virtutum princeps. Efficit hominem invictum, ſapientem, ſobrium, immortalem &c. Paulus charitate mundum aſpernatus, vitæ tormentis, probris morti, tartaro bellum indixit, ac triumphum egit &c. Nihil illa locupletius, quæ ſingulari jure lucratur cœlum. Nihil honeſtius ea, quæ à Deo genus ducit, & cum eo liberaliſſimè verſatur. Nihil delectabilius ea, quæ voluptatem ſuaviſſimè percipit. &c. Quis ergo charitati non ſtudeat?

A ratione tripartita.

Memoria.

Memoria ſi valet, excolenda ut augeatur, ſi debilis, labore paranda, quod fieri poteſt. Pronunciatio potiſſima Rhethoricæ pars, quæ non tam ſcripto, quàm verbo, & exemplo docetur, conſtat voce, & geſtu. Nulla præceptio compendioſior, quàm ut verba, & geſtus ſenſui conſentiant, tarditate, ac nimia cogitatione vitata; minus tamen diſplicet concitatio, quàm tarditas. Vox neutiquam adulteretur, ſed ſua ſponte feratur acrior, vel remiſſior ad rerum proportionem. Corporis ſtatus excelſus, virilis, modeſtus, gravis. In oculis ineſt permagna vis, ſi rebus conſpirent. Brachiorum, quemadmodum & vocis ipſius moderata primùm excitatio, quæ dicendo irritetur. Pollex, & index commiſſi, cæteris digitis productis, manus actionem venuſtant. Accubitus in ſuggeſtu, cum familiariter agitur, gratiam habere ſolet. Actio intercalata ſilentio efficax eſt, qua magnarum rerum meditationi tempus tribuitur. Nutus ſolent altiùs imprimi, quàm verba. Non ad pronunciationem tantùm, verùm ad univerſam orationem omnium præceptorum præſtantiſſimum, ut Orator ſeriò affici curet, quo pacto cupit auditores afficere.

Pronunciatio.

C

D

IN SEQUENTES OMNES ORATIONES

PRÆMONITIO.

POſtquam ea, protulimus quæ ad theoriam, & præcepta dicendi ſcripſit Ven. Auctor, recta editionis methodus poſtulat, ut quæ ipſe ornatius, & Oratorum, aut Poetarum ſtylo, practice, diverſis temporibus, varioque argumento concinnavit, prædictis nectamus. Quorum primum locum obtinent tredecim in laudem Divæ Matris Tereſiæ ab eodem recitate Orationes, tum alia ſingularis pro initio Theologiæ, ac demum duæ pro S. Thoma Aquinate, Scholarum noſtrarum duce, & Patrono. Ut priorum autem occaſio penitius intelligatur, animadvertendum eſt, quod alibi obiter monuimus; ſcilicet ſtatim ab felici obitu ejuſdem Sanctæ Parentis, Eam non a plebe tantum, ſed a viris etiam pietate, doctrina, muneribus ſpectatiſſimis Beatam adpellari, & variis relligioſæ obſervantiæ ſignificationibus coli ubique cœpiſſe; quin & Romæ longe ante ſolemne hujus rite permiſſi cultus decretum, in noſtra ad S. Mariæ de Scala Eccleſia coram Purpuratis Patribus, ac ſelectiſſimis Urbis Principibus, ipſo quoque aliquando adcurrente Paullo V. Pontifice Maximo, diem quintam Octobris ejus Memoriæ, quotannis, magna populi frequentia, dicari, ac celebrari ſueviſſe, ejuſque laudes publica Concione parentari. Quæ omnia qui fuſius videre cupit, adeat Tomum IV. Hiſtoriæ Generalis Congregationis noſtræ *ex Hiſpanico Italice verſæ*, Lib. 14. cap. 3. *&* Vitam ejuſdem S. Matris Tereſiæ *eruditiſſime ſcriptam a noſtro familiariſſimo R. P. Fr. Friderico a S. Antonio*, Lib. 5. cap. 15. *Hæc igitur cauſſa fuit, cur Johannes noſter, qui ſacra eloquentia inter primos ſuæ ætatis Romæ audiebat, tredecim illas Orationes, laudata die Sanctæ Parenti ſacra, ſubceſſivis annis in eadem Eccleſia recitaverit, ab anno ſcilicet* cIↄ. Iↄc. II *ad annum uſque* cIↄ. Iↄc. XIV. *quo Illa a die* VIII. *Kal. Majas ab eodem Paullo V. fuerat inter Beatos adſcripta; ſic enim adnotatur ad marginem MS. Codicis earumdem Orationum, qui in Conventu noſtro Cremonenſi adſervatur, quemadmodum & nos ipſi heic adfigimus.*

Altera, quæ ineundis Theologiæ primordiis ab eo Habita eſt Oratio, certiſſime ſcripta eſt anno 1607. *quo rurſus Cathedræ moderationi Romæ adlectus eſt, ut habetur ex* ejus Vita *Tom. I. horum Operum præfixa, cap.* XVI. *pag.* XIX. *& ſeq.*

Duas autem poſtremas in laudem D. Thomæ manifeſte ab eo dictas eſſe conſtat, quum adhuc adoleſcens ſtudiis Theologiæ Genuæ vacaret, quod cum ex vetuſto noſtrarum Scholarum more in iis indicato deducimus, tum ex hac quæ in Colonienſi editione iiſdem præfigebatur ad marginem nota, ſcilicet: „ Hanc & ſequentem Orationem habuit Author adhuc adoleſcens. „ *Quoto vero anno præſertim utramqae recitarit, nonniſi coniiciendo dixerim, alteram ipſo anno primo ſtudiorum* 1585. *alteram forte biennio poſt,* 1587. *Quæ omnes, & ſingulæ, eodem ordine exſtabant Tomo IV. editionis Colonienſis a pag.* 177.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
ORATIONES
IN NATALI SANCTÆ, ET SERAPHICÆ VIRGINIS, ET MATRIS
THERESIÆ A JESU
HABITÆ ROMÆ IN ÆDE S. MARIÆ DE SCALA, CORAM EMINENTISS. S. R. E. CARDINALIBUS.

ORATIO PRIMA.

Habita An. 1602.

A Oporteret ſanè, PP. AA. me de clariſſimæ Virginis, ac Principis noſtræ Thereſiæ celſitudine verba facturum, non antiquorum Oratorum præceptionibus inſtitui, ſed cæleſti planè ſenſu, ac lepore perfundi. Inſignis quippe rerum geſtarum magnitudo, excelſi illius animi gloria, divinus inde ſplendor exortus, non Rhetorum facundia, ſed verbis divinitus conceptis deberet efferri; quapropter ne quid inauguratè fiat, ſub clementiſſimi Dei, cujus res agitur, auſpiciis, tantæ Principis decus non certè exprimere, verùm adumbrare conabor.

Fæminæ earum ſexus iners.

B Sapientiſſimus ille Eccleſiæ Conditor, & Inſtaurator, quo mortalium animos humi defixos, gloriæ tamen cupidiſſimos erigeret, ac hoſtes ferociſſimos arceret, inertem fæminarum ſexum ſic interdum armare conſuevit, ut de ſæviſſimis, ac potentiſſimis hoſtibus, per mulieres animo virili præditas, ampliſſimos triumphos reportarit; quod & ſacrarum hiſtoriarum ſerie memoriæ proditum eſt. Oraculis quippe divinis harmonicè conſentiebat, hæc muliebris imbecillitatis aſſertio, ut quæ generi humano contagium imprudens attulerat, invictiſſimum pectus adepta, ac in virilem mentis ſtatum promota, partem non prorſus exiguam illatæ contagionis expungeret, ſexumque virilem, quem olim enervaverat, vi divina ſtabiliret, ac in miram heroicarum virtutum excelſitatem attolleret. C Cujus certè providentiæ, qua ſummus ille mundi Adminiſtrator rerum origines, eventuſque connexuit, natalis hic dies teſtis eſt locupletiſſimus. Prodit enim in lucem, novo quodam claritatis genere, Virgo quædam ingenua, multis, & naturæ, & divinæ gratiæ dotibus orbi toto conſpicua: cujus exitum profectò feliciſſimum, vel ab ineunte ipſius ætate, ac indole, non ægrè cordatus quiſque præſagire potuiſſet. Quam enim à parentibus nobilitatem, morumque culturam, velut amplum patrimonium acceperat, immenſis cumulavit augmentis, D quorum ab infantia ſpecimen dedit; tanto ſcilicet honeſti amore capiebatur, divinis necdum rebus aſſueta, ut, quæ Lacœnarum laus antiquiſſima fuit, ne quid parta indignum admitterent, omnem culpæ turpitudinem averſaretur, fortiter occubitura, ne vel leviſſimam honori notam impingeret. Perſpicaciſſimo nimirum intellectu prædita, univerſis mundi bonis præferebat honeſtum, non certè noxio, ſed inelaborato

D. Parens noſtra Tereſia, ejuſque dotes.

Habita An. 1602.

adhuc ad limam veræ virtutis ingenio. At ubi cæleſti lumine ſplenduit, quo virtutis honeſtatem poſſet internoſcere, ac egregiè picta mundi bona generoſiùs aſpernari; orbis totius honores, opulentiam, voluptates tam excelsè faſtidivit, ut quæ hominis præſertim permulcere, ac ſeducere ſolent, quamtumvis grandia, & honorifica, illi ad A ſtomachum uſque ſorderent.

Relligionē ingreditur Deoque dicatur.

Reformatrix effecta.

Quamobrem rerum univerſarum, quas ſeriò deſpiciebat, dominatu potitura, clam patre, qui eam ob ſingularem morum ſuavitatem impotenter amabat, vigeſimum circiter annum agens, in clauſtrum ſe proripuit, ac puriſſimæ Virgini, cui locus ille ſacer erat, ſe quoque devovit. Qua in re quàm ſe geſſerit ſtrenuè, quàm fortiter ſibi timorem excuſſerit, ne quid arduum formidaret, quàm imperiosè parentum domum, fluxaque bona, quibus uti poterat, neglexerit, quàm multis progreſſionibus virtutum divinarum opes comparaverit, quis eloqui poſſit? Profectò tam crevit inſigniter, ut more palmæ procero caudice ſatis adultæ, non tanùtm ponderibus, tametſi B gravioribus, non ſuccumberet, verùm & altiùs invicto corde, cum levia viderentur, efferret. Nam cum in Monaſterio, quod junior petiverat, & ubi per annos plures eximio virtutum ſplendore claruerat, mitiùs ageret, quàm priſci ejus Inſtituti conditores olim decreverant, virili auſu (quid expectatis?) acutam illam obſervationem inſtauravit; adeoque convaluit, ut vix umquam audito principatus genere, non mulierum modò, verùm & virorum caput evaderet, & arcem inexpugnabilem glorioſiùs certè, quàm urbis hujus ferus conditor extrueret.

Roma unde decus nacta?

Roma enim, quæ urbium cæterarum eſt princeps, ac domina, non à conditore, ſed à juſtitiæ cultu, & à cæleſti potiſſimùm e- C lectione, decus omne nacta eſt: at verò totius poſteritatis laus, è parentis tantæ laude ſuccreſcit, quæ terræ inſtar feraciſſimæ, uberrimos virtutum fructus effudit, quorum exemplis illuſtriſſimis, & gloriæ calcaribus acerrimis ad æmulationem poſteritas excitaretur, & ſaluberrimo doctrinæ paſtu identidem aleretur. Jam verò poſtquam gentem hanc orbi bellum indicturam cœpit condere, ac mirificè propagare, quantis prudentiæ, aliarumque virtutum, quibus laus præfecturæ omnis continetur, incrementis adoleverit, quot divinæ ſapientiæ luminibus effulſerit, quis vel univerſorum hominum diſertiſſimus dicendo conſequi valeat?

D. Tereſiæ caritas.

D Porrò tam eximia fuit interna nobiliſſimæ Virginis pulchritudo, quæ ex virtutum mutuò conſertarum concinnitate, cùm quodam præſentis Dei nitore conſurgit, ut multò videatur honeſtiùs illam ſtupentibus animis admirari, quàm dicendo deterere; qua enim eloquentia non altiùs exiſtat, illius immenſæ Charitatis incendium, quo & in excelliſſimum Deum, ſingulari quodam amoris jure ſibi fœderatum, & in creaturas, illius gratia, vitæ ipſius uſura chariores, æſtuabat? Quam obſecro linguam, tametſi expeditam, & fœcundam non retardet illius Spei tam inconcuſſa firmitudo, qua ſibi de humaniſſimo Deo, velut per chirographum obligato, quidquid vellet pollicebatur? Quis tam dictione felix, quem E adeò ſincera, altiſque divinæ Charitatis radicibus defixa Fides, pro qua millies mortem oppetiiſſet, non deterreat? At quorſum contra votum, rem tantam adorior? Satius exiſtimo, è ſelecto virtutum agmine, vel unum virtutis unius actum penſitare, quo velut ex ungue leonem dignoſcere liceat, quàm tot, tantarumque laudum capita, quibus humanum obruitur ingenium, recenſere.

Ejus perarduum votum.

Cæteris ergo neceſſariò ſuppreſſis, expendite mecum (obteſtor vos) excelſo animo, digniſſimum à præclariſſima religionis virtute ortum, ſed amoris divinæ majeſtate præditum, votum, præſtandi quidquid è multis, quæ paſſim erant obeunda, virtutum officiis Deo videret acceptius. Cogitate, obſecro, immortale illud mulieris in- F genium, geſtis grandioribus deditum, cum fortiſſimis athletis meritò comparandum, cui non ſatis erat acceptis Deo perfungi muneribus, niſi, quæ acceptiora forent attentè diſquireret, ac feliciter expleret. Ergone fieri potuit, ut nativam fragilitatem elideret, ac novo quodam ritu ſtrenuiſſimorum militum gloriam ſuperaret? Quotus quiſque enim (repetite antiquitatem) tam ſtricto, tam miro, tam cæleſti nexu, maximo illi principio Deo ſeipſum adjunxit, ut in eventibus ſingulis, non ea dumtaxat, quæ bona, ſed quæ meliora eſſent præſtaturum ſe jurejurando, ſeu voto ſanciret? Sanè quantùm memoria aſſequi poſſum, ſive prophanos, ſive ſacros evolvamus auctores, ab orbe condito, ejuſmodi votum nullis extat monumentis conſigna- G tum. At amor ille tuus, o Tereſia, qui te divinis motibus urgebat, ut novis te vinculis innecteres, ingeniosè votum hoc excogitavit, & reddidit! O votum! o cæleſte promiſſum! o incendium ſempiternum!

Ex uno igitur voti hujus capite, videor mihi efficere poſſe, virtutes illius animi Deo quàm gratiſſimi, fuiſſe certè abſolutiſſimas. Oportebat enim animum meliora ſemper & cogitantem, & aggredientem, res omnes, quibus cor humanum afficitur, imperiosè contemnere, ne illarum blandimentis emolliretur: ſenſus intra rationis orbitas continere, ne latum fere unguem H ab officio dimoverentur: virtutum omnium munimentis armari, ne quid arduum non poſſet adoriri: ac denique, quod eſt omnium perfectiſſimum, ardentiſſimæ Charitatis flammis abſumi.

Hinc reor, extitit ſitis illa nullis mundi poculis extinguenda, illud, inquam, deſiderium à divina Charitate genitum, quo acriter incitabatur, ut multas peregrinationes

nes

Habita An. 1602.

Prudentia, & magnanimitas.

nes animoſè ſuſciperet, animoque virili urbes multas obiret, ut quam Rempublicam condere cœperat, in ultimas orbis oras, quoad poſſet, fauſtè protenderet. Ubi planè miror Prudentiam, Magnanimitatem miror. Non illam pudor, tamquam ſibi ſoli natam, domi concluſit. Non itineris incommoda propemodum innumera animum fregerunt: non probra, contumeliæ, ac inſectationes creberrimæ cor invictum, è Conſtantiæ faſtigio deturbarunt: A non morbi diuturni, quibus infeſtabatur, ac diriſſimè torquebatur, eam compedierunt: non humani generis hoſtis, ejuſque ſatellites, qui ei tam felicem ſortem invidebant, validiſſimum pectus exanimarunt.

Quot, ſumme Deus, tela in pectus illud immotum, dœmone pejor, mundus intorſit? quot notas puriſſimo candori tentavit aſpergere? quot ærumnis animum inſontem obſedit? at omnia vicit, omnes orbis calamitates exanthlavit, omnes demum nebulas clariſſima lux oborta diſcuſſit, & quod præſertim obſtupeſco, inter medias malorum procellas nullam penè ſerenitatis internæ fuit paſſa jacturam. B Cum enim in cælis ipſa mente verſaretur, machinæ quas mundus exprimebat, illam oblædere nequibant, ſed in ipſos impugnatores recidebant. Unum verò ex acrioribus præliis, quo animus ille fortiſſimus crebrò fuit impetitus, ſilentio minimè tumulandum eſt, ſiniſtra videlicet opinio, quam viri & ſanctitate, & doctrina clariſſimi, de prudentiſſima Virgine conceperant, quaſi dœmonum impoſturis deluſa, bonam de ſe exiſtimationem non tam moveret, quàm obtruderet: quorum quantò erat major auctoritas, clariorque doctrina, eò certè nocentior exiſtebat opinio, & præſentius inde periculum imminebat. Verùm enim tantum aberat, ut ejuſmodi judices formidaret, ut eos potius C ſtudioſiſſimè perquireret, eiſque multò libentius, quàm aliis mitioribus, propoſiti ſui rationem exponeret: cum nihil in eo genere honorificentius illa duceret, quàm ſubire periculum, incorruptos nacta cenſores. Quibus profectò experimentis, præter eam, quam ſummopere affectabat, animi ſecuritatem, averſos etiam tantorum virorum animos (res mira) primis congreſſibus ſibi facilè conciliavit, & quos paſſa fuerat judices, fidiſſimos cœpit habere patronos.

At enim victoria hæc, de tot, tantiſque impugnatoribus relata, partus quidam eſt divinæ Sapientiæ, qua Deus mentem Virginis D illuſtravit, qua mundo denſis ætatis hujus tenebris obducto facem ſine temeritate præferret. Scientia divinarum rerum. Erat enim divinarum affectionum adeo conſulta, & tam ubertim afflata, ut è penitiſſimo mentis receſſu, abſque ullis intellectus conatibus, ſpontè fluentes ſapientiæ rivos evergeret, & ſuaviſſimo magiſterio propinaret. Quoties peritiſſimos Theologos, à quibus conveniebatur, ſententiarum magnitudine, ac miro lepore perfudit? quoties arcana Dei, quorum indagine, & ſcrutinio purgatiores oculi fatigabantur, luculentiſſimè deprompſit? Quàm ſine fuco, quàm ſine faſtu docuit? Quid docuit? vix in re tanta licet linguam exercere. Etenim philantropiam illam Hebræis auguſtiſſimam, nec niſi poſt trigeſimum ætatis annum legi permiſſam, dulciſſimo Salomonis carmine contextam, tam divinè concepit, tam diſtinctè tradidit, tam perſpicuè expreſſit, E ut nihil abſolutius in re tanta expeti umquam poſſe videatur.

Ejus ſcripta

At quò feror? quid opus eſt rei ſatis orbi toto vulgatæ fidem adſtruere, cum libris editis res arcanas, ambagioſis excurſibus tradi ſolitas, nova quadam perſpicuitate, ac brevitate ob oculos oppoſitas, ſapientiſſimi quique demirentur, & verba ſingula, quaſi totidem effata venerentur? Nec mirum ſanè: ſæpius enim, quemadmodum ipſa ſcripto profitetur, divino ſpiritu percita, quod de Cumæa Sybilla, dum ſine ſcripto vaticinaretur, antiqua indigenarum fide receptum eſt, arrepto calamo, Dei ſenſa diſertiſſimè exprimebat, quaſi Deo ſuggerente, ipſa dumtaxat exciperet, F quæ poſtmodum hominibus rerum divinarum ignaris, Apoſtolico modo promulgaret. Qua de re ſubit animum arctiſſima, quæ illi cum Deo interceſſit, neceſſitudo, tamquam ea prudentia polleret, qua vel ipſi Deo eſſe poſſet à ſecretis, omni certè laude longè major.

Ejus amor in Deum.

Quid enim non amantiſſimè indulgeret clementiſſimus Deus ei, quæ amore ipſius immenſo flagrabat, & quæ ob ipſius gloriam tot ſeſe periculis obiiciebat? Tam humanè quidem ſui copiam nobiliſſimæ Virgini faciebat, ut frequentiſſimis raptibus illam efferret, ac cæleſti voluptate deliniret: cujus certè conſuetudinis paſtu, tantopere amor efferbuit, ut vix illa æquo animo G ferre poſſet divinæ pulchritudinis abſentiam, quam ſemper mente verſabat. Quàm verò divinè fuerit affecta, ex uno coniicietis eventu, quam è ſcriptis Auctoris excerpſi. Cum enim die quodam mente ſuſpenſa divinas affectiones pateretur, viſus eſt ei Angelus quidam, Seraphico more cæleſtem ardorem vultu perferens, aureo jaculo oblongo ad ſummum ſpiculum ignito cor ad ipſa uſque viſcera aliquoties traiicere, Cordis ejus tranſverberatio. unà cum jaculo diſcerptorum viſcerum fruſta revellere, ubi permixtum doloris, amoriſque ſenſum, qui mortem poſſet inferre, perſenſit. Qua in re quis adeò ſtupidus, & vecors non animadvertat, H ſuaviſſimum Deum miris motibus animum illum ſibi devinctum urſiſſe, ne ullum amor modum præfigeret, ſed æternis flammis arderet. At enim motus internos divinitus excitatos (præterquàm quòd captu noſtro altiores) nimis operoſum eſſet, vel curſim percenſere, cum & magnitudo, & numerus ultra modum excreverit. Decreverat ſcilicet Deus, ex abyſſo tanta multiplicibus aquarum divortiis in Eccleſias multas, velut

Habita An. 1602.

velut areas corrivatis, uberrimos referre proventus, quibus ampliſſimam ſuæ Majeſtatis aulam locupletaret. Retulit profectò fructus plurimos pingui ſolo, felici ſapientiæ ſatu, ut mulier una ex urbe [illegible] non in ultimos tantùm Hiſpaniæ fines, verùm & in Italiam ipſam, &, quod videtur glorioſius, in extremas Indorum oras A brevi annorum exſcurſu, in modum fœcundæ vitis palmites porrexerit, & inſtantis propagationis longè majoris ſpem firmiſſimam quoque moverit, ut quacumque patet ſalutis ſpes Thereſiæ nomen pervagetur.

Ejus obitus.

Hæc ergo tot laboribus perfuncta, tot meritis aucta, mortalitatis curſu fauſtè confecto, tot coronis ornanda, multis Cœnobiis ex utroque ſexu conditis, & ad primævam Patrum antiquorum normam inſtitutis, ætatis ſuæ anno ſexageſimo octavo, ipſo Beatiſſimi Patris Franciſci natali, poſtquam monitis ſaluberrimis aſtantes fuerat hortata, & culpam, ſi qua ſubeſſet, vitæ totius deprecata, B oculis in locum unum collimatis, & tamquàm jucundiſſima cæli ſpectacula cerneret, attonitis, animam illam nive candidiorem efflavit.

Ejus corpus poſt mortem.

Remanſit corpus virgineum gloriæ index ſuaviſſimi vim magnam odoris effundens, cujus novam pulchritudinem, quæ aderant virgines obſtupuere: tenſa quippe cute, quam ſenectus contraxerat, vegetius tunc, & ætate minus videbatur, ac ſi animæ ſtatum numquam ſeneſcentis oſtenderet, & cum ante annos viginti animam exhalaverit, tam perſtat integrum & incorruptum, quam ſi anima inde non fuiſſet avulſa. Sic enim decebat templum Dei intemeratum honeſtari, & fœderis arcam è cedro conſtructam odoratiſſima, cariem minimè ſentire.

C Nunc verò (oratione mox occubitura,) quis poſſet expendere mira, quæ Deus clementiſſimus ad Virginis tantæ, ſeu viventis, ſeu vita functæ decus perpetravit? Nolo ſanè tanta mole premi; conſultiùs duco, res has adeò ſublimes taciturnitate laudare.

Te potiùs appello, illuſtriſſima Virgo, Tibique, qua perfrueris, gratulor felicitatem, ne mihi exprobes infantiam, auſumque condemnes. Admitte votum, vicemque repende, quo potui ritu te colere conatus ſum. Fac obſecro (exiſtimo enim te gratia apud Regem immortalem plurimum valere) ut exterritis hoſtibus, à quibus creberrimas incurſiones patimur, ævo tecum D ſempiterno permanſuri optatiſſima victoria potiamur.

ORATIO II.

Habita An. 1603.

MOS fuit apud Reſpublicas bene conſtitutas PP. AA. nihil ſine auguriis E auſpicari, ne viri ſapientes Numinis injuſſu quicquam aggreſſi viderentur: qua certè laude urbs hæc, orbis totius moderatrix, inſigniter claruit: cujus ille fortiſſimus, cognomento Africanus, nihil umquam prius cœpiſſe dicitur, quàm in cella ſacra diutiſſimè ſediſſet, quaſi divinam mentem accepturus; quem ſanè morem initio dicendi, quod à precationibus ducebatur, impensè Oratores antiqui, ſed majores noſtri, quibus vera Religio cælitus effulſit, impenſiùs multò coluerunt. Quapropter campum latè patentem virtutum cæleſtium, quibus Thereſia, clariſſima Virgo reſplenduit, percurſurus, vim divinam, quæ mentem illuſtret, ac linguam lepore perfundat, F à te clementiſſime Deus omnibus votis expoſco.

D. Parentis Tereſiæ virtutes viridario adſimilatæ.

Sed implorato Numine, dum eximias Virginis tantæ virtutes contemplor, cernere mihi videor amœniſſimum hortum, periti cultoris arte ſatum, atque diſpoſitum, cujus fœcunditatem minùs operoſum ſit admirari, quàm exprimere. Calles quidem longi, rectà procurrentes, arboribus ad lineam ſuccedentibus præcincti: areæ quadra laterum portione diſcretæ: plantarum orbes in ſe perfectè recurrentes: plateolæ florum coloribus pictæ: animantium ſimulacra opere topiario eleganter ficta: ſulci aquarum leniter interfluentes: læta cæli clementia, totiuſque loci ſalubritas, & ubertas animum mirificè oblectant, ſed oblectando deterrent.

G Magnitudo quippe rerum divinarum, quæ his quaſi notis innuitur, ſi confertim ſubeatur, ingenium opprimit, ſi de parte ſeligenda cogitetur, nihil non pulchrum, non excelſum, non abſolutum intueor, nec ſine injuria virtutem aliquam tacitus videor poſſe præterire. Cæterùm principio teſtatus, me non omnia, vel majora, ſed parva, paucaque dicturum, ſublimia multa latere, ipſo dictionis temperamento profitebor: illud agam tamen, ut ex iis quæ proferam, ea quæ ſilere cogor, liceat præſagire. Et quidem, quæ hoc exiguo tempore ad dicendum mihi decreto, prodeunda ſelegi, ad capita tria referri poſſunt: ad cæleſtem videlicet Sapientiam, ad Amorem eximium, H ad invictam Patientiam; quæ licet pauca, materiam ſatis amplam dicendi producunt: quam vel diſertiſſimus Orator non queat æquare. Perſpectum eſt quippe, capita hæc per ſe utique magna, ubi ad juſtam proceritatem extulere ſe, nullis eloquentiæ conatibus dignè poſſe commendari; quod verborum quantumvis nitentium dignitas infra res divinas reſideat.

Habita An. 1603.

Sapientia cæleſtis.

A

Quis enim (ut jam primum caput adoriar) vim Sapientiæ opportunis ſaltem verbis umquam expreſſit? Res certè divina eſt; quam veteres Philoſophi, quibus honor ſupremus, ab Scriptoribus defertur, vix ſummis labiis deguſtarunt, & prima tamen laude claruerunt. Hæc Peripateticos, & Academicos (ut ſectas reliquas omittam) tamquam ſcholarum omnium principes, ut naturæ ſidera ſplendore quodam miro inſignivit: quòd res à materiæ concretione defæcatas intellectu perſpicaci dignoverint, & rerum corporearum inſpectione, ad ſpectacula corporis expertia mentes hominum avocaverint. Nec morum ſanè cultura, quam Socratici, aliique permulti profeſſi ſunt, exiſtimationem illam ſapientiæ detrivit, vel obſcuravit; cum non tam morum probitatem, quàm intellectus aciem antiquitatis pars magna ſuſpexerit; tanta ſapientiæ fuit exiſtimatio.

Philoſophorum ſapientia, quæ?

B

At, ſumme Deus, qualis ea Sapientia fuit quæ mentis nebulas detergere nequivit? quæ animum cælo natum humi defixit? quæ luce illa intellectum neutiquam ſedavit? & tamen antiquitatis opinione inane ſapientiæ nomen adepta eſt, candidatoſque ſuos cæteris hominibus, quaſi numina quædam antepoſuit. Et verò quidquid ſapientiæ illi erat affine, tametſi non ita propriè rei celſitudinem exæquaret, omnium conſenſione nationum inter res divinas poſitum eſt.

Theologia Ægiptiorũ.

C

Hinc arbitror Ægyptiorum Theologiam, notis hieroglyphicis arcanam, Chaldæorum Aſtronomiam, & id genus alias rebus ſub luna jacentibus altiores notiones tam fuiſſe laudatas, ut ab Orthodoxis etiam primoribus celebrentur. Nec ſane miror; ſitis enim illa ſciendi menti hominis ingenita, cum ſemen quoddam mentis divinæ ſit, cæleſti potu dumtaxat explenda, quidquid haurire valet, quaſi rorem cælo delapſum excipit, ac ex origine veneratur, nec alias quantumvis ingenuas naturæ dotes, cum ſapientiæ dignitate putat componendas.

Ethnicorũ ſapientiæ caſus.

D

Verùm apud rerum expenſores prudentiſſimos, qui Eccleſiæ per ætates multas, tamquam ſplendidiſſima lumina præluxerunt, & caliginem mortalium oculis offuſam diſcuſſerunt, ſapientia illa, cujus ampliſſimo nomine inſolenter Ethnici gloriati ſunt, oculatiùs explorata, & ipſis cum veræ fidei rudimentis collata, loco excidit, & illuſtriore luce ſuccedente, tamquam ortu novi Solis occubuit. Quo certè ſplendore effectum eſt, ut agreſtes, ac feri homines, modici temporis diſciplina, ſublimiora de ipſo mundi Conditore, ſine ullius erroris admixtione conciperent, quàm univerſorum Philoſophorum ſcholæ, immenſo labore feſſæ percepiſſent.

Græci Latinique Patres.

E

Nec verò hîc ſubſtitit oborta mundo lux; ſed in penitiores multorum virorum ſenſus illapſa, tot Sapientiæ progreſſionibus illos auxit, ut quot verba, tot propemodum effata depromerent: quorum præceptionibus id arx Eccleſiæ conſecuta eſt, ut Catholicam veritatem ab hæretica impoſtura ſecerneret, illam fortiter tueretur, hanc acriter profligaret. Quo belli genere clariſſimi Patres Græci & Latini generoſè dimicarunt, & victorias multas revexerunt. Agmina ſunt certè lectiſſima, quibus Baſilios, Gregorios, Hjeronymos, Auguſtinos, Ambroſios, Thomas, & alios plurimos, orbe toto celeberrimos recenſemus.

F

At enim præter frequentes cum externis hoſtibus congreſſiones, inteſtinum bellum ſuberat, quod nobiliſſimam Eccleſiæ partem, viros inquam vitæ integritate, ac divinarum affectionum ſenſu eximios, dirè torquebat. Vix enim dici poſſit (Deus immenſe) poſtquam quis longam cultu virtutum viam emenſus eſt, & animi perplexitatem incurrit, nec an à Deo, an verò à dæmone agatur, internoſcit, quantis moleſtiæ fluctibus obruatur. Navis eſt, quæ ventis proſperis diu acta, adverſis repente flatibus impetitur, maris excandeſcentis vorticibus verberatus, nubibus tetris obducitur, fulminum crepitu terretur. Spectaculum hoc funeſtiſſimum, quem non afficiat? Quis rebus pene deſperatis ſalutem afferat?

Rerum divinarum mira peritia.

Oportebat certè præter omnia illa Sapientiæ præſidia, unum ſanè præſentiſſimum adeſſe, quo perfectiores viri in ſumma diſcrimina conjecti recrearentur: quod nihil eſt aliud, quàm rerum divinarum mira quædam peritia, non certè jejuna illa, qua Theologi plurimi, ſola ſpeculatione clari, pollent: verùm pinguior alia, quæ poſt agones multos purgatæ menti divinitus illucet, ut Deum ſenſu quodam divino percipiat, multos internarum affectionum mæandros ſubtiliſſima cognitione diſpiciat, & quid ſanum, quid ægrum, ſine deceptione pernoſcat.

G

Quanto pretioſa, tanto rara, & ſingularis

Hæc ut precioſior, ita rarior; nec ſi præterita ſæcula repetamus, tam multos, quàm aliarum ſcientiarum conſultos enumerare licebit. Splenduere quidem Patres hoc peritiæ genere, ſparſimque nonnulla præcepta ſcriptis ſuis intexuere, quæ in unum congerere, ac perſpicuè, quid ſibi velint, noſſe, arduum ſit; atque utinam eoſdem ſortiremur interpretes, quos rerum tantarum habemus auctores. Fuere quoque Virgines minimè paucæ, hujus ſapientiæ ſtudio deditæ, quibus Deus multa retexit, quæ ab eis ſcripto prodita, lectorum animos acriter urgent, ac in admirationem extollunt. Sed optandum valde, ut ſicut viſa ſcripto conſignarunt, ita modum affectionum divinarum diſtinxiſſent; ut eruditione prodeſſent, quæ novitate, ac ſublimitate delectant.

H

Rarum eſt PP. AA. immò divinum eſt, non revelationum modò magnitudine, ſed ſubtiliſſimarum quoque affectionum præceptione clareſcere: ut Tereſiæ unius lectio (qua velut quodam ſulco fons ille Sapientiæ ducitur) non tantùm rerum divinarum altitudine lectorem quemque ſuſpendat, verùm & eruditione juvet, præceptiſque

in

Habita An. 1602.

in artis methodum conſertis, ad animos pacandos, laqueos reſolvendos, ſpiritum divinum à ſatanico internoſcendum, & curſum Chriſtianæ perfectionis incitandum ſaluberrima conſilia ſuggerat.

Nec in re facilè perſpecta contentioſè agere cupio, & Tereſiam noſtram aliis ætatum aliarum Scriptoribus anteferre; invidioſum dicendi genus minimè placet. Unum autem, quod à viris ætate hac peritiſſimis acclamatur, ſyncerè proferam. Virginem hanc orbi jam toto laudatiſſimam, puriſſima Dei luce ſplendentem, ſingulari res divinas exprimendi prærogativa claruiſſe, ac eo magiſterio, quo à ſummis Doctoribus è ſuggeſto in ſcholis Theologia ſacra perlegitur, cæleſtem ab ea Sapientiam doceri potuiſſe. Nec mirum, ſi à minus provectis Theologis non omnia ejus aſſerta, ea præſertim, quæ ſunt altiora capiantur; oportuit enim multa proferri, quæ minus doctos fugerent, doctioribus tantùm apparerent; cujuſmodi maximus ille Athenarum Præſul Dionyſius multa prudens involuta reliquit, quæ Contemplatores magni cæleſti mentis puritate perquirerent.

D. Tereſiæ cœleſtis doctrina.

At enim qui fieri poteſt, ut arcana cæleſtia, ſpectra divina, ſuaviſſimum Dei commercium, creberrimas ecſtaſes, mentem illam tranquilliſſima ſerenitate fruentem, ac in iis omnibus motus animi ſingulos penſitantem, diſcernentem, moderantem, ſilentio celem? Spectaculis certè minoribus theatra replentur, & ego ſilebo? Orbis terrarum fama totus excitatur, & ego concionem boni hujus exortem dimittam? Porrò vota parum conferunt, ubi vires deficiunt: & ego incaſſum res Deo contiguas humi defixus coner efferre. Subeſt & ratio temporis, & orationis, pondere ſuo in caput ſecundum incumbentis.

Sed animus primi magnitudine territus, quo pacto in ſecundum, quod eſt multò majus, irrumpet? An deſiſtet? Sed qua ratione deſiſtet, ſi allicitur pulchritudine, quamvis formidet magnitudinem. Divino quidem conſilio factum eſt, ut rerum grandium arduitas futuri honoris, aut voluptatis ſpe leniretur, ne dum animus alterum cupit, alterum nimis pertimeſcat. Audendum ergo, & in auguſtiſſimam divinæ Charitatis aulam, Sapientiæ à me laudatæ proximam, oratio inducenda eſt.

D. Tereſiæ amor erga Deum.

Verùm, o rem planè mirabilem! o ſpectaculum certè jucundiſſimum! Charitas virtutibus omnibus innixa ſtructuram mundo corporato elegantiorem ſpectandam exhibet. Quàm ſunt æqualia regiæ illius aulæ latera! quàm bene commiſſi ad angulos parietes! quàm ſpecioſum atrium columnis è pario lapide dolatis, ad æqua interſtitia poſitis! quàm prudenter diſpoſita cubicula, quàm artificioſè portæ, feneſtræque collatæ! Miror elegantiam, pulchritudinem admiror.

Non fert animus PP. AA. aulæ partes, vel omnes, vel plures perſequi; amoris faſtigium, quà potero, laudabo.

Sapientia paſtus amoris.

Sapientia paſtus amoris eſt; Dei quippe cognitione gliſcit amor, & multis incrementis adoleſcit; cum ergo illuſtriſſima Virgo quodam amicitiæ jure divinam mentem ſortita fuerit, qua Dei pulchritudinem ſublimius, quàm dici poſſit, agnovit, quibus exiſtimatis amoris flammis arſiſſe? Suaviſſima illa Dei blandimenta, quem æſtum excitarunt? Comis Cæſaris aſpectus animum ingenuum incredibili amore demulcet, ac perpetuo ſibi famulatu devincit; quid ergo Imperatoris illius æterni, non modò vultus hilaris, ſed arctiſſima conſuetudo, quam non licet effari? Profecto cor illud planè virile, vix amoris vim ferre valebat, & motibus innumeris concuſſum, ob Dei abſentiam penè ad interitum æſtuabat. Salmanticæ quidem, ubi Monaſterium condiderat, cum die quadam lætum de Chriſto carmen audiret, abſentiæ ſenſus tantoperè invaluit, ut ab elatis vocibus, corpore velut intermoriente, ſibi temperare nequiverit. Artus penè diſſoluti ſunt, in lectum delata eſt: ex amore validiſſimo jacuit; & ut viri ſapientes coniiciunt, niſi clementiſſimus Deus ſui copiam ſæpius feciſſet, amoris impetu animam exhalaſſet.

Amoris effectus.

At verò non hæc ſuprema laus amoris eſt, ut indulgenter habitus inflammetur: illud potiùs mirandum, quàm ſine propriæ ſalutis intuitu, ſolam Dei gloriam affectaret, nihil ſua intereſſe putabat, ſi mille calamitatibus, & inſectationibus obſideretur, dum poſſet, quàm impenſiſſimè cupiebat, Dei laudem tantillum promovere, quaſi non ſibi ſed Deo, proximiſque nata videretur, quod virorum Apoſtolicorum, non mulieris encomium eſt.

Actus virtutum heroici.

Sic certè nobiliſſima Virgo, heroicos virtutum actus, amoris ſtimulo percita deſignavit, quos amor ſolus edere potuit. Porrò cum in ipſo tyrocinio parentis domo ſe proripere, ſacro ſe Clauſtro abditura pararet, Deo ſic animum invictum experiente, vim quamdam adverſam cœptis obſtantem ſentire ſibi viſa eſt, quæ gigantis quoque vires fregiſſet. Oportuit quippe vim tantam naturæ impingere, ut inſalutato patre, antelucano tempore Virgo nobilis, verecunda, & prudens abiret, ut oſſa præ doloris ſenſu eluxari, totumque corpus torpeſcere videretur: & tamen inſtitit, torporem excuſſit, æde ſacra, quo ibat, potita eſt.

Clœliam Virginem Porſena urbem obſidens, quòd cuſtodibus deceptis, noctu caſtris ejus egreſſa, equum obvium arripiens, Tiberim trajeciſſet, miratus eſt; & per legatos repetitam, & receptam cum quibus optaſſet in patriam redire permiſit: at quantùm ſit admiratione dignius non patriam, quò natura vocat, repetere, ſed natura validiſſimè renitente parentum domum, opes, honores, non Tiberi trajecto, ſed ad-

ver-

Habita An. 1603.

verſo naturæ flumine generosè deſpicere) exiſtimate. Ipſo certè præludio, quid eſſet poſtmodum patratura, portendit. Jam divinus amor radices altas defixerat, ut naturalem ſubjugaret. Cœpta grandia felici ſucceſſu cumulata, dum in Clauſtro ſibi vacavit, & per annos viginti ſeptem proprios mores excoluit, acceſſionibus multis amorem auxerunt, donec muliebris conditionis illam tædere cœpit, & ſuper fœminæ ingenium elata, quanam ratione amoris vicem Deo rependeret, attentiùs cogitavit.

A

Cenſuit animus ille rebus maximis deditus noxium pudorem deponendum, & animarum ſalutem Deo ſummopere placitura ſedulò procurandam. Optabilior quippe ſalus hæc, quàm oblata martyrii gloria videbatur, quod ipſa lepidiſſimè aliquando ſignificavit: nec ſanè video cur ei eſſet charior, niſi quia Deo eſſet, ut ipſa putabat, ex animarum multarum lucro glorioſior; quod amoris eximii, non proprium, ſed amici lucrum expetentis argumentum eſt. Sed quàm fortiter, quàm conſtanter, quàm invictè rem præſtitit? Cernere mihi videor animum illum amoris incendio pervaſum, & motu celerrimo (quæ corpore nequibat) orbe toto vagantem, ac multis votis ſalutem univerſorum hominum molientem. At quid ageret? Mulier erat, nec ſermone populos, nec ſacris inſtituere poterat: quò ſe verteret? Sed non ſe vertebat; vertebatur, quò amor animi illius auriga, flectebat: Clauſtro illam amor expulit: ut gentem conderet, juſſit: ut virili animo urbes multas pererraret, adegit.

B

Ejus de proximorum ſalute ardor

Sed quale miraculum eſt hoc? Intuemini, ſcilicet, fœminam prudentiſſimam, negotiis certè graviſſimis inſiſtentem, & Principum aulas ſubeuntem, nec ullo pudoris, aut virtutm cæterarum decremento: quin potiùs cum inſignibus augmentis, & ſuam, & aliorum ſalutem cumulantem. Non illam frequens Optimatum congreſſus, non rerum gerendarum gravitas, aut multitudo, non itinerum excurſus, ab intentiſſimo Contemplationis ſtudio dimovit: quem proceri amoris verticem obſtupeſco. Angelici enim moris eſt, ſic negotia momenti maximi gerere, ut mens Deo jugiter adhæreſcens, & veluti è montis vertice humiliora loca deſpiciens, rerum ſtrepitu minimè interpelletur. Felices illi, quibus cum Virgine clariſſima verba facere, præſentem avidè intueri, rebus maximis inſtantem æmulari, & è fœminæ corde virile amoris robur contigit haurire.

C

D

At quid cunctor? Cur non ſubtile Charitatis diſcrimen, quo uti ſolebat, expendo? An ad rem hanc quicquam eſſe queat opportunius? Dicere ſolebat, bene ſe accepturam quod alii gloriæ ſublimitate ipſi antecellerent; at neſcire ſe quo animo afficienda eſſet, ſi ab aliis amore vinceretur: quàm perſpicax, ſumme Deus, animus ille fuit, quàm bene diſcrevit. Quid putatis non attentaſſet amor ille fortiſſimus, qui nemini concedere voluit? Quam arcem non expugnaſſet? Manus una Scævolæ illius aris impoſita fregit ferum urbis hujus hoſtem, qui obſidionem confeſtim ſolvit: quid opinamini, totus animus igne divino incenſus præſtitiſſet?

Ejus dictū.

E

Credo equidem molem hanc, quam videtis una muliere ſubnixam, ideò ventis quoque reflantibus, conſtare, quod amor ille qui vinci noluit, vinci non poſſit: cum enim ſit genere divinus, non eſt caſibus obnoxius. Non ſanè, quòd multo ferreorum armorum apparatu ad hoſtes propulſandos gentem ſuam inſtruxerit; ſed quòd ſuaviſſimis amoris legibus animos in idem votum conſpiraturos armaverit, ne Reſpublica pace fundata poſſet everti: nam & minùs ſapientes alii hoc armaturæ genere populos florentiſſimos, ut Lacedæmonios Lycurgus, & Numa Romanos inſtruxerunt. Hinc extitit modus ille, cælo lapſus, ſacras Virgines non ullo dominatu, ſed levi quodam nutu moderandi, & quò vellet ducendi, quæ prælationis laus potiſſima eſt; & quæ ad viros quoque ejuſdem inſtituti partu quodam intemerato à tanta Parente in lucem editos, hæreditario jure permanavit. Nec ulla excelſi illius amoris nota ſyncerior, quàm quæ homines natione, genereque diſſimiles, tamquam parentis unius liberos, tam ſtricto amoris fœdere, ac mira legum ſuavitate connexuit. At enim quid moror? contra flumen adverſum fruſtra nitor. Percurrite Virginis ſcripta, expendite, ad periodos ferè ſingulas cunctamini, & quot verba, tot penè divini amoris effata legetis.

Licurgus, & Numa.

F

Ego verò mari vaſtiſſimo vix emergens, in aliud proximum, quod tertium caput eſt, audax fortaſſe vela explico, dum Patientiam, veri amoris teſtem omni exceptione majorem, & fœtum certè primogenitum laudare tento. Quid autem primum efferam? morbos illatos ſi recenſere velim, æquo longius percurrit oratio: ſi labores ultra quæſitos, ingenioſum, ſed implexum opus aggrederer. Unum minimè ſupprimam, quod viris rerum cæleſtium obſervationi addictis altè ponderandum opinor. Præteream corporis extenuationem, quam juge contemplationis ſtudium infert, quod robuſtiora quoque corpora conficit, morbos perennes, graves, multiplices, & varios admodum labores optimè perlatos, vitam illam innoxiam, ac ſi teterrimorum ſcelerum conſcia foret, ad extremum diem divexaſſe: nec propterea à gente condenda, & ſummis difficultatibus vincendis deſtitiſſe: quæ magni Gregorii, & aliorum Patrum, qui fractis corporis viribus ſimillimis laboribus pro Eccleſia tuenda, & amplificanda perſeveranter defuncti ſunt, gloria fuit.

G

Patientia veri amoris teſtis.

H

Verùm hæc omnia conſultò prætergredior, ne majora patientiæ illius experimenta ſilentio tumulare cogar. Magnum eſt pro-

profectò patientis animi firmamentum, ſi more firmiſſimæ arcis multis machinis impetitæ, nec læſæ, dum variis, ac diuturnis corporis incommodis, & morbis exercetur, perſtet immotus. Robur maximum eſt. Et quidem ſi apud ethnicos homines, externis tantùm æſtimandis aſſuetos, dicerem, graviſſima ejus generis mala per A annos quadraginta fortiter exhauſta, proferrem. Cæterum majora, & Chriſtianis auribus digniora ſuccedant, quæ in hujus Orationis tabula ſpectanda produco. Neminem latere arbitror, acriores eſſe animi, quàm corporis cruciatus, quod mihi non rationibus aſtruendum, ſed apud ſapientes Auditores ponendum eſt. Et tamen corporis mala homines multos adeo graviter afficiunt, ut ad ea quantocyus elidenda, mortem vel ardenter appetant, vel temerè ſibi conſciſcant, quod viris rerum antiquarum peritis exploratum eſt. Neque enim defuere Philoſophi hoc nomine illuſtres, qui ea de cauſa ſibi necem afferre honeſtum opinarentur, quorum ſcripta paſſim B lectitantur.

Animi cruciatus corporis acriores.

Quid ergo de animi malis ſentiendum? cum in anguſtias animus premitur, & ab ipſo Deo ſpiculis multis ſeverè percellitur? Quoties, o Tereſia, in agonem, quo mors levior viſa fuiſſet, inducta, ſimiles tartaro dolores experta es? Quoties, oborto repentè quaſi turbine correpta, te ſempiterni boni jacturam feciſſe, timuiſti? Quoties à dæmone graphicè pictam impoſturam uſque ad anxiam cordis agitationem horruiſti? Quàm ſæpè à Theologis quoque doctiſſimis, Deo ſic illam perficiente, velut parum mentis compos exploſa eſt? Quàm ſæpe arduis maximè officiis, quæ ſine adamante illius Patientiæ præſtari nequirent, perfuncta eſt? Timeo certè, ne maxima hæc, quæ nunc à me perſtringuntur, C animi tormenta, minus gravia fortaſsè videantur, quòd à me non ſatis exprimi queant.

Sed cogitate mecum, per Deum immortalem, quàm atrociter importunus mœror homines etiam firma corporis conſtitutione præditos, lædat. Ambiebat neſcio quis in urbe principatum; non ſucceſſit ex ſententia; malè affectus eſt: decubuit, interiit. Ergonè ſola mœſtitia hominem extinxit? ubi morbus, ubi vulnera? & tamen animam efflavit. Qualem ergo torturam ſuſpicamini, quæ animum ad æternos honores accitum, averſum ex improviſo Deum experitur, & in denſiſſimas tenebras ſe putat abjectum? Quid, quòd à quibus remedium erat expetendum, dirè ſauciant, D repellunt, & tamquam à contagioſo morbo ſe abſiſtere profitentur? Quid, quòd mundus conjurat univerſus: apud ſapientes malè audit: vulgus malè ſuſpicatur? Qualem patientiæ clypeum, tot, & tam violentis ictibus oportuit obfirmare? An æreum? an ex chalybe liquato fuſum? miror admodum vim patientiæ hujus immenſam. Sed rem non ſatis expendi. Mala quippe illa agminatim irrumpentia privatam mulierem, quæ omne Spartanæ conſtantiæ pondus habuiſſet, diriſſimè vexaſſet. At virginem ingenuam, publico bono natam, Reipublicæ ſacræ condendæ incumbentem, & ruituram tot adverſitatibus molem non abs re timentem, quàm malè torſerunt, quomodo ſapientiſſimus Deus illis humeris pon- E dus laborum tantum impoſuit.

O firmiſſimum Athlantem! o cor inexpugnabile! Quam meritò principes, ac provinciæ multæ, ipſique Reges flagitant, ut ſacri tibi honores decernantur!

Id ſanè Thereſiæ noſtræ contigiſſe videtur, quod Romanorum Regi quinto urbem petenti accidiſſe ferunt: advenienti quippe aquila pileum ſuſtulit, & cum altè ſubvolaſſet, è ſublimi aere delapſa repoſuit: ex quo Tanaquil ejus conjux augurandi perita, regnum ei portendi conjecit: ſic profectò ad tempus modicum è capite Virginis hujus coronam Deus, quaſi abſtulit, aliquantum paſſus obſcurari: at poſtea glorioſè reſtituit. Poſt nubes atras, & nim- F bos vehementes, multò cœlum lætius, multò ſol apparet luculentior.

Multæ ejus virtutes.

Plurima quidem à me Oratore nimium parco ſermonem exigunt, quem longum, ac perfectum debere malo, quàm brevem, ac imperfectum reddere. Virginitas nive candidior nitidiora verba repoſcit. Alta illa animi demiſſio linguam provocat. Oculatiſſima prudentia propemodum verba elicit. Excelſus mundi contemptus penè ad dicendum cogit. Miracula perſpicaciter explorata vehementius urgent. Graviſſimorum Præſulum, ac peritiſſimorum Theologorum, quos ætas hæc præſertim veneratur, elogia clamant. Ego vero tot honeſtiſſimis rationibus laceſſitus, non excitor, ſed enervor, ac facilè vincor. Rebus magnis vires minores cedunt: nam & fortitudinis pars G eſt, quæ ſummos Imperatores decuit, pericula viribus majora detrectare, ac prudenti fuga præcavere.

Sed nihil omninò dicam? Dicam profectò animam illam meritis opulentiſſimam hac die, ætatis anno ſexageſimo octavo è corporis cuſtodiis liberatam, de proſtratis hoſtibus, & gente condita, mercede ampliſſima fruituram in cælum (ut credere decet) evolaſſe. Quid ultra deſideretur. Domuit orbem: qua palma carebit? Sexum vicit; quem triumphum non aget? Leges tulit: qua laurea vacabit? Rempublicam inſtituit; qua dignitate non ſplendebit?

O Thereſia, o nobiliſſima Virgo, quantum decus peperiſti? Nominis tui ſplendor H orbem pervaſit univerſum, cælis illata es; tibi acclamatur in terris. Quid ultra? Subeunt affectus: oratio impar eſt: quapropter, ut quæ non licet efferre, altiùs mente pertractare liceat, oppreſſus tantæ Virginis gloria conticeſco.

ORATIO III.

Habita An. 1604.

DIvinorum operum celſitudinem contemplari PP. AA. arduum, eloqui difficillimum eſt. A Naturæ quippe ſecreta procul ab orbe noſtro diſſita, cæleſtium corporum elegantiam, magnitudinem, abſolutionem perſcrutari, clariſſima quæque ingenia refugerunt. Verum quæ ſummus ille mundi princeps Deus nebula quadam obduxit, & cælo gratis intermicante defœcatis animis quandoque retexit, qualia dies hic ſanè fauſtiſſimus de Virginis, ac parentis noſtræ Thereſiæ gloria prodit, animo concipere, opus certè grande, effari divinum eſt: nec niſi cæleſti fretus afflatu, pauca quædam è multis excepturus, dictionem grandem aggredior.

Cæterum in ipſo velut orationis veſtibulo rem inſolitam, Dei ſapientiam in qua- B dam luti concretione lucentem, mulieris videlicet animum, eximiarum virtutum ſplendoribus illuſtrem, vehementer admiror. Non abs re quidem ſculptoribus antiquis artis apprime conſultis mos fuit, ſtatuas è rudi porphyretico, ſeu pario lapide mirificè elaboratas publicè ſpectandas exponere; ut peritiſſimum quemque proportione, lævore, pulchritudine permulcerent, ac diutiùs ſubſiſtentem, ſingulaſque ſculpturæ partes intentiùs meditantem operis acclamatorem ſortirentur. Sic ſanè mulierem unam, tamquam ex impolito lapide abſolutiſſimam effigiem, virtutibus heroicis, quaſi totidem membris, exciſa ruditate, conſtantem, ad novi cujuſdam Polycleti laudem, nullis invidentiæ ſtimulis tactam, ſyncerè produco. C Etſi enim priſca omnis ætas, omniſque propemodum natio, fæminas aliquot animo, quàm ſexu fortiores, miro quodam terræ parùm feracis cultu protulerit, neminem tamen hiſtoriæ utcumque conſultum latere fas eſt, ubique extitiſſe non multas.

Hebræorũ fæminæ olim celebres.

Hebræorum profectò gens, omnium olim fœcundiſſima, edidit nonnullas ſapientia, & fortitudine claras, quæ & gentem ipſam legibus moderari, & exterorum caſtra glorioſè diſſipare valerent. At enim laus ea penè omnis fluxis terræ bonis inſedit; quæ vel temperato regno, vel fuſis agminibus, vel ſpoliis quoque direptis excrevit.

Et Ægiptiorum.

Minùs verò ferax Ægyptus, Hebræorum potiùs dominatu, quàm proprio inſignis imperio, paucis dumtaxat mulieribus Regis D tyrannidem averſantibus, ſuorum & Augurum, & Regum gloriam facilè ſuperavit: ſed enim ea claritas extrinſecus nata regnum opulentiſſimum, velut caries lignum exedit, temporiſque proceſſu imperio florentiſſimo vim fecit, ac demum evanuit.

Fæminæ Spartanæ laudatæ.

Græcia & rebus geſtis, & moribus eximia, gloriæ partem non exiguam, vel ob unius Lacedæmonis fœminis corde virili præditas adepta eſt, quæ amorem honeſti, vitæ etiam ipſi animoſiùs, quàm feliciùs prætulerunt. At verò decus id omne anguſtis finibus intercluſum, legibus, moribuſque minimè divinis innixum, mortali ſorte prorſus obſolevit.

Una certè generis hujus virtus, poſt ex- E ortum Chriſti lætiſſimum immortalitatem aſſecuta, ſexum edomuit, mundi faſtum proculcavit, cælo vim attulit; qua patet enim ampliſſimum urbis hujus imperium multa virginum millia cum ſæviſſimis hoſtibus fidei generoſè congreſſa, præclariſſimos de ſenſus illecebris, honoribus, ac divitiis triumphos retulerunt, fortiſſimiſque viris exempla, quæ poſſent æmulari, reliquerunt. Excelſa porrò geſta, ſexum natura imbecillem, ac leves quoſque conflictus formidantem, deliciarum impenſè cupidum, & nihil præter cultum proprium affectantem, nova quadam vi ad labores armari, præliis, & ictibus aſſueſcere, oblectamenta ſenſûs execrari, ſui neglectum ſtudioſiſſimè perquirere.

F Quo quidem in genere, ut innumeras puellas honeſtiſſimo loco natas, & multis votis ad mundi apparatum expetitas præteream, quæ unà cum rerum caducarum contemptione, vitam ipſam aſpernatæ, pro fidei aſſertione ſanguinem ingenuum profuderunt: illarum potiùs, & ad rem accommodatiùs meminiſſe debeo, quæ ſingulari Dei providentia certis ætatibus humano generi calamitoſiùs prolapſo, ac denſis teterrimorum flagitiorum tenebris miſeriùs obcæcato, velut totidem ſplendidiſſima cæli lumina præluxerunt. Sors hæc evexit Marthas, Gertrudas, Claras, Catharinas, aliaſque minimè paucas, quarum prudentia planè mira, & multiplex inſtitutio Eccleſiæ corpus, tamquam intertexta veſte ritibus variis in unum divinæ Charitatis finem conſpirantibus exornarunt.

Martha, Gertrudis, Clara, & Catharina.

G

D. Parentis Tereſiæ ortus.

Harum veſtigiis inhæſura, nobiliſſima Virgo, parens, ductrixque noſtra Tereſia orbi labanti, tot piaculorum eluvionibus obruto, tot hæreſum bellis attrito, ac paulò minus exhauſto, biennio antequam peſtilentiſſimus ille Lutherus ſacras virgines clauſtris obducturus, adverſus tutiſſimam fidei arcem vexillum efferret, quinto Kalendas Aprilis, à Virginis partu anno decimo quinto poſt milleſimum quingenteſimum, natali die Hiſpaniæ urbem perantiquam Abulam inſignivit.

Decebat enim illius Imperatoris ſupremi Majeſtatem, ut lectiſſimis copiis, tam feri perduellis damna ſarciret, & novo H militiæ invento, muliere virorum caſtra ducente, effrænes illos impetus arceret. Inaudita certè animi magnitudo, quam ab ineunte ætate portendit. Cum enim adoleſcentiæ decor efflореſceret, puella mundo procerior obluctante ſæculo, paterna domo clam excedens, in ædem Virgini ſacram ſe abdidit, multorumque annorum excurſu multis morbis obnoxia, tentamen-

Habita An. 1604.

tis acribus infeſtata, perſpicuis immenſarum virtutum notis inter virgines multas enituit. At animus ille generoſiſſimus non propterea ulterioris progreſſionis ſitim explevit; ſemper enim, ut majora moliretur, amoris divini calcaribus urgebatur: quapropter nec ſexu cohibita, nec rei magnitudine territa, de cæleſti quadam altioris vitæ ratione inſtituenda ſeriò cœpit A cogitare, inſtititque, donec animus anteactam vitam, ignaviamque pertæſus efferbuit, & in rem totus incubuit.

Ejus fiducia in Dei providentia.

Quàm inſigni, oculataque prudentia (ſumme Deus) quàm invicto pectore opus fuit, ut mulier una inermis, ægra, ſeptis incluſa, & quaſi compedita, novam gentem condere, non cogitaret tantùm, verùm & auderet. Quis enim urbis cujuſpiam fundamenta defodit, qui latomos, lignorum cæſores, architectos, cæteroſque molis tantæ ſocios non ante ſelegiſſet, ac ſumptus magnos comparaſſet? At illa ſatis Deo locuples rem cogitavit, cœpit, abſolvit, & porrectis quaſi brachiis orbem totum amplexa B eſt; fama totum ambivit. Quæ enim vel Oceano interfuſo tam deſperata gens uſpiam ignoret, quod Roma fatetur.

Quamobrem vulgata hæc, quæ celerrimo curſu Chriſtiana regna pererrant, conſultò prætergreſſus in amœniſſimum Virginis hujus hortum, ab ipſomet Deo conſitum, & cultum, areis ad lineam diſcretum, arboribus ad ſymmetriam diſpoſitum, aquis interfluentibus irriguum, clementiſſimo cælo fœcundum, ſuaviſſimis fructibus refertum, pedem inferam, & nobiliores fructus aliquot media ex ubertate decerpam, quos rudi quadam adumbratione deſcribam: univerſam enim horti felicitatem, quis umquam abſolveret?

C Et primùm quidem ſapientia illa peritiſſima, cujus ſplendore media hujus exilii nocte, divina ſenſa & ſubtiliſſimè internovit, & lepidiſſimè docuit, & ſcripto diſertiſſimè digeſſit, quem hominum, ſenſu quantumvis cano prudentem, non admiratione ſuſpendat?

Varii varia pertractarunt.

Permultos certè vetuſtiſſimorum ſcriptorum, quo tempore puriſſimus ſermo Atticus, Latiuſque fluebat, animadvertere licet, in res obſcuras vim eloquentiæ contuliſſe. Alii corporis totius poſitum, oſſa, vertebras, ſuturas, ſinus, & id genus alia auditu, quàm viſu gratiora: legumlationem alii: Rerumpublicarum incrementa, ſeu decrementa alii: res militares aliqui: naturæ quoque ſecreta nonnulli proſequuti, comptiora calamo, quàm rebus præſtitere, ut nitore verborum deformia quæque, velut albario linirent, vel humilia decorarent; D & tamen res adeo parum ſublimes vix authores ii tam exactè tractarunt, ut homines ſciendi mediocriter cupidos ſedarent, eſto dicendo placerent. Verum enim res ingenio quidem ſuo divinas, & ad permovendos animos opportuniſſimas, ſed explicatu difficillimas, tam ubertim expromere, tam concinnè innectere, tam diſertè interpretari, ut perſpicaciſſima ingenia & confeſtim acquieſcant, & ſummopere delectentur, non partæ, ſed cælitus delapſæ eloquentiæ eſt, quæ aureo illi ſæculo facilè antecellat.

D. Parentis Tereſiæ ſcripta.

Et ne vagus orationi vela explicem, rem in Virginis hujus magiſterio ſtupore digniſſimam percipite, ac mecum attentiùs penſitate. E Quis, obſecro, ſcriptor umquam extitit, affectionum divinarum adeò prudens, ut mentis ſtatum, ſtructuramque pernoſcens, quid arcano illapſu Deus intus ageret, quid dæmon aſſimilaret, tam apertè tradiderit? Novus procul dubiò doctrinæ ſol, & paucis Sanctorum Patrum pronunciatis exceptis, quæ illi ſparſim ſcriptis ſuis intexuere, neſcio an ejuſmodi opus ulla ſit ætas aſſecuta. At quid moror in re, cujus confeſſionem non extorqueo, ſed à multis teſtibus oblatam accipio? An nova lux non appellanda internorum motuum diſcretio, ac præſcriptio illa, qua ſine perplexitate ulla docet, qua ratione intellectus divinitus F affectus temperandus, vel à Deo digreſſus leniter alliciendus, ſive impunè ſinendus? voluntas Deo avidiſſimè adhæreſcens, quî regenda, cæteræque hominis partes motus divinos ſubeuntes, quo pacto componendæ, ne ab ſcopo tantillum aberrent?

Rei anatomicæ peritia cur commendata?

Porrò rei anatomicæ peritia meritò commendatur, quod ſtructuram corporatam, puta venarum, muſculorum, reliquarumque partium, tametſi minimarum ordinem, uſum, ac rationem exploret, ut prudentiùs medeatur: qua igitur laude digna putetur anatomia, quæ ſe in tenuiſſimos mentis conceptus inſinuat, & ab humano divinum, ſyncerum ab adulterino diducit. Profectò laudem hanc, ſingulari quodam jure, ſapientiſſima hæc Virgo ſibi vendicat, ut G qui ejus lucubrationes non oſcitanter evolvunt, paſſim acclamant. Unde rationem nequaquam infirmam, ad præſagiendam ſapientiæ illius altitudinem perveſtigaſſe mihi videor, quam æqua lance perpendite. Abditiſſima Dei arcana, vel tenuiter noſſe, ſapientiæ mundo altioris argumentum eſt. Quid ergo percallere? quid ſcriptis evulgare? quid luculenter exprimere? Miror equidem ſapientiam hanc, cui nec inter judices Areopagitas, neque inter Chaldæorum primores parem invenio, quæ quod per annorum multa curricula Theologorum gymnaſia vix peragunt, intuitu ſaltem uno perluſtrat. Mens profectò illuſtriſſima, quàm excelsè lumina divina concepiſti.

D. Tereſiæ charitas.

Jam verò aliam Virginis tantæ laudem ab ea, quam adumbravi prognatam, in divinæ charitatis vertice conſtituo, ut puriſſimo nitore conſpicua Auditorum animos H perfundat & purget. Nihil ſanè charitate altius, nihil pulchrius, nihil pretioſius, quæ virtutum omnium ſplendor eſt, & tamquam princeps forma elegans illarum ſtipata cœtu, animam venuſtiſſimè ornat, ac in ſtatum Deo finitimum ſubigit, quo nihil poſſit

exco-

Habita An. 1604.

Caritas virtutum cæterarum domina.

A

excogitari nobilius. Sed cum virtus hæc cæterarum domina, quamvis recens nata, terram e dignitatis ſuæ faſtigio deſpiciat, & velut pennis fulta cælum ocyſſimè petat: lato diſcrimine poſtquam adolevit, nihil niſi glorioſum, divinumque deſignat: unde alta mundi deſpectio, hoſtium ferociſſimorum debellatio, & immortale trophæum. Cum ergo ſtrenuiſſima ductrix noſtra in ſtaturam Charitatis juſtam increverit, cui animus invictiſſimus, & frequentiſſimus amoris raptus fidem adſtruunt, quibus exiſtimatis flammis deflagraſſe?

B

Amoris divini effectus.

Ego quidem incendium hoc ſilentio venerari, quàm verbis proſequi mallem. Facilius quippe colitur, quàm diſſeritur. At cum cœptis deſiſtere minimè liceat, ſub auſpiciis tantis audendum eſt. Obverſatur enim animo immenſitas amoris illius, quo in Deum exarſit, cui ſermo debetur immenſus. Quænam enim dicendi, aut certè cogitandi vis tam ſubtilis, & efficax, quæ in nobiliſſimum cor mulieris illapſa, ferventiſſimi amoris æſtum exæquet? Profecto divinæ pulchritudinis ardor viſcera tota pervaſit, & ad purum excoxit, ut (quod in ejus ſcriptis identidem deprehenditur) millies pro decore tanto læta occubuiſſet. Quoties à morte flagitanda, amoris ſtimulo percita, ſibi temperare nequivit? Quoties in domus angulos, ubi non temerè poſſet exquiri, divinæ conſuetudinis amor languentem compulit? Quoties frigentibus membris animam Dei cupidiſſimam impatiens amor introrſum coegit?

C

Mirabuntur certè, qui amoris vim perſpectam habent, qui fieri potuit, ut animam ſæpiſſimè non efflaret: vixit tamen nobis, vixit oraculo, vixit exemplo, & mortem prolixam, quamdiu vixit conſtantiſſimè, licet interdum moleſtiſſimè tulit. Vix enim pectus illud immobile noſtrum hoc exilium ferre valebat, cum omnia mundi bona turpiſſimè illi ſorduiſſent, ut unius Dei abſentia contabeſceret. Non illam ab amoris ſtudio adverſitas, ſeu proſperitas ulla deflexit, non hominum convictus, vel negotiorum moles, ab intenſiſſima formæ illius recordatione dimovit: ut, etſi multa ſupprimeret, amoris tamen vim impotentem non modò non occuleret, verùm & ſenſu convicta profiteretur. Hinc limpidiſſima contemplatio, hinc animi deliquia; hinc & mentis, & corporis quoque ſuſpenſio, ut ſæpe validiſſimè reniteretur, ne corpus in ſublime cerneretur elatum.

Amor erga proximum.

D

At verò impatientem amoris vim innumeris motibus exultantem, ac Deo quam citiſſimè ſociari ſatagentem, fruſtra conor edicere: ſatiùs certè ex effatis inclitæ Virginis, quàm è laudatoris balbutie requiretur. Quamobrem notiorem laudem ſubtexo, quæ amore in proximos propenſiſſimo conſtat, quo Parens hæc noſtra inſigniter claruit, & merita plurima cumulavit. Nimirum, quemadmodum punicum malum non in caſſum principis amore à natura coronatum ſponte ſua diſrumpitur, ut illo quaſi vulnere grana ſole percoquantur & gliſcant: ſic illa immortalem jure coronam aſſecuta, multis ſe laboribus tamquam vulneribus confecit, & proſcidit, ut proles multa, quam præcordiis intimis condiderat, feliciùs creſceret, & ad maturitatem quoque pertingeret. Huc ſpectat illa tam longa vigiliarum, & precationum ſeries, tot itinera, tot incommoda, ut monaſteria conderet, avidiſſimè ſuſcepta, præter morbos diuturnos, & labores alios certè moleſtiſſimos, quibus nihil aliud enitebatur, quàm ut candidiſſimos Virginum choros inſtitutionis ſuæ quaſi modis muſicis erudiret, ſalutaribus monitis, tamquam mundo muliebri ad nuptias excoleret, ac optatiſſimo Deo ſacro fœdere deſponderet.

Labores, & incommoda pro illo.

E

F

Propriæ ſanitatis neglectus.

Quod certè virile munus ut obiret, & corporis curam imperioſè neglexit, & probra non pauca, ut apud multos malè interdum audiret, pacatiſſimè tulit. Oportebat enim murum illum æneum, nullius injuriis diruendum, multis machinis concuti, multis inſultibus impeti, multis obſidionibus premi. At cordis firmamentum, nec illatæ à vulgo contumeliæ, nec optimatum ſupercilia, nec ſapientium refragatio, nec totius mundi reniſus, nec tartari demum ira detrivit; quin potiùs quantò ſævior procella ingruit, tantò in Charitatis dignitate tuenda, & gente propaganda tranquillior ſubſecuta ſerenitas.

G

Cujus certè pacis bello partæ ratio è potiſſimis una, mulieris non ſanguini adnata, ſed à Deo indita nobilitas fuit. Non enim animi pro divina Charitate pugnantis vires fregit laboris improbitas, ſed contra pondus nixa, doctiſſimos viros tunc fama claros periculum ſubitura convenit, ut ſeverè admodum ipſius cauſam dijudicarent, ne quid non purum obreperet. Qua fide, ac ſedulitate id obtinuit, quod qui provinciam quampiam expugnant eniti ſolent, ut munitiores urbes, & inſtructiores arces primum capiant, ac infirmiora indè caſtra deturbent.

Cœpit ſapientes Charitatis armatura, & dexteritate prudentiæ, quorum auctoritate, ac patrocinio uſa, plurimorum ſalutem inſtauravit, & cum animarum lucra captaret, viris illis eruditiſſimis doctrinam, dicendique vim inculpatè admodum invidebat. Quorum mors vel ſola, vel præſertim eliciebat lacrymas, quòd eorum luminum extinctu, multorum ſaluti præſentia imminere diſcrimina, multoſque ſolatio, ac paſtu deſtitutos interituros vereretur.

H

Patientia partus caritatis primogenitus dicta.

Sed jam ad partum Charitatis primogenitum, Patientiam, inquam, deſcribendam, quæ veræ ſanctitatis judex fidiſſimus, & laudatiſſimus eſt, tempeſtivè deſcendam. Verùm inter tot illius adamantis inſignia quid primùm arripiam? An morbos? an labores? an convitia? an experimenta?

Certè quod ad ægrotationem diutinam,

&

Habita An. 1604.

& acerbiſſimam ſpectat, ab infantia ipſa, ad extremum uſque ſpiritum multis morbis malè habita numquam perfectè convaluit. Etſi enim morbus comitialis, affectio iliaca, ardentior febris, corporis tremores, & ejuſmodi pravæ affectiones, non ſemper illam confertim opprimerent; quinquennio tamen antequam è vita migraret, patientiæ ſignum mirandum exhibuit, ajens; per annos A quadraginta ſe nullum duxiſſe diem à doloribus feriatum.

Labores, & pericula.

De laboribus quibus fortiter perfuncta eſt, de contumeliis, de periculis, ſi dicere attentarem, tempus me deficeret. Verumtamen inter univerſa capita patientiæ, immò & charitatis, encomio digniſſimum minimè reticebo; ſitim nempè illam, quæ Nilo non potuit expleri, nova laborum genera perferendi. Summe Deus quale prodigium eſt hoc? Satis crebrò calamitatum illam turbo corripuit, morbus perennis abſumpſit, mundus contudit, dæmon laniavit, longum certè totius vitæ martyrium, & tamen ſitim patiendi non extinguit? An æternorum aliquod patibulum expetit? & quod rem magnopere auget, præter cruciatus nuper B recenſitos Deus ipſe, ut opus illud ſuum numeris omnibus abſolveret, ſecretis modis illam exercuit: Porrò per annos nimirum viginti duos, auſteris Dei repulſis exaruit, ut ſæpe offuſis tenebris velut excœcata, de ſtatu ſuo tam eſſet anceps, ut præ anxietate nimia, mitis ei mortis atrocitas videretur.

Immane tormenti genus! & tamen graviora perpeti cupit? Quouſque accedat? nihil amore fidelius. Altè perpendit Dei auguſtiſſimam dignitatem, qui ſalutis noſtræ cauſa mortem diriſſimam exantlavit. Non certè ſicut numen illud affabrè confictum, quod multa, ſed fatua commiſeratione flexum, erga hominem quemdam C amicum inducitur, à Græco illo . . .

Hic quædã deerant in Exemplari M. S.

. . . .

. . . .

. . . .

Sed veriùs nos miſeratus, & funeſtiſſimè necatus in Virginis corde dolorum ejus appetentiam excitavit, quibus amoris ignis paſceretur. Nec enim ſe vicem putavit repenſuram ſi labori modum, numerumve præfigeret. Ac proinde inter ejus apophthegmata illud eſt auditu jucundiſſimum: Aut pati, aut interire.

Ejus votum

Verùm (o res impendio mira!) cum labores, & ærumnas, non lucri gratia, ſed ut Deo gratificaretur impenſiùs optaret, & perſpicaciter noſſet, nihil ſe illi acceptius præſtare poſſe, quàm ſi ad aliorum ſalutem procurandam omnem navitatem ſuam, D ſtudiumque conferret, non tam martyrii, quàm fraternæ ſalutis ardore ſuccenſa, cum ſexu nequiret, vota ſaltem, & operas in peccatorum reſipiſcentiam collimavit. Sed ſignis cum hoſte collatis, cum mulieres clauſæ confligere non valerent, aſpirante Deo, tantæ ductricis militiæ, viri quoque ſtrenui nomina dedere, quibus ad hoſtes ſubjugandos uteretur, pro quibus è cælo dimicaret, quorum hæc laus prima eſt, ut ſub eo vexillo ſtipendia faciant: tantum abeſt, ut dedecori vertendum ſit viros à muliere duci; decus novum eſt, quod non agnovit antiquus ille Senatus P. Q. R.

Diſciplina arctior ſuavitate permixta.

Nunc verò de arctiori diſciplina ſuavitate permixta, qua gentem inſtruxit, atque provexit, quid dicam? Quis inquam vitæ E auſteritatem tanto dulcore condivit? Pedes nudos, rudes, laceraſque veſtes, inediam, excubias, paſſionum internecionem, ſcholam virtutum, contemplationis ſtudium, quis uſpiam magiſterio tam jucundo lenivit? Quam ſanè doctrinæ ſuavitatem, ex ejus ſcriptis pars magna Europæ delibat, qui vitæ rationem, quam inivit, experiuntur, incredibili voluptate percipiunt, ut liquidò proſpiciant ejuſmodi inſtitutionem, nec adoleſcientiæ, nec pueritiæ, nec teneriori corporis habitudini nocere. Diſtrictioni lenitas difficilè conciliatur, fateor; at prudentia divina connexuit.

De conſpicuis autem eximiæ ſanctitatis notis, quas ſapiens quiſque in eo cæleſtium virtutum exemplari dignoſcere potuit, quid adiiciam? Plurimos, & locupletiſſimos teF ſtes habuit, quorum ſcriptione, ac ſermone celebratur, quorum ſcripta elogia minus ægrè producerem, quàm percenſerem.

Candidæ columbæ ſpecie animam efflavit.

Poſtquam ergo clariſſima Virgo vitæ hujus ſtudium tot meritorum incrementis aucta percurrit, & multa virtutum ſemina in ædibus ſacris, quas extruxerat coaluiſſe perſpexit, glorioſiorem triumphum actura, quàm gentium exterarum ambitioſi victores, quorum faſtum, Euchariſtico pane refecta, & unctione ſacra delibuta, poſt filiarum monita ſaluberrima, atque dulciſſima, & multa præſentiſſimi Dei præſagia, animam puriſſimam candidiſſimæ columbæ ſpecie à Virgine quadam ex ore prodire viſam, exhalavit. Et anima quidem, (ut credere æquum eſt) igneo amoris curru cælos G invecta, & inter lectiſſimas virgines collocata triumphum egit, & opulentiſſimo regno perfruitur. Corpus verò exanime candore quodam miro alabaſtri more, novoque pulchritudinis genere donatum, formoſius, quàm dum anima regeretur, apparuit, ac odore quodam ſuaviſſimo ſacra illa loca perfudit. Quid enim, niſi Deum oleret, quæ Deo ſemper imbuta ad extremum uſque flatum tentata fide permanſit? Æquum eſt ſanè, ut corpus exangue, quod hucuſque incorruptum perſeverat, quaſi nutibus tacitis prodat ſanctitatem, famamque promulget.

Corpuſculi notata incorruptio.

Nihil ſupereſt, feliciſſima Virgo, & fœH cundiſſima Parens, quæ, ut opinor, pelago divinæ voluptatis immergeris, & victoriis, quas de cæſis hoſtibus revexiſti, potiris, nihil ſupereſt, niſi ut clementiſſimus Deus, te apud illum agente, vitia expungat, virtutes inducat, paſſiones elidat, animum acuat, ut viribus divinis armati, longum iter vitæ hujus feliciter emenſi, cum ad ago-

nem

nem extremum ventum erit, per confertiſſimos hoſtes irrumpentes, in cælos intimos impacta vi penetremus.

ORATIO IV.

A

Habita An. 1605.

ORatoribus Græcis mos gravitate ſenatoria dignus fuit PP. AA. ut apud Areopagitas dicturi, exordia minimè prætexerent; animos quippe ad honeſtum per ſe ſatis comparatos, orationis ſuavitate, vel candore permulcere, ſupervacaneum viſum eſt. Quo ſanè conſilio, & ego de re grandi coram idoneis rerum grandium expenſoribus dicturus, optimo jure uti poſſem; nihil enim præfari, ut quicquam artificiosè captem opus eſt, cum res orationis excurſu celebranda, non tam Athenienſi, vel Romano verborum apparatu, quàm ſuo dumtaxat ingenio, ſuam celſitudinem, & pluchritudinem ſit facilè proditura. Et verò quamvis omnis artis ornatu clariſſima Virgo Tereſia vacaret, rebus tamen geſtis gloriam ſummam adepta, & immenſis præconiis univerſum terrarum orbem pervagata, totius concionis animos ad ſuam laudem excitaret, oratioionemque meam exordio appoſitiſſimo auſpicaretur: tametſi ego, vel tantæ gloriæ magnitudine territus obmuteſcerem, vel orationis primordia prudens reticerem. Quid enim tantæ Virginis exiſtimationi, quanta virorum illuſtrium animis jam pridem inſedit, par hoc initio depromere valeam; cum exploratum meis Auditoribus ſit, & Platonica granditate, & quæ ad rem propius accedit eloquentia cæleſti, me ad præſentem dictionem indigere?

B

C

Profectò Alexandro illi, qui nihil cum cæteris hominibus voluit habere commune, unius Apellis manus exprimendæ fortunati hominis majeſtati apta viſa eſt; quam ergo æquum ſit, non hîc vulgaris artis opes, ſed auxilii cæleſtis opem ſingularem ad hoc heroicarum virtutum exemplar exprimendum, exprimere? Deum igitur immortalem, cujus laudes in hoc mirabili divinæ ſapientiæ ſpectaculo promulgare aggredior, impenſiùs oro, votis præſentiſſimus adſit, ut Virginem honoribus divinis procul dubio dignam, divinis quoque laudibus efferam.

D

Magnanimitas.

At enim cum de muliere ſermonem inſtituere videar, antequam orationis vela explicem, Auditures admonitos velim, non me muliebres, ſed viriles actus producturum, qui ſupra mulieris ingenium longiſſimè caput extulerunt. Nihil enim in univerſa Tereſiæ hiſtoria jacet, omnia erecta, omnia ſublima, & planè virilia ſunt, quæ viris etiam ſtrenuiſſimis acerrimum æmulandæ gloriæ calcar adſtringant. Quapropter in unum velut agmen ſelectos aliquot magnanimitatis actus referam, quæ è numeroſo virtutum exercitu, quem luce tanta perſtrictus recenſere nequeo, parcus laudator excipiam, & vobis tamquam in tabula ſpectandos pictoris more proponam.

E

D. Parentis Tereſiæ votum dum adhuc ſeptennis erat puella.

Et primùm quidem Virginis pueritiam; quin & ipſa infantiæ confinia uehementer admiror, & ad inſolitæ rei theatrum totius generis humani plauſu digniſſimum, Romam concire compellor. Adeſte animis, & mentem ad res maximas appellite. Septennis puella, parentum nobilium cuſtodiis ſepta, ſolo germano fratre Roderico, qui quatuor circiter annis natu major erat, conſilii participe, non de vita rectè ſolùm inſtituenda, non modò de domeſticæ virtutis cultu perficiendo, non de auſteriore tantùm ſacrarum virginum diſciplina arripienda, quæ in aliis ejus ætatis puellis cernere liceat; ſed (quod ægrè in Sanctorum rebus geſtis memoriæ proditum ſit) de paterna domo perampla contemnenda, marique ex Hiſpania in Africam traiiciendo, ut pro Deo apud Agarenos capite plexo fortiter occumberet, per quàm ſeriò, ac ſæpè cogitavit.

F

Qua in re mirum profectò eſt, ætatem illam inermem, jam inde munimentis cæleſtibus armatam, non leviter rei tam excelſæ votum admiſiſſe, ac è veſtigio reſpuiſſe; quod ætati teneriori familiariſſimum eſt: verùm adeò altè concepiſſe, ut modico viatico tumultuarie conquiſito clam parentibus (quos dolore ſummo afficiendos benè noverat) propriis ædibus, ac urbis muris exceſſerit, martyrii palmam, quam mente verſabat, mundi opibus, honoribus, & oblectamentis prælatura. Summe Deus quid eſt hoc? Puellamne dicam, an virum adultum, & invictum?

G

Quàm jucundè mihi ſpectaturus fuiſſe videor Virgunculam ſarcina oneratam, ſedulam, pro viribus feſtinantem, & cum Africanis hoſtibus quantocyus ſigna conferre ſatagentem. Properabat conſtans, Rodericum glorioſa quoque morte pro Deo perfuncturum ſecum adducens, & futuræ gentis ab ſe regendæ ex uno puero fauſta ſigna portendens. Quàm acceptum Deo propoſitum? quàm bene in exiguis membris majores animi in opus maximum conſpirant? quàm conſtanter incœptis inſiſtunt? Credo equidem hoc futuræ virtutis ſpecimen Cælitibus jucundiſſimum accidiſſe, ſolamque Dei ſapientiam majora proſpicientem iter illud retardaſſe. Patruus enim quidam Virginis, fortuitò eis obvius, rei novitate commotus, puerulos intrepidos, minus quàm proceſſerant alacres domum redire coegit, & ſollicitæ matris ſuaviſſimos liberos requirentis mœrorem expunxit.

A Patruo revocata, domumque redire coacta.

H

Expendite nunc, obſecro, quid tunc Virgo contra votum capta cogitaret? quid ageret? An parentum, & conſanguineorum illuſtrium objurgatio animum corpore proceriorem terreret, ne quid novum moliretur? Profecto animum ad grandia natum nullæ vel minæ, vel blandimenta flexerunt,

quo-

Habita An. 1605.

quominus mediocria pertæſus ad nova virorum fortium inventa ſeu palam, ſeu per occultos divinæ providentiæ mæandros aſpiraret; quod argumentis ſanè multis ſeptem & viginti annorum, quos in monaſterio ante reformationem cœptam exegit, adſtruerem, niſi breve hoc ſpatium excelſa novæ diſciplinæ geſta ſibi vendicaret.

A

Reformatrix Carmeli.

Noſtis jam, quod virilis inventi fama terra, marique vulgavit: non enim Europa ſolùm, ſed orbis etiam non ita pridem exploratus Tereſiam Carmeli inſtauratricem miratur, & colit. Noſtis certè, nefas eſt tamen, opus Romæ notum, de quo ſemel dicere ſatis eſſe nequivit, & quod laudis infinitæ origo eſt, importuno ſilentio ſepelire. An ſilere poſſim inſolitum hoc miraculum, quod tempeſtas noſtra intuita eſt, ut virgo una molem tantam gentis lectiſſimæ condiderit? Deus, hoc tot conatibus, & meritis partum, quis abſque injuria celet?

B

Potuit certè mulieris animus rem grandem optare; ſed aggredi quomodo potuit? quomodo perficere valuit? Et Abula quidem perantiqua urbs, Tereſiæ natalis, coacto non ſemel nobilium cœtu, auſum Virginis recenter operi manum admoventis, tamquam ſcelus immane, unde toti urbi exitium immineret, execrata eſt, & de conſilio diſſipando acriùs, quàm dici queat, conjuravit. Neque urbis conſilium tantummodo, verùm & conſanguinei, & quod acerbius eſt, ipſimet, qui de re ineunda, cum ipſa Virgine ope divina freti, pepigerant, tot præliis enervati, eam vehementer oppugnare cœperunt, ut jam nullos haberet fœderatos, qui novæ militiæ arcem propugnarent.

A viris ſpecie tenus ſapientibus temeritatis arguta.

C

In primi Monaſterii fundatione a Deo probata.

Quin etiam & viri in ſpeciem ſapientes, pergunt eam temeritatis arguere, quaſi à contagioſo morbo procul abſiſtere, operis difficultatem non modò exaggerare, ſed audaciæ notam inurere. Quoties ad Cæſarem provocatum eſt, ac obſtaculorum montes intumuerunt, ut animus penè deſpondendus videretur? Quid quòd monaſterii primi incœptum ædificium, benè pactum, ac firmum, ubi nulla ruinæ cauſa ſuberat, dæmon ſurgentis Reipublicæ hoſtis irruptione nocturna diruit? Deficiet me tempus, ſi hujus generis inſultus, vel curſim percenſere velim: nulla quippe orbis totius pars Tereſiæ votum probare interim viſa eſt. Sed & ſummus ipſe Deus animum illum invictiſſimum periclitaturus, interdum ſimulare viſus, pectus Virginis immotum, mille machinis, ac vulneribus perculit, ut ejus magnitudo luculentiùs eniteſceret. Summis præliis impugnata, expugnari non potuit, omnia vicit, omnia colla quantumvis erecta domuit, & quam vos ipſi cernitis collapſæ diſciplinæ monaſticæ reformationem inſtituit. Hìc verò geſtum hoc præclariſſimum perpendite, obteſtor vos, & incrementa gloriæ inde exortæ trutinate; exiſtimo enim rei tantæ inter Ethicorum exempla, ſeu commenta ſimile nihil extare; inter Chriſtianæ Religionis cultores ægrè quid ſimile inveniri.

D

Amazones, quæ mulieres?

Claruere (ſi Auctores non ſacri vera tradunt) apud Scythas, juxta Tanaim Amazones bellicoſiſſimæ mulieres, quæ interfectis maribus infantium fæminarum dextras mammas urentes, ne ad conſerendam pugnam impedimento forent, multis impreſſionibus Aſiæ partem non exiguam occuparunt. At certè fortitudo hæc, licet muliebri ſexu major; eò tamen vobis minor, quàm Tereſiæ virtus, videatur neceſſe eſt, quod ſe maribus imperare non valere, ipſa præmatura infantium cædes teſtata ſit: quantò enim fortius egiſſent, ſi virorum caſtris imperaſſent? Bellicoſior ſanè Tereſia, quæ virorum fortium exercitum duxit.

E

Numæ laus unde?

Cæterum mihi conſtare non videor, qui virilia pollicitus, fæminas quamvis fortes in orationem induco: virorum potius exempla producam. Secundus ille a Romulo Urbis hujus Rex Numa, juſtitia, & pietate inſignis, eò potiſſimum laudatur, quod ad deorum cultum animum adiecerit, ſacerdotes aliquot, ut Dialem, Quirinalemque creaverit, Veſtaleſque Virgines multa religione ſacraverit; quæ hominibus divinæ lucis exortibus religioſi animi argumenta minimè levia viſa ſunt. At enim tametſi religionis veræ conſcius Rex ille fuiſſet, viroſque, ac mulieres Numini dicaſſet, quid uni Tereſiæ par umquam præſtitiſſet? Etenim Rex imperio potens, truces, ac efferatos homines armis ſubjugare ſolitus, quid mirum, ſi pavidos ſubditorum animos, quò velit inflectat, & vir viris, ac fœminis præſit. Virginem verò æde ſacra incluſam, morbis graviſſimis obnoxiam, omni hominum præſidio non modò deſtitutam, ſed à confertiſſimis hoſtibus prudentiæ, ac pietatis imaginem præferentibus obſeſſam, ex utroque ſexu delectum habere, & in mediis conflictibus arcem tutam extruere majus quiddam, & excelſius eſt, cui novum triumphi genus debeatur.

F

G

Martha, Clara, Gertrudis, & Cutharina.

Percurrite, precor, ſacrarum Virginum, quæ in Catalogum à ſummis Pontificibus relatæ ſunt, illuſtra inventa, ne videar Ethnicorum tantùm exempla ſcrutari, & proferte mihi animum tam intrepidum, & militari more confligentem, & victorias meditantem: producite Marthas, Claras, Gertrudas Catharinas, & quale verſetur diſcrimen inter ejuſdem dumtaxat ſexus inſtitutionem, applaudente mundo conditam, & ſexus utriuſque diſciplinam unius Virginis auſpiciis, mundo renitente, ſed ſtupente ſatam; animadvertite quod ſi quid ſimile perquiritis, tempora metimini, & periodo tam brevi æqualem ſimilis incœpti felicitatem oſtendite.

H

Verùm in re tam ſublimi, neque vobis, neque mihi certè ſatisfaciam, niſi unum ſaltem è plurimis, quæ præterire neceſſe eſt, exemplum proferam, in quo tamquam in ſpeculo puriſſimo magnanimitatis, qua gentem condidit, imago reſplendeat. Non

enim

Habita An. 1605.

enim res maximas pro ingenio ſuo grandi ſolùm attentabat; verùm & modo planè mirabili perficiebat, quod alibi paſſim, ſed præſertim Medinæ, quod eſt emporium in Hiſpania celeberrimum, apertiſſimè demonſtravit.

Fundatio Monaſterii Metymnei deſcribitur.

Decreverat Monaſterium Virginum ibi conſtruere, pridieque feſti Aſſumptionis, eo in oppido multis de cauſis quàm lætiſſimi, nocte media (id enim tempus obſervabat) in oppidum inſperata ſe ingerit, & è curru, quo vehebatur exiliens, unà cum paucis comitibus, ad locum inſtruendum onera comportantibus, domum Monaſterio deſignatam, more ducis milites adhortantis, ac præeuntis accedit. Noctem illam nimis brevem diei feſtiviſſimo contiguam juventus tauris ad ſpectaculum in oppidum agendis intenta pertubabat: cui parum honeſti obtendere videbatur feſtinatus ille virorum ac mulierum onera geſtantium excurſus; quod eis non ſemel exprobatum eſt. Animi tamen aliò verſi parum iis verbis anguntur. Ut ergo domum perventum eſt, confeſtim pulſant, excitatur œconomus, ingreſſaque cùm agmine Tereſia parietes dirutos, locum, qui in ſacellum dicandus erat, ruderibus obrutum, ſordidumque circumſpicit. Res indigna viſa eſt, & tamen animus non concidit. Œconomus enim, licet intempeſtivè expergefactus, ſericas lecti cortinas, quas repoſitas apud ſe habebat, in opus offert: quo certè promiſſo mirificè omnes operis molitores exhilarat. Proferuntur cortinæ, at deſunt clavi è quibus pendeant, neque tempus, neque modus emendi ſuppetit: quid jam conſilii ſuperſit? E parietibus ferè collabentibus rarò eminentes clavos ſacræ Virgines extorquent, & ſerica vela loco laborioſè prætendunt. Tereſia verò minimè deſidet, omnia movet, inſtat, docet. Cogitate nunc ſtrenuam Virginem ſordibus pavimenti everrendis, ac exportandis addictam, & ſpem Euchariſtiæ non prorſus indignè collocandæ novo ſucceſſu concipientem. At nox breviſſima urget, & Vicarii, qui loco præeſt, opera deſideratur, ut Scriba ab eo miſſus, rei, quæ de Præſulis venia geritur, fidem aſſerat, ne qua poſtmodum lis intendatur. Inſtat aurora, quid ſpei ſubſit? Deterſo loco, & exornato, urgente Virgine, nuntium celerrimè fertur, expeditioque refertur, & matutino crepuſculo campanulæ ſignum ad Sacrum faciendum è ſublimi loco alacriter datur.

Quis hîc Iſocrates, ſuaviſſimus ſcilicet Orator, cujus domum Græcia tota frequens coibat, repente adſit, ut Virgini huic ſtrenuiſſimi viri animum gerenti, ſub hanc noctem, aurora emergente, vocibus elatis acclamet? Venerat Cæſar in Pontum, & cum Pharnacem Regem imperatoriis copiis, quinque poſt acceſſum diebus, prælio uno horarum tantummodo quatuor ſpatio debellaſſet, in ipſo tantæ victoriæ triumpho hoc erexit inſcriptum: *Veni*, *Vidi*, *Vici*; Vix enim aliud temporis anguſtia permittere potuiſſe viſa eſt, quàm accedere, cernere, ſuperare.

At ejuſmodi inſcripto nobiliſſima Tereſia quantò dignor ſit, quæ biduo, poſtquam ex Abulenſi Monaſterio, ubi degebat, egreſſa eſt, antequam Medinam cerneret (nox quippe prohibebat) non horarum quatuor, ſed trium dumtaxat decurſu, exiguo militum numero tam glorioſè vicit, & ex arce ſubitanea vexilla divini cultus erexit. Quibus exiſtimatis oculis, è ſummo cæli faſtigio militiæ illius Imperator Deus, eam conanſem, aggredientem, vincentem intuitus eſt? At verò ex ipſis periculoſis itineribus, quæ condendæ gentis gratia confecit, facilè liquet, quàm eſſet ei familiaris animi magnitudo.

Porrò cum Burgos urbem nobilem Januario menſe imbribus infeſto contra multorum conſilia peteret, flumenque quod alveum exceſſerat pontonibus traiicere pararet, aliis mortem inſtantem paventibus, & ſacra ſe confeſſione expiantibus, precata cæteros, ſi fortè mergeretur, in hoſpitium unde diſceſſerant, retrocederent, incolumi trajectu prima diſcrimen ſuperavit, aquarumque vim, ut cæteri tutò tranſirent, ſua virtute repreſſit.

Quid, quòd Abula Medinam contendens, cum ad fluvii ripam tenebræ denſiſſimæ incubuiſſent, nec viæ comites vadum tentare auderent, fortiter ait: *Non eſſet è re noſtra, ut hic ſub dio ſubſiſteremus; agite iam, interrumpite, Deumque implorate.* Mirum ſanè dictu; præit illa, moxque lux, velut accenſæ facis aliquantulum diſſita tranſeuntibus prælucet, donec fluvium, ac periculum evadunt. Sic auxilium Dei præſentiſſimum creberrimè experta eſt. Ex his jam heroicis actibus, quos ſaltem adumbravi, perſpici poteſt, quàm excelsè cæteros obiret, quàm conſtanter difficultatum repagula perrumperet.

Viri nonnulli perilluſtres aliquando minati ſunt, Virginis rebus ſe minimè fauturos, niſi poſtulatis neſcio quibus annueret: reſpondit illa invictè: *Si quid à me impetrare contenditis, turpe eſſe vobis non aſſentiri convincite; cæteroquin minas pro minimo duco*. Neque mirum; non enim ſolùm hominum impetus non extimuit; ſed dæmonum conatus deſpexit, & ad certamen ſæpe laceſſivit, ac domuit; ut meritò ei ſtatua, non illius Imperatoris Bucephalum domantis, ſed fortioris animi tartarum proſternentis ponenda ſit.

Animi celſitudo.

Verùm animi celſitudo ex eo glorioſior extitit, quod honorem, quo nihil apud homines pretioſius, tam imperioſè contempſit, ut in cæleſtem ſublimitatem ex hoc uno capite ſeipſam erexerit. Non deliram tantùm, ac dæmonum impoſturis deluſam, ſed quod turpius eſt, non prorſus caſtam ſe cenſeri, ac ejuſmodi probris exagitari, tanta & animi lenitate, & vultus hilaritate tulit, quanta ambitioſiſſimus quiſque divi-

divinarum virtutum, quibus caret, audit encomia, aliiſque id indigniſſimè ferentibus, ingenuè teſtata eſt, nullum ſibi harmoniæ genus iis contumeliis ſuavius accidiſſe: omnem quippe gloriæ appetitionem extinxerat: omnem mundi faſtum proculcaverat: & è calcatis honoribus in ſempiternum decus gradum ſibi conſtruxerat. Jam ergo univerſis mundi bonis altior, jure quodam amicitiæ cum Deo clementiſſimo ex fluxarum rerum deſpicatu contractæ, nihil ſupererat, niſi ut cælo quoque ſuæ magnanimitatis vexillum inferret; ac ea ſibi de liberaliſſimo Deo bona promitteret, quæ, quantum gratia valeret, ſua magnitudine ſignificarent. Huc ſpectat animus ille ad miracula, ubi Dei res agebatur, erectus: ad ea videlicet miracula, quæ nemo, niſi animo invictiſſimus, ac Deo familiariſſimus, auderet.

Abulæ vir perilluſtris Joannes Ovaglius, Virgini affinis, domum die quadam à negotiis rediens, inopinus filium puerulum nomine Gonſalum, qui ei ultra fidem cordi erat, juxta limen tranſverſum jacentem, ac non dubiis mortis indicibus gelidum offendit, ſummoque dolore perculſus, ad Virginem unde opis plurimum ſperabat anxius defert, quem illa gremio excipit, & amplectitur. At pueruli parens, virginis germana ſoror, quæ in cubiculo propinquo agebat, dum ex perturbatione domus totius, quod accidit conjectat, ex impotenti amoris affectu, feſtina filiolum arreptura, multis animi perturbati ſignis accurrit, & clamitat. Vix ab iis, qui aderant, ipſaque inprimis Tereſia, ut ſibi à motu tanto temperaret admonita conticeſcit, & rei exitum præſtolatur. Jacet puer exanimis (ut omnium qui rem obſervabant conſenſio eſt) in Virginis genibus, illaque demiſſo, quo caput obtegebat, velo, caput pueri corpuſculo admovens aliquantum externè ſilet, precibus interim, ac motibus internis intentiſſima; ſtupent omnes, ac Virginis actus, motuſque ſingulos avidiſſimè ſpectant. Cogitate, precor, quàm hærent ſuſpenſi, quantus dolor, quantus ingruit mœror, ſpes domus totius in hærede defixa, uno mortis ictu convellitur. At validiſſimum Tereſiæ cor in cælos penetrat, & vitam celerrimo curſu reportat. Paulò ergo poſt puer excitatur, & Virgini quaſi de ſingulari munere grates agens, manu blanditur, quem illa confeſtim ſorori in hæc verba lepidè tradit: *Bone Deus, quàm gravi ex filio dolore afficeris, ecce incolumem amplectere;* atque inter parentis lætiſſimæ brachia filiolum depoſuit. Quid hîc primùm expendam, unde tot laudum fontes erumpunt? quid ſeligam? Nihil ſanè: omnia ſunt maxima, quibus admiratio ſumma, laus ſumma debetur. Unum quod ad orationis texturam apprime facit occultare ſilentio minimè licet. Qualis enim animi magnitudo fuit, exanime corpus non lugere, ſed pro muliebri luctu virilis ſpei proceritate ſeipſam attollere, vitam ſperare, vitam è cælo referre? O nobiliſſimum cor, magnanimitate in cælos elatum!

Puer revocatur ad vitam.

Poſſem PP. AA. mira multa ſubiicere, niſi vererer majori laudi tempus eo labore decerpere. Caput quippe unum penultima orationis ſede meritò collocandum majus omni eloquentiæ amplitudine ſuccurrit. Nam quæ hucuſque contexui, ad corpus attinere videntur, cum in rebus aſpectabilibus eluceſcant; nimirum ipſa vitæ reſtitutio bonum quoddam corpori annexum eſt. At immortalis vitæ reparatio, à qua Tereſia laudem primam promerita eſt, neque his corporeis luminibus cerni, neque inter bona cætera, quæ vitæ præſenti adnaſcuntur recenſeri poteſt: origo illi cæleſtis eſt, & quædam cum immortali Deo nobilitatis affinitas.

Quis autem, vel diſertiſſimus orator, aut pondus, aut numerum rerum geſtarum Tereſiæ noſtræ in hoc genere poſſit æquare? Mathematicæ diſciplinæ ad hujuſmodi menſuras impares ſunt. Neque ego vel pondus, vel numerum exquiro: rem ſolummodo ultra ponderis, ac numeri fines procurrentem evulgo.

Hæreſis Lutherana.

Audierat Tereſia cladem, quam Eccleſiæ Catholicæ ſceleſtiſſimus Lutherus intulerat, & elegantiſſimam Religionis Chriſtianæ formam obſcurari, ac innumerabiles homines in dies ſingulos à Romanis caſtris deficere, tartarique voragine abſorberi, acerbè lugebat. Subibant funeſta interitus æterni monſtra, Eccleſia ipſa veſte diſciſſa mœſta ſuccurrebat. Æſtuabat animus tantæ cladis impatiens, eumque fœminei ſexus tædebat. Mallet quippe hæreticorum caſtra pervadere, & in Eccleſiæ fœdus revincire. At mulier erat, quid tunc ageret? quò ſe verteret? Rem novam accipite. Eo certè ſe extulit, ut priſci Carmeli reformationem in hæreticorum reſipiſcentiam opportuniſſimo, ac Theologico verè conſilio collimaret. Decrevit enim quidquid auſteritatis, vigiliarum, inediæ, precum, aliorumque id genus exercitiorum inſtituebat, non eò tantùm dirigere, ut ſacrarum Virginum animos excoleret, ſed ut altiore inſtituto averſos à Catholica fide homines Deo conciliaret. Opus certè grande quod urgebat, in abſolutiſſimæ perfectionis ſcopum intendit, quo nihil altiùs excogitari potuit; illo enim propoſito reformationi recens natæ ſummæ Charitatis coronidem appoſuit.

Tereſia cur Carmeli reformationē adgreſſa.

Quid nunc de Tereſia ſubdam? Potuitne altiùs ferri? Apoſtolica hæc laus eſt; quis umquam mulieri eam Eccleſiæ tuendæ mentem iniicere valuit, niſi Numinis majeſtas illa, quam Virginis ſexu major animus imitari conſtituerat. O certè illuſtriſſima fœminæ charitas! O Splendor Eccleſiæ ſanè puriſſimus! O virorum fortium Exemplar! Quot Reges, quot clariſſimos Principes, quot graviſſimos Præſules ſanctitatis tuæ aſſertores, ac præcones habes? Quàm tibi jure debentur hiſtoriæ nobiles, à viris peritiſſimis de te contextæ? Quis mihi nunc indul-

indulgeat animo tuo excelſiſſimo hærere, magnanimitatem, ac fortitudinem haurire? præſtantiſſimam formam intueri? Aut certe ſi animus in cælum ſublatus mortalium conſortia reſpuit, virgineo ſaltem corpori, cujus incorruptio, & odor, ac liquor integritatis index, ad hunc uſque diem ſanctitati fidem adſtruunt, cultum afferre? O A excelſiſſima Tereſia! o Sydus noſtræ gentis ſplendidiſſimum: viciſti ſane, viciſti: ingenium rude, vox intermoriens, latera dicendo feſſa tuæ fortitudini, ac magnanimitati concedunt.

ORATIO V.

Habita An. 1606.

SParta Vrbs Græciæ florentiſſima PP. AA. Lycurgo imperatore laudem plane peperit immortalem, quod virtutes heroicas non tam verbis efferre, quàm æſtimare tacita, & colere aſſueverit; propoſitum quippe bellicæ fortitudinis decus, ut urbanæ B pacis pulchritudinem ſilentio contemplari, molirique ſtrenuè gens egregiè inſtituta maluit, quàm verborum pigmentis, ac lenociniis emolliri. Quo certè conſilio, & ipſis etiam Athenis, quæ ſapientiæ laude claruerunt, facilè antecelluit: cum ſe Attica ingenia non tam virtutibus, quàm verbis inſtruerent, ac molliter dicendo ſenſim enervarent. Adnaſcitur enim orationis ſuavitati quædam mentis incuria, qua ſtudium virtutis elanguet; dum animus in ſermonis candorem, vel granditatem intentus, quantum linguæ indulget, tantum de operum conatu remittit. Quod ipſi eloquentiæ, ſive Atticæ, ſive Romanæ Principes luculentiùs dicendo, quàm agendo ſplen- C didè, non res omnino veras, ſed propriarum cogitationum ſimulachra exprimendo pervincunt, nimirum lingua, tamquam impatiens fræni æquus, per apertos facundiæ campos licenter excurrens, majora ſenſa, quàm geſta digeſſit. Senſa videlicet ſuppetebant, deerant virtutum exempla, quæ verboſi homines verbis æquare adniterentur. At enim quidquid Ethnicorum commenta valeant, Oratoribus Chriſtianis perſpectum eſt, omnem artis apparatum, & nitorem cum de divinarum virtutum ſublimitate ſermo inſtituitur, rudem quamdam infantiam exiſtimari debere. Quod unius Tereſiæ Virginis porrò clariſſimæ vita, virtutum ſplendoribus illuſtris, perſpicaciter D ſpectata convincit. Quocirca laconicum ego ingenium impenſiùs, quàm eloquentiam optarem, niſi & ſilentium hoc tantæ Virginis natali vitio verteretur, & Auditorum animos ad excelſarum virtutum ſpectaculum lætiſſimi diei fama conciret. Propitio ergò Deo, qui Tereſiam numeris omnibus virtutum abſolvit, in laudis opus incumbam, & è nativis dotibus ad eas, quæ naturæ præſtant, gradum ſtruere incipiam. E re ſcilicet noſtra erit, quid in Tereſia natura valuerit, in ea quam ſubiicio imagine cernere, ut quæ ſunt excelſiora, & quæ dicendo aſſequi minimè licet, admiremini.

S. Virginis Thereſiæ corporalis venuſtas.

Erat ingenuæ Virgini ſtatura mediocris, forma elegans, obeſa membra, quaſi torno ducta: facies pulchra, candida, & ad proportionem in orbem acta: capillus niger, E criſpus: frons lata, æqualis: ſupercilia ex flavo nigreſcentia, ſpiſſa, lata, non valde in arcum flexa: oculi nigri, aliquantum extantes, vivaces, hilares: naſus parvus, modicè ad medium extans, in ſimum deſinens, introrſum leniter pronus, nares in arcum ductæ, ac ſtrictæ: os mediocriter patens: labium ſuperius tenue, ac rectà tenſum, inferiùs modicè extrorſum devexum: dentes candidi & concinni: mentum ad faciem aptè compoſitum: collum latum, breve: manus breves, ad proportionem formatæ: digiti ſenſim graciliores: tres in facie nævi, velut in ſereno cælo intermicantes: omnia ſanè membra concinnitate mira, in unam formam majeſtate, ac pulchitudine inſignem conſpirantia.

Ejus naturales dotes.

F Intuemini jam in ipſo dictionis exordio naturæ perfectionem ſanè maximam, ſpeciemque imperio dignam, cujus aſpectu delectemini. At forma quantumvis egregia, ſi venuſtas deſideretur, iners, ac imbecillis eſt. Quo certè in genere vix dici queat, quàm eſſet Tereſia, & actione decora, & ſermone lepida; ut omnes quibuſcum verſaretur mirificè caperet, ac devinciret: quod ſanè abſque ullo virginei pudoris decremento, cùm eſſet adoleſcens antequam diſciplinam Monaſticam primoribus labiis deguſtaſſet, multis experimentis evicit.

Et virtutes.

Verùm corporea cum hæc ſint, poſtremam ſibi laudis ſortem vendicant: ea tamen ſunt, quæ ſub corpore tam exactè conſtituto, atque compoſito, quid lateret in- G dicarent; mentem quippe excelſam, ingenium perſpicax, animum grandibus natum, indolemque facilè optimam ſortita eſt; ut quidquid laudis natura ſuis finibus circumſcripta complectitur, hîc ſi uſpiam, metam attigiſſe videatur. Nihil enim Philoſophi verbis, quàm virtute clariores, de naturalibus unquam virtutibus tradidere, quod in Tereſia non inſigniter eluceſcat. Prudentia, ut rerum modos excogitaret, & negotia feliciter expediret, ut ab ineunte ætate regno natam cordatus quiſque præſagire poſſet. Juſtitia, ut ſingulis quod ſuum erat, majoribus venerationem, æqualibus comitatem, minoribus lenitatem redderet. Temperantia, ut ubique modeſtiſſimè ageret, H corpus animo ſubjugaret, Stoicamque ſimulationem excelleret. Fortitudo, ut ardua & adoriretur, & magnanimiter abſolveret, pericula honeſti cauſa neutiquam formidaret, ac ubi opus eſſet oppeteret. In his quatuor naturalium virtutum capitibus, & quaſi cardinibus, ubi quidquid honeſti natura præfert, convertitur, Tereſia tam excelsè caput extulit, ut ad earum verticem

Habita An. 1606.

pertigiſſe videatur, quod exemplis multis aſſererem, niſi potiore jure iis, quæ naturam excedunt, oratio mea deberetur. Hîc tamen naturæ, quas recenſui dotes, precor, expendite attentius, & alta cogitatione mutuò conferte, ut mecum ad illuſtriora Numinis opera pedetentim aſſurgatis.

A

Comparatio architectonica.

Profectò, dum hoc naturæ opificium inſpecto, aulam planè regiam mihi videor ingreſſus, ubi certè demiror columnas æquis interſtitiis diſpoſitas, è polito marmore ſimillimè nitentes, aream æquilateram, fornices eleganter flexos, cubicula harmonicè diſcreta, portas, & feneſtras ad numerum, & proportione patentes: ædificii altitudinem latitudini, ac longitudini quadrantem: omnia candore, ac lævore miro ſplendentia, quæ architecti peritiſſimi ſenſum repræſentent; ut minimè mirum videatur, ſi quis artis contemplator diu ſubſiſtat, hæreatque ſuſpenſus. Cæterùm hæc, quæ priſcorum Philoſophorum animis religionem inferrent, Auditores majora expectantes non remorentur oportet. Adeſte nunc, hortor, & res natura excelſiores ducto à ſapientia primordio contuemini. Non hîc Platonis Rempublicam, Ariſtotelis vrbem, Stoicorum ſapientiam, & alia id genus commenta, ſed rem captu altiorem, veram tamen produco.

B

Tereſiæ ſapientia.

Exhibebo certè ſpectandam Tereſiæ ſapientiam, non eam ſanè, quæ penitiſſimè latuit, & animum, quo Deus familiariſſimè utebatur, radiis æternæ lucis illuſtravit, ſed ſplendorem dumtaxat ab immenſa luce genitum, qui è tot librorum magiſterio ſpontè diſſultat. Etſi enim animus ſapientia locuples orbi terrarum hac tempeſtate, denſis ignorationis tenebris occæcato, eam lucem attulerit, quæ ſe ſua claritate laudarit, ut hac in parte laudibus extrinſecus affixis Tereſia non indigeat, (quod ejus ſcripta ex Hiſpano idiomate Latinè, Italicè, Gallicè verſa, & ultra Europæ fines, Orientem, & Occaſum pervagata demonſtrant) à laudatore tamen ſapientiæ hoc officium exigitur, ut quæ ſuam per ſe dignitatem produnt, Auditorum animis altiùs imprimat, nec inerti ſilentio majoris encomii lumen extinguat. Et quidem his præ foribus præfigendum eſt, virile ſcribendi munus à Virgine prudentiſſima non ſine conſilio arreptum, ſed eorum, qui ei ad ſacras confeſſiones præerant, ſententia, quibus tanquam oraculo parebat, id tandem attentaſſe.

C

Quid primum ſcripſerit?

D

Primus ergo liber, quem juſſu graviſſimi Patris Garciæ de Toledo è ſancti Dominici ordine, lectiſſimè conſcripſit, nihil eſt aliud, quam ab ineunte ætate uſque ad Abulenſis Monaſterii inſtitutionem quidam vitæ diſcurſus, affectionibus divinis, quas patiebatur, refertus. Quo profectò labore Virginis modeſtia plurimum enituit. Cum enim res arcanas multò plures, & altiores memoriæ prodere potuiſſet; eas tamen excerpſit, quæ ad ſenſa ſuis moderatoribus aperienda ſatis forent, verita quod evenit, ne contra votum vulgarentur. Qua in ſcriptione illud porrò mirum accidit, quod reticere nefas ſit, eos divinæ contemplationis gradus, quos graphicè depinxit, eomet ordine, ipſoque tempore, quo illos litteris exprimebat, cælitus immiſſos ſubiiſſe, quod divino planè conſilio factum creditur, ut ad normam res tantas calamo perſequeretur, & velut è cælo ſuggeſtas exciperet. Non ſanè abs re Sibyllam quamdam novam appellem; illam ſcilicet, cum vaticinaretur Cumis, & præſenti Numine afflaretur, immortale quiddam præferebat, quo imbuta ſapienter à Deo furura prædiceret: Tereſiam verò, quanta vis Numinis afflarit, ut res adeò ſublimes tam diſertè, concinneque depromeret, tot pene teſtes locupletiſſimi aſtruunt, quot viros affectionum divinarum conſultos ætas noſtra procreavit.

E

Secundum ejus opus, quale?

Secundus ſcriptionis labor à clariſſimo Patre Bannes in Academia Salmanticenſi Theologiæ prælectore laudatiſſimo injunctus, liber ille fuit, quem *Iter Perfectionis* inſcripſit. In quo mirum dictu, quàm ſapienter cæleſtis meditationis ſtudium cum virtutum cultura conciliarit, ut officii partes omnes expleret, quibus ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium animos vel torpentes extimularet, vel incitatos urgeret. Porrò doctrinæ cæleſtis capita cuncta percurrit, & ſecretiora quibuſdam quaſi notis hieroglyphicis, non Ægyptio quidem more, ſed conſilio verè Theologico à familiari eruditione ſecrevit: ut attemperata captui doctrina, & ignaros, & ſapientes inſtrueret. Quod, & via hæc militaris, cujus inſcriptione librum inſignivit, & ejus conſilia planè ſaluberrima, quæ paſſim lectitantur oſtendunt.

F

Opus tertium.

G

At liber ille tertius, dignitate, ac ſublimitate primus, cui *Caſtellum* nomen indidit, quem graviſſimi doctoris Velaſquei, Epiſcopi poſtea Oxomenſis, ac demum Archiepiſcopi Compoſtellani præcepto elaboravit, rerum divinarum peritia circumfluit, & eximios Contemplatores, tum altitudine, tum magiſterii ſuavitate, & ſubtiliſſimarum affectionum diſtinctione, ac deſcriptione ſuſpendit. Quo in genere multa, quæ Dionyſius ille Areopagita, Theologorum facilè princeps, ſermone grandi prudens involuta reliquit, tam aptè digeſſit, ac explicuit, ut neceſſe ſit viros ejuſmodi lectioni deditos, novam lucem admiratos obſtupeſcere, & Virginis ſapientiam certatim extollere. Quid enim vel altius ad animos ſuſpendendos excogitari, vel efficacius ad eos permovendos expeti poſſit, quàm rerum divinarum, quibus nebula quædam mortalibus infeſta oculis offenditur, explanatio celſitudini tantæ apprimè conſentiens, quæ lectores intentos intima ſuavitate permulcet?

H

Ejus in Cantica interpretatio, quæ non extat.

Sed enim dum hæc ipſa recolo, dolor ſubit immenſus. Texuerat Virgo ſapientiſſima,

Habita An. 1606.

ſtra, multorum juſſu, quibus non parere religio erat, in Salomonis Epithalamium interpretationem, divinis ſenſibus fœcundiſſimam, quam viri cujuſdam cum Salomone ipſo minimè comparandi, qui ſacras ejus confeſſiones fortè excipiebat, præcepto diſcerpſit, miro certè obedientiæ cultu, ac ſi deliramenta ſcripſiſſet. Proh dolor! vix fragmentum remanſit, à quo rei magnitudinem, tamquam ex ungue leonem, liceat conjectare. Rem planè divinam eſſe oportuit. Vos, qui cætera Tereſiæ ſcripta perluſtratis, quanta ibi ſapientiæ vis lateret cogitare poteſtis. Si enim familiaribus litteris novo eloquentiæ genere animos identidem flexit, & eruditione cæleſti non perfunctoriè imbuit, quid exiſtimatis ſcripto tam ubere, & ad inflammandos animos appoſito valuiſſet? Profectò non miror, ſi, quod experimentis conſtat, viri ſanctitatis ac doctrinæ laude conſpicui, non ſententias modò, ſed verba quoque ipſa memoriæ mandent, ac pro temporis occaſione ad immenſam illius ſapientiæ laudem accurata obſervatione referant. Et ſanè ſcriptio hæc animum benè feriatum ſibi totum vendicat, ut ſi à vobis ego ſciſcitarer, quot annos in antro aliquo Tereſia ab hominum commercio longiſſimè diſſita calamum exercuerit, reſponſuros credam, oportuiſſe diutiſſimè latere, ne mens variis diſtracta curis, rem tantam minus perfectam ederet. Verùm hiſtoria fidem ſuperare videtur: libros quippe omnes inter negotia, & gravia, & frequentia, morbis ſimul, ac laboribus ſtrenuiſſimè perfuncta, ita conſcripſit, ut in ſententiarum inventione nihil ferè operæ poneret. Mox enim ac operi manum admovebat, uberrimè (quod ipſa ſæpè animadvertit) rerum copia fluebat: labor ſola penè ſcriptione conſtabat.

Subſiſtite nunc, obſecro, & non ſermonem dumtaxat caſtum, gravem, lepidum, efficacem, ſed ſenſa cæleſtia, quæ non temerè à quovis Theologo capiantur, expendite. Ergonè fieri potuit, ut tot rerum internarum labyrinthos tam facilè exploraret, tot laqueos diſſolveret, caliginem adeò denſam diſcuteret, ſplendorem tantum afferret? Miror equidem lucem hanc, quam, quò minor ingenii conatus extitit, eò certius eſt originem è cælo duxiſſe, atque illud longè mirabilius, inter divinæ lucis radios nihil Tereſiam crebriùs dictitaſſe, quàm ſe rudem mulierculam, & imperitam dicendi: parcerent viri planè doctiſſimi, quibus ſcribebat, ſcriptaque ſi liberet, exurerent: at res aliter porrò ceſſit, ea quippe ſcripta non flammis abſumere, ſed immortalitate conſecrari cupierunt.

Ejusque mens legiſlationi apta.

Hinc verò pedem mecum efferte, & quàm eſſet legiſlationi apta mens tot divinæ lucis acceſſionibus illuſtris cogitate. Profectò ii, quos ex omni antiquitate condendarum legum fama provexit, nihil æquè conati ſunt, ac divinam lucem ſimulare, qua conditæ ab eis leges è cælo lapſæ crederentur. Sic Lycurgus à Numine illo Delphico ſuas leges detuliſſe; ſic Draco, & Solon quas Athenienſibus tulere leges à Minerva ſe accepiſſe finxerunt, ut populis religionem incuterent. Tereſia verò abſque ſimulatione ulla lucis divinæ radios, vel invita prætendit, ut facilè pateret, quidquid lege ſtatuiſſet, eſſe divinum, ac propterea religionis plenum. Quorſum enim ſummus ille rerum Opifex mulierem inſolito lumine, virili prudentia, & doctrina ultra ſexus metas cumulaſſet, niſi, ut aliis præluceret, & ad commune bonum, quæ divinitus acceperat, derivaret! Atque hæc & reformandi Carmeli, & candidatam gentem condendi, innumeraque diſcrimina ſuperandi origo fuit.

At mundus obſtupuit, nec vera ſe videre opinatus eſt. Quem enim virum motus ancipites non inceſſerent, dum fœminam novæ diſciplinæ fundamenta jacientem, ædificium demum elatum, viſuque pulcherrimum ad umbilicum uſque perducentem conſpicaretur? Et hæc ſanè admiratio tentandæ Virginis minimè levis occaſio fuit. Moles quippe tanta una Virgine ſubnixa, viros dignitate, ac ſapientia maximos in ſuſpicionem adegit, quid ea novitas repente orta portenderet. Verùm eamet animorum commotio, & oculi tot defœcati in unius Virginis mores, & actus intenti, veritatis inquirendæ, ac perveſtigandæ anſam porrexerunt. Nemo enim Theologicæ laureæ cupidus, tam acre in celeberrimis Academiis ſubivit examen, ac Tereſia, quæ tantum abeſt, ut cenſorum periculum refugeret; ut potius ipſa tempus anteverteret, & ſe Lydio lapide probandam exponeret; cum enim eſſet prudentiſſima, dæmoniſque impoſturas vitare ſeriò cuperet, à nemine lucrum majus, quàm ab infeſtis cenſoribus expectabat: hos videlicet, quæ ſentirent, ex animo prompturos, nihil blandituros animadverterat.

Ejus in cenſores animus.

D. Parentis Tereſiæ cenſores, qui?

Ptolixum foret, vel judices, vel facta pericula ſingulatim percenſere. Norunt hoc permulti Præſules ampliſſimi, Principeſque clariſſimi: novit hoc Hiſpania, rerum geſtarum bene conſcia: norunt hoc ornatiſſimi viri ex lectioribus Eccleſiaſticæ militiæ ordinibus, è quibus poſſem Avilas, Varronios, Ivagnios, Jangues, Bannios, Medinas, Alcantaras, Borgias, Gonſalos, Alvaros, alioſque minimè paucos recenſere, omnes certè doctrina, & prudentia celebratos; inter quos nonnulli ætatis noſtræ lumina ſplendidiſſima fuere, reſque Virginis per annos multos explorarunt, ac laudarunt. Aliqui prius infenſi facto periculo propugnatores evaſerunt, pene omnes ſacras ejus confeſſiones exceperunt, omnes ejus ſanctitatem commendarunt. Quid ergo non purum, non excelſum, non ab omni labe, ac ſuſpicione alienum; ubi tot judices incorrupti, apud quos ea cauſa toties acta fuit? Quin etiam quid ad abſolutum exemplar ſanctimoniæ deſideretur, ubi rem to-

Habita An. 1606.

totam homines non prorſus benevoli pertractarunt? Exactis ergo Cenſorum agonibus, quod militibus ex criminatione malè audientibus uſu venit, ut nota publicè deterſa, & fortiùs, & alacriùs agant: ita plane Tereſia è Cenſorum examine multò validior, & animoſior monaſticæ diſciplinæ vexillum extulit, & quot leges tulit, tot oracula edidit.

A

Ejus mira, heroica obedientia.

Et quidem, ut nobiliſſimam Obedientiam, ſtatus Monaſtici decus primum aſtrueret, nihil ſibi potius duxit, quàm eam, & hortatu, & exemplo colere, ut ſacrarum Virginum animis altè illam imprimeret, minimamque in eo genere culpam veluti immane ſcelus horrerent. Neque fortiore id argumento perſuadere poſſe mihi videor, quàm longa tot annorum experientia, ubi cum creberrimè Deus ei multa revelaret, Prælatos de rebus per viſum acceptis revelatione ſuppreſſa conveniens, ne latum quidem unguem, licet contraria præciperent, ab eorum juſſu diſcrepavit. Quod cum aliquando unus è Prælatis objeciſſet, tamquam cæleſtia viſa hominum juſſis poſthaberet, è veſtigio reſpondit: *Poſſem ego certè ſeduci ſi viſis parerem: at tibi, qui pro Deo mihi præſides, ſi paream, ſeduci non poſſum.* Hoc ergo virtutis præclariſſimæ ſtudium, ſic à ſacris Virginibus, tamquam hæreditario jure acceptum fuit. ut oportuerit eas, quæ præerant, ſolerter agere, ac quid juberent præmeditari; ne verba, quæ ad virtutis experimentum, joco excidere ſolent, ut ſeriò dicta, cum vitæ diſcrimine arriperentur. Quod in Toletano Monaſterio recenter condito ſatis patuit, ubi cum Virgines illæ ad foveam aquæ plenam conſiſterent, quædam id ei, quæ præerat, leviter ad periclitandos animos jocanti, gratum arbitrata, ſe confeſtim Obedientiæ ſpiritu correpta demerſit, ac ſtatim emerſit. Quid hîc attexam? Partus hic parenti ſuæ congener eſt. Hæc ſanè doctrina decuit eam, quæ ſummos Obedientiæ apices ſpeculari, quæ Obedientiæ momenta perlibrare, quæ tempus emetiri ſuæ Reipublicæ firmamentum exiſtimavit. Pythagoræ diſcipulis religioſum fuit, homini ethnico divinæ lucis exorti, quidquid liberet afferenti intellectum extemplò ſubjugare, ut ſatis foret (ἀυτὸς ἔφα) ad animos citiſſimè ſubdendos. Quàm ergo æquum fuit, tantæ Virginis ſapientiæ quidquam præſcribenti mites animos quantocyus dedere, ac divinis affatis ad nutum obtemperare.

B

Obedientię exemplum.

C

Apoſtolica paupertas.

D

Quid nunc de paupertatis Apoſtolicæ cultu ſubiiciam? Quid non animus ille grandis tentavit, ut leges de divitiarum contemptione mundo altiores ferret, gentiſque ſuæ pectoribus inſculperet? non hîc veſtes obſoletas, & laceras, lectos minimè molles, nudos pedes, æſtus, frigoriſque patientiam, cæteroſque inopiæ comites recenſebo, licet agmen ſit ſpectaculo dignum, in quo prima congredi, ultima egredi Tereſia, meliore certè conſilio, quàm Lacedæmonii Reges ea lege adſtricti, conſuevit. Illud Porrò majus, quod rerum copiam ejus ſchola pertimeſceret, inopiam affectaret, quod in condendis monaſteriis adeò teſtatum fuit, ut exilibus principiis vix neceſſarius victus ſuppeteret, ſolum paupertatis votum afflueret; quod Virgines illæ illuſtri admodum exemplo Toleti demonſtrarunt. Cum enim extremam penuriam aliquamdiu tuliſſent, clementiſſimo Deo vices rerum permutante, erogatio eleemoſynarum ampla ſucceſſit, quæ animos paupertati deditiſſimos ſummo dolore perculit, quem oportuit vultu præferre. Quod intuita Virgo planè ſapiens: *Ecquid*, inquit, *cauſæ ſubeſt inopinati mœroris hujus, quem vultu prætenditis?* Reſpondent mœſtè; An mœrere non deceat, cum jam à pauperum caſtris defecerimus? Scilicet eleemoſynarum largitione paupertatis exercendæ ſibi ſubtractam occaſionem intimè querebantur. Quid de hujuſmodi diſciplina efferam, quam non tam verbis, quàm moribus Tereſia expreſſit, & tot animis ingeneravit? Nequit ſanè Cratis, aut Diogenis ſtudium cum hac diſciplina componi; non laus philoſophica, ſed cæleſtis legislatio eſt, quæ tot hàbet obſervatores, quot Tereſia poſteros, quorum ampliſſimum patrimonium, altus opum deſpectus eſt. Laborat aliquando atra bile, domique nobiliſſimæ cujuſdam Principis excepta, lapilli pretioſiſſimi in medium prolati ſunt, ſi fortè ſplendor mœrorem expelleret. At enim quàm illi animo, opes aſpernari ſolito ſorduerint, dicendo conſequi prorſus nequeo. Altior ſanè deſpectus, quàm Solonis, qui Crœſo ſuas opes oſtentanti, ac ſciſcitanti, eſſetne mortalis alius eo felicior? excelsè reſpondit; Tellum quemdam Athenienſem, inopem certè, ſed probum, eo feliciorem eſſe; tantum abfuit, ut ex apparatu Crœſi caperet voluptatem: & hoc potuit ille veræ lucis expers, quid Tereſia divinæ opulentiæ conſcia? O contemptus divitiarum, o animi celſitudo!

E

F

Divitiarum contemptus

G

D. Tereſiæ Caſtimonia.

Cæterum Caſtimoniæ puritas, & pulchritudo me allicit, ut Angelicæ virtutis cultura quantum Tereſiæ noſtræ præceptis enituerit, aperiam. Puella quædam nobilis, cui Tereſia de Lais nomen erat, nuptui tradita, liberorumque cupidiſſima, cum Andream Apoſtolum ad fœcunditatem plurimum valere, neſcio à quo auctore accepiſſet, precabatur enixè, ne prole careret. Nec à precibus deſtitit, donec viſum lætiſſimum (an vigilans, an dormiens incertum) occurrit. Obverſabatur animo domus cum atrio, cui eminebat pergula, ſub qua puteus, & pratum (quod lætiſſimo virore ſmaragdos obſcuraret) floribus miri candoris ſupra omnem hortorum amœnitatem pulcherrimè ſparſum, quod facilè cæleſte quippiam ſignificaret. Præerat horto Andreas aſpectu gravi, atque decoro, qui animum liberorum avidum mirificè oblectabat, aiebatque: meliores ſane filii ſunt hi (floribus indicatis) quàm quos impotenter expetis.

Tereſia de Lais, ejuſque viſum, & eff ectus

H

Habita An. 1606.

petis. Quo certè viſo vehemens puellæ deſiderium extinctum, & in virgineam prolem translatum eſt. A conjuge quippe ſuo Franciſco Albam, unde tunc aberat, vocata, domum ab illo fortuitò emptam, eamdem ſcilicet, quam Andreas per viſum indicarat, admirata, in Monaſterium Virgini dono dedit, ut ibi caſtimoniæ cælo A propitio notatæ trophæum erigeret. Sic pratum cæleſti virore virtutum, quæ numquam elanguent, & puriſſimo virginitatis candore floridum ſe avidè ſpectandum exhibuit.

Et profectò, non ea dumtaxat caſtitas, quæ corpus à libidinis contagione præſervat, verùm ea, qua nitet animus, quidquid à divina puritate deficit averſatus, Tereſiæ noſtræ Inſtitutum decoravit. Hinc arctiſſima receſſus, & ſilentii lex, ut mens ſola, tacitaque nihil inquinamenti à creatis rebus contraheret, totaque uni Deo perenniter adhæreſceret. Et hoc quidem divinæ puritatis ſtudium, quod ad poſteros permanavit, Virgini, ac Parenti noſtræ acceptum ferendum eſt, quod illuſtribus exemplis B condidit, atque promovit. Quid enim non ſummè caſtum proferret, quæ obſcœnitatem omnem impenſiùs, quàm dici queat uſque ad ſtomachum oderat, & animum vel à turpibus cogitationibus cæleſti quodam immunitatis genere alieniſſimum gerebat? Quis laudatori non fidem commodet, cum ea corporis integritas, quæ ad hunc diem perſtat illæſa, nihil apertius, quàm virginitatem indicet? Odor ille ſacer, & profanis odoramentis inimicus, quem efflat, quid niſi virgineum candorem repræſentat? Etenim lux illa cryſtallo perſimilis, quàm hora obitus ipſa, una è ſacris Virginibus, quæ aderant, intuita eſt, hanc puritatem ſereno cælo ſimillimam adumbraſſe, non certè C expreſſiſſe videtur.

Tereſia virtutum agmine decorata.

Quid à me nunc ſpectatis? quid Auditores expetitis? Sapientia excelluit, tentata reſplenduit, leges tulit, votorum ſolemnium diſciplinam fauſtè condidit, quid ultra præſtare debuit? Quale militiæ genus hoc, ſumme Deus! Cernere mihi videor Virginem fortiſſimam caſtra ſua lucentibus armis inſtructa, per aſperrima loca virtutis arduitate ſepta, ducentem, & è cælo excelſiore jam animo, tametſi mortalibus oculis obſtruſo dimicantem, ac perduellium copias acerrimè fundentem, meliore ſanè conſilio, quàm Cato ille, qui per Africæ deſerta munitum ſterili patientia exercitum porrigebat.

D Quid tu modò Virgo clariſſima, laudem certè meam ſupergreſſa repoſcis? Quid nunc majeſtate tua victus efferam? O Tereſia, age, vive felix. Nunc tibi victrici laus ex integro reddenda foret, ut Orator lentus loco excideret, & laudatio digna ſuccederet; ſubeat nunc admiratio, & te tua geſta ſacris faſtis digna commendent. Romana cedat eloquentia, & clariſſimæ Tereſiæ fama ultimas orbis terrarum metas invicta pererret.

ORATIO VI.

Habita An. 1607.

DE Clariſſimæ Virginis Tereſiæ virtutibus heroicis verba facturus PP. AA. E fortaſſe in ampliſſimo orbis terrarum theatro (Romæ videlicet dicens) reprehendar, quod præter artem oratoriam, ubi ſtylo grandi grandia promi deberent, mediocria videar efferre, cum jam non Europam modò, verùm & Aſiam, & Africam, & Americam, & quæ dicam, & majora multò quàm quæ dicendo aſſequi poſſim, Tereſiæ geſta pervaſerint. Cæterùm fore ſpero, ut nihil non excelſum proferam, quantumvis quæ poſſim effari fama pervulgaverit, & abſque intermiſſione percrebuerit. Quin & ex hoc ipſo capite appoſitum orationi prætexam exordium; cum Romanis auditoribus perſpectum ſit virtutes eas, quas in Tereſia perſequar eſſe ſanè maximas, & F linguas quoque diſertiſſimas infra rerum celſitudinem reſidere.

Porrò ab re minimè foret, quod pictores nobiliſſimi factitarunt, tacitus ego uſurparem, & è ſuggeſto Tereſiæ tabulam Apellis alicujus ingenio pictam vobis jucundiſſimè ſpectandam efferrem. Ipſi quippe, ſilente me, fama verum perurgente, laudaretis, quàm ego (recurrente natali feſtiviſſimo, & præ gloria tantæ Virginis ora ſtupentia permovente) pro meritis laudare non potero. Ea nimirum eſt in Tereſia noſtra veræ ſanctitatis majeſtas, quæ ab immenſa Dei claritate genus ducit, ut neceſſe ſit divinum quiddam eſſe, quidquid eſt ſplendore tanto luculentum. Cui certè pro- G nunciato antiquitas omnis fidem adſtruit, cum ob ſolam veræ virtutis imaginem (quod urbis hujus Senatus probè novit) divinitatis opinionem conceperit, & mortales homines ob facinora, quæ cum Tereſiæ virtutibus comparari non poſſunt in deos illos ſuos acclamatione ſumma retulerit. Neque enim quidpiam virtute altius excogitare potuit, quod naturæ divinæ tribueret: quòd ea, quidquid honeſtum, ac Deo dignum eſt, ingenio quidem ſuo complecti videatur. Quæ certè totius antiquitatis conſpiratio Ethnicorum oratorum ora laxavit, ut laudes, quæ uni Deo deberentur, viris fortibus, aut ſapientibus impenderet: è quorum profectò erratis, quænam virtuti H Chriſtianæ debeantur encomia, ſatis eluceſcit; cum ea ſola, & nomen virtutis expleat, & naturam. Quocirca priſcorum oratorum ars, non æquanda modò, verùm & vincenda nunc foret; cum non exiles vulgareſve virtutes, ſed cæleſtium virtutum exemplar, divinæ ſapientiæ ſtylo mirificè elaboratum, & ad imbecilles oculos perſtringendos, perſpicaceſque oblectandos objectum laudare aggrediar. Hîc mihi antequam è portu ſolvam, vaſtoque

mari

mari me audacter credam, inſignis pietas contrahenda, Deuſque religione multa propitiandus: ut laudatio hæc non tam artis politura, verborumque phaleris ornata, quàm votis procul dubio piis fœcunda procurrat. Ades ergo ſumme Deus, ades dicturo; ut eximias Tereſiæ virtutes feliciter ſaltem adumbrem.

A

D. Parentis Tereſiæ heroicæ virtutes.

At implorato Numine, quid ſeligam primum? Res certè in proclivi non eſt, cum plurima ſubeant, quæ admirationem, ac voluptatem parere, animoſque ſuaviſſimè afficere poſſint. Si enim Obedientiæ illius à ſummis Eccleſiæ Patribus laudatiſſimæ abſolutionem, à qua Tereſia inſigniter laudatur, contempler; ego ſanè admirabor, & orationem illi totam me debere ingenuè fatebor: ſi Caſtimoniam ſpectaculo jucundiſſimam circumſpiciam; credo equidem vehementer excitabor ad eam mentis, corporiſque puritatem ſummo ſtudio commendandam, quæ cum priſcarum Virginum in ſacros faſtus relatarum integritate confertur: ſi Apoſtolicæ paupertatis imago ſuccurrat, renaſcentem opulentiæ contemptum in egregio Tereſiæ Inſtituto cernere mihi videbor, & ad bene dicendum mirificè quidem alliciar. Si ſpem illam, & animi fortitudinem, qua bene ſubnixa, cum orbe univerſo Tereſia diù luctata eſt, attentiùs intuear, obſtupeſcam ſanè, & ad virtutes alias penſitandas ægrè divellar. Si Charitatem illam immortalem, inter omnes animi egregiè inſtituti dotes caput efferentem, & toti Eccleſiæ cælo conſpicuam ſuſpiciam, metus certè multos inceſſere, & à me jure optimo dictionis officium expoſcere neceſſe eſt. Quod ſi (ne virtutes omnes planè ſublimes ſingulatim percenſeam) lectiſſimum agmen cæleſtibus notis ſplendidum contueri malim, multis ex capitibus hærebo ſuſpenſus, & impotens affectus erumpet.

Obedientia.
Caſtimonia.

Paupertas.

B

Spes, fortitudo.

Caritas.

C

Verùm omninò dicendum eſt: & repreſſis interim animi motibus, nubeque multorum conſiliorum confertim incurrentium diſcuſſa, certa mihi capita digerenda; quæ quaſi ſedes laudum plurimarum ſint, unde virtutes omnes diſtinctis velut coloribus concinna varietate reſplendeant. Nihil hìc muliebre, nihil imbecille, omnia virilia, omnia, profectò grandia, quæ obſecro dignè perpendite. Noſtis penè omnes, qui conſcriptas à viris graviſſimis Tereſiæ hiſtorias perluſtratis, Virginem hanc, & natalibus, & virtutibus nobiliſſimam, ſacrarum Virginum Monaſteria obluctante mundo condere cœpiſſe, antequam Cœnobia virorum extrueret. Animum quippe ſuum divinis primùm virtutibus per annos excoluit: mox viribus cæleſtibus armata Virginum colonias duxit, ubi diros agones pertulit, & cum tartaro fremente conflixit. Vix credi poterit quoties felicia cœpta dirui viſa ſunt, ut fortiſſimus quiſque iterato auſu disjecto animum deſpondiſſet. Etenim urbes totæ in cœtus coactæ, pii juxta, ac impii negotiorum geſtores, viri quoque in ſpeciem ſapientes, & rei monaſticæ conſulti in Virginem unam, uno conniſu irrumpentes, & innumeris criminationibus rem novam fœdantes, quem, rogo, animum non fregiſſent? Et tamen poſt ſæviſſimas procellas has, ex integro navigationem inſtituit (quod nemo cogitare, nedum ſperare potuiſſet) virorum primos orſus in hunc modum aggreditur.

D

E

Venerat Medinam, & ſacras Virgines in Clauſtro collocarat. Ex urbe nimirum in urbem demigrare mos erat, ut ſacra loca deligeret, ac difficultates omnes, qua pollebat prudentia, & magnanimitate propulſaret. In medio ergo rei tantæ curſu, quem neque viri ſtrenuiſſimi conficerent, quid cogitarit, quid molita fuerit, accipite. Decreverat illa ſanè Carmelum reſtituere, quod abſque virorum miram reformationem ineuntium conſortio, minimè aſſequeretur. At rerum momenta ponderavit, occaſionem operis adoriendi (ut erat prudentiſſima) captavit, & divinæ ſapientiæ conſiliis oblatam arripuit. Occultis nempè quaſi mæandris per anfractus multos Deus Medinam deſtinarat viros duos, tantæ moli palam idoneos, Antonium, & Joannem Carmelitas, mite illud vitæ genus, quod hodie paſſim cernitur profeſſos, arctioris tamen diſciplinæ cupidiſſimos. Sic quippe Deus agebat, ut gravem mundi molem impoſitam everteret, cultumque primævum inſtauraret. Hos igitur viros, ubi Tereſia ex mutuo ſermone, & explorata pietate dignovit, eos planè cenſuit, quibus arcanum quod celarat diu conſilium retegeret. Retexit certè, quid interim illi animo verſarent, ignara; & ſtatim ac ſe virorum reformationem adoriri velle indicavit, illi protinus ad pietatis curſum per ſe ſatis celeres, acerrimo Tereſiæ ſtimulo vehementius incitati, rei ſanè glorioſæ operam per quàm ſedulò ſe navaturos pollicentur.

F

G

Relligioſorum Carmelitarum reformatio.

En vobis cardines duo, quibus Reformationis cælum verteretur, quos ne præceps conſilium proventuram è ſecundis rerum gerendarum eventibus gloriam extingueret, annum circiter totum, auſteriore animi, corporiſque diſciplina, velut tyrones ad militiam acriorem experitur, & ſpectata ſatis animi conſtantia, ut primum cœnobium conderet in oppidum perexiguum Durvelum, Abulæ finitimum, fauſtè perducit. Ab exiguo quippe primordio res tanta ducenda fuit, ut ſolent urbes numeroſæ, atque peramplæ, quæ vel à rudi caſa inſigniter excreſcunt.

H

Expendite nunc vos urbis hujus majeſtatem, orbe toto ſanè maximam, quam ne Romulus quidem ipſe, tametſi grandia cogitaret, præſagire potuiſſet. Gloriam quippe hanc, quam ſub ethnicis Imperatoribus peperit, & ſub Pontificibus maximis provexit, quanam ratione rudia fundamenta, & mœnia parum elaborata portenderent? Sic rogo, ſtructuram hanc renaſcentis Carmeli, quis ex oppidulo infirmiſſimo coniiceret?

Habita An. 1607.

ret? Cæterum major Tereſiæ fortitudo, cæleſti ope ſubnixa, quàm Romuli virtus extitit. Poſteritas enim (non primus conditor) urbem imperio ampliſſimo illuſtravit; at poſteritas Tereſiæ omnis, quidquid laudis obtinuit, Parenti acceptum referendum exiſtimat.

S.P. Johannes a Cruce Tereſiæ coadiutor.

Verùm ad rem è diverticulo redeo. Poſt- A quam domunculam vix conſiſtentem, tribus, quatuorve cubiculis diſcretam, & ſacello, & primorum Patrum receſſui in oppidulo illo deſtinarat, ut melioris ſtructuræ, quæ animorum propria eſt, curam imprimis gerere, Joannem è duobus Patribus unum, cujus animum introſpexerat, atque probarat, ſecum Valliſoletum, quo ibat, adduxit, ut de auſpicandæ arctioris vitæ ratione cum illo ex profeſſo ageret. Egit ſane, & fauſtè admodum egit. Monaſticæ diſciplinæ præcepta ſuaviſſimo magiſterio tradidit, & ſaluberrimis præceptionibus hominem ſibi ſimillimum erudivit.

Summe Deus, quàm bene tibi conſen- B tiunt, quàm aptè cohærent Tereſia, & Joannes, futurus nempè tantæ Virginis conſuetudine rerum divinarum peritiſſimus, cæleſtis contemplationis ſublimitate mirabilis, miraculorum gloria celebris, & hiſtoria planè digniſſimus; quem licèt inter ipſas Tereſiæ laudes, tamquam primogenitum è viris Tereſiæ partum laudare poſſem, prudens abſtineo, ne proprioribus encomiis tempus mihi præripiam. Jam profectò mundo perſuaſum eſt, Virginem unam, ſapientia & fortitudine inſignem, ſexus utriuſque cultura, Carmeli ſilvam ſentibus horrentem ſuccidiſſe, ruinas reparaſſe, & prima miræ reformationis fundamenta jeciſſe.

Sed, cur propero? cur ego rem inſolitam, quæ mundi totius ſpem vicit prætergredior? Ergonè fieri potuit, ut viri ſan- C ctitate, ac doctrina conſpicui mulieris unius hortatu ad rem difficillimam, tot periculis obſeptam flecterentur, animos, veſteſque mutarent, ab incœpto minimè reſilirent? Rem porrò grandem hanc vehementer admiror. Oportuit certè Tereſiæ exiſtimationem jam inde à principio graviſſimorum virorum animis altè inſediſſe; quandoquidem Antonius prælatione, quàm Medinæ gerebat abjecta, & Joannes omni alia cura quantumvis ſeria procul ablegata, Tereſiæ conſiliis morem gerere, inter diſcipulos Tereſiæ novæ gloriæ candidatos recenſeri pertenderunt. Quale inventum eſt hoc!

Cogitate, precor, Auditores, quale ſpe- D ctaculum Roma exhiberet, ſi priſco more mutato pro Scipionibus, Æmiliis, Catonibus, caſtra ex Urbe in regna longè diſſita ducentibus, exercitum ingenuarum puellarum, & adoleſcentum, ſub una virgine ductrice, ad graviſſima prælia prodire cerneretis. Non ambigo, quin aſpectu oblectaremini, & novum militiæ genus certis ordinibus diſtinctum, ac divinis virtutibus armatum animos ſuſpenderet, pectoraque miræ voluptatis illapſu permulceret. At verò quantùm in hoc militiæ genere Tereſia excelluerit, ſi noſſe cupitis, quibus armis gentem inſtruxerit, animadvertite.

Non hìc de ſcopo Tereſiæ dicam: nimis enim operoſum eſſet, pro rei magnitudine lecta verba contexere. Quis enim dignè queat effari, quàm excelsè agere ſtatue- E rit, quæ ad hæreticos debellandos, Eccleſiæque bonum augendum gentis ſuæ conatus, votaque collimavit? Sanè affectus hic facilè puriſſimus, & Romanis arcibus congruentiſſimus integram ſibi orationem, & meliorem vendicat Oratorem. Arma igitur exponam. Inter Monaſtici ſtatus Conditores apertè convenit, duas eſſe velut machinas, quibus univerſi noſtræ ſalutis hoſtes fugantur, vel ſubjugantur, rerum, videlicet, divinarum ſtudium, quo animus alitur, & auſteram corporis exercendi rationem, qua ſenſus intra divinas divinæ legis orbitas continentur. His certè duabus quaſi columnis tota monaſticæ vitæ ſtru- F ctura fulcitur: hæ ſi conſtent, glorioſè Clauſtra perficiunt: hæ ſi nutent, omnis laus multis antiquorum Patrum ſudoribus parta intercidit, ac emoritur. Quid autem in utroque genere Tereſia præſtitit? quò tandem progreſſa eſt? Vereor certè laudem hanc auſpicari. Latiſſimus quippe mihi campus aperitur, quem pauci ſunt feliciter emenſi. Sed prorſus audendum eſt.

Et quidem mea intereſt, libros Tereſiæ, tamquam locupletiſſimos teſtes accire, quos qui deguſtarit, quò fuerit doctrina provectior, eò laudabit impenſiùs, & altiùs admirabitur. Ferant, rogo, teſtimonium præclariſſimi ipſi ætatis noſtræ Theologi: ego verò ſilebo. At enim quî fieri poſſit, ut ſileam, cum laudem cœptam intercidere minimè liceat?

G

D. Parens Tereſia divinæ contemplationi deditiſſima.

Erat clariſſima Virgo divinæ contemplationi deditiſſima, nullo temporum admiſſo diſcrimine, quaſi ſtatas aliquot horas orationi decerneret, cæteras ab ea contentione mentis eximeret. Neque enim vel horæ quadrantem ab eo æternorum bonorum ſtudio umquam exceperat: parcus dumtaxat ſomnus, naturæ planè debitus, jugem illum mentis conatum interpellabat: quod auditu mirum videtur. Verumtamen ex nonnullis actibus, quos inter negotiorum ſtrepitus obire conſuevit, hoc ipſum conjectare poteſtis. Cùm enim iter agens cum iis virginibus, quas ad nova monaſteria condenda ſelegerat, curru veheretur, ubi decreta orationi hora bis in dies ſingulos ac- H ceſſerat, indicto graviter ſilentio, iis quoque quas ad neceſſarium famulatum itineris comites habebat, per horas illas integras divinæ contemplationi intentiſſimè, tamquam in æde ſacra vacabat. Reliquis verò diei horis tantum abeſt, ut ab eo ſtudio animum relaxaret, ut nulla negotiorum moleſtia, nulla hominum conſuetudo fidiſſimam Dei memoriam excuteret, nullum rerum fluxarum pondus erectum animum ab

Contemplationis gradus quibus nominibus à D. Tereſia inſigniti?

eo faſtigio deturbaret. Dici non poterit, quouſque ſtudii cæleſtis aſſiduitate profecerit. Porrò ab omni carnis concretione videbatur immunis, in Angelicum quemdam ſtatum mentis evecta, qui cæli ſerenitatem nullis elementorum impreſſionibus interturbatam repræſentaret. Tota ſcilicet affectionibus divinis patebat, & familiariſſimam A Dei præſentiam ope cæleſti nacta, majora porro ſenſit, quàm quæ vel ſcriptis ipſa ſuis digerere potuerit. Hinc originem duxere nomina illa, quibus multiplices contemplationis gradus diſcrevit, & varios animi divina patientis affectus inſignivit, ut eſt unio, ſomnus, ſuſpenſio, connubium, vulnus, volatus, & id genus alia, quæ à doctiſſimis, ac piiſſimis Theologis, ſumma cum veneratione excepta, atque probata ſunt. Quæ quidem univerſa mirari potiùs, quàm indagare fas eſt, ut de rebus arcanis, quas Deus occuluit, ſapiens quiſque cenſebit. Ignoto Deo hîc ego aram meliore conſilio, quàm viri Athenienſes ponam, fugit enim me ſublimitas hæc.

B Ex hac certè penitiſſima primaque ſapientia, ſummorum bonorum feraciſſima, cujus uberrimos, ac planè dulciſſimos fructus Tereſia guſtarat, extitit mirabilis illa de rebus internis legiſlatio, qua gentem ſuam, velut ad conquirendas Orientis, contemplationis luminibus exploratas opes adſtrinxit. Videtur ſanè mihi id Tereſiæ noſtræ, ut gentem ſuam inſtrueret, accidiſſe, quod Luſitanis regibus, in Orientis navigatione contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Reges quippe illi propagandæ fidei Catholicæ ſtudioſiſſimi, adhibitis primum mathematicis peritiſſimis, qui Aſtronomia potiſſimùm excellerent, accurata conquiſitione, inſpectis C ſideribus, perveſtigarunt, quid facto opus eſſet, ut ſuperatis Oceani Athlantici vorticibus in Eoum mare curſum dirigeret, quod uſu aſtrolabii, glorioſo quidem invento adepti, vaſtiſſimis regnis, & pretioſiſſimis Indorum opibus potiti ſunt. Optarat Tereſia Dei gloriam ad poſtremos Orbis fines grandi auſu protendere, neque rationem ullam opportuniorem, quàm ſelectæ gentis inſtitutionem in æterna ſpectacula directam, inire cogitavit, aut potuit. Otii autem hujus certè ſuaviſſimi ſtudium exemplo, voce, ſcriptoque ſuæ gentis pectoribus adeò firmiter impreſſit, ut ex hoc præſertim fonte ſumma puritas vitæ, in ejus poſteros mundo aſſertore permanavit. Hæc eſt columna illa, è duabus, quas dixi, D prima, quæ Architetonicæ peritiæ, quam in gente condita intuemini, pars potiſſima eſt. Nihil enim ſublimius, nihil præſtabilius ea vitæ ratione, quæ jugi divinarum rerum contemplatione, velut lautiſſimis dapibus alitur. Quid enim boni deſideretur, ubi mentes in Deum intentiſſimæ, quàm excelsè, Deo afflante, ſeipſas attollunt, tam generosè mundi faſtum aſpernantur, tam fortiter ſenſus proprios ultra rationis metas exultare geſtientes, cæleſti virtute compeſcunt?

Ejus admirabilis patientia.

Verumtamen ad columnam ædificii monaſtici ſecundam, vitæ nempe aſperitatem, in quam ſcilicet animus interno paſtu gliſcens, ac invaleſcens fortiter incumbit, propendet oratio. Æquum enim eſt, qui Tereſiæ lucem à divina contemplatione diſſultantem non ſine voluptate intuiti eſtis; E victoriam ſanè miram, quam de proprio corpore domito revexit demiremini; & quidem pro laudis hujus foribus perennes annorum propemodum quinquaginta morbos, qui ferreum quoque corpus attriviſſent, velut ſtatuam Patientiae inſcriptam, & ſempiterni præconii monumentum ponere valerem. Cujus certè inſcriptionem ſtatim, ac prudens quiſque legeret, à Virgine ingenua, & in parentum ædibus molliter educata nullum genus auctoritatis expeteret. Quale quippe auſteræ diſciplinæ genus, cum graviſſimis morbis, & acerrimis doloribus fidem excedentibus componi valeat?

Corporiſque adſidua mortificatio

Vigiliæ, atque ſobrietas.

Cæterùm ex hoc ipſo immenſæ virtutis elogio perſpicietis, quas vires Tereſiæ animus acquiſierit, quî corpus adeò enormiter affectum, quaſi vegetum validumque F foret, tam ſeverè caſtigarit. Etenim ſub tantæ molis, quam cogitabat, initium, & urticis, & ferreis ſe flagellis verberabat, tamquam virgineum corpus ab omni ſenſu libidinis mira prærogativa ſemper immune, frænis egeret. Quid, quod vepribus ad acriorem cruciatum ſe pervolutabat, ne in corpore innoxio quid incruentum extaret? O invicta fortitudo! Quid agit Tereſia? quænam, rogo, crimina vindicat? Etenim, quod hydropicis ſitientibus, & aquæ potu ardentiùs eſtuantibus accidere ſolet, id animo Virginis patiendi avidiſſimo contigit, ut ſitim, ſi qua ratione poſſet, G expleret. At enim ſitim hanc neque Nilus cum reſtagnat, extingueret. Inſtitit autem animus ille fortiſſimus, ut exemplo, & oraculo cum intima ſtudii cæleſtis ſuavitate corporis macerationem connecteret, & partem Inſtituti utramque temperaret, ne vel contemplatio in mollitiem abiret, vel auſteritas in ſævitiam degeneraret. Veſtem principio nimis rudem, & ad corpus graviter enervandum compactam in morem inducit, quam & Patrum, qui erant ei à ſacris confeſſionibus, & piorum medicorum præcepto interdicere, ac in hunc modum, quem videtis, lenire opus fuit. Cubabat in ſtramento moleſtiſſimis corporis afflictionibus obnoxia, neque culcitram, niſi morbi modum excederent, admittebat. Sed H quid de aſperrimo cilicio ſubiiciam, quod dirè corpus, & ſenectute, & paralyſi reſolutum, afflictabat? Quid de prolixis jam vigiliis attexam, cum in ipſis interdum laboribus vix horas ferè tres, quatuorve levi ſomno perfunctoriè acquieſceret? Quid de perpetua ſobrietate, vinique abſtinentia, & infirmiſſimi victus uſu commemorem? Deficiet me tempus incaſſum conantem, ac ſi vel pondus, vel numerum rerum poſſim exe-

Habita An. 1607. exequi. Frugalitatem miris exemplis edocuit, ut ſcilicet quam erudiit proles Braſilicis tigribus ſimillima foret: quæ famelicæ incredibili velocitate, tremendiſque viribus præpollent, cum tamen eædem paſtæ (quod dictu mirum eſt) à gregariis, & canibus in fugam confeſtim agantur.

At ego virtutes æquare ſermone, non adnitor; eſſem quippe temeritatis arguendus. Id ſolùm enitor, ut ex parte rem porrò maximam vobis cogitatione utcumque comprehendendam oſtentem. Profectò argutè mihi feciſſe videtur pictor ille, qui molem gigantis enormem ſpectatoribus compendio repræſentaturus ingentem dumtaxat manum tabulæ expreſſit, quàm homines multi ſtaturæ vulgaris, per innixas digitis ſcalas aſcendentes metirentur. Partem ego modicam rudibus quaſi lineis adumbravi; modicam, inquam, ſi cum Tereſiæ virtutibus immenſis comparetur, verùm per ſe ſanè maximam, quæ abſolutiſſimum ſanctitatis ſtatum, ne minus aptè quam gigantem manus una ſignificet.

Hoc autem à vobis expeto idoneis tantæ proceritatis æſtimatoribus, ut quæ de Tereſiæ ſapientia rebus divinis addictiſſima, & imperio corporis ſeveris exercitiis edomiti deprompſi, non in una illa concludatis: verùm in ejus prolem numeroſam, propitio Deo, orbi Chriſtiano cæleſti ſplendore perlucentem derivetis. Occubuit ſanè Tereſia mortis ictibus obnoxia, ſed enim Tereſiæ virtus non occubuit. Potuit certè mors corpus interimere: animum verò immortalem vi divina pollentem perimere non potuit. Aſpicite clariſſimæ Virginis prolem, tot ſpirantes ejus imagines, tot inquam ejus poſteros tantarum virtutum hæredes, in antiquiſſimam Eccleſiæ gloriam conſpirantes.

Verùm enim tædet me, velut in ſalebra hærentem, humilis dictionis, ſuſceptam laudem minimè attingentis: quæ honores hoc natali Tereſiæ decretos obſcurat. Optarem ego priſcam Græcorum, & Latinorum Rhetorum eloquentiam, ſi coagmentatis iis dicendi opibus, me quicquam effecturum ſperarem: at neutiquam ſpero. Quis enim tametſi doctrina excultiſſimus, ſermone diſertiſſimus confidat ſcrutari, ac orationi ſe perſequi valere, quæ reticere cogor? Celſitudinem illam animi mundum faſtidientis, Puritatem mentis cum majeſtate illa ſumma Dei familiariter verſantis, Fortitudinem omnibus dæmonum, ac ſceleſtorum hominum incurſibus obfirmatam, Sapientiam myſteriorum cæleſtium profunditate, ac ſublimitate mirabilem? Altum eſt ſanè ſecretum hoc. Hortus hic manu Dei conſitus, & cultus, arduitate multa ſeptus eſt. Cedant nunc Catones, ac Theophraſti grandia, & accurata perſecuti. Oratores Chriſtiani, qui ſenſa rerum non verba tantùm penſitare norunt, mihi adſint. Decet quippe caſtis aures verbis, pietate animos urgeri. Subit nunc mihi cumulatiſſimam tot meritorum gloriam meritò pertractanti, Tereſiæ plurimis, & graviſſimis laboribus perfunctæ, ac mortali hac vita defungentis imago. Jam monaſteria multa ſacrarum virginum, virorumque condiderat, & inſtituerat. Jam Dei gloriam, quam ſummis votis expetierat, latè amplificaverat. Jam mundi opes, honores, ac voluptates clariſſimis exemplis longo temporum excurſu contempſerat. Jam corpus non magis, quàm diuturnis morbis exhauſtum excelſo victoriæ genere domuerat. Jam invictiſſimus animus ad immortalem vitam diu ſatis aſpiraverat. Quid ergo ſupereſſet? Quid clementiſſimus Deus cum præclarè merita Virgine ageret? Quàm lætus in agone ſupremo luctanti Deus adeſſet? Quibus oculis animam puriſſimam ſuaviſſima pulchritudine, ac illuſtriſſimo triumpho è prælio ſurgentem intueretur? Quo, precor, affectu mundi victricem ad ſtrictiſſimos amplexus exciperet? Etenim quæ ſub obitum contigere per fidiſſimos teſtes ad nos ore, ſcriptoque perlata, facilè pervincunt, majora multò, quàm quæ juſta oratione exprimi poſſint, Tereſiæ è corporis cuſtodiis liberatæ cælitus eveniſſe.

Cæterum ſuprema verba, Tu Virgo nobiliſſima à me modò coronidem orationi udditurо repoſcis, ut culpam deprecer. Majora, fateor, geſſiſti, quàm dixi. Noſti Tu, noſti Tereſia officio deeſſe non potui, quod à me natalis fauſtiſſimus exigebat. Officium eſt.

Hic murus aheneus eſto. *Hor. Epiſt. 1. ad Mæc.*

At victus ego tuis meritis, & luminibus tuis perſtrictus, eò incedar acriùs ad ſplendidiſſima facta tua Eccleſiæ toti hac obſcura tempeſtate prælucentia ſeu publicè, ſeu privatim celebranda. Jam tandem occumbit oratio; & inflicto conſcientiæ verbere, teſtor me Tereſiæ Carmeli inſtauratrici, quantumvis prolixa, & expolita dictione, laudes pro meritis non poſſe rependere.

ORATIO VII.

Habita An. 1608.

NAtalis planè fauſtiſſimus Tereſiæ recurrit PP. AA. Agitur in orbem rota laudis lætiſſimo feſto decretæ, quæ nullis mortalium conatibus ſiſteretur. Tot quippe virtutum eximiarum capita ſeſe confertim attollunt, quæ ab elinguibus quoque divinarum rerum æſtimatoribus ſermonem elicerent, ut nemo licèt infans, idoneam queat ſilentii rationem obtendere. Nam & linguas infantia obligatas rerum magnitudo extemporali quadam commotione diſſolvit: ut verbis ſaltem rudibus, & motibus penitiſſimi ſenſus indicibus, quod exprimere nequeunt, conando ſaltem adumbrent. Quocirca enitendum mihi eſt, ut nulla excuſatione prætexta, in latiſſimum orationis campum, quem nemo fuit unquam felici-

Habita An. 1608.

ter emenſus, pietate potiùs, quàm facultate fretus ingrediar. Exempla nempe clariſſima non antiqua modò, ſed recentia quoque perurgent: quæ genus quoddam audaciæ, ad res arduas generosè tentandas, laude dignum evincunt. Nimirum ætate A noſtra compertum eſt, prolixos terrarum tractus, enormia montium dorſa, inexplorata vaſtiſſimaque maria animis audendo erectis conceſſiſſe: quod ingens auri pondus è ſupremis orbis finibus, vectigalibuſque regnis auſu invicto edomitis, quotannis fere in Europam, immenſa cum gratulatione, invectum facile demonſtrat. Et quidem tametſi auſus hic Oceani volumina, & Nationes barbaras non uſque adeò ſuperaſſet, faſtis tamen inſcribendum foret: rem quippe excelſam bene cœpiſſe, nec ex animi inconſtantia, ſed fortuitò non abſolviſſe, quamvis ſecundo cælo poſſet abſolvi, præclarum certè encomium eſt, quod adverſa fortuna minimè obſcuretur. Qua- B propter perſpicuum erit, aggreſſum rerum maximarum, quibus ingenia omnia mortalia cedunt, vitio neutiquam mihi vertendum, ſi bene auſpicer, etſi non æquè perficiam.

Obverſatur mihi, necdum prorſus explorata regio vitæ Tereſiæ, cujus merita dignoſcere, arduum: trutinare, difficillimum: efferre, omnino videtur inacceſſum: at non incaſſum hac hora linguam expediam, quamvis rei ponderi glorioſè ſuccubiturus. Apud ſapientes enim divinarum virtutum expenſores conſtitutum eſt, hoc inter Ethnicorum, Orthodoxorumque virtutes, quod ad orationis vim ſpectat, intereſſe; quod illorum geſta dictionis ornatu, candoreque vincantur, horum verò facta ſermonis quan- C tumvis ampli, ac expoliti granditatem phaleraſque pervincant. Quod ſi Chriſtiana virtus ad juſtam ejus generis celſitudinem increverit, profectò planius erit, quàm ut inrerprete indigeat, omnem dicendi copiam non magis cum ea celſitudine, quàm cum editiſſimi montis faſtigio devexam vallem, poſſe componi. Jam verò cum Tereſia orbis totius opinione, acclamationeque ad miram vitæ ſublimitatem, abſolutæ ſanctimoniæ notis illuſtrem, ope divina caput extulerit; porrò neceſſe eſt me de re tanta dicturum, & victoriam Tereſiæ præfari, & in excelſiſſimum ſanctitatis exemplar, eximio loco ſuſpicere. Quamobrem & vos rerum grandium ſpectaculo inten- D ti in Tereſiæ majeſtatem oculos collimate.

D. Parentis Tereſiæ prudentia.

Grandia ſanè molior, ut de Prudentia Tereſiæ appoſitè dicam. Virtutis nempè hujus laus univerſè quidem maxima eſt, cum regna togæ, militiæque moderetur, & in urbibus trabeata, & in caſtris armata, tanquam rerum domina graviter incedat. Norunt hoc Spartani: norunt hoc Romani. Sive enim civilem doctrinam, ſive militarem expendere libeat, eæ Reſpublicæ pace belloque laudantur, quæ viros prudentia claros procrearunt. Hæc ſcilicet virtus omnia temperat, omnibus modum addit, in occaſiones ſeipſam inſinuat, locum, tempuſque captat, & quò velit feros quoque animos flectit, ut non ab re ſuaviſſimo cantui aures, pectoraque mulcenti ſimillima dicatur, ob ſingularem agendi ſuavita- E tem, ex multiplici obſervatione, velut è multarum fidium concentione ſurgentem.

Et quidem perſpectum vobis eſt, urbem unam, cujus eſtis cives, diſciplina militari licèt laudatiſſima, imperio terræ, mariſque adeò lato minimè potituram, niſi duces Prudentiæ laude clariſſimos protuliſſet, qui efferatos populos non tam ferro, quàm dexteritate ſubjugarent, atque in deditionem vel fœdus inducerent. Etſi enim armorum errore invictos Roma domuiſſet, non tamen, niſi Prudentiæ temperie, diu ſtipendiarios ultroneos haberet, quorum dominatu gloriatur. Hinc, credo equidem, originem duxiſſe victorias illas; non cæſo milite, ſed fœderato laudatas: quarum gloriam F Imperatores victarum Nationum ritibus, & veſtibus ſeipſos attemperantes vehementer auxerunt; quemadmodum de Alexandro Macedone memoriæ proditum eſt. Neque alia ſanè de cauſa Legatos, & Oratores pluris interdum, quàm duces à Regibus fieri exiſtimo, quàm quia prudentiæ moderatione, gentes plures agendo ſeu dicendo, quàm dimicando debellent: quo certè nomine Pyrrhus Epirotharum rex dictitare ſolebat, plura ſe Oratore uno, quàm exercitibus multis perperiſſe.

Alexander Macedo.

Pyrrhus Epirotharum Rex.

Hæc profectò, aliaque permulta haudquaquam obſcura prudentiæ encomia, Ethnicos ipſos & ſcripto conſignaſſe, & ſenſiſſe compertum eſt: ut recentiora exempla producere opus non ſit. Neminem quip- G pe latere poteſt, in ampliſſima Chinarum regna multis cuſtodiis, velut circumducto muro, ad arcendos exterorum conatus obſepta, unam prudentiam miro quodam artificio penetraſſe. Solertia nempe obtinuit, quod claſſes plurimæ moliri minimè potuiſſent. At quid cunctor? quid opus ſit rem teſtatiſſimam vel priſcis, vel noviſſimis exemplis aſtruere? omnium quippe ſapientum conſenſio eſt, prudentiam orbis terrarum principem eſſe, quæ tamquam ex uberrimo fonte in rivos multos leniter fluentes, hominumque conſilia intercurrentes derivetur. Sic enim Prudentiam Monarahicam, Ariſtocraticam, Democraticam, Œconomicam, quaſi animam regnorum, principatuum, domorumque privatarum, & cæterarum virtutum aurigam celebramus. Ex quo certè communi univerſorum hominum H ſenſu ad Tereſiam noſtram, virginem ſanè prudentiſſimam ſuo pondere procumbit oratio. Sive enim vim ingenii hujus immortalem à natura, ſive à ſupernaturali luce perpendam, ob oculos vobis ſtatuam exemplar prudentiæ planè mirabilis, quæ Philoſophorum pigmenta palam excellat, & inter Eccleſiæ lumina ex hoc capite præſertim celebata, meritò poſſit recenſeri.

Prudentia Monarchica, Ariſtocratica, Democratica, & Oeconomica.

Quod

Habita An. 1608.

Quod adeò per ſe iis, qui Tereſiæ hiſtoriam non oſcitanter legerunt, exiſtimo eſſe perſpectum, ut mox ac Tereſiæ nomen inſonuit, imago quædam non certè muliebris, ſed planè virilis occurrat, quæ animum Prudentia cælitus infuſa divitem, regnoque natum repræſentet. Qui enim fieri potuit, ut Rempublicam mundo penè univerſo obluctante A conderet, niſi ea virtute inſigniter polleret, quæ protervos coerceret, diſcordes conciliaret, principes devinceret, ſapientibus quod vellet perſuaderet? Porrò regnum novum condere, ſive Chaldæos, ſive Perſas, ſive Græcos, ſive demum Romanos evolutis annalibus perſcrutemini opus arduum, milleque difficultatibus implicitum eſt; quod niſi circumſpectis mortalium anfractibus, rebuſque providentia oculatiſſima diſpoſitis tentari non poſſit.

D. Tereſiæ prudentia in quo maxime eluceſcat?

Verùm Monarchiam inclinatam, & ad interitum pene collapſam reſtituere laborioſius multò, & ſapientius eſt, quod homines inter divinæ mentis opera facilè reponant. Debebatur certè clariſſimæ Virgini Tereſiæ ſingulare præconium, ſi nihil altius, quam Ordinis B lectiſſimi inſtitutionem deſignaſſet. Regnum quippe ampliſſimum canditatæ gentis condidiſſet, quod ſine prudentia eximia, qua primos orſus dirigeret, incrementa produceret, pericula obiret, obſtacula propulſaret, patrare nequiret. At enim cum Monaſticæ diſciplinæ ſtructuram multis jam ſæculis nutantem, ac ſeneſcentem redintegrare potuerit, profectò incredibilis Prudentiæ, animique cæleſti ſapientia luculentiſſimi multiplex argumentum eſt: ex quo laus varia egregiis planè facinoribus intertexta conflatur. Patet enim graviſſimis Eccleſiæ Patribus majus & mirabilius multò viſum fuiſſe, cœnobiticam diſciplinam languentem inſtaurare, quàm primævæ obſervationis plantaria fauſtè ſerere. C Quam ſanè laudem Tereſia abſque ullo decremento promerita fuiſſet, licèt proſpera valetudine, nullis arctata ſeptis, multis erecta Principum favoribus, amplis largitionibus adjuta, tantæ moli manus admoviſſet. Verùm clauſtro unà cum virginibus aliis mitiorem diſciplinam profitentibus incluſam, ægrotam, omni ope, operaque defectam rem adeò mirabilem animo concepiſſe, attentaſſe, perfeciſſe porrò miraculo Sapientiæ vertendum eſt. Neque exiſtimetis velim, opus grande hoc Tereſiæ ſic acceptum ferri debere, quaſi cœperit ipſa Rempublicam inſtituere, ſtatimque ejus adminiſtrandæ curam viris, quos aſciverat, incurioſa detulerit. Etſi enim pro modeſtia, & Obedientiæ cultu, viris pareret; ſic tamen reformatum Carmelum adminiſtrabat, D ut (quod Prælati hominum ſupremi ſolent) negotia omnia ſeria ad ſe relata decerneret, difficultates dirimeret, rogantibus conſuleret, ubi oporteret monaſteria inviſeret, parteſque omnes fundatricis expleret; & reſponſa quidem Tereſiæ ſexus uterque conditæ gentis, tamquam effata cæleſtia veneratus eſt: Reſpublicaque univerſa gubernatione hac mundo ſtupente mirificè crevit.

Johanna Philippi II. Soror Theſiæ prudentiam demirata.

Venit aliquando Madritum, ubi cum Princeps Joanna Philippi ſecundi Hiſpaniæ Regis ſoror, illam hoſpitio Monaſterii, quod extruxerat, excepiſſet; neſcio, inquit, o Tereſia quanam arte tot Monaſteria moderari valeas, cum ego vix uni præeſſe poſſim. E Prudentiam quippe facilè virilem, omnia proſpicientem, omnia opportunè temperantem demirata eſt. Sic enim præfuit, ut animos minimè cogeret, ſed quò vellet ſuaviſſimè duceret; quippe quæ morum ſuavitate, actionum decore, lepore ſermonis, adeò ſe amabilem omnibus exhiberet, ut animis primùm, corporibus deinde jucundiſſimò regno dominaretur. Nimirùm omnium ingenia explorabat, & omnibus ſeipſam miro certè modo admetiebatur, gravitatemque comitati admixtam præferebat, ut æque ab omnibus amaretur, & coleretur: quod ſummæ ſapientiæ adſcribendum eſt. Norat illa probè mores hominum: atque ita alternis imaginibus, quid animo gereret, prætendebat, ut alios excelsè, F ubi Dei cauſa ageretur, conveniret, alios, quibus parcendum erat, comiter haberet. Cæterùm quid Tereſiæ prudentia valeret, vix tenuiter prodere valeo, niſi ex ejus geſtis aliquid ſelectum excerpam.

Abula Urbs Tereſiæ natalis.

Abulæ, quæ natalis urbs Tereſiæ virginis eſt, celeberrimum extat non uſque adeò auſteræ diſciplinæ monaſterium ubi per annos viginti ſeptem, antequam inſtaurationem Carmeli auſpicaretur, inculpatè admodum egit. Cœpta verò auſteriore vitæ ratione, è recentis reformationis Monaſterio, cui præerat, à Patre Petro Fernandes Dominicano, viro graviſſimo, qui Patribus Carmelitis Pontificio decreto Viſitator obtigerat, evocatur, ut præſit illi Abulenſi G Monaſterio mitiori, è quo ad reparandum Carmelum prodierat. Res profectò invidioſa; ut Virgo, quæ inde ad ſeveriorem vitæ modum diſceſſerat, iis, quæ vitam non adeò inſuavem ducebant, non expetita, ſed obtruſa præficeretur. Ex quo certè ſapiens quiſque cenſere poterit, quàm funeſtum laxis jam animis ſtrictum hoc inventum, & nuntium accideret.

Tereſia Monialibus Incarnationis Abulenſis præficitur.

Ducitur ergo Tereſia, rudiore jam veſte amicta in Monaſterium illud mite: ubi dici non poſſit quantum ex aſpectu fuerit excitatum incendium. Cætus in ſtudia varia diſciſſus, & turbulentis motibus jactatus eſt. Paucæ è modeſtioribus, repreſſis motibus obtemperant: plures validè reluctantur, vocem extollunt, vehementer conqueruntur, & cives nobiliores auxiliares nactæ, H obſtinatæ repugnant. Vulgus perturbatum crederetur. Simile quiddam cernitur, ubi Oceanus aquarum vorticibus, elatiſque fluctibus intumuit, ac ventorum flatibus ſibiliſque non modò tremorem nautis incuſſit, verùm & vela diſcerpſit, malos prævalidos effregit, avulſoque clavo, navem truncam abegit. Ecquis enim fœmineum genus poſt-

poſtquam excanduit, motibus extra rationis orbitas exultantibus, obnoxium non ſit expertus? Prælatus ergo animos ſedaturos virgines fluctuantes in locum, qui religionem incutiat, imperio tempeſtivo convocat: lectoque graviter præcepto, animos ſeu religione, ſeu timore compeſcit, atque recedit.

Quid egerit ubi primum clavum gubernationis adcepit?

A

Quid hîc tamen ageret Tereſia infeſto loco relicta? quò ſe verteret, omnibus propemodum inviſa? Mirum ſanè dictu: ſic animos prudentia porrò cæleſti permulcere, ac ſibi conciliare cœpit, ut extinctis iræ flammis, quibus ſacrum domicilium conflagraverat, amoris flammas in iis etiam, quæ protervè obſtiterant, brevi quidem excitarit. Quod certè mutationis genus cælo propitio confirmatum eſt. Nam præterquam quòd monaſterium (quod victus penuria, & lento quodam animorum tepentium morbo laborabat) bonis cæleſtibus, & familiaribus Tereſia præſide affluxit, ſub initium gubernationis clementiſſima cæli Regina, lætiſſimo viſu, domus illius felicitatem pollicita eſt.

B

Tereſia quippe, ut primùm Monaſterii curam ſibi demandatam ſuſcepit, Virginis imaginem, in ea chori ſede, quæ iis, quæ præſunt, decreta eſt, quaſi ad imperium collocavit; pridie verò feſti clariſſimi Martyris Sebaſtiani, dum Regina Virginum ſolito Eccleſiæ ritu à Virginibus canentibus ſalutaretur, in ſedem ipſam, ubi poſuerat imaginem, Reginam cæleſti pulchritudine inſignem, puriſſimaque luce ſplendentem, plurimorum Angelorum comitatu ſeptam, è cælo labentem, atque in dedicata ſibi ſede quieſcentem, Angelos verò ſedium aliarum capitibus incumbentes, ſpectaculoque miro intentos intuetur.

Quid Maria Virgo Tereſiæ dixerit?

C

Ubi Regina dulciſſimo lepore ſic Tereſiam affata eſt: *Rectè egiſti, dum in ſede hac me collocaſti: ego ſanè interero laudibus, quæ hic meo filio reddentur, eaſque illi ego ipſa offeram.* Quibus profectò verbis ad arduum gubernationis opus animum erexit, adeoque flexit animos, ut cum acceſſus paucis admodum placuiſſet, impendente jam Prælationis exitu, omnes Virgines illæ amore Tereſiæ mirificè captæ diſceſſum mœſtiſſimum ægerrimè ferrent. Ita Tereſiæ dexteritas, & ſolertia è cælo cumulata fuit.

Verùm quò feror? quid opus eſt unum, alterumve Monaſticæ prudentiæ exemplum ſeligere, cum totius vitæ decurſus ejuſmodi exemplis velut opere Phrygionico elaboratus, contextuſque ſit? Non dubia, vel obſcura profero. Noſtis quàm inſigni prudentia idonea legiſlatio conſtet. Quis enim umquam legiſlatione claruit, qui à prudentia non laudaretur? Nemo ſanè:

D

oportuit nempè bonos legiſlatores eos eſſe, qui noſſent modos excogitare ad continendos in officio populos, ad pacem communem tuendam, ad hoſtes arcendos, cæteraque bona communia vel invenienda, vel augenda: qui regnorum, & civitatum ſingularum tutelares forent, ac proinde quaſi numina quædam colerentur; ſic enim ad hunc uſque diem monumenta priſcorum legiſlatorum, vel ab Hebræis ſapientibus, vel à Græcis accepta, tamquam pretioſiſſimos theſauros aſſervari perſpicitis. Quid ergo hîc de Tereſia cenſebitis, quæ perſpicaciſſimo intuitu omnem poſteritatem contemplata, leges adeò miras ad animos excolendos, & in Chriſtianæ perfectionis culmen provehendos condidit?

E

SS. Baſilius, & Benedictus.

Ego certè dum hæc recolo, non mihi de fœmina, ſed viro ſapientiſſimo, de Baſilio videlicet aliquo apud Orientales, aut de Benedicto apud Occidentales verba facere videor. Illa quippe mentis canities, quæ contemplationis, ſolitudinis, ſilentii, receſſus, abſtinentiæ, precum, cæterarumque monaſticæ vitæ partium tempora tam artificioſè, prudenterque diſcrevit, ut auſteritatem ſuavitate condiret, reſque adeò inter ſe diſſitas antitheſi quadam mirabili, alternè diſponeret, atque connecteret, jure cum antiquis legum Cœnobiticarum conditoribus comparetur. Et quidem non hîc ſubſtitit ingenium illud Tereſiæ grandibus natum, quaſi leges tulerit, quæ ad proprios dumtaxat animos perficiendos intra Clauſtra ſacra prodeſſent.

F

SS. Dominicus, & Franciſcus.

Verùm porrectis divinæ charitatis brachiis orbem terrarum univerſum complexa eſt, ut quod præclariſſimi duorum Eccleſiaſticæ militiæ Ordinum inſtitutores Dominicus, & Franciſcus præſtiterunt, hoc Tereſia inſtituto quoque ſuo ad ſalutem aliorum procurandam deſtinato, glorioſiùs, quàm dici poſſit, obtinuerit. Hæc eſt duplex illa legiſlatio, quæ omnia perfectionis Chriſtianæ præſidia circumſcribit, nihilque intactum omittit, quod ad Majeſtatis divinæ gloriam efferendam, amplificandamque conducat. Et verò laus hæc non jejuna legiſlatione conſtat; quod attentè perpendite: longè quippe alia gloria eſt eorum, qui leges optimas ſcripto digeſſerunt, atque illorum, qui leges ſapienter latas exercitio confirmarunt.

G

Illam videlicet gloriam lingua, calamove inſidentem, levis aura difflat, ſi exercitii deſit fundamentum: multique egregiè dicentes, mox ac ad leges explendas deſcenſum eſt, quaſi vertigine quadam laborarent, legum ipſarum, quas tulere, ambagibus incluſi, ſeipſos expedire, alios conſilio regere minimè valuerunt. Non abſimilis labor eſt ei, quem inopini complures incurrunt, cum in amœniſſimis hortis animi gratia deambulantes, antequam captionem deprehendant, in labyrinthum affabrè ex myrto plexum, & viis plurimis in orbem recurrentibus diſcretum, ſeipſos includentes tanta ex carcere ſimulato moleſtia afficiuntur, quantam ex aſpectu lætitiam, voluptatemque cœperunt.

H

Legiſlatio Tereſiæ, qualis?

At enim Tereſia neque ſeipſam, neque verò gentem ſuam ſuis legibus implicuit, ſed exemplo, auctoritateque potiſſimum ſua, legiſlationem ita communiit, & exæquavit, ut ab immortalis vitæ via obſtacula quæque removerit, & aſperitatem quamlibet mira facilitate lenierit, quod viris ſapien-

Habita An. 1608.

ſapientiſſimis rem totam perluſtrantibus, ac ſtupentibus, magnam Tereſiæ venerationem intulit; & poſtquam illa glorioſâ morte perfuncta eſt, legum cuſtodia feliciſſimè vigente, omnem fœmineæ fragilitatis ſuſpicionem, ſi qua obrepſiſſet expunxit: ad leges quippe Tereſiæ divino conſilio temperatas fidiſſimè obſervandas gens bene inſtituta adeò vehementer incubuit, ut neque imperio, A neque jurejurando fuerit adigenda. Qua quidem laude neque Solon, neque Lycurgus claruerunt, qui Athenienſes & Lacedæmonios juramenti religione vincire maluerunt; veriti ne ipſis vita functis, ii, quos moderati fuerant, leges Oraculo laudatas excuterent. Nullus timori locus, ubi cæleſti afflatu virgo una, tamquam divinæ Sapientiæ organum, ſic omnia diſpoſuit, ut terrarum orbis propemodum totus admiratione ſuſpenderetur.

Cæterùm nimis operoſum foret, Prudentiæ capita ſingula, quæ in legumlatione, vel obſervatione eminent, percenſere, quæ prudens omitto, nactus Auditores, à quibus me ſilente perlibrentur. Unum tamen præterire B non valeo, quod in morem induxit. In habendo nempè delectu virginum, quæ monaſteriis præeſſent; perſpicaces, prudentes, legum cuſtodiæ addictas optabat, neque rudes, ineptaſque gubernationi per modicum quoque tempus ferendas ajebat, quod commune, divinumque bonum brevi labefactarent. Neque conſilium hoc ex improviſo præceps arripiebat, ſed tempus antevertens, in iis, quas ad ſuam diſciplinam admittebat, non tam pium affectum, quàm intellectum rectè diſpoſitum explorabat. Quod cum Theologus quidam facilè doctiſſimus miraretur, neque omninò probaret, mox ut rationem, qua illa ducebatur, accepit, C acquievit. Ajebat quippe, affectum pium intra clauſtrum acquiri, intellectum verò minimè, immò quæ modici captus eſſent, ad omnem virtutis cultum ineptas eſſe, aliiſque graviter officere.

Ejus prudentia in Prioriſſarũ delectu.

Verùm lente nimis progredior: nam quæ hactenus recenſui, licet profectò mirabilia, iis quæ ſubtexere paro minora multò videantur oportet. Cæleſtia quippe ſuccedunt, à quibus præſertim Tereſia celebratur. Porrò ſummæ dexteritati aſſignandum eſt, cum hoſte callidiſſimo ita confligere, ictuſque omnes excipere, ſive etiam eludere, ut ne minimùm quidem corpus lædatur: quod & ſpectacula Circenſia in hac urbe olim creberrima, & in re militari machinæ multiplices, variaque munimenta vobis D hiſtoriæ peritis abundè cognita parſuadebunt; ut notiſſimarum rerum ſimilitudine ob oculos poſita, in ea prælia, quæ cum tartareis hoſtibus geruntur ſenſim vos ipſos inſinuetis. Arcanum eſt quod enuntio, emunctaque nare dignum. Non ambigo, quin ex divinarum affectionum lectione, & obſervatione vobis perſpectum ſit, internos animorum motus innumeris eſſe difficultatibus implexos, cum eleganter à dæmone ſimulentur, vel à proprio etiam capite confingantur. Nunc enim divinam quamdam imaginem Deus animo ſpectandam obiicit: nunc vafer hoſtis ſimillimam exprimit: nunc denique animus ipſe inopinus aliam per omnia conſentientem ſibi conflat; & mirum eſt ſanè, Chriſtum eumdem ternis imaginibus repræſentari, quarum pictorem diſcernere difficillimum ſit. Hîc certè ingenia E clariſſima hærent, hîc aquilarum oculi nictant, & tamen, quod ſummi ætatis hujus Theologi acclamant, immortali laude ex hoc potiſſimum capite Tereſia digna cenſetur, quòd technas dæmonum, capitiſque proprii commenta à veris Dei viſis mira ſagacitate ſecreverit, animoſque divina patientes innumeris laqueis expedierit. Exploratores certè, qui è ſumma ſpecula hoſtium conatus pacis imagine obtectos, & veluti inauratos internoſcunt, urbes totas præſentiſſima ope tuentur, coronaque digniſſimi ſunt, quod viſu valuerint, quod agmina bene inſtructa nequirent. Etenim in aperto marte, ubi arma micant, tormentorum fragor, mixtuſque tubarum clangor, F tympanorum pulſus, tybiarum concentus, præliantium clamor auditur, caſtraque militari auſu diſpoſita cernuntur, fortitudo apprimè laudatur: at ubi pace egregiè ſimulata, vel miles in agmen infeſtum ſe ingerit, vel præaltas foveas levi ſuperinjectu ramorum ad captionem occæcat, vel ad evertendam arcem cuniculos latenter agit, veterani militis prudentia commendatur.

Ludus Circenſes Romæ olim frequentes.

Luſtrate ſcripta Tereſiæ, & prudentiam, qua modos multos hoſtis explorandi, arcendi, coercendi, pacemque internam tuendi præſcripſit, admiramini; neque enim à me modò arcanæ illius prudentiæ deſcriptio repoſcenda eſt, cum pateat rem eſſe G captu altiorem, brevique oratione longiorem. Ego ſanè rem à Deo mihi tectam, verbis nequicquam conglobatis retexere minimè tentabo. Extant ſcripta Tereſiæ, quæ rem ſublimem, diſertè, eloquenter, lepideque demonſtrent. Externa poſſem ego proferre, quæ vim rei latentis non leviter indicarent. Experimentis quippe plurimis conſtitit, quid Prudentia illa valeret ad judicium ferendum, & modos rebus internis præfigendos, quod è ſubjecto exemplo coniicere poteritis.

Erant in Monaſterio quodam virgines duæ contemplationis, & affectionum divinarum fama celebres, quæ niſi Euchariſtiam quotidie ſumerent animam præ defectione multa efflare videbantur. Neque verò ſine virorum H gravium conſilio res agebatur: qui enim ſacras earum confeſſiones excipiebant, cum eſſent non vulgariter periti, virginibus adeò graviter affectis quotidiano remedio ſucurrendum cenſuerant. Eoque deliquia proceſſerant, ut niſi ſummo mane Euchariſtico pane reficerentur, viderentur palam interire. Monita ergo de funeſto illo morbo Tereſia, quæ tunc aberat, extemplò dignovit, quid mali lateret, obſtareque

Habita An. 1608.

omninò decrevit. Siluit tamen donec eò accederet, viriſque illis cur diſſentiret rationem exponeret. Venit, & re maturata (licèt non omnes æquè verba ſenſumve caperent) ſeverè præcepit duabus defectionem patientibus, ne ſic agerent, ſubjunxitque: *Ego quoque ſimilibus æſtuo deſideriis, & à ſacra Synaxi interdum abſtineo: quapropter omnino ſtatuatis, aliarum Virginum more vos obſecuturas. Intereamus omnes; ſatius enim eſt interire, quam ſingularem hunc morem obtrudere, cum ſint aliæ æquè divino amore captæ, quibus idem agere libebit.* Diem ergo illum mœſtiſſimum duxerunt: minùs graviter proximum, tertium leviùs, ac in hunc modum impoſtura illa detecta ad communem, tutamque viam prudentiſſimo conſilio redierunt. Quid vobis modò de Tereſiæ prudentia videtur? Magiſterium illud virile, & cenſendi auctoritas planè ſenatoria, quibus præconiis efferetur? Profectò minimè mirum eſt, ſi de rebus graviſſimis paſſim conveniretur, & viri peritiſſimi ejus reſponſa velut oracula exciperent. Neque enim magiſterium tantum domi delituit, ſed ad ſtatus omnes, tamquam bonum univerſale pertinuit. Exemplum accipite. Virgo quædam externa, quoties aliquis novus ardor affectionum ſubibat, vel Euchariſtiam ſumebat, velut exanimis procidens per horas circiter ſeptem ſibi, & aliis ecſtaſi rapta videbatur. Tereſia verò ab eo, qui ſacras confeſſiones ecſtaticæ illius audiebat, certior de prodigio facta, è veſtigio non raptus, ſed nimiam imbecillitatem eſſe teſtata, interdicenda exercitia, corpus curandum conſuluit. Quo certè conſilio brevi virgo illa convaluit, nec ullum raptus veſtigium extitit. Quid hic ſubtexam? quid de lumine illo divino promam? Parcè dico, plurima ſupprimo. Nimirùm eventus hos non eò protuli, ut eos vel ſolos, vel in primis admirandos adſererem, ſed ut ex his, quæ utcumque adumbravi, majora, quæ attingere minimè audeo, vos taciti penſitetis. Quot enim, quantaque Prudentiæ miracula veſtro credenda ſenſui, credenda judicio, de Virgine, quæ latentes affectus eorum, quibuscum verſabatur luce divina illuſtrata introſpicere, & ægris animis adeò ſapienter mederi potuit? Norunt hoc illi ſanè plurimi, quos vel à tartari faucibus eripuit, vel ereptos ad inſignem vitæ perfectionem provexit.

Ejus prudẽtia in diſcretione ſpirituum.

Verùm pro coronide Prudentiæ illud, paulatim aſcendendo tamquam in domus ampliſſimæ faſtigio, ponam, Tereſiam ſcilicet quantumvis ſaperet, numquam ſibi ſatis fidiſſe, ſed incredibili ſollicitudine viros doctrina ſimul, & ſanctitate clariſſimos exquiſiſſe, à quibus de affectionibus divinis ipſius periculum fieret: quorum lectiſſimum agmen, niſi ad occaſum oratio feſtinaret, impigrè recenſerem. Sollicitudo fidem ſuperat, ut locupletiſſimi teſtes, ampliſſimi Præſules, graviſſimique Theologi elogiis minimè obſcuris aſtruxerunt. Qua certè in re illud planè mirandum, quod animos maximorum virorum averſos facillimè leniret, & ad ſententiam, affectumque mutandum, quaſi magnetis tactu permoveret. Videtur profectò mihi rem hanc perpendenti, non abſimilis Tereſia citharædo illi, qui cum in cœtu quodam fortiſſimorum virorum, neſcio quid militare pulſaret, & Alexandrum è conſeſſu, ubi quieſcebat, acri ſono ardentem, ad armaque exilientem, præter tempus vidiſſet, cœpit molliter pulſare ſuave quiddam, quo Imperatoris illius ira reſedit, & motus animi corporiſque compoſuit. Viros planè maximos, quos antequam Virginem de facie noſſent, ſuſpicio quædam inceſſerat, primo congreſſu, primo ſermone, ad bene opinandum mirificè flexit. Quid ultra? quid jam deſideretur? Rudibus certè lineis Tereſiæ prudentia indicata potiùs, quàm expreſſa eſt. Rempublicam condidit, temperavit, excoluit. Memoriæ ſempiternæ monumenta ſcripta conſecravit. Plura longè, ac majora, quàm ſcripſit, perpetravit. Omnia vicit, vincitque adhuc Tereſiæ prudentia ſepulchro minimè clauſa. Corpus nempe Virginis mori potuit: prudentia non potuit. Cæleſtis origo, & immortalis vis eximiæ virtutis nequit extingui. Poſteritas, quam erudivit, hujus patrimonii opulentiſſimi hæres, velut ſpirans imago, quid egerit prudentia Tereſiæ, quantum excelluerit, oſtentat. Atque utinam adeſſet ipſa prudentiſſima Virgo, quæ dulciſſimo, & copioſiſſimo cæleſtis eloquentiæ flumine Auditores meos, indicto mihi ſilentio, delectaret, ſuamque ſapientiam, cui gymnaſia omnia ultrò concedunt, diſertius, quàm Græcæ, Romanæve facundiæ famoſus quiſque cultor exprimeret.

O Tereſia divinæ ſapientiæ lepore perfuſa, age jam, tuis Te facinoribus lauda. Fœliciter age: gloria illa cumulatiſſima, quæ canum prudentia caput exornat, ævo ſempiterno perfruere. Ego verò prudentiam vix tenuiter laudatam demirabor, lentuſque Orator votis, quàm ſermone fæcundior, immortali gloriæ, & virtutis tantæ majeſtati ſuccumbam.

ORATIO VIII.

Habita An. 1609.

UNiverſæ propemodum Nationes, PP. AA. ductu quodam naturæ diem natalem eorum, qui ob præclara geſta faſtis digni credebantur, ſolemni ritu, ac peculiari gratulatione colere aſſueverunt. Habet nimirùm hoc ingenuus ille virtutis ſplendor, ut non gentes civili doctrina excultas modò, verùm & incultas, feraſque ad ſui ſtudium, ac laudem inflammet. Quocirca non Cæſares tantùm, quorum rebus geſtis Romanum crevit imperium, ſed Principes alii non æquè ſtrenui ſtata ſui ortus feſta pro virtute decreverunt. Quin etiam, &

viri

Habita An. 1609.

viri alii, quorum natali mundus minimè gloriari potuit, diem illum opinione quidem ſua fauſtum, quo in lucem editi fuerant, conviviis, cantu, præconio recolere in morem induxerunt, quemadmodum è vulgatiſſimis conſtat hiſtoriis: ut omninò exploratum ſit, homines penè univerſos in unam celebrandi natalis ſententiam conſpi- A raſſe. Cæterum ſenſus Eccleſiæ ab Ethnicorum quantumvis ſapientium ritibus longè diſſitus, & religioſior, & glorioſior eſt: diem quippe, quo mortales in vitam morti obnoxiam proditi ſunt, ſilentio quidem ſupprimit, obitus verò diem, quo in vitam immortalem virgineo quodam partu, illos ſtrenuiſſimè, ac inculpatiſſimè mortalitate perfunctos enititur, ſummis certè gaudiis, & acclamationibus exornat: honoreſque divinos ritè decretos, miro parentandi more, perſolvit. Præclariſſima nempe Chriſtianæ virtutis merita, æquum prorſus eſt altiore conſilio, ſanctiore inſtituto, penitiore gratitudine recenſere: cum ad vitam rectè inſtituendam, mores excolendos, vi- B tia extirpanda, virtutes eximias conquirendas, è viris, tuto Eccleſiæ judicio, viam ſublimem emenſis, ac inter Cælites recenſitis, tamquam è vivis exemplaribus, pietatis colendæ ratio ducatur. Et huic ſanè agmini lectiſſimo appoſitè ſuccedunt, qui tametſi nondum Catalogo aſcripti, parum certè abeſt, ut ea Eccleſiæ gloria decorentur: quod eorum ſanctimonia locupletiſſimis teſtibus aſſerta convincit. Ratio videlicet ipſa palam exigit, ut ii, quorum facinora in Eccleſiæ cælo, tamquam ſidera luculentiſſima intermicare, populoſque ad pietatem puriſſimo ſplendore cernuntur allicere, ſingularibus encomiis efferantur. Qua profectò ratione ducor ipſe ad clariſſimam Virginem Tereſiam, à regibus, ac principibus multis ad Catalogum expetitam, pro virili laudandam. Neque enim fas C eſt ei, quæ tot ampliſſimos antiſtites, tot proceres, tot populos abſolutiſſimæ ſanctitatis aſſertores, ac præcones nacta eſt, à me, quem ſingulari munere inter candidatos ſuos devinxit, nihil gratitudinis, laudiſve rependi. Etſi enim hoc ipſo quod ſuarum virtutum plurimos, ac diſertiſſimos Oratores adepta ſit, ego videar poſſe ſilere; non continuò importunum ſilentium ſuffragatores moltos haberet, vim officii potius, quàm Oratoris momenta feſtiviſſimus hic dies avita religione requiret.

Nota has Orationes habitas fuiſſe ante ſolemnem B. Tereſiæ in SS. album relationem.

Sed enim dum quæ dirigenda ſelegi perpendo, mihi planè audax videor, qui de arcana Tereſiæ ſapientia dicere in animum D induxerim. De Contemplationis quippe divinæ ſublimitate, qua Tereſia, Deo afflante, potita eſt, mihi dicendum: argumento ſcilicet inſolito, Græcis, ac Romanis Oratoribus incognito, Chriſtianis dumtaxat Oratoribus agnito. Excelſa profectò res; excelſiſque ingeniis velut inacceſſa: atque idcirco, vel tenue quiddam è ſublimitate tanta proferre, non ambigo, quin vobis & pretioſius, & jucundius exiſtimandum ſit; quàm ſi de rebus minus divinis plura expreſſioraque producerem.

Orationis Partitio.

Pro foribus hîc ponendum eſt (quod memoriæ ad orationem totam altè impreſſum exopto) in divinæ Contemplationis expenſione, quantumvis dictionis ornamenta, vireſque coagmententur, ſermonis diſparitate peccandum. Scriptores ſcilicet antiqui, dum quædam ſuarum cogitationum ſimulachra ſcriptis exprimere adniterentur, æ- E grè materiam calamo exæquarunt, licèt res minimè divinas pertractarent, eò ſanè ipſo portendentes, quid erga divina præſtitiſſent. Mirandum certè quàm egregie Plato de Republica, Ariſtoteles de naturali felicitate, Stoici de homine ſapiente, Tullius de Oratore, diſſeruerint, etſi nitore verborum non res veras, ſed imagines commentave deſcripſerint. At ſi quis orthodoxus oculatè ſcriptorum horum labores circumſpiciat, nonnihil proculdubiò eradendum, vel corrigendum deprehendet: lux exigua porrò fuit, quæ in rebus quoque naturæ metas non excedentibus caliginem non omninò diſcuteret. Ex quo quidem efficitur, ut præ- F ſtantiſſima orbis terrarum ingenia res naturales vix metiri potuerint. Quid ergo de celſitudine rerum divinarum, quibus ingenia clariſſimorum Eccleſiæ Patrum conceſſere, opinandum ſit? Divinam contemplationem, qua nihil altius, ſapientius, delectabilius à mortalibus excogitari poteſt, quis, dicendo aſſequi poſſit? Etenim mihi animus deſponendus eſſet, niſi in re difficillima Tereſiam ipſam fautricem fore ſperarem. Non ſanè ab re Orientalis Indiæ exploratio mihi venit in mentem, cujus difficultates bona ſpe victæ languentem animum erigant. Trans Æthiopes Heſperios, Africæ oram præternavigantibus occurrit Promontorim, quo finitur immanis terræ G præjectus, qui ab interiore Æthiopia per directam longitudinem leucas amplius ſexcentas in Meridiem excurrit (frontem Africæ nonnulli appellavere) Procelloſum verò caput, ob atroces circa ipſum procellas exortas, quidam Joannis Luſitaniæ regis familiaris, vir planè magnanimus & conſtans, qui Promontorii illius oram vaſta prominentia cuneatam flexerat, cum coram rege loca illa explorata deſcriberet, nominandum aſſeruit. Quin potius ſubiunxit rex *Bonæ ſpei caput* appelletur (quod illi in poſterum nomen celebre fixumque, permanſit) captato nempe velut augurio, quod cum ab Occaſu tam longè diſtaret, & tam enormi in Auſtrum procurſu tenderetur ad ampliſſimas Orientis opes, & Aſiatica em- H poria, tot ſuperatis difficultatibus bonæ ſpei argumentum, ac fomentum Europæis exploratoribus cenſeretur. Simile profectò quiddam mihi contingat, oportet. Opes videlicet Tereſiæ, à communi mortalium vita longiſſimo tractu, & quaſi præcelſi montis altitudine ſecretæ, auſu, fiduciaque multa mihi conquirendæ, beneque ſperandum,

Caput bonę ſpei ironice ita adpellatum.

dum: licèt objecta rerum arduitas timorem incutiat. Age ergo, rem grandem auſu primo tentemus.

Contemplationis divinæ definitio.

Viros certè graves, divinarum affectionum conſultos appello, quos noſſe crediderim, quidnam rei ſit contemplatio, non illa quidem, qua Philoſophi aliquot naturæ ſecreta, poſt accuratam diſquiſitionem A cum voluptate pernoſcunt, ſed qua ſapientes pauci, repurgatis mentis oculis, poſt ſublimem animi aſcenſum, arcana cæleſtia intuentur, in ſpectacula æterna prorſus intenti, & cum admiratione ſuſpenſi, quo in genere incredibile fortaſſe videatur, quantum Tereſia profecerit, quoſque celerrimo quaſi volatu ſeipſam extulerit.

S. Hieronymus.

Per annos circiter viginti duos, ariditate moleſtiſſima animum illum fortitudine, conſtantiaque ad obeunda pericula divinitus armatum ſapientiſſimus Deus exercuit, ut per ſteriles Libyæ arenas, vaſtaque deſerta, prolixam ſibi viam capere videretur. Sic enim decuit experiri pectus adamante fortius, quod in aulam cæleſtibus oblectamentis deſtinatam dedicandum erat, ne quis B arbitretur, divinæ Contemplationis viam non eſſe ullis difficultatibus prætextam. Et hoc ſanè tam diuturnum Tereſiæ experimentum aliis, qui de rebus internis judicium ferre noverunt, laudi ſummæ facilè vertitur. Quale quippe magnanimitatis genus fuit, tot annorum decurſu ab incœpto minimè reſilire, egregios virtutum actus conſtantiſſimè proferre, oppoſita tentationum acerrimarum repagula perrumpere, miris divini amoris incrementis adoleſcere? Inſiſtebat illa cæptis grandi ſpe, grandi conatu; cum nec imaginando Chriſtum repræſentare, neque verò intellectu diſcurſum contexere valeret. Animus nempè velut in C vincula conjectus, ad producendos actus internos, ſummis votis expetitos ſeipſum expedire, Deo ſic agente, nequibat; quod attentè perpendite. Simillimus planè labor eſt, quem dum æſtus efferbuit, is ægerrimè fert, qui in puteum exhauſtum ſitulam creberrimè demittit, ſpeque identidem fruſtrata, ſiti penitiſſima conſumitur: aut certè ille, quo, qui aurum indagat, indicio deprehenſo, terram impacto ligone pergit effodere, ſilicem ferro pertundere, cuniculos agere, variiſque anfractibus terræ viſcera perſcrutari; neque verò à labore illo cæco ſpe altè defixa deſiſtit. Eximia certè laus Hieronymi fuit, quam ipſemet, tamquam effatum cæleſte deprompſit, quod inter aſperrimos ſcoD pulos pectus lapide invictiſſimè concutiens, à cæleſti pace impenſiſſimè poſtulanda oculis cælo affixis, neutiquam requieſceret, donec ſerenitas mentis cæleſti ſuavitate delibuta rediret. Cæterùm vos ipſi cenſete, quali præconio celebranda ſit conſtantia illa, quæ tot annos innumeris laboribus tentata perenniter in cælum ſuſpexit, neque ullis adverſitatibus fracta defecit, donec puriſſimo Contemplationis candore frueretur. Quod certè non eò dictum velim, ut Tereſiam in voluptatem internam, licèt profectò caſtiſſimam, pertinacem illum conatum collimaſſe, opinemini. Tantum quippe abeſt, ut voluptate traheretur, ut longo illo ariditatis exilio, ſemel (quod ipſa diſertè ſcripſit) gaudia poſtularit, ac expetierit. Quod, credo equidem, inopina egit, cum anxietatis mole premeretur: mox enim ac id quod E popoſcerat animadvertit, vehementer erubuit: ipſoque pœnitudinis ſenſu lætitiam, quam poſtularat, accepit. Quid de hoc actu dicetis? Miror certè animi hujus magnitudinem. An mirari non deceat, ægrotum, quem hydrops annos ampliùs viginti vexat, erubeſcentem, quod ſemel modicum aquæ potum minimè nociturum petierit? Profectò culpa vocat poſtulatum, cui Deus munificentiſſimè annuit, neque reprehenſio timenda, ubi nihil niſi candidum, inculpatumque ſe prodit.

Per hoc ergo tempus, ne animum à contentione relaxaret, frequentiſſima lectione intercalatæ orationi permixta, veluti quotidiano victu Tereſia alebatur. Fontes perF lucidi: diſtincta, pictaque floribus prata: flumina leni murmure fluentia, amœno viridique riparum veſtitu campos latè patentes interlabentia: horti tonſilibus operis topiarii orbibus, anfractibuſque ad lineam culti, atque diſcreti: ſylvæ ubertim fruticoſæ, atque in comas arborum perenni germine profuſæ, avicularumque concentu perſonantes, animi ægritudinem elevabant, & ad cæleſtia ſubvehebant, cum ſecretiora alia, quæ cum aſpectabilia non eſſent minimè cernebat, cogitare nequiret. Agebat mens illa in denſa caligine, quam conando diſpelleret, ut radios aliquot, tamquam per concreta, hiantiaque nubila raptim emicantes, furtim conciperet; atque G in hunc modum tempus illud porrò longiſſimum experimentis multis tentata peregit.

SS. Antonius, Hilarion, Onuphrius, & alii.

Cœpit ergo ſecundis ventis uti, & dum imaginem Chriſti animo componeret: ſenſum præſentiſſimi Dei inopinato ſubeuntem adeò, mirum efficacemque percipere, ut videretur ſibi ambigere non poſſe, quin Deus in ipſa, velut in ſacrario quodam, ipſaque reciproco ſenſu Deo immerſa maneret. Agebatur nempe extra ſe, & ſuſpenſione mirabili in Dei abyſſum condebatur: voluntas ardebat, memoria vacabat, intellectus ſtupebat. Sanè id Tereſiæ in hac introductione contigiſſe videtur, quod iis paſſim evenire ſolet, qui in ampliſſimas regum aulas ad colloquium admittunt. Per cubicula H quippe multa architectonicè diſcreta, egregiè picta, aulæis pretioſis ornata, inauratis laquearibus cælata, ſenſim ingredientes, ubi ad intimum regis ſubſellium pervenere, ſuſpenſi præ admiratione obſtupeſcunt. Res profectò arcana, & à communi hominum ſenſu remota eſt, quæ caſtas aures, animos caſtos planè decet. Hæc videlicet eſt ſapientia illa, quam Antonii, Hilariones, Onuphrii, aliique viri laudatiſſimi ſpretis honoribus, opibus, voluptatibus inter

ſaxa

Habita An. 1609.

ſaxa, & ſpineta exquiſierunt: quam Baſilii, Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, intermiſſis quoque ſtudiis, curiſque graviſſimis optarunt; quam Magdalenæ, Catharinæ, Gertrudæ ſumma contentione expetivere. Jam verò quid de celſitudine tanta ſentiam, cum viæ Contemplationis, qua Tereſia fruita eſt, marginem attigerim? Etenim aſcendendum eſt.

A

Habet ſanè hoc immortalis hominis animus, ut quò plura è divinis capit, eò pateat ampliùs, ſinuſque capiendo diſtendat. Quocirca ubi Tereſia cœpit divinis affectionibus aſſueſcere, dici non poteſt, quanta mentis amplitudo ſucceſſerit. Profectò annos illos ariditatis prolixos ſubeunte fœcunditate benè penſavit. Clementiſſimus quippe Deus ingenio quidem ſuo ad largitionem propenſiſſimus opportunam Tereſiæ occaſionem nactus, cæleſtibus ac multiplicibus contemplationis donis illam augere perrexit. Nunc illam imagine quadam ſomnii quàm dulciſſimi conſopire, ac divinis in ea tranquillitate mentis gaudiis permulcere. Nunc arctiſſimo complexu candidiſſimam animam ſibi aſtringere. Nunc ineffabili cum voluptate amorem immenſum erga ſuſpirantem exercere. Qua certè in re illud admiratione dignum, quod cum iis blandimentis, gaudiiſque ad experiendum reniteretur, eò illa feliciùs affluebant, quò validiùs reluctabatur. Incognitum profectò terrarum orbi certamen hoc, quod annos circiter duos animosè ſuſtinuit: neque incaſſum; nam cum à patre illo ſanctitatis fama notiſſimo Franciſco Borgia, ne deinceps Deo repugnaret, fuiſſet admonita, è veſtigio cœpere ampliora cæli dona circumfluere, ecſtaſes plurimæ accidere, Chriſti verba quàm ſuaviſſima purgatiſſimæ illi menti inſtillari: quibus certè prærogativis mirificè profecit. Quid ultra? nonne videor omnia prompſiſſe? Vero ſimillimum eſt, fore quempiam, qui omninò ſibi perſuadeat, neque orationem ulterius procurrere, neque majora poſſe ſperari. Cæterùm (adſit mihi fides) exigua ſunt quæ produxi, ſi cùm iis, quæ nondum attigi, comparentur; quæ cum & numero, & magnitudine creverint, delectus paucorum mihi habendus eſt, ut partes officii expleam.

S. Parens Tereſia dono contemplationis ditata.

B

C

Chriſti familiariſſima conſuetudo.

Succeſſit familiariſſima Chriſti conſuetudo, qua nihil optabilius excogitari potuiſſe videtur. Tereſia nempè plurimis jam laboribus, & meritis aucta, Chriſtum ſibi propinquum, loquentem, individuè ſecum verſantem, incedentem, licèt eum minimè cerneret, arcano modo, planeque vero perſenſit. Quàm verò ſuavis, quàm ferax virtutum extiterit, fruſtra conor exprimere. Verùm enim exacto brevi temporis excurſu, Chriſtus ipſe, qui ſe Tereſiæ tutelarem, viſo cohibito, amantiſſimè exhibuerat, inaudito amoris incendio, ſe Virgini ſpectandum crebrò per biennium obtulit: ſpectandum dixi: per biennium dixi: perpendite. Quis autem hîc non obmuteſcat? quis non penitus commoveatur, & hoc amicitiæ genus demiretur? Sanè ſcriptores illi mendaces, qui neſcio quæ amoris commenta eleganter concinnarunt, ne fingendo quidem numina illa ſua in ſimilem amicitiam mortalium deducere noverunt. Plura certè, & meliora Tereſiæ obvenere, quàm fabuloſa Ethnicorum ſcripta prodiderint. At verò vellem hîc intentiſſimè hoc amicitiæ genus expenderetis, & ſpectaculo miro caperemini. Quid exiſtimatis accidiſſe Tereſiæ, cum corpus illud Chriſti immortali pulchritudine, puriſſimo candore, cæleſti Majeſtate præditum intueretur? Decor ille ſuaviſſimus, quales, precor, faces animo Virginis immiſit? quomodo præ amoris, quo conflagravit, magnitudine animam non confeſtim efflavit? Noſtis certè corporum quoque mortalium pulchritudinem membrorum proportione, coloriſque ſuavitate conſtantem, vi quadam efficaciſſima ferrea pectora emollire, animoſque quò velit inflectere. Hæc una honoris, divitiarum, commoditatum, ipſius denique vitæ contemptum inducit. Huic principatus, huic imperia ſuccumbunt; quod vulgatiſſimis regnorum hiſtoriis nimis compertum, ac tritum eſt. Quos igitur affectus Regis illius forma, qui omnem mundi formam obſcurat imprimeret? Sorduit proculdubiò Tereſiæ perſpecto hoc, quidquid mortalium oculis gratum, vel jucundum ſolet accidere, turpiſſimaque deformitas viſa eſt. At ego parum dicendo progredior, dum res quàm ſublimiſſimas vix adumbrare valeo, & tamen obſtinatè conor aſcendere.

D

E

Pulchritudo unde ejuſque effectus.

F

Annos jam duos in familiariter ſpectanda, contemplandaque Chriſti pulchritudine poſuerat; & ecce ſubtracto viſo jucundiſſimo, vehementiſſimi amoris impetus, quibus paulò minus interibat, & alia ſublimiora ſuccedunt, de quibus in ſupremis ſuæ vitæ capitibus ipſa diſſeruit. Quod ſi noſſe cupitis, quid demum ſucceſſerit, verba pro facultate proferam, ſenſum rei profectò non aſſequar. Felix permutatio: corporis immortalis, abſolutiſſimaque forma præſtantis imagine ſubducta, ſubiit immenſo dono ſummæ Trinitatis præſentia quædam excellentiſſima, exilio noſtro attemperata, quam licèt Tereſia ipſa, qua pollebat dexteritate, calamo deſcripſerit, exploratum eſt tamen, quod reverà divinitus accepit, ne libris quidem multis ſatis exprimi potuiſſe. Et ego, quò feror? quid de Contemplatione illa, quæ ab ipſa ſpirituale connubium appellata eſt, rudis ego ſubjungam? Hæc porrò arcana tenebris quibuſdam miris obducta, non eò promuntur, ut prorſus capiantur, ſed ut religioſè laudentur. Eruperunt tot, tantaque gaudia, ut quemadmodum Paulo immiſſus fuit ſtimulus ſatanicus, ne revelationum magnitudine extolleretur, ita Tereſiæ (ut dixit ipſa) moleſtiſſimus capitis dolor, ne tam immenſè oblectaretur, fuerit illatus. Ex quo certè divinæ providentiæ temperamento, nemo eſt

G

Connubium ſpirituale notatum.

H

Habita An. 1609.

qui coniicere nequeat, quoſque Seraphicum illum animum contemplatio divina provexerit. Et ego quidem tamquam miraculo aſſignandum exiſtimo, Virginem urgenda Carmeli reformatione, & ſeriis negotiis expediendis diſtentam, tot divinis affectionibus animum mollem, aptumque ſervaſſe, quale quiddam in clariſſimi Patris Thomæ Aquinatis hiſtoria boni rei æſtimatores admirantur: quod ſcilicet inter ſcholæ certamina, ſpeculationeſque perennes, divinæ Contemplationis, & tenerrimi affectus decrementa nulla pateretur, cum experientia conſtet, animos quoque cælitus affectos ejuſmodi ſtudiis, & concertationibus exareſcere. At privilegium hoc Tereſiæ laudibus minimè defuit, ut inter paucos celebraretur, & in agmine primo Contemplatorum recenſeretur.

A

Verùm in hac ipſa tantæ ſublimitatis obſervatione, dum parcè dico, & plurima ne cogitando quidem aſſequor, ſuccurrit conſilium Patrum graviſſimorum, qui arcana hæc (quæ magnus ille Dionyſius brevi ſcripto potiùs tecta, quàm aperta Timotheo tranſmiſit) tenuiter tractarunt, & majorem multò rerum divinarum partem ſenſui, quàm ſcripto crediderunt. Laudo equidem conſilium hoc, ſequorque tenuiſſimis indiciis nonnihil efficiens, & ad ſenſum rerum abditiſſimarum vobis quaſi digitum intendens. Perſpectum enim eſt, Tereſiam in hoc genere majorem multò vobis, ut & mundo penè toti videri, quàm ut orationi poſſit æquari. Et ſanè nimis audax propoſitum eſſet, vel unum è capitibus contemplationis illius velle communi more, communi ſenſu pertractare, cum gloria illa, lux illa oculos quoque perſpicaciſſimos reverberet, atque perſtringat. Certè frequentiſſima mentis ſuſpenſio, altiſſima quies, arctiſſima unio, creberrimi raptus, intima Charitatis vulnera, vehemntiſſimi amoris impetus, ſuaviſſima Dei colloquia, tenerrima blandimenta, quibus ſcripta Tereſiæ reſperſa ſunt, quamvis è plurimis pauca, & ea imperio coacta digeſſerit, ſtupore multo indicari poſſunt, exprimi omninò non poſſunt. Felix qui vel partem capere queat, ex qua de iis, quæ haudquaquam perceperit, prudenter conjectet. Sapienter Euripides ille de ſcriptis Heracliti, auctoris plane obſcuri dixit: ἃ μὲν συνῆκα γενναῖα, οἶμαι δὲ ἃ μὴ συνῆκα. Quæ intellexi præclara ſunt, opinor autem, & quæ non intellexi. Neque abs re quis animum admoveat iis, quæ non prorſus intelligit, quod in meteoricis paſſim contuemur. Decet ſanè hominis ingenium multiplicem, eclipſim cometas varios, orbium cæleſtium converſionem obſervare, atque admiratione permotum, quæ ſperat profutura perquirere. Et hoc profectò Dei conſilio contemplatio Tereſiæ, hac ætate litteris utcumque mandata, viros peritiſſimos, ac piiſſimos ad conquirendam quamdam ſubtilem, candidamque rerum divinarum notitiam excitavit. Quod quam fuerit rationi, & magiſterio Tereſiæ conſentaneum, ſatis perſpici poſſet ex his, quæ mox attexam, licet nihil hucuſque protuliſſem.

B

S. Dionyſius Areopagita.

C

D

Eò nempe Tereſia proceſſit, ut divinitus affecta, familiariſſime cum Deo ageret, & in ſummis perplexitatibus (quod ad periclitandum fieri ſolet) oraculo crebrò erudiretur. Quoties putatis, cum adverſaretur mundus moli, quam condere cœperat, & viæ omnes intercluſæ viderentur, ne cœpta poſſet abſolvere, Deus uno vel altero verbo animum ita ſedavit, & erexit, ut ne dubitare quidem poſſet, cœpta feliciſſime perficienda? Quoties inter procellas internas, undanti Oceano ſimillimas, verbo uno majeſtatis pleno, Deus fluctus compeſcuit, & ſecuritatis ſenſum impreſſit? Et jure quidem oracula tam familiaria, atque frequentia. Cum enim ad eum Contemplationis ſtatum ſingulari munere evecta fuiſſet, in quo caſtiſſimum illud connubii fœdus cum ſumma Dei majeſtate pepigerat, opem tempeſtivam ex fœdere Deus ferebat, & incredibili fidè mala ingruentia propulſabat. Etenim eò Deus propenſionis acceſſerat, ut celerrimis raptibus, quibus Tereſia quantovis conatu reniti nequibat, Virginem ad ſtrictiſſimos amplexus corriperet, ubi gaudia immenſa, præſagio quodam futuræ felicitatis hauriret. Neque enim fert animus horum bonorum altitudinem rimari, vel numerum percenſere, ſed mirari. Ille tamen raptus, quem ipſa ſpiritus volatum nuncupavit, me præſertim in admirationem extollit, quo, cum ſe in vaſtiſſimam quaſi regionem mortalibus incognitam, validiſſimè arripi, vehique animadverteret, vires omnes contrahebat, ut motum velociſſimum, & potentiſſimum ſuſtineret. At iis, quæ in ſummitate illa gerebantur velum oppanſum eſt: non hìc ſcrutinio, ſed religione opus eſt.

E

F

Volatus ſpiritus notatus.

G

Tereſia Dei thalamus fuit: aula multiplici contignatione, pictura, candore, cælatura, lævore, regiæ majeſtati conſtructa, cujus interiorem pulchritudinem, opulentiam, gloriam, quò quis ſapientior eſt, eò altiùs obſtupeſcit. Coram hoc divinæ Sapientiæ opificio Athenienſis ſubtilitas obtunditur, Ægyptia Theologia jacet, Academiæ orbis Chriſtiani attonitæ conticeſcunt. Obſignata eſt Sapientia Tereſiæ, fugitque oculorum aciem Tereſiæ volatus, quo ſe in divinitatis altitudinem pennis fulta proripuit.

Quid jam ſubtexere poſſim? Quid de Tereſia cenſeam? Animus ille adhuc ſeptus corporis anguſtiis, cælo ſeipſum inferebat, & Angelicas Hierarchias perluſtrabat. Non illum negotia confertim irrumpentia, non fragilitas naturæ, non Reipublicæ gubernatio, non morbi perennes ab intentiſſimo divinæ Contemplationis ſtudio relaxarunt. Omnia vicit: omnia imperio Tereſiæ monſtra ceſſerunt; è conſuetudine quippe Dei vires invictiſſimas lucem ſplendidiſſimam concepit, ut & mundum conculcaret, & tartareas tenebras expelleret. Hinc ſanè extitit

H

D. Tereſiæ magnanimitas unde?

ma-

Habita An. 1609.

Magnanimitas illa, quæ domuit orbem. Hinc ſapientia illa, quam ſummi Theologi & Antiſtites venerati ſunt. Hinc felix Carmeli cultura originem duxit. Hinc orta eſt fides conſtantiſſima, quæ miracula multa patravit. Et quidem (quod in ſplendore tanto, in tanta vitæ integritate fidem excedere videtur) A non meliora, majorave de ſeipſa Tereſia opinata eſt, quàm ſi teterrimis ſceleribus vitam fœdaſſet. Quo ſanè ſui deſpectu eximiam ſanctitatem, qua Deus animum illum excoluit, quaſi arce tutiſſima, fidiſſimaque cuſtodia ſepſit. Hoc eſt antitheton illud, quo Tereſiæ vita reſplenduit, quo nihil per ſe mirabilius, nihil Tereſiæ fructuoſius, nihil glorioſius Deo, qui res longisſimè abjunctas adeo ſapienter, adeo artificioſè connexuit.

Jam vox, jam ſenſus me deficiant æquum eſt, quandoquidem neque rerum magnitudo increſcere, neque oratio poſſe videtur excurrere. Seraphicos affectus, candidiſſimam lucem, abditiſſimam ſapientiam, excelſiſſimam contemplationem, quà potui B efferre conatus ſum. Quid ergo ſuperſit? Supereſt, ut Te nunc Tereſia colam, Te victus celſitudine tua demirer. Gaude, o Tereſia, quando nunc apertè contemplaris, quæ fauſtè prælibaſti. Summo bono, quod ardentiſſimè expetiſti, impenſiſſimè adhære. Ego verò ſublimia ſpectacula, quæ parcè laudavi ſuſpiciam, mihique ſilentium indicens victorias Tereſiæ tacitus admirabor.

ORATIO IX.

Habita An. 1610.

ANtiquitas penè omnis, PP. AA. laborum patientiam, invictamque conſtan- C tiam inter primas mortalium laudes ſummo jure recenſuit. Sive enim Hebræorum hiſtorias, ſive Græcorum Olympiadas, ſive Latinorum faſtos recolere placeat, una laborum tolerantia divinis oraculis probata, huamanis præconiis exornata, præ cæteris fortiſſimorum virorum geſtis, caput efferre, & more ſplendidiſſimi ſideris emicare videtur. Quod certè aſſertum adeò verum ac teſtatum eſt, ut non mortalium modò, verùm & numinum (Ethnicorum opinione) immortalium encomia prima in laboribus conſtanter ferendis, & patientia generoſè tuenda, ſumma conſenſione, Scriptores quoque profani poſuerint. Non enim Scipiones, & Catones tantummodo ex eo capite laudatiſſimos, ſed & commentitios deos D ſummis laboribus, ante cæleſtem dignitatem partam, glorioſè perfunctos, gymnaſia ninimè Chriſtiana ſenſerunt. Quod ſi è ſcholis illis ad unam, veram, ſolidamque Chriſtianæ Religionis ſapientiam, tamquam è ſilva ſenticoſa, horridaque ad regionem verarum virtutum, plantis fœcundam, loci amœnitate, cælique ſalubritate laudatam, ſermo, & cogitatio traducatur; liquebit omnino nihil firmum, nihil abſque laboris periclitatione ſyncerum: cum in rebus geſtis eorum, quibus honores divinos Eccleſia ſolemni ritu decrevit, nihil tam perſpicaciter ſpectetur, quàm multiplex, arduum, diuturnumque laborum experimentum: quod virtutes veras à confictis mira per- E ſpicuitate ſecernit, & omnem ſimulatæ ſanctimoniæ imaginem, ac ſuſpicionem expungit. Quocirca exiſtimo proculdubiò, clariſſimæ Virgini Tereſiæ, cujus natalis cæleſti lumine lætus affulſit, deberi à me patientiæ laudem, qua inſigniter excelluit, deberi conſtantiæ præconium, ob incredibilem in laboribus exantlandis animi magnitudinem, qua expugnatoribus urbium, ac ferarum gentium domitoribus facilè antecelluit. Cæterum geſtorum præclariſſimorum pondus, numeruſque adeo excrevit, ut hoc initio, non mihi ad corradendum dictionis argumentum, quod uberrimè Tereſia ſuggerit, ſed ad capita certa ſeligenda, & quà potero laudanda, vires cogendæ, linguaque in primis expedienda ſit. Et F quidem quod ad rerum celſitudinem ſpectat, non mihi ſolum, ſed univerſis, qui Tereſiæ ſcripta oculatè luſtrarunt, exploratum eſt, abſque præſentiſſima Dei ope, neque ratione, neque ſenſu poſſe à mortalibus æquari. Navanda tamen opera eſt, ut res planè maximas, quibus animi fortes oblectantur, juxta & incenduntur, expromam, & Tereſiæ virtus ictibus multis impetita, conſtans ſemper & vegeta, vel rudibus quoque lineis adumbrata reſplendeat.

Res mihi à maximo ducenda primordio: neque enim exiguum quippiam occurrit, tameſi omnia circumſpiciam. Cernimus profectò (neque abſque voluptate) ab exili- G bus fonticulis guttas ſenſim diſtillantes, quæ in foveam è duriſſima ſilice naturæ opere crateris inſtar excavatam incidentes, indeque in rivum confluentes, ſeſe in terræ hiatus inſinuant, & per longiſſimos anfractus commeantes, poſtquam procul admodum ab origine receſſere, inſperatum in flumen exundant. Et in hunc ferè modum plerique vitæ integritate celebres, cum tenuiter cæpiſſent, in amplitudinem viſendam increverunt. Tereſiæ verò initia grandia planè, ac mirabilia ſunt, & cum veteranorum meritis componenda.

D. Parentis Tereſię Patientia.

Primum ergo patientiæ encomium annos circiter quinquaginta procurrit. Animus quippe ille invictiſſimus toto eo temporis excurſu graviſſimis porrò morbis, acerrimiſque doloribus infeſtatus, mala innumera H fortiſſimè pertulit, & vim meritorum ſummam contraxit. Æquos hic æſtimatores appello. Multa quippe juſta trutina ponderanda, tam prolixo moleſtoque carcere complector. Angores certè ſummos recenſere poſſem, extremam capitis imbecillitatem, febres ardentiſſimas, faſtidia cibi, ac potus, vomitiones, nervorum contractiones, morbum comitialem, & iliacum, pa-

raly-

Habita An. 1610.

ralyſim, aliaſque affectiones nunc ſingulas, nunc binas, aut ternas, nunc penè omnes conglobatas, velut agmen infeſtis telis obſtinatum, quod nullas ad mortem uſque permiſit inducias. Et quidem dum hæc altè contemplor, arcem tutiſſimam fundamentis altè defoſſis conſiſtentem, millenis tormentorum curulium pilis, longa obſidione tentatam, A nec ulla ex parte labefactatam, cernere mihi videor. Conſtitit enim adeò immota Tereſia, ut in ſupremis dolorum cruciatibus, nihil de animi firmitudine remitteret; imò & ſeipſam (ſi Deo foret acceptum) ad exitum uſque ipſius mundi torqueri excelsè poſtularet. Hoc ſummis votis expetiit, divinoque conſilio ad ſummorum laborum experientiam præmaturæ morti erepta videtur. Cum enim ſub initium morborum illa natu minor in urbe natali ſua immani ſpaſmo correpta quatriduum velut exanimata jacuiſſet, extrema unctione ritu Eccleſiaſtico ad palæſtram poſtremam delibuta, ſepulchrum corpori humando effoſſum, feretrum, funebriſque apparatus expeditus B eſt, ita ut niſi quidam pulſus explorator peritiſſimus litem dirimiſſet, funeris curatores illam omninò tumulaſſent. Verùm perlapſo quatriduo, tamquam è ſomno gravi evigilans, queſta eſt, quod excitata fuiſſet; adiecitque ſe in cælis egiſſe, tartarum quoque vidiſſe, aliaque ſanè mira, quibus à ſapientiſſimis Theologis fides habetur. Etenim non ab re quis cenſeat, eò cæleſtibus illatam, tartaroque per viſum demerſam, ut ſempiternæ felicitatis amore incenſa, perpetuique cruciatus horrore territa, velut firmamentis duobus planè tutiſſimis innixa, ſucceſſuros incurſantium malorum impetus validè ſuſtineret. Oportebat quippe animum illum, tot exitialibus telis exponendum, ejuſdem armarura duplici C præmuniri.

Interim verò, dum leviter morbos graviſſimos commemoro, ſubit animum quædam laborum acceſſio propemodum incredibilis, quæ ex longis itineribus inſtaurandi Carmeli cauſſa ſuſceptis accrevit. Cum enim morbi in medio interdum viarum excurſu recrudeſcerent, ubi extrema rerum inopia, viæ aſperitas, æſtus vehemens, aut è contrario nives, imbres, multiplexque cæli inclementia agminatim ingruebant, explicari nequit, quanta, & quàm enormia mala patientiæ clypeo tecta pertulerit. Exempla plurima proferrem, niſi rerum capita potiſſima ſaltem attingenda, me ſibi D hac hora vendicarent. Unum accipite. Pervenerat Tereſia nocte quadam infauſta in hoſpitium parùm tectum, & inſtructum, labore delaſſata improbo, diro frigore, veſtibus humentibus obriguerat: & ecce paralyſis, dolor iliacus, tremores validi, affectioneſque aliæ in ſuprema ſolatii, remediive penuria confertim irrumpunt: ubi cum ejus ſocia modeſtiſſima ſpectaculo illo perculſa, ad elevandum dolorem linteolum calefactura è cubiculo prodiiſſet, procax homo neſcio quis, cujus linguam dæmon capitalis pudoris inimicus urgebat, convitia multa in candorem illum Virginis acutiſſimis dolorum ſtimulis trajectæ, inſano furore congeſſit: tantumque abeſt, ut maledictis illis aliquid de animi conſtantia, vel alacritate deceſſerit, ut iis quaſi fomentis (quod experimenta multa pervincunt) E ad leniendos, pellendoſque dolores uti videretur.

Tereſiæ patientia quomodo probata?

Optarat ſanè illa, & à Deo impensè flagitarat, ne umquam doloribus careret; votum profectò abundè expletum eſt. Quod ſi (ut providentia divina conſuevit) brevis ulla intercalaris quies accideret, ut monaſteria conderet, ac ex urbe in urbem commigrare valeret, non otio, ſed præludio quies aſſignabatur, ut graviora perferret. Sic enim Dei ſapientia tempora diſcrevit, ut vitam illam porrò mirabilem non tam otio, & labore, quàm vario laborum genere contexeret, & incrementum decremento leniret, decrementum incremento reſpenſaret. Qnin etiam decremento, & lenitate F ipſa conſtantiam illam, immiſſis ſubitaneis telis Deus exercebat. Quemadmodum Burgis, in urbe ſcilicet prænobili Hiſpaniæ, cum in torrentis tranſitu mulierculam, in anguſta ſemita inſiſtentem, comiter rogatet, loco paululum cederet, perſpectum eſt. Muliercula quippe leniter rogata adeò vehementer excanduit, ut Virginem rudi, obſoletaque veſte obſitam conſpicata, vix cum faſtu ſemitam permittens, dum tranſiret, facto impetu illam in torrentis cœnum impegerit. Quod cum Virginis Tereſiæ comites ægrè admodum tuliſſent, ſerena fronte rem illa excepit, comites ſedavit, factumque lepidè recenſere aſſuevit. Quid, quod in eadem urbe, cum in templo viris quibuſdam non adeò confeſtim loco ceſſiſſet, è veſte humili rem illi cenſentes, atque aſpernantes, G illiſis calcibus multis illam proſtrarunt, ac viam ſibi aperuerunt? Profectò mihi hæc ſæpe cogitanti ſuccurrit mos ille Orientalis Indiæ regibus receptiſsimus, ii nempe proſperæ valetudinis, vitæque longioris cupidiſsimi apparatu regio, juvenum præſertim ingenuorum comitatu ſepti, ſingulis ferè diebus manè ex aula procedunt in thermas quaſdam exercendæ palæſtræ deſtinatas, quarum pavimentum partim albario terſo nitet, partim pulvere minutiſſimo conſpergitur, in areas quaſi diſcretum. Hic rex una cum proceribus multis, vi ſumma luctatur, donec remiſsis jam lacertis H in terram à iuvenibus ſternitur. Quibus dum ignaviam joco rex exprobrat, ictibus multis hinc inde concutitur, quouſque laxatis poris in ſudorem copioſiſsimum reſolvitur, exutuſque tepefacto, ac odorato balneo in id comparato tergitur, veſtibuſque reſumptis, vegetior, & proſperæ valetudinis acceſsione alacrior, à luctatoribus ſtipatus, ſerie longa nobilium præcedente, in aulam, ſimulque in menſam laute

Regum Indiæ uſus.

Habita An. 1610.

inſtructam, appetentia urgente revertitur. Huc tetendit hæc lucta, impulſus, calceſque Tereſiæ illati, ut meliore conſilio, quàm reges illi mortales, bene pulſata, lautiſſimarum epularum convivio ab Rege immortali parato, ævo ſempiteno avidiſſimè frueretur.

Cæterùm feſtinandum eſt ad graviora certamina, quà licet perſequenda. Corporis A certè labores à me ſaltem indicatos audiſtis, quibus vigilias, inediam, verbera, ferreas catenas, & alia id genus attexere poſſem. Prætergredior tamen, ut tempori orationem attemperem.

D. Tereſia a quodam procere cui comparata?

Præclarè quidem ſe Tereſia geſſit obnoxia morbis, vexata itineribus, ut ſtrenuitati tantæ laus multa, & admiratio alta deberetur: & tamen venenatæ linguæ non plebejorum modò, ſed & patritiorum adeò acriter in Virginem onus grande molientem conjurarunt, ut dedecora multa in vulgus ſpargerent, & rem mundo ſaluberrimam detortis, ac fœdis interpretationibus invidioſam efficerent. Nunc à dæmone arre- B pta, nunc illuſa, nunc ſeductrix, & multis aliis contumelioſis nominibus, non intra privatos parietes, verùm in mediis plateis appellata, nihil de mentis ſerenitate depoſuit: ut, qui ejus puriſſimam atque integerrimam vitam noſſent, mirarentur animum totius perturbationis expertem, ſudoque cælo, quò nubila non pervehuntur, planè ſimillimum. Medinæ primores multi, & graviores patres in cœtum convocati ſunt, ut de re quadam ad Monaſterium à Tereſia conditum ſpectante conſultarent: ubi Pater quidam auctoritate inſignis, modeſtiæ immemor, multa in virginem palam, ac vehementer effutiit, eoque evaſit, ut eam cum Magdalena quadam, fœmina por- C rò leviſſima, & ſub ſanctitatis imagine, dæmonis conſuetudini, pactiſque aſſueta, quæ Hiſpaniam perturbaverat, compararet. Quod cum illa reſciſſet, profectò cum riſu rem excipiens, graviſſimum Patrem Dominicum Bannes primæ Theologicæ Cathedræ Salmanticenſis prælectorem, cui candor vitæ illius probe cognitus à ſacris confeſsionibus fuerat, rara lenitatis oſtenſione in admirationem extulit. Quid, quod cum Hiſpali bonum Virginis nomen plerique invidentiæ ſtimulis incitati, multis criminationibus teterrimis obſcuraſſent, eoque dementiæ prorupiſſent, ut ad ſenatum Cenſorum fidei innoxiam deferrent, incredibili Dei pace perfruens hilaritatem miram exhibuit? Magnum ſanè hîc incendium exarſit, gra- D ve ingruit bellum: ſed perſpecta Tereſiæ puritate reſedit: & obtrectationes, criminationeſque illas, quæ reformationi recenter natæ graviter officere poſſent, non patienter, & fortiter tantùm accepit, ſed (quod ſtupore dignum eſt) deridere conſuevit. Cum enim aliquando in cubiculi cujuſdam ingreſſu frontem januæ inopinatò illiſiſſet, audita paulò ante tetra injuria, quam vir celebris abſens illi irrogaverat, facetè ſubjunxit: Hic ſanè ictus dolet, injuria minimè dolet. Ecquid ergo de patientia illa, & animi magnitudine proferam? Parum ſanè Tereſiæ fuerat, neutiquam commoveri: decuit aſpernari. At enim nequicquam luctari videor; nam quæ in hoc ge- E nere illa glorioſè præſtitit, nequeunt oratione comprehendi, vos ipſi ex his, quæ prompſi, plurima præſagire poteritis. Ego porrò pergam recondita prodituruſ.

Ejus facetũ dictum.

Quid Abulæ a dæmone paſſa?

Tereſię fortitudo mirabilis.

Tereſiæ ſanctitas eò proceſſerat, ut eam tartarus ferre non poſſet, atque idcircò præter ea, quæ ſæviſſimus Dæmon per ſatellites ſuos, homines ſcilicet veris virtutibus infenſos, conatus fuerat, per ſe ipſum Virginis pectus adamante fortius pulſare decrevit. Abulæ ergo è ſumma ſcala choro proxima, poſt cujus aſcenſum, quaſi vertigine quadam extempore correpta fuit, deorſum à dæmone exturbata, penè mortua à ſacris Virginibus eò celerrimè occurrentibus inventa eſt. Siniſtrum brachium illiſus gravis perruperat, in quo committendo, ac ſolidando, nemo eſt qui dolores ſummos pati oportuiſſe non facilè perſpiciat, ac perhorreſcat. Neque verò pro- F pterea ferus hoſtis conquievit, ut è multis ejus conatibus patuit. Qualis ille, quo tantæ puritatis impatiens, ac furens, arrepta cerea face, tot ictibus illam contudit, ac ſugillavit, ut facie turpiter deformata ferè exanimem reliquerit. Neque ſanè miror tam efferati hoſtis impetum, ſed patientiam, fortitudinemque demiror. Tot quippe labores in unum Tereſiæ caput conferuntur, ut ſapientiſſimus Deus ad exemplum, ætate hac ſterili eam mundo propoſuiſſe videatur: & (arbitror quidem) G ut hac prorſus via regnum ſempiternum paraſſe exiſtimetur. Succurrit opportunè ritus ille barbarus quidem, ſed appoſitus, quem Europæi noſtri, dum Occiduos Indos debellarent litteris meritò conſignarunt. Percrebuerat nempe mos perantiquus, ut is regno potiretur, qui diutiùs, ac validiùs præcelſam, ponderoſamque trabem humeris ſuſtineret. Eaque apud homines veræ fortitudinis ignaros æſtimatio virium corporearum fuerat, ut ex ea homines imperio dignos cenſerent: atque ideò, qui longiùs pondus illud immane tuliſſet, ac invictus humeris excuſſiſſet, mox imperio delato gauderet. Quocirca (quæ regni ſpes, & cupiditas eſt) incredibili prodigio ad biduum, triduumque feroces Araucani ſub onere tanto invicti conſtabant. Sed Tereſiæ fortitudo major, ac mirabilior eſt, quæ, quamdiu vixit, impoſita laborum pondera H non quidem expulit, ſed validiſſime geſtavit. Tartarus, munduſque ferè univerſus mira contentione Tereſiam opprimere, illa conſtare, imbre laborum obruere, nitebatur, illa emergere viſa eſt.

Verùm majora, & graviora multa pondera ſuccedunt, quæ, niſi prodigio quodam patientiæ, perferre non potuit. Non ſanè jam mundus, tartaruſve congreditur, ſed

(quod miremini) Deus ipſe, animum excelſum gloria cumulaturus, Tereſiam telis è cælo intortis percellere, experirique pergit. Cum enim noſſet, quid conſtantiæ intra pectoris illius anguſtias condidiſſet, fidenter illud quatere, cædereque conſtituit: quod è ſubjecto diſcrimine cernitur. Mos A divinæ ſapientiæ conſentaneus eſt, animos in amicitiæ fœdus, è cœno culparum erutos, ſub curſus primordium indulgenter habere, ac multis blandimentis delinire: ne viæ ſublimis arduitate deterriti ab incœpto reſiliant. Tenella videlicet plantaria leniter alluenda, alendaque ſunt, donec radicibus altè fixis coaleſcant. Tereſiam verò, ut quæ inde cœpiſſe videatur, quo vix alii confecto curſu pertingunt, auſterè adeò Deus venientem excepit, ut per annos circiter viginti, perquàm rarò ullam ſolatii guttam inſtillaverit. Agebat illa ſtrenuè, omnia urgebat, legitimè certabat: cum tamen inclementi cælo adverſis fulminibus tacta nihil lætum, nihil jucundum acciperet. Videbatur certè terram infœcundam B colere, & ſemente diligenter, ac tempeſtivè ſparſa, nihil præter gramina, & aculeatas herbas labore ſummo demetere. Summe Deus, quàm gravis affectio ſubit aliis non adeò generosè dimicantibus, quantus mœror è brevi experimento ariditatis incumbit! Suboritur immenſus dolor, ſuccreſcit importuna pœnitudo, erumpunt acres querimoniæ, quod molliter non exerceantur, & infantium more lactentur. At nihil ejuſmodi in candidis Tereſiæ factis nigricat, nihil abjectum deprehenditur. Quod ſi laboris hujus magnitudinem æſtimare velitis, non dubium, quin ſummæ laudi tam prolixam derelictionem aſcribatis. Quis enim non attonitus hæreat, cum Virginem amplis opibus, honoribus, ac voluptatibus C neglectis, mundo nuntium remittentem, & victis ſupremis difficultatibus annos viginti inculpatè agentem, Deo fidiſſimè obtemperantem, neque tamen ſereno cælo fruentem intueatur? Profectò juxta militarem diſciplinam, miraculo vertitur, fortem invenire virum, qui cum in horas ſingulas Imperatori gnaviter pareat, & glorioſè occumbere ad ſingula belli ſigna cogitet, vix teſſeram hoſpitalem accipere, vix ullum benevolentiæ ſignum cernere valeat. Sed enim Tereſiæ virtus exempla non tam requirit, quàm præbet: eoque major videatur neceſſe eſt, quò rarius ſimile quippiam in aliis eluceſcit. Nimirum, ut una Tereſia ſingulari fortitudine præſtaret, objecerat ei Deus viſum planè mirandum, ubi D tamquam in tabula egregiè picta ſuæ patientiæ, atque conſtantiæ magnitudinem perſpicere poſſet. In campo latè patenti agmine gentis armatæ atque ferocis cingi ſibi viſa eſt, ubi nonnulli lanceis, alii prælongis enſibus, alii ſicis eam multiplici vulnere ſauciabant, omnes illam ictibus expoſitam circumſiſtebant, neque aderat ullus, qui commiſeratione flexus eam tueretur. Quod certè ſpectrum rei exitus comprobavit.

Tyrones indulgenter a Deo habiti.

Agite verò, & mecum in altiora contendite. Etenim poſtquam diſcuſſa tot animorum caligine, Deus præſentiſſimus adeſſe, blandirique cœpit, non illam deſidia torpentem, vel internis ſolatiis adeò abſorptam E vitam degere paſſus eſt, ut eam laboribus, ac doloribus immiſſis periclitaretur: quin potiùs inter gaudia ipſa uberrimè fluentia, penitiſſimum acutiſſimi doloris ſenſum intulit, quo illa notitiam torturæ, qua animæ à corpore ſeparatæ expiantur, ſanè miram peperit, & ſolitas pœnas vitæ mortalis exceſſit. Sic enim Deus ſolatia pœnaſque connexuit, ut ad cæleſte magiſterium Tereſiam promoveret, & ad internoſcendos affectus arcanos erudiret. At quis hæc, niſi Tereſia capiat? Quænam ſchola à communi mortalium ſenſu adeo diſſita, ut hæc? Num potuit animus ille cuſtodiis corporis circumſeptus, animarum corpore exutarum ſenſum percipere? Noſtis certè ſcriptores prophanos multa de tartareis F pœnis commenta elegantiùs, quàm veriùs conſcripſiſſe; quibus & ipſimet Orthodoxi meliore conſilio, quàm auctores illi parum ſapientes utuntur, ad ſupplicia tremenda Chriſtiano ſenſu contemplanda. Cæterùm quid hæc contemplatio laudis mereatur, ſi cum ſenſu illo inſolito divinitus Tereſiæ impreſſo comparetur? Conſilium quippe Dei fuit, ut non ſpecularetur modò, verùm & afficeretur; quod eſt inter encomia patientiæ maxima recenſendum. O invictiſſimum pectus, o conſtantia immortali laude digniſſima! Non videtur ſanè Tereſiæ periclitatio ulterius excurrere potuiſſe. Et ego certè poſſem hîc columnam ſtatuere, more illorum, qui longiſſimos terrarum, mariſve tractus emenſi, cum jam induſtriam G, & magnanimitatem procurrere non valere ſenſerunt, excitato monumento atque inſcripto remeare conſtituunt. At hîc multa ſupprimere cogor, quæ & arcana profectò, & ſenſu potiùs, quàm oratione ponderanda videntur.

Illud tamen decus occulere nequeo, quod è rerum maximarum, quas protuli, obſervatione conſurgit. Virtutes ſcilicet omnes, quas ampliſſimi Eccleſiæ Patres, & clariſſima mundi lumina, ſupra omnem Philoſophorum apparatum laudibus extulerunt, in Tereſia inſigniter lucere, & puriſſimi ſplendoris radios in orbem univerſum effundere; eas verò præſertim virtutes eminere, quæ animi celſitudinem, & ſtatum planè virilem oſtendunt, ut cum Tereſia togata H incederet, militari diſciplina non vulgariter exculta, & ad omnes patientiæ, conſtantiæ, fortitudinis actus expedita videretur.

Occurrunt mihi penè peroranti Numidarum (quorum in celeritate, corporiſque motu laus præcipua fuit) exercitia certè mira, vel recentiora illa Jalophorum Æthiopum; qui tanta membrorum dexteritate, robo-

Habita An. 1610.

boreque laudantur, ut equorum incitatiſſimorum ephippiis, nulla curſus intermiſſione, recti inſiſtant, corpus circumagant, tum repentè inſideant, diſpoſitoſque humi lapillos ad unum in media curſus celeritate colligant, dum momento deſiliunt, atque reſiliunt. Intuemini Tereſiam mirabili agilitate Hiſpaniam obeuntem, robore invicto A monſtra mundi, tartarique domantem, immortali ingenio illo ad omnem virtutis actum celerem, providam, intrepidam, conſtantem, ac demum officia omnia patientiæ, ac magnanimitatis explentem. Non illam fregere morbi, non compedivit ariditas; non ceſſit mundo, non timuit probra; nihil grande, nihil ſanctum intentatum reliquit. Quocirca Tereſiæ nomen, cui terrarum orbis nimis anguſtus videbatur, cælo illatum, & ad ſempiternum decus inſcriptum eſt.

Quid ergo nunc promam? quo me vertam? Ad te ſupremo conſilio me Tereſia vertam, & magnitudinem ac excelſitatem virtutum heroicarum, quibus orbem illuſtraſti, tibi gratulabor. Fauſtè, o Virgo clariſſima, B cœpiſti, feliciter progreſſa es, glorioſè perfeciſti. Pro patientia in adverſis perferendis, pro fortitudine in periculis aggrediendis, pro perſeverantia in grandibus cœptis abſolvendis, tibi laus ſumma, & admiratio ſumma debetur. Tot Oratores diſertiſſimos nacta es, quot libros divina ſapientia plenos exaraſti, quot monaſteria condidiſti, quot miracula patraſti, quot poſteros virgineo partu edidiſti. Gloria ergo immenſa, quam tot linguæ cæleſti lepore perfuſæ decantant, jam cælo illata perfruere. Ego verò gloriæ magnitudine oppreſſum, loco cedam, & Tereſiæ triumphos non ambitu elephantorum, aut leonum C currum trahentium actos, ſed cæleſtium virtutum majeſtate conſpicuos, alto ſilentio celebrabo.

ORATIO X.

Habita An. 1611.

RES omninò duæ (PP. Illuſtriſſimi) clariſſimos quoque Oratores deterrere, ac propemodum exanimare ſolent, & Auditorum majeſtas, & Argumenti ſublimitas. Illa timorem incutit, peneque opprimit: hæc aciem ingenii ſupergreditur, & quaſi nebulam quamdam oculis ſtupentibus offundit. Et quidem utraque de cauſa mihi D timendum, niſi ex adjunctis rebus animus erigeretur meus, excuſſoque timore ſpem ſanè grandem, roburque conciperet. Coram Principibus auguſta dignitate orbe toto conſpicuis mihi dicendum fateor; at gravitas illa comitate multa temperatur, ut non ab re utar effato illo: Cæſar, qui coram te dicere audent, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem. De Tereſiæ Charitate mihi dicendum fateor; ſed ipſa rei celſitudo ſuaviſſimo decore permixta non terret magis, quàm allicit. Nimirum non excelſior, quàm pulchrior eſt; bonique conſulendum, ſi ut immortalis hominis animus, ita & lingua ejus interpres, eximia, & ardua quæque honeſti amore ſectetur. Accedit huc religio, quæ ſilentii clauſtra perrumpit: pietas quippe ipſa vel torpentes animos alacritate mira E excitat, urgetque ad cæleſtes divinæ Charitatis opes, candidiſſimamque lucem, qua Tereſia noſtra reſplenduit, præconio multiplici efferendam. Inſtituenti autem mihi de nobiliſſimæ virtutis ingenio verba depromere, ſuccurrit forma illa porrò elegantiſſima, virtutum facilè princeps ac domina; quæ virgineo quodam partu geminum amorem, tamquam uterinos fratres, individuo fœdere ſociatos, nexoſque producit. Quocirca generis origo mihi petenda eſt, licèt in amorem, quo Tereſia erga hominum ſalutem conflagravit, procumbat oratio. Neque enim via ulla planior, aut commodior ad vim Charitatis in homines prodendam, quàm ejuſdem ingenuæ virtutis F vis in Deum intentæ, ſi Auditorum animis altè imprimatur. Et in hunc ſanè modum, utrumque Charitatis pondus pro captu meo idoneis æſtimatoribus velut ſpectandum exhibebo, æquis bilancibus impoſitum, atque perpenſum. At ſumme Deus, ecquis valeat divini amoris vim, ignemque, qui Tereſiam ad purum excoxit, eloqui? Ergone immenſum pondus poterit certis verborum momentis expendi? An poſſim vaſtiſſimi maris aquas anguſto vaſe concludere?

Oceani Indiani monſtra.

Tradunt naturalis hiſtoriæ ſcriptores, in Oceano Indico cetos immanes, qui procul intuentibus inſularum ſpecie, viſenda magnitudine G imponunt, ad ſummas enatare aquas, & velut proceriſſimos gigantes, mariſque reges erecto collo omnia circumſpicere, impetuque tremendo, naves interdum totas vectoribus, ac theſauris onuſtas prodigioſè demergere. Hæc ſubit imago mihi, per Charitatis immenſitatem, velut per mare latiſſimè fuſum, vela orationis explicanti. Ingruit Amoris divini incredibilis magnitudo, amoris, inquam, illius, qui excelſitate omnia proculdubiò vincit, & diſertiſſimorum Oratorum ingenia attonita, & ſtupentia imperioſè proſternit. Quapropter hic, ſi uſpiam, ab incœpto deſiſterem, niſi vinci mallem. Ergo, quà licet, qualis fuerit primogenitus charitatis partus, amor videlicet divinæ bonitatis, ac pulchritudinis, H qui Tereſiæ pectori altiùs inſedit, ex his, quæ ſubtexo, coniicite.

Primogenitus caritatis partus, qualis?

Habet hoc planè ingenuus amor, ut animum, quem ſemel afficit, efficaciſſimè trahat, & rerum quoque maximarum contemptorem efficiat; quod & ſacris, & prophanis hiſtoriis vulgatiſſimum eſt. Ex quo enim forma placuit, animoque arctiùs adhæſit, cæterorum bonorum deſpectum inducit, ut minimè mirum accidat, ſi vel corporeæ pulchritudinis amor, & urbibus florentiſſimis excidium, & Rebus publicis interitum attulerit. Viſum quippe mortalibus par profectò eſt, pro aſpectabili corporum forma, & bella periculoſiſſima gerere, & cum vitæ neglectu grandia quæque moliri. Neque verò Poetas dumtaxat ſententiæ hujus aſſertores in bello aliquo Trojano, verùm & innumeros alios admiratores poſſem accire. Quid, quod Ethnici ſcriptores Deos illos ſuos commentitios pellicum venuſtate captos, rerumque cæleſtium oblitos graphicè pingunt, quod ex uno pro pluribus liquet Homero? Hæc formæ corporatæ efficacitas, quæ numina illa permulcere, ac devincire poſſe, mortalibus viſa eſt. Error enormis: at is error, ad perveſtigandam veritatem, viam mihi rectam aperiet. Norunt ſapientes viri, qui Tereſiæ ſcripta explorarunt, quàm ſublimem, ac facilè cæleſtem divinæ pulchritudinis notitiam puriſſima contemplatione nacta fuerit. Res profectò mira, quæ tametſi vera, ſilentio potiùs, quàm verbis æſtimanda eſt, cum eloquentiam, ſenſumque tranſiliat. Quale ergo amoris incendium in Tereſiæ animo excitaſſe credatur tam luculenter, ac frequenter agnita Divinitas, ſi carneus decor, & homines, & confictos deos dementare potuiſſe creditus eſt? Senſit perſæpe, ac penitus Tereſia invictiſſimam divini amoris energiam, cum ad loca contemplationi deſtinata, ſe tamquam funibus nauticis religatam, vi ſanè validiſſima pertrahi ſibi videretur, quod ab ipſa ſcripto conſignatum, & memoriæ proditum eſt. Eò quippe acceſſerat defœcatiſſimus, licèt impotens, affectus, ut ſibi temperare nequiret, & præ divinæ conſuetudinis voto, univerſa bona, honorifica, utilia, delectabilia excelsè aſpernaretur. Et ſanè à primævo adoleſcentiæ flore ſatis portendit, quoſnam progreſſus in Charitatis gymnaſio eſſet factura. Cum enim honores, oblectamenta, opes affluerent, & à mundo impensè expeteretur, omnia divini amoris obſtacula virili auſu depulſura, captata mundi ſpernendi hora, in ſacram ædem, inſalutato parente, ſe fuga proripuit. Qui autem fieret, ut invito patre, deluſaque mundi ſpe clam erumperet, niſi amor alius naturali fortior, & generoſior animum illum conſtantiſſimum armaſſet? Verùm hic pietatis orſus, qui provectos alios expleret, ipſi Tereſiæ perexiguus viſus eſt, indeque auſpicari potuit, ubi alii velociſſimi curſores metam figunt, & fatigati curſum abſolvunt. Progreſſiones nunc amoris adiiciam.

Traſverberatio cordis D. Tereſiæ notata.

Cœpit Amor ille grandis varia periclitatione probatus, divina conſuetudine gliſcere, & more ignis olei inſperſione invaleſcentis vires acquirere. Cujus irritamenta fuere crebra ſpectra cælitus objecta; quale illud ſingulare, Angeli è cælo miſſi aureo jaculo viſcera Tereſiæ percellentis, & fruſta diſcerpta ſummo ſpiculo hærentia revellentis. Quouſque, rogo, incitamento illo amor per ſe ſatis incitatus increvit? Quid autem de Chriſti corpore incredibili pulchritudine prædito ſeſe per partes perhumaniter oſtentante cenſendum? Modò manus candore ruboreque permixto lucentes; modò corpus integrum lectiſsima forma, decoris, & majeſtatis plena, caſtiſsimis Tereſiæ obtutibus Chriſtus expoſuit, & animum Charitate jampridem ſaucium integritatis telis, vulneribuſque trajecit. Quale, obſecro, quàm acre, quàm immenſum calcar currenti amori Tereſiæ hiſce prærogativis Chriſtus adſtrinxit? Quod ſi ad arcana illa, quibus non ſcrutinium, ſed religio multa debetur, mentem extollamus, credo equidem amorem illum divinis oraculis laceſſitum, incrementa mirabilia peperiſſe: ut mirum videatur, quo pacto tam longè vitam prorogarit, & vim illam ſubtiliſſimam ad octavum, & ſexageſimum uſque annum ferre valuerit. Quomodo vorax flamma illa toties irritata, quæ oſſa ipſa, medullaſque pervaſit, animam à corpore neutiquam ſecrevit? Quomodo agonem adeò prolixum fragilis natura ſuſtinuit? Etenim exclamationes illæ, quæ inter ipſius ſcripta lectitantur, animum ægrum, graviterque affectum, vitæ mortalis tædio delaſſatum, & amoris imperio ſuccumbentem exprimunt; ut creditum ſit, Tereſiæ animam non tam ex morbo, quàm ex amoris æſtu à corpore divulſam; quod ipſa poſt obitum ſeriò tandem revelavit. Cum enim morti proxima in latus incubuiſſet, & per horas propè quatuordecim immota, & contemplatione cæleſti ſuſpenſa permanſiſſet, amor vehementiùs, quàm dici queat, efferbuit, & Seraphicam animam illam immenſis ardoribus æſtuantem, è corporis retinaculis excuſſit. Amor excreverat, natura ſuccubuit. En quò pertigit divinæ Charitatis fœtus ille primogenitus! Mirum ſanè, ac fide planè dignum! Solent paucæ, ac exiguæ aquarum è præruptis ſcopulis diſtillantium guttæ, ſinuoſis terræ anfractibus exceptæ, paulatimque labentes, poſt longum terrarum tractum in flumina concreſcere, rapidè, ac violenter erumpere, & obvias arbores imis radicibus defixas ſuis è ſedibus validè convellere: quod ſi aquarum origo exuberet, brevi profectò intervallo, ſeſe in oſtia fundunt, & facto impetu munitiſſimas interdum arces evertunt. Hæc amoris Tereſiæ perelegans, licèt impar, imago eſt. Primordia quippe illa Charitatis, quæ aliis veteranis congruerent, eò per longos labores & patientiæ tractus concrevere, ut naturæ vires attriverint, & vitæ trophæum in Tereſiæ funere amor demum erexerit; Phœnicis more, incendio amoris interiit.

D. Tereſiæ obitus amoris effectus.

Jam ergo cum perſpectum ſit, qua menſura Charitatis quis Deum proſequitur, eadem proximos amplecti; nemo ſanè ita rudis, & mentis inops erit, qui ex iis, quæ prompſi, charitatem quamdam erga homines Apoſtolicam ſibi minimè perſuadeat. Labor hic mihi non levis, in habendo argu-

Habita An. 1611.

gumentorum delectu: ſed ut à conditæ gentis propoſito rem tantam ducam, quid ponderis amor ſalutis hominum in animo Tereſiæ habuerit, penſitandum. Optarat illa ab ineunte quidem ætate martyrium; nec optarat modò, ſed ſupra ætatem, occaſionem meditata, & rem adorta fuerat: nam puella ſeptennis domo, patria, modico cum viatico A Martyrii votum. excedens, in Africam traiicere cogitarat, necem ſubitura: qui certè conatus, & auſus, pietatis prodigium bonis cenſoribus videatur neceſſe eſt. Qua enim arte puella tenerrima rem tantam aggredi valuit? Tentavit ſanè rem ut potuit, atque in optato ipſo ad ſenectutem indefeſſa permanſit: verùm ex quo ſalutem animarum æſtimare novit, ſceleſtorum hominum reſipiſcentiam, ſempiternamque ſalutem impenſiùs, quàm martyrium expetiit. Quamobrem iis, quos ipſa noverat perditorum hominum remedio operam ſedulò navare, ſortem invidebat, ejuſmodi laboris, ſi ſexus ferret, cupidiſſima; ſed quid ageret? quò ſe verteret? B ſexus obſtabat, vota coaleſcere pergebant. Neque defuere pinguia ſatis votorum fomenta, quibus ignis tantus nutriretur, flammaque in cælum tolleret. Veneratur nuper ex India Occidua vir quidam pius, qui cum innumera hominum barbarorum æterno interitu pereuntium millia Tereſiæ dolens retuliſſet, mœſtiſſimo nuntio illam perculit. Cui anxiæ, ac vehementiùs, quàm dici queat, obſecranti, Chriſtus, ad cujus pedes ſe abiecerat, acerrimum dolorem leniturus humaniſſimè reſpondit; expectaret tantillum, viſuram ſe res planè miras. Quorum certè verborum ſenſum per omnia quadrantem aperuit, probavitque exitus paulò poſt ſubſecutus, conditæ gentis candidatæ, quæ juxta Tereſiæ votum, non ad ſectarios Catholicis regnis adiacentes tantùm, ſed C ad remotiſſimos barbaros eſſet profectura, ut denſas perfidiæ tenebras candidiſſima fidei luce diſcuteret. Quapropter Carmeli reſtitutio, & tot virorum, ſaluti proximorum ſeipſos devoventium, fortitudo ardentiſſimæ Charitati, qua Tereſia æſtuavit, uti partus parente tanta dignus, adſcribenda eſt: ut vel ex hoc uno argumento liqueat, quouſque ſalutis mortalium amor caput extulerit, qui precatione una tot agmina militum in eximium charitatis opus conſpirantium, impetravit.

At enim ne quid ad tantæ virtutis culturam deſiderari poſſet, quid egerit cum ſacris virginibus, quas ante viros inſtituerat, propalabo. Inventum certè piiſſimum, Eccleſiæque univerſæ ſaluberrimum. D Decrevit, imperavitque Tereſia, ut quidquid virgines illæ vitæ ſanctimonia inſignes actitarent, vota, preces, labores, in ſcopum Charitatis dirigerent; ut concionatoribus, qui ſpiritu cæleſti afflati errantium reſipiſcentiæ vacarent, Deus præſentiſſimus adeſſet, clementiaque divina iis, qui ab Eccleſiæ caſtris defecerant, vel qui necdum nomina dederant, parceret, auctioreque proinde numero militia Chriſtiana cenſeretur, neque tot prædis ſæviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis inſoleſceret. Expendite modò, quàm foret ſublimis, quàm integra Tereſiæ Charitas, quæ vel in monaſteriis benè ſeptis, ferroque prætextis, animos multos concivit, recenſuit, armavit, & operi Apoſtolicæ Charitatis addixit. Tereſiæ caritas, qualis? Potuitne ulterius E procurrere ſtudium Charitatis? Porrò inventum hoc virile fuit, neque à Virgine ægra, clauſaque excogitari potuit, niſi virilem animum geſſiſſet. Verùm non hîc ſubſtitit animus ille conſtantiſſimus, neque ſinceræ Charitati ſat fuit optare, affectare, precibus inſiſtere, niſi è clauſtro prodiret, & labores exantlaret plurimos, ſalutis hominum gratia, quod Hiſpania tota, Tereſiæ monumenta contemplata miratur. Inedia, vigiliæ, frigora, nives, æſtus, itinera, locupletes Charitatis Tereſiæ teſtes ſunt. Quod non adorta eſt illa, ut eos, à quibus conveniebatur, vel habebat obvios, Deo conciliaret? quas preces non fudit? quibus F ſe innoxiam verberibus non afflixit?

Sanè, dum Tereſiæ Charitatem contemplor, cernere mihi videor arborum pulcherrimam, ac inſitorum ramorem latè parentium ambitu peramplam, quales in regiis hortis, cælo propitio, pingui ſolo, cultura multa proveniunt: quarum aſpectus mirificè intuentes oblectat, poſtquam flores erupere, fructuſque variæ formæ, atque coloris tempeſtivè concreti naturæ opificio maturuere. Hæc effigies Charitatis Tereſiæ, quæ una cum eſſet, inſitione cæleſti, varios è caudice uno diſcretarum virtutum quaſi ramos protulit, quos percenſere nimis prolixum foret. E ſtirpe profectò illa prodiit invicta laborum patientia, quæ neque graviſſimis morbis, neque internis præliis, neque externis adverſantis mundi G infeſtationibus è faſtigio ſuo deturbari potuit: quæ, ut ſaluti hominum conſuleret, omnia pertulit, immotaque permanſit, & velut incus malleorum ictibus retuſa reſplenduit. Hoc proprium adultæ Charitatis examen, quod ſiniſtras opiniones, ac interpretationes excluſit. Eadem fuit origo manſuetudinis illius, nihil unquam de animi tranquillitate remittentis, tametſi graviſſimis injuriis impeteretur. Conſtitit quippe cælo ſereno quàm ſimillima inter acrium irriſionum, & aculeatorum verborum ſtrepitus, ne opus, quod in ſalutem mortalium collimarat, vel cœptum deſereret, vel non feliciter abſolveret. Idem fuit genus Apoſtolicæ paupertatis, quæ in Tereſiæ actibus enituit: quæ nihil remorata eſt reformandi Carmeli opus H inchoatum, ſpe firmiſſima divinæ providentiæ ſubnixum, quod ad plurimorum ſalutem, ac coronidem crevit.

At quò feror? Cur caput unum, alterumve leviter attingo? cum pateat, quidquid Tereſia in Carmeli renaſcentis labore patravit, ad opus Charitatis, in ſalutem communem intentæ pertinere. Etenim vitæ genus, ſive inſtitutum, quod condidit, contem-

Ejus ſuavis agendi modus.

templatione, actioneque pia in Reipublicæ bonum directa, ita connexum eſt, ut quod ejus profeſſores contemplando hauriunt; charitatis ſulco in populos, velut in horti amœniſſimi areas, actione pia derivent: qui certè vitæ contextus ſummorum Theologorum conſenſione perfectiſſimus eſt. Huc ſpectat modus ille cum hominibus agendi, ſuavitate multa perfuſus, quem Tereſia & A per ſeipſam exercuit, & docuit, quo charitas coaleſcit, capitque, ac flectit averſos animos, quo nihil ei fuit antiquius. Nihil Tereſiæ lætius, quàm ſceleſtorum hominum reſtituta ſalus; ut ſenſu penitiſſimo vim lacrymarum profunderet, ſi quem inſignem concionatorem, efficaci hortatu pœnitentiam perſuadere ſolitum, è vita migraſſe reſciret. Nihil ei acerbius, quàm Catholicorum perverſio, qualis ea, quam ex recenti Lutheri perfidia audivit; cujus ſenſu mirum, quomodo non animam exhalarit. Verumtamen à præmatura morte ſervanda fuit, ut partu intemerato viros procrearet, B ac inſtrueret, qui pro Eccleſiæ regno cum agminibus perduellis illius congredi valerent. Neque ab re conjecturo, Tereſiam biennio antequam Lutherus in Eccleſiam rebellaret, fauſto natali orbi terrarum affulſiſſe; ut quod vir inſanus, & turpis fœdaret, expiaret Virgo una prudentiſſima, planeque puriſſima; vel certè quantum ille detereret, tantum hæc reponeret, quod non tam gentis numero, quàm ſanctitatis pondere à viris ſapientibus æſtimatum eſt.

Quid verò de diſciplina exercendæ charitatis, quam inter ſuos inſtituit, attexam? Nimirùm excelſæ charitatis opus eſt, non perditos modò è tartari faucibus eripere, C ſed pios quoque perficere, ac expolire. Quod cum Tereſia exactè noſſet, exemplo, legibus, & monitis ita gentem ſuam inſtruxit, ut auſteritatem vitæ monaſticæ dulciſſimo mutuæ charitatis melle condiret. Quocirca officia, obſequiaque ſic temperavit, atque diſcrevit, ut quidquid in monaſteriis cogitatur & expeditur, ad mellificium charitatis artificioſè redigeret. Pias quaſdam apes nuncupare decet Tereſiæ prolem: quæ in colonias tamquam in examina multa diducitur, cœnobiorum alvearia conſtruit; conſtructa intus quaſi picat, beneque conſtipat, ne qua beſtiola noxii affectus per rimas irrepat, cellas aptè diſcretas fingit, & qui laboris ſcopus eſt, è concerptis, ac delibatis virtutum floſculis mel D conficit, & favos explet. Mirandum ſanè apicularum opificium, ubi labor omnis dulcore penſatur. Porrò ſi receſſum, ſilentium, quotidiana penſa, & cætera diſciplinæ cœnobiticæ capita quis meditetur, ſubit laborum congeries: at verò ſi animos divinæ contemplationi deditiſſimos, ſi reciproca certantes charitate, ſi ad aliorum angores elevandos expeditos, ſi verba ſuaviſſimè facta, ſi obſequia die noctuque alternè impenſa mente recolat, nectar cæleſte ſuccurret, quod è Tereſiæ fonte duxit originem, ac perenniter in poſteros influit. Experitur, demiraturque veritatem hanc cœtus Tereſiæ charitate ſociatus, qui contendens per arduam diſciplinæ monaſticæ viam in pacis fœdus, & ad incognitam mundo voluptatem aſpirat.

Tereſiæ inſtitutionem prænobilem quamdam, ſatiſque adultam palmam appello. E Palma ſcilicet procero ſtipite, ſed ſcabro, & in pollices ſquamarum more compactos coeunte conſurgit: mox in comam lenem funditur, fructuſque ſuaviſſimos racemorum inſtar pendentes edit: ſic nempe Tereſiæ ſchola, etſi aſperiore primùm aſpectu horreat exercitiis auſteris, quæ illa invenit, prudenterque diſpoſuit; palma tamen eſt, cujus faſtigium lene charitatis fructus planè dulciſſimos refundit, ut qui eis veſcitur, in dies evadat vegetior, atque conſtantior.

Hactenus quidem de iis, quæ erga viventes Tereſiæ charitas præſtitit, ſermo habitus eſt; at non proinde cenſendum, & ad F vita functos minime ſuas exeruiſſe vires; animas videlicet, quæ igne purgatorio expiantur, adeò juvit, ut piiſſimus affectus ille dicendo ſatis exprimi nequeat. Cujus illud extat exemplum inſigne, quod in monaſterio Valliſoletano recens condito accidit. Largitus fuerat vir perilluſtris locum ſacrarum Virginum domicilio conſecrandum, initoque pacto, paulò poſt correptus inopinato morbo, qui vel ſacræ confeſſioni tempus nequaquam permiſit, ſummo cum angore defungitur. Aberat Tereſia, ſed per viſum de interitu viri monetur, qui tametſi Sacramentorum expers, ope divina ſeriam culparum pœnitudinem in ſupremo illo a- G gone conceperat, & reſiduas pœnas luiturus tremendo ſupplicio torquebatur. Oraculo ergo illo, de hominis ſtatu Tereſia prius anxia, cum accepiſſet ſalutis nuntium, ſummopere gaviſa, cruciatum tamen acerbiſſimum commiſerata eſt, didicitque à Chriſto, animam illam è tormento minimè liberandam, donec in monaſterio dedicando primum ad aras offerretur ſacrificium. Quocirca curis aliis ablegatis in opus hoc adeò vehementer incubuit, ut vix unquam requieſceret, horæque ſingulæ in annos verterentur, cum temporis momenta, animæque patientis torturam ſanè horrendam identidem recoleret, atque perpenderet. Maturat ergo rem, urget, inſtat, materiaque ædificii quàm celerrimè potuit congeſta, H tumultuarieque digeſta, dum primum altaris ſacrificium ritè immolatur, ecce anima pœnis abſoluta, formoſiſſimo ſplendore reſperſa, Tereſiæ, quæ ſacrificio intererat, pro feſtinato labore grates rependit immenſas, & ævo ſempiterno fruitura ſeſe in cælum attollit. Quid hîc de hiſtoriæ hujus ſenſu depromam? Silebo, quod effari nequeo. Et profectò genus hoc egregiæ charitatis in alios plurimos exercitum è ſcriptis Tereſiæ liquet, quàm fuerit encomio di-

D. Tereſiæ caritas erga animas in purpuratorio exiſtentes.

Habita
An. 1611.

gnum, ut opus non ſit de re teſtatiſſima verboſè dicam.

Nihil prætermiſit, nihil intentatum reliquit Charitas illa, quæ porrectis brachiis mundum certè univerſum complexa eſt, neque locis ullis quantumvis amplis potuit circumſcribi. Charitatem hanc meritis, & he- A roicis facinoribus fœcundiſſimam tartarus exhorruit, orbis terrarum coluit, cælum commendavit. Quibus exiſtimatis oculis Rex immortalis Chriſtus intueretur Virginem illam inter labores ſummos divina Charitate flagrantem, & irrogatis injuriis, gravibuſque contumeliis animum mitem, ſerenam frontem, verba lenia rependentem? Charitas tunc eminet altiùs, cum ſe in animos inimicorum inſinuat, læſa ignoſcit; benevolentiam pro invidentia & impugnatione refert. Poſſem certè hujus generis exempla plura ſubiicere: at unum illud minimè reticebo, quod memoriæ deberet inſculpi. Dum iter faceret Tereſia præter Cœnobium virorum, à quibus acriter carpi, & vituperari ſe cognoverat, eò extra viam B divertit. Obſtupuere viri virginem ſibi inviſam illuc acceſſiſſe, neque ullus eam ad colloqium dignabatur admittere. Morum tamen ſuavitate, verborumque dulcedine adeò inſtitit, ut cum diſcedere nollet, niſi verbis ultro citroque habitis, à viris illis ægrè tandem verba impetrarit. Ubi (mirum dictu) brevi ſermone, ſed lepidiſſimo adeo pectora mollivit, ut qui paulò minùs cum accederet, oſtia templi oppilarant, cum recederet, longa ſerie illam benevolentiſſimè deducerent, diſceſſum dolerent, animoſque mutarent, Charitate Tereſiæ deliniti. Quænam mutatio hæc? Rara ſanè aliis, at Tereſiæ familiaris. Fuit nempe familiare, graviſſimos viros, apud quos malè audierat, vel etiam à quibus vellicabatur C maledictis fidenter convenire, cum ſupercilio excipi, ſed humaniſſimè dimitti, ut quos patiebatur infenſos, à primo congreſſu fidiſſimos aſſertores haberet. Sic illa porrò invicta Charitas, dum livore, ac maledicentia tangeretur, fiebat illuſtrior.

Claruit olim Tyrus purpuræ tinctura, ſed laus prima fuit in ſucco, ſanieve illa, quam purpura ſpirans adhuc, ſed contuſa fundebat. Hæc eſt laudatiſſima Charitatis Tereſiæ perfectio, quæ, quò lædebatur magis, eò ſplendidius elucebat. Hac veſte porrò regia Tereſia jam purpurata progreditur. Hæc Tereſiæ lux, quæ ab urbe Hiſpaniæ natali, ad ultimas orbis oras illæſo candore perfertur.

Vox me deficiet, ſi Charitatis, qua Virgo D hæc clariſſima efferbuit, præconia velim pertexere. Fuerit ſatis indicaſſe potiſſima capita, non expreſſiſſe, verùm adumbraſſe. Ecquis enim exprimat, quod nec cogitando quidem valet æquare? Miror abſolutiſſimam Tereſiæ virtutem: provectiſſimam vitæ ſanctitatem extollo. Charitatem illam, quæ jam ſatis matura ſponte dehiſcens mortales univerſos ambitu ſuo complexa eſt, obſtupeſco: perſimilemque appello punico malo, ob regium ingenium à natura coronato, ſub cujus cortice dirupto rubentia, & quaſi fœdere nativo herentia grana concreſcunt.

Concedendum hîc Charitatis amplitudini, concedendum majeſtati, concedendum E celſitudini. Togatas virgines, togatos viros laudatores habet, qurum rebus geſtis prodit ſe virtus illa inclyta, cælo excelſior, ſideribus illuſtrior, quæ Tereſiæ fabricam, uti fornix à peritiſſimo architecto ſupremum ſtructuræ decorem elegantiſſimè flexus honeſtat. Charitas Tereſiam erexit, ut in mundi totius conſpectum generosè procederet, ut ſexum imbecillem fortiter vinceret, ut Rempublicam conderet, ut plurimos in gratiæ divinæ libertatem aſſereret, ut Eccleſiam cæleſti lumine decoraret. Quid ultra expetendum? Nihil ſanè, ſed ſtupendum, ac in vota ceſſandum.

Age Tereſia, ſempiternæ charitatis voluptate perfruere. Obluctantem mundum charitate ſuperaſti: in cælum triumpho cha- F ritatis acto, penetraſti. Tibi cœtus hic annua juſta, votorum feraciſſima perſolvit. Ego verò clariſſimæ Virginis ſublimitate victus, tacituſque recedo.

ORATIO XI.

Habita
An. 1612.

Divinarum rerum dignitas, & majeſtas ea eſt, PP. AA. quam nulla mortalium eloquentia poſſit æquare. Quod quidem aſſertum univerſè verum, tum præſertim ſuam prodit vim, cum de virtutibus heroicis, quæ animos grandes exornant ſer- G mo habetur: ubi planè & verba, & ſententiæ longiſſimo ſpatio vincuntur, & ingenia licet excelſa incitato gradu fatigata ſubſiſtunt. Enituntur quippe ſeſe in ſublime attollere rerum honeſtate, pulchritudine, ac ſplendore allecta: dumque validè conantur, eriguntque ſeipſa, luculentiſſimis radiis perſtringuntur, atque deficiunt. Qua profectò in re duo certè mira Numen connexuit, inacceſſam rerum celſitudinem, & accedendi conatum: hunc ſcilicet, ne cogitandi ac dicendi officium deeſſet: illam, ne ſatis eſſe poſſet quidquid ab excultiſſimis ingeniis diceretur, vel excogitaretur. Hic præſentis diei ſtatus eſt: in hunc modum de Tereſia noſtra dicturus afficior. Nimirum de Humilitatis virtute, quæ ſupra H cælorum vertices caput extulit, verba facturus facilè perſpicio, me ſublimitate tanta vincendum: & tamen animus ſeſe erigit meus, ut rem tentet inacceſſam, laudique vertatur id audere, quo vincitur. Perſimilis labor eſt ei, quem induſtrii magnanimique viri ſuſcipiunt, dum ſpe laudis vel incognitos terrarum tractus, vel inexplorata maria metiri conſtituunt, ibi nempe pè columnam depacturi, quo magnanimitas pertigit, & induſtria.

D. Parentis Tereſiæ humilitas.

Decrevi quidem de Tereſiæ humilitate ita dicere, ut omnino pateat animum illum porrò grandem mediocria quæque pertæſum ad ſupremos ſemper virtutum aſpiraſſe gradus; nec aſpiraſſe modò, verum & obtinuiſſe. Omnia ergo mihi excelſa, omnia A certè rara hodie promenda, quæ bonos æſtimatores altitudine ſuſpendant, & ſuavitate delectent. Et quidem, dum ſelectum dictionis argumentum altè pertracto, videor mihi ex hoc ipſo ſuggeſto luſtrare oculis lætiſſimum ſtrenuorum militum exercitum, lucentibus ad ſolis repercuſſum armis obſeptum, ad timpani pulſum inceſſu militari procedentem; ubi conſtantia, & fortitudo apertis præferuntur indiciis, neque vel unus è numero tanto ſuccurrit, qui victoriam lentè promittat: Tereſiæ quippe virtutes, ſi perſpicaciter explorentur, ac recenſeantur, jucundiſſimum ſpectaculum exhibent, in quo nihil non generoſum, altumque promineat. Debetur omnibus confertim, debetur B & ſingulis laus profectò ſumma: neque adeò facile ſit, alterum alteri anteferre, alteram præ altera ſeligere, dum nihil non grande, non pulchrum, ſplendidumque perſpicitur.

At enim, ut eam virtutem, quæ animum demittit, ne umquam immoderatè efferatur, tamquam cæterarum fundamentum expendam, unum planè mirum videatur neceſſe eſt, quod cum cæleſti vitæ puritate niteret, divinaque luce perfuſa noſſet, quas opes Deus in animum ipſius condidiſſet, quàm familiariter ad excelſiſſimam contemplationem à divina Majeſtate extolleretur, quàm altè mundi faſtum proculcaret, C experientia quoque ipſa rebus fidem adſtruente; aſpernaretur ſeipſam nihilo ſecus, quàm ſi turpiſſimis criminibus in horas ſingulas fœdaretur. Et verò unum, vel alterum experimentum non uſque adeò magnam laudis ſegetem procrearet: at innumeræ & quotidianæ periclitationes, quomodo exilem ſaltem ſuiipſius exiſtimationem minimè genuere? Sed parum Tereſiæ fuit non efferri animo; mirata potius eſt, qua ratione fieri poſſet, ut de ipſa mortalium quiſpiam benè opinaretur; etenim penitiſſimum hunc ſui deſpectum neſcio quibus verbis exponam. Novit illa ſe crebris revelationibus à Deo humaniſſimè habitam, raptibuſque divinis coram multis ſpectatoribus ſublatam, quod homines neque non obſtupeſcere, neque ſilere poſſunt, & divinum D quiddam cogitare penè coguntur: & tamen admiratur ſe ab ullo mortalium fide dignam cenſeri.

Hic planè ſubſiſterem, niſi cœptæ orationis religio perurgeret. Obverſatur enim ſtupenti animo profunditas quædam humilitatis; qualem Oceanus ad imas arenas inter immenſa aquarum volumina deductus oſtentat. Qua ſcilicet mente non cunctabundus hæream, dum animum cælo illatum ſeſe ad infimas terræ cavitates deprimentem animadverto? Quid, quod cum præſens abſenſque præconiis multis ſe celebrari noſſet, numquam ullis elati animi, vel gloriæ vanæ motibus agitata eſt? Occurrit animo rupes altis nixa radicibus, quæ violentis ventorum flatibus è dirupta nube cum crepitu multiplici erumpentibus tacta, nihil de ſua firmitate remittit, E cautes nullæ finduntur, fragmenta nulla diſſiliunt. Jam verò ſenſum illum mentis, alta ſui contemptione defixæ manifeſtis indiciis adeò prodidit, ut nihil ad fidem deſideretur.

D. Tereſia contumeliis affecta.

Convenit Tereſiam vir perilluſtris Alphonſus Chignonius periclitandi gratia, genus, perſonamque diſſimulans, monetque graviter, meminerit Magdalenæ cujuſdam, quæ ſanctimonia egregiè conficta, impoſturis dæmonum ſeducta totius Hiſpaniæ linguas excitaverat, fidemque veræ ſanctitati demum ademerat. Vellicat proculdubiò candidiſſimum animum, eique contumelioſam illuſionem velut affingit. Hoc telum prudens intorquet ille, ſi fortè animum Tereſiæ propriæ exiſtimationis ſenſu commoveri deprehendat. F Reſpondet illa, numquam ſe Magdalenæ recordari, quin artubus totis contremiſcat: reſpondet verò ea mentis tranquillitate, ea vultus ſerenitate, qua ſuaviſſimum verborum blandimentum affabrè concinnatum, vel politici hominis animus ambitione graviter affectus exciperet. Altum ſanè reſponſum: quod admirari potius, quàm perſcrutari conſilium eſt, atque idcirco progredior.

Et calumniis.

Agebat Hiſpali Tereſia Carmeli reſtitutionem molitura, ubi ei calumniæ plurimæ nefariè obiectæ; quæ animos alios non firmiſſimè ſubnixos in ſummum diſcrimen ſalutis impuliſſent: G & tamen hæc turbulentiſſima commotio internæ mentis paci adeò nihil detraxit, ut clementiſſimo Deo gratias immortales ageret, quod Hiſpali qualis eſſet, putaretur, urbeſque cæteræ immeritò illam colerent atque ſuſpicerent. Quàm ſublimis eſt, ſumme Deus, hic ſui deſpectus? quàm longè Atticas, Latiaſque hyperboles antecellit? Optarat illa impenſiùs quàm dici poſſet, inter ſacras Virgines choro adſcriptas minimè cenſeri, captatura inde occaſiones innumeras aliis parendi, & obſequendi. Optarat hæc immemor illius dignitatis, & velut ſacri principatus, quem gerebat: neque verò hiſce optatis obſtare videbatur cura illa condendæ Reipublicæ, provinciarumque divinitus creditarum, ex Chriſtianæ humilitatis amore nihil non proclive, planumque ſentiret. Expetivit poſtrema monaſticæ diſciplinæ obſequia, & H quoad potuit requiſivit: verùm ad functiones graves, planèque viriles, cæleſtibus deſtinata conſiliis, cum videret ſe iis adiectam officiis, è quibus laus apud principes multa ſuccreſceret, ægerrimè tulit, hæc ipſa diſcrimina, quibus licet alii infeliciter intereant, ipſa feliciſſimè profecit. Hinc extitit affectus ille Apoſtolicus à natali urbe, ubi cele-

Habita An. 1612.

celebris habebatur recedendi, ut ſe monaſterii alicujus remotiſſimi ſeptis includeret, experireturque, an poſſet latere, & mortalium exiſtimationi viam intercludere. Nequicquam conata eſt: potuit enim id eniti clariſſimorum Eccleſiæ luminum exemplo: ſed is certè conatus, quod ad mundi totius acclamationem attinet, non magis Tereſiæ A profuit, quàm fuga, vel latebræ Ambroſio, vel Gregorio profuere; quippe quò ſe illa hominum conſpectui, ſermonique ſubducere amplius geſtiebat, eò frequentia occurſabat major, eo celebritas confluebat illuſtrior. Hic ſapientiæ divinæ mirus, ac perantiquus ordo, ut per anfractus varios proferat in lucem, qui ſe in antra, ſpecuſque condere certant. Ergo humilitatis cultus inter acerrima tentamenta exercendus fuit, aurique ſinceritas ictibus, & flammis probari debuit; ut cederet in exemplum gentis, cujus inſigne quaſi gentilitium ea virtus porrò nobiliſſima eſt.

Etenim iis artibus, quas mundi proceres fortaſse reprehenderent, id Deus agebat, B ut Tereſia more architectonico, quadrata firmiterque ſedentia inſtaurandi Carmeli, velut ampliſſimæ aulæ fundamenta locaret. Extruxit illa quidem molem profectò viſendam, cujus partes oculatis ſpectatoribus mirificè diſpoſitæ ac exornatæ videntur: poſſemque hoc loco immorari, & ad fornices eleganter flexos, ad quaterna latera ad proportionem commiſſa, puriſſimo albario ad nivis æmulationem candida, ad columnas artificiosè ſcalptas, & ſpeculorum more ſplendentes, ad feneſtras reticulatas, & è cryſtallo perlucentes, ad cælaturas exquiſito mirandas opificio, ad tectum imbricibus ſquamatim compactis bene tutum, & ſummo in margine uſque ad miraculum elabo- C ratum, ad ſupremum faſtigium, quod in tholum, ſive teſtudinem ſtellatam aureis fulgoribus emicantem deſinit, intuendum orbem terrarum jure concire: ſed enim neque Cardinalium virtutum columnas, neque ſtructas ſupernè Theologicarum aulas, neque celſum charitatis faſtigium attingere mihi fas eſt, dum abſtruſam humilitatis, fundamenti nempe ſtabilitatem contemplor, & ſaltem adumbro.

Miror hoc demiſſionis genus, quod attexo. Dicere ſolebat Tereſia emerita, & incredibili jam vitæ ſanctimonia locuples, mortem ſibi potius, quàm vitam expetendam; quippe quæ in caſſum vivens, Deo non faceret ſatis: optaretque ſe interdum ſenſu carere, ne ſuæ vitæ turpitudinem di- D gnoſceret. Judicet modò idoneus quiſque cenſor, quid de mirabili affectu hoc ſentiendum ſit. Ergone cupere potuit cæcitatem, ne cerneret quod aſpectu pulcherrimum, & jucundiſſimum eſt? Fuit exemplar ſanctitatis luce puriſſima reſperſum, quod ſæculi hujus tenebras planè denſas diſcuſſit, & lætiſſimam ſerenitatem arridente cælo mortalibus induxit; & tamen ita ſe ſpernit ipſam, ac ſi tabida, elephantiaſique notata univerſorum hominum oculis, animiſque ſorderet. Nequit ſatis exprimi hæc humilitatis profunditas prodigioſa, cujus expenſio juſtum volumen expeteret. Fruſtra conor per vaſtiſſimum pelagus turgentibus ſecundo flatu velis excurrere, cum in abyſſo ipſa portentum quoddam emergat, quod E oratores diſertiſſimos momento temporis interciperet.

Mirum narratur.

Sæculo penè noſtro Luſitana claſſis Indiam fælici ſucceſſu petebat: & ecce navis celſa in medio curſu velut equus adducto fræno tremendo cum aquæ ſonitu ſubſiſtit, non aliter, quàm ſi in vada repentè impacta fuiſſet. Nautæ inſolitam rem demirati bolidem ſubmittunt, & altum abſque dubio mare perſentiunt. Cumque navis inflatis adhuc hæreret velis admovent ad navigii marginem lumina, erat quippe nox; videntque implicitum navis alveo cetum, qui carinam centum dodrantium longitudine, curvatam immani corpore ita cinxerat, ut cauda gubernaculum illigaret, alis expanſis navis latera ad ſummum uſque amplexaretur, & erecto capite F ad magnitudinem dolii horrendum ore diducto hiatum oſtenderet. Hæſit aliquantum, donec relicto navigio è narium fiſtulis ingentem aquæ vim reflavit, placidoque lapſu ſe in mare demiſit. Hîc mihi ſenſus in media profunditate humilitatis: ubi neſcio, quo portento retineor, optoque cedat loco, ſi fortè progredior. Porrò miraculo tribuenda videtur hæc rerum pugnantium miranda connexio: Deo apprimè probari, muneribuſque divinis velut ad nuptias excoli, ſibique interim ita vileſcere, ut ferre ſeipſam nequeat, & ab univerſis hominibus neglectui habenda videatur.

At non habenda deſpectui tantùm ſibi viſa eſt, ſed eò proceſſit, ut coram viris à ſanctimonia laudatis non abſque pudore con- G ſiſteret, quaſi rem aliquam deſpicabilem, putrem, fœtentem tantorum virorum præſentia obtruderet, quæ in devium aliquem locum reiicienda foret. Quouſque tandem ſibi Tereſia diſplicebit? Conſuevit illa quod altè condiderat, ubi occaſio ferret exercere, & cum Hiſpanas urbes propagandi Carmeli gratia obiret humilitatis diſciplinam docere, non tam verbosè, quàm tacitè; mitiſſimo certè magiſterio, quo rigentia quoque colla ſubjugaret, lapidea corda molliret. Primam videlicet ſedem iis, quas virginibus ſacris præfecerat, parens omnium ipſa deferre, iis aſſurgere, ab eiſdem veniam recedendi multa mentis, corporiſque demiſſione depoſcere aſſuevit; ac ſi ſacra ve- H ſte recens induta monaſticorum rituum primos orſus addiſceret. Numeroſa hæc provectæ virtutis laus eſt, quæ toties in horas ſingulas repetita, identidem ſe auſpicari debere credidit, quod jam pridem abſolverat. Quàm jucunde ſpectaturus fuiſſe mihi videor veteranam virginem, & canitiei, & mentis ſenectute venerandam ad juniores, multoque poſteriores accedentem, & quas diſciplina monaſtica inſtituerat, ſupplici

plici

plici habitu alloquentem, non aliter, quàm ſi nova, meritiſque minor haberetur. Hiſce actibus intenta, dum monaſteria conderet, ita ædificium virtutum cæleſtium urgebat, ut fundamenta, quæ in ſæcula perſtarent, nullis adverſitatibus convellenda defoderet. Feſtinandum tamen mihi eſt ad multiplices actus perfectæ jam humilitatis indices, quibus illa vitam, velut opere plumario variatam exornavit.

Nihil ei antiquius, quàm junioribus virginibus ſociari ea comitate, ac facilitate, quæ nihil altum, nihil grave portenderet, ut conſuetudo ipſa humilitatis eſſet aſſertrix. Neque verò id egit modò, ut aliis longè diſparibus par eſſe videretur, ſed arrepta undecumque anſa propriæ contemptionis, non ſemel, dum virgines in cænaculo ſederent, quadrupedis ritu, plena lapidibus corbe, vel alio id genus pondere onerata, fune ad collum religato, inter frugales menſas ingreſſa, & coram toto conſeſſu proſtrata culpas deprecata eſt, quas minimè admiſerat. Quo certè in actu, qualis extiterit animorum commotio, qui ad pietatem ſtimuli, qui lacrymarum impetus, nimis operoſum eſſet exprimere. Credo equidem ſpectaculum illud Deo fuiſſe gratiſſimum, virginum cœtui ſaluberrimum, & ad poſteritatis imitationem appoſitiſſimum. Decuit autem eam diſciplinam à Tereſia gentis ductrice actibus ejuſmodi egregiis inſtitui, ne pigeret æmulari, quod princeps ipſa præſtiterat. Solent videlicet Imperatores rei militaris benè conſulti, dum quid maximè arduum, & formidandum, vel in traiiciendis fluminibus, vel in cædendis ſylvis, vel in aggere comportando agminibus trepidantibus, aut detrectantibus occurrit, primi omnium aggredi, & arduitate ſuperata gentis totius animos ad pervincendam difficultatem excire. Ergo Tereſia præcurrit, & curſores multos per aſpera quoque, & confragoſa loca, per vepres & ſpineta progreſſuros procreavit. At ego lentè incedo, parceque dico, qui humilitatis laudes digeſturus, tam exiliter eximia facta commendo. Boni tamen conſulenda oratio, quæ capita rerum, quibus ſermo quantumvis prolixus impar eſt, ſaltem attingit, & more apicularum tenerrimos floſculos hinc inde carpentium utcumque delibat.

D. Tereſiæ humilitatis actus.

Minimè jam ſilendus mos ille Tereſiæ ad memoriam immortalem celebrandus, qui mirabilis planè humilitatis teſtis locupletiſſimus eſt. Monebat illa prudenter, ſuaviterque, ſi quam vidiſſet correptione indigere: obſervabat mox, an pacato animo correptio illa ferretur, demum ſi qua indignè ferret, poſtquam uno vel altero die triſtia vultus ſigna deprehenderet, conſuevit ſeſe ad pedes ejus, quam admonuerat, abiicere, ac parum conſideratè ſe locutam aſſerere: quibus certè verbis, actibuſque ex ima ſui demiſſione profectis, immanes quoque feras leniret; atque adeò victorias plurimas, & præclariſſimas de aliorum animis humilitate peperit, vi quadam efficaciſſima barbaris gentium domitoribus incognita. Etenim vero ſimillimum videtur, quidquid à graviſſimis hiſtoricis de Tereſiæ ſapientia cælitus infuſa proditum eſt. Raro quippe ſui contemptu, quo ſe tamquam fragile vas, natura quidem ampliſſimum, ſed virtute vacuum exiſtimabat, id à Deo videtur obtinuiſſe, ut illa quaſi cavitas cæleſtium bonorum capaciſſima divinæ ſapientiæ opibus expleretur, quibus Rempublicam inſtrueret, & Eccleſiam univerſam miro ſplendore decoraret. Cui profectò veritati conſentit cura pervigil gentem ad Chriſtianæ humilitatis cultum erudiendi, ut peramplum ejus virtutis velut patrimonium tota ſoboles acciperet, quo nihil glorioſius poſſit optare. Hinc non levis conjectura eſt, clementi cælo factum, ut gens, quam excolendam Tereſia ſuſcepit, id imprimis ſibi curandum exiſtimet, ut poſtremum locum ubique captet, ſimilis evaſura devexis, planiſque feracis, ac peramænæ regionis campis, quos è montium verticibus decurrens aqua perfundit, vel arvis, quæ amnis, ripis viridi veſtitu lætis, interfluit: ubi cumulato fœnore pingue ſolum accepta ſemina refundit.

Sanè prudenter è tam inſigni humilitatis cultu, jam inde à primordio præſagiri potuit, Tereſiæ cultura Carmelum primæva fertilitate proſperandum, priſcæque vineæ fœcunditatem adeò fauſtè redituram, ut è tumentibus novellarum vitium gemmis uva concreſceret, quæ ad maturitatem ſole percocta, à proventu multo laudaretur. Verùm quò feror? Non hîc à me congeneres humilitati virtutes, quas Tereſia paravit, percenſendæ, ne dum ponderandæ; ſi enim obedientiæ, manſuetudinis, patientiæ, cæterarumque virtutum, quibus cum animi demiſſione cognatio quædam, & individua ſocietas eſt, velim momenta perpendere, certè & tempus, & vires me deficient. Capita quidem hæc alto ſilentio, ac meditationi committo; foreque ſpero, ut quo quis ingenioſior, & rerum divinarum conſultior eſt, eò miretur magis, ipſeque per ſe tantarum virtutum laudi ſpontaneus orator conſiſtat. Ecquis enim non laudet, qui virginem ingenuam mundi neglectu grandem, ſpectris cæleſtibus aſſuetam, ſapientiæ prærogativa inſignem, affectionum divinarum ſcriptione mirabilem, Carmelo inſtaurando deſtinatam, inter graviſſima negotia videt ſuæ dignitatis oblitam, & ſcopis, ſportis, aliiſque id genus inſtrumentis creberrimè exercendis intentam? Omnino credendum ſummo illi rerum opifici Deo curæ fuiſſe, in animo Tereſiæ, quæ ſe demiſit eò, ut inferius delabi nequiret, eas depoſuiſſe opes, quibus nihil ſublimius mortales concipere poſſunt: ut non ab re quis cenſeat, quod Seraphico Franciſco, cujus natalis dies affulſit, conceſſum eſt, ut proportione quadam, tam donis cœleſtibus au-

Habita An. 1612.

geretur, quàm ſe ipſe deſpexerat, & horruerat, id quoque Tereſia fuerit adepta, quæ ſibi ipſi tantopere ſorduit.

A

B

C

Caſtitatis teſtimoniū.

Cur verò immoror? cur non celeriùs ſummam laudem expromo, anteactis præconiis coronidem appoſiturus? Adſit mihi fides, inter encomia quippe univerſa ſupremum enuntio. Nimirum eò humilitatis acceſſit præſtantiſſima virtutum cultrix, ut per totius vitæ curſum, numquam in ſeipſa dignoverit culpam ullam humilitati diſſentaneam, quæ ſacris confeſſionibus ſuccurreret aperienda, vel expianda. O certè rarum apud mortales exemplum! o ſolidiſſimam vitæ ſanctitatem! Hæreditarium elatio animi vitium eſt, natura contractum & tamen ita Tereſia naturæ metas exceſſit, ut ope divina nihil ſe propriis actibus peccaſſe meminiſſet in eo genere, quo genus hominum præſertim vitiatum ac debilitatum eſt. Etenim præconium hoc immortalitati conſecrandum, foret per ſe maximum, licèt nulla laudis, & honoris incitamenta ſubeſſent, quæ animum corpore prægravatum illicerent: at inter tot, tamque varia humanæ fragilitatis irritamenta, quæ fortiſſimos etiam viros è Chriſtianæ virtutis arce deturbant, ad finem uſque, vel abſque levi aliqua affectione perſiſtere, hypocriſi nulla, ambitione, elatione nulla fœdari, porrò res ſtupore inſolito digniſſima eſt. Puritatem hanc perfectiſſimam animi caſtimoniam appellare decet, cum inviolatum ſervet animum, quemadmodum Veneris abſtinentia corpus. Et profectò novi Carmeli ſub initium intercepti progreſſio huic animi candori tribui debere videtur, meliori conſilio, quàm Luciæ, quàm Claudiæ Veſtali virgini tributum eſt, ut ſimulachrum, quod Annibale Italiam vaſtante ex librorum Sibyllinorum reſponſo à Peſſinunte per Tiberim adverſum vehebatur, & repente in alto ſtetit loco, moveret. Oraculo quippe acceptum fuerat, caſtiſſimæ fæminæ manu movendum; tunc verò Claudia falſo inceſtu ſuſpecta, zona impoſita navem movet. Agebatur flumine mundi occurſantis adverſo renaſcens Carmelus, ſubſtititque non ſemel; verùm tractu Tereſiæ, cujus illæſus candor Deo probatiſſimus, tametſi mundo interdum ſuſpectus erat, validiſſimo impulſu promotus mortales in admirationem ſuſtulit, cum Tereſiæ mundum cedere animadverterent. Hæc animi illius invictiſſimi victoria fuit, non faſtu, ſed humilitate parta. Hic triumphus, quem egit animi demiſſio.

D

Tereſiæ animus mitis.

E

Obſtupuit olim Roma, cum frequentiſſimè concurreret avidè ſpectatura Imperatores ſuos vel leonibus, vel elephantibus currum trahentibus vectos, per arcus magnificentiſſimè ſtructos decreto die glorioſè ingreſſuros. Obſtupuit, dum hominem unum altè ingredientem, jactantemque cæſos populos, aut debellatos, & direptam ferro prædam intuetur. At quantò glorioſior Virginis unius triumphus, qui non de aſcititia, extrinſecuſque affixa majeſtate, & ſplendore extraneo, qui poſſit extingui; ſed de intrinſecus nata virtutis magnitudine proceſſit? Quantò ſublimius trophæum, quod de profundiſſimo Chriſtianæ humilitatis ſenſu in arce mundi per vim peſſumdati, expugnatique ſtupente orbe terrarum erigitur? Mitis, demiſſuſque Tereſiæ animus, cum ferreus non eſſet, imperio tamen ferreo ſimilis certè fuit, cum omnia obtinuerit, vel ſubjugaverit, & nihil tentatum non excelsè confecerit. Militaris induſtria eſt, dum obſidetur civitas, inſtantes hoſtes, ubi caſtrametati ſunt, per cuniculos & ſubterraneos labores petere, igneque ſubjecto qui turres præcelſas ſubverteret, horrenda morte corripere. Hoc virgo una ſeipſam aſpernata, & hujus lucis uſura indignam arbitrata præſtitit, ac ſui contemptu tamquam ſubterraneo labore mundum impoſitum, & Babyloniam turrim excuſſit; quo nihil mirabilius poſſit efferri.

F

Ego certè in hoc orationis fine, ſupremaque humilitatis laude vehementer obſtupeſco intemeratum animum, qui tantum abeſt, ut ex multiplici victoria, & ſecundorum eventuum experientia extolleretur, ut ſe potius inde premi, gravarique perſentiens, tantò videretur ſibi infirmior, quantò majora patraret, cenſeretque ſe tot creditoribus obnoxiam, cum ſolvendo non eſſet, quot actus egregios obiret.

Vitæque integritas notata.

G

Summa ergo eximiorum operum claritas, ſumma mentis illibatæ puritas, cum incredibili animi moderatione, ac demiſſione coaluit, & pulcherrimum quaſi antitheton, vitam cæleſtem contexuit. An hic aliquando deſideretur, quod perfectæ vitæ integritas, & priſcorum Sanctorum virtus ſincera requirat? An non videatur cum antiquis virginibus comparanda, cujus animus à propriæ exiſtimationis labe tam longè abfuit, quàm à corruptione corpus, quod poſt annos à morte triginta, cum ſuaviſſimi odoris fragrantia perſtat illæſum? Sanè nihil deeſt, omnia conſtant integra, omnia plena: ſola deficit oratio, cui etſi ambitioſa Ethnicorum ſcriptorum commenta ubertim affluerent, diſparitate notaretur, ut omnino verum ſit, multa ſenſui, meditationique committenda, quæ depromere nequeo. Hæc mihi meta dicendi. Hucuſque procurrere potui. Humlitati ſuis numeris abſolutiſſimæ jam concedendum eſt. Conceſſit mundus, concedit planè lingua: ſenſus quoque concedit ad Beatam Tereſiam.

H

Tu vero Tereſia, quæ mundum humillimo, ac mitiſſimo animo calcaſti, quæ feroces animos profunda demiſſione domuiſti, quæ terras, mariaque cæleſti diſciplina humilitatis impleſti, quæ agmina gentis candidatæ alto mundi contemptu intruxiſti, quæ dæmonum tibi obluctantium caſtra te demittendo diſſipaſti; Tu jam ſublimis aure ſplendore perfuſa, corona multiplici redimita, immortali Deo, quem ſummis votis expetiſti, æterno divini amoris fœdere ſocia-

Habita An. 1612.

ta, carpe dulciſſimos, quos exhauſti olim laboris fructus; immenſa gloria, immenſa voluptate perfruere. Ad concionem ſic Tereſiæ noſtræ parentatum eſt, cujus virtus cælo jam tandem illata ſermone celebrari potuit, æquari non potuit.

A

ORATIO XII.

Habita An. 1613.

QUÆ ſolent ſub initium dicendi perterrere Oratores, (Ampliſſime Præſul, Honoratiſſimi Patres, Perilluſtres Viri, candidiſſima concio:) ea me coram vobis de B. Tereſia Virgine, ac Parente noſtra dicturum, non ſolùm cuncta non terrent, ſed miro, & inſolito quodam modo confirmant. Neque enim audientium candori, & benignitati, nec multò minùs materiæ, ac rei dicendæ poſſum diffidere, quorum alterum veſtri mores, alterum mea mihi conſcientia, ac laudandæ Virginis recordatio teſtatum faciunt. B Adeò enim multa, præclara, inexpectata, nôſtris ſæculis numquam viſa, his (etiam poſtquam geſta ſunt) regionibus incognita in medium adducere paro, ut certò ſciam me potiùs rei, & vobis, quàm res mihi, aut vos rei eſſe defuturos: Tantum mihi promitto de vobis, tantum de re ipſa. Verùm in tanta rerum laudabilium ſylva, in una Virgine Tereſia congeſtarum; unde ſumam initium neſcio.

D. Tereſiæ proſapia, notata.

Pudet me. ad naturæ dona (quamvis dona potiùs Dei ad naturam ſpectantia dici debeant) ubi tanta ſuppetunt dona, naturam ipſam excedentia, converti. Certè, ſi in illis liceret orationem verſari, latiſſimus pateret dicendi campus; laudaremus originem C unde genus nobiliſſimum hæc Virgo traxit, Hiſpanis, Caſtulonenſibus præſertim, notam: laudaremus parentes non ingenuos ſolùm, ſed pios, ſed integris moribus ornatos, ſed multis capitibus illuſtres: laudaremus ingenium acre, perſpicax, maturum, præclarum: laudaremus educationem, comitatem, facilitatem morum, ſuavitatem vitæ, & (quam non ultimo loco reiiciunt mortales, levem tamen, ac, ſi pulchritudo animi deſit, vanam prorſus) corporis pulchritudinem; ſed hæc, & ſi quæ ſint ejus generis alia, quamvis mirè omnia in unam præ cæteris noſtri ſæculi feminam Tereſiam convenerint, laudent ii, qui ultra oculis ſubiecta, ultra ipſa corporata, D & ſenſibilia, ac proinde vilia, & infima, nihil vident, nihil mirantur; ego ſanè non laudo, ut quæ nullius eſſe meriti, nullius virtutis agnoſcam; unum tamen non poſſum non laudare, rectum ſcilicet eorum uſum, qui in Tereſia noſtra mirabiliter elucet, & eò magis laudo, quò rariùs contingit. Neſcio enim qua via, aut potiùs quo errore deviantes mortales, naturæ ſæpius dona in ipſius auctorem naturæ convertimus, ingenio in dolos, genere in ſuperbiam, pulchritudine in luxuriam abutentes, ut non immeritò, qui hæc dedit, queratur; *Retribuebant*, inquiens, *mihi mala pro bonis*. Pſal. 34.12. Sed quinam? Non certè in eorum numero Virgo Tereſia, quæ adeò ſemper rectè uſa eſt ejuſmodi donis, ut vel leviſſimum abuſum (ſi quis ei umquam ob humanam fragilitatem obrepſit) non damnarit ſolùm, ſed in ſe quoque ipſa perpetuis lachrymis, ac pœnitudine caſtigarit. E Quoties illa ſe accuſat criminis, immò ſe damnat, teſtatamque damnationem, ac litteris conſcriptam relinquit; quod puellari ætate, urgente exemplo ſociarum, urgente faſtu avitæ nobilitatis, urgente natura, aut curarit aliquantulum veſtes, aut ornarit capillos, aut manum, oriſve pulchritudinem oſtentarit? Et quænam noſtri ſæculi nobilis, nubilis juvencula, dives non idem curet? Imò, quæ hæc curet, aut in criminis adducat ſuſpitionem? Cæterum quanto his crimine (his inquam levitatibus, & nugis) Tereſia noſtra potuit inſervire, quæ tum rationis, tum naturæ ipſius quodam inſtinctu non ſolùm non amaſſe turpitudinem, ſed vehementer quoque F à primis annis & illam, & quidquid eam ſaperet, aut quoquo modo redoleret odiſſe teſtatur; vel quanto illis tempore (illis inquam, iterum dico, crepundiis) inſervire potuit, quæ juvenilibus, ac pænè teneris annis ſæculo, ac pompis ejus nuncium remittens, Sacrarum Virginum Collegium ingreſſa eſt? In hac verò pietatis palæſtra quàm egregiè, quàm digno fine athleta noſtra ſub Dei genitricis auſpiciis, ſub Carmelitico vexillo merita fuerit, ac decertaverit, paucis dici non poteſt. Verùm fortaſſis majora ex minoribus, & quæ jam matura geſſit, ab iis, quæ in infantili ætate ſunt geſta fidem accipient. Uti enim naturæ, ac temporum conſulti ex ipſo oriente ſole, & primordiis diei totum inde decurſum augurantur, ita & ex puerilibus moribus G haud difficile totius reliquæ vitæ tenor ſolet prænoſci. Regrediamur itaque paululum, & quædam futuræ ſanctitudinis ſigna in ipſa vel etiam puerula Virgine Thereſia recolamus.

Monaſteriũ ingreditur.

Ejus vita pucrilis, quæ?

Teſtis ipſa eſt ſibi (quâ nullus certior, aut major poteſt deſiderari) teſtis inquam eſt ſibi, quàm nobiles affectus, quàm maturiori animo dignos puella adhuc, ac pænè infans pateretur. Amabat jam ex tunc eremiticam ſolitudinem; quam utique (ut intra clauſtra licet) totò erat vitæ tempore cultura; futuri, ac æterni ſæculi diuturnitatem, neceſſitatem, felicitatiſque, ac H miſeriæ diſparitatem ita expendebat, ut non ſolùm ſuam ipſius ætatem, & facultatem ſuperaret, ſed pænè in ecſtaſim abſorptis ſenſibus traheretur. Martyrium verò, & (quam omnis natura abhorret) celerem necem, ac vi pro Chriſto illatam adeò ſubire geſtiebat, ut (quod vel riſum moveat audientibus, penitiùs verò rem contemplantibus non levem admirationem) aliquando cum fraterculo ſuis exhortationibus in

eam-

Habita An. 1613.

eamdem ſententiam pertracto, ipſa vix ſeptennis paterna domo, ac urbe egreſſa fuerit, provincias utique (ut ſibi improvidæ promittebat) ac regiones barbarorum peragratura, fidem Chriſti ubivis diſſeminatura, ac martyrii palmam per media tormenta, & mortem quæſitura, totumque id (niſi cœptis occurriſſent parentes) expletura. Quid hac conſtantia, ac fidei fervore in tam puerili ætate mirabilius? Quid majus, aut excelſius Umber ille ſanctiſſimus, inops ditiſſimus, Italiæ gloria, ac totius penè collapſæ Eccleſiæ fulcimentum, (quid enim opus eſt nomine, aut ſi eſt opus) Franciſcus ille numquam ſatis laudatus, plagifer Chriſti, cujus hodie feſtus dies celebratur, quid, inquam, majus fecit, dum vir maturus, longo virtutum exercitio cultiſſimus, martyrii deſiderio ſuccenſus in Palæſtinam navigavit, Perſidem peragravit, barbarum, atque infidelem Soldanum de fide in Chriſtum admonuit, & morte, quam pro Chriſto expetiverat, ubique conquiſitam, nuſquam inventam, in arenam vocavit? Hæc ſiquidem omnia puella una ſeptennis, jam animo decreverat, jam exequi ceperat, ut omnino quod ejus menti non reſponderit eventus, non ipſa in cauſa fuerit, ſed parentum ſolicitudo obſtiterit.

Martyrii deſiderium.

A

D. Franciſcus, Chriſti plagifer dictus.

B

Jam verò hæc tanta primordia, quem non magnarum virtutum progreſſum nobis promittunt? Hæc ſanè tam clara, tam expers nubium, tam puro aere circumfuſa, tam miris fulgoribus illuſtrata aurora, fæliciſſimi prorſus, ac pacatiſſimi diei ſpem nobis ingerit: neque enim fallitur, aut fallit qui dixit: *Semita juſtorum, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectam diem*. Verùm ad diem ipſam, perfectiorem inquam ætatem propiùs accedamus.

Prov. 4. 18.

C

Mirum eſt ſæculi retibus expedita, atque in area Religionis aſcita, quàm ſedulò, quàm verè, quàm toto ex animo ſe ſoli ſponſo Chriſto Tereſia noſtra totam ſervaverit, & eò magis mirum, quò laxiuſculum collegium nacta, non illa exemplorum incitamenta, non qotidianas exhortationes, non adiumenta habebat opportuniora, quibus abundare ſolent alia monaſteria regulari obſervantia, ac ſpiritali perfectione magis inſignia. Hac igitur in arena, non equidem plurimum ardua, ipſa pænè ſola, ac deſtituta, contra ſe, contra mundum, contra carnem certabat. De diabolicis enim impugnationibus quid dicam? cum ſit maniſeſtum, nullum omnino piorum ejuſmodi tentationum, vel fuiſſe umquam, vel nunc eſſe, vel ullo tempore fore expertem. Nimirum non eam ad gregarii militis locum, neque ad extremam cohortem rejecerat; ſed ad ſuprema munera Deus Optimus Maximus decreverat evehendam, proindeque ad perfectiorem quamdam viám ineundam provocabat.

D

Reſcivit illa, neſcio unde, arctiorem quamdam Regulam fuiſſe olim Carmelitis, quæ tamen vetuſtate, ne dicam pravitate temporum corruiſſet, cujuſque vix ruinæ in præſenti Carmelo extarent: cœpit hinc collapſæ veteris perfectionis dolore, ſimulque illius reparandæ ardenti quodam, tamen (ut humano judicio, atque adeo ſibi ipſi videbatur) imbecilli, atque inutili deſiderio tangi. Perpendebat ſexum, ſtatum, impedimenta, difficultates. Omnia ſuadebant vanum non opus ſolùm, ſed vel ſpem ipſam. At, o divinam potentiam! illa ſexu infiirmior, illa ſtatu Monialis, quod nemo ſperaret, nemo auderet, nedum conficeret virorum; illa, inquam, fæmina totum peregit. Itaque Ordo hic reſtauratus Carmeli, qui parum licet Italiæ notus, totas tamen Hiſpanias, bonamque partem novi orbis occupavit, qui multò majorem in dies fructum promittit, qui litteris, & pietate collucet; totus, inquam, hic Ordo, non minus fæminis, quàm viris clarus, ab hoc uno ſemine, ab hac una Virgine promanavit.

Carmelitici Ordinis reformatio.

E

Unde equidem non leve ad miram ſanctitudinem illius comprobandam ducitur argumentum. Si enim ex effectibus cauſæ, atque ex filiis parentes agnoſcuntur, quis jam, cum filios Tereſiæ Virginis aſpiciat (audacter dico, dum excludam me unum) non parentis gloriam admiretur?

F

Quando autem familiare ſit Deo, dum minus tribuit, congruentem quoque muneri gratiam concedere, ſeu (ut ita dicam) idoneitatem, juxta Pauli ſententiam in hæc verba profitentis: *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti*: quæ dona, quam gratiam, quas virtutes conceſſiſſe Tereſiæ credendus eſt, qui ad tam præclarum facinus illam elegerat? Niſi fortè exiguum munus, aut obſcurum negotium putari debet, Religionis graviſſimæ, clariſſimæ, vetuſtiſſimæ imò ipſa vetuſtate pæne labentis tam integra reparatio, aut (ſi mavis) tam glorioſa innovatio? Nam de Carmelo per Tereſiam reſtituto effari licet quod olim de Hjeroſolymitano templo collapſo, & ex ruinis renaſcente præfatus eſt Aggæus: *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ*. Certè poſt Apoſtolici honoris culmen, poſt eorum inquam apicem, quorum in omnem terram ſonus exivit, qui Principes totius orbis à Deo conſtituti, qui multarum gentium, totiuſque adeò futuri ſæculi parentes per prædicationem effecti, multos filios in gloriam adduxerunt, nullum cenſeo in Eccleſia gradum altiorem, nullum ſublimius munus, nullum proximius Apoſtolico, quàm eorum, qui novas invexere piè vivendi formas, aut abolitas (quod idem, aut fortaſse majus eſt) in priſtinum, nedum in meliorem ſtatum revexere. Et quemadmodum illos (ne muneri deeſſet idoneitas) & Chriſtus Dominus per ſe ipſum inſtituit, & Spiritus Sanctus viſibiliter unxit, nec linguis ſolùm variis, ſed ſeptemplici etiam dono, miriſque gratiis, & virtutibus exornavit; ita & hos decuit, ſi non æqua lance, ac Apoſtolos, præ cæteris tamen mortalibus exornari. Sed abun-

2. Cor. 3. 6.

G

Aggæi c. 2. 10.

H

Habita An. 1613.

Relligionũ Inſtitutores

abundantiſſimam fidem huic veritati præſtant experimenta. Recolite Antonios, Baſilios, Pachomios, aut (ſi magis Latini placent) Auguſtinos, Benedictos, Brunones, Romualdos, Gualbertos, Franciſcos, Dominicos, vel (ut etiam de recentioribus aliquid dicam) Joannes Columbinos, Franciſcos de Paula, Religionum utique ſingu-
A los inſtitutores, quorum celeberrimas laudes, & geſta, nulla unquam delebit oblivio. Quid multis? Proferatur in medium claſſici alicujus Ordinis Inſtitutor, qui non miraculis, qui non prodigiis, qui non excellentiſſimo virtutum ſpectaculo clarus extiterit? Proferatur; aliquiſne eſt? Nullus ſanè. Indignum quippe foret, ut qui dux imperator ſelectus eſſet, is non cunctis militibus pietate, moribus, ſanctitudine, donis anteiret. Morem igitur ſuum Deus Opt. Max. non violavit in Virgine Tereſia, imò quò fragiliorem ſexum, quò infirmiorem naturam, & ineptius quodammodo in-
2. Cor. 4. 7. ſtrumentum (*ut ſublimitas ſit virtutis Dei*) elegit, eò abundantiori gratia, eò majori
B copia donorum, eò fulgentioribus gemmis virtutum exornavit. Sed quænam hæc? Itane verò, ut recenſeam ſaltem aliqua ſuadetis? Optatis audire? optarem & ego dicere, ſi liceret. Verùm, & arcana ſunt, quæ homini, mihi præſertim ignaro, rudi, infanti loqui non licet; & tanta ſunt, ut multitudine ingenium, ne dum linguam obruant; maximè dum breviſſimi hinc inde temporis anguſtiis premor. Præſtat itaque ſub ſilentio ſacro velare, quæ non niſi profanè, & indignè dicerentur. Verùm omnia penitus reticere, ac pias expectantium aures omninò fruſtrari, aut fallor, aut nefas. Quid igitur agam? Congerenda ſunt raptim paucula, & velut cumulanda, unde quaſi
C ex ungue leonem, quæ ſint Virginis hujus
D. Tereſiæ virtutes. ornamenta ei ab ſponſo cæleſti collata quiſque prudens agnoſcat. Neque verò de ipſius caſtitate puriſſima, qua ab incunabulis omne impurum abhorruit: de obedientia promptiſſima, qua etiam Deo contrarium præmonente cælitus, ac præmonſtrante, ſed tamen ut obediret ſimul ſuadente, ad leviſſimum ſuperioris nutum accurrebat: de ferventiſſima tum in proximos, tum maximè in Deum charitate, quam omnia ejus geſta, ac dicta mirè teſtantur: de terrenarum rerum contemptu: de zelo ſalutis animarum: de mira conſtantia, & fortitudine: de rara prudentia, & vitæ auſteritate: deque ſexcentis aliis periluſtribus ejus virtutibus vacat aliquid dicere, ad finem penè
D orationis properanti. Cæterum patientiæ, humilitatis, ac orationis ſtudium, quàm ei cordi fuerit, piaculi reus ero, ſi taceam.

Imprimis ergo, quod ad patientiam ſpectat; bone Deus, quàm intus, extraque agi-
Patientia inſignis. tata, quàm ſemper firma, & immobilis Virgo, ceu petra hæc? Mitto graviſſimos morbos, quotidianam vomitionem, perpetuam nauſeam, contractionem nervorum capitis, ſtomachi, hepatis, jecoris, cordiſque, atque adeò totius corporis, omniumque membrorum acutiſſimos dolores, quibus illa ſemper ferè ultrà humanas vires vexata, atque aliquando penè exanimata eſt. Mitto labores, quos à ſubmurmurantibus, quos à deridentibus, quos à calumniantibus, quos ab impedientibus, quos à manifeſtè impugnantibus eſt paſſa; ſeu dum Ordinem ſacrum
E reſtituere, ſeu dum reſtitutum propagare conabatur. Graviſſima hæc; ſed multò leviora recenſendis.

Quis enim umquam dicet ſatis dignè; quàm gravia paſſus fuerit pius ille animus, dum per viginti, aut eò plus annos viſiones, ac ſpectacula ei cælitus conceſſa, diabolica figmenta cenſerentur à piis? dum cogeretur ipſa (piorum magiſtrorum judicio cedens) inviſenti ſe Chriſto, ac placidè faventi non ſolùm nuncium remittere, ac terga dare, ſed (quod horrent aures audire) ſputa etiam iniicere? dum ipſa ſibi non crederet, atque à piis hominibus, quibus judicium, ac cenſuram ſui commiſerat, partim dæmonum arte deluſa, par-
F tim cæleſti gratia, ac vera viſitatione perfuſa crederetur? Diſtrahebant certè hæc, ac dilacerabant ultrà quàm dici poteſt pium Virginis animum, ut non incongruè poſſet cum Paulo dicere: *Nul-*
2. Cor. c. 7. 5. *lam requiem habuit caro noſtra: foris pugnæ, intus timores*. Sed quàm hæc patienter, quàm conſtanter, dum res, ac tempus tulit, imò dum Deus ita voluit perpeſſa eſt? Sed veniamus ad patientiæ comitem individuam, humilitatem.

Humilitas ſingularis. Accedant huc, ac teſtes ſunto, quæ de ſuis (ut ipſa loquitur) criminibus non verbo tenus dixit, verùm & ſcripta, ac poſteritati mandata reliquit. Adeò enim acriter invehitur in ſe, adeò excuſatione procul,
G ac (ſi ita licet dicere) adeò ſuſpicioſè ſuas qualeſcumque culpas in medium affert, ut, niſi piorum ac graviſſimorum confeſſariorum teſtimonia, ac non levia alioquin indicia reſtitiſſent, vix aliquis ipſius ſcripta legens, non illam crederet aliquando graviter, ea maxime in re, quæ pudori, ac dedecori fœminis eſſe ſolet, ſi non opere, ſaltem verbo, & cogitatione deliquiſſe. Quinimò, dum ex confeſſarii præcepto epitomen geſtorum à ſe, ſeu ſuæ vitæ compendium conſcriberet, valdè queritur, non ſibi conceſſam facultatem, ut gratias ſibi à Deo irrogatas, ita culpas à ſe contra Deum commiſſas prædicandi. Atque id quàm ex corde diceret, ſuſpicari licet ex facilitate, & hilaritate, qua omnibus ferè cum qui-
H bus loquebatur (confeſſariis præcipuè, aut ſuperioribus) ſua crimina, & quas graviſſimas reputabat culpas ſolita erat aperire; non aliam ob cauſam, quàm ut ab omnibus floccipenderetur. Jam verò torquebat illam maximè, ſi quando ab aliquo, aut in pretio haberi, aut tamquam Deo amicam coli, aut quoquomodo pluris fieri arbitrabatur: ac proinde, dùm ſæpius in multorum proſpectu (fruſtrà contendens ac repugnans)

Habita An. 1613.

in ecſtaſim raperetur, animadverteretque; non parvam hinc anſam arripi ad eam honorandam, ac magnifaciendam, adeò impensè Deum præcata eſt, ut tandem, ne coram aliis raperetur, obtinuerit. Hæc ſunt veræ humilitatis indicia, quæ non adulterino affectu cenſeri humilis, ſed vilis exoptabat. Nam de levioribus illis, ac A facilibus factu, ultimi nimirum loci appetentia, abjectiſſimæ veſtis uſu, viliorum munerum exercitio, & ſimilibus, ſi dicendum eſſet; ante me annus, ne dicam hoc breviſſimum dicendi tempus, quàm materia deficeret.

Orationis ſtudium.

Tranſeo igitur ad ſtudium orationis ſacræ, quod (ut liberè dicam) primum, ac præcipuum locum in Tereſia vendicavit. Quis mihi nunc concedat orationem à capite retexere, & quæ jam ad finem properat ab hoc uno tam amplo, tam digno capite iterum auſpicari? Inſumendum hîc fuerat perquàm dignè non horulæ ſpatium, ſed exactus annus. Dicendum quo labore, qua humilitate, qua perſeverantia ſtudium B hoc ſacratiſſimum ab initio ipſo ſuæ converſionis coluerit; dicendum quàm perpetuo rigore ac conſtantia (quod de beato Martino dicitur) invictum ab oratione ſpiritum, nec uſquam, nec umquam relaxarit. Dicendum quàm ſit illa gradus omnes experta, quibus animus poteſt quaſi gradatim ad arcanam, ſacratiſſimamque cum Deo unionem pervenire; atque adeò quàm perfectè totam hanc (ab hominum etiam ſapientiſſimorum ſenſu remotiſſimam) viam, varios ejus receſſus, obices, infeſta & inſidioſa loca, pericula, & ſi quid eſt aliud hac in re, aut difficile, aut dignum ſcitu percalluerit. Sanè nullum umquam ſcriptorem ſeu ex neotericis, ſeu ex antiquis, & (ſi licet dicere) etiam ex doctoribus C ſacris majorem, imò nec parem lucem perquàm implicito huic negotio attuliſſe, facilioremque aditum ad contemplationis ſacræ exercitia præbuiſſe, quàm unam hanc Virginem non ego ſolùm cenſeo, ſed cenſent ferè omnes, qui ſapientiſſima huius virginis ſcripta legerint. Illam enim videtur Deus Optimus Maximus ſelegiſſe non ſolùm, ut exemplo præiret viris, ſed etiam documento. Quis enim non miretur facilitatem, ſuavitatem, verborum ſinceritatem, quibus illa obſcuriſſimas quaſque res, ac penitiſſimas, quæ in hoc (negotio dicam an otio?) contemplationis occurrunt, ita explicat, ut fæmina quæcumque indocta, ac penè ruſticus quiſque poſſit illa D facillimè percipere? Equidem, ut Joanni Papæ dicere licuit, tot eſſe miracula D. Thomæ Aquinatis, quot quæſtiones, aut articulos, quos conſcripſit; tot quoque miracula Tereſiæ Virginis exiſtimo, quot ſunt litteræ, aut apices librorum ab eadem conſcriptorum. An non magis miraculum redolet ea ab fæmina indocta dici, atque adeò luculenter dici, quæ eruditiſſimos quoſque Scriptores aut fugerunt, aut difficultate, & obſcuritate (ut ex ipſorum monumentis patet) ſuperarunt, quàm à claſſico, erudito, exercito viro, quæ ab aliis agitata hinc inde, & controverſa (quamvis nova ac pænè Angelica luce ordinata) in lucem emitti? Jam verò non hæc ſpeculando ſolùm noverat Tereſia noſtra, ſed (quod illuſtrius, ac dignius multò eſt) operando. Poterat E non injuria verbis Joannis uti: *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Ioann. 3. 11. Quippe procul dubiò nihil in medium adducit, quod ipſa experimento non cognoverit, nullum gradum Divinæ unionis, aut contemplationis deſignat, ad quem ipſa Divino afflatu non fuerit evecta.

Ecſtaſes frequentiſſimę

Jam de ipſius frequentiſſimis raptibus, de ferè quotidiana ecſtaſi, qua extra ſe ducta, tota in Deum abſorbebatur, & qua etiam aliquando non ſolùm ſpiritus, ſed etiam corpus ipſum terreum, quo gravatur anima in altum evehebatur, atque è terra non leviter ſuſpendebatur: de innumeris viſionibus, ac revelationibus divinis, de veris prophetiis, de animorum alienorum inſpe- F ctione, de diſcretione ſpirituum, de cæteris perfectiſſimæ contemplationis fructibus, quid dicam? cum luce meridiana clarius liqueant, ſintque toti orbi, aut certè incipiant eſſe facilè notiſſima? Sanè adeò ei frequentes erant raptus, ut aliquandò cum ſerviret culinæ, & (ut erat humillima, ac abiectorum munerum avidiſſima) ova ferventi oleo frigenda infudiſſet, manu altera ſartaginem tenens, longam, ac clariſſimam ecſtaſim fuerit paſſa.

Miracula patrata.

Miracula verò, quæ occulta & celeberrima perpetravit, non ex alio, quàm ex ſacræ orationis fonte manarunt. Parùm eſt ægris ſoſpitatem, mortuis etiam quandoque vitam, illud maximum (ac tamen Tereſiæ noſtræ frequentiſſimum) ſuis precibus G à perpetua morte animas liberaſſe. Quot autem illa è ſæculi retibus ereptos Religioni dedit? Quot è prophanis ac perditis moribus ad meliorem frugem reduxit, & (quod non levius eſt) quot è tepiditate ad fervorem ſpiritus revocavit? Deficiet me dies ſingula narrantem. Verùm qui miracula exoptat, beatiſſimæ hujus Virginis cadaver inſpiciat: quot ibi miraculis natura vincitur? Deus bone! Mitto, quæ Virginis precibus, ad tactum, aut præſentiam corpuſculi quotidie fiunt. Quis verò ea, quæ in ipſomet cadavere elucent, valeat enumerare? Putrere neſcit ſine balſamo, ſine mirrha, ſine ſale, ſine condimentis, imò cum inteſtinis, cum humoribus, cum excrementis ipſis, & H quæ etiam vivo corpori gravem odorem efficiunt, in exanimi tamen illo (quod ſolius naturæ conſulti non credent) ſuaviſſimum, ac fragrantiſſimum, ac omni ſpecie Arabica præcioſiorem odorem exhalant. Turget adhuc integra, ac paret vivida caro, quæ non difficiliori opera in ſe cultrum admittit, quàm ſi adhuc contineret vivacem ſpiritum: qui etſi etiamnum membra regeret, atque animaret; ipſa tamen

Habita An. 1613.

Exuviarum ejus odor mirabilis.

men non veriorem viventium aſpectum oculis objecta præſentarent. Sanguinem ejus non ſolùm non putreſcentem, nec decoloratum, ſed panniculis olim exceptum, nunc quaſi recentiſſimum, vivido, ac innato colore nitere conſpicimus. Manat undique corpus pinguedine, atque oleo quodam pretioſiſſimo, quod uno panniculo exceptum A plures deinde, ſi illi adiungas pervadit: atque omnia hæc, caro, oleum, ſanguis, imò & veſtes, & quæcumque ad illud ſacrum corpus, aut pertinent quoquo modo, aut umquam pertinuerunt, ſuavem quamdam ſpirant fragrantiam, aromatibus quidem terrenis majorem, ſed iis non ſimilem, & quæ facilè à ſemel expertis deinde cognoſcatur, & diſcerni à cæteris quibuscumque ſuave olentibus poſſit. Atque (ut à piis eſt obſervatum) illis diebus communem ultra modum ſuavius olent hæc omnia, quibus Sanctorum quorumdam (eorum ſcilicet quorum patrocinio maximè utebatur B. Tereſia) feſta celebrantur.

Porrò illius ſanctiſſimæ animæ, ob cujus B reverentiam tot naturæ leges ab auctore naturæ violantur in exanimi corpore, quem gradum, quem locum, quem eminentiſſimum gloriæ apicem deberi putatis? Si thecæ tantus honos impenditur, quis exhibebitur theſauro, cui illa ſolùm aſſervando fabrefacta eſt? Dicant id Angeli, quorum gaudet conſortio, quibuſcum non imparem locum ipſam occupare perſuaſum habeo. Linguis Angelorum fortaſſis conceſſum;

Adloquutio

nam humanæ nullus aditus. Verùm, o præclara Carmeli Reſtitutrix, ac pientiſſima noſtrum omnium Parens, quæ jam emenſa mare, atque anchora fæliciſſimè jacta portum tenes, unde ultra non ſolves, quæ jam ſponſo cæleſti copularis, quæ jam ſubducta ſæculo, æternitati affigeris beatiſſimæ: C huc adſis obſecro, & dum tuas laudes, vel audiri, vel dici ad Dei gloriam gaudes, dum aſtantium animos tibi peculiari veneratione obſtrictos vides, dum omnium in te oculos, ac mentes tanto virtutum, ac donorum ſplendore thrais, nos omnes tuis precibus adiuva, Carmelumque, tuum precipuè fove, & quem tu ipſa multo ſudore ſpiritum (in primis orationis ſacræ) nobis indidiſti, eum ne patiaris extingui: verùm in dies ſuccendi magis, ac inflammari cura, nec filios licèt indignos à tanta, ac tam præclara Parente deſciſcere, multoque minus à tuo perenni, ac beato conſortio permitte ſeparari.

D

ORATIO XIII.

Habita An. 1614.

PEtit nec immeritò (Principes Illuſtriſſimi) & Oratoris excellentiam, & rei pertractandæ dignitatem ſublimitas Auditorum. Aures quippe grandibus aſſuetas, vel incompto ſermone circumſtrepere, vel factis inanibus aggerare, ut impudentiæ vertitur, ſic exploſo penè ſibilo vindicatur. Quod metui mihi ſanè poſſet, deſtituto videlicet quacumque vi facundiæ, peroraturo nihilo ſecius in ampliſſimo conſeſſu, cujus purpura præ ſe fert majeſtatem, exigit venerationem, parit gloriam; niſi dictionis humilitas dicendarum celſitudine rerum E compenſaretur abundè, ubi namque proferenda ſunt ornatiſſima, nihil intereſt, ſi non proferantur ornatè; & vileſcit impunè ſtylus, ſi nativè reſplendeat argumentum; cum oratio clareſcat æquè, ſivè largiatur materiæ, ſivè mutuetur à materia nobilitatem. Cæterùm ut innoteſcat, quid hoc ſit adeò magnum, cujus imago verborum hodie meorum, non coloribus exprimenda, ſed veluti carbone lineanda eſt; ex glorioſo belli ſtudio, ac decantato ſæculis omnibus armorum exercitio, quod intregrum orationis comitabitur excurſum, machinabor initium. Non ignobilis profectò militiæ laudatio eſt, ac lectiſſimis non indigna conventibus; hinc ſi forſan aſtarem celebrem commendaturus F victoriam, qualem vel Conſtantinus de Maxentio, vel Heraclius de Coſroa, pro Cruce primus extollenda, ſecundus vindicanda reportarunt, non equidem recuperanda producerem parva, non obtruderem deſpicienda. Quod ſi non unam, ſed multiplices, ac in faſcem colligatas ducis ejuſdem palmas verbis contenderem perſequi; cui non viderentur hæc & auditoribus non imparia, & oratore majora? Verùm ſi pro mundo penitus univerſo virtute bellica ſubacto; nec non imperio latè protenſo, ac extremis terræ finibus coæquato præconia congeſturus accederem, fateretur unuſquiſque molem hanc in immenſum increviſſe, cui non mea tantùm, ſed diſertiſſima quæque lingua ſuccumberet, quàm ingenia niſi præ- G ſtantiſſima neutiquam ſuſtinerent. Et quidem ut addatur pondus ponderi, quis prodigium non arbitretur non Imperatorem aliquem, eumdemque planè potentiſſimum, cui genus heroicum, magnanimitas hæreditaria, ſpiritus generoſi vires infatigabiles, opulentia circumfluens, exercitus innumeri, regna undequaque felicia; ſed imbellem virginem, & hanc, ſi naturam ſpectes, imbecillem; ſi ſexum, verecundam; ſi corpus graviter affectam; ſi fortunas, voluntariè pauperem; ſi adminicula, nullis inſtructam auxiliis, inſuperabilibus obſeſſam impedimentis; ſolùm animo grandem, virtute maximam, de triumphato quantum patet orbe terrarum meritiſſimè gloriari. Hoc eſt illud ingens, præcelſum, auguſtum, H quod in hac ob Tereſiæ noſtræ natalem fauſtiſſima terris die cenſui perpendendum. Etenim ſi debentur encomia, quænam reddentur ſplendidiora, quàm ſolidè demonſtrare, præclaram hanc non virginem tantùm, ſed viraginem, non unam, pluresve comparaſſe, ſed tot tantaſve peperiſſe victorias, ut mundum integrum ſuperbè ferocientem, ac obſtinatè reluctantem, for-

tiſſi-

Habita An. 1614. tiſſimè debellaverit, ſubdiderit, proculcarit, ac in ipſum non poſſeſſione: ſed abdicatione, non uſu, ſed contemptu verum exercuerit imperium. Quod ut efficacius comprobetur, triplex belli genus penſitare fert animus, & curſim unicuique Tereſiana ſubnotare tophæa.

A Primò ſubeſt multum ſanè diſcriminis, tantundem verò gloriæ, quod ſingulari certamine peragitur, & non niſi ſtrenuiſſimis exercetur ab athletis. Principiò campus deligitur, ſeptis circumvallatur, ſabulone ſubſternitur; tum ſpectatores agglomerantur hinc inde, ac fluctuantibus dividuntur affectibus, & periculis expalleſcunt alienis; mox concertatores pares viribus, armis, habitu, ingerunt ſe jactabundi, minitantes, violenti: ſub initium artificioſè digladiari, ſæpe vel audacter inſtare, vel conſtanter urgere; ſæpe vel cautè declinare, vel ſpontè recedere; ictus nunc dirigere, nunc retundere, iiſdemque nunc ſimulatis decipere, nunc multiplicatis circumtonare; hoſtem modò cæſim, modò punctim B petere: verùm, ubi ſanguis incaluit, & fortaſſe profuſus eſt, irrumpere penitus improvidos, ac ferri in ferrum præcipites; non ampliùs propugnare, ſed oppugnare tantùm, hoc autem non ratione, ſed impetu. Quàm vita pendet in incerto! Quàm utrinque timendus eſt exitus! Quoties, qui ferociter incumbebat, ſuccumbit infæliciter! Quoties per eventus inopinatos prærepta victori corona transfertur in victum! Quoties deludit furor artem; deſperatio virtutem, fortuna conſilium! Campus ille quaſi carcer eſt, unde præter victoriam, nulla datur ad libertatem via; videtur mare procelloſum, ex quo non niſi per hoſtilem ſanguinem enavigatur ad portum. Hinc ob arduitatem rei geſtæ, quicumque C hoc pugnæ genere præcelluere, magno quodam poſteritatis applauſu revocantur ad memoriam, ut paſſim offendet, qui veterum monumenta percurret; ſive recenſeat è Romanis tres celeberrimos illos, quorum in acquirendis ſpoliis opimis virtus enituit; ſive Græcos recolat heroas, quibus hujuſmodi concertationes palmas florentiſſimas germinarunt, ſive repetat ex Hebræis triumphis juvenem fundibularium, qui loricati Gigantis iniurioſam ſuperbiam jactato lapide contrivit, ac Immane caput impſomet procumbentis mucrone præſecuit. Et ecce Tereſia mundum infenſiſſimum terribili duello generoſè fregit. Hæc ſemina rixæ, hæc irritamenta diſcordiæ. Virgo ætate vernanti in cæleſte fædus accita, Tyranni D deteſtabilis amicitiam faſtidit, conſuetudinem detrectat, conſortium averſatur, & ſacro virginum cœtui ſub candido Carmeli ſigno militantium conatur aſcribi. Sentit hoſtis indignabundus, ac fremit excandeſcens, & ad opus impediendum occurrit armatus. Videtur arte potiùs, quàm vi conflictus inchoari, qui in menſes ferè tres longa pugnantium exercitatione producitur. Mundus multiplices aditus inſidioſè quærere. Tereſia tempeſtivè præcludere; mundus arma ſanguinis avida intorquere, Tereſia retorquere; mundus opprimere, Tereſia propellere; mundus illaqueare, Tereſia ſubterfugere; mundus denique fallere, Tereſia verſipellem eludere ſumma contentione nituntur. E

Interea dies aderat, qua vita functis expiandis, & ex acerrimis cruciatibus in ſempiternum refrigerium afferendis annuo ritu proſpicitur, cum pugna tamdiu protracta horrendum in modum exarſit, ac magno Virginis labore dirempta eſt. Inſanit hoſtis extremo conatu. Bone Deus, quàm vaſtus corpore, quàm vehemens aſpectu, quàm validus manu, quàm exitialia vibrat ſpicula, quàm periculoſa intentat vulnera! Hinc libertatis deſiderium, hinc voluptatum incentiva, hinc pomparum blandimenta, hinc nitidum honoris apparatum, hinc ingenitum à natura conſanguinitatis affectum tela jaculatur felle perlita; ac intrepidæ bellatricis viſcera perfodere, ac F medullas pervadere tentat. Quid interim illa? Periclitatur ſanè, concutitur, fatigatur, ſudat, alget, ac funditus contremiſcit; & ut eadem eſt aliquando faſſa, credidit ſibi & oſſa convelli, & ſpititum eradicari. Sed ideò ne cedit, vel deditionem meditatur, vel ab incœpto deſiſtit? Quin potius ut ignis, qui ſi coerceatur, majori evadit incendio, facta vi proſternit inimicum, proſtratum conculcat, conculcatum religat, religatum exponit ludibrio; etenim hac ipſa die, imò tempore propemodum antelucano, inſuper inſalutatis omnibus, ac uno tantùm fratre, & conſilii participe, & itineris comite, pergit animoſa victrix, ac paternis elapſa, ſacris ſe recepit in ædibus. O victoria planè digna, quæ marmoribus G inſculpatur æternis! Sic Tereſia primùm triumphavit.

Sed hæc ego prætergredior, ut ſecundum belli genus exponam, quod urbium defenſione committitur, invictiſque propugnatoribus magna laudis addit incrementa. Adeſt robuſtus exercitus, & acceſſu formidabili ſuburbana demolitur ædificia, finitimos depopulatur pagos, flaveſcentes incendit ſegetes, omnemque devaſtat circumquaque regionem. Fit deinde propinquior, ac urbem obſidione ſæpit, commeatus intercludit, annonam prohibet, aquas vel obſtructis fontibus negat, vel iiſdem venenatis contaminatas permittit, ac horrenda famis, ſitiſve monſtra mœnibus minitatur obſeſſis. Hæc ſi clauſos minimè deterreant, H expediuntur tormenta muralia, tanto crepitu globos ferreos eructantia, tantaſque moventia ruinas, ut pænè credas, nubes cælo deductas in uſum detorqueri militarem, ac in oppugnatos muros deſævire tonitrua. Elaborantur pertimeſcendi cuniculi, dum in ſubterranea cavitate conſtipatur compactus ſulphure, nitrove pulvis, qui mox ut ignitur, tremendo erumpit impetu, & propu-

gna-

Habita An. 1614.

gnacula vel angularia, vel rotunda ſubvertit, ac diruptas facit volitare turres. Demum oppletur foſſa, admoventur ſcalæ, iterantur aggreſſiones, nullæ dantur induciæ, diu noctuque extremum intentatur excidium. Defenſores verò quamvis decreſcant in dies, vulneribus langueant, attenuentur fame, areant ſiti, ac vigiliis enerventur, A perſtant nihilominus impavidi; opponunt machinas, aggeres, munimenta diruta reſtaurant, infirma conſtabiliunt, labefactata reſarciunt, quouſque interciſis ſæpe hoſtium conatibus, ipſorumque fruſtratis omninò votis, & ſolvuntur obſidione, & inſigni victoriæ laude cumulantur. Hîc exempla non congeram, etenim frequentiſſima obverſantur memoriæ vetera, oculiſve recentia. Inquirendum porrò, num Tereſia conflictu non abſimili pertentata ſit à victo pridem, ſed rebellante mundo. Jam Virgo veterana in Chriſti militia clariſſimis prælucebat experimentis, jam deſignabatur ad grandia, provehebatur ad gubernationem, cogitabat de condenda Republica. B Jam innumerabilibus laboribus exhauſtis, ſcopuliſque mille ſuperatis, primum Abulæ monaſterium ad reſtituendum erigebat Carmelum, ædemque Divo Joſepho tutelari dicatam, ut arcem faceret inexpugnabilem, ſanctitate potiùs, quàm ferro conſolidabat, & muro non magis, quàm virtute circumdabat. Non torpet interea mundus, ſed contractis undique copiis, & applicato ad locum exercitu irreparabilem attentat everſionem. Ne verò commentitia videantur hæc auditoribus meis, oſtendam quippe, ſi cupiunt, acies, vexilla, minas, excurſiones, incendia, bellica inſtrumenta, violentias, eruptiones. En Abula agitatur univerſa, adverſantur magiſtratus, reluctantur proceres, deteſtantur equeſtres, C æſtuant populares, furiunt plebei, calumniantur, & conviciantur omnes, &, quod mirum ſanè, viri pietate conſpicui nequaquam probant, ſed effræni quodam motu ab urbe concitata rapiuntur. Et ne ſit irarum meta, Senatus cogitur, ac de ſubita demolitione conſulitur, ſed hæc cælo diſſentiente minime decreta; ad regalem tamen aulam deſtinantur legati, Regis imploratur potentia, univerſa timetur Hiſpania, Roma non interquieſcit, mirum ni conjuret Europa, ut angulus quinque Virginibus inabitatus, ac Tereſia ductrice defenſus, quantocyus æquetur ſolo, ac radicitus evellatur. Sic mundus rabide graſſatur in hanc novam fortiſſimamque Juditham, tamquam in parva Bethulia latitantem, ac D ejus incolumitati proſpicientem; ut prætercam injurias aliunde coacervatas, victum penè ſubtractum, commercia penitus interdicta, amicorum defectus, moderatorum objurgationes, ac excitatas undique tempeſtates. Ipſa tamen roborata divinitus, eximia, qua præſtabat animi magnitudine, admirabili certè conſtantia, celebranda in ævum ſtrenuitate ſuſtinuit, reſtitit, vicit, atque obſidione in menſes plurimos prorogata, tandem fæliciſſimè diſſoluta; propemodum ad internecionem uſque contumacem percuſſit hoſtem, ac immortalem ſibi nomen conciliavit. Sic Tereſia ſecundum triumphavit.

D. Tereſia primum Monaſteriū condit.

Decet nunc ad poſtremam conflictationem accedam, ne longiùs, quam par eſt, oratio divagetur. E Perficitur hoc belli genus, cum aperto certatur marte, adverſiſque caſtris hinc inde concurrentibus dimicatur. Non pauca poſtulat hæc militandi ratio, ut ſecundis proſperetur eventibus. Exigit celeritatem in itineribus conficiendis, audaciam in traiicendis fluminibus, induſtriam in ædificandis pontibus, robur in cædendis ſylvis, promptitudinem in exæquandis vallibus, alacritatem in montibus decacuminandis, providentiam in comparandis alimoniis, conſilium in caſtrametando, diligentiam in explorando, vigilantiam in cuſtodiendo. Proſunt ſtratagemata, calliditates, technæ, dum vel ſinuoſis ſemitarum anfractibus, vel frondoſa nemorum obſcuritate F ad intercipiendos tranſeuntes occultantur inſidiæ; dum fuga fingitur, ac reflexo tandem curſu fit inimicorum nimis procurrentium ſtrages; dum ſimulato diſceſſu papiliones deſeruntur opulenti, ut illecti ad prædam hoſtes onuſti, ac palantes interimantur; dum ad caſtra ſecurè movenda, nocturni excitantur ignes, dum vel animus præliolis oſtentatur, vel numerus vociferatione perſuadetur; dum extemporaneis incurſibus adverſarii perturbantur imparati, ne plures hujuſmodi fallacias prolixus attexam. At verò dum conſeruntur manus, apprimè conferunt ad victoriam eminentioris præoccupatio ſitus, agminum inſtructio multiformis, ſive quadrilatera, ſive cuneata, ſive lunata, miſſa laborantibus opportunè ſubſidia, G Imperatorum adhortationes, ducum vel exempla, vel munera; nec minus hoſtem, ſive à tergo circumvenire, ſive in latus impellere; pugnam vel novo milite integrare, vel multa obſtinatione protrahere; denique corde, oculis, manu, cuncta cogitare, proſpicere, præcavere. Sic illuſtriſſimæ perpetrantur victoriæ, quarum longa ſeries tanta ſcriptorum conſenſione traditur, adeò crepanti famæ buccina pervulgatur, ut aliquas recenſere ſit omnino ſupervacaneum. Tantùm attendite, quid in hoc præliandi genere Tereſia noſtra præſtiterit. Ipſa poſt Abulenſia geſta per quinquennium parta pace fruebatur, mundumque toties contuſum, non amplius verebatur infeſtum, cum inquietum hunc H inimicum alibi ſuperbientem, & crudeliter exacerbantem iras, multaque ſe populorum cæde ſaturantem, ne dum barbaros Orientales, & Occiduos, antiqua vexantem tyrannide, ſed novis errorum catenis ſua fraude nexis Aquilonares compedientem nationes, tetra nimirum Lutheri bellua virulentam doctrinam per Germaniam evomente, magno cum gemitu, & non ſine lacryma-

Lutherus ejuſque hæreſis.

rum

Habita An. 1614.

rum imbre perſenſit. Fervet Virgo pientiſſima tantæ cladis impatiens, jam ſe cohibere nequit, jam clauſtris egreditur, totamque pervagatur Hiſpaniam, jam non ſe tuerur, ſed provocat, bellumque non expectat, ſed infert. Mundus illecebrarum mortiferis armis à ſenſu abundè ſuppeditatis adeo perniciosè profecerat; ipſa contrariis certè A telis, vitæ auſteritate luxum, animi demiſſione ſuperbiam, divitiarum deſpectu execranda lucra, obedientia contumaciam, pietate perfidiam contendit exterminare. Aſſidua preregrinatione Monaſteria conſtruxit ſeptemdecim, totidemque magnis prœliis mundum fudit, Profectò militiæ & pertulit labores, & uſurpavit artes. Suſcipit expeditiones lónginquas, in rapidiſſimorum trajectione torrentium imperterrita præit, geſtat onera viribus longe majora: nonnulla conſequitur patientia, quamplurima dexteritate, omnia virtute: adeſt conſilio, prodeſt opere, accedit exemplo: maturè meditatur, indefeſsè molitur, fæliciter perficit. Hæc in plurimis Tereſiæ factis enitere B pervincerem facile; verùm ex uno, quod attingam, vos coniicite cætera. Accerſitur Medinam, ut monaſterium condat, ſed operis optata ſecuritas, è taciturnitate, & ſedulitate pendet. Ergo adoritur urbem noctu, ac domum pro templo conſecrandam petit, ſed nullam templi formam, nullam ad conficiendum materiam, nullam ad exornandum ſupellectilem contuetur. Quid agat? Certè & Alexandri, & Cæſares deſponderent animum, ſed Tereſia minimè. Audite miraculum; imperat, exequitur, providet, inſtat, urget, extimulat, raptatur huc, illuc: depurgatur pavimentum magna ſordium colluvione fœdatum, pervetuſti, nec non hiantes parietes fortuitis condecorantur aulæis, ara nequaquam pretioſa, C ſed concinna ſatis erigitur, convenitur Præſul, veniamque flagitatus elargitur, divellitur è pulvinari tabellio, ac rem teſtibus incunctanter obſignat; & ecce albeſcente primùm cœlo, trium ab ingreſſu horarum ſpatio perlapſo, tinniunt æra non prius audita, ſtupentemque populum hortantur ad ſacra. O factum egregium! O facinus omni laude majus! O cæptum glorioſum, fortunatiſſimis quibuſque ducibus invidendum! Sic Tereſia tertium triumphavit.

Metymnam ad Monaſterium cōdendum adcerſitur.

Tereſia virtute mundū vincit.

Quid ergo mundus? Ceſſitne Tereſiæ? Ceſſit, cecidit, corruit, attritus, peſſumdatus, exanimatus eſt. Vicit mundum Tereſia, & quandoquidem cæteri ferro, ipſa virtute, tantùm cæteris ipſa victoribus, quantùm virtus ferro præſtantior. Subegit D mundum Tereſia non unam, vel alteram ſibi vectigalem faciendo provinciam, ſed potiſſimas ejuſdem vires, faſtum, cupiditates, delicias calcando generatim; victoria ut eſt univerſalior, ſic aliis quibuſcumque nobilior. Dominata eſt mundo Tereſia, non ut avara poſſidendo, ſed ut magnanima aſpernando, ejuſque dominium quò liberalius, eò reliquis luculentius.

Cerno coronam hanc ornatiſſimam, planè regalem, prorſus auream de tantæ Virginis gloria geſtire, exilire, exultare, ac internis acclamare vocibus, & jucundiſſimè plaudere non manuum teſtificatione, ſed cordium. Et ego receptui canerem, & orationem inter arma verſantem revocarem, juberemve ſilentium; ſed nonnulla è præ- E ſenti reſtant argumento, quæ non præterirem ſine piaculo, & ſi vetor explanare, conabor innuere. Non hìc finis victoriarum Tereſiæ, ſed, quod victoriam vincit omnem, ſemetipſam vicit. Incomparabilis profectò laus pauciſſimis imperatoribus, & utinam non potius hiſtoria blandiente, quàm facti merito exigente conceſſa; Tereſiæ tamen ad veræ ſanctitatis apicem præcelſa virtutum ſcala ſubvectæ, nemine ambigente, tribuenda. En comprehendi paucis, quod vix longa panegyri pro dignitate complecteretur. Nihilominus ad altiora conſurgo. Etenim Tereſia in exercendis armis huc uſque mortalibus antelata, Angelicis jam bellatoribus eſt æquanda; hoſtes quippe domuit eoſdem, F quos illi domuere, agmina ſcilicet perduellium jam dudum Michaele fulminante cæleſtibus è tabernaculis deturbata, nunc funeſtiſſimis tumultuantia ſignis, & in homines catervatim irruentia, ac truculenter debacchantia. Subjugavit hæc tam viriliter, tam frequenter, ut optarem hìc omnem exclamando vocem profundere, niſi majus adhuc facinus noviſſima ſibi dicta vindicaret. Supereſt ne ſuperandum aliquid, hominibus, ac apoſtatis Angelis adeò ſtrenuè ſuperatis? Supereſt immenſum quiddam. Certè ut homines humanum, ut Angelos Angelicum, ſic Deum quodammodo viciſſe divinum eſt. Ambitioſa Gigantum dementia extructa quondam turri cælum cogitabat invadere, ſed conatus evanuit G extemplo: verùm Tereſia ſolidiſſimam charitatis turrim, adamantina cæli mœnia quatientem, ac imperioſè ſtellatas effringentem portas eò uſque perduxit, ut inacceſſo viventibus Empyreo potita ſit, & invictiſſimi Jacob, nocturni quidem, ſed perſeverantis ad auroram uſque luctatoris, ac victoriam extorquentis æmula ſingularis, & amoris prælio cæperit, & amoris catena devinxerit dedentem ſe voluntariè Divinitatem.

Quid hìc addam? Tempus eſt ut cedant admirationi verba, & ſtupor ſubſtituatur eloquio. Verùm rapit me ſupremus Virginis triumphus, quò cælum die penetravit hodierna. Videre mihi videor ſemitam ex utroque latere extendentem picturata ſtragula, conchyliata periſtromata; deinde H coloſſos argenteos, inſcriptiones aureas, arcus porphyreticos; prætera in longam digeſta pompam illuſtrium operum trophæa, ſplendentium meritorum gazas, ereptarum mundo animarum ſpolia; mox Anglicas occurſare phalanges longiſſimè rutilantes igneis haſtis, gemmeis loricis, ac ſydereis limbis; tum beatum circumfundi populum,

Habita An. 1614.

ac ſuaviſſimum concinere pæana, poſtremò currum incorruptibili purpura conſtratum, ac theſauris immortalibus fulgentem non quaternis leonibus, ſeu binis elephantis, ſed virtutibus obſequentibus tractum, ac cæleſte capitolium introeuntem. Sic triumphantem video Tereſiam, ſed non video ſolam. Adjungitur illi Franciſcus, A cujus hodie memoria gentibus veneranda recurrit univerſis. Quàm bene dies una coronat in cælis, quos virtus planè ſimilis evexit è terris. Franciſcus ut Chriſto ahæreat, patri renuntiat inſequenti; Tereſia deſerit vel amantem: Franciſcus inſtituit clariſſimam ſanctitate gentem, maximiſque jam profectibus amplificatam; Tereſia candidatam condit familiam indies amplificandam: Franciſcus pontifici viſus eſt corruentem Lateranenſem Baſilicam fulcire tergo; Tereſia ſuppoſuit humeros collabenti Carmelo: Franciſcus, ut pro Chriſto ſanguinem prodigat, ardenti fertur affectu in barbaras regiones; Tereſia ſeptennis eodem percita deſiderio traiicere contendit ad Africanos: B Franciſcus regredi cogitur; Tereſia progredi prohibetur: Franciſcus jaculante Seraphin pretioſiſſimis quinque cicatricibus inſignitur; Tereſia Seraphico quoque vulnere per viſum in corde penitiſſimè ſauciatur: Franciſcus columen; Tereſia ſpeculum ſanctitatis: Franciſcus ſui gloria ſæculi; Tereſia noſtri: Franciſcus Italiæ, Tereſia ſplendor Hiſpaniæ: uterque & adjumentum mundi, & ornamentum cæli.

Eja felices animæ, triumphum ſimul agite, voluptate victoriæ ſimul perfruimini. Sed quò prodii nimis imprudens? Qui ſub uno pondere deficiebam, duplex ſubire non dubitavi: attamen ut tibi deſinat, cui cœpit oratio, te compello Tereſia: & hunc celeberrimum ſplendidiſſimumve confeſſum, C tui ſtudioſiſſimum, tibi addictiſſimum, exundanti lætitia, & incredibili tibi exultatione gratulantem, jam diſcedens induco mecum acclamatione ſumma dicentem: O cæleſtis Heroina, o Bellatrix admiranda, o meritiſſima Triumphatrix, jam æternum triumpha.

ORATIO

PRO INITIO THEOLOGIÆ

D AD FRATRES.

Habita An. 1607.

INter omnia mortalium omnium, Religioſorum maximè, & Deo ſacratarum perſonarum ſtudia (Religioſa Corona, mihique in Chriſto conjunctiſſima) haud dubium, quin divinæ Sapientiæ ſtudium, quo videlicet humana mens terrena cuncta tranſcendens in divinæ puritatis, & veritatis cognitionem aſſurgit, multis partibus cætera omnia vel ſtudia, vel exercitia ſuperat. Eſt enim ſtudium hoc, ut Angelicus Doctor in primo quem contra Gentiles ſcripſit libro, teſtatum reliquit, quovis alio perfectius, quovis alio ſublimius, quovis alio utilius, &, ut nihil quod humanum cor allicere ad id poſſet, deficeret; quovis alio longè jucundius.

E Sed ut ſingula hæc breviter perſtringamus; ſtudium quidem illud, quo anima cunctis, non corporis voluptatibus, verùm etiam univerſis mundi rebus, & occupationibus ſpretis ſeſe in divinæ pulchritudinis contemplationem attollit, & jugiter in cognitione divinæ veritatis exercet, eſt non ſolùm quovis alio ſtudio circa humana, vel agenda, vel cognoſcenda perfectius, verùm etiam longè beatius: ſi enim à ſacræ veritatis Doctoribus quæras in quo perfectio, & felicitas humanæ vitæ conſiſtat; non in fluxis hujus mundi rebus reſpondebunt: non in voluptatibus, non in opibus, atque divitiis; non denique in alicujus creaturæ, vel etiam omnium creaturarum poſſeſſione, ſed in divinæ tantùm eſſentiæ, & veritatis F cognitione, quæ à ſapientiæ dono proficiſcitur, ſitam eſſe profitentur. Hæc enim mentem hominis nobilitat: hæc voluntatem per amorem Deo copulat: hæc divinæ bonitatis, & veritatis participem efficit: hæc deſideriorum noſtrorum ſitim ſedat, & in ſummi illius boni, in quo ſunt omnia bona, poſſeſſione ſuaviſſimè quieſcere facit. Quapropter qui hujus divinæ veritatis cognitioni mente pura, jugique ſtudio inſiſtit, quamvis carne mortali ſeptus, jam tamen beatus eſſe incipit, vel hoc ſacro eloquio atteſtante, apud Eccleſiaſtæ capite decimo quarto: *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur*; hoc eſt, jugiter, atque continuò perſeverabit.

Humanæ vitæ felicitas in quo ſita?

Eccl. 14.22.

G Vidiſtis, quanta perfectio, imò quanta felicitas, & beatitudo huic ſtudio coniuncta ſint. At ſublimitatem, & excellentiam hujus doctrinæ, quis dicet? Breviter uno verbo rem fere incomprenſibilem comprehendam. Incomprehenſibilis certè eſt excellentia, & dignitas divinæ illius naturæ, quæ ſuper omnes creaturas infinitè exaltata, à nobis non ſolùm non comprehendi, ſed nec vel tantillum aliquid de ipſa poteſt apertè cognoſci: *Poſuit enim tenebras latibulum ſuum:* ut nequeat ab ullo intellectu creato ſublimitas & excellentia tanta videri. Sed quod videre non poſſumus, poterimùs imitari? Poſſumus certè. At quomodo? quibus ſtudiis? Non aliis, quàm divinæ ſapientiæ; per quam, inquit D. Thomas, H homo ad divinam ſimilitudinem accedit. Sicut enim divina illa natura, ſeipſam pleniſſimè, feliciſſimèque cognoſcit, ſeque ipſam contemplando, cætera, quæ ſunt extra ſe, vel agenda, vel creanda clariſſimè intuetur, & ſapientiſſimè dirigit; ſic anima huic ſtudio dedita clariſſimam iſtam lucem intuetur, quamvis fidei tenebris obumbratam, in eaque pleniſſimè, ac feliciſſimè quie-

Natura divina incomprehenſibilis.

Pſal. 17.12.

Habita An. 1607.

quieſcit; ex eaque diſcit, quæ agere, vel omittere in cunctis debeat; tam feliciter, ut non humanis tantùm, ſed divinis etiam regulis in cunctis ſuis operibus dirigatur; ex quo manet facta Deo quàm ſimillima: quod non parum, imò immenſum divinæ ſapientiæ dignitatem extollit.

A

Quas verò, & quantas utilitates ex tanta cum Deo conjunctione, ac ſimilitudine anima capiat, quis dicendo conſequi valeat? Satis ſit Chriſti, & Dei ſervis hæc una vel maxima, quod videlicet tali exercitatione indies magis ac magis Dei erga ſe amorem conciliant.

Similitudo amoris cauſſa.

Cum enim ſimilitudo amoris cauſa ſit; quò magis anima Deo per ſapientiæ ſtudium aſſimilatur, eò magis ab eo fortiùs quoque, ac dulciùs amatur: quo bono quid majus, quid utilius Dei ſervo? Sileant cuncta terrena, evaneſcant omnia, quæcumque alia dicuntur bona; quia in comparatione tanti boni, bona non ſunt.

Sap. 7. 14.

Rectè ergo de ſapientia ſcriptum eſt: *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*.

B

Quis ergo ſtudium tam excellens, tam ſublime, tam perfectum non amet? non æſtimet? Quis exercitationem tam utilem, & quæſtuoſam totis viribus non amplectatur?

Divinæ ſapientiæ ſtudium commendatum.

Si vis perfectus eſſe, divinæ ſapientiæ ſtude: ſi vis in hac vita beatus & felix eſſe, divinæ ſapientiæ ſtude: ſi vis Deo eſſe quàm ſimillimus, ſtude divinæ ſapientiæ. Denique ſi vis à Deo amari, quo nihil in hac vita felicius, ſapientiam ama. At dices utilis quidem, excelſa, ſublimis, & perfecta res eſt ſtudere ſapientiæ, laborioſa tamen, & valde ſalebroſa. Excitat animum utilitas, & nobilitas; ſed deiicit inſuavitas. Audi, audi, qui iſta temere jactas, ipſam Sapientiam dicentem:

Eccl. 24. 27.

Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & favum.

C

Sap. 8. 16.

Quod quidem expertus fuerat ſapientiſſimus ille, qui dixit: *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius*. Sed nempe ſuavitatem maximam, & illecebras animorum. Certè vel ipſe Ariſtoteles hujus ſapientiæ omnino ignarus, cum in Secundo de cælo & mundo, aliquot quæſtiones de cælicis orbibus agitaſſet, nec eas tamen plenè ſolvere potuiſſet, nihilominus aſſeruit: jucundius, multoque delectabilius eſſe, vel pauca de cæleſtibus orbibus topicè dicere, quàm multa demonſtrativè ſcire de mundi hujus rebus inferioribus. Si tale ergo gaudium eſt pauca de cælo, & mundo dubioſè, & opinativè cognoſcere, quale quæſo gaudium erit, de Creatore cæli, & mundi non pauca quædam, ſed multa valde, & non dubiè, ac opinativè, ſed firma, fixa, & infallibili veritate penetrare?

D

Certè tanta eſt in hoc genere ſtudii ſuavitas, ut ſancti viri præ dulcedinis magnitudine, non rarò corporis ſenſus, omnemque ſentiendi facultatem emiſerint: cujus rei locupletiſſimus teſtis eſt ipſe Angelicus Doctor, qui frequentiùs ſic à ſeipſo excedebat, ut omnis prorſus virtutis, & ſenſus expers fieret. De divino altaris Sacramento mira, & ſecretiſſima contemplans, flammam candelæ, quæ manum ejus fortiter urebat non ſenſit: & gravi infirmitate correptus cauterii vim, dum huic ſcientiæ operam daret non magis expertus eſt, quàm ſi corpore mortuus eſſet.

E

Conſiderate nunc, quanta ſit in hoc exercitio ſuavitas, quanta, dulcedo, cum ſic hominis animam, & corporis vires poſt ſe trahat, ut in corpore vivo vitalem ſenſum, atque motum extinguat.

Quorſum iſta, Fratres, quæ de divinæ ſapientiæ ſtudio vobis retuli? Ad veſtram certè, meamque conſolationem. Quid enim eſt aliud Theologia ſacra, quàm hodierna die auſpicamur; niſi hæc ipſiſſima ſapientia?

Theologia ſapientia dicta.

Quid eſt ſacræ Theologiæ ſtudium adhibere? Certè nihil aliud, quàm divinæ Sapientiæ operam dare. Theologia enim noſtra non ſolùm ſapientia, ſed, ut verbis utar Angelici Doctoris, maximè ſapientia eſt, non in uno, vel altero rerum genere (quemadmodum humanæ aliæ ſapientiæ) ſed ſimpliciter in omni genere: quia altiſſimam omnium generum, & rerum cauſam certiſſima cognitione contemplatur, omneſque omnium hominum actiones ipſa prudentiſſimè dirigit in ultimum finem.

F

Hæc eſt illa ſcientia (verba ſunt D. Hieronymi) quam diſcimus in terris, ut nobiſcum perſeveret in cælis. Quapropter vobis congratulor, o Fratres amantiſſimi, quod ad tantam, tamque ſublimem ſcientiam, cum tali gloria conjunctam vocati eſtis: vobis congratulor, quod in hac vita mortali hujus doctrinæ ſtudio æternam illam incipitis præguſtare, vel ipſa Veritate dicente:

Ioan. 17. 3.

Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Hæc enim ſcientia eſt, qua cognoſcimus Patrem mittentem, Filium redimentem, Spiritum Sanctum ſanctificantem.

G

Hæc doctrina eſt, quæ occulta & abſcondita ſapientiæ Dei arcana nobis manifeſtat. Hæc eſt, quæ ſine errore oſtendit nobis viam æternæ vitæ.

Ioan. 1. 9.

Hæc eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hæc denique doctrina eſt, qua (ut Auguſtinus ait) fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. O vos ergo beati, qui ad ſcientiam adeò ſublimem hodie vocati eſtis.

Ex Offic. S. Clementis.

Sed & me quoque prædico beatum ,, quem non meis meritis ſed ,, veſtris orationibus ad vos remiſit Dominus, ſtudiis, & coronis veſtris participem ,, fieri ,, & quò gratia major, dignatio dulcior eſſet, remiſit me ad vos, non ut dominum, ſed ut ſervum, non quaſi prælatum, ſed ut verè ſubditum:

H

2. Cor. 4. 5.

Nos enim veriſſimè, & ex corde cum Apoſtolo *prædicamus ſervos veſtros per Jeſum*. Optaveram ego jam pridem à prælationis officio, quod quàm indignè gerebam, teſtis eſt mihi conſcientia mea, optaveram, inquam, amoveri: orationes diuturnas multis annis ob id fudi: diſtulit miſericors Pater, diſtulit, ſed non negavit conſolationem;

Pſal. 117. 5.

Exaudivit me, & quidem *in latitudine Dominus*; quia de-

dit

Habita An. 1607.

Pſal. 88. 2.

A

Pſ. 144. 13.

dit mihi plus quàm deſideraveram, quando non tantùm me à prælatione amovit, & in ſubditorum ſortem, tam diu deſideratam reduxit; ſed etiam veſtræ religionis, virtutis, ac devotionis ſpectatorem, imò ſocium, ac participem, atque hujus ſanctiſſimæ doctrinæ condiſcipulum fecit. Quas tibi, Domine, gratias agam? *Miſericordias tuas in æternum cantabo: in generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Fidelis es Domine in verbis tuis.* Differs dare quod poſtulatur, ut dilatione creſcat deſiderium, addatur oratio, augeatur meritum; ſed tandem audis, & conſolaris clamantem ad te Deus meus. Benedicat tibi anima mea, & omnia, quæ intra me ſunt nomen ſanctum tuum exaltent.

B

Exod. 4. 10.

Ibid. v. 11. 12.

C

Pſal. 93. 12.

Sap. 9. 6.

D

Vos quoque, o cariſſimi, precor, obteſtorque, recipite me, non ut magiſtrum (ſcio enim, quàm ſim tali nomine indignus, & quia unus eſt magiſter noſter Chriſtus, & poſt Chriſtum, Angelicus Doctor D. Thomas) ſed quaſi condiſcipulum: rudem quidem, & ignorantia plenum, ſed purgandum, illuminandumque merito veſtro. Fateor, quod dum conſidero tenuitatem ingenii mei, obſcuritatem, ignorantiam impræparationem ad tantum opus, quantum eſt ſacram Dei ſcientiam interpretari, conturbor, expaveſco, & paulò minùs animo deficio, & cum Moyſe Dominum meum compellans aio: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiustertius; & ex quo loquutus es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ factus ſum*: ſed clementiſſimus Dominus puſillitatem meam confortans dulciſſimè reſpondit: *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem, & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris*. Ergo Domine, ecce ego, ecce venio, doce me quid loquar, doce ut doceam, diſcipulum ſuſcipe, & magiſtrum conſtitues. Nolo, Domine, docere, niſi quæ à te didicero. *Beatus* enim eſt *homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*. E contra verò *ſi quis fuerit conſummatus inter filios hominum, & abſuerit ſapientia tua ab eo, in nihilum computabitur*. Obvolvor quidem tenebris ignorantiæ meæ, ſed tu es lux, quæ illuminas tenebras meas. Cæcus ſum, fateor, ſed ſcio, quia tu illuminas cæcos. Nimirum ſol refulgens es, Sanctus autem tuus Thomas, ceu luna pleniſſima, & veluti ſtella candidiſſima, ac lucidiſſima in templo Dei mei. Quas ergo tenebras meas tanta lumina non evincant? Quas obſcuritates ſplendore tali non reſerabo? Quas veritates, quantumvis abſtruſas, & reconditas, fulgentiſſimam iſtam lucem manu tenens non inveniam?

In Serm. de laudibus S. Thom. qui incipit: Ecce plus quàm Salomon hic.

E

Angelici Doctoris doctrina quanti facienda?

F

G

Certè ea eſt eximii Doctoris hujus ſapientia, & profunditas, ea ſinceritas, & puritas, ut quivis ejus doctrina inſtructus, omnes fidei veritates indagare, omneſque errores, & falſitates cavere facilè poſſit. Ut enim Innocentius Papa VI. teſtatum reliquit, *hujus Doctoris doctrina præ cæteris (excepta canonica) proprietatem habet verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; ita ut numquam, qui eam tenuit inveniatur à tramite veritatis deviaſſe, & qui eam impugnavit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus*. Verba ſunt ſummi, maximique Pontificis Innocentii. Quare merito Urbanus V. in Brevi ſuo ad Univerſitatem Toloſanam, poſt multa de laudibus & veneratione ſanctiſſimi Doctoris, tandem in fine concludit: *Iniungimus*, ait, *vobis, ut doctrinam ejus tamquam veridicam, & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare*. Adeo ſanctæ Eccleſiæ Pontifices doctrinam hujus ſancti Doctoris venerati ſunt, ut (canonica excepta) nullam puriorem, veriorem, compendioſiorem, & ſecuriorem eſſe adeò graviter conteſtati ſint. Ergo Doctor ſanctiſſime, Magiſter venerabilis, gemma radians Religioſorum, fons Doctorum, candelabrum aureum univerſalis Eccleſiæ, lumen præfulgidum, lucerna ardens, & lucens, per quam omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ingrediuntur, lumen vident veritatis, ſuſcipe alumnos, & noviſſimos diſcipulos tuos, & tamquam parvulis in Chriſto lac nobis potum da. Erudi, Præceptor ſanctiſſime, rudes, & quia tu dixiſti in Proemio Summæ tuæ Theologicæ, quam explicandam ſuſcipimus, intentionem tuam eſſe non tam docere provectos, quàm incipientes, & novitios dirigere (ea enim erat humilitas tua, ut ſatis tibi videretur, hujus doctrinæ novitios utcumque dirigere, qui etiam provectiſſimos poteras erudire) fac humillime, & ſapientiſſime Doctor, quod dixiſti; nos incipientes, & novitios ſuſcipe, erudi, dirige, & quid ſenſeris in ſcriptis tuis non dedigneris aperire; quod, quia de clementia tua confidimus, ſub tuo adiutorio jam jam ad opus accingimur.

* * *

ORATIO I.

In natali D. Thomæ Aquinatis.

Habita An. 1585.

H

VIrtuti ea eſt ingenita vis, ut cognita, vix à quoquam illaudata præterlabi poſſit, quo fit, Religioſi Auditores, ut non immeritò infinita propemodum, quæ in D. Thoma claruere virtutum genera, adeò violenter fratris, & commilitonis mei affectum irretire valuerint, ut me habiturum in hoc pomeridiano ſtudio de D. Thomæ laudibus orationem ſpoponderit. Cujus ego juſtiſſimam ſponſionem utcumque adimpleturus, unà cum ipſo iterum concordi voluntate, utriuſque ſortis aleam ſubeo: ſubeo, inquam, & lubens, cum ea omnia,

quæ

Habita An. 1585.

quæ ſolerter nimis ii, quibus apud alios dicendi munus incumbit venari ſolent, ſeſe mihi feliciter ſatis hodierna die de B. Thoma dicturo obtulerint. Solent ſiquidem, qui publici oratoris partes agunt, ut benevolentiam audientium (qui potiſſimus in dicendo ſpectatur finis) commodiùs ſua ad A ſe rapere oratione valeant, temporis opportunitatem, loci amplitudinem, tum maxime verſandæ materiæ ubertatem, & convenientiam ſagaci perquirere induſtria, ut his ſaltem circumſtantiis (ſi verborum defuerit lepos) inſtructi, rei utilitatem, aut neceſſitatem feliciùs perſuadere queant. Quis itaque non videt, quàm opportunè de Divo Thoma in ipſa D. Thomæ ſolemni die oratio habeatur? Quàm rite in devotiſſima Divo Thomæ ſchola, mira ipſius Divi Thomæ ſanctitas, & divina prope in docendo ſolertia communi circumſtantium omnium voto extolletur? Quàm grata tandem, ac Thomiſtarum genio conſona apud Thomiſtas D. Thomam laudare, ac celebrare ſit materia? B Congruè profectò adeò hæc ſeſe omnia obtulerunt, ut non poſſim non ingenuè profiteri, nihil ulterius præter ipſius dicentis artem, aut orationis leporem deſiderari potuiſſe; quæ etſi in me nulla ſint, nihil tamen horum vereor, neque ingens ipſorum penuria me à dicendi voluntate quidquam deterret: non enim apud vos dicentis animum labi, veſtra patietur benignitas, neque ſui encomiaſtis ingenium atteri D. Thomæ patietur ſollicitudo.

D. Thomæ Aquinatis proſapia.

Principem virum regio inſignitum ſtemmate, principe utroque oriundum parente, D. Thomam fuiſſe nemo neſcit, quæ omnia etſi non mediocriter Chriſtiani athletæ (qualis fuit D. Thomas) & palmas & generoſitatem extollant, ea tamen nec me temporis anguſtia ſeriatim enarrare patitur: C neque innumera pænè (quæ & utiliora, & opportuniora ſeſe prius explicanda in orationem quaſi violenter ingerunt) locum eis in oratione permittere potuerunt. Celebre profectò, imò apud omnes gentium omnium nationes ſummæ laudi vertitur, hæc omnia ſibi hæreditario, & naturali jure vendicare potuiſſe, ſed quàm generoſius, quàm Heroe Apoſtolico dignius omnia illa infracto pectore & viciſſe, & procul à ſe removiſſe fuerit, Chriſtianus judicet. Atqui hæc in uno Thoma adeò mirabili providentia operatus eſt Deus, ut ab ipſo pænè nativitatis ſuæ exordio, in mediis honorum illecebris naſcens ipſis indigere cæperit. Verumtamen ne quæ vagienti adhuc, & in cunabulis verſanti beneficia omnipotentis diſpoſitione contigerunt, D moroſi nimis de D. Thoma altiora audire geſtientibus ſubtexere videar, illa, quæ grandævus, & quaſi proprio marte patravit, ſi non pro dignitate ſatis, pro niſu ſaltem bonæ voluntatis, oratione prius complectamur.

Prædicatorũ Ordinem ingreſſus.

Decimum quartum (vel, ut aliis placet decimum ſeptimum) ætatis ſuæ annum agebat, quando inextinguibili ſupernæ patriæ ardore exæſtuans, ita conſtanti affectu peritura omnia non modò procul à ſe relegavit; verùm etiam Dominum per ſpinoſum crucis tramitem perfectiſſimè ſequi decrevit. Quod, ut uberiùs exequeretur, florentiſſimi Prædicatorum Ordinis aſperitatem ſubeundam elegit. Inſcia itaque matre, inſtar Domini ſui, ut in eis, quæ patris ſui cæleſtis E erant, eſſet in templo ſedens, prius exemplaris vitæ ſanctimonia, quàm ſermonis, aut doctrinæ poſtmodum futuræ abundantia docere cæpit. Sed quis, quæſo, tunc rugientis dæmonis, imminentemque ſibi cladem præſagientis impetus humano explicabit ſermone? Ille enim afflictæ matri aures importuno obrodens ſuſurro impatienter agitat, & ne unicè dilectæ prolis jacturam impunè patiatur conſulit. Urget illa, & ingenti tum generis auctoritate, tum materno potentior affectu Thomam furtim, & clam Neapolim deſerere cogit, ne pretioſam ſuſceptæ crucis margaritam deſerere cogatur. Fugit ille; ſed illa ſagaci induſtria fugientem inſectans, tandem corripuit, ac poſtquam innumeris F conſtantiam ejus unà cum Thomæ ſororibus labefactare conata eſt blanditiis, victa demum, atque iræ impatiens victorem filium in tenebricoſum carcerem deturbavit, in quo mirifica animi virtute plurimas injurias, convitia, contumelias, famem, ſitimque, ac longa (ut ſinceriùs loquar) martyria ſuſtinens, biennium exegit: ibi numquam, ut ingenuæ erat indolis, invictum animum, aut ab oratione, aut à lectione relaxavit. Hic ille locus fuit R. A. in quo otium mira ſolicitudine devitans, ut primum ingenii ſui ſpecimen ederet, Elenchorum libros conſcripſit. Infallibile profectò augurium, imò futuri poſtmodum roris illius, quo totam irrigaturus erat Eccleſiam pignus certiſſimum. Hic ille, inquam, fuit locus, in quo G inter tot ærumnas, tot adverſitates, tot, & tanta denique variarum afflictionum genera, adeò virtutis Chriſtianæ decus perpolivit, ut meritò eam in infirmitatibus amplius perfeciſſe dici poſſit. Ad cujus fidem inter alia pæne innumera præclara facinora, occurrit ſingulare illud certamen, in quo ab impudica, ſed eleganti nihilominus forma muliere, cautè tentatam caſtitatem, ſtrenuè conſervavit. Eam enim, ut primum fucatis conſpectum ſuum ſubeuntem blandimentis advertit, candente titione abrepto, veritus periculum confeſtim abegit, atque exinde humi defixo capite ad orationem regrediens ita Deum in ea intimè attigit, ut in ſingulare præclari facinoris beneficium, ab Angelis zona caſtitatis ita præcingi meruerit, ut H nullam deinceps in toto vitæ curriculo carnis pruriginem, nullum denique inſoleſcentis libidinis fomitem ſenſerit. O inauditam adoleſcentis Thomæ inter tot blandimenta conſtantiam! O mirabilem inter tantas mundi, erebique inclementias fortitudinem! Quæ omnia, ſi in homine principe, ſtirpe regia oriundo, decimum vix quartum annum agente perpendantur, non humana certè, ſed

Quæ a Parentibus paſſus?

Mulierem impudicam titione fugavit.

Habita An. 1585.

ſed divina, non audita alias, ſed prodigioſa videbuntur.

Emenſis demùm invicto adeò pectore tot nocte dieque ærumnis, tandem aliquando in pacatos dilectæ Religionis ſinus intimiùs ſe recondere poſſe divina providentia datum eſt; ubi ea ſe aviditate ad orationis, ſacrarumque litterarum ſtudia (quorum puro flagrabat amore) A quamprimum contulit, ut quæ retulerit inde emolumenta, humanæ eloquentiæ vires vix exprimere poſſint. Quantum autem lumen, quantumve decus toti inde exhibuerit Eccleſiæ, ipſa, quæ feliciter nimis conſcripſit, volumina fidem faciunt; ipſa, inquam, quæ adeò non humano tantùm, ſed Angelico pollent ſermone; ut ore intrepido à ſummo Pontifice ita exaltari meruerint, ut quot continerent articulos, tot ab ſapientiſſimo Doctore hoc patrata fuiſſe miracula pronunciaverit. O inſigne, dignumque tam cæleſtis doctrinæ encomium! Cœleſtis ſiquidem, cum potiùs continuo orationis ſtudio, quàm diuturnis parta fuerit lucubrationibus. Nam quid quæſo ſtudenti Thomæ familiarius, ac crebrius B contingebat, quàm ſopitis omnibus omnino ſenſibus extra ſe rapi? Qua in ecſtaſi non operantis intellectus vigore, ſed inſtar alterius Joannis ſupra Domini pectus placidè recumbens, atque Angelico more mira, & imperſcrutabilia ſimplici complectens intuitu, arcana recondita, ita profectò ſolerter exhauſit: ut à Cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ de pariete egreditur, ceu alter Salomon diſputarit. A Logicalibus enim inſtrumentis exordium ſumens, totam, tum naturalem, tum moralem, tum demum primam, & principem Ariſtotelis Philoſophiam explanavit, atque ea proculdubio ingenii ſagacitate ſuis C eam exornavit commentariis, ut id Doctorum neminem præter unum Thomam potuiſſe facilè credi poſſit. Sed quid, quæſo, in eminentiſſima, ſacratiſſimaque de Deo ſcientia illibatum reliquit? Junior enim, poſtquam Sententiarum Magiſtri libros incredibili acumine expoſuit; ita Theologiæ totius Summam mirum reduxit in ordinem, ut hodierna die primus Theologiæ parens, & fons nullo diſcrimine nuncupari queat. Ille unus profectò acri ſophiſmata zelo redarguens, ſcholam erroribus repurgavit. Ille ſincero Spiritus ſancti fulgetro illuſtratus, hæreſeon omnium, inſtar lernææ Hydræ caput attollentium cervicem contudit. Quis enim Eutychen, quis Photinum, quis Neſtorium, quis aliorum inhumanos errores, uberiùs repreſſit? Multos fateor & graviſſimos D D. Thomam præceſſiſſe Patres, qui graſſantem hæreticorum perfidiam, & damnarunt, & confuderunt: ſed nemo penitus acriùs, nemo munus iſtud ſubivit inſtantiùs, prout Conciliorum, quæ poſt ipſius obitum celebrata fuere ſacroſanctæ ſanctiones teſtantur; quæ ita cum noſtri Angelici Doctoris diſciplina mirificè cohærent, ut illa ſolummodo Patres, quæ prius ſanctus Doctor ſtatuerat, definiviſſe videantur.

D. Thomæ doctrina adſidua oratione parta.

Omnes hæreſes ab D. Thoma profligatæ.

Novi Græcorum errores quando exorti.

Exorti ſunt ipſiſmet D. Thomæ temporibus novi, & exitiales nimis inter Græcos errores: nova, & hactenus inaudita, ſchiſmata: novæ denique & repentinæ traditiones, neſcio quo virulento, & periculoſo larvatæ fuco furtim irrepebant, quæ omnia E in Romanæ, & Chriſtianæ familiæ pacem, ſæviente dæmonum æſtu, crudeliter conſpirabant: omnia ſinceriſſimæ veritatis exitium, & interitum (ſi tamen veritatem emori fas eſſet) machinabantur. At verò, tum fidelis Thomas, & ſuper Domini ſui gregem pervigili adſtans oculo, cautè nimium debacchantibus inſoleſcentium animorum furoribus generoſo occurrit pectore, ac variis Chriſtiano zelo in lucem editis opuſculis, inſurgentem delirantium errorum cervicem obtruncavit, laceſſitum Eccleſiæ vallum mirifico ſermone tutatus eſt; fidelium omnium mentes aut ab imminenti, aut à decocto jam contagioſarum hæreſeon viru repurgavit. O te felicem Thomam, & quem præ cæteris beatum Regina Saba F prædicat, qui ita familiariter in veri Salomonis conſpectu miniſtrare meruiſti, ut altiora tibi divinæ mentis arcana toti Chriſtianæ Reipublicæ palam facere concederetur! Tibi incomprehenſibiles inacceſſibilis Dei perfectiones ſine errore nobis aperire datum eſt. Tu verendiſſimæ Trinitatis diæreſin, ſimul & adiæreſin optimè noſti. Tibi rationalium creaturarum eſſentia, motus, ortus, & fines denique omnes peculiari quodam favore revelati ſunt. Tu auguſtiſſimum in redemptionem noſtram incarnati Verbi myſterium, ſpecialiori præ cæteris omnibus acumine explanaſti; cujus rei unum, & irrefragabile te dulciter nimis alloquentis Crucifixi teſtimonium ſufficiat. Tu Sacramentorum G denique, quæ ſalutis noſtræ potiſſima ſunt inſtrumenta, naturam, efficaciamque acutiori præ cæteris lumine penetrare valuiſti. Tu naturalia ſupernaturalibus mirabili harmonia concordans, pervicaces Gentilium animos multiplici ratione confundens, in veritatis gremium reduxiſti; atque Pauli alterius inſtar exuberante doctrinæ tuæ profluvio, Eccleſiam irrigans orthodoxæ fidei limites mirificè ampliaſti.

Hinc, quàm optimo jure Doctori ſuo votiva hodierno die Eccleſia rependat ſolemnia, quiſque cenſeat. Quàm meritò Coryphæo ſuo univerſa ſacrificet ſchola, omnes ingenuè, palam profiteantur. Theſeum morti, & minotauro deſtinatum, jam ipſis inextricabilibus Dædalei labyrinthi faucibus H implicatum miſerantis Ariadnes induſtria liberatum fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Ariadnes, inquam, quæ perituri Theſei juventute miſerata (poſtquam furtim veneno conſperſum panem, quo inhiantis minotauri inſatiabilem rabiem ſopiret, ſubminiſtravit) ingenti demum, & ferrea clava illum, qua ſopitum monſtrum mactare va-

Habita An. 1585.

leret, munivit, atque porrecto poſtmodum fili glomere, quem ab ipſo labyrinthi limine per omnes circumfuſos anfractus diſtenderet paulatim, & paſſim in gyrum recolligens via, qua ingreſſus fuerat placidè, & ſine ullo vitæ diſcrimine incolumem juvenem reduxit; qui feliciter è monſtri exemptus faucibus tantæ bene memor gratitudinis, in Naxo inſula Ariadnæ redemptrici A ſuæ, votiva quotannis ſacrificia exhiberi curavit. O quàm potiori jure univerſa, tum Philoſophorum, tum Theologorum ſchola, Thomæ liberatori tuo, hodierna die ſacrificare conaris? Ipſe profecto, te ſaporato diſciplinæ ſuæ vigore ita permunivit, ut facilè in quietem tuam conſpirantium hæreticorum virus ſopire valeas. Ipſe te Angelici ingenii ſui clava, qua ſophiſtarum aciem retundere valeres, accinxit. Ipſe tandem adeò tibi firmum, & ſecurum Chriſtianæ veritatis filum, quo ſinuoſas errorum ambages tutò pertranſire queas porrexit.

Angor profectò, & non mediocriter, inter duo, quæ me utrinque urgent conſtitutus: premit præfixum mihi in dicendo B ſpacium; ſed vix ſine rubore tacito præclarum quoddam, & nuperrimè D. Thomæ oblatum diadema tranſvolare conceditur. Eſt enim (quod veſtrum neminem latere reor) perlucidus iſte divinæ ſapientiæ fons, Romanæ Eccleſiæ Doctorum numerò ſolemni voto inſertus; quintam tot ab hinc annis in Eccleſia vacuam ſedem obtinuit, & inter Hieronymos, Auguſtinos, Ambroſios, & Gregorios connumeratus, ut fœcundiſſimum ſal terræ condiendis fidelium mentibus adhibetur, & tamquam ſplendidiſſima lucerna ſuper eminentiſſimum Reipublicæ Chriſtianæ candelabrum poſitus, lucem undequaque puriſſimam diffundens, omnibus emicat. O verè materna erga unum Tho- C mam Eccleſiæ viſcera! O egregium maternæ dilectionis pignus, & inter innumeros penè favores ſingulare privilegium! Quid ſublimius, quæſo, dilectæ proli conferre, aut quo auguſtiori ſtemmate illam hac, propter hæreticorum virus, periculoſa tempeſtate inſignire poterat? Præceſſerunt proculdubiò quamplurimi, qui iiſdem Chriſtianæ Religionis enixi viſceribus, eodem prorſus lacte enutriti, plurimos, & calamo, & prædicatione ſudores propter commune fidei emolumentum ſubiere: ſed nemo latini Doctoris palmam, nemo inſignia præter unum Thomam præripuit. Sic illa communis fidelium mater, prius Bernardum, Fulgentium, Anſelmum, propriis educaverat D uberibus, prius laborum materno gremio exantlationes ſuſceperat, ſed jure optimo iſtis mirificè aliundè ſublimatis, ſolum Thomam ad doctorale ſolium evexit. Ingens eqidem ſummi Dei erga familiam ſuam ſollicitudo, & ſpeciale, tum paternæ dilectionis, tum futuræ in dies amplioris gratiæ præſagium. Tibi igitur, o præpotens mundialis hujus fabricæ plaſmator, pro talibus immortales gratias decantamus. Et tibi, o Doctor optime, tantæ dignitatis faſtigium gratulamur. Tibi meritò, o celeberrimè totius Academiæ Princeps, votum perſolvimus: tuarum merito virtutum infinitam laudem, incompto licet ſermone, celebramus. Tu è glorioſo ac ſublimiſſimo ſolio, in quo feliciter ſedes clientum, & diſcipulorum tuorum obſequium ne dedignare. Tibi, fateor, thure, & auro litare de- E buiſſem, verum, o Magiſter benigniſſime, cum talia non habeam, lac meum, aut molam (ut ajunt) ſalſam, noli repudiare: verùm potius, ut Sanctorum mos eſt, pro næniis iſtis incorruptibilia nobis rependens præmia, efficaci tua trahe virtute, ut ad præparatum nobis bravium, quod Chriſtus eſt, inoffenſo pede properemus.

ORATIO II.

Habita An. 1587.

TErret me, Religioſi Auditores, vetus illud D. Thomæ, qui rogatus quorſum F tamdiu ſub Alberto ſiluiſſet? Quia (inquit) nihil dignum quod ſub Alberto loquerer habebam. Fidem annuam ſtudiorum noſtrorum D. Thomæ, Principi noſtro præſtamus; verumtamen, ſi cur ſub D. Thoma ſilentium perdiderim, quis roget; erubeſcam, cum nihil dignum, quod ſub tanto Principe eloquar, habeam. Nec tamen mihi à Doctoris noſtri encomiis deſiſtere licet: trahit enim huc conſuetudo laudabilis, quàm violare nec decor, nec lubentia eſt.

Verumtamen, ut avaritiæ temporis mihi ad dicendum præfixi morem geram, nihil de comitum Aquinatum ſplendore, nihil de eorum præſtantia, nihil denique de præclaris ipſorum facinoribus dicam; qui quam- G vis ſtemmate regio clari fuerint, nihil tamen D. Thomæ nobilitas ab ipſis, ſed ipſi plurimum à D. Thomæ nobilitate ſplendoris acceperunt.

Silebo etiam ortum ipſius non vulgarem, prægnanti matri divinitus præmonſtratum, infantiam laudabilem, adoleſcentiam admirabilem, & cætera, quæ toti mundo in puero principe portenta videbantur; ut nonnihil de gravioribus morum, ac literarnm ſtudiis effari liceat.

Tempeſtate, qua D. Thomas noſter mundo illuxit, receptiſſimum erat apud primores viros, adoleſcentes filios monaſteriorum clauſtris recondere, ut ibi doctrinarum rudimentis morum ſanctitatem, vitæque elegan- H tiam conjungerent. Quæ res longè feliciſſimè adoleſcenti Thomæ ſucceſſit. Nam ab ineunte ætate parentum induſtria Caſſinenſi cœnobio incluſus, ita altè ſanctam Monachorum illorum vitam imitari, morumque ſinceritatem imbibere cœpit, ut non ad hæc capeſſenda, verùm hæc illi ingenita, & naturalia fuiſſe, virtuteſque illas, tamquam annonam, qua viveret illuc tuliſſe quiſque judicaret. Erat enim animo humilis, modeſtus

Monachis Caſſinatibus educandus traditur.

deſtus

Habita An. 1585.

deſtus, verecundus: in obediendo facilis, in dicendo gravis. Augebat hæc plurimum ingenua Thomæ induſtria, qua ſedulò conabatur, ut indies modeſtior, ſanctior & temperatior fieret: diligentiſſimè ſatagebat, qua ratione turpes omnes inſoleſcentis animi notas effugere poſſet; quo pacto A majori reverentia ſanctos illos viros ſibi magis conciliaret: ſtudebat ſemper parcè, & cautè loqui, & ſi quæ illi verba proferenda occurrerent, aptè, & pro loci in quo degebat ſanctitate proferre: ita denique totius vitæ ſuæ inſtitutum firmavit, ut injuriam loco, & perſonis ulla ratione inferre minimè potuerit. Juvabant mirificè adoleſcentis ſanctitatem, aſſiduus labor, frequens cæleſtia meditandi conſuetudo, atque indefeſſa tandem virtutum omnium exercitatio. Quæ omnia adeo Thomæ indolem evexere, ut de ſanctitudine, morumque candore facile cum perfectiſſimis, ac ſenioribus monachis certare potuiſſet. Grandior annis factus, ad ſuoſque revocaB tus, cum de eligendo vitæ genere ſecum diſceptaret; ſpretis majorum ſuorum imaginibus, quæ dudum continua ſucceſſione martio pulvere nigreſcebant, ſe totum ad liberaliores diſciplinas perdiſcendas devovit. Erat tunc temporis Academia, Gymnaſiiſque percelebris Neapolis, quò quicumque ex Romanis literarum otio oblectabantur, confluebant. Illuc igitur divertit Thomas, magnaque ingenii felicitate, ac temporis brevitate humaniorum diſciplinarum (quibus philoſophiæ primordia conjunxit) amplitudinem aſſecutus eſt, &, quod maximum eſt, veteris propoſiti bene memor, morum ſanctimoniam mira excolebat prudentia; unde fallaces mundi laqueos exoſus, ad paC catius vitæ genus tranſvolare decrevit.

S. Dominici Inſtitutum amplectitur

Florebat ea tempeſtate non ſolùm in Italia, verùm etiam in univerſa Europa celebris Dominicanorum familia, religioſorumque in ea virorum frequentia quotidie augebatur. Hanc igitur ſibi D. Thomas ad ſecuriorem vitæ viam ingrediendam elegit; quam cum jam conſecutus fuiſſet, quas dæmonum calliditates ſuperaverit, quas parentum inſidias, quas blanditias, quantas perſecutiones expertus fuerit, quis dicet? Sed poſtquam infinitam penè mundi, carniſque malitiam ſtrenuè, ſub invicto Chriſti nomine pertulit, & devicit; poſt diuturnas carceris injurias, contra tantos, forenſes, & civiles domeſticæ perſecutionis tumultus, ſe arcta clauſtri cuſtodia ſepivit; ubi arcanis, dum inſudaret contemplatioD nibus, ſuperiorum juſſu Lutetiam primùm Pariſiorum, & poſtmodum Coloniam Agrippinam ſacratiorum ſtudiorum ergo, magno labore proficiſci compulſus eſt. Ubi ſub Alberto, verè Magno, Theologiam, aliaſque diſciplinas, pro Religionis ſuæ more incredibili diligentia exhauſit. Erat enim acri, & acuto adeo ingenio, ut commilitones ſuos, & brevitate in addiſcendo, & perſpicacitate in penetrando anteiret. Quæ facile teſtantur infinita penè, quæ latiſſimè, nec non ſubtiliſſimè ſcripſit, & diſputavit. Nemo enim (ut apud malevolos etiam in confeſſo eſt) graviori & faciliori ſtylo de naturalibus, nemo modeſtiori, & cautiori calamo de ſupernaturalibus diſſeruit.

Sub Alberto Magno Theologicis Diſciplinis incubit.

D. Thomæ Aquinatis humilitas.

Verùm, quia ſtudiorum ſuorum methoE dus, & admirabilis valde, & religioſis viris digna, imitanda, & perutilis eſt, placet eam raptim in ſcenam adducere. Erat igitur Thomas humilitatis adeo ſtudioſus, ut cum ingenii vivacitate, judicii pondere, dicendi præſtantia ceteros omnes longè ſuperaret: nihilominus diù cæteris tardior, obtuſioris ingenii, longeque indoctior habitus eſt. Quæ dum exemplo Chriſti Domini ſui perferre ſtuderet, ſapientior, & ſanctior indies evadebat. Ab unoquoque doceri conſtanter patiebatur, unumquemque licèt nugas, & parum ſolidam doctrinam effutiret, ne ei mœroris anſam præberet, attentè audiebat. Omnibus denique mira animi lenitate aſſentiebatur. At tum, ubi lubens in noviſſimo loco recumberet, ſuF periùs aſcendere, & primum locum, occupare iuſſus eſt. Nam divino conſilio, divinaque providentia factum eſt, ut à gravioribus, & inſignioribus Thomæ condiſcipulis, ac potiſſimum ab ipſo præceptore Alberto res deprehenderetur; atque poſtmodum, ut ille, qui in humilitate ſua deliteſcens depreſſus fuerat, ſuper ipſos Libani Cedros exaltaretur: Viderat fortè Albertus, quid in re difficili clam, & apud ſe D. Thomas commentus fuerat; qui, ut prudens ingeniorum æſtimator, diſcipuli ſui ingenium miratus eſt, eumque ad ſe illico vocatum ad difficillimam ſententiam propugnandam ſe comparare jubet. Renuit ille G (ut erat humilis) quoad potuit, at Albertus, qui de ejus ingenii valore periculum facere decreverat, ut demandatum onus acceptaret, tandem compulit. Qua in re mira ingenii dexteritate adeo egregiè, & promptè perplexitates, nodoſque omnes Thomas diſſolvit, ut conventui ſtuporem, & ſilentium, præceptori verò hactenus inexpertum honorem attulerit: cui ita diſcipuli acumen arriſit, ut nulla amplius ratione humilitati, & modeſtiæ ſolitæ ipſum indulgere permiſerit; quin potius ſolicitè ad publicè diſſerendum, & provocabat, & compellebat, eoque res deducta eſt, ut Thomas jam non amplius lucerna ſub modio poſita eſſet, ſed ſuper candelabrum, ut univerſos, qui in domo erant, illuminaret. Sed nihil proculdubiò mirum; nam quid ilH li, quem peculiaris ſpiritus unctio edocebat, obſcurum eſſe potuit? Talem profectò fuiſſe Thomam depingunt, qui cum eo familiariter deguere, ut præcipuam ſapientiæ ſuæ portionem pietate, orationibus, jejuniis, vigiliis, aſſiduaque infirmæ carnis maceratione, à Deo Optimo Maximo promeruerit. Atque ut hoc ipſum cautius conſervaret, communes, & inanes ſermones, externarumque rerum omnium curam ſemper

Habita An. 1587.

per neglexit, & ita Deo ſibique vivebat; ut inſtar alterius Pauli, dum inter tumultuoſos mundi ſtrepitus verſaretur, ſuavem in cælis converſationem haberet. Teſtis nobis inſignis quidam, & familiaris Doctoris ſapientiſſimi auditor, quemque ob ipſius ingenii præſtantiam in locum D. Thomæ poſt ſancti viri obitum ſuffecerunt. Iſte igitur A ſanctiſſimi præceptoris ſui auditorium moderaturus, antequam ſermonem exordiret, in lacrymas palam omnibus reſolutus brevem de excellentiſſimo Magiſtro ſuo orationem habuit, in qua magna ſinceritate, quæ ſequuntur enarravit. Profunda noctis hora, cum aliquando propè viri ſancti cubiculum vigilarem, audivi duorum, cum eo colloquentium voces, quod dum totus admirarer; arrectis auribus expertus ſum, num vel qui eſſent, aut qua de re loquerentur, percipere poſſem? Verùm eos dignoſcere mihi nulla ratione poſſibile fuit, intellexi tamen, quod de Scripturæ Sacræ ſententia quadam diſceptarent. Quievere tandem voces; verùm neminem diſceſſiſſe B ſatis firmiter judicavi. Accerſitus poſtmodum à ſancto viro, ipſiuſque pedibus provolutus adiuro, & obteſtor, meque nuſquam illinc diſceſſurum affirmo, ni prius quinam fuerint, quibuſcum jam nunc ſermones conferebat, aperiret. Obſtitit ille, repulitque non parum: victus tandem precibus, rem primum ſecretiſſimam tenere jubet, atque inde, ſe aliquot diebus in anguſtiis verſatum fuiſſe refert, quod in aliqua Vatis Iſaiæ ſententia exponenda omnes vias ſibi præcluſas fuiſſe videret, ſeque enixis ad Deum precibus, & fuſis ubertim lacrymis rogaſſe, ut ſuo ſplendore rem clarificaret: qui piis indigni ſervi ſui votis annuens ad me edocendum (inquit) ſanctiſſimos Apoſtolos Petrum, & Paulum delegavit. C

In quodam Iſaiæ vaticinio a Principibus Apoſtolorum eruditus.

Quis non igitur ſolidam, & puram, cæliturque revelatam D. Thomæ doctrinam confitebitur? Quis ab ea facilè diſcedere audebit? O felix Thoma, qui non tumida ingenii humani aura, ſed divina revelatione acceptam diſciplinam propalaſti.

Hinc libentiùs profectò quæſtionem difficillimam, quàm matutino congreſſu aliquantulum ſpeculati ſumus, tueor. Nam licet prima fronte audax non nihil videatur ſupremæ Dei omnipotentiæ aliquid denegare; quis tamen ſcit, an non fideli ſervo ſuo, Doctori noſtro Angelico id revelare Dominus voluerit? Qui, uti ei plurima alia circa D inexplicabile Chriſtiani ſacrificii ſacramentum revelavit, ita facilè potuit in collocando in duobus ſpatiis uno, & eodem corpore, illimitatæ potentiæ ſuæ limites aperire. Fidem faciat præclara vox illa, quæ Thomam Pariſiis orantem placidè compellavit.

Suborta fuerat circa divinum ſacrificium inter Pariſienſes periculoſa lis, cujus judicium ad unius Thomæ ſententiam concordi omnium voto devolutum eſt; qui ſcripſit, & multa in rem iſtam commentatus eſt: verumtamen nuſquam rem decidere auſus E eſt, quin Deum diu, & arcana oratione conſuluiſſet. Jacebant ſuper altare ſcripta, præſentibus, Deumque ſimul exorantibus Religioſis ſui cœnobii, dum vir ſanctiſſimus in mentis poſitus exceſſu, ceu alter Moyſes in aera raptus, & in conſortium Domini vocatus laboris ſui (voce cælitus emiſſa) comprobationem accepit. Bene, inquit, de iſtius Chriſtiani Sacrificii myſterio ſcripſiſti Thoma. Quis igitur, inſpecta Thomæ humilitate: quis cognita ipſius erga Deum, Deique omnipotentiam pietate, ipſum ſine peculiari revelatione, præpotentis Dei potentiæ aliquid detraxiſſe credere poterit? Nemo profectò; cum potiſſimùm aliquando ad ipſum auguſtiſſima Dei Genitrix F delapſa ſit, & omnia, quæ tum de Sanctiſſima & individua Trinitate; tum de ineffabili ſacratiſſimæ Incarnationis myſterio ſcripſerat, ſingulari favore probarit. Sed quid taceo, Dominum ipſum ſub veneranda Crucifixi effigie loquentem? qui univerſali approbatione omnia, quæ de ipſo B. Thomas tradiderat, commendavit.

Veritatis oraculum ſcripta D. Thomæ adprobans.

Obruit me meritorum D. Thomæ ſeges, quare finem dicendi facio. Non enim debili encomiaſte eget, quem tot, tamque præclara monumenta immortalem effecere; quem tot, & tanta, omni laude ſuperiora volumina aſſiduè prædicant: quem denique materno gremio univerſalis Eccleſia non G ſolùm ut filium, verùm etiam ut præſtantiſſimum Doctorem ſuſcepit. Cujus doctrina hodierna die ita inter probatiores Theologos in honore eſt, ut ab ea recedere vix aliquis audeat, vel præſumat. Qui enim cum D. Thoma non colligit, diſpergit.

Invocatio.

Hæc ſunt, o Doctor excellentiſſime, & unicum ſcholæ noſtræ præſidium, quæ, dum tibi annuos ludos perſolvimus, in honorem tuum congerere pro temporis anguſtia potui. Exilitatem ſacrificii ne dedigneris, obſecro, ſed pro tua clementia puſillum gregem iſtum paſcua tua prælibantem tuere, noſque omnes peculiari tuo favore in ſuperni Salomonis fideli, & ſacro miniſterio H ita dirige, ut tandem aliquando excuſſo ænigmate, revelata facie id ipſum, quod tu jam diu contemplaris, aſſequi valeamus.

IN SEQUENTIA POEMATA
PRÆMONITIO.

QUÆ ſequuntur Carmina, & metricæ Laudes non tam quid Johannes noſter etiam latina Poeſi valeret, quam multiplicem, & exundantem pietatis, & divini amoris, quo flagrabat, æſtum magis magiſque demonſtrant. Quamquam vero certo non conſtet, quibus temporibus ſingula ſint ſcripta, facile tamen id coniicere poſſumus ex conlatione, & ſimilitudine horum cum aliis earumdem rerum argumentis ab eo alibi tractatis. Sic duas priores Elegias ad modum Epiſtolarum Exulis Animæ ad Chriſtum Regem, eodem crediderim tempore exaratas, ac ejuſdem thematis Epiſtolæ illæ anagogicæ, quas ſuperiori Tomo dedimus a pag. 448. *ſcilicet anno circiter* CIↄ. IↄC. VII. *quemadmodum & alia Poematia, in Pſalmum* XLIV. *& de Euchariſtiæ Sacramento, ac de Gloria cœleſti, ſicut & quæ in laudem B. V. Mariæ, & de ejus Adſumtione, & quæ nomine S. Parentis Tereſiæ, & Divæ Catharinæ Senenſis, cecinit Paraphraſis quoque in Pſal.* CXXXVI. *ejus longiori Interpretationi ſupra Tomo primo a pag.* 486. *inſertæ videtur convenire. Quæ autem Natalem Domini, ejuſque ſuaviſſimum nomen ſpectant, ad tempus, quo varia ad hæc ſolemnia Præparationis Exercitia, poſita ad pag.* 661. *alterius Tomi, concinnaſſe autumabimus; nimirum ad annum circiter* CIↄ. IↄC. *non improbabili conjectura referenda ſunt, ut diſtinctius ad caput ſingulorum Poematum inſcribemus. Hæc omnia Carmina indiſcriminatim exſtabant in veteri editione partim ad calcem Tomi ſecundi, partim vero a Pag.* 367. *Tomi quarti. Nos in duas claſſes heic ea dividimus cum juxta metri, tum juxta materiæ conformitatem; ut primo loco Poemata, ſecundo vero Hymni habeantur.*

AUCTORIS PRÆFATIO
IN SEQUENTEM ELEGIAM.

EPiſtola hæc ex Ovidianis contexta verſibus, quibus ille amoris affectus exprimere conatus eſt, ad puriorem Chiſti amorem traducta, nihil eſt aliud, quam multiplex affectio animæ ob abſentiam ſponſi ſui languentis, & ad ejus amplexus aſpirantis. Votum ſane melius, quàm Auctoris illius; qui penè innumeris mendaciis epiſtolas multas referſit: nec vitio vertendum, verba, quæ amori illi degeneri minimè congruunt, ad eum, qui defœcatus, & verus amor eſt, caſto ſenſu, quem verſus à nobis excerpti reddunt, Chriſtiano more traducere. Unum dumtaxat hexametrum, quatuorque verſus Penthametros intertexere, & pauciſſima verba profana mutare oportuit.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA POEMATA, ET HYMNUS SACRI

ELEGIA PRIMA.

Supernae Jeruſalem Regi dulciſſimo Jeſu Chriſto, exul anima ejus ſponſa, Salutem.

Scrip. An. circ. 1607.

SIC ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Meandri concinit albus olor.
Flendus amor meus eſt: elegi, ſunt flebile carmen,
Non facit ad lachrymas barbitos ulla meas.
ribimus & lachrymis oculi rorantur obortis,
A Aſpice quam ſit in hoc multa litura loco.
Quaſcumque aſpicies lachrymæ fecere lituras:
Sed tamen hæ lachrymæ pondera vocis habent.
Perlege quodcumque eſt, quid epiſtola lecta nocebit?
Te quoque in hac aliquid, quod juvet, eſſe poteſt.
Quidquid amor juſſit non eſt contemnere tutum,
Regnat, & in Dominum jus habet ille Deum:
Ille mihi primo dubitanti ſcribere, dixit:
Scribe, dabit victas concitus ille manus.
Adſit, & ut noſtras avido fovet igne medullas;
Figat ſic animos in mea vota tuos.
Acrius inſtat amor, quò fortius urimur intus:
Urimur, & cæcum pectora vulnus habent.
At bene ſucceſſit, digno quod adurimur igne.
Eminet indicio prodita flamma ſuo.
B Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accenſis meſſibus ardet ager.
Jam quoque (vix credes) ignotas mittor in arces,
Eſt mihi per ſævas impetus ire feras.
In nemus ire libet, preſſiſque in retia cervis
Hortari celeres per juga ſumma canes;
Aut tremulum excuſſo jaculum vibrare lacerto,
Aut in graminea ponere corpus humo.
Sæpe juvat verſare leves in pulvere currus;
Torquentem frænis ora fugacis equi.
Tolle moras, tantum properataque fœdera junge,
Qui mihi nunc ſævit, ſic tibi parcat amor.
Si mihi pauca queri de te Dominoque, Viroque
Fas eſt, de Domino pauca, viroqae querar.
Eſt in te facies, apti quoque amoribus anni:
O facies oculis inſidioſa meis!
Et tamquam deſint, quæ me ſine fine fatigent C
Accumulas curas imperioſe meas.
Ultima tu noſtris accedis cauſa querelis.
Non agitur vento noſtra carina ſuo.
Ecce jacent collo ſparſi ſine lege capilli,
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veſte tegor vili, nullum eſt in crinibus aurum,
Non Arabum noſter dona capillus olet.
Cui colar infelix? Aut cui placuiſſe labores?
Ille mei vultus unicus author abeſt.
Qua merui culpa fieri tibi vilis Jeſu;
Quo levis à nobis tam cito fugit amor.
An miſeram triſtis fortuna tenaciter urget?
Hæc venit in cœptis mollior aura meis?
Propter me mota eſt, propter me deſinat ira:
Simque ego triſtitiæ cauſa, moduſque tuæ.
At ſi verſus amor tuus eſt in tædia noſtri,
Quam ſine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges: abiit corpuſque, colorque: D
Suſtinet hoc animæ ſpes tamen una tui.
Longa mora eſt nobis omnis, quæ gaudia differt:
Da veniam feſſæ: non patienter amo.
Urimur igne pari, ſed ſum tibi viribus impar:
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.
Ut corpus teneris, ſic mens infirma puellis:
Deficiam, parvi temporis adde moram.

Scrip. An. circ. 1607. Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties à me fortis amator abes?
Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Me miſeram, quanto plangis mea littora fluctu,
Et latet obſcura condita nube dies.
A Tempora ſi numeres bene, quæ numeramus amantes,
Non venit ante ſuam noſtra querela diem.
Spes quoque lenta fuit, tardè quæ credita lædunt
Credimus, invita nunc, & amante nocent.
Sæpe fui mendax pro te mihi; ſæpe putavi
Te citius noſtram velle redire domum.
Sæpe Deum ſupplex, ut tu formoſe venires
Sum prece thuricremis devenerata focis.
Sæpè videns ventos cælo, pelagoque faventes,
Ipſa mihi dixi: certius ille venit.
Denique fidus amor quicquid properantibus obſtat
Finxit, & ad cauſas ingenioſa fui.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Fœdera, nec noſtro motus amore redis.
B Non tamen ægra virum, quamvis me torqueat, odi;
Sed queror abſentem, queſtaque peius amo.
Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhæret,
Cum peteres patrem ſplendide ſponſe tuum.
Si tam certus eras ire, indulgentius iſſes,
Si mihi dixiſses, ſponſa pudica, vale.
Non tecum lachrymas, non oſcula noſtra tuliſti:
Denique non timui, quod delitura fui.
Non mandata dedi, neque enim mandata dediſsem
Ulla, niſi ut nolles immemor eſse mei.
Es mihi diſcedens, ſuprema dicere cujus
Voce, fac expectes, candida ſponſa, virum.
Expectem, qui me numquam viſurus abiſti?
Expectem pelago vela negata meo?
Et tamen expecto, redeas modo ſerus amanti:
C Ut tua ſit nullo tempore lapſa fides.
Mœſta quidem ſcopulos, fruticoſaque littora calco,
Quaque patent oculis æquora lata meis
Sive die laxatur humus, ſeu frigida lucent
Sydera, proſpicio, quis freta ventus agat.
Et quæcumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa virum ſuſpicor eſſe meum.
Aſt ego deſerto jaceo mœſtiſſima lecto,
Et queror heu tardos ire relicta dies.
Et mihi quærenti ſpatioſam fallere noctem,
Delaſſat viduas pendula tela manus.
Heu quoties timui graviora pericula noctis:
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
Sat bene conſuluit caſto Deus æquus amori,
Cum te victorem ſuſtulit ille polo.
Victores rediere duces, altaria fumant,
D Ponitur ad ſummum barbara præda Deum.
Sed mihi quid prodeſt veſtris disjecta lacertis
Machina, quam Babylon ſtruxerat alta tibi?
Si maneo, qualis culpa durante manebam,
Virque mihi dempto fine carendus abeſt.
Reſpice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam pontus cærulus ambit humum;
Sed tibi ſe terræ, tibi ſe tota æquora debent;
Impleſti meritis ſolis utramque domum.
Fœdera ſunt aliis, ſoli mihi prælia reſtant.
Heu vitulæ abjuncto quæ bove triſtis aro?
Quid timeam ignoro, timeo tamen omnia dæmens,
Et patet in curas area lata meas.
Quæcumque æquor habet, quæcumque pericula tellus,
Tam longæ cauſas ſuſpicor eſſe moræ.
Me Pater æternus vidua decumbere ſponſa E
Cogit, & immenſas increpo ſola moras.
Increpet ille velim, tua ſim, tua dicar oportet:
Promiſſi cuſtos ſemper amoris ero.
Chaldæi, Ciliceſque, & quos trux prodit Idume
Turba, ruunt in me luxurioſa proci.
Inque tua regnant nullis prohibentibus aula
Viſcera noſtra, tuæ dilaniantur opes.
Nec mihi ſunt vires inimicos pellere tectis;
Tu citius venias portus, & aura tuis.
Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum:
Quæ venit indignæ pœna dolenda venit.
In latus omne patens, ſummo ceu culmine turris,
Proſpicio, & lachrymis ora, ſinuſque madent.
Per lachrymas ſpecto, cupidæque faventia menti
Longius aſſueto lumina noſtra vident. F
Addo preces caſtas, immixtaque vota timori;
Cor dolet, atque ira mixtus abundat amor.
Vrbem conſtitui, ſponſoque patentia fixi
Mœnia, finitimis invidioſa locis.
Bella tument bellis, peregrina, & languida tentor,
Vixque rudes portas urbis, & arma paro.
Mille procis placui, qui me petiere querentes,
Neſcio quem thalamis præpoſuiſſe ſuis.
Parce precor domui, quæ ſe tibi tradit habendam,
Quod crimen dicis præter amare meam?
Pro meritis, & ſi qua tibi debebimus ultra,
Pro ſpe conjugii tempora parva ſpero.
Dum freta miteſcunt, & amor dum temperat uſum;
Fortiter ediſcam triſtia poſſe pati. G
Sin minus, eſt animus nobis effundere vitam,
In me tam rigidus non potes eſſe diu.
Aſpicias utinam, quæ ſit ſcribentis imago:
Scribimus, & diræ mortis imago ſubit.
Quam bene conveniunt fato tua ſpicula noſtro!
Inſtruis impenſa noſtra ſepulchra brevi.
Molle meum cor eſt facilè violabile telis,
Et ſemper cauſa eſt, cur ego ſemper amem.
Hæc mea nunc primum feriuntur pectora telo:
Ille locus ſævi vulnus amoris habet.
Rumpor, & ora mihi pariter cum mente tumeſcunt,
Pectoraque incluſis ignibus uſta dolent.
Flere licet: flendo certe diffundimus iram,
Perque ſinus lachrimæ fluminis inſtar erunt.
Has ſemper ſolas habeo, ſemperque profundo,
Hument incultæ fonte perenne genæ. H
Non mihi pectendos cura eſt præbere capillos,
Nec licet aurata corpora veſte tegi.
Quo poſsum ſquallore meos ſignare labores,
Nitar, & hæc belli tempora triſtis agam.
Cauſa tua eſt diſpar: tu tantum vivere perge,
Inque pios ſponſæ perge redire ſinus.
Non es, quem deceat nudo concurrere ferro,
Se quaque in oppoſitos pectora ferre viros.

For-

Scrip. An. circ.1607.

Fortius ille poteſt, multo qui pugnat amore:
Bella gerant alii, ſponſus inermis amet.
Sed cur tot vacuas pertranſeo languida noctes?
Cur toties à me lente repulſor abes?
Aucupor in lecto mendaces cælibe ſomnos,
Dum careo veris, gaudia falſa juvant.
Illic te invenio, quamvis regionibus abſis,
Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet.
Sæpe tuos noſtra cervice onerare lacertos,
A *Sæpe tuæ videor ſuppoſuiſſe meos.*
Excutior ſomno ſimulacraque noctis adoro,
Obruitur fumo pectoris ara meo.
Thura damus, lachrimaſque ſuper, quæ ſparſa relucent,
Vt ſolet affuſo ſurgere flamma mero.
Quando ego te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida lætitia, ſolvar ab ipſa mea?
Quando erit, ut thalamo mecum bene vinctus in uno
Militiæ referas ſplendida facta tuæ?
Sed dum tardus abes diverſo miles in orbe,
Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.
Crede mihi, plus eſt, quam quod videatur imago;
B *Adde ſonum ceræ, noſter amicus erit.*
Hanc ſpecto, teneoque ſinu pro conjuge vero,
Et tamquam poſſit verba referre, queror.
Clauſa domo teneor, gravibuſque coercita vinclis,
Eſt mihi ſupplicii cauſa ſeverus amor.
At tu, ſi qua pie remanet tibi cura ſororis,
Si mea non rumpi viſcera ſponſe cupis;
Vel fer opem, vel dede neci, defunctaque vita
Corpora furtivis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lachrymis perfuſa fidelibus oſſa,
Scriptaque ſint titulo noſtra ſepulchra tuo.
Scribere plura libet, ſed amoris pondere laſſor,
Aggerat alternè, vim quoque demit amor.

C *ELEGIA II.*

Supernæ Hieruſalem Regi clariſſimo Jeſu Chriſto Exul anima ejus ſponſa Salutem.

Saucia te curis abſentem ſponſe ſaluto,
Mœſta notas calamo pingo tremente rudes.
Ne pigeat Solymas inter numerare puellas
Me, nec ad Aſſyrios cogar abire procos.
Porrige formoſam, mea quæ præcordia ſedet,
D *Dum legis & gemitus, & pia vota, manum.*
Perlege cunctanter, lacrymis ſuſpiria redde,
Et ſuffuſa notis lumina redde meis.
O utinam caperere meis pulcherrime votis,
Sollicitique foret præda doloris amor.
Capta ſub immani crucior Pharaone, per æſtum,
Perque gelu, multis interitura malis.
Nunc agor ad Scythiam Lybiæ nunc bellor in auſtros:
Nunc & in occiduum fluctibus acta ſalum,
At mihi non oriens ullus dum pergis abeſſe,
Sed tenebris alta lugeo nocte meis.
Hei mihi virginibus jam pridem dedite multis!
Num mihi quem repeto forte ſuperſit amor?
Sola per anfractus ſylvarum, & devia curro,
Et quæro abſentem, pæne coacta mori.
O decor excelſæ, nymphis optate, Syonis, E
Quo nihil in terris dulcius eſſe poteſt!
Nil mihi Sidoniæ chlamydes, nil tincta rubore
Coccina, quæ peperit ſeditioſa Tyrus,
Nec me compoſitus fulvo ſplendore capillus,
Lacteolo, aut facies terſa nitore juvat.
Omnia te præter, forma lectiſſime, ſordent,
Forma nec accita nobilis arte placet.
Vultibus à noſtris peregrino gratia vultu
Exulat, & formæ creſcit amara ſitis.
Sedula quidquid ago, ſine te deformia cerno
Omnia, propterea te caritura fleo.
Culmina capreolæ repetunt herboſa fugaces,
Et gelidas ſicco gutture cervus aquas.
Motibus & multis ego te formoſe requiro,
Te totum æterna perbibitura ſiti.
Sed mihi væ miſeræ, quo te nunc carmine flectam? F
Sanguine quo placem? qualia thura cremem?
Effero ſubtiles læſo de pectore voces,
Dura, quibus poſſem, ſaxa movere modis.
Te tamen exoro numquam, graviterque repellor,
Me nimium duro verbere cædit amor.
Ingenuum fateor merito ſectare decorem,
Sed mihi ſuſpectus ſit tamen iſte decor.
Namque ego non Regum credor natalibus orta,
Ni conſanguineus tu meus eſſe velis.
Non te pollicitis urgebo grandibus umquam,
Namque datam videor fallere poſſe fidem.
Quid tibi ſi ex dote acciperes Ægyptia regna?
Quid tibi ſi Babylon dos mea tota foret?
Omnia deſpicio pretio meliore redempta,
Ut locuples multo reddar amore tibi.
Vulneribus confoſſa tuis præcordia pando,
Viſceribuſque precor ſpicula fige meis. G
Nil mihi ſi Phillys Grajo ſeducta nitore,
Fœdera fallacis Demophoontis amet.
Quid mihi Læandri flagrans ardoribus Hero?
Excantanſve virum Laodamia ſuum?
Mollia ſunt fateor mendacia fœdus amoris,
Prætendunt falsò; te ſine nullus amor.
Tu potes intuitu mollire adamantina ſolo
Pectora, & in formam vertere corda tuam.
Blæſorum eloquio linguas facis eſſe diſertas
Infantum: & tenero viſcera lacte rigas.
Omnia ſi blande contrectes corda liqueſcent,
Atque inſtar liquidi mellis amore fluent.
Nubila denſa fugat, maris imperioſa procellas
Sedat, amicitiæ fœdere vincta manus.
Invideo tantum multis inimica puellis,
In thalamum admiſſæ, quæ placuere tibi. H
Væ mihi, quam turpis videor tibi jure relicta
Conqueror in lecto decubitura meo.
Pharmaca non proſunt, nullam medicina ſalutem
Creditur ardori reddere poſſe meo.
Si placet, abjectam thalamo dignare pudico;
Nam tibi jam dudum copia facta mei eſt.

Scrip. An. circ.1607. *Motibus immenſis ad vincla jugalia fertur*
Cor quia pura meus gaudia quærit amor.
Æmulor; heu captis o formoſiſſime prædis
Me cape, & ut capiar ſemper inermis ero.
Lætius eſt vinci; læta eſt victoria formæ,
Et jaculis fixum pectus habere tuis.
Sæpe tuas veneror ſacris ſuffitibus aras:
Ut tibi ſacrificer victima grata peto.
A *Et tamquam vitulæ cæſis ex artubus exit*
Mugitus, votis hoſtia mixta meis.
Exta ſed interea, tibi dum luſtralia reddo,
Neſcio, quo tandem jure prophana puter.
Non Indos auro, non dites thure Sabæos
Æmulor, at fletus philtra propino mei,
Flectere Sponſe meis dulciſſime fletibus, iras
Pone, ſalutari vulnera tange manu.
Indere viſceribuſque meis, atque oſſibus alte,
Nam tibi juncturis tota debiſco meis.
Cur mora languentem luctu conſumit acerbo?
Et lenta demum cogor obire nece?
Hoſtibus infeſtor ſævis, tacituſque videndo
Rides; cuſtodem miror inulta meum.
Sponſe veni, velox cervorumque hinnulus eſto,
Aut celeri interitu, quod magis opto, neca.
B *Excuſſiſſe leves mallem quantocyus alas*
Pectoris, & nido delituiſſe tuo.
Nam religat viſco pennarum fulcra tenaci,
Retia mors tendens invidioſa mihi.
Hoſtibus è mediis captivam fortiter effer,
Libertate fruar Regis amica mei.
Et poteris penetrare meas formoſe medullas,
Atque voluptatis pocula plena dabo.
Lux mihi ſplendidior naſcente videbere ſole;
Denique cordis eris blandula vita mei.
Seu montes rapido curſu, ſeu prata pererres,
Ne mea diſſimules tecta ſubire, peto.
Lectulus eſt multis conſperſus floribus, alto
Flumine dulcoris mergar amice tui.
Sollicitæ ſomnos amor acer pellit inertes,
Tempore ut eliciat gaudia multa brevi,
Verum feſſa piis fruſtra te flectere votis
C *Conor, & incaſſum viribus inſto meis.*
Ah quoties flevi! quoties captiva cupivi
Libera ad amplexus Sponſe redire tuos!
Quis mihi det frater ſolam pulcherrime ſoli
Reddere quæ ſervo punica mala tibi?
Ergone demulces alios molimine tanto?
Nolenteſque rogas, muneribuſque trahis?
Sed me juratam multis conatibus arces?
Multos ordiris dulcis amice dolos.
Heu mihi non adeo videor deformis ut alto
Complexu ſpolier Sponſe pudice tuo!
At mea ſi ſordet facies, nec cenſeor alto
Conjugio Regis ſat bene compta mei;
Abluar extemplo Jordanis flumine vivo,
Prodeat optatus quem parit unda nitor.
Pulchrior intus ero, non indignabere formæ,
Sed dabis ad votum brachia flexa meum.
D *Oſcula tunc figes impreſſis dulcia labris:*
Oh gravidi quantum pondus amoris erit!
Tunc amor expandet quæ ſinus præcordia gliſcent;
Totaque ſuſpendar capta decore tui.
Sed nunc quid jacto ventis mea vota? quid alta
Mente repono mei grande laboris onus?
Intereo tacito carpentis verbere cæſa,
Et crucior longis triſtis amice dolis.
An mihi non ſatius comptos divellere crines,
Et manibus corpus dilacerare meum?
Cogito res forſan poſt ſecula multa futuras,
Suggerit & fletus ſpes diuturna novos.
Nunc feror excelſi velox ad culmina montis,
Devexas valles vix modo obire queo.
Incolo nunc læto genialia prata virore,
Et modo lucentem concava ſaxa tegunt.
E *Alternare vices mos eſt, non temperat ullus*
Quam torques, Solymæ Rex generoſe modus.
Obſecro te invicti Rex per certamen amoris,
Ne perimas ſponſam, mortis agone tuam.
At licet inſontem dura me cæde ferires,
Non tamen inde meus lentior eſſet amor.
Sed poſſes, poſtquam viciſti parcere victæ,
Quæ venit innexas ſponte datura manus.
Parcere proſtratis animoſi more leonis,
Blandaque ſubjectos ſigna referre decet.
Exhibeas o Sponſe mihi turgentia lacte
Ubera, quæ pendent pectore pulchra tuo.
Nectare me teneram fas eſt nutrire puellam;
Namque voluptatis pondere tota trahor.
Pocula ſi dederis, properans alterna refundam:
Te mihi, ſi dederis, tota rependar ego.
F *Teſtis erit genitrix, & formoſiſſima virgo,*
Quæ volo fœderibus præſit amica meis.
Non opus eſt tauros aris mactare proſtratos,
Nam ſatis ad fœdus ſanguinis agnus erit.
Hoc tecum fœdus fidiſſima ſancio conjux,
Tu mihi te reddas: & tibi reddar ego.
Sic animi motus exul moderabor & iras;
Æterna Sponſo ſuccubitura fide.
Seu validis umquam jubeat pugnare lacertis,
Seu mihi reſtricto marte parata quies.
Fœdere lætabor, dextro ſub numine dicam:
Rex Solymæ ſponſam curat ubique ſuam.

ELEGIA III.

G

Supernæ Jeruſalem Regi Pacifico Jeſu Chriſto, Tereſia Carmeli Rreformatrix jam ætate provecta, & conditæ gentis laboribus gloriosè perfuncta, æternæque felicitatis cupida.

Hanc tibi Rex Solymæ mitto captiva ſalutem; Scrip. An. cric.1607.
H *Si tamen è terris mittitur ulla ſalus.*
Jam mea ſollicitis languent præcordia curis;
Nam tua viſceribus ſpicula figit amor.
Jam ſatis exilium poſtremos crevit ad annos,
Et nimis aſtrictam parva Seriphus habet.
Pectore diſſultant validè ſuſpiria læſo,
Cor gemitu exhauſtum fortis hiulcat amor.
Quam patet immenſum nautis audacibus æquor:
Tam mea, quæ teſtor carmine, vota patent.

Scrip. An. circ.1607.
Panda, ſed expoſitas excurrit puppis in undas,
Invenit ac nullam noſtra carina viam.
Multa tuli rapidis congreſsa leonibus acri
Marte, per infeſtas ſole cadente plagas.
Saltubus in mediis immania monſtra ferarum
Occurrêre, graves obdere nixa metas.
Sæpe fatigatam Chaldæus terruit hoſtis,
Qui rapidè ad noſtras fertur avarus opes.
A Ah quoties turbo vehemens per devia feſsam
Impulit, & ſubitis ingruit imber aquis!
Formidata meo ſtrepuere tonitrua cordi;
Fulminis incubuit nube crepante timor.
Nunc ego Riphæas ſum viſa aſcendere in arces,
Nunc ad Erythræum diſcubuiſſe vadum.
Auſter oberranti correpta volumina arenæ
Intulit, Ægypti qua plaga dextra jacet.
Quid referam diros Boreæ frigentis agones,
Et gelidas Aquilo quas glaciavit aquas?
Omnia, quæ mundus peperit diſcrimina, nudo
Corpore bellando fortis obivit amor.
Aſpice Rex Solymæ ſuperatum viribus orbem,
Quas dedit una manus fœdere juncta tuo.
Hæc vis, qua terræ, qua ſæva pericula ponti
Vicimus, hæc palmas contulit una duas.
B Ingenium fragili ſexu dedit illa virile,
Ut mea congruerent fortibus acta viris.
Ecce per Hiſpanas agmen porreximus oras:
Condidimus Gentem, quæ procul arma geret.
Jam ſatis immanem bellis obtrivimus hoſtem;
Qui ferus intorſit tela cruenta mihi.
En mea caſtra nitent, longè vexilla relucent,
Auſa per ambiguas fortiter ire vias.
Me ſequitur, primo ſurgens de flore juventus,
Qua nihil in toto pulchrius orbe nitet.
Ut validis enſem poſſet vibrare lacertis;
Militiæ nomen gens animoſa dedit.
Creverat in ſummo Carmeli vertice dumus;
Mons ſacer horrendis ceſſit in antra feris.
Aruit antiquus viror, & ſpineta refudit,
Quæ fuerat ſummi plena decoris humus.
Vicerat ignavos conſtantia priſca colonos,
Qui fortunatum deſeruere locum.
C Lux prima occubuit, ſubiit formidine plena
Nox, quia nec lunæ viſus adeſse nitor.
Exitus his cœptis fœlicibus inclyta luxit
Tellus, qua dextro numine culta fuit.
Hinc ego laxataſque manus, & victa laborem
Pectora, in antiquos auſa referre gradus.
Grandia tentavi, cœlumque arriſit adortæ,
Grandia, magnanimis invidioſa viris.
Horrentes montis dumos ego falce recidi,
Invictamque aciem noſtra ſecuris habet.
Cædua ſylva cadit, ſurgunt mitiſſima cultu
Ligna novo, fructus reddere juſſa novos.
His mea velantur fœlicia geſta figuris,
Rite captis noſtris condita ſenſa notis.
Reſpice fundatas altis cum turribus arces,
Quas mea conſtruxit me ſtatuente manus.
D Diruere aggreſsus molem non terruit hoſtis
Me gravis haud fregit pectora firma labor.
Extruerent quamvis fortes Babylona gigantes,
Ictibus & qaterent mœnia noſtra feris.
Non animos unquam deſpondit condita grandes
Gens uſque intrepido corde parata mori.
Conſtat Idumæos animo tentaſſe protervo;
Fundamenta ſuo jacta movere loco:
Fixa ſed immotæ tandem manſere Sionis
Tecta, ſub æratis poſtibus alta manent.
Æthiopum celeres venere ad prælia Reges
Caſtra Sabæorum ſæpe minata necem.
Aſt ego conatu multo fera monſtra recuſſi;
De bello pacem fortiter hoſte tuli.
Hoſtibus edomitis ætas venit aurea nobis,
Quæ tibi ſupremum ſit paritura decus.
Hanc tibi devoveo, ſummiſque Tereſia votis E
Ad natale ſolum tacta dolore feror.
Id bis ter denos ſpatiis explevimus annos,
Ferre moras ægrè poſſit adultus amor.
Æſtuat immenſis pectus ſine robore flammis,
Oſsaque conceptus paſcit amore calor.
In lachrymas reſoluta cado, conſumpta liqueſcunt
Viſcera, dum vivunt, ſæpe coacta mori.
Omnia me torquent orbis ſpectacula noſtri,
Nil me te præter candide Sponſe juvat.
Seu latebras quæro, ſeu compita cogor obire,
Sponſi ſola oculis hæret imago meis.
Sauciat hæc vigilem, ſomnos hæc diſcutit una,
Sollicitat pectus nocte, dieque meum.
Sæpe queror tardam funeſto carmine mortem:
Heu nimium ſero mors repetita venit! F
Tu magnete tui pectus præclaris amoris,
Vulnera multiplicas, ſpicula melle linis.
Ergo age, & optantem poſtremo interfice telo;
Hoc demum inteream mortis agone, precor.
Cur ita cunctaris? nece jam perfungar honeſta,
Ignibus ut Phœnix immoritura meis.
Sydera ſuſpicio cœlo ſplendentia ſudo,
Sublimem invideo tam procul acta locum.
Corpore non valeo, lenes ſuſpendor in auras,
Mente prope attingo quod fruitura peto.
Inde relapſa fleo, atque alto tumulata ſepulchro,
Nil niſi terrenum mens habitura jacet.
Si qua tamen Solimæ interdum ſuccurrit imago,
Jure recrudeſcit dirus amore dolor.
Dum vaga vernantes oculis languentibus hortos
Luſtro, parum firmo prataque oberro pede: G
Ocyus æternum memoro feſtina virorem;
Quem procul à nobis prata Sionis habent.
Hinc ſubeunt gemitus, repreſſo pectora turgent
Luctu, qui tragicos vellet inire modos.
Aſpicio ſulcos undæ per amœna fluentis,
Mira diſcretis arte vireta locis.
Tunc ſalientis aquæ purum mens concipit amnem,
Qui ſupero immenſam ſedat in orbe ſitim.
Corpora quid referam lecta præſtantia forma?
Sat quoque currentis calcar amoris habent.
Hæc mihi te referunt, ſummo qui dura decore
Mormora permulces, ferrea corda moves.
Quid, rogo, cunctaris? cervis velocior eſto:
Non valeo æternas ferre coacta moras.
Funera dum cerno, diſtorqueor invida; nullum H
Ante meum vellem corpus obire diem.
O quam longa mali decurrunt tempora noſtris,
In brevibus Gyaris, ſæcula longa fluunt.
Occidit, o quoties, tarduſque renaſcitur idem
Sol, neque lugenti nuntia læta refert.
Non mihi plectra placent elegum niſi reddere carmen,
Et lachrymas pergant ingeminare meas.

Quid-

Scrip. An. circ.1607.

Quidquid amat Chaldæa furens, non ſtricta relaxat
Viſcera, perpetuis exagitata dolis.
Tu potes abſentem ſubito proſternere letho,
Mors tergat luctus imperioſa meos.
Motibus impellor multis, quid Sponſe vocaris?
Pacifici thalamo regis in urbe fruar.
A *Brachia tende, precor, feſſæ, precor, aſpice luctum,*
Vince, rogo, tempus; tempora vincit amor.
Sacrifico vitulos pingues, ſuffitibus aras
Impleo; delectet te, rogo, caſtus odor.
Ecce propè exhauſtas gemitu, & clamore medullas
Pando; nihil ſupereſt, oſſa liquata fluunt.
Credo equidem molem tanto ſub amore jacentem
Sola queat velox hora levare necis.
Sollicitè expecto, ſtrepitus perturbor ad omnes,
Dicoque jam tandem victus amore venit.
Auguror ipſa mihi læta, & dulciſſima certo
Pene propinquanti reddere verba Deo.
At mea verba cadunt flantes disjecta per auras:
Et repetunt luctus pectora læſa ſuos.
B *Falſa venit Sponſi tam longè abſentis imago:*
At dolor eſt verus, vulnera vera nocent.
Curre celer, quia fortis amor graviora ferendo
Currit ad extremos funera læta rogos.
Ibo per ignotas conferto ſtipite ſylvas,
Littoraque, & ſcopulos tacta dolore colam.
Æquoraque, & terras flectam, clamoribus aſtra
Donec in officio vocis amica ſonent.
Denique mollitus caſtis placabere votis,
Et benè tentatus morte quieſcet amor.
Firmiter inſtabo ſcabro de caudice palmæ,
Ut valeam fructus carpere Sponſe tuos.
Altius ingrediar, montiſque in culmina ſurgam,
Inque auras urbis læta redibo meæ.
Per Solymæ campos tecum ſpaciabor amœnos,
Ibit & in patriæ fœdera fidus amor.
C *Mens monet inſtantem mortem præſaga futuri,*
Spe calamum ceſſat ponere juſſa manus.

ELEGIA IV.

Regi Pacifico Jeſu Chriſto, Catharina Senenſis ejus videndi cupidiſſima.

Mitto tibi mœſto Solymæ rex carmine votum,
Et faculis læſum cor, Catharina, *tuis.*
D *Carmine teſtabor tragicos mœſtiſſima ſenſus,*
Quos parit exilii triſtis imago mei.
Flere juvat, flendo turgenti è pectore luctum
Impatiens elego carmine fundit amor.
Vulneribus confoſſa tuis mea funera canto,
Invida cygnæos cogor inire modos.
Mortis imago ſubit, multo molimine geſtit
Aliger in patriam ſpiritus ire ſuam.
Nunc mare ſulcandum, tellus vel inhoſpita longum,
Omine non læto, ſæpe minatur iter.
Carcere ut exultans equus ad certamina fertur,
Sic agit idomitus pectora noſtra furor.
Sive mihi immanes criſpent freta ſæva procellæ;
Sive ſuas glomeret ſarmatis ora nives.
Fortiter invicto conſiſtens robore pulſat
Unus amor, cunctas ſpernit in orbe minas.
E *Impiger occaſum gyro percurrit, & ortum*
Inſtitor, in varias fertur anhelus opes.
Sic ego ad occaſum, ſoliſque cubilia curro.
Me vehit alatus per juga montis equus.
Me trahit, o juvenis forma lectiſſime, longe
Imperat ætherea qui nitet arce decor.
Fortiter eripior ſæclo, tua vincla ligarunt
Me, facileque uno crine tenella ligor.
Vix fueram ſæclo nata, & mea viſcera motu
Multiplici thalamos concupiere tuos.
Virgineum ſpinas inter mea lilia florem
Servarunt, caſtis intemerata thoris.
Non mea mollivit genialis robora luxus,
In mea non venit fœdera Graja fides.
Rex Solymæ latuit: primos ſacravimus annos,
Bina quibus capior, lumina regis amo.
F *Quam tibi frons ſplendet juvenis pulcherrime, binas*
Leniter undantes fundis utrimque comas.
Læta decet regem mixta gravitate venuſtas,
Quæ validi immenſum pondus amoris habet.
Quina rubore tuum diſtinguunt vulnera corpus
Purpureo, ut forti creſcat amore decor.
O utinam toties acri tranſverberer ictu,
Cumque animo in bello corpora cæſa cadant.
Me tua tela necent, ferias jam pectus inerme,
Exhibeo telis viſcera noſtra tuis.
Sat bene defungar fatali vulnere tanti
Regis, qui diram vicit amore necem.
Jam mihi quis credat? lenta vibrata videntur
Spicula, quæ ſupera longius arce tradunt.
Namque ego terribili conſumi fulmine mallem,
Ut tibi fœlici proxima ſorte forem.
Mollia jam victo circumdare brachia collo,
G *Artubus & feſſis parcere Sponſe decet.*
Quid mihi cum ſævis tandem prædonibus? uni
Tota tibi ſervor, jure revincta tuo.
Fortius erumpunt flammæ, vorat omnia noſter
Ignis, & invicto creſcit amore dolor.
Te precor, aut cœlum tonitru, & ſplendore dehiſcat;
Vel placidè auratas, te rogo, pande fores.
Et celeres aquilas ſublimi rapta volatu
Vincere conabor: flumina vincit amor.
Æthera cor ſuperat, motu penetrabit in altum
Ocyus ad centrum nititur ire ſuum.
Aſt ego quid refero? mira dulcedine noſti
Cor mihi ſubmiſſa te rapuiſſe manu.
Quo mea nunc rapido pulſantur pectora motu?
In thalamum certè languida ſponſa feror.
H *Hac mihi ceu pœnos jam dudum paſſa leones,*
Sive feros mortar inter abacta lupos.
Sæpe mihi occurrunt annoſi ſpectra Draconis,
Qui ſatagit niveos implicuiſſe pedes.
Ex Italis natale ſolum, ſat fertile campis,
Seu ſterilis gelido redditur axe locus.
Sola mihi ad Scythicum videor depulſa rigorem:
Dum lego Thyrrheni littora culta maris.

Hæc

Scrip. An. circ. 1607.

Hæc mea te longè damna abſiſtente reſurgunt:
Hei mihi cur ſponſam fallis amice tuam?
Sive oculos refero Romanas exul in arces,
Sive vias Urbis ſedula luſtro meæ.
Nil mihi reſpondent cives, nec Roma remittit
Nuntia, quæ gemitus expetiere mei.
Ter denis videor properè ſerviſſe ſub annis:
Namque gravis corpus carpſit amore dolor.
A *Me tua conſumpſit forma, & ſua ſpicula fixit;*
Oſſibus in mediis regnat ubique decor.
Inſpice quàm rapidè noſtras coquit ille medullas,
In me jure valet vivere ſolus amor.
Ut ſubita aſſumunt ſtipulas incendia ſiccas,
Sic ſacer exurit viſcera noſtra rogus.
Heu moriar, non juſsa mori, Catharina *ſepulchrum*
Comparat, exequias ſolvere juſsa ſuas!
Sponſe venis, furtum cordis, ne quæſo reponas
Viſcera, ſed rapias, en tibi pando fores.
Sim tua præda, rogo, prædo fortiſſimè; caſto
Qui bene reſtituis furta beata thoro.
Cernis anhelantem, medio in certamine rides:
Aſt ego perpetuis motibus acta fleo.
B *Tempora diſcurrunt, neque eo faſtigia longis*
Ferre moris, longum colla tulere jugum.
Ah quoties formoſa ſubit mihi regis imago,
Cujus ad amplexus pondere amoris agor!
Mox tamen ac ſpectro Sponſi mea brachia tendo
Labitur, eſt multus quem revocare labor.
Væ mihi, nam celeres fugiunt mea retia cervi,
Eluditque meos præda petita canes.
Ritè figuratas jam dudum perſequor umbras,
Vana mihi objecta ſpectra decoris amor.
Deſine jam victum repetito vulnere pectus
Cedere, ſupremum funus amoris habes.
Curre, precor, velox, penetralia noſtra dehiſcunt;
Sat matura velut punica malu ſolent.
Non ſemel amplexus optaſti, Candide, noſtros,
Dignatus thalamis accubitare meis.
C *Aſt ego furtivis abſens non expleor horis:*
Me mage pro votis pinguia prata juvant.
Adventus placuit, feſtinus læta receſſus
Principia extinxit: ſæcula lenta fluunt.
Quando erit, ut præda, numquam caritura quieſcunt,
Non interciſis ſuccubitura dolis.
En tua perpetuis fumant altaria votis,
Et vitulæ cæſis artubus ara rubent.
Si placet, extemplò fervente cruore litabo
Agnum, fœderibus ſacrificabo meis.
Exige quidquid amas tetro de carcere ſolvas,
Dummodo, quam multi concupiere proci.
Cernere jam liceat vernantia prata Syonis,
Longaque ridenti vere per æva frui.
Has repetam viduata preces, hoc garrula cantu
Exercebo meam nocte, dieque viam.
D *Pharmaca non curo, me non Epidaurius ægram*
Sanet, ero morbo ſemper amica meo.
Vulnera diſpliceant aliis, lethalia cordi
Grata meo inſtantis ſpicula mortis erunt.
Nuda ego me jaculis ſacro velocibus, inſtet;
Depleat & pharetram mors animoſa ſuam.
Per medios regem Solymæ diſquirimus enſes,
Bella quidem pacem ſunt paritura meam.
Quam procul apparent excelſi culmina montis,
Quo per inaceſſas curro repulſa vias.
Numen ades, pedibuſque meis, ut culmina calcent,
Affer opem; longè currere juſſa feror.
Non animum laxare ſinas, diſcrimina cedant;
Lucter in obſtantes irrevocata moras.
E *Ante, rogo, Armeniæ lanient mea pectora Tigres,*
Quam tua non fidus gaudia quærat amor.
Ibo per infeſtas oras, tranabimus undas:
Oceani quamvis ſæpe remergar aquis.
Sat mihi ſi feſſum cingant tua brachia collum,
Et demum optato laſsa decore fruar.
Reſpice luctantem, longo præcordia fune
Sponſe trahas, curſum corripe quæſo meum.
Inſpice, quas lachrymis feci reſoluta lituras:
Hac certè immodicus pingitur arte dolor.
At bene qui noſti immenſum librare dolorem;
Jure datam reddes in mea lucra fidem.
Hîc tacita hærebo, tibi me per ſæcula juro;
Hæc tibi ſupremus fœdera jurat amor.
Ante ſuum contra curſum verſa unda recurret;
Non redamet ſponſum, quàm Catharina *ſuum.*

F

C A R M E N I.

In Laudem Venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti.

O *Panis vitaliſſime, quo vivo,*
Eſca pluſquam dulciſſimi ſaporis,
Quæ miniſtratur populo captivo.
O *Menſa inſtructa ferculis amoris,*
Qua viſcera conſtricta dilatantur,
Perfuſa caſti flumine dulcoris.
O *Manna, cujus paſtu roborantur*
G *Corda mundi deſpectu generoſa,*
Et viribus cæleſtibus armantur.
O *Vita, è cujus fonte copioſa*
Suavitas pectoribus hauritur,
Qua fiunt ad conflictus animoſa.
O *Pingue nutrimentum, quo fulcitur*
Humana, quæ ceciderat, natura,
Quod caſtis amatoribus conditur.
O *Me flammis æternis conſumptura*
Dilectio, qua perenniter reſolvor,
Amores peregrinos expulſura.
O *Dulcis eſca, precor ne reſolvar*
In ollas Ægyptiorum obiuratas,
Morte potius celerrima diſſolvar.
O *Cœlitum convivia, fœderatus*
Amore vobis ego ſaturabor,
Et permanebo in fœdere juratus.
O *Potus, cujus hauſtu ſaturabor,*
H *Ad intimas medullas penetrabis,*
Et voluptate pura delectabor.
O *Jeſu fera corda ſubjugabis,*
Nam pane dura pectora vincuntur,
De bello pacis prædam reportabis.
O *Rex, pro pane te deprecabuntur*
Reges, quibus delitias exhibebis,
Mundi contemptu miſcebuntur.

Scrip. An. circ. 1607. O Panis, me dulcedine mulcebis
Per te Chaldæas menſas aſpernabor,
Amoris me vinculis tenebis,
Et fœdere dulciſſimo lætabor.

CARMEN II.

A

De Aſcenſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

O Nimis velox hinnule cervorum,
Qui curſu vincis dorcades fugaces,
Dum pergis celer culmina cœlorum.
O Victor, ſuper Cherubim voraces,
Qui lampades aſcendis accenſurus,
Ignitas emiſſurus cœlo faces.
O Gigas, qui exultaſti percurſurus
E ſilice prærupta vias duras,
De morte cæſa vitam prolaturus.
O Qui late vagaris poſt preſſuras,
Qui jam ventorum pennas ſuperaſti,
In regno captaturus auras puras.
B O Rex, qui de cuſtodia vendicaſti
Gentem futuro regno deſtinatam,
Cur ſine me diſceſſum maturaſti?
O Solitudo, ſponſam deſolatam
Relinquis Rex dulciſſime Syonis,
Tuis licet monilibus ornatam.
O Sponſe cur in medio Babylonis
Dum fugis, derelinquis ſuſpirantem
Ad rores matutinos læti ſermonis?
O Curſor velociſſime clamantem
Ne vulneres, volatu repentino
Sol ne reliquas terram caligantem.
O Feſtinata ecclypſis, veſpertino
Luctu ſolem præcurris occidentem,
Vultu ſævis terribilis ferino.
O Lux ſole formoſior, morientem
Me deſeris ad flatus Boreales,
C Ortum occaſus neſcium repetentem,
Impenſe optantem auſtros geniales.

CARMEN III.

De Aſſumptione B. Virginis Mariæ.

LEniter Aſſumptæ Matri blanditur Jeſus,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Fauſta venis noſtro genitrix dulciſſima regno,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
D Et nive candidor roſeo conſperſa rubore
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Luna pedes, caput aſtra tegunt, ſol corpora veſtit,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Aureolo undantes lucent pallore capilli,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Læta patet cœlo frons invidioſa ſereno,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Lumina clara micant, Sapphyris prædita claris,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Quam bene labra rubent gemino lucentia cocco?
Pulchrior aurora ſurgis amica mea,
Colla erecta placent ebori præſtantia puro,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Mollia quam levi curvantur brachia flexu?
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Pulchra manus digitis torno diſtincta dolatis, E
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Pectoribus diſtinta tument lacte ubera multo,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Præſtat triticeo connexus venter acervo,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Crura vigent terſi ſurgentia marmoris inſtar,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Vincis Idumæas procero ſtipite palmas,
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.
Quam formoſa venis celſæ regina Syonis?
Pulchrior aurora ſurgis amica mea.

F

CARMEN IV.

In Laudem Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

O Virgo ſereniſſima formoſis,
Quæ Deum ex uberibus ſuſpendis,
Ceu lactis fons in terris inaquoſis.
O Parens fœcundiſſima, quæ appendis
In gremio amoris pondera infinita,
Prioris Adæ culpis abolendis.
O Virgo, luce ſolis redimita
Quæ circuiſti terram feri Edonis
Numquam dum precareris exaudita.
O Cœleſtium regina, quæ Syonis
Montem Hermonis roribus fœcundas,
Ne flumina requirat Babylonis.
O Terra feraciſſima, quæ abundas G
Liliis, quæ carpit Salomon decorus,
Qui ſequitur reginas corde mundas.
O Candida, Angelorum tibi chorus,
Tibique arrident aſtra matutina,
Te Solymorum regis capit thorus.
O Pulchra, cujus oculos divina
Non læſa vulnerat celſitudo,
Dum reddis ſacrificia veſpertina.
O Certè melle dulcior pulchritudo,
Qua cor Emmanuelis emollitur,
Cui genuflectit omnis altitudo.
O Lac, cujus in fluxibus nutritur
Altor, quo vivit omnis creatura,
Cujus dulcedo numquam exhauritur.
O Viſcera perenniter arſura,
Puella Dei flammis eliquata, H
Æterni amoris fœdus ſervutura.
O Virgo regis purpura exornata,
Quæ aſcendis de cubilibus leonum,
De montibus pardorum coronata.
O Splendida noſtrarum regionum
Stella, quæ luces clarius multis una,
Noctu præeſt cæcarum paſſionum.
Divino bene plena ſole, luna.

HYMNUS I.

In Natali Domini.

A JEſu peregrina
Veſte fers algores,
Tuos per ardores
Liqueſcat pruina.
Amor i, feſtina
Auſtri per calores,
Horaque rigores
Vince matutina.
Jam cœlos inclina
Dum labuntur rores,
Tuos per ardores
Liqueſcat pruina.
Majeſtas divina,
Noſtros ad amores
Deſcende, & dulcores
Cœleſtes propina.
B Flamma repentina,
Conſume languores,
Tuos per ardores
Liqueſcat pruina.

* * *

HYMNUS II.

DIſtillavere cœli purum rorem,
Qui in nivoſo vellere concrevit,
Et parit puræ Lampadis ardorem.
Emmanuelis amor adolevit,
Et aquæ totæ limpidæ fluxerunt,
Ab aquilone ante qui increvit.
Nam ecce ſuper herbam, quod viderunt
C Miraculorum caput Iſraelis
Tribus, quæ nova robora ſenſerunt;
Ægyptiorum dolet rex crudelis,
Æthiops phalanx dirè timuere,
Tentoriaque ſævi Iſmaelis.
Culpæ vetuſta mala tranſiere,
Amor abyſſi magnæ fontes rupit,
Et aquæ maris noxas abluere.
Concors è terra noſtra vox erupit,
Ignis æterni flammas proditura,
Linguæ antiqua vincla quæ diſrupit.
Sion exultat, mille profuſura
Rivos, amoris lachrymis fluentes:
Et puppi regis ortu gaviſura.
Montes & colles lac, & mel fundentes
Lætantur, nives liquent; & lacuna
D Mixtos liquores capit influentes.
Pax nova regnat, ſola reſtat una
Lenis imago belli, quod receſſit
Donec inconſtans auferatur Luna.
Erit corona matris redimitus,
Ad priſca vota collium æternorum;
Quos fœcundavit amor infinitus.
Per arcuatum lumen; in cœlorum
Nubibus, pacis fœdus percuſſurus:
Pulcher apparet princeps Solymorum.
Infans gigantes venit proſtraturus,
Et magnæ Babel feros molitores;
Ligno non ferro cuncta domiturus.
Jam reges Tharſis, opum contemptores,
Inſulæ illi Barbaræ feſtinant,
Ferre cum donis placidos amores.
Arabum duces caput hic inclinant,
Pondus immenſum auri appendentes,
Dulciſſimaque pocula propinant.
E Advolant, regi pacis afferentes
Sua tributa, gentes ſervituræ,
Formoſam regis faciem quærentes.
Jam turbæ ſtrepunt circum ſonituræ:
Ad exaltandos undique mortales,
Spe pacis omni ævo duraturæ.
Corda levantur, auræ geniales
Brumæ rigore nihil offenduntur.
Hortis ceſſere flatus boreales.
Saxa cæleſti melle perpluuntur,
Multo torrente loca ſola undant,
Quibus novelli agni delectantur.
Oves fœtoſæ ſe lavacro mundant,
Prole gemella omnes gravidatæ,
Dulciſſimoque lacte jam redundant.
Vinclis exultant ſuis abſolutæ,
F Verna virgulta capreæ tondentes,
Cito ad paſtum curſu concitatæ.
Cœli ſe turmis jungunt, reſpondentes
Victa mortales morte regnaturi,
Choreas lætis motibus ducentes:
O ſors! O felix vita! quæ venturi
Ævi nocturnas tenebras depellis,
Omine ſolis numquam defecturi.
Dulcior infans omni favo mellis.
Euge Davidis regno potiturus.
Amoris ſceptro, rege quos impellis
Amore, caſta corda poſſeſſurus.

* * *

G

HYMNUS III.

De dulciſſimo nomine Jeſu.

JEſu triumphator
Me bello cepiſti,
Formæ quam ſumpſiſti
Seu fortis amator.
Forma regnaturus
E thalamo procedis,
Proſpereque incedis
Corda domaturus.
Dum ſe celſitudo
Cæleſtis inflexit:
Omnia reflexit
H Ad ſe pulchritudo.
Montes non tulere
Æternos ardores,
Ad novos amores
Ut cera fluxere.
Edidit aurora
Radiis comantem
Solem, & flagrantem
Nulla tardat mora.

Omnia mollivit
Corda tener amor,
Hinc elatus clamor
Jeſum requiſivit.
Viſcera liqueſcunt
Jeſus dum auditur:
Caſtum cor nutritur,
Amara dulceſcunt.
Omnia debellat
Jeſus dum reſurgit,
Victa conticeſcit
Terra, nec rebellat.
Corda moderatur
Jeſus imperando,
Sed vincit amando,
Amando ligatur.

Scrip. An. circ. 1607.

HYMNUS IV.

De Spiritu Sancto.

A O Lux æterni Solis quæ diſpellis
Noctes horrore culpæ tenebroſas;
Et cor ad caſtum volupe compellis.
O dulcis Auſter, tuo cavernoſas
Valles ſubtili lapſu pervaſurus,
Veni, fœcunda terras arenoſas.
O decor dura corda molliturus
Illabi noſtris mentibus feſtina,
Concretum gelu tandem ſoluturus.
O dulcis flamma veni, & rapina
Forti prædare me eſurientem
Amoris mori morte repentina.
O feritatis domitor, rigentem
Flecte, amore capto dominare:
Seda procellam intus ſævientem.
O dulcis hoſpes animæ; morare
B Mecum, amoris fœdus ineamus,
Ne ſatagentis votum aſpernare.
O vita melle dulcior, vivamus
Simul: ne flamen deſit quo reſpiro,
Fac ſempiterno nexu gaudeamus.
O pulchritudo ſumma, cui ſuſpiro,
Vitalis calor animæ languentis,
Penetrans ima corda lapſu miro.
O ſalus cordis mei decumbentis:
Quod in Ægypto diu laborabat
Siti Jordanis leniter fluentis.
O dulcis aura! cui mundus aſpirat,
Serenitatis dies expetita
Libertas cui gens victa ſupplicabat.
O ſalus multis crucibus quæſita,
Alma libertas, quam carcer præceſſit,
Gaudii olivo charis oblinita.
C O plene lucis flatus, cui ceſſit
Cor meum, portis viſcerum apertis;
Et aquilonis impetum repreſſit.
O mentes Apoſtolicæ, repertis
Sumæ theſauris Sophiæ, cantate
Linguis triumphos nobiles diſertis,
Et Paracleti laudes perſonate.

HYMNUS V.

Chriſtus ad B. Virginem in Cœlum aſſumptam.

D O Quam formoſa Solymæ Regina,
Circumveſtitu fulgens inaurato,
Aſcendis velut ſtella matutina.
Purior nive venis, exantlato
Agone, victa ſurgis Idumæa,
Ades draconis collo proculcato.
Euge de ſtirpe nobilis Ieſſea:
Filia Sion, purpura veſtita,
Euge, feſtina, o columba mea.
Cœlitum choris ades expetita,
Veni à dextris nobis aſſeſſura,
Omni ſanctorum dote redimita.
Quaſi cypreſſus caput elatura,
Noſtræ ſublimis urbi præſidebis,
Corda decore ſummo prædatura.
Platanis compar ad aquas ſedebis,
E E fonte vivo largius fluentes,
Et voluptatis impetu gaudebis.
Veni formoſa, campos quæ ridentes
Læto virore longè ſuperaſti,
Tibi Smaragdi languent invidentes.
Accede ſoror ſponſa, vulneraſti
Me dulcioris jaculis decoris,
. Uno me crine colli ſauciaſti.
Tu me cœpiſti bello in amoris,
Qui emolliret duros adamantes,
Ut ferrem ſævi ſpicula doloris.
Accede; o quæ leniter comantes
Palmæ proceræ ſtatus æmularis,
Legam ſapore fructus mel æquantes.
Ne te majeſtas premat, quid cunctaris?
Thalamos ſubi laqueatæ domus,
F Nuptias cerne, ad quas invitaris.
En lectus ſparſus floribus amoris.
Jam liliorum ſpirant pandi flores,
Fiſtulis mixti cinnanomi puris.
Hic à me meros referes amores,
Hic ver æternum plagas ad Auſtrales,
Nil metuemus invidos algores,
Quos enituntur flatus boreales.

HYMNUS VI.

De Cœleſti Patria.

O Quam cito fracta cadit,
G Mundi levis hæc ſtructura:
Et ſuperbæ Babylonis
Ruit moles peritura!
Quam feroces pugnatores
Tecta tentant collapſura,
Sacra Salem dum fundatur,
E ruinis ſurrectura.
Muros urbis, ac plateas
Auro mundo compactura
Exercetur Dei manus,
Opus cœptum politura.
Tunſione, & preſſuris
Sua ſaxa ſucciſura:
Et ab imis fundamentis,
Grandem molem erectura.
Membra jungit hæc Sionis,
Bene ſimul conſenſura:
H Et in fœdus ſempiternum,
Sine fine permanſura.
Non ruinæ ibi metus.
Tecta quævis ruitura,
Et vetuſta tranſiere,
Succeſſere duratura.
Dilectio neſcit caſum,
Urbem totam fundatura,
Nullus fragor eſt aquarum,
Nulla tela nocitura.

For-

Scrip. An. circ.1607.

Fortiores adamante
Muros tuos habitura,
Hjeruſalem urbs beata,
Dei robur poſſeſſura.
Hæc naturam moles vincit,
Vim divinam petitura
Quam Tartarus perhorreſcit,
Quam mors ſtupet, & natura,
A *Quot ſunt cives, tot ſunt reges,*
Caſtra numquam moritura:
Palmas olim comparatas:
Omni ævo cantatura.
Enſes, haſtas, ſcuta ponent,
Templo cuncta ſuſpenſura,
De cruore largè fuſo,
Pacis fœdus initura.

HYMNUS VII.

In Laudem Gloriæ æternæ.

B O *Vive fons, qui fundis aquas puras*
E Lybanorum impetu erumpentes,
Per æva ſempiterna defluxuras.
O *Fons illimis, latices frigentes,*
Plantæ quibus aluntur immortales,
Penſilibus in hortis decurrentes.
O *Lenes auræ, ſpiritus vitales,*
Qui exhilaratis animos dum flatis,
Et pellitis ardores æſtivales.
O *Campi, qui perenniter vernatis*
Ridentia prata floribus crinita,
Sponſi caſtos odores exhalatis.
O *Punica coronis inſignita,*
Sub cortice dirupto continetis
Immenſi amoris pondera infinita.
O *Caſtra Dei ſummi, quæ gaudetis*
Palmis, quas de certamine tuliſtis
C *Viros ad bellum fortes perurgetis.*
O *Milites invicti jam nunc viciſtis,*
Jam vulnera crudelia tranſiere,
Non tranſitura regna peperiſtis.
O *Certatores magni, cecidere*
Veſtro conatu mænia ruitura,
Quæ Babylonis cives exſtruxere.
O *Vita ſine fine permanſura,*
Dulciſſima me capit pulchritudo,
Omni ſæculorum fine caritura.
O *Pugnator victrix fortitudo*
Mundum ſub te gementem ſuperaſti,
Et à victoria crevit magnitudo.
O *Gens excelſi Dei, quæ calcaſti*
Faſtum, qui ſtultos animos tollebat,
Et nova cœli lucra comparaſti.
D O *Virtus, quam ſuperbus metuebat*
Hoſtis, qui regum pedibus proſtratis
Fruſtra tumentia colla ſurrigebat,
O *Domitores orbis, qui laſſatus*
Ceſſit, neve longa morte necaretur
Sub pondere victorum fatigatus.
O *Gens, quam ne coactus pateretur*
Mundus, pavore territus rejecit,
Ne forte contra votum ſperneretur.
O *Summi Dei proles, qui refecit*
Vires attritas ſæpe feſtinato
Corde, contra feroces pugnatores.
O *Celeres ad bella, quæ majores*
Flammas è cæſo corpore excuſſere,
Quas devoraſtis mortis contemptores.
O *Regna, quæ victores peperere,*
Ignavo nulli gratis obventura, E
Sed iis qui diros ictus pertulere,

PARAPHRASIS

In Pſalmum CXXXVI.

Super flumina Babylonis

AD flumina Babylonis
Gens ſedimus fatigata:
Lacrymarum vim expreſſit
Sion menti revocata.

In ſalicibus in medio

Salicibus è Chaldæis,
Suſpendimus deſperata, F
Quæ organa ſecum tulit;
Hæc natio debellata.

Quia illic interrogaverunt

Crevit dolor vehementer,
Quod Babylon efferata,
Victis gravis, & inſultans,
Exigeret metra ſancta.

Quomodo cantabimus

Reſpondimus Babyloni,
Qui carmina ſacroſancta,
Cantet terris in profanis,
Gens patria procul acta.

Si oblitus fuero

Ante manus hæc dediſcat
Modulari, quam beata
Te civitas profanemus,
Muſa tibi conſecrata. G

Adhæreat lingua mea

Fauci lingua adhæreſcat,
Si non tibi fœderata,
Mens ſit, & in te lætetur.
Lætitiæ parens caſta.

Memor eſto Domine

Sævi memor ſis Edonis,
Deus, die male fauſta,
Jeruſalem quando ruit,
A barbaris proculcata.

Qui dicunt, exinanivit

Ne dimittas Idumæis
Conſilia in nos data,
Qui dicunt, exinanite
Templa Deo inſtaurata.

Filia Babylonis miſera H

Nec tu, nata Babylonis,
Victoria creſce parta,
Felix qui nos ulciſcetur,
Te valide ſubjugata.

Beatus qui tenebit

Cum parvulis ra eliſis,
Dire cædent Perſæ caſtra,
Te dolente de ruinis,
Jeruſalem inſtaurata.

PA-

PARAPHRASIS

In Pſalmum XLIV.

Quemadmodum deſiderat
UT canibus fatigatus
Ad latices cervus, hiat
Ad te, mea, ſumme Deus
In preſſuris mens aſpirat.
Sitivit anima mea
Deum pridem cor ſitivit,
Suum robur, atque vitam,
Quando tandem intuebor
Dei formam expetitam.
Fuerunt mihi lachrymæ
Die, nocte, dum ſuſpiro,
Fundo fletus, cibum meum,
Dum ſugillant hoſtes Deum,
Deum meum, cui reſpiro.
Hæc recordatus ſum &
Dum memoror hæc; relaxo
Mentem mœſtam, & attritam,
Dicens poſt hæc luſtra ſcando,
Domum Dei tam quæſitam.
In voce exultationis &
Ibi, illi confitebor,
Fauſti belli dabo ſigna,
Ibi lætus epulabor,
Orco, morte jam devicta.
Quare triſtis es anima
Ergo mæſta, quid decumbis
Marti ſacro mens adſcripta?
Cur me turbas, & obtundis
Tanquam ope deſtituta?
Spera in Deo, quoniam
Spera, laudem dare pergo
Deo meo ſalutari,
In quo, totum me immergo,
Aduc pergo modulari.
Ad me ipſum animæ
Me ſpiritus interpellat,
Tui memor, ſed aſpirat,
Ad aquarum vivos fontes,
Quos eructant cœli montes.
Abyſſus Abyſſum invocat
Poſt Abyßum, en Abyſſus,
Nubem, nubes, & obumbrat,
Dum procellis imber miſſus,
Cœli tonat, orbis crepat.
Omnia excelſa tua, &
Ut montibus in aquarum,
Fundo merſum arenarum,
Me miſellum terruiſti,
Dum me malis obvolviſti;
In die mandavit
Solatii dum ſol redit,
Noctis carmen dictat fides,
Nam procella cum reſedit,
Poſt, o dulcis aura rides.
Apud me oratio Deo
Sic reſumptæ meæ vitæ
Ad auctorem fundo preces.
Ad te, rogo, me admitte:
Hæ ſunt albæ ſortis vices,
Quare oblitus es mei
Cur ſic mei es oblitus?
Caro languet cur afflicta?
Cur incedo ſic contritus?
Cur gens inſtat maledicta?
Dum confringuntur oſſa
Cur ſic, oro, reprobamur?
Oſſa languent ſic attrita?
Metu quaſſi enervamur,
Omnis virtus derelicta?
Dum dicunt mihi
Sed abeſſe dum videtur,
Adeſt, qui te conſoletur.
Quid ſic mœres? in hac vita,
Deo tuo ſat munita?
Spera in Deo, quoniam
Adhuc illi confitebor:
Cuncta vincam, bene ſpera
Et in illa me ſpe vera,
In æternum oblectabor.

IN SEQUENTEM VITAM

PRÆMONITIO.

NIhil prænotandum occurrit præter ea, quæ ipſe Auctor præmonet cum in dedicatoria Epiſtola, tum in præfatione, niſi quod ejuſmodi S. Parentis Vitæ Compendium anno 1608. *ab eo exaratum eſt, quum a negotiis totius Congregationis procurandis adlectus omnem operam impendit, ut quam citius inter Beatos Tereſia ipſa Pontificio decreto adcenſeretur; nam anno ſequenti* 1609. *typis Stephani Paullini Romæ promulgatum eſt, ſingulari volumine in* 4°. *quod recuſum etiam Bruxellis an.* 1610. *& forte etiam alibi habetur. In conlectione autem omnium Operum exſtabat Tomo tertio, a pag.* 121.

S. D. N. PAULO V. PONT. MAX.

FR. IOANNES A IESU MARIA F.

Debetur tibi, Pontifex Maxime, & Catholicæ Eccleſiæ Pater Beatiſſime, hiſtoria Virginis Tereſiæ, pro cujus relatione inter Sanctos apud Sanctitatem tuam planè Auguſtiſſimam, Divinæque proximam, & Urbes, & Provinciæ, & Potentiſſimi Reges ſeriò agunt; nec deſiſtent, donec ei ſacros honores Spiritu cœleſti afflante decernas. Quocirca æquum eſt, heroicas virtutes, quibus Tereſia claruit, compendio pernoſcas: ut re accuratius explorata, graviſſimè pronunties. Huc ego deſtinavi ſcriptum hoc, munus certè perexiguum, quod, ſupplex oro, ne aſperneris, memor rerum ſanè grandium, quas volumine parvo contexui. Inſpice, obſecro, Summe orbis terrarum cenſor, & ſynceræ ſanctitatis Judex, luminibus divinis ſplendentem Virginis Tereſiæ vitam, cujus pulchritudine capiaris. Ego vero interim, Pater Sanctiſſime, pro incolumitate tua ad Eccleſiæ totius bonum impenſius expetita, clementiſſimum Deum enixè precabor.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Hiſtoriam, Lector candide, tria potiſſimum capita commendat Veritas, brevitas, perſpicuitas. Veritas ne in equeſtria commenta pro veris obtruſa degeneret: brevitas, ne ingenia multis aliis curis obnoxia, ingenti mole deterreat: perſpicuitas, ne ambiguitatibus obortu lectorem exaſperet.

Et quidem tria bona hæc in rebus geſtis Regum, Ducum, militum minus fœliciter collocata nitent: in heroicis vero Sanctorum virtutibus obſervata luculentius ſplendent, ipſa quippe rerum celſitudo ad nitoris acceſſionem plurimum confert.

Hæc ergo in hiſtoria noſtra, implorato cœleſti lumine, conati ſumus, ut geſtorum divinorum, quibus B. Virgo Tereſia claruit, veritatem in primis poneremus: brevitatem, multis rebus ad fuſiores libros rejectis, affectaremus: perſpicuitatem ſermonis caſti delectu, ac difficiliorum verborum fuga exquireremus.

Duo vero ad penitiorem hiſtoriæ intellectum præfari opus eſt: unum ad rerum, alterum ad Sermonis modum attinebit.

De rebus ſic agendum eſt: opera clariſſimæ Virginis Tereſiæ, & numero, & pondere adeo excreviſſe, ut ſcriptori cuivis nimis operoſum, & lectori fortaſſe moleſtum accideret, ea omnia perluſtrare. Accedit, quod viri graviores, qui negotiorum exundationibus obruuntur, & hoc eximiarum virtutum exemplar intueri ſucciſivis horis exoptant, hoc voto non ſive bonorum affectuum jactura carerent. Quapropter rerum maximarum compendium, quam longiorem hiſtoriam hac ætate contexere, ſalubrius multo viſum eſt.

Ad rem autem ipſam ſpectat annotare, Vitam B. V. Tereſiæ, quam graviſſimus P. Ribera e Societate Jeſu conſcripſit, eam item, quam Turiaſonenſis Epiſcopus Fr. Didacus Jepes Hieroſolymitanus elucubravit, ſicut & hanc noſtram, eſſe aliud ſcripti genus ab eo, quod ipſamet, ut Confeſſariis obtemperaret: illud quippe non hiſtoria, ſed affectionum divinarum, quæ ſubibant quædam expreſſio eſt, cui perfunctorie res alias, quæ ad hiſtoriæ genus pertinere videntur, admiſcuit.

De ſermone illud animadvertendum, voces aliquot Eccleſiaſticas perantiquo uſu receptas, nonnulla item recentiora Urbium, oppidorum, hominum, functionumque nomina vulgaria conſulto poſita, ne Latina, & antiquiora, quæ tam pene exoleverunt, obſcuritatem pariant. Etſi enim Latina poni plerumque poſſent; ab aliis tamen nationibus, quibus præſertim hoc opus excuditur, non ita facile ac alia, quæ apud eas vulgatiſſima ſunt intelligerentur: Quo certè conſilio, tempeſtate hac, Scriptores illuſtres, vulgaria nomina Latinè inflexa, ſuis libris intulere.

Sic Feria, Vigiliæ, antiquo Eccleſiaſticorum more, ſic Luyſius, Gonſalus, hominum, ſic Segobia, Paſtrana, aliaque oppidorum; ſic Monialis, Provincialis, Superior, aliaquæ functionum nomina ritibus novis uſurpavimus, ex qibus aliqua apud priſcos Auctores Latine dicta non leguntur, alia priſcis nominibus; Latinis efferri potuiſſent. Ipſum quoque vulgare nomen, Tereſia, creberrime repetitum eſt: licet aliquibus Tharaſia, ad Græcam pene formam efferendum videatur, Θαράσι *quippe Græcis proprium nomen eſt, Hiſpanis Tereſia, uſitatum genti nomen, quemadmodum Urraca, Elvira, & ejuſmodi alia: ſatius eſt tamen Tereſiæ nomen quadriſyllabum multorum jam ſcriptis ſub eo numero laudatum, ſcriptis quoque inſerere.*

Quicquid verò boni à nobis depromptum eſt, clementiſſimo Deo bonorum auctori, & B. Virginis Tereſiæ meritis feratur acceptum: errata vero, quæ ob ſcriptoris diſparitatem irrepſiſſe neceſſe eſt, impenſius deprecamur, omniaquæ S. Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ſubiicimus.

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA

COMPENDIUM

VITÆ B. VIRGINIS TERESIÆ A JESU

FUNDATRICIS FRATRUM DISCALCEATORUM, ET MONIALIUM BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Elogia B. Virginis Tereſiæ compendio ſcripta.

Scripta An. 1608.

A

DEcet ſanè rerum maximarum lectores ſic ab ipſo lectionis primordio affici, ut æſtimare norint, quod perluſtrare decernunt. In eum quippe modum lectio utilior, ac delectabilior efficitur, dum res planè grandes, æqua æſtimatione perpenſæ altius imprimuntur.

Præſules, qui B. Tereſiæ ſanctitatē ſūmis laudibus extulerunt.

B

Quocirca è re lectoris erit, antequam in hiſtoriæ campum pedem inferat, quid mundus penè univerſus de B. Virgine Tereſia opinetur, accipere. In undecim vero quaſi agmina, elogia diſcernere, conſilium eſt: quorum primo recenſemus selectum numerum ampliſſimorum Antiſtitum, qui facto periculo, B. Virginem Tereſiam ſummopere laudarunt: cujuſmodi ſunt D. Theutonius de Berganza Archiepiſcopus Eborenſis, Doctor Velaſquez Archiepiſcopus Compoſtellanus, D. Alvarus de Mendoza Epiſcopus Palentinus, D. Criſtophorus Roxas Archiepiſcopus Hiſpalenſis, D. Chriſtophorus Bela Archiepiſcopus Burgenſis, Didacus Covarruvias Epiſcopus Segobienſis, Doctor Manſus Epiſcopus Calaguritanus, P. F. Didacus Jepes Epiſcopus Turiaſonenſis: è quibus hi duo noviſſimi ſuperſtites ſunt, ut alios Præſules reticeamus, qui B. Tereſiæ ſanctitatem ſummis acclamationibus aſtruxerunt.

C

Agmen ſecundum. Viri ſanctitate celeberrimi.

Secundum agmen viris ſanctitate celeberrimis inſtruimus. B. Pater F. Luyſius Bertran Ordinis Prædicatorum, quem in agmine ſecundo merito recenſemus, cum de illius relatione inter Sanctos, apud Sedem Apoſtolicam tam ſeriò agatur; ſic B. Virgini Tereſiæ, à qua litteras acceperat, reſcripſit.

S. Ludovici Bertrandi epiſtola ad D. Tereſiā.

= Litteras tuas, Tereſia Mater, accepi. Et quia res, de qua ſententiam rogaſti, ad cultum Dei tanti ponderis eſt, reſponſum diſtuli, Deum oraturus, ac ſacrificaturus: Nunc verò ipſius Dei nomine ſcribo, in re tanta, quam moliris, conſtanter agas, ipſe quippe tibi opem feret. Ejus pariter nomine te certiorem facio, ante annorum quinquaginta decurſum, Reformationem hanc tuam fore unam è clariſſimis Religionibus totius Eccleſiæ Dei: qui te incolumem ſervet. Valentiæ. =

D

Epiſtola hæc facile indicat, quid vir ille ſanctitatis gloria illuſtriſſimus, de Beatæ Virginis Tereſiæ probitate, cœptaque reformatione cenſeret.

Scrip. An. 1608.

P. Magiſter Avila.

Pater Magiſter Avila, vir hac tempeſtate, orbe toto à vitæ ſanctimonia, à diſcretione ſpirituum, à doctrinæ gravitate, ac ſalubritate laudatiſſimus, epiſtola una eruditionis divinæ plena, ſatiſque longa, quam compendii hujus anguſtia non fert, ſpiritum B. Virginis Tereſiæ probat. Ubi crebro verba hujuſmodi repetit: Nihil non totum invenio: verba à Deo inſpirata mihi videntur: & ejuſmodi alia.

A

S Petrus de Alcantara.

Pater Fr. Petrus de Alcantara Ordinis Sancti Franciſci, qui ſanctitate, ac vitæ auſteritate incredibili priſcos plane Sanctos æquaſſe videtur: quique Patrum Franciſcanorum reformationem labore, ac induſtria ſua mirificè promovit, eò uſque B. Virginem Tereſiam coluit, ut duo porro mirabilia dictitaret: Unum, Tereſiæ animum proculdubiò unum eſſe ex iis, qui in univerſo terrarum orbe eximia ſanctitate ſplenderent. Alterum, quod notatu dignius eſt, exceptis Catholicæ fidei aſſertionibus, nihil ſibi certius, quàm Tereſiæ ſpiritum eſſe divinum. Et quidem inauditus hic cenſendi modus hiſtoriis fide digniſſimis conſignatus eſt.

Epiſcopus Turiaſonenſis P. Ribera

B

S. Franciſcus Borgia.

P. Franciſcus Borgia, Societatis Jeſu Generalis, mundi contemptu, & vitæ totius ſanctitate conſpicuus, non modò ſpiritum B. Virginis Tereſiæ abſque ulla exceptione probavit; verum adeo illam veneratus eſt, ut frequenti litterarum officio ſemel cognitam diutiſſimè ſalutaverit, ne ullum pateretur reciprocæ conſuetudinis decrementum.

P. Luvovicus Granatenſis.

Poſſent huc plerique alii ſanctimoniæ fama celebres intexi: ut Fr. Ludovicus Granatenſis, Ordinis Prædicatorum, cujus pietas orbem totum pervagata eſt: Rodericus Alvarus, Julianus de Avila, & alii, qui tamquam ſidera in Eccleſiæ cœlo intermicant: verum inſtituto noſtro excurſus adeo prolixus minimè congruit.

C

Agmen Tertium.

Tertium agmen doctrina cumulatiſſima inſtructum, viros clariſſimos habet.

P. Dominicus Bannes.

P. Fr. Dominicus Bannes Ordinis Prædicatorum, cujus nomen numquam ignorari poteſt, ob ſcripta graviſſima, & Salmanticenſis cathedræ Theologicæ famam, quam poſt annos plurimos rude donatus, inſigniter auxit, B. Virginem Tereſiam, cujus ſpiritum per annos circiter vigintiquatuor accuratiſſimè exploraverat, tanti fecit; ut cum in ejus funere in Monaſterio Diſcalceatarum Salmanticenſi concionem haberet, palam dixerit, exiſtimare ſe, B. Virginem Tereſiam B. Catharinæ Senenſi ſanctitate æqualem eſſe; Catharinæ vero ipſi divina librorum ſuorum doctrina antecellere. Qua certè laude vix ulla major ab homine graviſſimo proferri potuit.

D

P. Bartholomæus de Medina.

P. Fr. Bartholomæus de Medina, Ordinis Prædicatorum, Salmanticenſis item Academiæ celeberrimus Theologiæ prælector, qui S. Thomæ commentariis ſeipſum abundè commendavit, cum prius de B. Tereſia non excelsè ſenſiſſet, poſtmodum è ſacra confeſſione probè cognitam, ſpiritu perſpicaciter explorato, ſcriptiſque B. Virginis Tereſiæ perluſtratis, & miratus eſt, & acerrimus ejus propugnator evaſit, dicereque ſolebat experimento convictus, nullam omnino aliam in orbe terrarum Tereſiæ parem vitæ ſanctitate reperiri.

P. Franciſcus Ribera.

E

D. P. Franciſcus Ribera è Societate Jeſu, vir facilè doctiſſimus, & inter Sacræ Scripturæ interpretes, quos ætas noſtra tulit, profecto nemini poſthabendus, inter graviſſimas functiones Eccleſiæ toti ſalutares, Deo glorioſum duxit, Vitam B. Tereſiæ, heroicis virtutibus refertam ſtilo gravi contexere, & eximium ſanctitatis, ac ſapientiæ exemplar poſteritati commendare.

P. Henricus Nenriquez.

D. P. Henricus Henriquez ex eadem Societate vir planè eruditiſſimus, ut ex theologicis ejus ſcriptis nemo non perſpicit, vitam, mores, revelationes B. Tereſiæ diligentiſſimè perſcrutatus, mirum de illius ſanctitate, ac ſpiritu teſtimonium perhibuit, atque ſubſcripſit.

Fuere & alii permulti è duobus lectiſſimis Ordinibus S. Dominici, ac Societatis Jeſu, quorum catalogum in agmine quarto ſubiiciemus.

F

Quartum Agmen

Quartum agmen cenſoribus, qui ſpiritum B. Tereſiæ ſubtiliùs diſquiſierunt, viris ſcilicet auctoritate, doctrina, ac rerum ſpiritualium peritia clariſſimis conſtat, quorum catalogus hic eſt:

Ex Ordine S. Dominici, P. F. Vicentius Varron, P. F. Petrus Ivagnes, P. F. Didacus Chiaves, P. F. Petrus Fernandez, P. F. Joannes Salinas, P. F. Lunar, P. F. Didacus Janues, P. F. Dominicus Bannes, & P. F. Bartholomæus de Medina, quos ante meminimus, aliique minimè pauci.

G

E Societate Jeſu clariſſ. P. Borgia, quem inter viros ſanctitate celebres retulimus; P. Araoz, P. Ægidius Gonzalez, Balthaſar Alvarez, P. Salazar, P. Ripalda, P. Paulus Hernandez, P. Gutierrez, P. Bartholomæus Perez, atque alii rerum divinarum conſultiſſimi, hi omnes vitam, ſpiritumque B. Tereſiæ oculatiſſimi explorarunt: pene omnes eià ſacris confeſſionibus fuerunt: ejus ſcripta penſitarunt: omnes eximiam ejus ſanctitatem obſtupuerunt.

Quintum Agmen.

Quintum agmen conſtat hiſtoricis: quod profecto expenſione dignum eſt: inter viros quippe doctrina excultiſſimos, qui hac ætate claruerunt, P. F. Dominicus Bannes Dominicanus, P. F. Luyſius Legionenſis Auguſtinianus, P. Ribera è Societate Jeſu, velut in cohorte prætoria, ab idoneis hujus militiæ exiſtimatoribus enumerantur; quod eorum ſcripta orbe toto celebrata pervincunt. E quibus primus hiſtoriam elucubrare impenſiùs optavit, ſed graviſſimis negotiis diſtentus nequivit: ſecundus inchoavit, ſed morte interceptus minimè abſolvit: tertius (uti ſuperius diximus) recenti rerum memoria, hiſtoriam juſtam, graviter, eleganterque contexuit. Epiſcopus quoque Turiaſonenſis P. F. Didacus Je-

H

Scripta An. 1608.

pes Hieronymianus, vir pietate, ac doctrina inſignis, vitam B. Virginis Tereſiæ noviſſimè conſcripſit. Et quidem viri tanti, non ſuorum Ordinum cauſam, ſed univerſalem pietatis cultum candidè promovere, abſque ullo invidentiæ ſtimulo certarunt.

Sextum Agmen. A

Sextum agmen communi omnium nationum Chriſtiani orbis acclamatione inſtruitur. Conſtat enim Tereſiæ nomen tam late propemodum patere, quàm longe cultus Chriſti procurrit. Nam præter Europæ regna, quæ B. Virginis Tereſiæ ſanctitas, & ſcripta ex Hiſpanico idiomate, Italice, Gallice, Germanice, Polonice, Latine verſa pervaſerunt, omnino compertum eſt, in Africæ, Aſiæ, & Americæ vaſtiſſima regna Tereſiæ famam penetraſſe. Nam & P. Fr. Didacus de Soria Ordinis Prædicatorum è Philippinis inſulis, ubi Epiſcopatum gerebat, litteris datis ad Clementem VIII. teſtificatus eſt, Indos illos in Virginis Tereſiæ cultum adeo fuiſſe propenſos, ut Tereſiæ nomen in ſacro baptiſmate ſuis infantulis imponi plerique poſtularent.

Septimum Agmen. B

Septimum agmen libris cœleſti ſapientia plenis armatur. Patet quippe mentem, quæ toti Eccleſiæ cœlo luce adeo mira præluxit, puriſſima Divinæ mentis luce minimè caruiſſe. Accedit huc præſtantiſſimorum Theologorum, qui B. Tereſiæ libros diſcuſſerunt, admiratio, & præconia verbis ac ſcriptis celebrata, quæ latere non poſſunt. Etenim, ut paucos è plurimis commemorem, ſummis Thologis P. F. Dominico Bannes, P. F. Bartholommæo de Medina Dominicanis, P. F. Luyſio Legionenſi Auguſtiniano, diligentiſſimis librorum Tereſiæ exploratoribus, & præconibus, neque ignoratio, neque incogitantia, neque ratio aliqua politica obiici poteſt. Ignoratio quidem, quia Scholæ pene univerſæ illorum trium ſcripta venerantur. Incogitantia verò, quia ut acres critici ex profeſſo libros perluſtrarunt. Ratio demum politica, quia neque ejuſdem profeſſionis erant, neque ſibi aliquam laudem, aut lucrum ex ſcriptorum approbatione conflabant. Bene autem eſt, quod neſcio quis Theologus nonnulla Tereſiæ dicta carpſerit, ut S. D. N. Paulus V. hac occaſione permotus, ea, quæ obiiciebantur, peritiſſimis Theologis ſeriò pervidenda commiſerit, quemadmodum graviſſimis in rebus fieri ſolet: facto quippe Romæ rerum accuratiſſimo ſcrutinio, doctiſſimi P. F. Didacus Alvarez Ordinis Prædicatorum, nunc Archiepiſcopus Trannenſis, & F. Joannes de Rada Ordinis S. Franciſci Epiſcopus Pactenſis, quibus Summus Pontifex curam demandaverat, ſic tandem ſcripſerunt: Trannenſis nempe, poſtquam objecta argumenta diluerat, in hunc modum concluſit; Ex his colligo, doctrinam Matris Tereſiæ in propoſitionibus prædictis, nihil continere doctrinæ Catholicæ, aut bonis moribus adverſum; ſed valde utilem eſſe iis, qui perfectam vitam ſpiritualem profitentur, vel ad eam tendunt: nec poſſe propter illam ejus canonizationem impediri, aut retardari. Ita cenſeo, ſubmittens meum judicium correctioni ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Frater D. electus Archiep. Tranneſis. Pactenſis vero poſtquam objectiones rejecerat, ſic ſuam ſententiam abſolvit: Cenſeo ergo nihil eſſe cenſura dignum in iis, quæ cenſor obiicit contra Matrem Tereſiam: ſed omnia ſaltem probabiliter defendi poſſe. Frater Ioannes de Rada Epiſcopus Pactenſis. Sic res ad Summum Pontificem relata, eſt, & libris Tereſiæ major hinc fides acceſſit. Ecce divinæ providentiæ flexuram! Permiſit videlicet Deus Theologum illum caligare, ut nebulas illius, Romani Pontificis auctoritas nova Tereſiæ illuſtratione diſpelleret.

G

D

E

Agmen Octavum.

Octavum agmen Carmeli reformatione fauſtè cœpta, feliciterque provecta conſtituitur. Qui enim fieri potuit, ut mulier ſanctimonia non inſignis, ab eo inſignem ſanctitatem procrearit? Profectò mirus divinæ ſapientiæ ordo, quo mundum adminiſtrat, rebus ingenio cœleſtibus origines quoque cæleſtes, divinæ cujuſdam architecturæ concinnitate coaptat. Iam vero Italia, Hiſpania, Gallia, Pollonia, Occidentalis India Tereſiæ partus virgineos à ſanctitate laudarunt: neque candidatæ proli fundatricem imparem, ſed altiorem certe ſenſerunt.

F

Nonum Agmen.

Nonum agmen Virginei corporis incorruptione, liquoris deſtillatione, ac odore mirifico aſſeritur. Poſt annos quippe 25. mirabilis hæc integritas à Medicis, ac Theologis peritiſſimis in admiratione habita, & divinæ virtuti adſcripta, & linteorum, quibus corpus, aut exiguæ quoque particulæ involvuntur, tinctura, & fragrantia profectò non levia ſanctitatis argumenta videntur.

Decimum. G

Decimum vero agmen crebris ſane miraculis componitur: quæ ſi forent ſingulatim percenſenda, & juſtum volumen exigerent, & lectorem fortaſſe delaſſarent. At bene eſt, miracula ipſa, tanquam linguis cœleſtibus prædita, ſeipſa evulgare.

Undecimū Agmen.

Undecimum agmen ex Eccleſiis, Regibus, Principibus, & Academiis B. Tereſiæ relationem inter Sanctos flagitantibus componitur. Concilium quippe Tarraconenſe, Cardinalis Toletanus, Congregatio Eccleſiarum Regni Caſtellæ, ac Legionis, Patriarcha Antiochenus, qui & Archiepiſcopus Valentinus, aliique quindecim, aut ſexdecim Archiepiſcopi, ac Epiſcopi graviſſimi, Rex Catholicus Philippus Secundus, Imperatrix ejus ſoror, Rex Catholicus Philippus Tertius, & Regina ejus conjux, Dux Lermæ, aliique clariſſimi Principes; Academia Salmaticenſis, & Complutenſis, ipſaque Religio in primis, quam condidit, Regnum Caſtellæ, & Aragoniæ, (ut Civitates, ac Principes multos prætercam;) apud Summos Pontifices pro B. Tereſiæ inſcriptione in album Sanctorum literis ſupplicibus inſtiterunt.

H

Ecce jam undecim agmina ſatis inſtructa,

Scripta An. 1608.

etſi leviter tacta, ut lectoris animum rationum pondere, ac efficacitate permoveant, ad B. Virginis Tereſiæ vitam æqua rerum æſtimatione luſtrandam. Sed antequam Tereſiæ hiſtoriam exordiar, origo Carmeli, ruina, & inſtauratio, duobus capitibus proximis Lectoris oculis obiicienda eſt.

A

CAPUT II.

Religionis Carmelitarum origo.

ANno ante fauſtiſſimum Chriſti ortum nongenteſimo circiterque trigeſimo, Elias Propheta clariſſimus in Carmelo Syriæ monte, quem cultu ſuo fecit inſignem, prima inſtituti monaſtici fundamenta defodit: quæ graviſſimorum Patrum conſenſio eſt.

S. Hieronymus ad Paulinum. Jo. Caſſianus li. 1. c. 2 & alii Genebar. chronolog. lib. 4. anno 5262.

Poſtquam enim Dei juſſu Primogenitum ſuum, & ex aſſe paternæ laudis hæredem Eliſeum, ex agri cultura evocatum ſibi ſociavit; plurimos alios excelſum, & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos filios Prophetarum appellatos Scriptura ſacra demonſtrat) in agmine illo primævo recenſuit: qui ejus domum poſt raptum, in Oratorium tanti Vatis nomine decoratum in Carmelo dedicarunt.

B

C. Baronius in Annot. ad Martyr. Rom. 20. die Jul. Genebrardus in chronol. l. 1. anno 3272. Trithemius de laudib. Carm. c. 3.

Nec Palæſtinæ, Syriæve tantùm finibus cœleſtis inſtitutio circumſcripta eſt; in Ægyptum enim temporis excurſu, lectiſſimæ gentis coloniæ, quos Eſſenos nuncupabant, deductæ ſunt, ut Eliæ imitatione Alexandria quoque clareſceret.

Quidquid enim Orientis, Auſtrique primores, quorum genere Monachorum cœtus gloriantur, tradidere: quidquid etiam ab Oriente in Occidentem extat invectum, non minima ex parte Inſtitutionis Eliæ quædam expolitio, & ad nationes diverſas coaptatio eſt; ſive contemplationis ſtudium, ſive ſolitudinem, ſive auſteritatem, ſive paupertatem velimus expendere.

C

Omnia quippe capita hæc in Cœnobiis laudatiſſima, ſic in eo Propheta ſplenduerunt, ut Joanni Baptiſtæ laudi Chriſtus verterit, imaginem Eliæ ad vivum expreſſiſſe, quaſi animi ſuſpenſio, eremus, aſperitas, caſtimonia, inopia, ceteræque inſtituti monaſtici notæ, quibus Joannes claruit, totidem Eliæ dotibus harmonicè conſentirent.

Illi verò Prophetarum filii, Eſſenive Palæſtinam incolentes (quemadmodum & Eſſeni poſtea in Ægyptum traducti) miris exemplis cœptam inſtitutionem, uſque ad Virginis partum produxerunt; neque enim Chaldeorum, aut aliorum hoſtium feritas, quæ vindictam, ſpoliaque ſitiebat, in homines innoxios, & nihil mortale curantes deſæviit, Deo ſic agente, ut tanti Vatis eruditio ad eum, cujus typum prætulit, illæſa pertingeret.

Joan. Hieroſol. de inſtitut. mon. cap. 26.

D

Cum ergo gens divinis rebus addicta, id in Carmelo, quod in Oriente tres illi Reges Balaam poſteri, modis licet diverſis, moliretur, ut ſcilicet Deo intentiſſimè vacaret; mox ut Chriſti ſplendor illuxit, bene comparata Evangelicæ veritatis ſtudium arripuit, & una cum Apoſtolis in opus prædicationis incubuit. Cui fidem aſtruit Sacellum, quod in Beatiſſimæ Virginis honorem ab ea exædificatum auctores nonnulli prodiderunt.

Armachanus Archiep. in ſerm. de feſto Concept. Joan. Hieroſym. c. 31. & 36. Polyd. lib. 7. c. 3 Jo. Heroſol. de inſtit. Mon. c. 36. & alii

Nec ſane decuit Prophetæ tanti poſteritatem ignavia torpeſcere, cum denſas orbis terrarum tenebras lux nova diſcuteret: ſed antiquum pietatis cultum cum novo potius conciliare, quem & ipſa orbis domina Roma ſuſpiceret.

E

Strenuam ergo primæ Chriſti ſementi, & Virginis laudi cum Eliæ poſteri operam navarent, illuſtriſſimum cognomentum adepti ſunt, ut Virginis Fratres appellarentur. Quem ſane honorificum titulum clementiſſima Regina, & viſis, & miraculis uti rem invidioſam propugnavit; multiſque aliis prærogativis gentem auxit, inter quas ſuperhumerale, ſeu ſcapulare, temporis proceſſu B. Simoni Anglicano donatum mirificè lucet.

Jo. Hier. de Inſtit. Monach. c. 36.

Nova igitur Chriſti agmina concepto fidei orthodoxæ calore validiùs dimicantia Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus cœleſtibus jam viris, quàm plantis fœcundior, cœpit animos excelſos procreare, ac in hunc modum, non tam ſcripto, quàm traditione inſtructus uſque ad annum à Chriſti natali quatercenteſimum perduravit.

F

Ann. 400.

Creverat mirum in modum nova Virginis proles, quam ſcriptis jam legibus temperare opus erat: quamobrem Joannes Hieroſolymitanus Patriarcha quadrageſimus quartus (quem Molanus inter Sanctos refert) Regulam è Scripturæ ſacræ conſiliis, & veterum Patrum, qui ab Eliæ tempore Carmelum incoluere, documentis contextam ei præſcripſit.

Ad an. 400.

Series verò longa, ſub ea Regula, per annos plurimos excurrit, multiſque laboribus, & infeſtationibus Carmelus afflictus eſt: ad annum quippe ſexcenteſimum uſque numeroſa proles increvit: at poſthac perſecutionibus graviſſimis Eccleſiæ hoſtium exagitata in patrio monte, quo ſe velut in aſylum tota recepit, uſque ad octingenteſimum annum perſeveravit.

G

Anno. 600.

Anno 800.

Poſt eum verò annum Pontifices Summi (à Leone illo, qui Pontificatum ad annum 848. geſſit, uſque ad Gregorium VII.) ſtatum rerum adverſarum commiſerati, gentem afflictam privilegiis augere perrexerunt.

Ann. 1078.

Verùm interlapſis annis aliquot, Aymericus Lemovicenſis, Antiochenus Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis in Oriente Legatus, inſtitutionem Eliæ pene collapſam conſpicatus, regula Joannis è Græco in Latinum traducta, & à multis Latinis, qui eò commigraverant, exactiùs percepta, dejectos animos in avitam obſervationem erigere ſtuduit: & Eremitas Carmeli ad communem vitæ rationem Latinorum Monachorum moribus conſentaneam induxit.

Aymericus anno 1120.

H

Refecit pius Patriarcha ſedulitate, ac auctoritate ſua Carmeli vires, ut aliquandiu vige-

Scripta An. 1608.

vigerent: at poſt nonnullos annos, cum multa intellectu difficilia è Joannis regula emergerent, quæ explanatione indigebant,

Ann. 1171.

B. Albertus Hieroſolymorum Patriarcha breviorem quamdam regulam compendio, & perfectione laudatam edidit.

A

Ann. 1248.

Ceterum Eliæ poſteritas à calore primo deferbuit, & excurſu temporis, poſtquam fortiter egit, ab Innocentio IV. mitigationem impetravit.

Ann. 1431.

Nec tamen (quæ hominum imbecillitas eſt) ſatis propterea conquievit; ſed poſt exactos annos circiter ducentos; ab Eugenio IV. Regulam rurſus leniri curavit: quæ uſque ad noviſſimam reformationem à Beata Virgine Tereſia cœptam prolata eſt.

Ann. 1562.

Anno igitur milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo clariſſima Virgo Tereſia Regulam Alberti ab Innocentio modicè temperatam; & ſub ipſo temperamento pro primitiva habitam tam cupidè amplexata eſt, ut primævam illam obſervationem, quæ Innocentii mitigationem anteceſſit, excelluerit: & ad ſui æmulationem Patres duos, & ſanctitate, & doctrina conſpicuos,

B

depoſita Eugenii mitigatione permulſerit: quæ in hiſtoriæ proceſſu luculentiùs oſtendemus.

CAPUT III.

Reſtituti Carmeli progreſſio, & inſtitutum.

NE hiſtoriæ textum intercidere oporteat, æquum erit in hoc quaſi veſtibulo, Inſtituti à B. Virgine Tereſia inſtaurati rationem, ac progreſſionem exprimere; ut rerum exitum ab ipſo lectionis exordio lector quiſque perſpiciat. Clementiſſimus ergo Deus hac ætate Virginem hanc excitavit, ut opus excelſum moliretur.

C

Carmelitici Ordinis reformatio a D. Parente Tereſia adgreſſa.

Cum enim per annos plures inter Moniales Carmelitanas egiſſet, nec illud mite vivendi genus ſitim divini amoris, quo flagrabat, expleſſet: grandi auſu arctiorem vitæ diſciplinam adeo fauſtè condidit, ut non Virgines plurimas tantùm, ſed eximios quoque Viros ad imitationem allexerit, clauſtro egreſſa multas urbes obierit, Monaſteria multa conſtruxerit, eodemque tempore Patres illos, qui eam æmulari cœperunt, ad Cœnobia plura condenda permoverit.

A. Sixto V. in Provincias diſtributa, & a Clem. VIII. proprium Generalem adſequuta.

Fuit autem progreſſus, Deo propitio, tantus, ut Congregatio à Sixto V. in provincias diſtributa, & à Clemente VIII. Generalem proprium nacta fuerit, quæ poſtquam Hiſpaniam implevit, & ad Occidentales Indos palmites porrexit, nunc in Italia coaleſcens de Orientis, ac Septemtrionis miſſionibus ſeriò cogitat.

D

Opportunum quippe & ſuæ, & proximorum ſaluti profitetur Inſtitutum, ex contemplatione, actioneque pia ita permixtum, ut primam, & potiorem partem contemplatio, ſecundam, & poſteriorem actio ſibi vendicet.

Quattuor cœnobiorũ genera, & quæ?

Ut verò partis utriuſque functiones perfectiùs obeat, licet ubique intactas ejuſdem Regulæ præſcriptiones obſervet: ſub Regula tamen eadem quaterna Cœnobiorum genera diverſis modis inſtituit. Iis enim, qui recenter induuntur, Monaſteria à ſæcularium commercio diſſita condit: iis, qui à concionibus, prælectione, ſcriptione, aliiſve laboribus interquieſcunt, alia in Eremis aſſignat:

E

iis, qui Philoſophiæ, ac Theologiæ navant operam; propria collegia tribuit: iis, qui prædicationi, ſacramentorum adminiſtrationi, aliiſque piis erga proximos operibus inſudant, viciniora urbibus Cœnobia erigit: quæ tamen omnia in ſcopum eumdem concinna varietate conſpirant.

Denique ut ſaluti eorum, qui ab Eccleſia exulant, pro virili conſulat, in Urbe Seminarium extruit, unde Religioſi ferventiores, doctrina, linguarum peritia, & aliis ejuſmodi dotibus inſignes, ad exteras nationes, iuxta Summi Pontificis arbitrium, pro Chriſto legatione fungantur.

Exercitia Congregationis, quæ?

Exercitia verò Congregationis, utrique Inſtituti parti, ſeu fini congruentia, hæc ſunt:

F

Pro contemplatione tuenda, ſolitudo, ſilentium, jejunium, aſperitas vitæ, cura receſſus adeo exacta, ut excepto Priore, Concionatore, Confeſſario, Procuratore, ad opera neceſſaria prodeuntibus non ſolùm domo egredi, ſed neque intra Clauſtrum deambulare, nec verò niſi ſtatis horis ad chori, cœnaculi, oratorii, & aliorum locorum communes actus, vel peculiaria officia cuique iniuncta obeunda, cella unquam exire liceat.

Receſſus.

Receſſus autem minimè otioſus eſt, Regula graviter aiente: Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur. Oratio, quæ mentalis appellatur, & contemplationi gradum ſtruere debet, binis quotidie horis; altera manè, altera veſperi exercetur, oratorio ad hoc opus deſtinato, quo Fratres univerſi conveniunt.

G

Horæ verò Canonicæ, quæ contemplationi mentem adaptant, ita dicuntur, ut Matutinæ, nocte media, ceteræ ſtatutis temporibus in choro ſedatè, & quoad fieri poteſt, religioſè ſolvantur.

Examen cōſcientiæ.

Examen conſcientiæ, quo divinæ contemplationis impedimenta depelluntur, & animus, ut niteat, & perſpicaciùs cœleſtia ſenſa concipiat, expurgatur, bis in commune per ſingulos dies paulò ante prandium, & noctis ſomnum habetur.

Silentium.

Silentium, quod rebus caducis oſtium oppilat, ut æternas ore clauſo cuſtodiat, religioſiſſimè colitur: neque enim Fratres; niſi de peculiari Superioris conceſſu, mutuo colloqui poſſunt: tantum abeſt, ut cum ſæcularibus ſine venia verba facere liceat;

H

verùm à prandio per annum integrum, & à cœna per æſtatem, horam circiter unam in loco uno Fratres comiter, ac modeſtè colloquuntur.

Caſtigatio corporis.

Corporis caſtigatio, quæ pondus carnis extenuat, ut agilius mens ad cœleſtia fe-

ratur

Scripta An. 1608.

ratur, auſtera eſt: nam eſus carnis, niſi morbus premat, interdicitur: jejunium per ſeptem continuos menſes protenditur; ubi ſextas anni totius ferias, & vigilias minimè recenſemus.

Veſtis rudis, nuditas pedum, lectulus tribus, quatorve tabulis conſtructus, duabus lodicibus, & pulvino laneo tantummodo ſtratus, terna per hebdomadas ſingulas verberatio, & paupertatis Apoſtolicæ cultura corpus animo ſubjugant, & ad expetenda divinæ conſuetudinis ſolatia, ubi temporanea deſunt, acriter incendunt.

A

Quod verò ad piam ſpectat actionem, quæ poſterior Inſtituti pars eſt, omnibus feſtis per totius anni decurſum, & per Quadrageſimam, juxta patriæ morem, concio habetur; & Sacramentorum frequentia commendatur, & alitur.

Societates laicorum annexæ Cenobiis eriguntur; ubi de morum correctione, idoneo Sacramentorum uſu, orationis exercitio, ſtatus electione, ac ejuſmodi aliis admonentur, & ad Chriſtianam perfectionem incitantur.

B

Trium Votorum cultus.

Trium autem votorum cultus accuratiſſimus eſt: obedientia quippe exiguum aquæ potum, ſine Superioris expreſſo conſenſu, quaſi grave piaculum horret: & in morem introductum eſt, ut omnes cordis latebræ Superioribus aperiantur, eorumque conſilio per omnia regi univerſi Fratres impenſè cupiant.

Caſtitas ſtudioſiſſimè colitur, ut decet puriſſimæ Virginis filios: ſunt enim actus Congregationis omnes ad eam perficiendam appoſiti.

Paupertatis ſtudium. Apoſtolicæ.

Paupertatis Apoſtolicæ ſtudium plane mirum eſt. Nemo quippe præter lectulum, libros è communi bibliotheca de Superioris venia depromptos, Crucem ligneam, duas, vel tres imagines papyraceas, vel pomum quidem unum habere permittitur.

C

Humilitas.

Humilitas (quam Congregatio velut reginam veneratur) præter exercitia familiaria, & obſequia Fratrum alterna, ſancitur voto quarto, prælationem, vel officium intra Congregationem non ambiendi, & extra, niſi obſtringente Summo Pontifice, non accipiendi.

Caritas.

Charitas demum, quæ ſtructuræ totius faſtigium eſt, multa exercitiorum æmulatione ſuccreſcit. Clementiſſimus enim Deus ad hæc omnia peragenda cœleſtis gratiæ vim abunde largitur: quam ad gloriam immortalem ſuam, & animarum ſalutem, hac potiſſimum tempeſtate perficiat.

D

Inſtitutum hoc leviter à nobis adumbratum (quod exceptis functionibus, & ritibus, quos femineus ſexus excludit) à Monialibus æque colitur B. Virginis Tereſiæ.

CAPUT IV.

Patria, Parentes, & Natalis Beatæ Virginis Tereſiæ.

ABula nobilis admodum, & perantiqua Hiſpaniæ civitas, in vetere Caſtella inter urbes multas facile clariſſima, in paternis ædibus è regione monaſterij Sancti Dominici olim extructis, Beatam virginem Tereſiam, inſigne ſuæ laudis ornamentum edidit: licet enim ſtrenuos, ac ſapientes viros quondam protulerit, minus tamen eſt, quod multorum fortitudo, vel doctrina paruit, qua quòd univerſi mundi contemptu, mulier una ſubegit.

E

Sub Leone X. Pont. M. & Imp. Maximil. 28. Martii.

Excæcato ergo denſis peccatorum tenebris ſæculo, anno a Virginis partu 1515. quintoque Kalend. Aprilis Joanna Caroli Quinti parente in Caſtella regnante, ſed pro ea Catholico Rege Ferdinando ejus patre regnum adminiſtrante, B. Virgo Tereſia natali feliciſſimo orbi terrarum affulſit.

F

Divino prorſus conſilio imminenti Eccleſiæ malo proviſum eſt; bienno quippe antequam ſceleſtiſſimus Lutherus, armatis perfidia militibus in Eccleſiam rebellaret, is in lucem partus editus fuit, qui lectiora, quàm hoſtis ille, agmina pro Chriſtianæ Reip. tutamento poſſet inſtruere.

D. Tereſiæ Parentes.

Virginis pater Alphonſus Sancez de Cepeda, mater D. Beatrix de Ahumada, & genere, & moribus ingenui, inter octo, ſeu novem liberos Tereſiam natu tertiam, cœleſti dono procrearunt.

Generis verò claritatem a parentibus acceptam, nobiliſſima Virgo tam inſigniter auxit, quàm imperioſe deſpexit: quod ut ſe meliore conſilio feciſſe demonſtraret, nativum cognomen clariore Jeſu cognomento permutavit, ut non jam D. Tereſia de Ahumada, ſed Tereſia a Jeſu nuncuparetur ex eo ſanguine ingenuitatem alteriorem acceptura, quo noverat ſe fuiſſe redemptam.

G

CAPUT V.

Pueritia, & educatio B. Virginis Tereſiæ.

MOS Dei plane ſuaviſſimus eſt, rebus, quas in ſcopum quemque collimat, cauſas, & inſtrumenta opportuna providere, quibus eo pertingant. Quapropter cum ad eximiam ſanctitatem Virginem hanc provehere decreviſſet, parentes ejus Chriſtianis moribus expolivit; quos in filiam velut hæreditario iure derivarent.

H

Mater honeſtate plurimum enituit: nam cum egregia forma præſtaret, & ætate junior eſſet (anno enim trigeſimo tertio interiit) nec pulchritudo, nec ætatis fervor, nec verò nobilitas animum extulit, ut ſibi multum tribueret, ſed tamquam ætate provectior, matura videlicet mente ſe modeſtiſſimè geſſit.

Pater pari honeſti laude reſplenduit: &

Scripta An. 1608.

cum piis libris deditiſſimus eſſet, tenellam Virginem (quemadmodum & liberos alios) ſimili ſtudio vehementer addixit: quo certe conſilio ſeptennem puellam clementiſſimus Deus ad ſe allicere cœpit.

Ejus germanus frater.

A

Erat ei tunc frater germanus, Rodericus de Cepeda, natu propemodum par, cæteris charior (qui poſtea militum ductor apud Indos Occidentales obiit.) Hic unà cum ſorore piorum librorum lectioni impenſiùs vacabat, fructumque ætate majorem uterque referebat. Nam cum hiſtorias martyrum, & felicem exitum attentiùs lectitarent, exiguum ſane cruciatum, ampliſſima verò præmia, divino jam lumine perfuſi cenſebant. Quamobrem ea bona ſummis laboribus parare non tantùm optarunt, verùm pro captu ſuo ſe ad opus accinxerunt.

A paternis laribus fuga cur arrepta?

B

Condicta quippe die, clam patre viaticum tenuiſſimum aſportantes, & Mahometanorum regna petere, ut pro Chriſto capite plecterentur, impenſiùs, quàm dici poſſit, cupientes, domo, ac urbe exceſſerunt. Pergebant alacriter tenelli milites, graviora certamina, quàm ferret ætas, auſu grandi cogitantes. Grande cœptum urgebat, nemine multiplices animorum motus reprimente. Verùm ecce inopinatus, triſtiſque remorator. Patruus quippe quidam ſuus fortuitò eis obvius, rem demiratus viam carpentes intercipit, domumque non abſque ipſorum mœſtitia, ſed cum ſingulari ſollicitæ matris gratulatione reducit. Meritò hîc futuræ virtutis indicio planè maximo acclamandum eſſet.

Id autem, quo acerrime ad hæc ſtudia incitabantur, æternitatis cogitatio erat: quæ puerorum inertiæ, ac teneriori naturæ immenſum calcar adegit. Jam enim Apoſtoli ſenſum compendio nacti fuerant, ut labores leves, ac momentaneos æterno gloriæ ponderi poſthaberent.

C

Cellulas eremiticas, labore puerili conſtruit.

At enim cum res eis non pro voto ſuccederent, vim animorum, majora, ſed vetita molientium, ad breviora pietatis exercitia, quæ non prohibentur, reflexere. Eremiticas enim cellas, puerili certè ſchemate, ſed cano ſenſu in hortis paternis conſtruere cœperunt, Deo firmiora ædificia portendente, quæ à Virgine poſtmodum eſſent extruenda. Verùm cellulis eremiticis ad ſolitudinis otium non ſatis aptatis, ſed vel motu levi dirutis, aut inter manus ſponte ruentibus, animi Deo vacandi jam inde cupidiſſimi, & quò ſe vertere neſcientes æſtuabant. Proderant tamen ea cellarum ſimulacra ad concepta deſideria tuenda; his enim & aliis caloris interni fomentis in res divinas Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum cultum, affectus alebatur. Inter omnia vero pietatis incitamenta, Samaritanæ imagine, ac verbis illis (Domine da mihi aquam) mirificè puella capiebatur, & ea creberrimè repetebat, unde fructum uberrimum reportabat.

D

Miſericordia in pauperes.

Eleemoſynas, quàm large poterat, erogabat, & exercitiis ad pietatem excolendam exquiſitis intenta, mòrum ſuavitate ſimul, & ætate ad annum duodecimum adolevit: ubi D. Beatrix ejus mater è vita migravit.

D. Beatricis immatura mors.

E

Perculit Virginem parentis præmatura mors, & anxia dolore coram Beatiſſimæ Virginis imagine, quaſi meliorem parentem ſortitura, multa lachrymarum vi adoptionem poſtulavit. Res ceſſit ex voto, quod in præſentiſſima tantæ Matris ope, qua Congregationem condere potuit, orbis univerſus agnovit.

CAPUT VI.

In deteriora ſenſim labitur, ſed à Deo eripitur.

SÆviſſimus noſtræ ſalutis hoſtis indolem Virginis contemplatus, & ſua damna præſagiens, cœptam Tereſiæ pietatem maximarum virtutum notis illuſtrem pervertere cogitavit.

Tereſiæ dotes.

F

Erat nimirum illa ingenio perſpicax, prudens, magnanima, conſtans, quæ ſi ſemel virtutum radices altè defigere ſineretur, ingentem cladem hoſti allatura, & Deo ſummam gloriam eſſet paratura.

Quamobrem duobus illam incitamentis evertere tentavit, ut nativis animi dotibus abuteretur.

Librorum equeſtrium lectionis inlicia.

Alterum, vaniſſima equeſtrium librorum lectio fuit, quæ in ædes honeſtiores, quò impudicitia penetrare nequit, ſolet irrepere, ac animos bene temperatos ad interitum pertrahere. Adeo verò lectioni huic, unà cum Roderico ſe dedidit, ut ſermonis proprietates, ac tropos brevi, ſed longa cum temporis jactura perdiſcens, ejus generis librum elaboraverit, quo tam inſolito fœminæ labore multorum linguas excitavit.

G

Vani ejus effectus.

Hinc ea damna familiariſſima, veſtis pretioſior, odoramenta, capillorum cura, manuum nitor, formæ oſtentatio. Non tamen eò prorupit, ut ab aliquo turpiter amari vellet, vel culpam, quam quidem ipſa deprehenderet, palam admitteret: ſic enim præſervanda erat, quæ ſanctitatis exemplar erat præbitura.

Conſanguineorum cōſuetudo, & effectus.

Alterum irritamentum, conſanguineorum domum ex more ingredientium conſuetudo fuit: cum enim eſſent ætate pares, & vanitate ſæculi tacti, ipſiſmet verbis, quæ diutiſſimè producebant, Virginem à rebus melioribus divertentes, periculum non leve creabant. Pejora imminebant à puella quadam ſanguine conjuncta, non uſque adeo cordata, quæ Virginem quatuordecim tunc annos agentem, à primæva pietate abducere conata eſt.

H

Hinc Dei timoris oblivio, vani affectus, & aliorum nimia familiaritas, quamvis (quod ipſa ſcripto conſignavit) numquam grave malum appetierit. Clementiſſimus enim Deus, ne contagio ullo ſacrarium illud ſuum pollueretur, armatura duplici, hoc eſt nativo libidinis odio, & honoris amo-

Scripta An. 1608.

amore Virginem ſepſit, ut omnes vitiorum ictus elideret.

Omnem videlicet turpitudinem averſabatur, licet comitate multa, & verborum dulcedine, quos alloquebatur, alliceret: honoris verò ſtudium, & cujuſvis in eo genere jacturæ timor illam dirè torquebat.

A

Etſi vero ſubtiliore polleret ingenio, quo ſuſpicionem quamlibet præcavere poſſet, Deo ſic agente, Patri (quæ illius ſolertia erat) nonnulla levitatis ſuſpicio ſuborta fuit.

Appellabatur D. noſtra de gratia ex ordine S. Auguſtini ibique ingreditur Tereſia an. 1531.

Hic dæmon geſtiebat: ſed præda, quam ſperabat, confeſtim evanuit. Exactis enim ea levitate tribus dumtaxat menſibus, in Monaſterium, ubi puellæ ingenuæ educebantur, ſe recipit: & viribus animi reſumptis, non ſolum modicam eam vanitatem, quam è ſæculo hauſerat, execrata, ſed religionis amore, quem exuerat, affecta fuit, & internis exercitiis (quamvis & cogitationibus importunis, & donis extrinſecus miſſis tentaretur) ſe devovit: quouſque gravi morbo intercepta, domum paternam repetivit.

B

CAPUT VII.

Induitur veſte Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo, & profitetur.

POſtquam è morbo convaluit, cum in oppidulum, ubi morabatur ejus ſoror D. Maria de Cepeda, deduceretur, obiter patruum quemdam ſuum, in oppido, cui nomen Hortigoſa, quod duodecim milliaria ab urbe Abulenſi diſſitum eſt, inviſit, & librorum piorum lectionem, non tam ſibi, quàm patruo audienti, qui eo ſtudio magnopere delectabatur, gratificatura frequentavit.

Tereſia piorum librorum lectioni addicta.

C

Hoc autem ſaluberrimo exercitio veritatem illam in pueritia conceptam aliquandiu intermiſſam, penitus intellexit, omnia videlicet mundi bona ocyus evaneſcere, æterna permanere: & per menſes tres luctata ſecum, ſtatum Religioſum, quem nunquam ſeriò ſibi perſuaſerat, arripere decrevit.

Hac vero ratione ſibi potiſſimum imperabat: ſtatus nempè illius labores igne purgatorio non eſſe acriores, ac propterea leniter ſecum agi, quæ tartarum commeruiſſet, ſi leviores illos agones hac in vita perferret.

Cœpit ergo patrem ſuum, pro explendo deſiderio, interdum urgere: à quo cum inter liberos omnes tenerrimè amaretur, nihil impetrare potuit. Quod ut illa perſpexit, mundi deliramentum experta, & anteactæ levitatis memor, rem aggredi (ut quæ magnanimitate ad res arduas obeundas prædita erat) patre relicto cogitavit.

D

Die igitur quadam ſummo mane, nemine conſcio, præter Antonium de Ahumada ejus fratrem germanum, in fuga comitem, domo erupit, & in Monaſterium Incarnationis, quod Abulæ inclytum, & Beatæ Virgini de Monte Carmelo ſacrum eſt, ſe conſtantiſſimè abdidit.

Monaſteriũ Incarnationis ingreditur 4. Non. Nov. 1533.

Rem profectò grandem adorta eſt: nam præter contemptionem honoris, opulentiæ, voluptatumque, quibus certe bonis in ſæculo large frui poterat, in ipſomet egreſſu incredibilem animi dolorem, ac eam ſenſus pugnam perſenſit, ut ſingula corporis oſſa eluxari, ac membra diſſolvi viderentur.

E

At cordis generoſitas ea fuit, ut hilari vultu, & ſuaviſſima comitate ſpectantibus imponeret: nihil enim niſi vehementer ſacræ veſtis deſiderium, virgines illæ, quarum captabat ſocietatem, ſuſpicari potuerunt.

Extemplo verò (quæ Dei hauſto labore ſolantis conſuetudo eſt) penitiſſima lætitia, ob ſtatum ſelectum, mundique neglectum, ſic affecta fuit, ut in poſterum per totius vitæ decurſum, nullum paſſa fuerit decrementum.

Carmelitica veſte Abulæ induitur, 4. Non. Nov. 1536.

Veſte ſacra ſuſcepta, miris virtutum incrementis cœpit adoleſcere, ac futuræ ſanctitatis ſigna præferre. Ubi ſilentio minimè celandum, quod eo tempore Virgines illæ dictitabant: Ante multos ſcilicet annos Aquilegem quemdam (genus hominum eſt, qui loca ſubterranea viſus perſpicacitate penetrant) theſauros exploraturum eò veniſſe, ac meliorem theſaurum vaticinatum fuiſſe: fore nimirum in eo Monaſterio Monialem plane ſanctam, nomine Tereſiam: quod rei probavit eventus. Alii prophetiam cuidam Moniali, quæ Monaſterio recenter condito claruit, tribuebant: quod ego verius exiſtimo.

F

Annum ergo illum B. Virgo Tereſia multis morbis obnoxia, ſed invicto animo alacris exegit, & quamvis adventante profeſſionis emittendæ die ac in ipſo propemodum actu ſolemni, moleſtiſsimis tentationibus infeſtaretur, fortiſsimè prævaluit, ac ſe ipſam devovit.

Tyrocinio peracto profitetur 3. Non. No. 1537.

G

CAPUT VIII.

Morbis diu obſidetur: ſanitati reſtituitur: primævam levitatem repetit: orandi ſtudium intermittit; poſtea ſumit.

EXcrevere morbi, ſyncope, comitialis, aliique plures, qui ſenſu ſæpe intercepto illam divexabant. Et cum Abulenſes Medici Virgini remedium afferre nequirent, exit è clauſtro unà cum Moniali altera ei familiariſſima, & in oppidum (cui nomen Becedas) ubi mulier quædam morborum curatione celebrabatur, ægra deducitur.

Tereſia variis morbis vexata.

H

Exiit hyemis initio, & uſque ad Ver novum, curatione dilata, in oppidum obvium, ubi D. Maria de Cepeda ejus ſoror agebat, graviter affecta conceſſit. Extulerat ſecum tertium Oſunnæ Abecedarium, pium ſcilicet librum, à patruo ſibi traditum, quo per id tempus, quod in oppido ſororis exegit, uſa, cœleſti orationis dono, ſublimiùs, quàm ipſa tunc intelligeret, aucta fuit: pertigit enim ad excelſos quietis,

Monaſterio egreditur. An. 1538. quod ante Conc. Trid. licitum.

Scripta An. 1608.

& unionis gradus ab ipſa poſtmodum diſertè deſcriptos.

Poſt menſes tres apud mulierem illam, curata quidem, ſed ſanitatem adepta non fuit, & imbecilli corpore acrioribus medicamentis læſo, infirmior, quàm acceſſerat, domum paternam repetivit: ubi ſalute à Medicis deſperata, hecticæ febri obnoxia judicata eſt.

A

Feſtiviſſimo verò die, qui Auguſto Menſe Aſſumptioni dicatus eſt, ſpaſmo quodam immani, & in quatriduum protracto correpta, & extrema unctione ad obitum delibuta eſt. Jam ſepulchrum in Monaſterio fuerat effoſſum: jam Moniales aliquot feretrum comitaturæ venerant.

Monaſteriũ Incarnationis.

Et quidem niſi Virginis pater, qui pulſum (cujus erat peritiſſimus) exploraverat, obſtitiſſet, ajens; Filia hæc mea non ſic affecta eſt, ut ſepelienda ſit, tumulata proculdubio fuiſſet.

Paroſiſmo correpta quatriduo mortua viſa eſt an. 1539.

Sed elapſo quatriduo, evigilavit: queſta eſt, quod fuiſſet excitata: ſe in cœlis egiſſe, tartarum quoque vidiſſe, aliaque plane mira protulit, quibus à viris graviſſimis fides habetur. Cum enim doctiſſimus P. Fr. Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorum, qui primæ Theologorum cathedræ Salmanticæ præſidebat, die quodam feſto apud PP. Carmelitas Diſcalceatos concionaretur, illo quatriduo B. Virgini Tereſiæ oſtenſum tartarum aſſeruit. Viſum quoque hoc graviſſimus Pater F. Didacus Jepes Hieronymianus, Epiſcopus Turiaſonenſis, qui Philippo Secundo Hiſpaniæ Regi fuit a ſacris confeſſionibus, in vita Beatæ Virginis Tereſiæ, quam Hiſpanicè conſcripſit, rei bene conſcius, ſua auctoritate confirmat.

B

An. 1587.

Experrecta ergo Tereſia, pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ ſacramenta uberrimo cum fletu recepit: & uſque ad Paſcha doloribus acerrimis patienter exantlatis, in paternis ædibus permanſit.

C

Inſtitit valde, ut jam ad Monaſterium referretur: ubi contracta, graviuſque quàm exprimi poſſit excruciata, octo menſibus jacuit, ſed morbus annos tres perduravit: quibus nihil æque jucundum, ac Dei ſermo, pia lectio, ſacræ confeſſiones, & panis Euchariſticus accidit. Si quam verò culpam levem admiſiſſet, orationem, non metu pœnæ, ſed ingenua quadam verecundia ex acceptis beneficiis orta (etſi conſilio minus bono) refugere conſuevit.

Ope S. Joſeph convaluit.

Poſt annorum autem trium excurſum, ope Sanctiſſimi Patris noſtri Joſeph, cui erat addictiſſima, à membrorum contractione ſoluta, cœpit incedere.

D

Hoſtis verò tantæ laudis impatiens, primæ levitatis experimento audax, aliam in abditiore loco, nocendi artem invenit. Multi quippe per id tempus, in Monaſterium ventitabant, quos Beata Virgo Tereſia (ut erat ſermone lepidiſſima, & actione venuſtiſſima) præſertim alliciebat; & pro gratitudine, & comitate nativa (licet non turpiter) redamabat.

His laqueis illam hoſtis invidentiſſimus adeo compedivit, ut orandi exercitium intermitteret, indignitatis colore prætenſo: nefas enim ei videbatur, ad Chriſtum accedere, quæ ab hominibus non longè recederet: præterquamquod alias de quarum moribus bene opinabatur, id efficere cernebat, & nonnulli minus ſapientes Confeſſarii res leves non uſque adeo improbabant.

E

Perrexit ergo cœptis inſiſtere, quæ periculo minime vacabant. Quod cum illa neutiquam pertimeſceret, ſæpe inde damna referebat: tametſi non eò accederet, ut praviter erraret, ex præſentiſſima Dei tutela, qua vel in parum laudata conſuetudine non caruit.

D. Tereſiæ viſum habitum anno 1542.

Sub initium enim ſermonis cujuſdam colloquiive familiaris, quod inter omnia maximè nocuit, vidit internis oculis Chriſtum graviſſima ſpecie, quantopere ille ſermo diſpliceret, oſtendentem: quem & columnæ religatum, ſpectaculo ad cor emolliendum opportuno, nudum brachium laniatum exhibentem ibidem aſpexit.

F

Orationi denuo incumbit. 1545.

Hac fidiſſima cuſtodia præſervabatur, etſi humanæ conſuetudinis laqueis obligata, non ſe facilè ab occaſionibus expediret. Anno tamen ab intermiſſo orandi ſtudio perlapſo, P. Fr. Vincentii Varroni Dominicani, prælectoris Theologi, qui erat à ſacris confeſſionibus, conſilio permota, ſtudium illud reſumpſit.

Hoc igitur more, per annos fere viginti, leves interdum culpas admittens, crebrius autem inculpatiſſimè agens, modò arens, modò ſolatiis perfuſa divinis, vitam contexuit.

Illud tamen oculatè diſpiciendum, nihil hîc turpe, ſeu grave commiſſum, & pauciſſimos dies intercalatos, quibus non longiſſime oraret.

CAPUT IX.

Seria B. Virginis Tereſiæ converſio.

G

ORatorium aliquando, ex more ingreſſa, & imaginem Chriſti ſauciati conſpicata, vehementer ſtatim commota fuit; cœpitque intentius meditari, quàm parum grata tot vulneribus, cauſſa ſuæ ſalutis acceptis, extitiſſet: ubi dolor tantopere invaluit, ut cor intimi ſenſus ictibus ſcindi videretur.

Hoc acerrimo doloris ſenſu tacta, ad imaginis pedes ſe provoluit, & vim lachrymarum effudit, illud teſtata, ſe inde non ſurrecturam, quouſque robur, ne in culpam relaberetur, impetraret; nec incaſſum: deinceps enim, mirabilibus augmentis virtutum increvit, nec præteritis lapſibus, quos potiſſimum exhorruit, ſimile quidquam admiſit.

H

Confeſſiones D. Auguſtini.

Profuit impendio dulciſſimus ille confeſſionum S. Auguſtini liber, quo tunc utebatur: cum enim pervenit ad vocem, quàm ille, dum in horto jaceret, audivit, eam-

Scripta An. 1608.

dem audire ſibi viſa eſt: quod immenſa cordis motio, & fletus impotens aſtruxêre.

Hinc ad ſublimiorem ſanctitatem ſtudioſiùs exquirendam incenſa eſt: quod certè ſingulare bonum, ſe Beatiſſimæ Virginis, ac Sanctiſs. Joſeph precibus (quemadmodum & reliqua omnia) obtinuiſſe peculiari revelatione, quam ſcripto prodidit, accepit.

A

Inter alia verò cœleſtia dona, meritò refertur timor quidam ingenuus, ne videlicet orationis gaudia, & animi ſuſpenſio, dæmonis impoſturæ forent, ac inde hoſtis ille ab ſerio, utilique orandi ſtudio vellet eam dimovere.

Tereſia quo timore vexata?

Torſit illam diu, graviterque ſalutaris hic timor, nec requieſcere poſſe ſibi viſa eſt, niſi cum rei conſultis de illo conferret. Egit ergo cum viro vitæ ſanctitate claro Franciſco Salzedo (qui tametſi conjugatus, rebus divinis deditiſſimus erat) ut Patrem quemdam Theologum ſanctitate inſignem, ea de re conveniret. Sed ille unà cum Franciſco ipſo, re altè perpenſa, cenſuit deluſam eſſe, parumque tempeſtivè Virginem cœpit nimis urgere, & à nonnullis leviſſimis rebus, quæ cum divina conſuetudine cohærere non videbantur, tanquam violenter avellere.

B

Temperandus rigor erat: quamobrem ſalubriore conſilio cenſores ipſi monuerunt, ut cum Patre quodam rerum perito è Societate Jeſu rem totam communicaret. Obtemperavit è veſtigio, & eum offendit, qui animo nimium affecto mederi noſſet. Meditationem humanitatis Chriſti impenſè commendavit: ſed guſtum, quem orando hauriebat, reſpuere præcepit, donec aliud injungeret: & ad vitæ auſteritatem, quam illucuſque Virgo morbis vexata parùm exercuerat, hortatus eſt.

Confeſſarii ejus prudentia.

C

In eo verò Patris illius prudentia præſertim enituit, quod non confeſtim Virginem ſeveris legibus obſtrinxit: ſed cunctatus, Dei opus obſervavit, nativos mores inſpexit, & ſenſim, præeunte Deo, ad ulteriora promovit.

Patuit autem primos illos cenſores, licet animo candido, minus bene judicaſſe.

CAPUT X.

P. Franciſcus Borgia Societatis Jeſu Generalis ſpiritum B. Virginis Tereſiæ probat.

S. Franciſcus Borgia.

PAter Franciſcus Borgia, Societatis Jeſu Generalis, mundi contemptu, & rerum divinarum experimento conſpicuus Abulam venit: Virginiſque Confeſſarius cenſuit, cum viro conſultiſſimo rem conferri oportere. Accurrit illa, omniaque, ut erat veritatis ſtudioſiſſima, retulit, Pater verò Franciſcus ingenuè reſpondit, divini ſpiritus opus proculdubio eſſe, ne deinceps reſiſteret: ſed à Chriſti paſſione orationem auſpicaretur: quod ſi ad altiora ſublevaretur duci ſe ſineret. Quo certe reſponſo mirum in modum recreata fuit.

D

Sub id tempus ejus Confeſſarius Abula diſceſſit, quod eam non parùm afflixit, ratam, vix alium ex ſententia ſucceſſurum. Affuit tamen alius ex eadem Societate: qui cum animadverteret, B. Virginem Tereſiam pro ingenii nobilitate, iis, à quibus diligebatur, amicitiæ profeſſione, vicem rependere, quæ affectum erga divina diminuere poſſet; ſuadere cœpit, iis neceſſitudinibus nuntium remitteret.

E

Quid Confeſſarius ei præcepit?

Res ſubauſtera viſa eſt: obtendebat enim ingratitudinem: At Pater ille orandum dixit, & Spiritus Sancti hymnum, per dies aliquot, ad lucem impetrandam injunxit.

Quid ab ſponſo ſuo audierit?

Avidè rem aggreſſa eſt: die quadam, cum pro re longiùs oraſſet, ſubitaneo raptu, quem uſque ad id tempus experta non fuerat, propè ſenſibus alienata in animæ centro audivit verba hæc: (Nolo jam cum hominibus, ſed cum Angelis familiariter verſeris.) Quæ ſanè verba cordi Virginis robur tantum indiderunt, ut, quod annis plurimis, navitate multa, conſiliis opportunis nequiverat, momento uno peregerit.

F

Hinc Clementiſſimus Deus eam alloqui cœpit, & creberrimè conſuevit.

Tereſia deluſa cenſetur.

Non tamen propterea inducias cum hoſte pepigit: Ecce quippe ſex viri pietate illuſtres, re ultro citroque verſata, Virginem deluſam eſſe conſentiunt. Confeſſarium admonent, qui Deo ſic providente, ad animi illius generoſiſſimi examen illis cenſoribus velut acquievit.

Decernitur, ne ſacram Synaxim tam ſæpe ſumat: ſolitudinem vitet: quæ ſanè præcepta, comitialem morbum, & timorem, quo ſatis ipſa premebatur, nimis auxerunt: maleque habita, ſub onere graviſſimi mœroris è Collegio S. Ægidii dimiſſa fuit.

G

Quibus verbis ab ſonſo ſolata?

Interdicto igitur hominum ſolatio, in orationem vehementer incubuit: & die quadam hujus orbitatis, poſt exactas quatuor mœroris horas, ſic Deus Clementiſſimus illam affatus eſt: (Ne timeas filia, ego ſum, non te derelinquam.) Verba hæc, momento uno, caliginem omnem diſcuſſerunt, animum innumeris motibus agitatum ſedarunt, ſerenitatem cæleſtem, ac ſecuritatem invexerunt, ut dæmonis impoſturam ſibi perſuadere non valeret, quamvis totius orbis cenſores in ſententiam adverſam conſpirarent.

Eliquabatur dulciſſimis lachrymis, & mutatum repentè cor ad cæleſtem pacem admirabatur.

Dæmonum in ea contemptus, unde?

H

Arripuit crucem fortiſſimo jam corde munita, & agmina dæmonum laceſſebat ajens: Congredimini nunc omnes, experiri volo, an mihi potentiſſimi Dei famulæ nocere poſſitis. Ex quo excelſum dæmonum contemptum nacta eſt, ut, etſi eos nonnumquam videret, pro nihilo duceret, nulloque metu vexaretur: quod illa inter ſumma Dei beneficia poſuit.

Multis jam revelationibus illuſtrabatur, & multa virtutum lucra parabat, quæ ipſa proprio tractatu digeſſit. At non defuere

Scripta An. 1608.

importuna prœlia multorum, in ſpeciem prudentum, qui majore ſynceritate, quàm ſapientia impoſturam ei objectarent.

Quin etiam & ipſi Confeſſario moleſtè inſtiterunt, caveret mulierem illam ſeductam, leviſſimaſque rationes graviter exaggerantes, quidquid à pia Virgine ſyncerè factum, ſiniſtra interpretatione vitiarunt.

A

Tres hac infeſtatione anni fluxerunt: nec defuere, qui velut à dæmone obſeſſam adjurare cogitarent.

Illud verò inter omnia B. Virginem diriſſimè torquebat, quòd viri ſanctitate inſignes rem hanc malè interpretarentur: at omnia vicit, omnes adverſitates excelſo corde deſpexit.

CAPUT XI.

Ut Confeſſariis obtemperet, divinis favoribus reluctatur.

IN mediis tot inſectatorum incurſibus, Clementiſſimus Deus internis blandimentis Virginem ſolabatur: cui amanter illa, ut mœrorem exhalaret, de objectis calumniis conqueri ſolebat, ſemperque ab oratione validior exibat.

B

P. Balthaſar Alvarez Tereſiæ Confeſſarius.

Nemini, præterquam Confeſſario P. M. Balthaſari Alvarez è Societate Jeſu, Collegii S. Ægidii Rectori, viro divinarum affectionum perito, ac plane prudenti, qui ei plurimum profuit, mœſtitiæ ſenſum aperiebat: quem licet tetricus eſſet, amabat.

Quid a quodam Confeſſario Tereſiæ injunctum? ann. 1558.

Cum verò cœleſtium viſionum ſublimitas in dies augeſceret, Confeſſarius quidam, qui P. Balthaſare impedito, Virginem interdum audiebat, neſcio, qua mente, apertè dixit, eam eſſe ſeductam: quamobrem, quoties quempiam ſibi apparentem videret, ei illuderet, & ſe crucis ſigno muniret.

C

Acre nimis præceptum, quo velut jaculo trajecta fuit: cum enim Deo jam à viris prudentiſſimis res tota tributa fuiſſet, repentinum hoc telum illam acerbè ſauciavit. Et tamen fideliſſimè paruit: etſi enim, interim dum ſacra viſa cernebat, nihil ambigere poſſet; ſimul tamen à Chriſto viſo veniam poſtulabat, & crucis ſignum effingebat: quod cum præ laſſitudine tam diu nequiret, acceptam crucem manu oſtendere conſuevit: tanta fuit obedientiæ Religio.

Quid a Chriſto ei datū? 1558.

Quapropter amantiſſimus Jeſus Chriſtus, qui, præ victimis, obedientiam probat, ereptam aliquando manibus crucem, quatuor prægrandibus gemmis conſtructam reſtituit: quo ſingulari dono diutiſſimè perfruita fuit: non enim primam crucis materiam, ſed quam Chriſtus formam induxit, impoſterum vidit, tametſi ab aliis minimè conſpiceretur: quale quiddam SS. Cæciliæ, Gertrudæ, Catharinæ Senenſi, & aliis eveniſſe, memoriæ proditum eſt.

D

Frequentiora ergo, & altiora ſpectacula cor Virginis jam oblectabant: & Chriſti in viſu quodam promiſſio ſuberat, fore, ut rei veritas pateſceret, & qui male opinabantur, reſipiſcerent. Et quidem cœleſtia viſa, & promiſſa eam voluptatem pariebant, quæ omnem orbis terrarum eloquentiam facilè vincat: tantum abeſt, ut hiſtoriæ compendio illa complecti liceat: nec enim, vel unum è divinis blandimentis Oratores diſertiſſimi aſſequi poſſent: quod è ſubjecto patebit exemplo.

E

Cum Clementiſſimus Deus pollicitus fuiſſet veritatem detectum iri, cor Virginis amore vehementiſſimo inflammavit, ut ei ſæpius anima divelli videretur. Æſtuabat, & præ ſponſi deſiderio, paulò minus interibat: ſauciaverat quippe illa graviſſimo, ſed dulciſſimo amoris vulnere, quo carere timebat.

Repetebat crebro illud Regii Prophetæ votum ardentiſſimum:

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Pſal. 41. 2.

Hinc ſubiti raptus in ipſa hominum, cum quibus agebat, frequentia: quibus, etſi validè conaretur, reniti nequibat: Deo ſic providente, ut veritas inciperet eluceſcere.

F

Cor Tereſiæ ab Angelo transverberatum 1559.

Unum inter multa laudatiſſimum, & ſuaviſſimum reticere non licet: vidit ſæpe juxta ſe ad ſiniſtrum latus Angelum ſtatura brevem, forma elegantiſſimum; igneo aſpectu flagrantem, quem ab ardore Seraphim exiſtimavit: ferebat ille manu jaculum aureum, è cujus ſpiculo ſummo (ut apparebat) ignis eminebat modicus.

Hoc ergo cœleſti jaculo cor Virginis tam fortiter vulnerabat, ut hærentia ſpiculo viſcerum fruſta extrahere videretur. Dolor acerrimus erat; ut ſubtiles quoſdam gemitus ejus indices ederet, cum vires ad clamorem deficerent: nec tamen dolorem carere ullo pacto cupiebat: erat enim ineffabili oblectamento permixtus.

G

Vulnerati a Deo cordis effectus.

Vulnera hæc univerſis mundi honoribus, opibus, ac voluptatibus meliora, incredibile amoris incendium excitarunt: ut ex abſentia Chriſti, longo charitatis martyrio torqueretur.

CAPUT XII.

P. F. Petro Alcantara rerum rationem exponit: & probatur, graviterque tentatur.

VIſa illa dolorem acerbiſſimum, & ſuaviſſimam voluptatem pariter ſuggerentia, Virginis animum augebat: neſciebat quippe quo pacto duæ illæ contrariæ affectiones ab radice una prodire valerent: præterquàm quòd non à quovis Theologo res tam ſublimes capiebantur, ut anxiam ſedare poſſet.

H

S. Petrus de Alcantara quid de Tereſia effatus ſit, an. 1560.

Tunc opportuna Dei providentia, P. F. Petrus de Alcantara Fratrum Diſcalceatorum S. Franciſci Commiſſarius, vitæ ſanctitate, ac internarum affectionum experimento clariſſimus Abulam venit, qui res altè perceptas tam ſeriò probavit, ut præter Fidei Cahtolicæ aſſerta, nihil ſibi certius, quàm Virginem Tereſiam, à Spiritu San-

Scripta An. 1608.

Sancto duci aſſeveraret: quod hominis modeſtiſſimi elogium, meritò viris ſapientibus notatu digniſſimum videatur neceſſe eſt.

Cœleſti ſapientia ſua Pater ille mœrorem diſſipavit, aſſeruitque ad Beatæ Virginis Tereſiæ encomium, unum è ſummis totius vitæ laboribus ab ea, dum à cenſoribus exerceretur, fuiſſe perlatum: Patremque Balthaſarem Alvarez alloquutus, omnem ab eo ſcrupulum abegit.

Tereſia moleſtiſſimo timore vexata.

Verùm quod animi timorati argumentum, & experimentum fuit, etſi à viro tanto teſtimonium omni exceptione majus accepiſſet, moleſtiſſimo timore identidem ſic vexata fuit, ut per hebdomadas integras, anxietatis preſſura velut præfocari videretur; & (quod remedium ſupereſſe videbatur) ſi ad angorem elevandum Confeſſarios conveniſſet, acrioribus verbis excepta, & ſeveriùs dimiſſa rediret: quod illi ſecreto Dei conſilio acti (non enim id ex animo agerent) ſe effeciſſe mirabantur.

Oportebat ſanè, quæ aliis patientiam, & fortitudinem præceptura erat, tot præliis impeti, & ad mortem uſque infeſtari: hoc tamen exercitio illud agebatur, ut invicti animi ſanctitas multis ictibus tentata ſplenderet.

Vexatio nimirùm urgebat, ut viros ſapientiſſimos conſilii gratia perquireret: qui audita dona facilè divina, quæ virgo exponebat, demirati, aliis evulgabant, ut Tereſiæ nomen multa regna pervaderet.

CAPUT XIII.

Occaſio prima, ut ageretur de Monaſterio primo condendo: quod à Deo ſæpe juſſum: ſed multæ adverſitates obſtant.

CUM affectionibus jam divinis illuſtris in leniore illo Incarnationis Monaſterio B. Virgo Tereſia ſibi minimè ſatisfaceret, oblatam auſterioris diſciplinæ occaſionem ſic arripuit.

D. Maria de Ocampo, Tereſię neptis.

Erat ei neptis, quam ſemper amavit impensè, D. Maria de Ocampo (quæ poſtea inter Diſcalceatas Monaſterio Valliſoleti cum laude præfuit) quæ tunc corporis cultui, & formæ oſtentationi artificioſiſſimè ſtudebat, tametſi intra clauſtrum illud, educationis cauſa, maneret.

Nocte igitur quadam cum hæc, & Joanna Soaria Virginis amiciſſima ſimul agerent, B. Virgo Tereſia inopina, & quaſi jocans, cœpit lepidè, ut ſolebat, ſtatum illum præſentem improbare, prætexens numeroſum eſſe Monaſterium, ac proinde moleſtum. Extemplo D. Maria de Ocampo: Recedamus ergo quotquot hic exiſtimus, & eremitarum more, aliud vitæ genus abſtractius ineamus.

Nec incaſſum id extulit: Hinc enim in noctem totam ſermo productus, & ſeriò de votis illis explendis actum eſt. Pollicita eſt D. Maria mille aureos, quod ipſi ſummopere placuit: optabat quippe grandia adoriri: quod certè deſiderium hauſerat è terribili quodam viſu, ubi cruciatus æternus, ſi levitatem primævam proſequuta fuiſſet, inferendus eam exterruerat.

Cum ergo à ſempiterno dolore præſervata, quippiam Dei clementia non prorſus indignum moliri cuperet, novum arctioris vitæ propoſitum mente pertractabat, & fovebat. Eo verò tempore familiaris quædam & ingenua mulier D. Guiomar Virginem inviſit, quam ſic experiri cœpit; Nuper (inquit) Juvenes hæ (aderant enim duæ illæ) de arctiore Monaſterio conſtruendo agebant. Excepit hoc illa ſatis cupidè, inſtititque ut extrueretur, & aſſignandorum reddituum modum expoſuit.

Legatur 32. c. in B. Vir. Tereſiæ vita.

Optabat hoc impensè Beata Virgo Tereſia, tametſi Monaſterium Incarnationis non diſpliceret. Convenit ergo inter illas, ut Deo preces offerrent: pauloque poſt, Euchariſtia percepta, Chriſtus Virgini juſſit, rem totis viribus obiret, Monaſterium Sanctiſs. Ioſeph nomine inſignire, pollicitus rem pro voto ſucceſſuram, ſe cum ſacris Virginibus intra clauſtrum verſaturum, Cœli Reginam uni, Ioſeph alteri januæ præfuturum, Monaſterium velut ſtellam ſplendore conſpicuum orbi lumen allaturam. Præcepit etiam, ut Confeſſario viſa referret.

Chriſtus quid Tereſiæ juſſerit 1560.

Vim concepit invictam. Sed cum adverſitates ſævituras Virgo proſpiceret, ægre ferebat, pace, qua fruebatur, excluſa, ſe mundi fluctibus committere.

Defert rem ad P. Balthaſarem Alvarez è Societate Jeſu, qui cum eſſet prudens noluit acriter reſpuere, tametſi exitu cariturام exiſtimaret. Monuit tamen, ut Provincialem ſuum P. F. Angelum de Salazar, virum laudatum conſuleret: quod ubi per D. Gujomar factum eſt, Provincialis pro inſigni pietate ſua, propoſitum commendavit, opem tulit, ſe Monaſterium admiſſurum promiſit.

Res a Tereſia Confeſſario ſuo delata.

Ante hanc verò Provincialis facilitatem Beata Virgo Tereſia integerrimo P. F. Petro de Alcantara Franciſcano rem ſcripto tranſmiſerat, qui eam validè confirmavit, & Epiſcopum urbis admonuit.

Principia tamen non male fulta dæmon horruit, & urbem totam ad maledicentiam, & deriſum adeo excitavit, ut cum mane Natalis Chriſti D. Gujomar Confeſſarium adiiſſet, ab eo, velut abſolutione indigna, repelleretur.

Viſum eſt hominum auctoritate, ad hominum impetum coercendum, uti oportere: & ne PP. Societatis Jeſu nuper in Urbem ingreſſi, inopes, ac favore indigentes, propoſiti hujus tuitione vexarentur; cœnobium S. Thomæ, ex Ordine S. Dominici B. Virgo Tereſia, & D. Gujomar petunt, & P. F. Didaco Ivagnez, viro doctrina, & probitate claro (ſuppreſſis tamen revelationibus; communi quippe Teologorum doctrina, ubi nihil ſuſpectum eſt, decidi cupiebat) rem totam exponunt.

P. Didacus Iuagnes cōſulitur.

Pater ille (licet in totius Urbis opinio-

Scripta An. 1608.

Quid reſponderit. an. 1560.

nem incumberet) tempus ad deliberandum expoſcit: & quamvis a Patritio quodam, ne opem ferret admonitus, mox ut rem animo verſare cœpit, cæleſte conſilium omnino viſum eſt. Reſpondet ergo, maturent opus, & ſi quis obluctetur, ad eum remittant.

A

Animos erexit grave reſponſum. Domus pacto pretio cum ſcribæ fide perendie emenda erat: verùm Urbis, & Monaſterii æſtus adeo efferbuit, ut Pronvincialis, ne ſolus cum tot agminibus confligeret, modicos redditus, nec (ut dicebat) tutos prætexens, veniam promiſſam dare noluerit.

Etſi verò B. Virgo Tereſia, ut rem eò perduceret, tot agones pertuliſſet, mox ut Provincialis renutum cognovit, ſine ulla controverſia conquievit: qui obedientiæ cultus eximius fuit.

Tereſia a tota civitate maledictis impetita.

Hinc urbs tota pejus de illa, quaſi levi capite laboraret, opinata, multa maledicta congeſſit: Monaſterium verò Incarnationis graviter excanduit, ac ſi novo propoſito, bonam illarum Virginum exiſtimationem obſcuraſſet: nec defuere, quibus in carcerem trudenda videretur.

B

Omnia tamen patientiſſimè tulit, ſe Deo feciſſe ſatis arbitrata, & hujus fidei conſcientia ſatis gaviſa: & tametſi opus deponeret, animum tamen numquam à fiduciæ firmitudine de explenda Chriſti pollicitatione deſpondit.

CAPUT XIV.

Confeſſarius à propoſito Virginem deterret: Chriſtus eam ſolatur: iterum de Monaſterio agit.

Confeſſarius quid Tereſiæ ſcripſerit?

C

PAter Balthaſar Alvarez è Societate Jeſu Virginem de mutando conſilio per ſcriptum hortatur, exigens, ne in poſterum quidquam attentet; perſpiciatque quàm fuerit inane propoſitum, quanta Urbis offenſio.

Vulnus hoc Virginem afflixit ambigere incipentem, an peccati alicujus anſam præbuiſſet, an viſa non vera fuiſſent: inde quippe de totius anteactæ vitæ revelationibus cœpit hæſitare.

A Deo ſolatur.

Affuit indulgentiſſimus Deus, qui adeo illam tenerè amabat, ut longam ejus vexationem ferre non poſſe videretur. Blanditus eſt: monuit ſedatè ageret (nullam enim culpam admiſerat) Confeſſario ad tempus morem gereret.

D

Interea P. F. Petrus Ivagnez, Virgine (ne Provinciali minus obtemperaret) intra Monaſterium per ſex menſes quieſcente, ac divini amoris è Chriſti conſuetudine vim ingentem hauriente, cum D. Gujomar de Monaſterio condendo, literis quoque Romam miſſis, contentè agit: & ſex menſibus elapſis, novus Rector Collegio Societatis Jeſu præficitur, Deo meliora providente, cum à prædeceſſore Virginis rem improbante P. Balthaſar Alvarez præpediretur.

P. Gaſpar de Salazar.

Novus Rector P. Gaſpar de Salazar vir prudens, ac perſpicax, qui P. Balthaſari Alvarez per omnia congruit, Beatam Virginem Tereſiam feſſam recreavit.

Ceterùm antequam ille Abulam perveniret, cum die quadam mœſtiſſimè affecta oraret, exiſtimans ſibi à Confeſſario fidem non commodari, Chriſtus, ne mœreret, cito afflictionem ceſſaturam, amantiſſimè dixit, quo adventum Rectoris præſignavit.

E

At P. Balthaſar Alvarez Dei conſilium hoc modo dignovit. Chriſtus B. Virgini Tereſiæ oranti ſic præcepit: Dices Confeſſario, meditetur cras verſum illum: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine; nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.*

Pſal. 91. 6.

Dum ergo die proximo ſic ille meditaretur, ea lux oborta eſt, quæ omnem prorſus nebulam disjecit: ſtatimque inſtitit acriter, ut ad opus Virgo feſtinaret.

Primi Monaſterii cœptum ædificium IV. Idus Augu. 1561.

Coegit illa quam pecuniam potuit: & ut prudenter opus ſimularet, ſororem ſuam D. Joannam de Ahumada per literas monuit, ut Joannes de Ovalle, cui nupſerat, Abulam Alba veniens, domum Monaſterio deſtinatam, velut uſui proprio, emeret: quod ille comiter præſtitit: dieque Auguſti 10. anno 1561. cœptum eſt ædificium.

F

Venit paulò poſt Virginis ſoror D. Joanna, quam dum frequentiùs viſeret, Monaſterii opus expediebat: ubi inter alia multa (mirum dictu) cum die quadam cœmentariis egeret, nec (ob inopiam) conducere poſſet, Beatiſſimus Joſeph per viſum injunxit, cum mercenariis paciſceretur; pecuniam neutiquam defuturam: quod ſanè viſum ab ea firmiſſimè creditum, exitus comprobavit.

D. Joſephi auxilium in Tereſiam.

CAPUT XV.

Ædificatur Monaſterium: eveniunt mira nonnulla.

G

CUM navaretur opera domui extruendæ, & Virgini exigua videretur, die quadam, ſtatim à ſacra ſynaxi ſumpta, Chriſtus ſic anxiam affatus eſt: Jam te monui, ut quà poſſis, incipias: O generis humani cupiditas, quæ te ſic afficit, ut terram tibi defuturam exiſtimes!

Chriſtus quid Tereſiæ dixerit?

Quoties ego obnoctavi, cum tecto carerem?

Remanſit B. Virgo Tereſia hinc erudita, & ſummopere mirata eſt, eoque affectu domum circumſpexit, ut jam idonea, & ſatis ampla Monaſterio videretur; nec (quod prius cogitaverat) ampliorem coemere vellet enixa potius eſt, ut ædificium rude inopiam Chriſti repræſentaret.

H

Die verò quadam Virgini Euchariſtiam ſumere paranti Beata Clara, cui dies ille ſacer erat, pulcherrima forma inſignis apparuit, opemque pollicita vehementer illam ad opus incendit.

Cum verò de reddenda obedientia, poſt extructum Monaſterium, ad novam inſtitu-

Scripta An. 1608.

tutionem auſpicandam cogitaret & ad ſuum Provincialem propenderet; viſu Chriſti illam Epiſcopo deferendam, Romamque mittendam, ut Monaſterii adminiſtratio ei demanderetur accepit.

Tereſia a B. V. Maria, atque S. Joſepho cādida veſte induta.

A

Per id quoque tempus, (Aſſumptionis feſtum erat) cum in Monaſterio S. Thomæ forſitan eſſet, ac peccata præterita recoleret, raptu quodam fere ſenſibus abſtracta, ſe candidiſſima, & ſplendidiſſima veſte amiciri animadvertit: & quamvis initio neminem conſpexiſſet, mox tamen à dextera Beatiſſimam Virginem, à ſiniſtra Sanctiſſimum Joſeph, à quibus induebatur, aſpexit. Ubi Sereniſſima Cæli Regina manum illius tenuit, & ſibi acceptiſſimum eſſe ſponſi ſui cultum ſignificavit. Hortata eſt, ne timeret, opus ſine intermiſſione abſolvendum, ſe, ac ejus ſponſum loci illius tutelares, ejus filium, ceu promiſerat, præſidem futurum: in quorum fidem donum illud (iniiciebat autem collo monile pretioſiſſimum, cruce immenſæ æſtimationis appenſa) fidenter acciperet. E veſtigio in cœlum efferri Regina multo Angelorum comitatu viſa eſt: & Virgo per longum tempus immota, ſtupens, ac multiplici amoris impetu concuſſa remanſit.

B

Non eſt ullo pacto reticendum, quod in Joannis de Ovalle filio infantulo, eo tempore accidit. Rediens pater à negotiis domum juxta limen portæ tranſverſum, gelidumque jacentem offendit; corruerat quippe paries quidam, & illum oppreſſerat: ſublevat illum, amplectitur, appellat: nihil tamen ſenſus, aut motus puellus præfert. Extemplo pater ad B. Virginem Tereſiam illum defert: mater pueruli ſtrepitum domeſticorum deprehendens, quamvis ob comitatem, præſente quadam ingenua muliere, quæ ad eam fortè venerat, ſimulaſſet, ſe ulterius continere non valens, ſuſpicata quod erat, vocem dolens effert, & ad Virginem accurrit. Jacebat autem infantulus in gremio Virginis: quæ matrem impotenter perturbatam conſpicata, quieſcendum monuit. Aderant multi, taciti rei exitum præſtolantes. Illa demiſſo velo, quo caput obtegebat, caput infantulum admovet, & aliquantulum immorata, internis gemitibus (nam externè, ut Moyſes olim ad littus Rubri maris, ſilebat) validiſſimè Deum clementiſſimum pulſat, ne illos, quibus ad Monaſterii opus uti vult, tanto mœrore conficiat. Mirum eſt valde, ſtatim infantulus à morte expergiſcitur; & manibus vultum Virginis quaſi gratulaturus blandè contrectat. Tunc prudentiſſima Virgo, quaſi puellus à ſomno naturali, & quotidiano excitaretur, matrem comiter velut reprehendens, Summe Deus, inquit; ecquod genus perturbationis te obruit ſoror? Ecce puellus, illum amplectere.

Tereſia puerulum revocat ad vitā an. 1561.

C

Huic miraculo communis fama regno Hiſpaniæ fidē aſtruit.

D

Alia planè inſolita per id tempus contigere, quibus B. Virgo Tereſia cœpit luculentiùs emicare.

CAPUT XVI.

Parietem Monaſterii dæmones diruunt: B. Virgo Tereſia Dei juſſu Toletum petit: tempeſtivè revertitur.

E

HÆſerat in dubio, cuinam obedientia reddenda foret, Provinciali, an Epiſcopo; monituque Dei, Epiſcopo D. Alvaro de Mendoza parendum intellexit; qui feriò rem aggreſſus ad Summum Pontificem pro deferenda ſibi prælatione tranſmiſit.

Dæmones parietem deſtruunt.

Fervebat opus: at bonorum cœptorum hoſtis invidentiſſimus dirè torquebatur, & ſe ulciſci cupiens, parietem alto fundamento firmiter extructum, angulis lateritiis benè nixum, & præaltum, nocte quadam evertit.

Succenſuit cementariis Joannes de Ovalle, & ad reſtituendum propriis ſumptibus cogendos putavit. Sed B. Virginis monitu, dæmonum imperium mirè deſtitit.

F

At D. Gujomar hac parietis ruina dejecta Virginem convenit, ſubdens fortaſſe opus non probari Deo, quod firmiſſimus paries, præter opinionem, ac naturalem rationem corruiſſet. Reſpondit lepidè, graviter, ac ſedatè admodum Virgo: ſi cecidit, ſublevetur. Miſit confeſtim nuntium D. Gujomar, in oppidum nomine Taurum, ubi ejus mater agebat, expetens pecuniam pro ruina reficienda: abſenteque nuntio Beata Virgo Tereſia traditam ei pecuniam divinitus agnovit.

Nihil animum invictum frangere potuit: unum dumtaxat extimuit: ne Provincialis eventum reſciret, ac opus interdiceret. At huic timori appoſitum à Deo remedium proviſum eſt.

Tereſia Toletum petit

G

Obiit Toleti ſub id tempus Arias Pardus Vir Illuſtriſſimus, Malagoni, aliorumque oppidorum dominus; cujus uxor D. Luyſia de Cerda, ſoror Ducis Medinæceli, orbitate illa tantopere languit, ut ad ſolatium captandum, B. Virginem Tereſiam, cujus fama percrebuerat, à Provinciali impetraverit.

Vide Vitā recens ſcriptam a P. Friderico a S. Antonio Lib. 1.c. 26.

H

Pridiè igitur Natalis Chriſti, anno 1561. præceptum Provincialis innotuit, & in ipſo die fauſtiſſimo viam carpere cœpit. Idoneum ſane viaticum Chriſti vim adepta eſt: enim illam profecturam fuit affatus: Ito prorſus, ne aliorum ſententiis pareas: pauci quippe de hac re ſine temeritate conſilium dare poterunt: perge, tametſi labores perlatura ſis; mihi enim rem gratiſſimam facies. Nam & ad hoc ipſum ædificii opus, donec Apoſtolicæ literæ referantur, abeſſe te proculdubiò expedit.

Re cum ſancti Egidii Rectore communicata, erecto animo, Joannis de Ovalle comitatu, Toletum venit, ubi in ædibus D. Luyſiæ, ad pietatis cultum, univerſæ familiæ mirificè profuit: ibique per dies aliquot cum Maria de Jeſu, muliere quadam ſanctitate clara, quæ a Deo eodem,

quo

quo Beata Virgo Tereſia, anno, ac menſe ſimili propoſito vocata, diſtractis facultatibus Romam petierat, & literas Apoſtolicas impetraverat, de ratione condendi Monaſteria contulit. Hæc tamen unum tantummodo Monaſterium Archiepiſcopo Toletano ſubjectum Compluti conſtruxit, & meritis locuples è vita migravit.

A

Per ſex menſes Toleti manet.

Manſit ergo Beata Virgo Tereſia Toleti, apud D. Luyſiam, per ſex menſes, quibus Maria a S. Joſeph, Virginem virtutibus illuſtrem, quæ poſtea multis præfuit Monaſteriis, ſic affecit, ut occaſione captata, ſecum illam abduceret.

A Provinciale verò copia diſcendendi facta Abulam reverti pertimuit: agebatur quippe in Monaſterio Incarnationis de Superiore eligenda, & in eam unam Monaſterii ſuffragia conſpirabant.

Sed interim, dum timor Virginem remoratur, ſic illam Chriſtus hortatus eſt: Neutiquam ab intinere ſuperſedeas: quin potiùs, quandoquidem crucis deſiderio teneris, feſtina; gravis enim tibi crux imminet: ne illam detrectes: perge fortiter ac ſtatim: ego tibi opitulabor.

B

Confeſſarium ergo è Societate Jeſu hac de re convenit, verita, ne crux illa gravis, eſſet fortaſſe prælatio; à quo, licet ob temporis inclementiam (æſtas quippe vigebat) itineris induciæ permitterentur, cum pacare conſcientiam minime valeret, denique dimittitur. Fuit autem acceſſus ille feſtinus, adeo ad eſtruendi Monaſterii rem, ut itinere paululum dilato omnia (quantum coniici poteſt) intercepta fuiſſent.

CAPUT XVII.

Perferuntur literæ Apoſtolicæ: Epiſcopus obedientiam admittit: Euchariſtia in Monaſterio reponitur; quatuor puellæ induuntur.

C

Tereſia Abulam redit

NON præliato veteris, ſed novi Monaſterii inſtitutio feſtinationem requirebat: litteræ quippe Apoſtolicæ, per quas Epiſcopus Monaſterio præficiebatur, eadem, qua B. Virgo Tereſia nocte, Abulam pervenerunt: ubi tunc vir ille mirabilis P. F. Petrus de Alcantara Franciſcanus, quem Franciſcus Salzedo domo exceperat, agebat: qui auctoritate ſua apud omnes, Epiſcopum præſertim maxima, rem promovit, & poſt dies paucos cumulatiſſima corona donandus, animam efflavit.

D

Johannis de de Ovalle infirmitas.

Eouſque videlicet dilatus videbatur, ut Virgini adeſſet: quemadmodum & Joannes de Ovalle, qui Abula recedere cogitarat, repentino morbo correptus, tamdiu jacuit, quamdiu opus fuit, ut ipſa illius inviſendi gratia, honeſtiùs Monaſterio & frequentiùs egreſſa, novum ædificium urgeret. D. enim Gujomar Abula exceſſerat, nec ſuberat, qui operi inſtaret. Quapropter ſtatim ac res eò perducta fuit, ut Joannis opera non requireretur, facete ſic B. Virginem Tereſiam interpellavit: Eja mater, opus jam non eſt, ulterius ægrotem: ac ſtatim non ſine ſtupore convaluit.

E

Primi Tereſiæ Monaſterii erectio anno 1562.

Re igitur maturata, impenſiùs Virgo de ſpirituali ædificio, quàm de materiato ſollicita, quatuor Virgines inopes, ſola virtutum dote opulentas, Antoniam à Spiritu Sancto, Maria à Cruce, Urſulam à Sanctis, Mariam à S. Joſeph, velut quatuor lapides angulares in Monaſterii fundamento ponendas elegit: quas 24. Auguſti anno 1562. die, qui B. Apoſtolo Bartholommæo ſacer erat, Magiſter Daza, qui Euchariſtiam in Eccleſia recenter dedicata collocavit, lætiſſimo præſagio induit: ac in hunc modum primum Sanctiſs. Patris noſtri Joſeph Monaſterium conditum eſt.

B. verò Virgo Tereſia quaterno partu fœcunda tempus captabat opportunum, ut in Monaſterium Incarnationis reverteretur, in novum cœptæ reformationis clauſtrum, ex Provincialis venia reditura.

F

Quidquid autem in hoc genere attentavit, non ſine nobilium Theologorum cenſura umquam aggreſſa: ne quid minus inculpate committeret.

LIBER II.

CAPUT I.

Scopus, quem Beata Virgo Tereſia ad Monaſteria condenda ſibi propoſuit.

Tereſia relligionis Carmeliticæ Inſtauratrix.

NON fuit modeſtiſſimæ Virginis mens novam Religionem condere, ſed ſuam inſtaurare; quamobrem eum vitæ modum ſelegit, qui ad finem aſſequendum eſſet appoſitiſsimus, ut ex hiſtoria tota liquebit.

G

Verùm quo grande opus hoc, propoſito grandi fœliciùs expleret, ſcopum quemdam ſibi tam ſublimem, & cœleſti prudentia dignum præfixit, ut à mulieris ingenio nihil altiùs potuerit excogitari.

H

Tereſiæ ſcopus in Monaſteriis Monialium erigendis.

Acceperat prudentiſsima Virgo, cladem funeſtam a Lutheranis Galliæ tunc illatam (ut ipſa c. 1. in Itinere perfectionis expreſſit) & caritatis immenſæ incendio conflagravit: optaſſet quippe millies occumbere vel pro ſalute unius ex illo infœlici numero: nec tamen votum explere valebat. Sed invento miro divinitus inſpirato, decrevit, orandi ſtudio perenni, cæteriſque piis operibus, quibus Inſtitutum cœptæ vitæ contexitur, ſic uti, ut pro iis, qui hæreticorum ſaluti navarent operam, doctoribus, concionatoribus, fidei propugnatoribus Deum jugiter interpellaret: ut quæ ſexus imparitate in opus virile nequiret incumbere, virili certè animo viros juvaret.

Artificioſè quidem opera ſuæ gentis expolivit, & excelſi finis altitudine ſubvexit. Si enim, ut Angelicus Doctor aſſeruit, eæ Religiones perfectiores ſunt, quæ præter

D. Thomæ Aquinatis Doctrina.

ter propriæ ſalutis culturam, ea, quæ contemplantur, in proximos quoque derivant: neceſſe eſt Beatæ Virginis Tereſiæ ſcopum, ultra quem fœmineum genus ferri nequivit, eò perfectionis ſuum inſtitutum provexiſſe, ut altius promoveri non poſſet. Cum enim pro fide mulieres pugnare non valerent, proximè ad pugnatorum dignitatem, illos juvandi conatus acceſſit. Qua ex re maturum certè judicium fieri poſſit, quid Tereſia à viris, quos condidit, erga fidei hoſtes fieri vellet, quæ fœmineos quoque labores in hoc ipſum opus direxit. Profectò ſtrenuos milites optaſſe, & jugi orandi tenore à Chriſto impetraſſe, ex ejus ſcriptis non leviter coniicitur.

A

B

Antiquum Carmeli Inſtitutū notatum.

Non ſane quod novum ſit Tereſiæ inventum, viros contemplationi addictos, exquirendæ proximorum ſaluti deſtinare. Conſtat quippe claſſicorum hiſtoricorum, primævum Carmeli florem deſcribentium relatu, inſignium Sanctorum noſtrorum exemplis, Summorum Pontificum formam ex contemplatione, ac ſpirituali actione compoſitam apprime laudantium privilegiis, Inſtitutum Carmeli mira contemplatricis, & actuoſæ vitæ varietate ab origine fuiſſe contextum. Ex quo certe liquet, priſcam formam Carmeli integram revixiſſe. At enim in eo flore antiquæ formæ renaſcentis, laus Tereſiæ ſumma fuit, quod ampliore quodam mentis propoſito, priſtinum Inſtitutum exornaverit, & in genere proprio, altiore gradu perfecerit.

Ex quo ſanè perſpicitur, reformationis hujus cultores non ſatis Inſtituto ſuo, Virginiſque propoſito facere, ſi dumtaxat contemplentur, ſeque ipſos perficere ſtudeant: niſi ad infidelium converſionem aſpirent, operaque ſua in eum ſcopum peculiari directione colliment.

C

CAPUT II.

Primævam Regulam obſervandam B. Virgo Tereſia introducit.

Ex primo libri primi capite liquet, quænam ſit primæva Carmelitarum Regula, quibus temporibus, cauſiſque lenita.

Priſcam ergo Regulam, quæ, dum olim Carmelus floreret, exactiſſimè obſervabatur, temporum, & animorum injuria laxatam, non modò ad primum decorem Beata Virgo Tereſia reſtituit, ſed plura non juſſa, ſtudio perfectionis adjecit.

Regulę Carmeliticæ præcepta, quæ?

D

Nam præter votorum, jejuniorum, verberum, lecti, orationis, frugalitatis, ſilentii, receſſus, ruditatis veſtium, & aliarum præſcriptionum capita, ſecundo primi libri capite recenſita (quæ Fratribus, & Monialibus communia ſunt) exercitia tum ſpiritualia, tum corporalia muliebri ſexui ſic attemperavit, ut ſe à Spiritu Sancto duci iis præceptionibus facilè demonſtrarit.

Quod verò ad reliqua ſpectat, ſuaviſſimo regendi more animos, quò volebat, flexit: ita ſeveritatem lenitati permiſcuit, ut auſteritas non angeret, ſuavitas non remitteret.

Numerum modicum in unoquoque Monaſterio præſcripſit, ut cujuſque mores, & indigentiam ea, quæ præeſſet, explorare, curareque valeret.

E

Laborem diurnum fœminis uſitatum ita temperavit, ut à contemplationis ſtudio corpus laſſum animos minimè præpediret.

Lectionis paſtum opportunum, ipſo quoque communium laborum tempore præſcripſit.

Mortificationes varias, ut animos à creatis rebus ſenſim ablactaret, prudentiſſimè docuit.

Puellarum, eum ſtatum expetentium non opus, ſed mores penſitandos dixit: & ingenio pollentes plurimum commendavit.

Arctiſſimā clauſuram Monialibus ſuis præſcripſit Tereſia.

Arctiſſimam clauſuram præſcripſit, & ad cancellos, parentum, & conſanguineorum, vel aliorum, quibus juſtis de cauſis ſermonis copia fieri deberet, colloquia parciſſimè permiſit.

F

Orationis, & Sacramentorum frequentiam in morem induxit.

Literæ Apoſtolicæ datæ 17. Julii. 1585.

An. 1585. 10. Octobr.

Denique ſic omnia moderata eſt, ut perfectionis Chriſtianæ ſcholam omnibus ornamentis inſtructam inſtituerit. Cujus præſcripta, Apoſtolicarum Pii IV. literarum auctoritate edita, à Patribus ejuſdem reformationis, auctoritate quoque Apoſtolica, in Comitiis Compluti celebratis, probata, & à Reverendiſs. D. Cæſare Spetiano Epiſcopo Novarienſi Nuntio Apoſtolico, Madriti confirmata, quaſi totidem oracula coluntur.

CAPUT III.

Subit animum graviſſima perturbatio: poſtea evaneſcit.

G

Poſtquam ergo fauſta cœpta B. Virgo Tereſia perſpexit, vix lætitiæ vim exultantem cohibere poterat Chriſti promiſſio expleta, Sanctiſſimi Joſeph titulus Eccleſiæ inditus, quatuor puellæ ſanctitate divites gaudium exaggerabant: & quaſi jugi mentis ſuſpenſione geſtiebat.

Hæc hoſtis infeſtiſſimus cum ægre ferret, ſubitanea irruptione Virginis animum (ſinente Deo) caligine teterrima obruit. Erumpunt immoderati motus, timores, dubitationes, mœrores.

Tereſia animi anxietatibus vexata.

H

Succurrit anxietas moleſtiſſima, an contra Provincialis mentem, ac proinde virtute obedientiæ contempta, opus illud expleſſet; an puellæ illæ auſteritatem tantam eſſent perlaturæ; an victus defuturus; an & ipſa ægrotans, ſine ſocietate aliarum, quibus in Monaſterio primo familiariſſimè utebatur, eſſet perſeveratura; an dolus hoſtis eſſet, qui eam quiete multa fruentem, ac divinis rebus in Clauſtro commodiore intentam interturbaſſet. Paulò ante lætitiam, poſt mœſtitiam capere nequibat: omnia Chriſti blandimenta, & promiſſa, om-

omnia ſapientum reſponſa, omnia Dei propitii ſigna ſic memoria excidere, ac ſi nunquam concepta fuiſſet. Quippe in hunc modum fortes animos Deus experitur. Cruciatus certè unus è totius vitæ graviſſimus fuit.

At inter atras nubes has radius quidam divinus illuxit, quo procella reſidente, A turbinis auctorem internoſceret. Meminit anteactæ firmitudinis, ac propoſiti, quo per ſudores, & agones Deo famulari cupierat: & quamvis luctam intra ſe diram pateretur, coram Sacramento viriliter pollicetur, ſe quam diligentiſſimè poſſet, enixuram, ut cum Superioris venia, in Monaſterium recenter conditum ſe quantocyus reciperet: vovetque clauſuram.

Tereſia clauſuræ votū emittit.

Statim ac vovit, ſerenitas lætiſſima rediit, & hoſte cum probro aufugiente, de nuncupato voto gaudium ſuccrevit immenſum, quod in poſterum nulla adverſitate decrevit.

Mox verò ac evulgatum eſt, Monaſterium fuiſſe inſtitutum, multiplex Deo laus in urbe reddita: ſed intra horas paucas B tumultu coorto, & primoribus malè ominantibus Urbem deſtruendam, niſi Monaſterium dirueretur, interciſa fuit.

Interea Virgo tumultus ignara, proximæ noctis vigilia feſſa, voluit à prandio tantillum requieſcere; ſed ei permiſſum non fuit: cum enim in Urbe tota, quod mane illo contigerat, reſcitum eſſet, quæ Monaſterio Incarnationis præerat, quaſi æſtum ſedatura per nuntium præcepit, ut confeſtim ad ipſam reverteretur.

Vix præceptum audivit, cum valere juſſis quatuor puellis inde nimium afflictis, & Urſula (una ſcilicet è quatuor) eis præpoſita, Monaſterium Incarnationis repetiit: ubi ratione de rebus geſtis reddita, Supe- C rior illa aliquantum deferbuit.

Mittitur verò ad Provincialem nuntius: accedit Pater ille: vocat Virginem imagine judicii adeò gaudentem, ut riſum continere non poſſet, ſed corripitur, culpæque ab aliis malè affectis exaggerantur. Et cum nihil pro ſe reſponderet (ſic enim apud ſe ſtatuerat) à Provinciali juſſa, tam cordatè rem expoſuit, ut nec à Provinciali, nec à Monialibus quidquam ulterius obiiceretur.

A Provinciali ad judicium vocatur.

Occaſione autem captata, convenit poſtea ſeorſim Provincialem, & rem totam luculentiùs aperuit: à quo liberaliter habita, promiſſum accepit, illum novi Moſterii copiam facturum, ut primùm Civitas commota ſedaretur.

Exacto triduo (per quod Urbs flagravit, quaſi ſæviſſimorum hoſtium obſidione pre- D meretur) Gubernator, Optimates, Theologi, Juriſprudentes conveniunt, & de re nova, velut de cauſa invidioſiſſima, diſceptant: decernuntque ad Urbis ſalutem, ſublata è loco Euchariſtia, Monaſterium evertere oportere.

Optimatum Civitatis judicium de Monaſterio a Tereſia recens erecto.

Rem è veſtigio fuiſſent vehementer aggreſſi, niſi graviſſimus P. Fr. Dominicus Bannes Ordinis Sancti Dominici, primæ Theologorum cathedræ Salmanticæ poſtea præſes, in medio concilio exurgens, obſtitiſſet, cauſatus, non eſſe rem ita urgendam, debere maturiùs expendi, ſupereſſe ſatis temporis; ad Epiſcopi judicium ſpectare, aliaque non pauca tam prudenter, ſuaviterque digeſta, ut ſubitum diruendi Monaſterii decretum impedierit.

E Fervebat Urbs: B. Virgo Tereſia, & comites operis, multis maledictis proſcindebantur; dæmon omnes Urbis angulos percurrebat, ut pejores tragœdias excitaret: ipſa orationis anchoram tenuit, & tametſi, quæ in illam intorquebantur maledicta reſciret, nihilo magis angebatur, quàm ſi ad ſe minimè pertinerent. Cujus nobilitatis argumentum fuit, faceta illa Epiſtola, quam ad D. Gujomar Tauri exiſtentem, poſtridie illius concilii, tranſmiſit, poſtulans campanulam, ac aliquot libros Miſſales emeret, ac ſibi mitteret.

Nihilo ſecius tamen, nonnullis timoris motibus intercalatis agitabatur, verita, ne Monaſterio noceretur: & cum aliquando ſic mœreret, ita clementiſſimus Deus illam F ſolatus eſt: *Nonne ſcis me omnia poſſe? quid times? certo noveris, Monaſterium neutiquam deſtruendum: quidquid ſum pollicitus explebo.*

Chriſtus Tereſiam ſuam ſolatur anno. 1562.

Urbs tamen apud Gubernatorem inſtabat: qui omnia pervia ratus in Monaſterium Sancti Joſeph graviter venit, quatuorque puellis jubet, extemplo egrediantur, aliter portas perrumpet: Reſpondent illæ fortiter B. Virginis Tereſiæ generoſitatem edoctæ, non eſſe Gubernatoris, ſed Prælati ſic jubere: propterea ſe ſtatim exituras, ubi à Prælato id præciperetur.

Efficax reſponſum Gubernatorem fregit: quapropter recedit, & amota vi, ad judicium res tota perfertur. At cum nemo eſ- G ſet, qui Monaſterii cauſſam agere vellet; quod Urbs tota in illud conjuraſſet, Julianus de Abula Sacerdos in Urbe rem urgere incipit. Et cum pro Monaſterio ad Regium Conſilium eſſet appellatum, regius à Curia Commiſſarius Abulam mittitur, qui utriuſque partis rationes perdiſcit.

Julianus de abula Sacerdos rem agit pro Monaſterio.

Cœpta lite, Urbe pro ſe, per nuntios apud regium tribunal agente, cum Monaſterium, nec pecuniam, nec nuntios haberet, Superiore Monaſterii Incarnationis inſtante, ne Beata Virgo Tereſia cœptis inſiſteret, ad unum Deum (quod ſuum erat aſylum) converſa, ſic orat: Clementiſſime Deus, cauſa hæc mea non eſt: tua res agitur: omnes mihi refragantur: oportet à te rem totam abſolvi: qua certe intentiſſima H oratione, animo conquievit, ac ſi orbe univerſo ſuffragante cauſam obtinuiſſet.

CAPUT IV.

Diu ſævit pugna: B. Virgo Tereſia in Monaſterium victrix redit: animi ad Monaſterium vehementer afficiuntur.

FIdes orationis enituit: ſtatim quippe Magiſter Daza, Franciſcus Salzedo, Gon-

Tereſiæ favores notati.

Scrip. An. 1608.

Gonzalus Aranda, (qui pro Virgine Madritum petiit) cauſam velut propriam arripiunt: & cum concilium Urbis iterum coactum in Monaſterii ruinam incumberet, Magiſter Daza, ſigulari prudentia, & eloquentia animos ſedavit: tametſi paulò poſt recrudeſcerent.

A

Sæviit annum dimidium procella hæc, B. Virgine Tereſia, crucem à Chriſto Toleti prædictam animosè geſtante. Magiſter verò Daza, ne quatuor illæ tenellæ plantæ in Monaſterio S. Joſeph aliquod educationis detrimentum paterentur, Epiſcopi auctoritate ſtrenuè curavit, quod acceptiſſimus Deo Virginis animus precibus obtinuit.

P. F. Didaci Ivagnez curæ pro Tereſia.

B

Inter fluctus autem hos, vir quidam majore affectu, quàm qrudentia, ut animos conciliaret, propoſuit, conſilium ſalubre fore, ſi res hæc tota viris aliquot doctis velut arbitris judicibus committeretur, & deciſioni pareretur: quod B. Virgo Tereſia minimè probavit. Sed altiore conſilio factum, ut P. F. Didacus Ivagnes Ordinis Prædicatorum, qui auctoritate in Urbe plurimum valebat, eo tempore Abulam veniret: à quo multorum animi correcti, & ad meliorem ſenſum traducti ſunt.

Mox verò ſub Patris hujus diſceſſum, cum Epiſcopo impensè actum eſt, ut Provincialis veniam redeundi ad S. Joſeph Monaſterium B. Virgini Tereſiæ daret: quod licet tunc impoſſibile factu videretur, Deo tamen propitio, impetratum eſt.

Ad Monaſterium recens erectū Tereſia rediit anno 1563.

Anno igitur 1563. Provincialis conceſſu, ad mediam fere Quadrageſimam, non ſola, ſed quatuor aliæ, Anna à S. Joanne, Anna ab Angelis, Maria Eliſabetha, Eliſabetha à S. Paulo, quæ B. Virginis Tereſiæ conſanguinea erat, in S. Joſeph Monaſterium incredibili gratulatione venerunt. Ex quibus certè quatuor, cum Virgo præeſſe nollet, Annam à S. Joanne Monaſterio præfecit.

C

Prioriſſæ munus a ſuperiore Tereſię demādatur.

Succeſſu verò temporis Prælatus Virginis prudentiam gubernationi opportuniſſimam contemplatus, ad curam Monaſterii ſumma omnium lætitia promovit. At penitior alia lætitia ſucceſſit: nam poſtquam ſex circiter menſes in Monaſterio Incarnationis egerat; eo ipſo die, quo in Monaſterium S. Joſeph revertebatur, dum oraret in templo antequam in clauſtrum ingrederetur, raptu ſuſpenſa, Chriſtum ipſam excipientem, & pretioſam capiti coronam imponentem, ac pro labore clementiſſimæ Cœli Reginæ cauſa ſuſcepto gratificantem aſpexit: alioque die Reginam ipſam ſplendidiſſima gloria inſignem, candidiſſima veſte Moniales protegentem intuita eſt.

D

Cum ergo res ita compoſitæ, ac fortunatæ fuiſſent; Urbs cœpit à lite deſiſtere: jam enim ſe cauſa cecidiſſe cernebat: ii verò ardentiùs amarunt, qui proterviùs oderant, facilè confeſſi, tot adverſitatum victoriam, ſignum divini conſilii eſſe manifeſtum.

Dei providentia erga Monaſteriū

Hinc eleemoſynæ multorum millium: hinc multarum Virginum nobilium, ſtupente mundo, in Monaſterium ingreſſus, inter quas potiſſimum enituere neptes duæ B. Virginis Tereſiæ, altera D. Maria de Ocampo, altera D. Maria de Abula, nobilitate, opibus, ac pulchritudine, ſed interna forma præſertim commendatæ.

E

Quamdiu verò B. Virgo Tereſia in eo Monaſterio manſit (per annos videlicet quinque) P. F. Dominici Bannes Ordinis Prædicatorum conſiliis uſa eſt: nihil enim doctrina, & ſanctitate (quæ duo in viro illo ſplendebant) ei fuit acceptius.

CAPUT V.

Nonnulla, quæ B. Virgo Tereſia in Monaſterio egit: initium unde ducta ſunt alia Monaſteria: Venia Generalis.

Quid Chriſtus de ſuo Monaſterio Tereſiæ dixerit?

EXiguo ſepta clauſtro B. Virgo Tereſia, poſt exactos mundi turbines, tranquilliſſimè agebat: paradiſus amœniſſimus non ei tantùm, ſed ipſi quoque Chriſto (ut per viſum aſſeruit) videbatur: nihil mortale, nihil temporaneum animos tredecim (tot enim erant) à jugi rerum divinarum ſtudio dimovebat. Omnes a vitam priſcorum Patrum ſanctitatem ſub tanta ductrice æmulabantur: univerſarum virtutum invicta cultura vigebat: paupertas Apoſtolica religioſiſſimè colebatur; & mira multa narratione digna contingebant, quæ, ne unius Virginis hiſtoriam interſecemus, oportet reticere.

F

Unum verò fidei planè firmiſſimæ argumentum, velut cæterorum ejus temporis indicem prodere, rationi conſentaneum eſt.

G

Monaſteriū mirabiliter aquæ ſalubris providetur.

Emerat B. Virgo aream domui contiguam, ubi erat puteus altus, & turbulentus, ut ne jumentis aqua illa foret haurienda: eam tamen aquæductu in atriolum domus corrivare cogitavit, ut ad potum (ſicut ajebat) uſui eſſet: at ob putei altitudinem fieri non poſſe videbatur, ut aqua ſulco duceretur. Accerſuntur periti, & irrident: impenſam male collocandam obiiciunt. Convocat illa ſorores, è quibus una, nempe Maria Baptiſta, rationem, quam fides, non ſæculi prudentia ſuggeſſerat, ſic profert.

Aqua huc aliunde importanda, ejuſque pretium à Deo majore ſumptu, nobis omnino providendum eſt: minoris autem illi conſtabit aqua putei ab eo purgata, & domum ſulco ducta: hanc ergo è proximo puteo nobis ducet, ac ſalutarem efficiet.

H

Aqua Mariæ Baptiſtę nomine adpellata.

Efficaciſſima B. Virgini Tereſiæ ratio viſa eſt, & contra periti cujuſdam opinionem operi jubet manum admoveri. Sulcus aquæ tantus, tamque ſalutaris eductus eſt, ut, omnium deguſtantium (ipſius etiam Epiſcopi, qui puteum prius exploraverat, & multos poſtea teſtes aquæ concivit) aliorum fontium aquis præponeretur. Quæ velut inclitæ fidei nomine, aqua ſororis Mariæ Baptiſtæ appellata eſt; fluxitque, donec temporis proceſſu, Urbs alium puteum horto Monaſterii dono dedit: tunc enim, ubi aqua naturæ curſu ſuppetiit, fidei aqua pene fluere ceſſavit.

A

Cum ergo B. Virgo Tereſia per quadriennium in eo Monaſterio letiſſimè demorata fuiſſet, Virginum illarum progreſſionem admirabatur, & ſe, velut compeditam, opulentiam illam virtutum heroicarum cum aliis communicare non poſſe, ut inde animarum multa ſalus exiſteret, ægre ferebat: proptereaque vires ſuas, & ſuarum contrahens, pro ſalute aliorum (qui ſuus ſcopus erat) ſtudioſiſſimè precabatur.

Quintus agebatur annus, cum P. F. Alphonſus Maldonatus ex Ordine S. Franciſci paulò ante ex India in Hiſpaniam appulſus, Abula tranſiit, qui cum B. Virginem Tereſiam de innumeris Ethnicorum millibus, quæ in dies peribant certiorem feciſſet, ſummo dolore illam perculit.

Tereſiæ caritas erga proximum.

B

Hoc ergo ſtimulo percita, in unum è cellulis eremiticis, quas in horto ad orandum extruxerat, ſe abdidit: de tot animarum interitu, gravi lachrymarum impetu, apud clementiſſimum Deum cauſam egit, patere ſibi aliquam ſemitam, qua eam ſalutem procuraret, petiit: inſtititque per dies multos, donec nocte quadam, more ſolito, ſic per viſum amantiſſimè dicentem audivit: paulùm expecta, filia, & grandia cernes. Quæ ſane verba cordi tam firmiter impreſſa fuere, ut numquam per eos dies evaneſcerent.

Cogitabat illa, quænam grandia Deus portenderet, nec tamen capere poterat: omnino verò ſperabat, verba exitum ſortitura.

C

Generalis Ordinis Abulam advenit.

Oportebat certe lucem illam hominum ſaluti natam orbe toto diffundi: tempus inſtabat: & ecce graviſſimus P. F. Joannes Baptiſta Rubeus Ravennas Ordinis Generalis (quod illucuſque numquam acciderat) Abulam ingreditur. Subiit quidam timor, ne fortè cœptum deſtrueret, cum non ei, ſed Epiſcopo Monaſterium illud obedientiam reddidiſſet. At cum nihil illa in eo genere peccaſſet, conſcientiæ ſecuritate erecta, non modò non latebras (ut Adæ filia) quæſivit, ſed ut Generalis Monaſterium inviſeret operam dedit.

Vide Vitam D. Parentis Tereſiæ recens ſcriptam a P. Friderico a S. Antonio Lib. 2. c. 1.

Acceſſit ille, & B. Virginis Tereſiæ omnia candidè narrantis prudentiam, & leporem admiratus, non modò cœpta non improbavit, verùm litteris (quas Patentes appellant) ad alia Monaſteria condenda, quod ei numquam in mentem venerat, ampliſſimè favit, & ne quis Provincialis obſtreperet, ſeverè interdixit.

D

Cum enim priſcorum Patrum, quibus Carmelus olim floruit, reſtitutam ibi diſciplinam animadverteret; optavit potius propagari, & quoties per negotia licuit, Beatam Virginem Tereſiam reviſit, & amore ſingulari proſecutus eſt.

CAPUT VI.

Incipit de condendis Fratrum Carmelitarum Cœnobiis agere: Abulæ Medinam de Campo diſcedit, ut ſecundum Monialium Monaſterium conſtruat.

E

GRandia illa, quæ (ut in proximo capite retulimus) ſe conſpecturum à Deo per oraculum acceperat, non ſola Monialium inſtitutione circumſcribenda, ſed ad viros, quorum caput mulier foret, inaudito magnitudinis genere protendenda erant.

Cum ergo Generalis Abulæ adhuc ageret, Epiſcopus cum eo de inſtituendis Fratrum cœnobiis contulit: quod, via multis difficultatibus prætexta, non potuit abſolvi.

Tereſia cū Generali per litteras de condendis Virorū Monaſteriis agit.

Jam igitur Romam reverſus, Generalis Valentiam pervenerat, & è manibus opportunitas elapſa videbatur: B. verò Virgo Tereſia, rem Deo acceptam, & Monialium profectui conſentaneam rata, literas efficaciſſimis rationibus, quibus adverſa quæque argumenta convellebat, armatas mittit.

F

Annuit Generalis ſtatim rationibus mirificè flexus: & duo cœnobia (accedente Provincialium præſentis, & præceſſoris conſenſu) extrui ſinit: quod licet ægrè Patres illi probaturi viderentur, Epiſcopo rem urgente, conceſſerunt.

Gaudium inſigniter crevit: quamvis enim necdum Fratres ad arctiorem vitam aſpirantes, modumve auſpicandi operis Virgo noſſet; animi tamen magnitudine omnia ſibi proſpera pollicebatur: Deumque intentiſſimè orabat, unum ſaltem excitaret, qui rem aggredi poſſet.

G

Hæc dum mente pertractat (ut dum de ſacrarum Virginum bono cogitat, in virorum primordia, divinæ providentiæ Mæandris duceretur) de Monialium propagatione, tempeſtiva cogitatio à Deo ſuggeritur: & Medina de Campo, oppidum ſcilicet vicinum, & opulentum, primæ coloniæ aptum videtur.

De Monaſterio Metymnę Campi erigendo agit.

Erat tunc ibi P. Balthaſar Alvarez ejus Confeſſarius, cui per Julianum de Abula Sacerdotem de Generalis ampla facultate ſcripſit, ut cum Abbate, qui oppido præeſt, de loco ad Monaſterium deſignando, emendoque conferret: quod per dies quindecim ſedulitate Juliani, qui domum conduxit, expeditum eſt.

Scripſit quoque P. F. Antonio de Heredia Cœnobii Carmelitarum ejus oppidi Priori, domum Monaſterio idoneam emeret: quod ille meliori ædificio deſtinatus præſtitit.

H

Binas jam domos, nummum verò ne unum quidem, B. Virgo Tereſia ſpe dives, habebat: nec verò ad iter arripiendum neceſſarius ſuppetebat commeatus. Tunc puella, quæ Abulæ in Monaſterium S. Joſeph, quod præſcriptus numerus fuiſſet explepletus, excipi nequiverat, ut novit Medinæ Monaſterium deſignari, ſe, ac exiguam, quam habebat pecuniam ad opus obtulit: quam Virgo libenter admiſit, & Medinæ inter omnes primam ſacra veſte donavit.

A

Rebus ergo ad iter comparatis, è Monaſterio S. Joſeph Mariam Baptiſtam ejus neptem, & Annam de Angelis, ex Incarnationis vero Monaſterio (è quo quæ vellent, ut Superiores conceſſerant, ad reformatum tranſire poterant) D. Agnetem de Tapia, quæ poſtea Anna de Incarnatione, D. Eliſabetham Ariam, quæ poſtea Eliſabetha à Cruce, & Tereſiam de Queſata ſecum abduxit.

Metymna Campi petit cum ſociis.

Mox erat diſceſſura, & relictas Abulæ Virgines mœror obruerat: ſed recedendi ſenſu animi magnitudine ſimulato, & in una è cellis horti Monaſterio plurimum Deo commendato, 13. Auguſti anno 1567. exacto habitationis quinquennio Abula cum ſex Virginibus, Juliano, & aliis comitibus diſcedit.

B

Diſceſſum latere ſedulò curatum eſt: at fieri nequivit: & (quod eſt hominum ingenium) nunc B. Virgo Tereſia parum ſani capitis, nunc audax, nunc imprudens viſa, & indignis nominibus appellata fuit. At illa mentis ſenectus, non ſæculi prudentia, regenda, nec à propoſito maledictis abſterrenda erat.

Ergo ire pergit, & obiter, ecce nuntius profert literas à domino domus Medinæ per Julianum conductæ, ubi ſe ait domum locare non poſſe, quod Patres Auguſtiniani loco contigui, quos amabat, id moleſtè ferrent, ac propterea cunctarentur Abulæ quouſquæ res dirimeretur.

Iter intercipitur, & cur?

Hoc nuntio ipſa graviter affecta fuit: monuitque ſilentium, ne Virgines illæ ictibus non aſſuetæ, animo caderent. Sed re perpenſa fortiùs convaluit, fœlicitatem ex adverſitate præſagiens.

C

Ut verò in oppidum, nomine Arevalum perventum eſt, P. F. Dominicum Bannes Dominicanum, qui fortè aderat, accerſit, cujus auctoritate rem citò componeret. Res facilè expedienda illi viſa, ſed Virgo ſollicita noctem duxit inſomnem, donec mane Patrum Carmelitarum Prior P. F. Antonius de Heredia eò venit, & animi anxietatem levavit, ajens, domum, quam ipſe emerat, ad rude principium ſatis eſſe, habere porticum, quæ tapetibus ornati, & in ſacellum, ubi Euchariſtia reponeretur, dedicari poſſet.

D

Prudenter dixiſſe viſus eſt, & re collata decernunt, quatuor è ſex Virginibus in oppido vicino, cui nomen Villa nova de Areval, cujus Eccleſiæ præerat Vincentius de Ahumada, Agnetis à Jeſu, & Annæ de Incarnatione frater germanus, per dies aliquot remanere, donec revocarentur.

Duabus ergo ſecum deductis, Ulmeto, quo in oppido Epiſcopus Abulenſis fortè agebat, tranſire conſtituunt, præterquam quòd eo itinere obviam erat locus, ubi morabatur domina domus illius Medinæ, quam petebant: quam cum B. Virgo conveniſſet, œconomo ſuo ut domo exeat, ornet, aulæa, lecti cortinas damaſcenas ad rem, ut poſtea liquebit, valde opportunas commodet, mandata mittit.

E

CAPUT VII.

Secundum Monaſterium Monialium Medinæ conſtruitur.

Ulmeti ab Epiſcopo Abulenſi Tereſia perhumaniter excipitur.

VEſperi illius diei Ulmetum perveniunt, ubi Epiſcopus humaniter exceptam Virginem, neque cunctari volentem curru commodato, quo veheretur honeſtiùs, dimittit: eodemque die ad mediam fere noctem Medinam pervehitur.

Præcurrerat Julianus, Patreſque Carmelitas de Virginis adventu, propoſitoque monuerat: qui ornamenta loci, ſacras veſtes feſtinè compararunt. Pertingit Virgo, & ad minorem ſtrepitum, ad Monaſterii fores curru deſcendit. E veſtigiò ſedulus Carmelitarum Prior, unà cum quatuor aliis; Virgines ipſæ loci apparatum humeris exportant.

F

Clariſſima Virgo non ſegniter inſtat; quin potiùs more ſtrenui ducis milites hortantis, & antequam hoſtis impetum explorent, irruptionem maturantis; omnia monet, ac incitat. Nox brevis, proximi diei feſtiviſſimi (nempè Aſſumptionis) præludia, oppidum ea nocte ob tauros agitandos excitatum, obvii multi, qui Sacerdotes ſæculares, Religioſos, Moniales onera geſtantes demirati, noctis licentia, parum modeſtè verbis jocabantur, aliaque multa Virginis animum vexabant.

Omnes ergo domum, ubi jacebat œconomus, agminatim contendunt, & obvia prætereuntium convicia taciti vincunt: fores acriter pulſant: exilit lecto œconomus, oblatas literas legit, & obtemperat.

G

Locus deſcribitur.

Ingreditur totum agmen in atriolum proximum. Et ecce diruti parietes, tectum votum non bene ſartum, ſolum ruderibus obſitum, parietes, qua extabat, ſcabri: indignus certè Sacramento locus viſus eſt. Offert œconomus aulæa, & lecti damaſcenas cortinas, quibus ſqualidus locus obtegeretur: quo animos magnoperè exhilaravit.

At deerant clavi, & à quibus emerentur: circumſpiciunt vetuſtos parietes, clavos rarò eminentes inveniunt, ac extorquent: aulæis Fratres locum inſtruere feſtinant, Moniales terram exportant.

H

Jam fere diluceſcebat: Vicariuſque oppidi conveniendus erat, ut ſcribam eo deſtinaret fidem ſcripto facturum, Monaſterium illud non ſine Abbatis venia inſtitui, ne quis obſtaret: accurritur ad Vicarium, evocatur ſcriba, fidem aſtruit: periſtromatis locus honeſtatur: campanula in altiore ædium loco ſuſpenditur: & ad primum auroræ ſplendorem ad ſacrum pulſatur.

Tota vicinia frequens confluit, ſtupetque

Scripta An. 1608.

nocte una cœptum, & abſolutum Monaſterium. Quo ſe vertant ignari oppidani mirantur, modicoque tempore adeſt frequentia, quam locus capere nequit.

Opus fuit, Moniales è regione altaris in ſcalam, quæ ſola inter collapſa perſtabat, ſe recipere, ut oſtio clauſo per rimas ſacrum audirent, irrumpentique turbæ cederent.

A

Secundum Monaſteriũ Metymnæ Campi a Tereſia erigitur.

Sic ergo Monaſterium S. Joſeph Medinæ lætiſſimo Aſſumptionis feſto, anno 1567. ad immortalem B. Virginis Tereſiæ laudem conditum eſt.

Hîc verò quibus acclamationibus fortiſſimæ Virginis hujus nomen celebretur? Quinquaginta tres annos nata, ægra, tentata, jejuna, inſomnis, labori, & oneribus intenta, oppido numeroſo, rerum ignaro, opus tantum, tam cito, immò prius abſolutum, quàm cognitum, prius oppidum illuſtri victoria captum, quàm inſpectum, quem non admiratione ſuſpendant?

Cæſar quinto poſt adventum die, cum Pharnacem Ponti Regem, uno dumtaxat horarum quatuor prælio ſuperaſſet, dum triumphum ageret, hoc prodidit inſcriptum: Veni, vidi, vici. Quantò verò æquius ſtrenuiſſimæ Virgini Tereſiæ hoc quadret inſigne, quæ non quinque, ſed duorum dierum intervallo, antequam Medinam cerneret (quippe nox erat) non quatuor, ſed duarum horarum periodo venit, & vicit?

B

Quibus oculis illam Criſtus intueretur? qui mulierem ſuo cordi congenerem invenerat? Profectò Salomoni ſciſcitanti; Mulierem fortem quis inveniet? fidenter reſponderi queat; Virginem hanc orbe toto clariſſimam, viris fortiorem evaſiſſe.

CAPUT VIII.

C

Gravis tentatio ingruit: mutatur domus: reparatur.

QUamdam Abulenſis procellæ imaginem dæmon inſtaurat. Novo quippe ſacello, ubi Euchariſtia coleretur, B. Virgo Tereſia mirificè oblectabatur: ſed copia tentandi facta, hoſtis animum illum invictiſſimum aggreditur atque perturbat.

Facto enim ſacro, domum inſpectura Virgo è latebra prodit, ruinam, quam nocte ſatis nequiverat, explorat: doloreque corripitur, ac timore, ne quis occultus hæreticus, qui ad illius oppidi emporium celeberrimum fortè veniſſet, Eucariſtiæ, quæ ſine munimento parietum direptioni patebat, ullam injuriam irrogaret.

D

Excrevit animi mœror, & perturbatio, dæmone aliorum dicta exaggerante, ac rei promovendæ deſperationem ſuggerente: lux cœleſtis aberat: multiplices importunæ cogitationes de parum prudenti cœpto (ut tunc apparebat) incurſabant; dubitatio, an à Deo inſpiratum rei propoſitum fuiſſet, oboriebatur; ac inde, de totius vitæ decurſu ambiguitas ſubibat: ex una quippe illuſione, totam proinde vitam impoſturam quamdam eſſe coniiciebat.

Tereſia animi dejectione vexata.

Nec mirum, animum illum illuſtriſſimum repente ſic excæcatum, ac dejectum, ut qui paulò ante ardua contemnebat, cogitatas modò difficultates exhorreat. Mos quippe divinæ ſapientiæ eſt, eximios ſanctitate viros, ne efferantur, interdum derelinquere, ut quid ex ſe, quid ex divina fortitudine valeant, internoſcant. Profectò enim idem Paulus erat, qui ad Romanos 8. ſe ne ab Angelis ipſis à charitate Chriſti ſeparari poſſe gloriatur, & qui ad Corinthios, Aſiæ vexatione, ſe vitæ quoque tædio dejectum apertè fatetur: at ibi Deus Paulum agebat, hîc Paulum propriæ fragilitati permittebat.

E

Tacuit ergo, & procellam, ne Virgines exanimaret, intra ſe coercuit: donec veſperè P. Balthaſar Alvàrez e Societate Jeſu (de quo mentio ſæpe facta) quemdam alium, qui Virginem inviſeret deſtinavit: cujus ſermonibus illa vim reſumpſit, & cum eo de alia domo coemenda contulit. Res urgetur: ſed intereà cuſtodes Euchariſtiæ in ſingulas noctes non ſolùm aſſignat; ſed præ ſolicitudine crebrò ipſa expergiſcitur, & explorat: lunæ quippe luce locum cernere poterat, cum omnia ruinis paterent.

F

De meliori ac tutiori Monaſterio condendo agitur.

Hebdomada his cuſtodiis exacta, Blaſius Medina, vir planè pius, è domo ampla ſua dimidiam partem B. Virgini Tereſiæ commodat, donec Monaſterium reparetur. Eodemque tempore mulier ingenua D. Helena de Quiroga, quæ unà cum filia poſtea in Monaſterium ſpreto ſæculo ſe abdidit, Virginem inviſit, pecuniamque ad extruendum ſacellum, & Monialium Clauſtrum (ut erat pia) pollicetur. Cum verò P. F. Antonius de Heredia Carmelita rem diligenter urgeret, intra menſes duos in Monaſterium Virgo revertitur: cui amplas eleemoſynas multi erogant, quibus debita diſſolvuntur, & ædificium promovetur.

G

Inſpiravit per id tempus, clementiſſimus Deus, nonnullis Virginibus ſtatum illum, quem miræ virtutis iis, quas in Monaſterio Abulenſi Urbs laudabat, ſimillimæ, optabilem efficiebant: quas & ipſa Virgo admirabatur, & exemplo provehebat.

Ægrotavit autem aliquamdiù ipſa, & aliæ, quas Abula eduxerat, ut nil ad perfectarum virtutum experimentum deſideraretur: patientia nimirum teſtis omni exceptione major eſt.

Tereſia Chriſti præcepto fundationes ſcribit.

Unum hic perſpicaciter annotandum videtur, quod Virgini per viſum accidit, cum in Malagoni Monaſterio poſt hac extructo Chriſtus præcepit, Monaſteriorum fundationes ſcripto dirigeret. Cogitabat enim illa, quid ſibi vellet ſilentium Chriſti, in hoc Medinæ opere, nihil ei injungentis. Cui Chriſtus: quid ultra deſideras? An ſatis non ſit, opus illud miraculoſum extitiſſe?

H

CAPUT IX.

Agit de condendis Fratribus: offertur & Monaſterium Valliſoleti: venit Complutum.

De Relligioſis viris reformandis agit. an. 1567.

NON poterat generoſum Virginis cor, grandibus deditum, grandia non moliri: quapropter de viris inſtituendis, exhauſta Medinæ difficultate, cogitans, cum P. F. Antonio de Heredia Carmelitarum Priore ſecretò rem contulit.

Excepit illam alacriter Pater: at cum eum non valde firma corporis conſtitutione ad labores auſterioris vitæ perferendos animadverteret, non admodum urgebat. Subjecit Pater, ſe multò ante de re ſua (quod ad arctiorem diſciplinam pertineret) deliberaſſe, ac Inſtitutum Carthuſianorum amplecti decreviſſe: lætata eſt mirum in modum, & impenſiùs hortata, ut ſe ipſum arctiore diſciplina experiretur.

P. F. Antonius de Heredia arctioris vitæ cupidus.

Morem geſſit, & annum integrum experiendo prælusit, Deo quoque labores alios, & inſectationes immittente, ut lapidem vivum expoliret. Sed acceſſit novum gaudii incitamentum: eò quippe venit Pater alius Carmelita, nomine F. Joannes à Cruce, Salmanticæ tunc ſtudiis intentus, cujus probitatem P. F. Antonio laudatam B. Virgo expetivit. Contulit ergo cum eo de grandi propoſito, quod ille avidè amplexus, feſtinationem requiſivit: agebat enim de Cartuſiano quoque ſtatu deligendo.

Et S. F Johannes a Cruce.

Duos ad baſim electos lapides, B. Virgo Tereſia nacta, impendio gaviſa eſt: rem tamen aliquantum procraſtinari placebat, quod P. F. Antonio, quem experiri malebat, non tam fideret, quàm Joanni, quem ſummopere dilexit.

Fundatio Valliſoleti Tereſiæ offertur.

Sub idem verò tempus, quatuor ferè menſes, antequam Medina Malagonum peteret, convenit illam Juvenis quidam genere illuſtris, qui à Deo actus Medinam veniens pollicitus eſt, donaturum ſe amplam domum, contiguum viridarium, latamque vineam, ſi Valliſoleti Monaſterium condere vellet. Inſtititque, ut quàm citiſſimè expediretur, poſſeſſioque mox iniretur: qua in re ſibi, licet tunc ignarus, prudentiſſimè proſpexit.

Erat hic D. Bernardinus de Mendoza, filius Comitis Ribadaviæ, fraterque germanus Abulenſis Epiſcopi: qui Abulæ, antequam B. Virgo Tereſia Medinam diſcederet, de donatione agere cœperat. Cum verò eò tempore D. Maria de Mendoza D. Bernardini ſoror Ubedam eſſet migratura, Virginem rogavit, ut ſecum Complutum uſque veniret, utpote quæ eò aliis de cauſis omnino eſſet itura, & obiter ſcripta (ut mos eſt) fide, domus Valliſoleti à D. Bernardino donata eſt.

Tereſia Cõplutum pergit, ad Moniales quaſdam erudiendas. an. 1567.

Complutum ventum eſt: quò B. Virgo Tereſia perilluſtris D. Leonoræ Maſcarenæ precibus acta ſe contulit, ut Virgines Monaſterii, quod ibi Maria de Jeſu condiderat, erudiret: quod ubi per menſes duos abſolvit, Toletum, ac deinceps Malagonum (ut poſtmodum dicemus) ad nova lucra diſceſſit.

CAPUT X.

Condit Monaſterium Malagoni.

QUàm erat ſolicita de gloria Dei amplificanda, tam ipſe clementiſſimus Deus erat intentus Tereſiæ diſciplinæ propagandæ: duo quippe Monaſteria, Valliſoletanum, & Malagonenſe illam ſibi certatim vendicabant.

Pro Malagonenſi verò acriter inſtabat D. Luyſia de Cerda ſoror Ducis Medinæ cæli, apud quam Toleti B. Virgo Tereſia demorata fuerat; ut 1. lib. narratum eſt. Optabat ſanè nobiliſſimæ illi mulieri obſequi: verùm quia exiguo in oppido redditus admittere oportebat, reſpuere cœpit. At re cum Theologis, P. præſertim F. Dominico Bannes Dominicano ex more collata, cum Concilii Tridentini redditus probantis decretum laudaretur, multis aliunde precibus pulſata conſenſit.

Malagoni novi Monaſterii fundamenta jecit Tereſia an. 1568.

Rebus igitur peractis, ex Abulæ Monaſterio nonnullas Moniales per nuntium evocat: & præfecta Monaſterio Medinæ Agnete à Jeſu, (ſecum Annam ab Angelis, Mariam à Sacramento, quæ cum virtutum, ac patientiæ laude Albæ obiit) Mariam Magdalenam, Eliſabetham à Jeſu, Eliſabetham à S. Joſeph ſecum adducens, anno 1568. ad mediam Quadrageſimam Medina diſcedit.

Toletum ergo venit, unde D. Luyſiam de Cerda Virginem Malagonum deducit: Monaſterioque nondum coaptato, in oppidi arcem per dies octo ſecedit: ex qua Dominica Palmarum ſolemni ſupplicatione Moniales in templum deducta, ſacrum, & concionem audiunt, & Euchariſtiam comitantes, velis nigris ex more tectæ, oppido mirante, in tertium Monaſterium ingrediuntur, quod S. Joſeph titulo inſignitum eſt.

Prior locus deſeritur, & aptior eligitur.

Locus erat incommodus, & ſtudio orationis ob proximè plateæ ſtrepitum infeſtus; quapropter in alium commodiorem, D. Luyſiæ liberalibus expenſis per dies quatuordecim (quamvis architecti annum dimidum interfluxurum cenſuiſſent) B. Virgine Tereſia per orationem, ac laborem (exportabat quippe onera, & cæmentariis quotidie inſtabat) rem à Deo impetrante, Moniales tranſierunt.

Verùm, quod intermittendum non eſt, mox ac Malagonum B. Virgo Tereſia pervenit membris contractis graviſſimè affecta fuit; cum verò oportuit illam operi inſtare, ſtatim convaluit: at opere perfecto (ut Dei providentia clareſceret) iterum contracta decubuit.

Opus abſolutum eſt; at redditus illi, qui-

quibus alia Monaſteria carebant, Virginis animum laniabant: etſi enim doctiſſimorum Theologorum ſententiæ paruiſſet, Apoſtolicæ tamen paupertatis amor ſollicitudinem generabat: & propterea ſtudioſiſſimè cultum paupertatis condidit, & à redditibus animos alienavit.

A

Clementiſſimus verò Deus, ut præſtitam viris ſapientibus obedientiam, propriique judicii abnegationem probaret, ſacra ſynaxi ſumpta, die quadam illam ſolatus eſt, ajens, id Monaſterium ſibi fore acceptiſſimum: quod ipſa ſcripto conſignavit.

Elapſis verò duobus menſibus, Anna ab Angelis Monaſterio Præpoſita, D. Virgo Tereſia ſtimulo amoris plura, & majora ſitientis acta receſſit.

CAPUT XI.

Conditur quartum Monaſterium Valliſoleti, & domus donatio compenſatur.

D. Bernardinus de Mendoza Ubedæ repentina morte corripitur. 1568.

DUos circiter menſes à domus Valliſoletanæ dono D. Bernardinus de Mendoza Ubedæ repentina morte, dum B. Virgo Tereſia Compluti eſſet, interiit: intercepto quippe ſermone, vix confeſſionem ſacram abſolvit, licet apertiſſima pœnitentiæ ſigna exhiberet.

B

Acer dolor inceſſit: verita eſt quippe, ne Juvenis ille damnatus fuiſſet, pro quo dum anxiè precaretur, fœlicem illi ſortem contigiſſe, ac pro dono æternam mercedem obtinuiſſe, Chriſtus oſtendit: ſubjunxitque, animam illam ex igne Purgatorii liberandam, quo die in Monaſterio novo primum fieret ſacrificium.

Ut lætum nuntium audivit, pro immenſa, qua flagrabat charitate, acerrimo animæ illius cruciatu mentis oculis obverſante, & ad iter extimulante, conquieſcere nequibat.

C

Quamobrem omiſſo Toleti, quod extruere cupiebat, Monaſterio, cum Abula, Medinaque tranſiſſet, quàm celeriter potuit, Valliſoletum pervenit.

Qua in re, ut & clementia divina eluceſcat, & horror ignis Purgatorii concipiatur, minimè reticendum eſt, Chriſtum die quadam Virginem orantem, ſatis per ſe ſollicitam ad iter incitaſſe, ut tempus anteverteret: anima enim illa (ut dixit) ſeverè torquebatur.

Tereſia Valliſoletū ingreditur.

Secum ergo ducens D. Eliſabetham Ariam, quam poſtea Monaſterio illi præfecit, Antoniam à Spiritu Sancto, Mariam à Cruce, Julianam a ſancta Magdalena, Mariam à Viſitatione (Maria verò Baptiſta poſt quinque menſes acceſſit) 10. die Auguſti 1568. Valliſoletum ingreditur.

D

Diſplicuit locus quantumvis amœnus: multi quippe ſumptus neceſſarii forent, & fluvius præterfluens ſanitati noceret: ſilet, & ſedulitate Juliani de Avila, qui eò ad rem expediendam præceſſerat, primo die Dominico, facta per Abbatem Urbi præſidentem copia, ab ipſo Juliano ſacrificium offertur: qui cum Euchariſtiam Virgini porrigeret, ecſtaſi raptam cernit.

D. Bernardini anima ab Purgatorio liberata.

Cum enim ad Sacramentum ſumendum accederet, apparuit Bernardinus lætus, ac ſplendidus, commiſſis manibus impensè gratus pro ſollicitudine, ut ab igne liberaretur, adhibita: quo certè viſu penitiſſimè (quia præter opinionem) exhilarata fuit: arbitrabatur enim primum ſacrificium à Chriſto prædictum fore illud, quod Monaſterio perfecto, primum offerretur.

E

Monaſterii Valliſoletani fundatio.

Poſſeſſo ergo loco 15. Auguſti die, qui eſt Aſſumptioni ſacratus, Monaſterium Conceptionis Beatæ Mariæ de Carmine erectum eſt. Verùm loco ſanitati infenſo, cum penè omnes ægrotarent, Illuſtriſſima D. Maria de Mendoza, nobilitate, ac largitione in pauperes laudatiſſima, domum eam ſibi tradi, alia ſalubriore donata popoſcit: & ſumptus multos erogavit.

Vide vitam recens ſcriptam a P. Friderico a S. Antonio. lib. 2. c. 8.

Meliori igitur conſilio domum ſancti Blaſii (ſic enim vocabatur) frequenti ſupplicatione Moniales deductæ ſunt: quæ ſuaviſſimum virtutum efflarunt odorem, qui animos Urbis mirificè oblectavit, & Virgines multas ingenuas ad eum ſtatum allexit.

F

Paucis verò diebus exactis, literæ pro Monaſterio condendo, ad Virginem Toleto perferuntur, & præfecta Monaſterio Valliſoleti Eliſabetha à Cruce, olim Eliſabetha Aria, Abulam, inde Toletum feſtinat.

CAPUT XII.

Quintum Monaſterium Toleti conditur.

QUamvis itinere cœpto ad Monialium opus B. Virgo Tereſia properaret; cœnobia tamen Fratrum mente pervolvens, aliquam in eo genere operam obiter navavit: quam ne hiſtoriæ ſeriem obturbemus, in proprium locum reiicere conſultius eſt.

G

Erat ergo Toleti civis ſine liberis opulentus, Martinus Ramirez: qui pium quidpiam ſuis opibus inſtituere cupiens, cum morte præreptus nequiret, rem totam fratri germano Alphonſo Alvarez demandat.

Adſtiterat morienti P. Paulus Hernandez è Societate Jeſu, qui cum eſſet B. Virgini deditus, obeuntem monuit, ſi cuperet quid Deo acceptum efficere, uteretur opportunitate novi Monaſterii conſtruendi, quod Deo acceptiſſimum fore proculdubiò ſentiendum eſſet.

Tereſia Toletum pergit.

H

Miſſæ ſunt ergo literæ B. Virgini Tereſiæ Valliſoletum, unde Toletum 24. Martii anno 1569. unà cum Eliſabetha à Sancto Dominico, & Eliſabetha à S. Paulo, quas Abula eduxerat, pervenit, & à Luyſia de Cerda excepta eſt. Verùm ob iniquas conditiones, quas Alphonſus Alvarez ad opus exquirebat, & multos Patritios infeſtos, ipſumque in primis D. Gomez Tello Giron, qui, cum Archiepiſcopus abeſſet, loco præerat, per duos menſes nihil efficere potuit, etſi graves admodum, & illuſtres viri negotium procurarent. Moleſtè rem ferebat, nec re infecta diſcedere æquum videbatur. At quid ageret, cum ſecretò quoque Gubernatoris animum ab adverſariis alienari reſciſſet.

Poſitis ergo curis aliis, nobiliſſima Virgo in Templum ædibus Gubernatoris propinquum ſe recipit, & per nuntium, ut eam audiat, precatur.

A

Facultatem Monaſterii erigendi a Gubernatore obtinet.

Venit ille: & B. Virgo Tereſia pro ſua generoſitate graviſſima, modeſtiſſima ſimul libertate, rationibus illum aggreditur.

Homine, inquit, doctrina, dignitate, virtute ſublimi dignum erat, rem hanc Deo glorioſam tueri: & tamen duos menſes exegi, poſtquam ad Urbis bonum huc acceſſi, & nihil in cauſa juſtiſſima impetrare potui. Durum eſt ſanè, Virginibus, vitæ genus auſterum affectantibus, non modò non auxilium porrigi, ſed ab iis, qui ſæculo libenter indulgent, vehementer obſtari. Meditetur, obſecro, quid Chriſto rationem exacturo reſponſurus ſit: ego enim nullam excuſationem ab homine, qui bono communi proſpicere debet, obtendi poſſe perſpicio.

B

Hæc B. Virgo Tereſia diſertiùs amplificavit, & (ut erat lepore, & energia prædita) ſic illum domuit, ut ſtatim facultatem (licet non quàm amplam ipſa vellet) impertitus fuerit: excepit quippe ille, ut nec redditus, nec fundatorem haberet. At illa opus ſibi abſolviſſe viſa eſt, cum quatuor tantum haberet aureos. Quapropter nec aliam pecuniam contrahere, neque verò modicam illam ſervare cogitans, duas imagines, & nonnulla leviſſima ſupellectilia emit: domus verò comparandæ nulla imago ſubibat.

C

Venerat per id tempus Toletum P. F. Martinus à Cruce ex Ordine Sancti Franciſci, vir pius, qui B. Virgini Tereſiæ addictus erat. Et cum optaret ei præſto eſſe, quà poſſet, ſub diſceſſum ex Urbe, mittit Virgini Juvenem quemdam, cognomine Andradam, quem ex ſacris confeſſionibus probaverat, ut obſequia injuncta ad Monaſterium condendum expediret.

Habuit illa gratiam: ſed res cum riſu ab aliis excepta eſt: erat enim ille inops, & ad opus urgendum, ubi auctoritas, & prudentia requirebatur, omninò videbatur ineptus. At Tereſia, quæ hominem à viro Religioſo commendatum, inutilem eſſe nequire, altiore prudentia ſibi perſuaſerat, illo uti cœpit.

D

Mandat, ut domum conducat (quod viri graves non valuerant) poſtridieque, ecce Andrada, opportunæ domus a ſe conductæ inſperatas claves ipſo mane Virgini affert. Perluſtrat illa domum, & cum placeret, ſupellectilia, quæ puer unus omnia exportare poſſet, contra multorum prudentum conſilia, eò jubet inferri.

CAPUT XIII.

Monaſterium Toletanum demum conditur: difficultates ingruunt: omnia vincuntur.

E

HIS ergo peractis, B. Virgo Tereſia apparatum ad ſacrum faciendum exquirit: fabrum lignarium eò ducit; & campanulam, qua, dum Euchariſtia in altum tollitur, uti mos eſt (nec enim grandiorem habebat) defert, ut jus novæ domus exerceat.

Nox illa in ſomnis acta eſt: nec niſi cubiculum quoddam, quo per domum contiguam ingrediendum eſſet, in ſacellum dedicari poſſe cernit.

Sed apperente jam aurora, cum ipſa, comiteſque omnia paraſſent, portam ſacelli lateribus obſtructam diruere incipiunt. Quod mulierculæ, proximam domum incolentes, parum tempeſtivè excitatæ, ac vociferantes, ægerrimè ferunt: quæ tamen, & verborum blandimentis, & oblata pecunia, alteriuſque domus eis reddendæ promiſſo placantur.

F

Toletani Monaſterii erectio notata.

Sub hoc P. F. Joannes à S. Magdalena PP. Carmelitarum Prior, ut ſacrum faceret, maturè ſatis accedit: & campanula, teſtibus idoneis accerſitis, pulſata, die Sancti Bonifacii Martyris 14. Maii anno 1569. initur poſſeſſio, & Monaſterio S. Joſeph titulus inditur.

Hic pro hiſtoriæ compendii anguſtia, cordatus quiſque penſitare poſſet, quid Urbs tota novum illud Dei inventum ſummo mane mirata ſentiret.

G

Terruerat animos prædictio quædam (prognoſticum dicunt) fore ſcilicet, ut eodem die, Urbs tota terræ hiatu abſorberetur; & plurimi ſacra ſe confeſſione, ac Euchariſtiæ viatico comparaverant. Quid ergo, cum ſine illa ruina novum ædificium, quo Civitas tota erigi poſſet, intuerentur, attoniti cives efferrent? Alios ſanè pietas, alios ira commovit.

Difficultates graves inſurgunt.

Succenſuit conductæ domus domina: licet enim domum in Templum verſam inopina miraretur, jacturam pertimuit: mox tamen lucri ſpe læta convaluit. Inter univerſos autem adverſarios, Auditores conſilii Archiepiſcopi (cum Gubernator à quo B. Virgo Tereſia facultatem obtinuerat, tunc abeſſet) graviſſimè excanduerunt, obiicientes imprudentiæ genus eſſe, mulierculam eis invitis, Monaſterium auſpicari tentaſſe; acriterque comminati ſunt.

H

Reſpondet Virgo, ſe facultate integra inſtructam, opus cœpiſſe: quam illi, indicto in Eccleſia nova, ſacrificio, ſe explorare velle cauſantes, graviùs indignantur, donec re comperta, à viris illuſtribus admoniti quieſcunt.

Jam ergo ſacræ Virgines in Monaſterio planè Apoſtolico, non extrinſecus vexatæ latebant; ſed extrema intrinſecus inopia laborabant, nocte præſertim, cum frigore premerentur, & præter unum ſtragulum, ſaccos duos, & veſtes, quibus tegebantur, nihil haberent. Non ligna, non culinæ inſtrumenta, non ullus alius apparatus ſuppetebat: primique diei opiparum convivium, paucis halicibus inſtructum eſt.

Monaſterii inopia.

A

Nocte verò quadam, cum B. Virgo Tereſia frigore obrigeſceret, aliquo integumento ſe operiri popoſcit: quod feſtiviſſimo riſu ſorores accepere, ajentes ipſam omnibus quotquot in Monaſterio eſſent, ſtragulis, hoc eſt, earum palliis obtectam eſſe: quod certè reſponſum lepidè illa celebrare ſolebat.

Ceterùm fortaſſe hic Lector ſciſcitetur, quî fieri potuerit, ut in Urbe opibus affluente, ubi præcipuè D. Luyſia de Cerda libentiſſimè neceſſaria providiſſet, extremam indigentiam Tereſia pateretur? Non abs re ſic rogat, & miratur: omninò quippe fateri neceſse eſt, non fortuitam inopiam, ſed à Deo, ad experimentum illarum Virginum immiſſam odoris ſuaviſſimi ſuffitum reddidiſſe. Inde effectum eſt, ut nemini, ne illi quidem locupletiſſimæ mulieri in mentem veniret, quam tanti faciebat, Virginem frigore, fameque torqueri.

B

Abundans eleemoſynarum erogatio.

Inopiæ verò ſucceſſit larga eleemoſynarum erogatio: quæ multo mœrore Virgines paupertatis ſtudioſiſſimas affecit: quem ubi Beata Virgo Tereſia mutatis vultibus deprehendit, rogavit, quænam cauſa ſubeſſet? Cui illæ: An mœrere non deceat, cum jam inopes non ſimus? Mirum eſt enim quantopere placeret inopia, ipſi potiſſimum Virgini, quæ pinguiſſimo contemplationis paſtu per eos dies alebatur.

C

Chriſtus quid de legibus mundanis Tereſiæ effatus ſit?

Alphonſus autem Alvarez (cujus ante meminimus) non modò inopiæ ſuccurrit, ſed inſtaurato Monaſterii propoſito, iterum de pacto ineundo ſic egit, ut B. Virgini Tereſiæ ad rem videretur, ſacellum Eccleſiæ ſummum (quam Capellam majorem appellant) in poſteritatis ſepulchrum ei permittere. At obſtitere multi, ajentes, homini non valde illuſtri honorem illuſtrioribus tribui ſolitum, in præclara Urbe non debere deferri. Chriſtus verò veræ nobilitatis auctor contra opinatus, per viſum ſic Virginem monet: Dementaberis, o filia, ſi mundi legibus obtemperare velis: inſpice me a mundo contemptum, an quos mundus extollit, apud me magni erunt? Num de vobis ex generis claritate, non verò potiùs ex virtutum cultu exiſtimatio concipienda?

D

Conſilium ergo B. Virginis Tereſiæ, quo mundi leges aſpernata eſt fuiſſe divinum rei exitus oſtendit: multum quippe bono animorum, tum corporum profuit: certis Sanctorum feſtis ſolemni ritu celebrandis, ſacriſque faciendis Alphonſi pacto decretis, & ampla domo, duodecim aureorum millibus empta.

Ut primum ergo Monaſterium condidit, Annam à Jeſu, Eliſabetham à S. Joſeph e Malagoni Monaſterio, alias verò Abula è Monaſterio Incarnationis evocavit: quæ tamen fere omnes, partim ex morbo, partim ex imparitate virium eò, unde prodierant, redierunt. Quamobrem Conſtitutionem edidit, ne qua Monialis ex ordine alio, ne ex ipſis quidem Carmelitanis mitigatis, in poſterum reciperetur.

E

Monialium Excalceatarū obedientia.

Creſcebat mirum in modum auſterior novi Monaſterii diſciplina, & cultus obedientiæ adeo exactè reddebatur, ut oporteret eam, quæ præerat, oculatè, quid præciperet, præmeditari. Quidquid enim vel joco ab ea moneretur, vel præſagiretur, Virgines illæ tam ſeriò amplectebantur, ut cum aliquando prope foveam aquæ plenam exiſterent, quædam, id Superiori (ut ad experiendum fieri ſolet) leviter jocanti, ac dicenti, quid ſi juberem, te demergeres? gratum arbitrata, ſe confeſtim demerſerit: ut poſtquam emerſit, opus fuerit ſordidam eluere, veſteſque mutare.

F

Tereſia quid a Chriſto audierit in obitu cujuſdam Monialis?

Unum verò, quod ad ſolatium ſpectat, præterire non licet. Agente Toleti B. Virgine Tereſia, quædam Monialis morti proxima lætiſſimè obitum expectabat, Virgo verò ab oratione, ubi pro felici ejus exitu Deum precata fuerat, in ægrotæ cellam reverſa, Chriſtum ad pulvini medium extenſis brachiis, quaſi morientem ab infeſtatoribus tuiturum (quo habitu B. Gertrudæ moribundæ apparuit) conſpicata, ab eo accepit, ex clementia ſua ſe Moniales omnes ad eum modum, ſub obitum, defenſurum, ne tentamenta timerent. Quod ſic accipiendum, omnes videlicet ei, quæ tunc obibat, ſimiles, hoc eſt, veras ejus Inſtituti cultrices ab eo tunc propugnandas, & graviores tentationes arcendas: quod providentiæ, & æquitati divinæ maximè conſonum eſt.

Hinc B. Virgo Tereſia earum, quæ poſthac objerunt, mortem contemplata, tranquillitatem miram, quaſi Chriſto præſente deprehendit.

G

CAPUT XIV.

Sextum Monaſterium conditur Paſtranæ.

PRofeſtum Pentecoſtes erat, à Toleti Monaſterio condito quindecim diebus elapſis, ubi cum B. Tereſia in cœnaculo unà cum aliis pranſura ſederet, incredibili gaudio, de re peracta geſtiens, exiſtimabat ſe in feſto omnium lætiſſimo divinis rebus ſine interpellatione vacaturam.

Sed pulſantur fores, & adeſt nuntius à D. Anna de Mendoza Eubuli Principe nobiliſſima, Principis Ruygomez de Sylva uxore, inſtante ut quantocyus Paſtranam Monaſterium fundatura migraret. Ægrè nuntium excepit: videbatur enim intempeſtivus, cum Toleti plantarium tenellum, & infeſtatum ejus præſentiam requireret.

H

Tereſia a Chriſto præcipitur ut Paſtranam petat.

Aliunde verò urgebatur: oportebat quippe tantos Principes habere propitios, ut Regem quoque illorum precibus ſibi conciliaret, ob adverſa multa, quæ cœptis imminebant. Conſulit oraculum, Chriſtuſque mi-

migrationem ſic injungit: Filia ito prorſus, alia quippe de cauſa, quæ modò latet, eò deſtinaris: tecum Regulam, & Conſtitutiones effer. Hæc ut audivit, Confeſſarium ex more convenit, & re (ſuppreſſa revelatione) propoſita, cenſet ille migrandum: ac propterea ſecundo Paſchatis die Maii 30. A anno 1569. præfecta Monaſterio Toletano Eliſabetha à S. Dominico, duabus ſecum eductis proficiſcitur.

Ibique ſextum Monialium Monaſterium cōdit.

Humaniſſimè igitur à Principibus excepta, ſed tres ibi menſes demorata, cum conditiones aliquæ parum ſententia ſua ſalutares peterentur, re infecta diſcedere decernit. At cum Principis uxor rem vehementer expeteret, lenita eſt: Monaſteriumque, cui, Domina noſtra de Conceptione, nomen indidere, 9. Julii anno 1569. conditum, & tres aliæ Moniales Abula, & Medina eò vocatæ ſunt. Sed quod hîc præterea B. Virgo Tereſia geſſit, loco decreto, cum aliis, quæ ad Fratrum cœnobia ſpectant, reponetur.

B Revertitur Toletum, Eliſabetham à S. Dominico, ut præſit Paſtranæ Monaſterio mittit, & aliquot alias, ut prudentia monet, diverſis locis, temporibuſque permutat.

CAPUT XV.

Conditur ſeptimum Monaſterium Sancti Joſeph Salmanticæ.

CUM B. Virgo Tereſia Toleti ageret. P. Martinus Gutierrez è Societate Jeſu, vir ſanctitate, doctrina, & prudentia inſignis, Collegii Salmanticenſis Rector, per litteras monet, è re ſua fore, Monaſterium C Salmanticæ extruere, quod illa jam fuerat meditata: & hoc hortatu iter aggreditur.

Venit autem obiter Abulam, unde Patri Gutierrez ſcribit, ab Epiſcopo Salmanticenſi veniam impetret, qui tunc erat D. Petrus Gonzalez de Mendoza: quem de inſtituto Monialium certiorem factum, facilè in ſententiam perduxit.

Salmanticā proficiſcitur.

Conducitur ergo domus cautè, ne res evulgaretur (ſemper enim inſtitit, ut niſi re abſoluta, nemo propoſiti conſcius eſſet, ne ſibi conflaret invidiam) Abulaque cum comite dumtaxat una Maria à Sacramento diſcedit: ſatius enim ei jam videbatur, quàm pauciſſimas, uſque ad opus novum perfectum evocare.

Septimum Monialium Monaſteriū Salmanticæ Tereſia cōdit. Vide Vitā recens ſcriptam a P. Friderico a S. Antonio Lib. 2. cap. 16.

D Pecuniam penè nullam, ſpem ferè immenſam ſecum effert, & Salmanticam in omnium Sanctorum profeſto anno 1569. ad meridiem, poſt longum proximæ noctis iter, & laborem, ingreditur. Tunc ex hoſpitio ipſo Nicolaum Gutierrez mercatorem aliunde ſibi notum, ut conductam domum expediat, celerrimè accerſit. Obſequitur ille, & ad crepuſculum noctis eò ſe B. Virgo Tereſia confert. E Collegio verò Societatis Jeſu P. Gutierrez ſacrum apparatum ad Eccleſiam inſtruendam, & aliquot Fratres, qui ei operam navent, ſedulò mittit: ſummoque mane proximo poſſeſſio initur, ſacrum fit, Monaſterio S. Joſeph titulus imponitur. Abula deinde, ac Medina nonnullæ Moniales evocantur, & Anna de Incarnatione, quæ Medina venit, Monaſterio præficitur.

Nocte verò illa, quæ omnium Sanctorum feſtum, & proximam defunctorum commemorationem intercurrit, in ædibus illis lati E s, & malè munitis, ſola B. Virgo, cum ſocia, intra cubiculum palea ſtratum (quæ prima ſupellex erat) ſe modico ſomno indultura recepit. Angebatur metu ſocia, ne quis intra domum lateret funeſtè, ac diù campanæ pulſabantur: mortis imago, ex proximo die ſubibat: dæmon inſtigabat: quamobrem B. Virgo Tereſia ſociam velut attonitam, neſcio quid ſpectantem rogat, quid intueatur? Reſpondet illa, ut ſuam anxietatem proderet: Cogitabam, inquit, Mater, quid hîc ſola efficeres, ſi ego repentè interirem? Tunc illa aliquantum cogitans ſubſtitit, ob comitialem quippe morbum mortua corpora, quæ non timebat, tamen cogitata nocere cœperant: ſed pro lepore, ac F animi ſui magnitudine facetè reſpondit: ſoror mea, ſi hoc acciderit, tunc quid facto opus ſit, meditabor; nunc me ſomno indulgere ſinas.

Tereſia quid ſociæ facete reſponderit?

Domus inepta, & ex proximo fluvio noxia erat, quamobrem poſt trium annorum decurſum, cum Virgo Abulæ exiſteret, & incommoditatem filiarum quaſi præſentem malè haberet; pecunia corraſa contra multorum ſententiam, moleſtiſſimis Auguſti ardoribus ardentiore charitate neglectis, cum ſocia, & comitibus eò ire pergit.

Oportebat noctu iter agere: obſcuritas, & viæ aſperitas oberant: cumque in hoſpitium G nocte media perveniſſent, equum cui pecuniam, & alia onera impoſuerant, abeſſe conſpiciunt: quem ut diluxit, mirabili divinæ providentiæ anfractu, puer quidam extra viam jacentem invenit, rebuſque intactis, in hoſpitium egit. Nocte verò proxima, B. Virgo Tereſia triſtiore jactura abfuit: tam denſa quippe obſcuritas concreverat, ut comites alii ab aliis ſenſim gradiendo ſejuncti exerrarent.

Ad ingreſſum ergo cujuſdam oppiduli Pater quidam Virginis comes individuus monet, ibi cum ſocia ſubſiſtat, donec comites alios aberrantes revocet, ut ſimul reliquum iter conficiant. Diſcedit alios inveſtigaturus, & cum perquiſitos vellet eò reducere, ubi Virgo remanſerat, præ caligine denſa nequivit. Quamobrem H errabundus, & quò ſe verteret ignarus, cœpit ſuſpicari illam, quæ non apparebat, præiſſe: acriter urget, donec illi omnes in hoſpitium ſine precioſiſſimo theſauro pertingunt. Sed extemplo diviſi, & anxii hac illac perveſtigaturi, recurrunt. Virgines ergo duæ diutiſſime præ oppidulo illo cunctantes, quod acciderat, facilè opinatæ, viam carpere pergunt: & cœcis exploratoribus cum homine quodam ruſtico, quem quatuor argenteis domo viæ ducem eduxerant, gratulantibus occurrunt.

Salmanticã Tereſia revertitur, & cur?

Ubi Salmanticam perventum eſt, rebus difficillimis, Virginis prudentia, ſupra opinionem, facilè, brevique compoſitis, pridie feſti S. Michaelis anno 1573. domus incoli cœpit. Cum verò ad proximum diem celebritas ad ſacrum, & concionem indicta fuiſſet, & immenſa pluvia, perpluenſque A ſacellum ſpem fruſtraſſe videretur, proximi diei ſerenitas mira frequentiſſimum populum concivit.

Cœpit igitur odore ſanctitatis domus nova fragrare, multorum affectum permovere, multas puellas nobiles accire: inter quas D. Anna de Solis, poſtea Anna à Trinitate, glorioſè mundum, ac prodigioſè aſpernata fuit. A ſeptimo enim uſque ad decimum ſextum ætatis annum, ex apoſtemate quodam, graviſſimos perpeſſa cruciatus, demum à Medicis brachium ſecandum monita fuerat.

D. verò Catharina de Anaja ejus conſanguinea, S. Eliſabethæ Monialis aſſeveratione inſolita, puellam à Deo perſanan- B dam, non incidendam ait: quod à Criſto proculdubiò acceperat.

D. Anna de ſolis mirabiliter ſanata.

Puella ergo incipit multis auſterioris vitæ deſideriis æſtuare; quod quaſi deliramentum à viris quoque piis, & prudentibus reſpuebatur; neque enim vel diem unum ab eſu carnis poterat abſtinere. At die quadam ſe inſparato robore divinitus fulciri ſentiens, vovit, ſi ſanitas à Deo reſtituatur, novo ſe Monaſterio abdituram, quin & fervente animo ſubjungit, ſe in voti ſignum, nolle ullis Medicorum remediis uti: quod ſanè præſtitit, licet brachium marceſcere videretur. Prævalente verò fide cæpit ſanari ſenſim, tametſi cauteria duo remanerent. Hæc illa contemplata, conſangui- C neos urget, ut copiam ineundi novi ſtatus faciant; valere ſe. Non haberetur ei fides, donec nudum brachium ſpectandum producat. Exhibet igitur fide invictiſſima brachium perſanatum, neque cauteria ulla conſpiciuntur. Vicit mundum: & ſtatu fœlici potita eſt.

CAPUT XVI.

Conditur Monaſterium octavum Albæ.

FRanciſcus Velazquez, & Tereſia de Layz nobiles conjuges, Albæ agentes apud B. Virginem Tereſiam non ſegniter inſtitere, vellet Monaſterio uno illos donare: D quod licet multis difficultatibus prætexeretur, verbis habitis, ac ſcriptis ultro, citroque relatis, denique concluſum eſt. Qua in re licet multa notatu digna contigerint, unum præſertim exprimendum videtur, quod ad Tereſiæ de Layz infantiam, quodam prodigio velut obſignatam ſpectat.

Triduanæ puerulę prodigioſum reſponſum.

Erat infantula triduana, nec parentibus chara, diem propè integrum ſola neglecta fuerat. Tunc mulier ejus nutrix vicem commiſerata accurrit; & amplexatur, fletuque profuſo, ſic eam alloquitur: Num filiola mea Chriſtiana non es? alludens ad crudelem ejus neglectum. Erigit prodigioſè caput infans, & ait: ſum certè (die quippe natali baptiſmate ſacro luſtrata fuerat) quod à multis ſtupentibus auditum fuit: nec poſteà uſque ad tempus aliis infantulis ſolitum verba fecit.

Mater infantis obſtupuit, & ardentiſſimè E amare cœpit, falſa optare ſe vitam producere, ut exitum prodigii cernat. Accedente verò eam nuptui tradendi tempore, reſtitit: ut autem ſe à Franciſco Velazquez expeti novit, tametſi neque virum, neque tam facilis aſſenſus cauſam noſſet, aſſenſum præſtitit.

Erant conjuges locupletes, ac nobiles, orbitas diſplicebat: Tereſiaque precibus inſtabat, ut liberos procrearet: Apoſtolumque Andream plurimum ad fœcunditatem valere monita, illum crebrò pulſabat. Nocte verò quadam in lecto jacens vocem audiit: Ne liberos cupias, quia damnaberis.

Tereſia de Layz, ejus viſio.

Perculit illam terribilis vox: verùm non F propterea ab Apoſtolo interpellando deſtitit, donec viſum lætiſſimum (an vigilans an dormiens, neſciit) occurrit. Obverſabatur animo domus cum atrio, cui eminebat ambulatio quædam, ſub qua puteus, & pratum lætiſſimo virore, floribuſque omnem orbis amœnitatem pulchritudine, atque candore ſuperantibus ſparſum; & propè puteum Apoſtolus Andreas aſpectu decorus, & venerabilis admodum, qui Tereſiam intuentem mirificè oblectabat, & ſic alloquebatur: Meliores ſanè filii ſunt hi, quàm quos expetis; quo certè viſu liberorum deſiderium extinctum eſt.

Tereſia octavũ Monialiũ Monaſteriũ Albæ erigit.

Vocatur ergo Albam, ut unà cum Franciſco conjuge ibi moretur. Nam inde prius aberat, & domum ab illo fortuitò emptam intuita, eamdem prorſus eſſe, quam per vi- G ſum Andreas Apoſtolus indicarat, demirata; in Monaſterium denique à Sacris Virginibus incolendum donat, quod 25. Januarii anno 1571. conditur.

Sic pratum cœleſti virore virtutum, quæ numquam elanguent, & puriſſimo Virginitatis candore, B. Virgo Tereſia exornavit: & conjuges pii locum donis auxerunt, ubi ſepulti jacent.

Moniales Albæ deductæ.

Deductæ ſunt eò Moniales Agnes à Jeſu, Joanna à Spiritu Sancto, quæ loco præfecta fuit, Guiomar à Jeſu, Maria à Sacramento, Thomaſina Baptiſta, Maria à S. Franciſco, & multa virtutum æmulatio- H ne certatum eſt. Biennio hîc à condendis Monaſteriis, Albæ negotio peracto, ceſſatur.

CAPUT XVII.

Modus iter agendi, quo B. Virgo Tereſia uſa eſt.

ERat mos B. Virgini Tereſiæ viam ituræ, niſi peculiaris neceſſitas perurgeret, reret, eas tantum ſorores ſecum ducere, quæ impenſiùs id optarent: quibus ſuaviſſimis verbis gratias agebat, & ſacra ſynaxi ſub diſceſſum roborabat.

Tereſiæ leges itinerariæ pro ſociis Monialibus.

Ne verò procacibus juvenum verbis (ut fieri ſolet) impeterentur, ſi detectæ, aut inopiam multam exhibentes apparerent; exquirebat currus urbanos, aut lecticas, vel ſi deeſſent, plauſtra bene tecta, veloque demiſſo, cum opus eſſet, loqui præſcribebat,

Efferebat ſecum campanulam, qua ſignum orationis, & ſilentii æquè ac in ipſo Monaſterio daret, comiteſque omnes, ne dum orabant obſtreperent, auctoritate, ac muneribus agebat.

Ut in hoſpitium perventum erat januæ præficiebat unam ex ſororibus: quod ſi hoſpitium eſſet inops, qua poterat ſtragulis, pannove rudi prætenſo, ſocias includebat; & qui ſacrum faceret, ac ſacras confeſſiones audiret, numquam deeſſe, ſtudioſiſſimè curabat.

Profectio Monaſterii perfectam repræſentabat imaginem, in ipſis quoque locis veræ pietatis expertibus: cum tamen rebus divinis cor adeò gereret intentum, ut niſi ſocias curaret, quod ad ipſam attinebat, potiùs diverticulo aliquo ad animum relaxandum, quàm religionis incitamentis indigeret.

D. Tereſiæ, Dei adſidua præſentia.

Semper enim Dei præſentiam ſublimiſſimam menti altiùs impreſſam pertractabat, nec hominum ſocietate, vel ſolatiis egebat. Omnium tamen laborem & itineris tædium, arrepta undecumque divinorum ſermonum occaſione, lepidiſſime elevabat.

Chriſtus itinera Tereſię ſuadebat.

Et quidem tametſi libentiùs latuiſſet (erat enim ſolitudinis avidiſſima) Generalis tamen, ut quotquot liceret Monaſteria conſtrueret, injunxerat: & quod pluris eſt, Chriſtus ipſe itinera perſuadebat. Præter eam quippe adhortationem, qua Malagoni Virginem ad Monaſteria maturanda impulit, anno quoque 1571. ad medium Februarium ſic currentem incitavit: Conare, expende, quale tibi auxilium porrigam: volo coronam hanc pares: antequam obeas, Virginis Ordinem Valoe provectum intueberis.

At multi, qui æternum illud incendium, quo ejus animus ardebat, ut Chriſti gloriam amplificaret, ingnorabant, & ſexum fœmineum (non virilem animum latentem) expendebant, identidem de tot itineribus perperam opinabantur, & obtrectabant.

Verùm hoc, antequam Virgo teſtatiſſimam mundo ſanctitatem exhibuiſſet, licet non laudari, excuſatione tamen aliqua obumbrari potuit: nunc verò illuſtriſſimum ſanctitatis, & magnanimitatis exemplar in muliere una, totus ferè orbis, ab iis præſertim itineribus laudat, quorum fructus uberrimos carpit.

* * *

LIBER III.

CAPUT I.

Beata Virgo Tereſia præficitur Monaſterio Abulæ mitigato.

Medinā petit, & cur?

ANno 1571. Abulæ Monaſterio condito, B. Virgo Tereſia Salmanticam regreſſa, Moniales illas indigas admodum ſolata eſt: unde Medinam petiit, ut litem quamdam componeret. Ubi cum Patres mitigati, quibus Monaſterium ſuberat, diverſè opinarentur; Provincialis, cujus opinio multis ex capitibus B. Virgini Tereſiæ probata non fuerat, ſub acribus pœnis (neſcio quo ſpiritu afflatus) illam, unà cum alia, quam contra ipſius Provincialis ſententiam Monaſterio, uti ea functione dignam, præfecerat, Medina intra eumdem lati præcepti diem excedere jubet: quamdam aliam Monialem ſententia ſua ad modicum tempus aliis præponit: ac per annum dimidium Monaſterium Superiore vacat.

Tereſia obedientiæ addictiſſima

Obtemperat eveſtigiò obedientiæ deditiſſima Virgo, eodemque die veſperi, quantumvis ſerum incumberet, temporiſque inclementia (ſumma quippe hyems erat,) morbi graves, ſacrarumque Virginum parentem ſuam dulciſſimam abire ægre ferentium lacrymæ obſtarent, Albam diſcedit. Deſtinaverat autem per id tempus Summus Pontifex Pius V. Ordinum Viſitatores, & P. F. Petrus Fernandez ex Dominicanis, vir ſanctitate, prudentia, & doctrina celebratus, Carmelitanis Viſitator obtigerat: qui tametſi B. Virginem Tereſiam ex fama noſſet, viſam tamen impotenter amavit, & non quaſi mulierem, ſed tamquam virum fortem commendavit.

Alii reſpōſum hoc P. Fr. Joanni Salinas Provinciali Dominicano tribuunt.

Patri quippe F. Dominico Bannes Dominicano ſic aliquando facete reſpondit: Acceperam Tereſiam fœminam eſſe, at vir bene barbatus eſt, virilem ſcilicet animum, & mores eo tropo ſignificans. Qui tanti eam inpoſterum fecit, ut cum viros graves illi, die quadam, detrahentes audiret: Non, inquit, hoc feram: quod ſi obtrectare pergatis, abſcedam.

Pater hic planè graviſſimus, cum Medinæ Patres Carmelitas viſitaſſet, & parum liberales erga Virginem comperiſſet, Abulam venit, & Virginem ſuffragiis Monialium Medinæ Monaſterio, à quo ejecta fuerat, præponit: ubi tres dumtaxat menſes præfuit. Idem quippe Viſitator, Incarnationis Monaſterio mitigato illam præfecturus Abulam revocavit, quod ægerrime tulit. Cum enim in novos fœtus ſuos alendos incumberet, ad diſciplinam leniorem eliminandam, novo labore, alieniore, ac moleſtiore retrahi durum ſanè videbatur. At à Chriſto ſic extimulatur: Orabat illa in eremetica cella pro Fratre quodam ſuo ad ſalutis diſcrimen adducto, & ſic conqueſta eſt: Profectò Domine, ſi fratrem quempiam tuum in hæc pericula conjectum intuerer, quidvis arduum pro eo liberando ſtatim adorirer.

A

Quid Chriſtus de hac præfectura Tereſiæ effatus ſit?

Cœpit illam Chriſtus argumento ſuo argute revictam: Fatres mei ſunt, o filia, animi, qui in Monaſterio Incarnationis agunt, & tamen tu eò ire, ac ſalutis eorum curam gerere cunctaris? Nunc ergo aude: expende rem mihi gratam te facturam: nec tam eſſe arduam, quàm exiſtimas: & hoc ipſo Monaſteriis mitigatis, & ipſis recentibus, quorum jacturam pertimeſcis, majus bonum acceſſurum: ne provinciam recuſes, omnia quippe poſſum.

Tereſianæ Profeſſionis formula.

B

His hortationibus erecta, Viſitatori expeditè obtemperavit, & poſt quatriduum in Monaſterio S. Joſeph (licet jam idem ante voviſſet) ne quid ex Monaſterio mitigato, quò ibat, hæreret, his verbis conceptis, quibuſvis regulæ mitigationibus per Summos Pontifices indultis ritè renuntiavit: Ego Tereſia à Jeſu, Monialis Dominæ noſtræ de Carmine in Monaſterio Incarnationis olim profeſſa, nunc verò in Monaſterio ſancti Joſeph, Abulæ degens ubi regula primæva obſervatur, quam Reverendiſſimi P. Joannis Baptiſtæ conceſſu, hucuſque obſervavi, & ut ubique (tametſi ad Incarnationem à Superioribus revocarer) obſervarem impetravi, profiteor meum animnm eſſe, per totius vitæ curſum in hoc propoſito perſiſtere, ac ita voveo; mitigationibus univerſis, quas Summi Pontifices indulſerunt, nuntium remitto, Deoque favente, ad mortem uſque ſic perſeverare decerno: ac ita ſubſcribo. 13. Julii 1571. Tereſia à Jeſu Carmelitana.

C

Profeſſionem hanc P. Viſitator admiſit, & è Monaſterio Incarnationis exemptam recenti Salmanticæ Monaſterio inter reliquas (quas appellant conventuales) aſcripſit, tametſi Monaſterio Incarnationis Viſitatoris ipſius, & Patrum Carmelitarum ſuffragiis creata præeſſet.

Ad Monaſterium Incarnationis deducitur.

Ducitur ergo ad Monaſterium mitigatum: ubi mirum dictu eſt, quatum fuerit excitatum incendium. Nonnullæ ex modeſtioribus obtemperant, aliæ validè reluctantur, vocem extollunt, conqueruntur, à viris Urbis nobilibus adiutæ reclamant: Provincialis verò, qui Virginem deduxerat, Monialibus in Chorum convocatis, lecto præcepto, animos compeſcit. Incendium ſenſim deferbuit, & cana Virginis prudentia ſic animos infeſtiores temporis proceſſu, ſibi conciliavit, ut cum acceſſus non omnibus placuiſſet, inſtantis diſceſſus omnes pœniteret.

D

Geneſ. 30.
Geneſ. 39.

Laborabat victus penuria, & animorum tepore Monaſterium, & (quod olim domui Laban ob Jacob, & Putipharis ob Joſeph accidit) bonorum cœleſtium, & familiarum copia ob Virginem præſentem affluxit.

Sanctũ Tereſiæ artificiũ in ſuſceptione gubernii.

Ut primùm verò Monaſterii curam ſuſcepit, Beatiſſimæ Virginis imaginem in ea chori ſede, quæ Superioribus decreta eſt, collocavit: quod acceptiſſimum ſibi fuiſſe Cœli Regina, lætiſſimo viſu, domus fœlicitatem pollicita, demonſtravit. Pridie quippe feſti clariſſimi Martyris Sebaſtiani, dum Antiphona (Salve Regina) in choro cani inciperet, in ſedem ipſam, ubi poſuerat imaginem, clementiſſimam Cœli Reginam plurimorum Angelorum comitatu ſeptam è cœlo labentem, atque in ſede quieſcentem vidit.

E

Angelos ſedium aliarum capitibus incumbentes; & velut ſpectaculo miro intentos conſpexit. Ubi Cœli Regina dulciſſimo ſermone ſic Tereſiam affata eſt: Rectè egiſti, dum in ſede hac me collocaſti. Ego ſanè interero laudibus, quæ Filio meo hic reddentur, eaſque illi ego ipſa offeram: & hac certè ope munita ad arduum gubernationis opus animum erexit. Etſi verò nova hæc adminiſtratio curam, & ſollicitudinem multam ad ruinarum inſtaurationem exigeret; animus tamen ille Apoſtolicus omnia ex eo clauſtro loca perluſtrabat, omnibus proſpiciebat, omnia fœcundabat.

F

CAPUT II.

Nonum Monaſterium S. Joſeph Segobiæ conditur: Monaſterium Paſtranæ deſeritur.

Salmanticã Tereſia proficiſcitur an. 1573.

POſt annos illius adminiſtrationis duos, flagitantibus Salmanticæ Monialibus, quas multæ incommoditates obſidebant, P. Viſitatoris juſſu eò migravit: ubi cum oraret, Chriſtus præcepit, Segobiam commearet. Res penè inacceſſa videbatur: ſcribit tamen P. Viſitatori, qui tametſi diverſè cenſuiſſet, literis lectis ſtatim annuit.

G

Et Epiſcopi Segobienſis D. Didaci Covarruvias facultate impetrata, domoque conducta, menſe Martio, Eliſabetham à Jeſu, & Mariam à Jeſu Segobienſes ſecum abducens, Alba, Abulaque pertranſiens, unde duas alias evocavit, Segobiam, pridie quàm Monaſterium conderet, ingreditur.

Monaſterii Segobienſis erectio.

Die igitur, qui ſanctiſſimo P. noſtro Joſeph ſacer eſt, anno 1573. primo ſacro facto, & Euchariſtia ibi repoſita, Sanctique nomine indito, Monaſterium erectum eſt. Aberat Epiſcopus, & Vicarius rerum ignarus, ut quæ contigerant, reſcivit, vehementer excanduit. Feſtinat, & Sacerdotem, qui fortuitò ſacrificabat, objurgat. Julianus de Avila individuus B. Virginis Tereſiæ comes ſub ſcalam ſe abdit, irritamentum iræ ſubtracturus.

H

Vicarii Epiſcopi Segobienſis excandeſcentiæ.

Patrem demum F. Joannem à Cruce, qui eò cum B. Virgine Tereſia venerat, iratus increpuit: quem (niſi per ſacros canones exemptus foret) in carcerem proculdubiò detrudi juſſiſſet. At intercidit locum, & Sacerdotem, qui Sacramentum abſumat, quantocyus mittit. Monet B. Virgo Tereſia Rectorem è Societate Jeſu, qui Vicarium implacabilem offendit. Accedunt primores aliqui, & aliquantum miteſcit, ajens, velle ſibi teſtes facultatis ab Epiſcopo obtentæ produci: quo denique conquieſcit,

ſed

Scripta An. 1608.

ſed Sacramentum ibi aſſervari vetat. Sedata ergo procella, Julianum de Avila, & Antonium Gaytan, itineris comites modeſtiſſimos & fidiſſimos, Paſtranam B. Virgo Tereſia deſtinat, ut omnes inde Moniales Segobiam deducant. Erat quippe Monaſterium illud laxitatis periculo obnoxium, ob Principum licentiam, quibus inſtantibus ægrè repugnari poſſet: & alto mundi deſpectu ſæculi legibus parere nolens liberrime Monaſterium deſeruit. Ut ergo Paſtranam perventum eſt, unus è duobus Sacerdotibus Sacramentum ſumit, & captato noctis mediæ tempore, plauſtris in loco tuto adventum præſtolantibus Moniales loco deſerto recedunt, & Segobiam pervectæ lætiſſimè excipiuntur. Annum dimidium ibi demorata, toti Urbi ſummoperè profuit. Virtutis decor animos cepit: puellas multas ingenuas, quarum dotibus brevi propria domus empta, & inſtructa eſt, ſuaviſſimè allexit. Cum verò pauciſſimi dies, ad curæ, quam in Monaſterio Incarnationis ſuſceperat, tempus explendum ſupereſſent; licet ægrè proficiſceretur, Eliſabetha tamen à S. Dominico, quæ Paſtranæ præfuerat, Segobiæ præfecta, Abulam diſcedens, curam loci mitigati deponit: & Monaſterio S. Joſeph, multa gratulatione præponitur.

Monaſteriũ Paſtranenſe deſeritur, & cur?

A

B

Abula Teſia rediit an 1574.

CAPUT III.

Conditur Monaſterium decimum oppidi Veas.

INterim dum B. Virgo Tereſia adhuc Monaſterio Incarnationis præpoſita, Salmanticæ verſabatur, D. Catharina Godinez, ex oppido Veas, quod ad Bæticæ confinia ſitum eſt, enixè poſtulavit, eò contenderet, ut Monaſterium inſtitueret. Res difficillima viſa eſt: at ne antiquo Generalis præcepto, quod animo hæſerat, reniti videretur, P. Viſitatori eaſdem literas, quas ea de re acceperat, mittit. Reſpondet tam piis votis annuendum eſſe: at ſcriberet, ſe poſt obtentam Ordinarii veniam ituram: quod Viſitator deſperabat; alioqui fortaſſe non aſſenſurus: ſed venia obtenta eſt. Prodigioſa multa contigere, quæ à ſuo ſunt ducenda principio. Erat in oppido vir perilluſtris Sancius Rodoriguez de Sandoval, cui uxor D. Catharina Godinez, ex qua ſuſceperat filias duas D. Catharinam Godinez, & D. Mariam de Sandoval, quæ Monaſterium inſtituerunt. D. Catharina ergo, quæ natu major erat, quatuordecim annos agens, mundo addictiſſima (quæ quantamvis nobilitatem, ac opulentiam, velut imparem ſibi aſpernaretur) quo tempore pater eam nuptui tradere parabat, die quadam, præter ſpem, Crucis, è qua effigies Chriſti pendebat, titulum legens, & effigiem contuens, adeò vehementer commota fuit, ut momento penè uno, vanitatem exueret, & novam Chriſti formam indueret.

C

Monaſterii Veas erigendi tractatio.

D

Mira D. Catharinæ ad meliorem frugem cõverſio.

Lux mentis clariſſima, penitiſſima propriæ fragilitatis cognitio, ardentiſſimum patiendi deſiderium, humilitas altiſſima, ſuique tædium intimum uno, velut agmine, uno conniſu extiterunt. Eodem calore caſtitatem, & paupertatem divinitus impulſa vovit, & obedientiæ amor tantus erupit, ut libentiſſimè ad Saracenos ſe pateretur abduci, modò poſſet ibi aliorum voluntati parere. His motibus divinis uno partu editis, cum illa ageretur, ſtrepitus, loci tremores, mugitus ſupra cubiculum, ubi latebat, paulò minus, domum labefactarunt, ut non abs re pater in proximo cubiculo terreretur: dæmones enim ſubitam illius cordis mutationem ferre nequibant. Ex eo die fauſtiſſimo, per triennium ſtatis horis, orationi vacare, corpus quàm ſeverè poterat, affligere, vultum aqua perfuſum ſoli expoſitum deformare, & ſublimem mundi contemptum præferre curavit. Impreſſerat eo momento Deus animo illi ardentiſſimum ſtatus monaſtici deſiderium: at incaſſum à parentibus conſenſum expetebat. Exactis ergo annis tribus die quadam inſperata, ne quis prohiberet, veſtem modeſtiſſimam die ſanctiſſimi P. noſtri Joſeph induta petiit Eccleſiam, & per quadriennium aſperrimè carnem maceravit: ut aliquando lorica ferrea, pro ſubucula, puella fortis uteretur: & crebrò in oratione pernoctaret, cum ea quies per diem interdiceretur. Poſt hæc quoque clementiſſimus Deus, ut opus illud ſuum abſolveret, morbos graviſſimos, comitialem, hydropem, febrem perennem, carbunculum, & alias affectiones moleſtiſſimas immiſit, quæ per ſeptemdecim annos, paucorum dierum inducias permiſerunt. Quinquennio verò à primis morbis elapſo, pater obiit. Mater (ut erat pia) ad mundi deſpectum, copiam latiſſimam fecit, ut ſpreta nobilitate, puellas inopes educaret. Interiit autem & mater. D. Catharina ergo de ſtatu monaſtico ſeriò agit, & per annos quatuor, ut veniam Monaſterii condendi ab Ordinum conſilio impetret, luctatur: cum tamen hectica febre lalaboraret, phtiſica, & hydropica eſſet, & hepatis incredibili ardore, arthritide, & iſchiade affecta per annos octo, in lecto, ne vertere ſe, quò vellet, potuiſſet. Irridetur propoſitum à conſanguineis, ajentibus à nullo Monaſterio mulierem graviſſimè ægrotantem admiſſum iri. Reſpondet fortiſſimè, ſi Deo propitio, intra menſem convaleo, perſpicietis certè, quod expeto, Deo probari: Monaſterium extruatur: ego ipſa in Regiam curiam, veniam obtentura, contendam. Orat ergo impenſiſſimè, ut Deus, vel Monaſterii deſiderium, vel morbos extinguat. Audit interius, certò ſperandum ſe quò dixit ituram: & ante menſem expletum, pridie feſti S. Sebaſtiani, ſubito tremore, quo animam efflare videbatur, correpta, fere temporis puncto (mirum ſanè dictu) perfectiſſimè convaluit. Ut autem in curiam pervenit, cum per menſes tres nihil

E

Dæmonũ in eã inſultus.

F

Variis morborũ generibus a Deo probatur.

G

De Monaſterio condendo ſerio agit.

H

Ejus Mira valetudo.

Litteras Tereſiæ mittit

A

Tereſia Veacum petit.

B

Ibique decimū Monialiū Monaſterium condit; vid. ejus Vitam ſcriptā a P. Friderico a S. Antonio. Lib. 2. c.24.

à Conſilio impetraſſet, ſupplici libello Regem ad ſua vota perduxit. Revera iterum ægrotat, ut res deſperanda videretur: iterum orat, ut aut vota, aut morbi expungantur, & vocem intrinſecus audit: crede, ac ſpera: omnia poſſum: & alia quibus cor erectum eſt, literaſque B. Virgini Tereſiæ mittit. Feſtinat illa, Abula, Toletoque tranſiens, & aliquot Moniales educens, eò ire pergit. Sed cum gravi æſtuans febre Malagono in oppidum Veas ſe conferret: quo pacto, inquit, Domine (Deum quippe orabat) æſtum hunc ferre potero? & extemplò ad præſentiſſimum Dei auxilium conſtanti fide poſtulatum febris evanuit. Ut verò domum D. Catharinæ, ac ſororis ejus, quam idem Monaſterii tenebat deſiderium, ventum eſt, dici nequit, quàm lætæ gratulationes, quot gaudia concreverint. Tunc enim D. Catharina eam Religionem avidiſſimè ſpectavit, quam ante annos multos per viſum cognitam ardenter amaverat. Die igitur S. Apoſtoli Matthiæ, anno 1574. Monaſterium S. Joſeph de Salvatore erectum eſt. Duæ ſorores (opibus Monaſterio ſic donatis, ut tametſi admitti nollent, eas minimè repetere poſſent) eodem die indutæ: altera Catharina à Jeſu, altera natu minor Maria à Jeſu nuncupata eſt. Catharina vegeta jam, & valida inter eas (quas laicas, ſeu converſas vocant) recenſeri maluiſſet, ſed à B. Virgine Tereſia correpta fuit: & poſthac dum præeſſet illi loco, ſanctitate clara è vita migravit. Monaſterio ergo recenter inſtituto Annam à Jeſu B. Virgo Tereſia præfecit, & opus mirum abſolvit.

CAPUT IV.

C

Conduntur duo Cœnobia Fratrum Mazzeræ, ac Paſtranæ.

Tereſia de Fratrū Monaſteriis erigendi egit

D

Locum explorat.

E

F

Primū Fratrū Monaſterium cōditur. an. 1568.

Primū Monaſteriū Deſeritur, & Mazzeræ fundatur.

G

H

Cœnobium alterum Paſtranæ erigitur.

CUM ſtructura hæc, architectonica B. Virginis Tereſiæ arte conſurgens, ſexu conſtet utroque, & res ipſæ mutuò conſertæ, non poſſint in ſedes longè ſeparatas abduci, quamvis animus eſſet, Fratrum cœnobia Monialium Monaſteriis non intercalare, hiſtoriæ potiùs perſpicuitati ſerviendum eſt. Illud verò in primis ponendum, ab eadem Virgine Fratrum quoque fuiſſe fundata primordia, quemadmodum è c. *6.* ac *9.* ſecundi libri, ubi duos Patres excitavit, perſpici poteſt. Cum ergo Medinæ agens P. F. Antonium de Heredia, poſtea F. Antonium à Jeſu, & P. F. Joannem à Cruce ſuſcitaſſet, anxie Deum orabat, loca opportuna principiis provideret: & anno 1568. antequam Valliſoletum peteret, cum eſſet Abulæ vir illuſtris D. Raphael de Abula Mexia, qui Fratrum cœnobia parari cognoverat, B. Virgini Tereſiæ exiguam domum in oppido Durvelo Abulæ vicino promittit. Excepit rem exiguam libenter: & Medinam tendens locum inopem, tribus, quatuorve cubiculis brevibus diſcretum obiter explorat: ex quibus unum ſacello, alterum choro, aliud cœnaculo, aliud denique cellis aſſignat. Ut verò Medinam venit, cum P. Antonio de ineundo novo ſtatu agit. Annuit lubens ille; Patrem verò F. Joannem à Cruce ſecum Valliſoletum ducit: interimque dum domuncula inſtruitur, de Monialium diſciplina illum viæ comitem diſertè certiorem facit, ac monet, ut eamdem in virorum cœtibus accuratiſſimo culturæ genere ſerat. Veniam verò à duobus Provincialibus (quod Generalis juſſerat) ad novum incœptum, victis pleriſque difficultatibus, impetrat. Rebus ergo maturatis P. F. Joannem à Cruce, uti filium ptimogenitum, in oppidulum Durvelum præmittit, ubi fide ac lætitia incredibili li domunculam inſtruit: mitioreque anteactæ vitæ veſte poſita, rudiorem Diſcalceatorum veſtem induit: quam uſque ad ſupremum halitum geſtare decernit. Mox P. F. Antonius prælationi ſuæ (erat enim Carmelitarum Medinæ Prior) renuntians, lætus in novum cœnobiolum venit, veſtemque permutat: atque ideò uterque regulam primævam ſe obſervaturum vovet. In hunc ergo modum, primum virorum cœnobium conditur; ubi B. Virginis Tereſiæ auſpiciis, tertia Dominica adventus 1568. primum ſacrum factum eſt. Ex eo verò loco exiguo, ac nimis incommodo, ubi aliquandiù orationi, ac auſteriori diſciplinæ, cum proximorum bono minimè vulgari, duo Patres inſtitere, Manzeram, oppidum ſcilicet propinquum commigrant, ubi D. Luyſius de Toleto, Eccleſiam cum Beatiſſimæ Virginis immagine pulcherrima, è Flandria eò perlata dono dedit. Atque ita Durvelo relicto, Mazzeræ cœnobium conditum eſt. At deerat aqua: de quo cum P. F. Antonius à Jeſu Prior in clauſtro cum Fratribus ageret, baculo, quem manu tenebat, terræ illiſo, ait: effodite hîc terram: & inde aquam copioſam, & ſalutarem hauſerunt. Anno autem 1569. cum B. Virgo Tereſia Paſtranam, ad Monaſterium (de quo ſuperiùs egimus) inſtruendum peteret, Madrito tranſiens, à D. Leonora Maſcarenas in Monaſterio Ordinis Sancti Franciſci excepta, accepit, adeſſe Eremitam quemdam, natione Italum, virum doctum, ac prudentem, nomine Marianum à Sancto Benedicto, ac Fratrem quemdam ejus comitem, cui nomen Joannes à Miſeria, qui in Eremo Tardon Hiſpali vicino commorati, cum illud Inſtitutum à Concilio Tridentino interdiceretur, Romam, ut veniam ibi perſiſtendi obtinerent, iter facere decreverant. Convenit igitur P. F. Marianum B. Virgo Tereſia, regulaque, & Conſtitutionibus oſtenſis, efficaciter rationibus convictum, conſilio mutato, locum à Principe Ruygomez Paſtranæ ad cellas Eremiticas illi Patri donatum, cœnobio deſtinat: & duorum Provincialium Carmelitarum conſenſu impetrato, P. F. Antonium à Jeſu Mazzera evocat, ut operi novo lætus in-

Scripta An. 1608.

P. F. Mariani a S. Benedicto humilitas.

A

interſit. Tunc ergo à P. F. Balthaſare à Jeſu, qui erat è mitigatis, & ut cœnobii propoſitum cognovit, ſponte ſua Paſtranam venerat, ut novum inſtitutum arriperet, quod ſtatim præſtitit, F. Marianus, & F. Joannes, ut Fratres laici induuntur: neque enim P. F. Marianus, ut altiora cogitaret, induci potuit, donec temporis excurſu à Superioribus coactus fuit. Ac ita & Conventus Fratrum, & novi fœtus, dum B. Virgo Tereſia in eodem oppido Monialium Monaſterio erigendo vacat, Paſtranæ dedicantur. Cœnobia hæc duo fœcundiſſima fuere; modicoque tempore interlapſo, Patres aliquot doctrina, & prudentia clari novum inſtitutum illuſtrarunt: quo in agmine P. F. Hieronymus à Matre Dei, P. F. Joannes à Jeſu, P. Fr. Gregorius Nazianzenus, cum laude recenſentur.

CAPUT V.

Conditur Hiſpali undecimum Monaſterium Sancti Joſeph.

B

P. F. Hieronymus a Matre Dei Patrū Carmelitarum Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus eligitur.

C

Tereſia Hiſpalim pergit, cur?

D

Hiſpali Tereſia Monaſterium cōdit.

NOva gens Prælato proprio carebat, Patribuſque mitigatis obtemperabat: Deique conſilio, P. F. Hieronymus à Matre Dei, quem nuper meminimus, licet non valdè antiquus inſtituti Monaſtici cultor, doctrina tamen, & aliis dotibus inſignis, Patribus Carmeliticis Bœticæ Provinciæ Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus decernitur. Qui cum B. Virginem Tereſiam in oppido Veas exiſtentem inviſeret, ex eo loco à Nuntio Apoſtolico accerſitus, eiſdem Patribus Provinciæ Caſtellæ Viſitator quoque præficitur. Ante verò quàm Nuntium adiret, B. Virginem Tereſiam, ut Hiſpali Monaſterium conderet, rogavit, hoc à ſe poſtulatum, eleemoſynas affuturas, Archiepiſcopum fauturum cauſatus: cui (etſi non admodum id antea probaſſet) ut morem gereret, annuit: & ob æſtum proximum, profectionem maturavit. Ille igitur Madritum: B. Virgo Tereſia cum ſex Monialibus virtutum teſtimonio laudatis, quæ futuras adverſitates eſſent exhauſturæ, unà cum P. F. Gregorio Nazianzeno, qui in oppido Veas à P. F. Hieronymo indutus fuerat, & aliis itineris comitibus Hiſpalim migrat. Plurima, & moleſtiſſima incommoda obiter ingruerunt, quibus patientia reſplenduit: Hiſpalimque triduo ante feſtum Trinitatis pertigerunt, ubi P. F. Marianus domum conduxerat: verùm negotium non ita confeſtim abſolvi potuit, quàm B. Virgo Tereſia exiſtimaverat. Nolebat quippe Archiepiſcopus Monaſteria ſine redditibus erigi; quod illa ægrè audiebat. Urgebatur tamen à P. F. Mariano res, qui Antiſtitem precum improbitate flexit: ac ita, ut ſacrum fieret ipſa Trinitatis Dominica 29. Maii 1575. conceſſit: nomenque S. Joſeph, inita loci poſſeſſione, loco impoſitum eſt. Parce Archiepiſcopus D. Chriſtophorus Roxas veniam impertitus fuerat: ſed (P. F. Mariano conſtanter inſtante) mox ac B. Virginem Tereſiam inviſit, & ejus prudentiam, ac leporem agnovit, quidquid vellet, ſe præſtiturum liberaliter pollicitus eſt.

CAPUT VI.

Gravia perfert B. Virgo Tereſia: & ante diſceſſum Moniales benè collocat.

E

Hiſpali quę Urbs?

F

Chriſtus hiſpali Tereſiam ſolatur.

G

Laurentius Cepeda D. Tereſię germanus frater.

Vide Vitam a P. Friderico a S. Antonio Scriptam lib. 2. cap. 26. 28.

H

MIrum eſt, Hiſpalim Urbem opulentiſſimam, unde Indicum aurum Europa tota mutuatur, ſolis Virginibus Apoſtolicis, divino conſilio, ſe inopem exhibuiſſe: vix enim alibi tam inaudita rerum inopia laboratum eſt. Subeunt morbi, tædia, ſiniſtræ opiniones, neglectus, aliaque acerrima experimenta, quibus illud ſynceriſſimum virtutis aurum frequenter ictum enituit. Inter alia quippe tentamenta puella quædam ſanctitatis opinione celebris Monaſterium ingreſſa, & quod mores diverſos didiciſſet, ad meliorem eruditionem obdurata, omnes Virgines illas graviter afflixit, donec diſciplinæ impatiens, loco cedens, inculpatum Monaſterium in boni nominis diſcrimen, præjudicata ſanctimonia ſua, vocavit. At, opitulante Deo, veritas compreſſa, oppreſſa non fuit. Quin etiam eò multorum licentia debacchata eſt, ut innoxiam Virginem ſacro Inquiſitionis ſenatui denuntiarent: at teſtibus productis integritas vitæ prævaluit. Ipſe quoque Clementiſſimus Deus, qui Virginem amantiſſimè ſolari conſueverat, arcano conſilio, eam hîc velut oblitus interareſcere puſillanimem, exanimem, ac à ſe longè alienam ſinebat. Longum ſanè tempus à menſe Majo ad Quadrageſimam proximi anni procurrerat, & penè nihil commoditatis, vel auxilii ſuppetebat: tempus diſceſſus inſtabat, ſolitum ergo aſylum orandi validiſſimè repetens, ſic die quadam Deum dicentem audivit: Jam vos audivi: mihi fidem habete: quibus ſanè verbis rem totam abſolviſſe ſibi viſa eſt. Eò verò per id tempus appulerat ex India Occidentali Laurentius Cepeda Beatæ Virginis Tereſiæ germanus frater, qui ſollicitè, ac liberaliter ei, multis ſumptibus præſto fuit. Domus exquiſita eſt: frequentiſſima Urbis ſupplicatione, Euchariſtia ex alio Templo eò illata: Archiepiſcopus ipſe ampliſſimo loci ornatu ſacrum fecit, 3. Junii 1576. & locus feſtiviſſimè dedicatus eſt. Accidit res mira: multi turbines ignei, ex more feſtorum percrepabant; & cum pulvis ſulphureus, quem quidam inopinus ferebat, ignem repentinum, neſcio unde, concepiſſet (præterquam quod mirum fuit, illum igne correptum non interimi) ignis flamma in altum elevata fornices clauſtri aduſtos, ac nigros, ſericum quo tegebantur, quod leviſſima flammula conſumpſiſſet, illæſum, nitidumque reliquit. Monialibus ergo honeſtiùs, & commodiùs collocatis, B. Virgo Tereſia ne proximo æſtu malè

Scripta An. 1608.

malè afficeretur, Maria à S. Joſeph Monaſterio præpoſita, ſummo cum Virginum illarum mœrore, ad labores novos Hiſpali diſcedit.

CAPUT VII.

Conditur duodecimum Monaſterium Caravaccæ.

A Litteræ Tereſiæ mittuntur, ut Caravaccã ſe conferat.

DOmina Catharina de Otolora, uxor Licentiati Munnoz, unius ex Auditoribus Conſilii Indiarum cum B. Virgo Tereſia Abula in oppidum Veas proficiſci pararet, literas miſit, impensè precans locum illum Monaſterio uno dignaretur. Cum enim Patris cujuſdam è Societate Jeſu concionantis energia tres puellæ nobiles, & conſanguineæ omnes nomine Franciſcæ, vehementer commotæ mundum abjuraſſent, & in ædibus ipſius D. Catharinæ, quæ ad opus opem ſuam pollicita eſt, ſecretiore loco clauſæ ſacrarum Virginum more, divinis rebus ſe totas dedidiſſent, B. Virginiſque Tereſiæ fama eò penetraſſet; ardentiſſimis votis inter ejus ſorores recenſeri cupierunt. Hæc ut B. Virgo Tereſia per nuntium accepit, mirificè gaviſa, ſtatim ire, & oppidi Veas negotio peracto, eò feſtinare conſtituit. At P. Viſitatori, Hiſpalim potius eundum, Caravaccæ opus procraſtinandum viſum eſt; quo nihil mœſtius clauſis puellis potuit nuntiari. Venia à Rege obtenta, & difficultates interea ſuperatæ ſunt: & cum Hiſpali cunctari oporteret, B. Virgo Tereſia, & P. Viſitator, Moniales Caravaccam deſtinare condicunt. Mittiturque Hiſpali, ut præſit Anna à S. Alberto (quam ſecum B. Virgo Tereſia, eo animo ex oppido Veas eduxerat) quæ ex Monaſterio Malagoni quatuor alias deſignatas Caravaccam ducit: & octo ante lætiſſimum Chriſti natalem diebus ingreſſæ, rebus compoſitis, Circumciſionis anno 1576. Monaſterii, cui nomen S. Joſeph impoſitum eſt, jure potiuntur. Tres ergo puellæ ſanctitate provectæ, Franciſca à Matre Dei, Franciſca à Cruce, Franciſca à S. Joſeph, veſte ſacra induuntur, & tempore decreto profitentur. Annos verò quatuor à condendis Monaſteriis ceſſatum eſt.

B

Caravaccã petit.

Ibique monialiũ Monaſterium condit.

C

CAPUT VIII.

Dum per annos quatuor à Monaſteriis fundandis ceſſatur, gravia mala ingruunt.

NOn ſe continere valebat humani generis ſæviſſimus hoſtis, & ædificium, quod æquis lateribus fauſtè ſurgebat, evertere nitebatur. Dedit literas ad Generalem B. Virgo Tereſia, ne plura Monaſteria conſtrueret: at renuit ille, malle tot conderentur, quot capillos haberet. Patres verò mitigati comitia interim generalia celebrant, & præcipiunt, ne ulterius pergat: optet quod malit Monaſterium, ibique reſideat: multaque minus æqua ad Generalem perferuntur. Exegerat B. Virgo Tereſia tres (ut diximus) prælationis annos, & Incarnationis Moniales, quæ ingreſſui validè obſtiterant, egreſſum tantoperè timuerunt, ut rurſus penè omnibus ſuffragiis ſibi præponi conſpiraverint. Expleverat officium P. F. Petrus Fernandez Viſitator, à quo facile res impetrata fuiſſet: Patres verò mitigati, quibus tunc parendum erat, juſtis fortaſſe de cauſis abnuerunt. Moniales inſtant apud Regem, & Nuntium Apoſtolicum, ſed nihil obtinent. Cum verò P. Fr. Hieronymus à Matre Dei Hiſpali Cœnobium extruendum curaret, Nuntius ex Summi Pontificis mandato Viſitatores decreturus, eumdem Patrem totius Bœticæ Patribus Carmelitanis præfecit: quod ille munus præclarè geſſit eodem tempore, quo B. Virgo Tereſia Hiſpali agebat. Patres verò illi parum decere arbitrati ſunt, ſe, inter quos viri doctrina, & prudentia nobiles ſunt, à juniore admoneri. Quod licet P. F. Hieronymus, ut eis gratum faceret, libenter accepiſſet, tantum abfuit, ut à Nuntio permitteretur, ut conſultò accerſitum Provinciæ Caſtellæ Diſcalceatis ſexus utriuſque præpoſuerit. Dum hanc functionem ſtrenuè obit, & Valliſoletum petit, Patres Carmelitani à Philippo Epiſcopo Placent. ac Nuntio (illius, qui P. F. Hieronymum præfecerat, ſucceſſore) prætexentes Diſcalceatos nolle Generali obedire, ac excommunicationis vinculo innexos eſſe, literas obtinent, ut eos ad obedientiæ obſequium adigant. Quod ut P. Fr. Hieronymus reſcit, Nuntium convenit, à quo ſeverè objurgatus, ſe in terram proſternens, ſine ulla prorſus excuſatione correptionem admittit, & in Cœnobium quoaduſque lis dirimatur, ſe abdere jubetur. Rex quoque, & Generalis adeò malè monentur, ut Generalis, qui priùs propenſiſſimus fuerat, longè alienaretur, & ad Ordinis pacem tuendam, Diſcalceatos extingui oportere cenſeret. Omnia ſanè nutare videbantur, cum Nuntius hoc vitæ genus extirpare conatus, graviores è Patribus Diſcalceatis, cenſuris Eccleſiaſticis, carcere, pœniſque aliis exerceret. Interdixit ne ullum negotium attentarent. Patrem Carmelitanum F. Angelum de Salazar eis Viſitatorem præfecit: ac denique res bene ad extinctionem acta eſt. Angebatur maximè B. Virgo Tereſia, ob innoxios præſertim Patres, malè vexatos, & oratione perenni, jejuniis, exercitiis, virorum quoque gravium, & Principum auctoritate, literis potiſſimum ad Regem datis, quæ vim magnam habebant, ſic rem promovit, ut Rex non Nuntium ſolum, ſed quatuor alios graviſſimos Patres, de cauſa ſententiam ferre decreverit. Ubi ſic cœptum eſt, & inter Judices P. F. Petrus Fernandez Dominicanus B. Virgini Tereſiæ deditiſſimus deſignatur, cauſſam ſe obtinuiſſe gratulata eſt: quod ex ſententia ceſſit. Nec Rex Catholicus hoc tantum præſtitit beneficium; ſed cum Generalis Viſitatorem ut culpas Diſcalceatorum

D Ordinis Generalis reſponſum Tereſiæ datum

E

P. F. Hieronymus à Matre Dei Viſitator Apoſtolicus.

F

Gravis in Diſcalceatos oborta procella.

G

Tereſia literas Regi pro Excalceatis mittit.

H

Scripta An. 1608.

Excalceati a Mitigatorũ ſubjectione ſubducti.

rum inquireret, ac eos extirparet, deſtinaſſet, officio fungi minimè paſſus, nomine ſuo, juſtis de cauſis, à Gregorio XIII. Pont. Max. ut à mitigatorum Patrum ſubjectione Diſcalceatos eximeret, & ſoli Generali parerent poſtulavit. Liberaliter indulſit Summus Pontifex, & P. F. Joanni de Cuevas Dominicano viro graviſſimo A literis Apoſtolicis 20. Novembris 1580. expeditis, hæc res demandatur: comitiiſque anno proximo, quarta Dominica Quadrageſimæ Compluti coactis, Provincia erigitur, & ſeparatur: cui P. F. Hieronymus à Matre Dei præficitur: ac fluctus tanti ſedantur.

CAPUT IX.

Conditur Monaſterium XIII. in oppido Villæ novæ de Xara.

Procella in Excalceatos oborta conconquieſcit

SÆvierat per annos quatuor procella, demumque reſedit: & labor intermiſſus à B. Virgine Tereſia reſumptus eſt. Ex quo enim anno 1576. Toleti in Monaſterio condendo laboraverat, monita fuerat, annueret votis novem Virginum, quæ in oppido Villænovæ in locum unum ſpontè abditæ, miro virtutum exemplo lucebant. Res implexa viſa eſt: inter alias quippe rationes, cenſuit mulieres aliis inſtitutionibus ſemel imbutas, recens lac ægrè ſucturas. Doctor tamen Velazquez, Patres F. Antonius à Jeſu, & F. Gabriel ab Aſſumptione, rerum conſcii, opus probabant. Quin & Chriſtus ipſe renitentem corripuit: cui B. Virgo Tereſia libenter ceſſit, & poſito timore in opus incubuit. Eduxit Toleto Annam à Matre Dei, ut præeſſet Malagono, poſtmodum Elviram à S. Angelo, Annam quoque à S. Bartholomæo ſociam individuam (quam poſtea numquam dimiſit) & ſic à Patribus Antonio, & Ga- C briele, ex oppidio Malagoni, Villam novam, modeſtiſſimo, ac lætiſſimo comitatu ductæ, vicinos populos uſque ad ſtuporem exciverunt.

B. Tereſiæ fama longe lateque diffuſa.

Cum enim B. Virginis Tereſiæ fama tam inſigniter claruiſſet, mox, ut eam illac tranſituram accepere, adeo frequentes concurrerunt, ut in oppido Robledo, cuſtodes ad turbam arcendam deſignari oportuerit: tametſi eis invitis ſe per parietes gens avida ſaltu libraret. Profectò non auſterè arcenda erat: incredibili enim ſpectandæ Virginis deſiderio loca quiſque præripiebat, mirabatur, gratiam inire curabat. Res evulgata fuit, & Parentes non liberos tantum, ſed armenta conſultò illuc acta B. Virgini Tereſiæ ob oculos ſtatuebant, D ut illa benedictione fauſta fœcundaret. Tanta fuit Tereſiæ exiſtimatio.

Cœnobium Excalceatorum petit, quid ibi ei acciderit?

Divertit obiter in cœnobium Fratrum Diſcalceatorum, quod in Eremo à muliere ſanctitate celebri D. Catharina Cardona oraculo conditum fuerat. Quam, dum ibi moraretur, in ecſtaſim elata, in Angelorum comitatu, glorioſam, & hortantem, ut Monaſteria inſtituere pergeret, intuetur.

Catharinæ de Cardona vitæ genus.

Vixerat diu Catharina in antro quodam, per quod in cœnobium patebat aditus, inaudito auſteritatis genere, orationis ſtudio, mundi contemptu: quippe quæ cum eſſet nobiliſſima, ſe quaſi vilem, & obſcuram hominum aſpectibus eripuerat. Quæ cum cœnobium inſtituere optaret, nec gentem noſſet, per E viſum edocta, candidum pallium cernit: audienſque Paſtranæ cœnobium conditum, eò progreſſa, veſte illa donata, regreditur, & domum ejus inſtitutionis conſtruit.

Hinc Tereſia Villā novam petit, ibique monaſterium condit.

Villam novam ergo B. Virgo Tereſia hinc profecta 21. Februarii, anno 1580. pervenit: ac feſtiviſſimè excepta, frequenti ſupplicatione Monaſterium S. Annæ, diutiſſimè à novem Virginibus expectata, ineffabili gaudio ſubivit. Exploravit ingenia, virtutes admirata eſt, quas (ut abjecta) pluris quàm redditus ampliſſimos fecit, & eruditionis ſuæ acceſſionibus auxit. Hinc dum faber rotam ad aquam è puteo hauriendam adaptaret, manibus elapſa proximam Virginem tam valde læſit, ut ictu proſterneretur: quam faber attonitus ſic ſpectabat, ut eam ſublevare non auderet: inopinatus F enim eventus illum pertubaverat. Tunc Virgo illæſa ſe ſubrigit: & cum eſſet ſanctiſſimi Patris noſtri Joſeph profeſtum, miraculo verſum eſt, ictu graviſſimo non fuiſſe peremptam.

CAPUT X.

Conditur XIV. Monaſterium Palentiæ.

Tereſia Toletum, indeque Valliſoletum pergit.

EX oppido Villæ novæ Toletum, inde Valliſoletum B. Virgo Tereſia diſceſſit. Quippe D. Alvarus de Mendoza Palentiæ Epiſcopus, in Urbe ſua Monaſterium expetierat, & iter per Urbes illas ad rem erat. Valliſoleti tamen morbo adeò gravi correpta eſt, ut quaſi proximæ morti ima- G go ſubierit. Cum verò convaleſcere cœpiſſet, acriter ad Palentinum opus ab aliis urgebatur: quod illa nonnullis de cauſis ægrè audiebat. Verùm re cum viris ſapientibus P. Balthaſare, ac Hieronymo de Ripalda Confeſſariis ſuis è Societate Jeſu communicata, & quod majus eſt, poſt ſacram ſynaxim die quadam ſic à Deo impulſa: Quid times? quando tibi defui? animo reſumpto rem aggredi decernit, nec adhuc firma valetudine Valliſoleto diſcedit.

Valliſoleto Palentiam commeat, ibique Monaſteriũ cõſtruit anno. 1580.4. Kal. Januarii.

Loco igitur è Canonico Reynoſo, quem per literas admonuerat, parato, eò profecta, poſtiridie feſti SS. Innocentium Monaſterium, cui S. Joſeph titulus inditus eſt, erexit: proximoque die Epiſcopus dedicationem gratulaturus eò venit: amplam eleemoſynam erogavit: & urbs tota mirum in modum gaviſa eſt. Gentis ingenium placuit, ut in dies ſingulos B. Tereſia, ob Monaſterium H erectum lætaretur uberius. Cœpit ex more domum propriam inquirere (nam primam conduxerat;) & cum opera navaretur, templum B. Mariæ de Via, cum continentibus domibus, locus idoneus videbatur: prætextis tamen difficultatibus, de alio agi cœptum eſt. Quod cum B. Virgo Tereſia ambigeret, an Deo acceptum eſſet, intùs verba hæc ſub ſacra Euchariſtia, audivit: Hæc (ſcilicet B. Mariæ Eccleſia) tibi expedit: multa quippe crimina in eo loco patrabantur, quæ Monaſterii ſanctitate erant expurganda: & cum hæſitaret, an verba Chriſti forent, audivit: Ego ſum. Quo demum oraculo conquievit, & ſecundi loci curam depoſuit. Templo ergo Beatiſſimæ Virginis de Via comparato, Epiſcopus Palentinus Valliſoleto ad celebritatem venit: frequentiſſima ſupplicatione totius Urbis, omniumque ſtatuum gratulatione Moniales illò deductæ ſunt: Sacramentum ritè locatum, & Monaſterium S. Joſeph, B. Mariæ de Via, duplici nomine appellatum eſt. Duxerat ſecum B. Virgo Tereſia Agnetem à Jeſu, Catharinam à Spiritu Sancto, Mariam à S. Bernardo, Jonnam à S. Franciſco; Salmantica tamen evocavit Eliſabetham à Jeſu, quam loco præpoſuit. Cum hæc agerentur, proprius Provincialis (de quo ſuperiùs dictum eſt) Compluti creatur. Accidit autem Palentiæ, ut nocte quadam B. Virgo Tereſia ſcriberet neſcio quid, tam à ſenſibus abſtracta, ut Monialis quædam in cellam ingreſſa, nec audita, proximè ſedens illam contemplaretur, geſtus perpenderet, ac obſtupeſceret: ſcriptionem quippe poſito calamo intermittebat: intima erumpebant ſuſpiria: è facie tamquam radii ſolis adeo ſplendidè emicabant, ut Moniali timorem incuterent: divina quippe ſenſa corporis quoque majeſtate repræſentabat. Opus hoc Palentinum, laboribus, & infeſtationibus immune, inter jucundiſſima recenſetur: ex quo multiplex ſanctitatis proventus relatus eſt.

Tereſię ambiguitas a Chriſto diſcuſſa.

A

Proprium Provincialem Excalceati Compluti eligũt

B

CAPUT XI.

Conditur XV. Monaſterium Numantiæ.

C

ANtequam Palentia excederet, literas Oxomenſis Epiſcopi B. Virgo Tereſia accipit, quibus monetur, velit Numantiæ Monaſterium extruere. Domina quippe Beatrix de Viamonte Vidua, & ſine liberis, locuples, id opus pium ardenter optabat. Erat is Epiſcopus Doctor Velazquez, qui ex ſacris confeſſionibus, cum eſſet Toleti Canonicus, B. Virginem Tereſiam amaverat. Placuit votum: & ſex Moniales, inter quas Catharina à Chriſto ſanctitate inſignis loco præfuit, à P. F. Nicolao a Jeſu Maria, Vicario Provinciali, viro integerrimo, eò deductæ, ac ſine controverſiis, in amplis ædibus collocatæ ſunt. 14. Junii 1581. primum ſacrum factum, & Monaſterium SS. Trinitatis nuncupatum eſt. Opere demum abſoluto, cum Anna à S. Bartholomæo fidiſſima ſocia Abulam diſcedit: ac obiter graviſſimis itineris aſperrimi moleſtiis afficitur.

Monaſteriũ Monialium xv. Numantiæ erigit.

D

CAPUT XII.

B. Virgo Tereſia Monaſterio Abulæ præeſt: & inde Granatam, ut XVI. condatur, mittit.

SUb initium Septembris, anno 1581. Beata Virgo Tereſia Abulam pervenit, & Moniales tantæ Matris cupidiſſimæ de illa in Monaſterii cura deligenda tam ſeriò egerunt, ut Maria à Chriſto, quæ tunc præerat, Virgini loco ceſſura, curæ ponendæ veniam à Provinciali impetraverit. Electa verò Beata Virgo Tereſia Monaſterio, quod tunc victus egeſtate laborabat, paſtum animorum, & corporum ſaluberrimum, uberrimumque providit. Nondum tres menſes exegerat, cum P. F. Joannes à Cruce, ille, qui è duobus primis candidatis ſummoperè placuerat, cum equis, & modeſto apparatu, ut B. Virginem Tereſiam Granatam duceret, acceſſit: primum quippe illius Regni Monaſterium ejus auctoritatem requirere videbatur. At cum anteverſo tempore decretum fuiſſet, ut Burgos potius, ad opus ſimile peteret, Annam à Jeſu, ut præeſſet, duaſque alias Moniales ejus comites, Mariam à Chriſto, quæ Abulenſis Monaſterii curam paulò ante depoſuerat, & Antoniam à Spiritu Sancto in Apoſtoli Andreæ profeſto, ſui vice mittit. Quæ à D. Anna de Pennaroſa (cujus rogatu opus illud inſtitutum, & donis auctum fuit) liberaliter exceptæ, Monaſterium condunt: quod feliciter à Deo proſperatur. Unum hîc ſilere nefas ſit: Granatenſis Archiepiſcopus annonæ caritate deterritus vehementer obſtiterat, ne Monaſterium ex mendicato alendum in ea victus anguſtia Granatæ conderetur. At ejus domum, præter naturæ ordinem, inſperatum fulmen tetigit, eoque timore corripuit, ut divinæ correptioni parens, deinceps non modò non contradixerit, ſed ex animo eleemoſynas erogaverit. Monaſterio præfuit Anna à Jeſu, quod inter alia à B. Virgine Tereſia recenſitum non eſt, quod necdum opus eſſet abſolutum, cum ex hac vita migravit.

E

Tereſia Abulam venit Monaſterioque S. Joſeph præficitur.

F

Granatam mittit ad Monaſteriũ erigendum, & erigitur an. 1582.

QuidGranatenſi Archiepiſcopo acciderit?

G

CAPUT XIII.

Conditur XVII. & ultimum Monaſterium Burgis.

ADventante B. Virginis Tereſiæ obitu, ut animus ille cumulatiſſima gloria fruiturus, eò per ſummos labores pertingeret, quò ab æterno fuerat deſtinatus, de Urbis Burgorum profectione à Chriſto admonetur, & ad opus animatur: familiare quippe fuit, quoties pericula obeunda erant, animum illum grandem præmonere. Cum ergo ante dies multos cum Archiepiſcopo Burgenſi, D. Chriſtophoro Vela de hoc propoſito actum eſſet, B. Virgo Tereſia Abulæ agens, per D. Catharinam de Toloſſa, Urbis venia (ubi plurimum difficultatis inerat) obtenta, per literas urgetur. Grave

H

De Monaſterio Burgis erigẽdo agitur an. 1582.

propoſitum viſum eſt: moleſtiſſimis enim morbis angebatur, & frigus aſperrimum, quo præſertim infeſtabatur, ſæviebat: quamobrem aliam, quæ ſcilicet Monaſterio Palentino præſidebat, ſufficere cogitabat.

Chriſtus, quid de hoc Monaſterio Tereſiæ loquutus?

A

Audit tamen à Chriſto: Ne frigus expaveſcas: ego quippe ſum verus calor: dæmon, quoad poteſt, enititur ne Monaſterium Burgenſe condatur; è contrario tu pro me vires tuas exere: tu ipſa omnino proficiſcere: magnus enim inde proventus exiſtet. Verbis facta fidem aſtruxerunt. Poſt modicum tempus à Catharina de Toloſſa, ut feſtinet, per literas incitatur; & unà cum ſocia Anna à S. Bartholomæo, & duabus aliis Alba evocatis, poſtridiè feſti Circumciſionis, anno 1582. Abula diſcedit, Palentiamque tranſiens, ut ſtatim liquebit, alias inde ſeligit, atque ita octo demum Moniales ſecum ducit: & ſub cuſtodia P. F. Hieronymi à Matre Dei Provincialis, & duorum Patrum Burgos iter inſtituit.

Tereſia Burgos cõmeat.

Ab ipſo itineris exordio imbres, nix, inclementiſſimum cœlum B. Virginem Tereſiam tunc paralyſi ægram obruerunt.

B

Medinam, & inde Valliſoletum pertigit, ubi morbo vehementer ingraveſcente, Medici ſubitum diſceſſum perſuadent, aliter proficiſci non valituram. Palentiam ergo properè commeat: ubi frequentiſſimus populus, famâ Virginis excitus, ſibi ab ea benedici cupiens, illam ita circumfluit, ut vix è curru deſcendere valuerit. In Monaſterio verò ſuo à ſacris Virginibus cum Hymno (Te Deum laudamus) ex more letiſſimè excipitur.

Palentiam venit.

Tempus exaſperatur, & iter acriter diſſuadetur. Homo præmittitur, qui viam exploret, à quo periculoſæ viæ nuntium triſtè refertur. At Chriſtus anxiæ Virgini ſic adeſt: Vos ipſæ potius viam carpere poteſtis: ne extimeſcas, ego vobis præſtò ero. Quibus illa verbis erecta, hominum opinione temerarium, Chriſti verò ſententia tutum iter arripuit.

Chriſti præcepto munita iter arripit.

C

Ripam fluminis, curru, qui luto defixus ſe loco movere nequibat, deſcendentes, pedeſtri itinere Moniales conficiunt. At dum clivum immitem poſtea B. Virgo Tereſia curru vecta conſcenderet, currus alterum, quo Moniales vehebantur, inclinatum, & ut ad imum fluvium è ſublimi loco præceps ferretur, penè cernit everſum. Ubi Juvenis quidam è comitibus accurrens manus rotis admovet, ac prodigioſè ſuſtinet: quas multi ſanè validi homines neutiquam ſiſtere potuiſſent. Ad hoſpitium omni ſolatio deſtitutum ventum eſt: & tamen ibi per aliquot dies demorari, rationi conſentaneum cenſebatur: mœſtiſſima quippe itineris reliqui nuntia terrebant.

D

Denique viæ duce conducto per ligneos pontes, quos dimidium circiter palmum aqua exceſſerat, flumen, multo cum diſcrimine, traiiciendum erat. Cum enim pontes nimis anguſti currum capere vix poſſent, modico lapſu per utrumlibet latus in flumen demergerentur. Virgines ergo illæ, ut diſcrimen obirent, ſacra ſe confeſſione communiunt: eis B. Virgo Tereſia benedicit: fidei Symbolum religioſè proferunt. Pia Mater nihil perturbata, immò hilaritatem vultu præferens, ſic hortatur: quale felicitatis genus à vobis, filiæ, poſſit majus expeti, quàm ſi detur hîc martyrium Dei gratia ſubire? At cunctamini; ego præibo: quod ſi mergar, ſummis precibus flagito in diverſorium revertamini.

A gravi periculo liberatur.

E

Aggreditur ergo generoſè periculum: & quaſi fluvius vim fidei perſenſiſſet, immunis pertranſiit, viam aliis tutiorem fecit. Singulare quidem præſentiſſimi Dei auxilium fide invictiſſima, internis motibus impetravit: & Virgines illas externis verbis erexit, tametſi ægrè loqui poſſet. Gerebat quippe linguam paralyſi vinctam. Sed cum in oppido propinquo ſacro interfuiſſet, & Euchariſtiam ſumpſiſſet, obligatam linguam, ut loqui poſſet, expedivit. Ipſo ergo die tot laboribus, periculiſque perfuncta (26. nempè Januarii) Burgos ingreſſa, celeberrimum Crucifixi Chriſti ſimulachrum, quod in ea Urbe colitur, antequàm quicquam attentaret, ſub ipſum acceſſum ſalutavit.

Burgos pervenit 7. Kal. Febr. 1582.

F

Sed inter morbos alios, fauces ita erant affectæ, ut ſine gravi dolore, nihil traiicere poſſet: & cum ea nocte, nimiùm madida propè ignem ſolito diutiùs ſediſſet, nocte proxima, vertigo moleſtiſſima, vomitus vehemens aſperiora faucium ulcera, ſic eam torſerunt, ut ſanguinem excrearet, proximoque die, lecto juxta feneſtram coaptato, cum exurgere nequiret, reſponſa redderet, ac negotia multa componeret. Urbs autem jacenti Virgini per aliquot deſignatos cives gratulata eſt.

CAPUT XIV.

Multa obſtant: denique Monaſterium conditur.

PRovincialis, ut rem urgeret, Archiepiſcopum convenit, à quo veniam impetrare nequivit: cauſatus eſt enim, noluiſſe ſe, cum Beatæ Virginis Tereſiæ propoſitum probavit, tam citò opus abſolvere: ſed eam dumtaxat in Urbem, ut omnia exploraret, venire.

G

Obſtacula multa.

Adit illa Archiepiſcopum, Monialibus intereà ſe ardenti cum oratione verberantibus, ſed nihil obtinet: licet enim amaretur, juſtis tamen de cauſis differebatur. Jam P. Provincialem laboris tædere cœperat, & penè diſcedere cogitabat: quod certè propoſitum, cum B. Virgini Tereſiæ moleſtum accideret, ſic Chriſtum ajentem audivit: Tereſia fortiter age. Quo illa oraculo roborata, P. Provinciali, qui adventante Quadrageſima Valliſoleti concionaturus erat, perſuadet, abeat, & eam Burgis ad promovendum opus relinquat.

P. Provincialis Valliſoletũ pergit.

H

Remanet in Xenodochii ſecretiori parte, multis difficultatibus ſuperatis, obtenta: multaque patitur. Exquiritur intereà domus, quam cum parùm laudaretur, Beata Virgo Tereſia viſit, & magnoperè probatam emit. Qua in re illud Urbs tota mi-

Scripta An. 1608.

Domus pro Monaſterio erigendo comparatur

rata eſt, quod cum de cœnobiis multis condendis ageretur, & domus illa à multis explorata, & improbata fuiſſet, uni B. Virgini Tereſiæ vili pretio emendam, & multis de cauſis opportunam Deus reſervaſſet. Sed cum carior æquo videretur, Chriſtus oranti Virgini ait: Num pecuniæ parcis? Quo illa reſponſo emptionis pactionem inivit, pretiumque vile ſatis fuiſſe dignovit. A Archiepiſcopus non vulgariter gaviſus, bis B. Virginem Tereſiam adiit, licet nollet veniam impertiri, donec eam ab Epiſcopo Palentino rogatus, locumque idoneum contemplatus indulſit: ac in hunc modum 9. Aprilis 1582. ritu ſolito, Monaſterium S. Joſeph erectum eſt.

Monaſteriũ XVII. & ultimũ a Tereſia erectum an. 1582.

Hoc ipſo die, cum Archiepiſcopus concionaretur, & exiſtimationis conceptæ, & pœnitudinis, ex anteacta Monaſterii procraſtinatione ſigna dedit. Cum verò jam Moniales requieviſſent, prodigium accidit. Exundaverat enim fluvius, & ipſo Aſcenſionis feſto Urbem pervaſerat: domus nutabant, ſacræ Virgines clauſtris excedebant, Beata Virgo Tereſia, ut loco recederet, B quod planus, & fluvio propinquior eſſet, admonita, Euchariſtiam in cubiculum altius efferri, neutiquam abire, ſed orationi vacare juſſit: nec aliquod ſenſit palantis fluvii nocumentum: quod ab Archiepiſcopo, & aliis ſanctitati B. Virginis Tereſiæ aſcriptum eſt. Præfecit Thomaſinam Baptiſtam Monaſterio: quòd virtutum laude reſplenduit.

M. Thomaſina Baptiſta Monaſterio pæficitur.

CAPUT XV.

Recedit Burgis: Albam venit: moritur.

POſtquam Monaſterium conditum B. Virgo Tereſia intuita eſt, Deum obnixè precari cœpit, qui domum dediſſet, victum quoque provideret: quod illa ante diſceſſum C cernere mallet. Cui hac de re cogitanti Chriſtus ait: Quid dubitas? jam loco proviſum eſt: abire potes. Quibus certè verbis intellexit, Deum Monaſterii curam ſingulari modo geſturum.

Burgis Palentiam venit, inde Metymnã.

Burgis ergo Palentiam, inde Medinam venit, unde Abulam, cujus Monaſterio præerat, pervenire parabat: verùm aliò conſilio agendum agnovit. Præſtolabatur quippe illam Medinæ P. F. Antonius à Jeſu, eam (quòd D. Maria Enriquez Albæ Dux id poſtulaſſet) propoſito mutato Albam deducturus. Nuntium hoc mœſtiſſimum accidit, quod Abulæ Monaſterium petere, utilius B. Virgo Tereſia cenſeret: at quæ uſque ad mortem obedientiam colere decreverat, ſtatim obtemperavit. D Vehitur curru graviter affecta, & prope oppidum (cui Penarada nomen eſt) deliquium patitur, quod comites omnes ad commiſerationem vehementer movit.

Variis morbis Tereſia affecta Albam cõmeat

Cum verò nihil eſculentum, præter paucas ficus, ſuppeteret, & Anna à S. Bartholomæo, id moleſtiſſimè ferret: Ne, inquit, mœreas filia: ficus hæ optimæ ſunt: inopes multi tantumdem victus non habebunt. Proximo quoque die in oppidulo quodam heſternam penuriam, braſſica cæpis mixta, morbis ejus adverſa compenſavit: pridieque feſti Apoſtoli Matthæi Albam tóta concuſſa, & penè diſſoluta veſperi pervenit. Joanna ergo a Spiritu Sancto, quæ Monaſterio præerat, unà cum Sacris Virginibus illis, ut ad quietem cubaret, enixè precantur: E quibus illa morem gerit, ajens: Adſit mihi Deus! laſſitudinem immodicam ſentio. Per annos viginti, numquam adeò maturè cubui. Surgit poſtridiè, domum perluſtrat, ſacro intereſt, Euchariſtiam ſumit, & his exercitiis, quibus more Seraphico fungebatur, alternè cadens, atque reſurgens, uſque ad feſtum S. Michaelis perduravit, quo poſt ſacrum, & Euchariſtiæ ſumptionem, ex fluxu ſanguinis languida, lecto decubuit.

Graviter decumbit, morti proxima filias adloquitur.

Triduo verò antequàm obiret, cum penè in oratione pernoctaſſet, manè jubet P. F. Antonium à Jeſu, cui confiteatur, acciri: qui (ut ab aliis auditum eſt) Virginem anxiè rogat, precetur Deum, ne tam citò è vita migret. Sed cauſatur illa, F mundo ſe jam minimè neceſſariam eſſe: Ex eoque tempore velut ſtatim profectura, cœpit Virgines prudentiſſimis, & ſaluberrimis conſiliis admonere. Pridie verò feſti S. Franciſci, Euchariſtiam veſperi poſtulavit, cum jam ingraveſcente ad interitum morbo, ſe in lecto loco movere nequiret. Interim autem, dum expectatiſſimum viaticum affertur, commiſſis manibus, dulciſſimis, ac poſtremis verbis, ſic Virgines illas affatur, & rogat: Filiæ meæ, ac dominæ (ſic enim ſenſit) per Dei amorem obſecro, in Regulæ, & Conſtitutionum obſervationem impensè admodùm incumbant, neque culpas hujus indignæ Monialis penſitent, ſed mihi potiùs ignoſcant. Quæ certè verba tenerrimo affectu producta A candidos animos vehementer commoverunt.

Sacra Communione reficitur.

Ubi verò in cellam inferri Euchariſtia velatum eum, quem tam ardenter cupiebat, intuita eſt: licet velut paralytica jaceret, ſine ullius adminiculo, ſe confeſtim ita validè erexit, ut ne in terram ſe provolveret, ab aliis detineri oportuerit. Amor quippe ardentiſſimus præſenti paſtu incitatus invaluit. Extemplò facies ſolito pulchrior flagrare, & ſui venerationem excitare, vegetior illa, natuque minor, quàm eſſet apparere, junctiſque manibus animi fervore ac lætitia ſumma, candidiſſimus ille cygnus, ſub mortem, dulciùs quàm anteà canere, re, ac divina ſenſa prodere cœpit.

Ejus erga Eucariſtiã affectus.

Inter alia verò, quibus ſaxa liqueſcerent, ſic ajebat: H O Domine, ô Sponſe mi, acceſſit tandem tempus optatum: æquum eſt jam te videam. Tempus eſt, mi Domine, ex hac vita migrem. Fiat obſecro juxta placitum tuum: venit demùm hora, quâ hoc exilio eripiar, & te fruar, quem tam ardenter expetivi. Immenſas gratias agebat, quod eam in Eccleſiæ (ut ajebat) filiam adoptaſſet, quod frequenter miro cum ſenſu repetebat, ajens: Sum certè, Domine, Ecclecleſiæ filia. Peccatorum veniam impenſiſſimè precabatur: ob Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti merita, ſalutem ſe ſperare aſſerebat: & ut id obtineret, aſtantium preces enixè poſtulabat. Cum verò Virgines illæ inſtarent, aliquid eis ſupremo quaſi teſtamento faciendum præſcriberet: nihil niſi quàm diximus Regulæ, & Conſtitutionum obſervationem, & Superiorum obedientiam expreſſit. Sed cum jam penè interiret, alta cum demiſſione illa verba uſurpabat: Ne proiicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. At dimidium verſum illum: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, ſingulari ſenſu, donec animam efflavit, repetere non deſtitit. Unctionis jam extremæ, ad mortis agonem, Sacramentum popoſcit, ac reverenter admodum precibus reſpondens excepit. Cum verò liniretur, quòd filia eſſet Eccleſiæ, iterum gratias, mitiſſimo corde rependit. Noctem illam ſummis doloribus afflictam peregit: proximoque die, Chriſti Crucifixi effigiem manu tenens (quam donec ut ſepeliretur, ablata eſt, non depoſuit) in latus incubuit eo habitu, quo B. Magdalenæ imago exprimi conſuevit: eoque poſitu, vultu flagrante, orans perſeveravit immota. Contemplabatur illam attentiſſimè Monialis quædam; ſigna enim animi cum Chriſto agentis, & admirantis, & ex oſtenſorum magnitudine ſtupentis exhibebat: & ita ſuſpenſa uſque ad tertiam noctis horam permanſit, ipſaque die, quæ Octobris quarta eſt, anno 1582. ætatis ſuæ anno 68. animam illam nive candidiorem exhalavit.

A

Monita filiabus ſuis relicta.

Sacramentū Extremæ Uuctionis petit, ac recipit.

B

Moritur Albæ.

CAPUT XVI.

Cadaveris obſervatio: Sepultura: Viſa.

Remanſit Virginis corpus planè pulcherrimum, tenſa cute, cum jam illam ſenectus contraxiſſet, alabaſtritis more candidum, ut Spiritus Sancti ſacrarium, & ſapientiæ arcam decebat. Odorem ſacrum, mirificum, aliis odoramentis abſimilem, non modò corpus, ſed veſtes, & panniculi, quibus ægra utebatur, tam vehementer efflarunt, ut feneſtras, ne capita læderentur, aperire oportuerit: quod non adeo mirum videri debet, cum adhuc vivens (quod teſtes locupletes affirmant) ejuſmodi odorem effunderet. Corpus ambiêre ſacræ Virgines, quà poterant, Parentem ſuaviſſimam comitantes: è quibus una quæ olfactum amiſerat, & odoris expers mœrebat, dum pedes oſcularetur, ſenſum læta recuperavit. Eodem actu, alterius, quæ capitis, ac unius oculi dolore graviter laborabat, morbus evanuit. Alia per annos quatuor, capitis dolore tam vehementer affecta, ut ambulans manum oculis identidem imponeret, velut exultantes illos cohibitura, ſtatim ac obiit, manus B. Virginis Tereſiæ capiti, & oculis admovit, & è veſtigio perfectè convaluit. Proximo die, pro illius oppidi captu, virgineum corpus ſolemni ritu ſepulchro conditum fuit. Multa verò fœliciſſimum exitum præſagia protenderant: Moniales quippe plures, cœleſtia lumina ſæpe ſupra Templi tectum, in choro, ac prope B. Virginis Tereſiæ cellam, intuitæ, aliquid magnum inſtare dictitabant. Ut verò alia ſileamus, reticendum non eſt, Virginem quamdam ſanctitate conſpicuam, puncto obitus ipſo audiſſe ſtrepitum ingentem plurimorum, qui candidis veſtibus amicti, feſtiviſſimè Beatæ Virginis Tereſiæ cellam ingreſſi, obeunctis lectum ambierunt. Martyres quippe illi decies milleni, quorum feſtum Beata Virgo Tereſia religioſiſſimè celebravit, polliciti fuerant, hora obitus ſe accurſuros, & eam in cœleſtem aulam deducturos. Alia verò, ipſo mortis momento, albam quaſi columbulam ex ore Virginis prodeuntem, vidit: alia lucem cryſtallo ſimilem juxta cellæ feneſtram intuita eſt: nec de B. Virginis Tereſiæ meritis aut teſtium veracitate cordatis viris ulla ſuſpicio ſuboriri potuit.

C

Cadaver, qualis poſt mortem?

Miracula in filiabus ſuis operata.

D

Sanctū Ccrpus Sepulturę mandatur.

E

Moniales quædam, quid viderint in morte D. Tereſiæ?

F

* * *

LIBER IV.

CAPUT I.

Dotes nativæ B. Virginis Tereſiæ à Jeſu.

Erat B. Virgini Tereſiæ ſtatura mediocris; forma elegans, membra obeſa, & benè pacta, facies pulchra, candida, ad proportionem in orbem ducta. Capillus niger, criſpus, frons lata, æqualis, cilia ex flavo nigreſcentia, ſpiſſa, lata, non valdè in arcum flexa, oculi nigri, aliquantum extantes, non grandes, ſed ad proportionem magni, hilares, naſus parvus, non multùm ad medium extans, in ſimum deſinens, aliquantùm introsùm pronus, nares in arcum ductæ, ac ſtrictæ, os ad mediocritatem patens, labium ſuperius tenue, ac rectà tenſum, inferius modice extrorsùm devexum: color gratus, dentes candidi, & concinni, mentum ad faciem aptè compoſitum, aures mediocres, collum latum, breve, manus breves, ad proportionem formoſæ, digiti ſenſim graciliores, tres in facie ſiniſtra nævi, unus ſub naſum, & os, tertius ſubtùs os. Erat actione venuſtiſſima, & omnia corda decore, ac lepore mulcebat. Sanè quod de Angelorum perfectione Theologi tradidere, pro naturalis perfectionis modo, fuiſſe divina gratia donatos, in hoc B. Virginis Tereſiæ exemplari, quodam modo proximis capitibus perſpicietur. Sed naturalia perſequamur. Mentem excelſam, ingenium perſpicax, animum grandibus natum ſortita eſt. Quidquid autem laudis natura parere poteſt, hîc, ſi uſpiam, metam attigiſſe videtur:

D. Tereſiæ corporalis pulchritudo deſcribitur.

G

H

Ejus mens & ingeniū

tur: nihil enim, Philoſophi verbis, quàm virtute clariores, de naturalibus umquam virtutibus tradidere, quod hic non inſigniter eluceſcat. Prudentia, ut rerum modos excogitaret, negotia expediret: Juſtitia, ut ſingulis quod ſuum erat, majoribus venerationem, equalibus comitatem, minoribus lenitatem redderet: nihil arduum: ex gravitatis defectu, prætermitteret: A temperantia, ut ubique modeſtiſſimè ageret, corpus animo ſubjugaret: fortitudo, ut excelſa aggrederetur, magnanimiter abſolveret. In his quatuor naturalium virtutum cardinibus, quiquid natura parit, convertitur. At B. Virgo Tereſia ad earum perfectionum verticem pertigiſſe videtur: quod ex rerum geſtarum obſervatione, non obſcurè deprehenditur.

Cardinales ejus virtutes.

Cum ergo tot dotibus eximiis polleret, ſic ſe erga ſingulos gerebat, ut cum eſſet opus, Principibus magnitudinem, protervis ſeveritatem, mitibus facilitatem miram, rebus, & occaſionibus attemperatam redderet. Hinc non ſolùm aliorum animis ſui amorem ingenerabat, B ſed reverentiam, & timorem incutiebat, eò præſertim celebrata, quod cum à viris Illuſtriſſimis, ſeu graviſſimis improbaretur, excelsè illos conveniens, primo congreſſu in ſuam ſententiam perducebat. Verùm iis, quæ naturam ſuperant, dotes naturæ cedant æquum eſt.

Ejus ſe attemperandi modus.

CAPUT II.

C

Gradus, per quos in orationis ſublimitatem aſcendit.

AB hoc prorſus in capite ſermonis origo petenda eſt: orationis enim ſtudio heroicas virtutes peperit, ac provexit. Ponendum tamen, his in rebus, quæ naturam excedunt, ſermonis parcitate peccandum eſſe. Scriptores quippe antiqui quædam cogitationum ſuarum ſimulachra ſcriptis expreſſerunt, dum Rempub. ut Plato; Urbem, & fœlicitatem, ut Ariſtoteles; hominem ſapientem, ut Stoici; oratorem, ut Tullius, deſcribere conati, nitore verborum non res veras, ſed imagines, & commenta pinxerunt. At cum de D Sanctorum virtutibus agitur, omnis verborum apparatus, balbuties quædam eſt, quod ad ſenſa divina exprimenda omnis univerſorum Oratorum eloquentia ſit planè rudis infantiæ: quod unius Virginis Tereſiæ celſitudo convincet.

Ejus heroicæ virtues, unde?

Primus ergo præceptor, quo ad orationem uſa eſt, ſub profeſſionem in Monaſterio mitigato emiſſam, fuit tertium Oſſunæ Abecedarium, quod ſummè placuit. Jam verò donum lachrymarum, pro anteacta ariditate divinitus ei collatum fuerat: & ita poſt menſes paucos cum adhuc tenella foret, orationem, quam vocant quietis, & Unionis interdum attigit, tametſi tantum bonum tunc ipſa non internoſceret, quemadmodum libro primo, cap. 7. à nobis indicatum eſt. Sic tamen afficiebatur, ut mundum univerſum proculcare ſibi videretur.

Lachrymarum dono inſignita.

Modus orandi hic erat: Chriſtum, quoad poterat, præſentem imaginatione verſabat, & inde incaleſcere nitebatur: frequentiſſimum tamen exercitium, lectio pia orationi permixta erat: cum nec ſatis Chriſti effigiem imaginatione componere, nec intellectu diſcurrere poſſet. E Sic annos decem ac ſeptem exegit, moleſtiſſima ariditate, ac cogitationum improbitate vexata. Intra verò horum annorum periodum, anno uno, ſtudium orationis, humilitatis ſpecie deluſa intermiſit: cum enim virtutes tunc non adeò perfectè coleret, cum Deo familiariter verſari, non decere videbatur: quo quidem errato graviter læſa fuit. Repetivit ergo cæleſti dono, ſtudium orandi, & imagine Chriſti concepta, eos potiſſimùm paſſionis angores incubuit, unde proventus exiſtebat uberior: proptereaque horti ſudorem creberrimè recolens, ea cogitatione F cubitum ire per annos multos in conſuetudinem duxit.

Quomodo in ariditate ſe geſſerit?

cap. 7. Vitæ

Optabat ſiccare ſudorem, ſed ſuccurrentibus peccatis, territa refugiebat, & varios inde affectus, qui orationis ſeminaria fuere, ſubibat. Campi prata, flores, fluvii ſatis proderant, ut animum excitaret: cæleſtia verò, vel alia, quæ minimè cernebat, cogitare non poterat. Chriſti formam (quantumvis de illius pulchritudine multa legeret, audiret, egregias imagines cerneret) imaginatione repræſentare nequibat: ſed velut in caliginoſo loco cum aliquo, quem noſſet, videre tamen non valeret, patienter agebat: proptereaque imaginibus deditiſſima erat ſi forte Chriſtum concipere poſſet. Internos guſtus numquam G (niſi ſemel cum areſceret) poſtulavit, aut expetivit: tunc verò in ſe reverſa vehementer erubuit, ipſaque verecundia, quod poſtularat, accepit.

Orationis ejus incentiva.

Per hoc tempus (licet poſteà frequentius) dum imaginem Chriſti conciperet, ſubibat ex improviſo ſenſus præſentiæ Dei, adeò mirus, & efficax, ut videretur ſibi dubitare non poſſe, quin Deus intra ipſam, & ipſa Deo immerſa maneret. Non erat viſum: ſed animi ſuſpenſio, qua extra ſe agebatur: voluntas ardebat, memoria vacabat, intellectus ſtupebat: Deus enim, ut obſtupeſceret, lumen infundebat, quo intelligeret, ſe nihil ex iis, quæ obiiciebantur, intelligere. Quo verò ſe accuratius comparabat, eo majora capiebat.

Certiſſima Dei præſentia.

Cœpit ergo Clementiſſimus Deus orationem quietis crebrò, unionis verò interdum, ineffabili cum voluptate, ac ſecuritate indulgere. Poſt hæc cum de Confeſſarii conſilio, corpus macerare, Chriſti paſſionem meditari, guſtibus repugnare H conaretur, quò validius reluctabatur, eò majora gaudia percipiebat. Cum verò per duos circiter menſes, hæc præſtitiſſet, à P. Franciſco Borgia Societatis Jeſu Generali rerum divinarum peritiſſimo, ne Deo reniteretur, ſed à Chriſti paſſione orationem auſpicaretur: ſi verò ſe altiùs

Quies, & Unio gradus contemplationis ſunt.

Scripta An. 1608. Ecſtaſim patitur.

A

Chriſti Jeſu Sponſi ſui conſuetudine fulta & roborata.

Spirituale Matrimonium cum Sponſo ſuo.

B

Orationis ejus ſublimitas.

C

Proprium numquam placitũ ſequuta.

D

tius efferri cerneret, ſe attolli ſineret, admonita, ſtatim ecſtaſi multiplici corripi, & Chriſti verba cœpit audire, quibus mirifice profecit. Mirabili poſtmodum Chriſti conſuetudine fruita eſt: Chriſtum quippe ſibi propinquum, loquentem, individuè cum ipſa verſantem, incedentem, licet neque oculis externis, neque internis eum videret, ſentiebat; quo plurimum promota eſt. Poſt modicum, viſionibus imaginariis, quibus Chriſtus ſe illi amantiſſime ſpectandum ſenſim exhibebat illuſtrata, & incredibili ejus pulchritudine capta fuit. Viſio hæc duobus annis frequens, poſtmodum ſubtracta eſt, ut altiora, hoc eſt, vehementiſſimos amoris impetus, quibus paulò minus interibat, & alia viſa ſublimiora pararet: de quibus in poſtremis ſuæ vitæ capitibus egit. Hæc Chriſti præſentia (immenſo dono) ſanctiſſimæ Trinitatis excelſiſſima præſentia (ut ipſa ſcripto prodidit) permutata eſt. Et demum oratione prorſus divina (quam ipſa ſpirituale matrimonium in ultimis manſionibus appellat) donata, tot tantiſque gaudiis affluxit, ut ſicut Apoſtolo, ne revelationum magnitudine extolleretur, ſtimulus carnis; ita ipſi capitis dolor moleſtiſſimus, (ut ajebat) ne tam immenſe oblectaretur, fuerit immiſſus. De ſublimitate autem orationis illius proculdubiò angelicæ, ad quam B. Virgo Tereſia provecta fuit, velle dicere, nimis operoſum, & ab hiſtorici compendii brevitate foret alienum. Frequentiſſima mentis ſuſpenſio, altiſſima quies, arctiſſima unio, creberrimi raptus, intima charitatis vulnera, vehementiſſimi amoris impetus, ſuaviſſima Dei colloquia, tenerrima blandimenta, quibus ejus ſcripta reſperſa ſunt, quamvis è plurimis pauca, & ea imperio coacta digeſſerit, abſolutiſſimam orationis perfectionem, & peritiam ad alios erudiendos cælitus infuſam facilè demonſtrant: ut non immeritò à Theologis graviſſimis aſſertum ſit, potuiſſe B. Virginem Tereſiam illam ſapientiam docere, eo pacto, quo nobiliores Theologi Theologiam in Academiis ſuggeſtis prælegere ſolent. Illud autem ſtudioſiſſimè cavit, ne propriam ſententiam, aliorum, à quibus judicium ferendum erat, opinionibus anteferret: immò (quod mirum dictu eſt, & ex hiſtoria patere poteſt) quoties quid agendum erat, celans viſa divina, quibus Dei placitum cognoverat, Confeſſarios, quos ſemper doctrina, & ſanctitate inſignes habuit, rebus ſyncere propoſitis, conſulebat, ut quid fieri deberet, communi Scripturæ, ac Sanctorum Patrum doctrina, præſcriberent. Nullum verò ætatis ſuæ virum rerum divinarum egregie conſultum prætermiſit, à quo judicari, itineribus ea de cauſa ſuſceptis, non curaret: ut nulla dæmonis impoſtura ſubeſſet.

CAPUT III.

Spiritus Prophetiæ.

E

Prophetiæ ſpiritus.

F

Quid audierit de Ordine ſuo?

G

Regni Luſitani & Galliarũ mala impendentia vidit.

H

Quid fratri ſuo futuri docta ſcripſerit?

AMicorum eſt arcana communicare conſilia: quapropter ubi animus B. Virginis Tereſiæ ad ſtrictiſſimam Dei amicitiam evectus eſt, innumera, & abditiſſima Dei ſecreta, multiplici raptu cognovit. Cum verò omnia, quæ à naturali cognitione diſſita Deus revelat, ex Theologorum conſenſione, ad ſpiritum prophetiæ pertineant (quod omnium apertiſſime Gregorius magnus expreſſit) & mentis divinæ particeps Virgo, ſummæ Trinitatis, Chriſti humanitatis, Sanctorum, qui jam beatitudine potiuntur, animarum quæ igne purgatorio expiantur, ac dæmonum ipſorum per crebras revelationes, multa, quæ nulla perſpicacitate naturali percipi poſſunt, divinitus affecta didicerit, quod ejus ſcripta diſertiſſime oſtendunt; efficitur certe, illuſtri prophetiæ ſpiritu fuiſſe donatam. Quod verò ad eam prophetiæ partem, quæ futura, ſeu recenter facta proſpicit, ſpectat: multis prædictionibus innotuit. Cum quidam ejus affinis ſubitanea morte interiiſſet, ſororem ſuam D. Mariam de Cepeda, eodem modo obituram per viſum edocta, illam revelatione ſuppreſſa, ut inculpate viveret, admonuit, & ad Sacramentorum frequentiam induxit. Rem exitus probavit, ſic enim correpta fuit, ut confiteri nequiret. Cum verò aliquando coram Sacramento impenſiùs oraret, Sanctus quidam è Carmelitarum Ordine apparens, librum prægrandem, quem ferebat, aperuit, à quo B. Virgo Tereſia monita hæc verba eleganter ſcripta legit: florebit futuris ætatibus ordo hic, & Martyres multos habebit. Annos viginti, priuſquam Regis Sebaſtiani morte, & exercitus clade Luſitania plecteretur, Beata Virgo Tereſia Angelum diſtricto, & cruento enſe illi regno minantem vidit: Angelum quoque alterum ſimili ſpecie adverſus Galliam intuita eſt, qui regni exitium portendebat. Annos quatuor, antequam Diſcalceatorum Carmelitarum vexatio ingrueret, mare fluctuum æſtu perturbatum vidit: & quod olim Ægyptiis Iſraelem inſectantibus, idem Congregationis vexatoribus eventurum agnovit. Auguſtinus de Ahumada B. Virginis Tereſiæ frater, oppidi cujuſdam apud Indos occidentales Prætor, accepit literas, quibus Virgo illum acerrime monebat, exiret confeſtim ex oppido illo, niſi mallet animæ ſimul, ac corporis jacturam pati. Quibus ille monitis, velut oraculo divino extemplo acquieſcens diſcedit, tametſi decies millenos aureos, per annos ſingulos Prætura refunderet, & ecce intra dies paucos, hoſtes oppidum invadunt, & novum Prætorem, ac oppidanos omnes interficiunt. Cum P. F. Didacus Ivagnez Dominicanus per centum milliaria, ab eo loco

Scripta An. 1608.

loco ubi B. Virgo Tereſia tunc agebat, diſſitus obiiſſet; accepta per viſum mortis notitia, ſtatim illa rem, ac circumſtantias æquè ac ſi affuiſſet, P. F. Garciæ de Toleto ſimiliter Dominicano, qui ei erat à ſacris confeſſionibus, aperuit. Diſquiſivit ille poſtmodum omnia: & propheticum viſum planè veriſſimum admiratus eſt. Pauciſſima hæc è plurimis excerpta, quaſi teſtes prophetiæ ſunt: Nam quæ in hoc genere contigerunt numero, vel pondere nemo poſſet æquare.

A

CAPUT IV.

Libri ſapientia pleni.

OPortebat ſanè animum ſapientia divitem orbi terrarum hac tempeſtate denſis ignorationis tenebris occæcato lucem afferre. Quod ſapientiſſima Virgo Tereſia ſic præſtitit, ut ejus exiſtimationem ſcriptorum fide conſtantem dignè perpendere difficillimum certè, ſed minimè neceſſarium ſit: quandoquidem tot ſcriptorum teſtes, quot lectores nacta eſt: quos innumeros, & graviſſimos eſſe conſtat. Hîc ſcripta dumtaxat recenſebimus. Præter multa, quæ prælo commiſſa non ſunt, quinque libros, non ſua, ſed Confeſſariorum ſententia, cui tanquam divinæ parebat, elaboravit. Primus nihil eſt aliud, quàm ab ineunte ætate uſque ad Abulenſis Monaſterii inſtitutionem, quidam vitæ diſcurſus, affectionibus divinis, quas patiebatur, refertus, quem ſcripſit, ut P. F. Garciæ de Toleto Ordinis Sancti Dominici obtemperaret, ipſo, quo Monaſterium condidit anno 1562. & ejuſdem anni menſe Junio illum ſine diſtinctione capitum abſolvit: poſtmodum verò in capita diviſit, & Monaſterii erectionem, ut modo legitur, adiecit. Qua in re illud ſanè mirum accidit, quod eodem, quo ſcribebat, ordine orationis gradus exercebat: ut ſi exempli gratia de orationis quiete agendum eſſet, ea tunc quiete frueretur, quo certe cæleſti dono unumquemque orationis gradum exactè deſcribere potuit. Secundus liber, quem Iter perfectionis inſcripſit, eſt quem præcipiente P. F. Dominico Bannes, cui tunc confitebatur, eodem quo vitæ librum, anno perfecit. Tertius eſt, qui de aliorum Monaſteriorum fundatione à Medinenſi uſque ad Burgenſe agit: quem juſſu Confeſſarii P. Hieronymi Ripaldæ è Societate Jeſu, anno 1573. Salmanticæ incepit. Quartus (vulgo inſcriptus Caſtellum interius, ſive Manſiones) quem Trinitatis feſto, anno 1577. ex mandato Doctoris Velazquez Confeſſarii, Epiſcopi poſtea Oxomenſis, & denique Archiepiſcopi Compoſtellani, & Toleti incepit, & profeſto S. Andreæ, eodem anno Abulæ abſolvit. Hunc dum conderet, tanto Dei ſenſu affluxit, ut per dies ferè duodecim, ne notam unam exarare potuerit, unde capitis imbecillitas extrema prodivit. Quintus Cantici Salomonis explanatio fuit, ut nonnullis, quibus (quemadmodum ait ipſa) parere debebat, obtemperaret: ex quo fragmentum dumtaxat unum remanſit: ſicut enim obedientiæ virtus ad ſcribendum adegerat, ita ad ſcripta diſcerpenda permovit: quod fuit Confeſſarii cujuſdam non valde ſapientis præceptum. Libros hos, inter negocia gravia morbos, labores, ita conſcripſit, ut in ſententiarum inventione nihil fere operæ collocaret: mox enim ac operi manum admovebat, uberrimè (quod ipſa ſæpe notavit) rerum copia fluebat, labor penè ſola ſcriptione coſtabat. Laudatur ſermo caſtus, non comptus, gravis, lepidus, efficax. Admirationem excitat rerum ſublimitas, quam ne Theologi multi, niſi affectionum divinarum conſulti, aſſequi poſſunt. Doctores hac ætate celeberrimi myſticarum paſſionum facilem, ac leniter decurrentem explanationem adeo obſtupeſcunt, ut rarum ſapientiæ genus eis videatur, quæ de myſtica Theologia Patres obſcurè, ac ſparſim tradiderunt, à Virgine una in methodum tam perſpicuè, atqe concinnè fuiſſe redactum. Quod verò ad doctrinæ ſoliditatem pertinet, nihil non Theologicum tametſi ſcholaſtico more prematur, exprompſit, ut è libri primi capite primo perſpici poteſt. Vita B. Virginis Tereſiæ, & Manſiones doctrina cæleſti, multis experimentis comparata, ad res internas dignoſcendas affluunt; licet, quæ de ſe in vita deſcribenda luculentiùs profert, alio conſilio in Manſionibus in metodum redacta, & in commune propoſita, ac longiore quindecim annorum experentia, probata, tradiderit. Iter perfectionis familiarius eſt, quod juxta inſcriptionem, viam perfectionis parandæ liquidò demonſtrat, dum orationis ſtudium cum virtutum cultura conciliat. Mira ſunt ſanè, quæ ſuaviſſimo magiſterio B. Virgo Tereſia digeſſit: quæ animo demiſſo, ut proſint, legenda ſunt: ſed quantopere tam pia lectio, jam orbe toto Chriſtiano, in varia idiomata verſa profuerit, multa in ſingulis urbibus argumenta convincunt.

B

Tereſiæ Opera Cæleſti ſapientia referta, quæ?

C

Primum Opus.

Secndũ Iter perfectionis

Tertius fundationes.

Quartũ manſiones.

D

Quintum Cantici Salomonis explanatio, cujus fragmētum tantũmodo exſtat & cur?

E

Hæc opera quando ſcripta?

Stylus, qualis?

F

G

Tereſiæ Opera quomodo legēda?

CAPUT V.

Examen ſpiritus B. Virginis Tereſiæ.

NUllus umquam Theologicæ laureæ candidatus tam acre in florentiſſimis Academiis ſubiit examen, ac Beata Virgo Tereſia: quæ contra hominum mores, non modò examen non refugiebat, ſed ſtatim, ac apud aliquem virum opinione celebrem ſe malè audire noverat, eum avidè conveniebat. Cum enim prudentiſſima eſſet, ac dæmonis laqueos vitare ſeriò cuperet, à nemine majus lucrum, quàm à malè opinantibus expectabat: hos enim quæ ſentirent ex animo dicturos, nihil blandituros, animadvertebat.

Doctiſſimorum hominũ Examen læta ſubibat

H

Pro-

Scripta An. 1608.

Cenſores ſpiritus D. Parentis Tereſiæ. Dominicani

A

Jeſuitæ.

S. Petrus de Alcantara.

B

D. Parens Tereſia quos cenſores exquirebat?

Prolixum foret, facta pericula ſingulatim percenſere: Cenſores producemus, quos libri primi capite primo, in agmine uno recenſuimus. Ex Ordine S. Dominici P. F. Vincentius Varron, P. F. Didacus Chiaves, P. F. Bartholomæus de Medina primæ Theologorum cathedræ Rector, P. F. Joannes Salinas, P. F. Lunàr, P. F. Didacus Ivagnes, P. F. Dominicus Bannes, quem meminimus. E Societate Jeſu P. Franciſcus Borgia ejuſdem Societatis Generalis, & ſanctitatis fama celeberrimus, P. Aroz, P. Aegidius Gonzalez, P. Balthaſar Alvarez, P. Salazar, P. Paulus Hernandez Gutierrez. Ex Ordine S. Franciſci unus pro plurimis, P. F. Petrus de Alcantara prædicti Ordinis inſtaurator, vir ſanctitate, & vitæ auſteritate clariſſimus: ex clero unus pro plurimis, P. Mag. Avila, vir planè Apoſtolicus, & à diſcretione ſpirituum laudatiſſimus. Hi omnes (ut alios prætereamus) Viri doctrina, & prudentia clari, ex quibus nonnulli ætatis noſtræ lumina ſplendidiſſima fuere, ſpiritum B. Virginis Tereſiæ per annos multos explorarunt: aliqui priùs adverſarii facto periculo, propugnatores evaſerunt: penè omnes ſacras ejus confeſſiones audierunt: plures ejus ſcripta perluſtrarunt: omnes ejus ſanctitatem obſtupuerunt. His teſtibus evincitur, nihil animo illi grandi niſi magnum ſatisfeciſſe: non enim vulgares aliquos, aut mediocriter doctos, ſed quàm acerrimos poſſet exquirebat.

CAPUT VI.

Fides B. Virginis.

C

D. Parentis Tereſiæ finis in Monaſteriis cōdendis.

D

Sponte ſua cenſoribus ſeſe offert.

Scripta inquiſitoribus examinanda mittit.

E

POſtquam Orationem communem virtutum parentem ex parte tetigimus: ad prolem virtutum, quarum baſis fides eſt, accedamus. Nunquam, ut à cœleſti prærogativa ducamus initium, tentamenta fidei adverſa perpeſſa eſt: dono quippe Dei in hoc genere firmiſſima perſtitit: quod aliquando ſignificavit. Sed profectò fidei argumentum eſt, ſcopus ille, in quem ſua Monaſteria collimavit, ut ſcilicet pro incremento fidei precibus, & piis operibus incumberetur: quod mulieris inventum, virorum propoſita ſuperavit. Catholicas veritates tam ſeriò amplectebatur, ut pro quavis earum (ut ipſa dixit) millies mortem oppeteret. Ajebat ſapienter, illas ſe tantò firmiùs credere, quantò minus intelligeret: de ſublimitate verò rerum internarum ita cenſebat, ſi fortè quid fidei minùs conſonum accideret; ſe non alio judice indigere, ut eas improbaret. Se filiam Eccleſiæ quaſi fide genitam (ut ſub ejus obitum ſuperiùs expreſſum eſt) impenſiſſimè gaudebat: minimos ritus, imagines, reliquias religioſiſſimè coluit. Adeoque fidei ſtudium excrevit, ut ſponte ſua Patres fidei cenſores adiret, ut de rebus ejus periculum facerent, quod peculiariter præſtitit, cum D. Franciſcus Soto Salazar è Senatu Inquiſitionis Albam veniſſet: à quo tamen monita eſt, res ſuas omnes fide niti, nec eas eſſe, quæ ad Inquiſitorum Tribunal pertinerent. Quin etiam ſcripta ſua per P. F. Dominicum Bannes Patribus Inquiſitoribus explorandа miſit, quæ diu apud D. Gaſparem Quirogam Cardinalem, & Senatus Inquiſitionis præſidem, aſſervata, & laudata recepit. Profectò credi nequit, animum de fidei integritate tam anxium, ut criticos non accerſitus adiret, ulla fidei laude carere: hoc enim ipſo, fide ſtabiliſſima ſe fulciri convincit. Sed dilata in caput decimum Spei, ſive fiduciæ expenſione, ad amorem accedamus.

CAPUT VII.

Amor Dei.

Fides fundamentum ſpei.

F

Ardentiſſimus Dei amor.

G

D. Parens Tereſia amoris impetu interempta.

H

Cor ei ab Angelo trāſfixum.

CUm fides, Apoſtolo teſte, ſit ſpei fundamentum, ubi fides ſtatu perfectæ virtutis tam fuit adulta, ſpem ſane grandem extitiſſe credendum eſt. Verùm ea in tractatum magnanimitatis rejecta, de amore dicamus. At dici nequit, quanta fuerit ejus vis: etſi quid efferatur, cum ſcriptis ab ea amoris argumentis comparari nequibit. Profectò ſi amori opera fidem conciliant, tot, tanta, tam ſublimia opera in ſolam Dei gloriam directa, immenſum amorem perſuadeant neceſſe eſt. Interibat certè, quod interire non poſſet, ut optatiſſima Dei præſentia, ſine hujus exilii nebulis, frueretur. Amantiſſimè conquerebatur, & mortem impotenter flagitabat, faſſa, velle ſe hoc poſtulare, peterent alii, quod mallent. Multiplex impetus amoris, ac doloris ſenſus erumpebat: cujuſmodi fuit ille, quo Salmanticæ intermori cœpit, cum Virgines ejus filiæ amatorium quiddam de Chriſto canere, feſtiviſſimo die cœpiſſent. Tunc enim velut jaculo trajecta eſt, eoque modo, quo ſumma in raptibus lætitia, ſic ibi ſummus ex abſentia dolor invaluit, & frigente, ac penè diſſoluto corpore, vita propemodum intercepta eſt. Nullum tempus excepit, quo ab amore feriaretur: neque enim uſitato alii ferè omnibus exercitio, paucas, & ſtatas orationis horas ſibi præfixerat, ſed univerſas contemplationi, & divinæ pulchritudinis amori, perpetuo jure, dicaverat, quod animi validiſſimè amantis argumentum eſt. Crebrò ſic afficiebatur, ut paulò minùs, præ decoris immortalis deſiderio animam efflaret. Et quidem (ut verè creditur) efflaſſet, niſi opportunis raptibus clementiſſimus Deus ſui copiam illi feciſſet, ut anima vulneribus amoris ſaucia requieſceret. Petebat tunc domus angulos, quoad fieri poteſt, ſecretos, & extra ſe acta interdùm inventa, vehementer animos illo ſpectaculo captos ad pietatem urgebat. Profectò Angelus ille flagrantiſſimus, qui ſpiculo aureo cor, viſceraque trajecit (quod libro primo deſcriptum eſt) ægræ amore Virgini, remedium ſimul, & irri-

Scripta An. 1608.

A

Clavo a Chriſto deſponſata.

B

Perarduum votum, ab ea emiſſum.

C

irritamentum fuit: quemadmodum, & viſum illud, quo Chriſtus ſe illi ſpectandum exhibens, dexteramque manum illi porrigens, ſic eam affatus eſt: Inſpice clavum hunc, quo ſignificatur fore te impoſterum ſponſam meam, quod hucuſque promerita non es. Poſt hæc ergo honoris mei curam geres, non modò quia Creator, Rex, ac Deus tuus, ſed quia ſponſus quoque tuus ſum: Deinceps quippe honor meus tuus erit, tuuſque reciproca ratione meus. Quæ certè ſuaviſſima verba amorem ſeraphicum excitarunt. Illud præterea ſpectaculum amorem vehementem auxit: cum Chriſtus manu dextera è ſiniſtræ vulnere clavum, diſcerptamque carnem illi adhærentem extrhaens, ne dubitaret ſe exauditam perſuaſit. His, & aliis amoris ſtimulis tanto divini nominis deſiderio æſtuabat, ut ſi quem famulatui Dei vidiſſet idoneum, nihil non moveret, ut ereptum ſæculo, divinis rebus addiceret. Nihil acerbius mentem ſubire poterat, quàm culparum imago, ne forte amoris legem violaſſet: invaluitque adeò anxietas hæc, ut eam Clementiſſimus Deus, non levibus argumentis excuſſerit. Lepidiſſimè dictitare ſolebat, benè ſe accepturam, quod alii gloriæ ſublimitate ipſi antecellerent: at neſcire ſe, quo animo afficienda eſſet, ſi alii ardentiùs amarent. Omnis hominum convictus, eſca, potus, ſomnus, negotia, & quidquid extra Deum eſt, illam uni Deo vacare cupientem dirè torquebant. Sed inter univerſa Virginis geſta, maximum, quod in alia nulla Sanctorum hiſtoria legiſſe meminimus, fuit votum, quo promiſit ſe non grata modò, ſed quæ Deo gratiora crederet, effecturam. Votum quippe hoc Angelicum, & uſque ad ſtuporem planè mirum, niſi ab animo, divini amoris flammis excocto, & in Deum perenniter rapto edi non potuit. Morbi, labores, operaque multiplicia, ſoli Deo placendi ſtudiò peracta, nihil aliud, quàm totidem divini amoris argumenta ſunt. Grandia denique magnus amor cogitabat, & adminiſtrabat: quæ quod ineffabilia ſint, ſatius eſt ſilentio venerari, quàm malè diſſerere.

CAPUT VIII.

Amor proximi.

D

Amoris illius erga proximū effectus.

E

Amor erga inimicos.

F

Amoris erga proximū ſingularis exemplum.

CHaritas Virginem Monaſterio expulit, ut ſalutem proximorum, quos perire cernebat, ſollicitè procuraret: eoque ſtudio ſic efferbuit, ut viris ſapientibus concionatoribus, prælectoribus, ſcriptoribus dotes illas inculpatiſſimè invideret: optabat quippe Apoſtolicas functiones obire, ut univerſarum animarum lucra contraheret. Plurimos ad res divinas exemplo, & hortatu, graviſſimos præſertim Patres, Petrum Ivagnez, & Vincentium Varronem perduxit: quorum progreſſionem demirata eſt. Tot animas è purgatorio igne, ſuis precibus liberavit, ut (quod ipſa diſertè ait) ſi ſcriberentur, moleſtiam lectori generarent: corporibus autem ſanitatem, animis verò culparum veniam ſepiſſimè obtinuit. Ægrotis amantiſſimè aderat: & ſi quid modicum (quod frequenter accidebat) inter omnes dividendum ſuppeteret, tametſi valerent, aliis hilari vultu tribuebat; profeſſa aliis illud dare malle, quàm eo uti. Quos ſibi patiebatur infeſtos, ut ejus comites identidem viderunt, inſigni amore proſequebatur, & ſuaviſſimis verbis, non tam ne ipſi nocerent, quàm ut illis ipſa prodeſſet, placare ſtudebat. Fidem facit lenitas illa, cum Cœnobium Fratrum validè ipſi adverſantium prætergrediens, licet extra viam, illò divertit. Quod cum ab illis reſcitum eſſet, & ne unus quidem cum ea verba facere vellet, perſtitit lenis, & hilaris, ſinguloſque ſeorſum vocatos per integrum ferè diem alloquuta ſic flexit, ut cum veſperi recederet, hoſpitalitatem acephalam longo fine clauſuri, eam extra Cœnobium comitati, ſe diſceſſum ægrè ferre, ſolos remanere, ſanctitatem illam mirati, protulerint. At ea potiſſimùm charitas laude digna eſt, quæ aliis bona, ſibi mala conſciſcit. Ex quo genere fuit affectus ille, quo Sacerdotem turpiſſimis peccatis (ultra biennium) obnoxium, ſacra ſe confeſſione purgare uon audentem excepit: & obnixè pro illo deprecata, eò perduxit, ut ſe pœnitentiæ Sacramento expiaret. Cum verò ſcripſiſſet, graviſſimè ſe tentari, B. Virgo ea ſibi tentamenta, libertatem Sacerdoti à Deo precibus impetravit, & requievit ille, ipſa verò per menſem diriſsimè vexata fuit. Nihil animus charitate fecundiſsimus prætermiſit, quod ad omnes partes amoris explendas ullo modo conduceret.

G

CAPUT IX.

Cultus Euchariſtiæ, & Sanctorum.

Frequens Euchariſtiæ ſumptio.

H

DUM Monaſteria conderet, id quod vires inſtaurabat, & ad itinera, & mala quævis perferenda Beatam Virginem Tereſiam acuebat, Euchariſtiæ potiſsimùm cultus erat: fore ſcilicet ædes ſacras plures, ubi Chriſtus Sacramento velatus coleretur. Ab ineunte propoſito auſterioris vitæ, in ipſo Incarnationis Monaſterio, quotidie pane illo cœleſtiali conſuevit: & ad lautum Dei convivium, ne cum venialis culpæ conſcientia, quam non prius pœnitentiæ Sacramento repurgaſſet, umquam acceſſit: cujus exemplo, frequentior panis Euchariſtici ſumptio in morem inducta eſt. Sæpe ſolo acceſſu Euchariſtiam perceptura, vexationes animi, corporiſque dolores expunxit. Per annos verò triginta, Dominica Palmarum, Chriſtum à feris Judæis ad prandium non invitatum, & Bethaniam redire coactum miſerata, Euchariſtiam ea mente ſumpſerat, quaſi ad convivium Chriſtum excepiſſet: quod tam illi

fuit

Scripta An. 1608.

Favor cæleſtis in Dominica Palmarum.

Poſt Euchariſtiæ ſumptionem ecſtaſim patitur.

fuit acceptum, ut anno trigeſimo, ſumpto Sacramento, nec trajecto, ſuſpenſa remanſerit, ac in ſe reverſa os plenum ſanguine, faciem, corpuſque conſperſum habere, incredibili cum oblectamento, ſibi viſa fuerit. Cui tunc Chriſtus: Volo, filia, ſanguis meus tibi proſit: ne timeas, me tibi defuturum: ego ſummo cum dolore ſanguinem profudi, tu illo ſumma cum ſuavitate perfrueris, ut experiris. Convivium, quod hac die mihi paraſti, bene tibi repenſo. Crebrò admodùm in eo cœleſti paſtu extra ſe ferebatur, & fructum inde copioſiſſimum referebat. Profectò poſt annos ferè quinque, quibus in Abulenſi Monaſterio demorata eſt, poſt Euchariſtiam ſumptam, computatis diebus, majori ex parte, ecſtaſim pati conſuevit: nec à feneſtella, per quam cœleſtis panis porrigebatur, ſe frequenter movere poterat, donec inde ab aliis averteretur: & quod omnes vehementius commovit, die quodam, qui ſanctiſſimo P. noſtro Joſeph ſacer erat, cum poſt Sacramenti ſumptionem in choro eſſet, à terra palmos duos, aut tres extolli viſa eſt. Toleti verò, cum Euchariſtia recepta, ſtaret immobilis, Monialis quædam, quid ageret ignara, illam conatu quàm poterat maximo, ut ſederet, loco movere, manuſque marmoris inſtar ſtupentes contrectare nixa eſt: ſed incaſſum luctata eſt, donec B. Virgo Tereſia à raptu evigilavit. Sed nimis prolixum eſſet affectiones à ſacra ſynaxi ſubeuntes recenſere. Mirabatur impensè Majeſtatem modico Sacramento incluſam: unde affectum reverentiæ religioſiſſimum concipiebat. Hinc Sacerdotum veneratio mira, ut cum Malagonum ingreſſa in media oppidi platea, Sacerdotis junioris benedictionem genibus flexis poſtulavit: hinc ornatus templorum, & altaris mundiſſimus, & pro ſtatus modo pretioſus: hinc ut Sacramentum frequentaretur, inſtitutio: hinc denique, quidquid religionis eò conferens potuit excogitare, ortum eſt. Sanctos ſtudioſiſſimè coluit: quorum hic cathalogus, eodem ordine ſubjectus, quem ipſa digeſſerat: Sanctus Joſeph, Sanctus Albertus, S. Cyrillus, omnes ordinis Sancti, omnes Angeli, peculariter Cuſtos, Patriarchæ, S. Maria Magdalena, decem millia Martyrum, S. Joannes Baptiſta, S. Joannes Evangeliſta, S. Petrus, S. Paulus, S. Auguſtinus, S. Dominicus, S. Hjeronymus, S. Rex David, S. Franciſcus, S. Andreas, S. Bartholomæus, S. Job, S. Gregorius, S. Clara, S. Maria Ægyptiaca, S. Catharina Senenſis, S. Catharina Martyr, S. Stephanus, S. Hilarion, S. Sebaſtianus, S. Urſula, S. Anna, S. Eliſabetha Hungariæ, Sanctus menſtruæ ſortis, S. Angelus.

Mira Sacerdotum veneratio.

Cathalogus hic ab aliis hiſtoricis aliter diſponitur: ſed in re ipſa ſumma conſenſio eſt.

S. Dominici adparitio, & adloquutio.

Beatiſſima Virgo, ut Sanctorum Regina, in cathalogo inferiore ſcribenda non fuit. Horum ergo Sanctorum cultui deditiſſima, & apparitionibus ſæpe recreata fuit: quod uno è multis patebit exemplo. Cum Abulam Segobia eſſet diſceſſura, cœnobium PP. Dominicanorum inviſit: ubi ſacellum auguſtiſſimum eſt, in quo clariſſimus ille Sanctus ſe miris modis exercuit, multumque ſanguinem fudit. Eò ingreſſa juxta altare oratura procubuit, à ſiniſtroque latere S. Dominicus apparuit. Sed revocata tunc à P. F. Didaco Ivagnez ei confitetur, ſacro intereſt, Euchariſtiam ſumit, & iterum ſuſpenſa eumdem Sanctum ad lævam intuetur. Rogat cur ad lævam? Reſpondet ille: Dexter locus meo Domino debetur. Reſpexit mox B. Virgo Tereſia à dextera Chriſtum, mediaque honore ampliſſimo remanſit. Sed Chriſtus poſt modicum receſſit ajens: feſtiviter age cum amico meo, qua venia per horas fere duas Illuſtriſſ. Patriarcha cum Virgine verba fecit: quæ in eo ſacello præſtitiſſet, quæ dona cæleſtia recepiſſet, aperuit: manumque illius in amicitiæ fœdus tenuit, & opem ad Congregationis promotionem pollicitus eſt. Verùm ad virtutes alias feſtinemus.

CAPUT X.

Fiducia, & Magnanimitas.

D. Parentis Tereſiæ fiducia mirabilis.

QUàm generosè ſperavit (hoc enim eſt fidere) tam luculenter, quæ tribus libris ſunt digeſta demonſtrant, ut argumentis extrinſecus affixis opus non ſit. Mulierem quippe ſeptam, ægram, ſolam, compeditam, tentatam, deriſam, inopem, ſic audere, ac propoſitum quod animo conceperat, contra totius orbis impetum, fœliciter ſucceſſurum ſibi perſuadere, res nova, fides nova eſt: cui benè poſſit acclamari; O mulier, magna eſt fides tua. Cœpit grandia, & mundi opinione deſperanda, & in ipſis Monaſteriorum initiis Abulæ præſertim, Medinæ, ac Hiſpali, cum vix paucos obolos haberet, opera, quæ multis millibus conſtarent aggreſſa, nec unde, aut quo pacto illa corraderet meditata, omnia ſibi de Chriſti ærario immobili fide promiſit, & abſolvit. Nulla illam adverſitas fregit, nihil niſi culpam timuit, & ut encomio Abrahæ digna in ſpem contra ſpem credidit: cum enim primores multarum Urbium Patres graviſſimi, amici, conſanguinei obſtarent, cum tartarus ſæviret, & ipſe quoque Deus ad examen fidei illam repelleret, ſemper quæ ſtatuerat evaſura confidit. Magnanimitas illius ingenii proculdubiò grandis, multis in eventibus enituit. Cum enim ejus virtutis laus in eo poſita ſit, ut mediocria non curet, & magna in quovis opere virtutum quarumlibet exquirat; per ſe quidem patet, Beatam Virginem Tereſiam animi magnitudine claruiſſe, cum nihil mediocre, nedum parvum, ſed omnia magna deſignarit. Quid enim grandius, quàm ab ineunte ætate puellulam domo paterna excedere, ut occaſionem Martyrii, quam cupiebat, exquireret? adoleſcentem clam invito patre, domo diſcedere? privatam Monialem, pri-

Scrip. An. 1608.

mi Monaſterii modicam auſteritatem ſibi ſatis non eſſe decernere? majora ibi auſpicari? Apoſtololico more ſemper ad ulteriora tendere? inde prodire? cœpto grandi, priſcorum Sanctorum diſciplina reſtituere, tueri, ac denique perficere. Cum adverſitates ingruerent, puta cum cœpta illa ſua Patrum Carmelitarum fervor propemo- A dùm evertit, tantum abeſt, ut quod mulieribus familiariſſimum eſt, fleret, aut imbecillitatis ſigna ederet, ut invicto animo alios potiùs erigeret, ac ſolaretur. Cum itinerum diſcrimina imminerent, ut cum Burgos, contra univerſorum prudentum vota, per medias nives, paludes, fluminum exundationes petivit, qua fide, ac magnanimitate polleret, facilè patuit. Abula Medinam contendens nox denſiſſima ad fluminis ripam incubuit, præſenſque periculum itineris comites adeo terruit, ut fluvium traiicere non audentes attoniti hærerent. Tunc illa, non expedit, ait, hîc ſub dio maneamus: traiicite. Deumque orate. Mox autem ipſa periculum aggreſſa eſt: B ſtatimque quaſi fax quædam aliquantum diſſita præire, ac prælucere viſa eſt, donec omnes incolumes tranſierunt: nullum quippe diſcrimen expavit. Optimates quidam aliquando comminati ſunt B. Virgini Tereſiæ ſe minimè fauturos, niſi eorum neſcio quibus optatis morem gereret. Reſpondit excelsè: ſi quid ab ea impetrare vellent, id potius facturos, ut oſtenderent culpam eſſe, non eis aſſentire: aliter ſe nihil metuere. Magnanimitatis certè argumentum fuit graviſſimos viros, apud quos male audiit, fidenter, ac frequenter adire, nec ullam cenſuram expaveſcere. Sed cum elogium hoc imperfectum relinquere, aut omnes vitæ B. Virginis Tereſiæ actus per C currere neceſſe ſit, ad alia tranſeamus.

Præſertim quum Burgos peteret eluxit.

Magnanimũ reſponſum Optimatibus datum.

CAPUT XI.

Humilitas.

Humilitas, ejus origo, & ſedes.

AD capita duo, interius nempè ac exterius, quidquid ad hujus virtutis cultum ſpectat, redigemus. Habet autem ſedem in affectu, originem in intellectu, propriam vilitatem agnoſcente, ne animus in altiora, quàm deceat, efferatur. Quàm verò ſublimiter in propriis culpis expendendis, ac exaggerandis ſe B. Virgo Tereſia exercuerit, ex ejus ſcriptis tam facilè conſtat, ut timendum ſit, ne tam aliis gravia videantur, quàm ipſi, quæ illa libentiùs quàm divina viſa diſſeruit, & evulgari optavit, ac petiit. Nihil ei moleſtiùs, quàm D ſe magnifieri cernere: quamobrem Abula, ubi colebatur, excedere, & alio, ubi neſciretur, Monaſterio recondi, quin & inter laicas, aliarum obſequiis deſtinatas recenſeri exoptavit. Contigit aliquando, ut immoraretur in loco, ubi modicam de ſe exiſtimationem eſſe perſpexit, quod ſingulari lætitia perfuſa Confeſſario cuidam ſuo per literas teſtata eſt: dicereque ſolebat, mirari ſe, quo pacto, ſi quid efficeret, aut diceret, ei ab aliis fides haberetur: tam indigna enim fide ſibi viſa eſt, cum tamen divino lumine ſplenderet. Divinas affectiones accuratiſſimè celabat, & ne ab aliis cerneretur, raptibus publicè ſubeuntibus, qui aliquando corpus è terra ſublevabant, valide reluctabatur: tametſi ſæpe fruſtra ni- E teretur. Si quid fortaſſe laude dignum de ſe inopina dixiſſet, artificiosè verba interpretabatur, ut aliud longè diverſum cogitaretur. Cum Hiſpali multa de Beata Virgine Tereſia falſa evulgarentur, grates, inquit, ago Deo, quia Urbs hæc me bene novit, alibi enim minimè agnoſcor. Sed rem teſtatiſſimam externis indicibus probemus. Mos illi erat alias minùs provectas ſententiam rogare, officii divini dubia puællis proponere, viliora obſequia frequenter obire, ſcopas, ſportas alacriter exercere, ſi aſperiùs locuta fuiſſet, veniam precari, iis quæ Monaſteriis præerant, inſigniter deferre, loco cedere, venientibus aſſurgere, in cœnaculo ſe proſternere, culpas publi- F cè proferre, nullam, dum admoneretur, excuſationem prætexere. Corripuit illam aliquando ſuperior quidam, cur pateretur ſe fundatricem appellari: reſpondit eam ipſe appellationem interdiceret, ipſa quippe non magis titulum animadverterat, quàm ſi Tereſia nuncupata fuiſſet. Die verò quadam, cum Moniales prandérent, ritu quadrupedis lapidibus onuſta, fune collum obligata (aliis interdum ſub oneribus) in cœnaculum ingreſſa, culpas multa cum animi demiſſione, quaſi recenter induta, & gravium criminum accuſanda, deprompſit: ſed hujuſmodi actus enumerare nimis operoſum eſſet. Miro caput hoc aſſerto claudamus. Inter laudes multiplices, & opera honore digniſſima numquam inanis gloriæ vanitate tacta fuit: neque umquam hujus G generis culpam, à qua ſe ſacra confeſſione expiaret, quod ipſa animadverteret, admiſit.

D. Parentis Terſiæ humilitas.

Vilioribus obſequiis dedita.

Inanis gloriæ mumquam vanitate tacta.

CAPUT XII.

Patientia.

Patientia in morbis ferendis.

AB infantia graviſſimis morbis fuit obnoxia, è quibus nonnulli intercalati, alii ad obitum uſque perennes, morbus comitialis, iliacus, iſchias, tremores, vomitus, febris: adeò, ut quinquennio antequam obiret, ſe per annos 40. diem nullum à dolore feriatum duxiſſe affirmarit: quæ omnia patientiſſimè pertulit. Pro condendis Monaſteriis incommoda innumera, fa- H mes, ſitis, pluvia, nix, inopia, vigiliæ, labores improbi, laſſitudo, tædia, & ejus generis alia conſtantiſſimè exhauſta ſubierunt. Sævierunt hominum repulſæ, inſectationes, detractiones, importunitas, in quibus pectus adamante fortius exhibuit, ut latius prioribus libris oſtenſum eſt. Cum ex

In detractionibus.

more

Scripta An. 1608.

A

In Dæmonū variis inſultibus ei inlatis.

B

Patientiæ invictæ exemplū Pueblæ dedit.

C

D

Aliud exēplū in quodam itinere

more, facta impenſè oratione alicujus animæ ſalutem impetraverat, dæmon rabiem effrænem in eam regerebat, ut cum erepta quadam præda, victricem Virginem per horas quinque diriſſimè intus, & exterius excruciavit: quod illa quaſi puerum Æthiopem, poſt eas horas, conſpicata cognovit. Abulæ cum die quadam, lucernulam ferens, in chorum ſe conferret, è ſumma ſcala à dæmone devoluta, brachio perrupto, ut oſſa comminuerentur, acerrimum, ac diuturnum dolorem, mirabili planè (ultra quàm dici poſſit) patientia toleravit. Multa honoris decrementa lætiſſima fronte ſuſcepit. Cum iter ageret in oppido quodam (cui Puebla nomen eſt) ſacrificio interfutura, templum ingreſſa Euchariſtiam ſumpſit: multi verò eam mulierem parum honeſtam, neſcio unde, ſuſpicati, eò inſaniæ proruperunt, ut diceret, eam capi expedire. Ut verò Sacramentum ſumpſiſſe conſpexerunt, vehementer commoti acceſſere, ſciſcitantes, qua fronte Euchariſtiam ſuſcipere auſa fuiſſet? comminatique ſunt antequam inde abire ſineretur, explorandum cujuſmodi mulier eſſet. Templum interea, ob feſtum, quod tunc agebatur, frequentiſſimum, intermiſſa feſti cura, murmure quodam vehementer fervere cœpit. Hæc dum imminerent, Beata Virgo Tereſia ſummopere gaviſa, nihil omninò pro ſe reſpondit: neque enim Chriſtus dum accuſaretur, quidquam pro ſe cauſatus eſt. Æſtuabat autem celebritas animis, & oculis in eam intentis: & niſi P. Antonius à Jeſu ea regione notus tunc apparuiſſet, & gentem ſedare curaſſet, acrior impetus dubiò procul ingrueret: furentem tamen populum ea conditione placavit, ut mitteretur, qui mulierem comitatus exploraret, quò illa contenderet. Multa indigniſſimè populus effutiit, quæ audire animus horrebat; quæ tamen B. Virgo Tereſia mitiſſimo animo, hilari vultu ſic excepit, ut diceret, nihil ab ea Deo in hoc murmure offerri poſſe, quod nihil moleſtiæ inferretur. Cum verò ejus ſocia Eliſabetha à Jeſu, puriſſimi candoris illius conſcia, ſe probra illa nimis contumelioſa ferre non poſſe diceret; hilari vultu B. Virgo Tereſia reſpondit: filia certò ſcias, noſtris auribus harmoniam ſuaviorem inſonare non poſſe: ut enim verum fatear, populus non abs re ſic opinatur, & quandoquidem ictibus parcit, quid mirum, ſi verba facit? Cum ex oppido Paſtranæ, curru à Principe Ebuli commodato, Toletum B. Virgo Tereſia vecta fuiſſet, Sacerdos quidam, qui amentia laborabat, eam in hunc modum aggreſſus eſt: Tu ne es illa ſanctitate clara, quæ curru veheris, & mundo imponis? quibus ſane verbis, alia quotquot libebat, adiecit. Illa verò neſciens amentem eſſe mitiſſimè audivit, nec aliquam excuſationem prætexuit. Poſtmodum ajebat, ab uno illo, ſed à nemine alio ſe vera accipiſſe: & quamvis hominem captum mente reſciſſet, admonitione illius ſic uſa eſt, ut in poſterum oblatos à Principibus currus reſpueret, communia plauſtra requireret. Cæterùm non mundus tantum, & dæmones, ſed ipſe quoque Deus multis ictibus pectus illud exercuit: nam per annos viginti duos ariditate moleſtiſſima Virginem plexit. Verùm eventus notatu digniſſimos, quibus patientia reſplenduit, fruſtra conamus exprimere, cum & numero, & magnitudine excreverint.

Per annos viginti duos ariditate probata.

E

CAPUT XIII.

Corporis caſtigatio, ſeu pœnitentia.

Mortificatio corporis aſſidua.

F

Subucula ex rudiori panno.

G

Obedientia mortificatione excelſior.

H

QUamdiù per morborum intermiſſionem licuit, præter victum parciſſimum, lectum duriorem, veſtes admodum rudes, ſe totam auſterè nimis exercuit. Verberibus tremendis, flagello ferreo in id coaptato, virginea membra ſæpe caſtigavit. Jejuniis, vigiliis, perpetua vini abſtinentia corpus innoxium afflixit. Cilicio aſperrimo corpus paralyticum, & ſenio quoque confectum torſit, quod animus audire horret: Spinis interdum ſe pervolutavit, ne quid in corpore puriſſimo incruentum extaret. Vulnera verberum computreſcebant, & novis ictibus, ut recrudeſcerent, illa proſcindebat. Et cum totius vitæ decurſu graviter ægrotaret, quaſi acerrimi dolores, & morbi non ſatis corpus caſtigarent, ſummo mærore conficiebatur, quod acriùs carnem plectere nequiret: Confeſſarii quippe id interdixerunt. Cum Abulæ Monaſterio condito, Virgines illæ mira æmulatione fervent, duæ ex illis, quæ Pium V. Pont. Max. ſanctitate laudatiſſimum, pro ſubucula, rudiore panno uſum fuiſſe acceperant, à B. Virgine Tereſia ſimilem veſtem expoſcunt: quod illa ſe primùm experiri velle reſpondens, ſic præſtitit, ut Monaſterium totum in eam imitationem allexerit. Sed primam illius experimenti die ſubiit timor, ne pediculis ſcaterent, & propterea ſupplicationem à Choro ad B. Virginis Tereſiæ cellam ducunt. Supervenit illa, & bono animo eſſe jubet, animalia illa eas non infeſtatura: quod exitus comprobavit: ab eo quippe die nihil ejus generis in veſtibus inventum eſt. Oportuit autem tunicas illas Confeſſariorum, Medicorumque præcepto poſteà deponere, quòd omnes ægrotarent. Torquebatur B. Virgo Tereſia animoſa valde, quod per Confeſſarios aſperrimè ſe vexare non liceret, & cogitationes erumpebant, foret ne ſatiùs, in hac re non obtemperare: ſed adeſt Chriſtus, & ſic eam affatur: Abſit ò filia: rectam tutamque viam carpis: pluris obedientiam hanc, quàm pœnitentiam facio. Inſtitit quoad potuit: ſed parendum fuit. Verùm hîc credendum non eſt, lectorem aliquem fore tam rudem, qui animi ægritudines, & corporis morbos infeſtiſſimos, ſeveriorem, quàm ultrò acceptam, caſtigationem fuiſſe neſciat: quippe male affecta corpora, perenni quaſi tabe conſumuntur, & prolixo martyrio demum intereunt.

CAPUT XIV.

Paupertas.

A

D. Matris Tereſiæ Apoſtolica paupertas.

Ædificia ãpla abhorrebat.

B

NUllis verborum amplificationis Beatæ Virginis Tereſiæ Apoſtolica paupertas æquari poteſt: quod ex Monaſteriorum inſtitutione apertè perſpicitur. Quantum enim mercatores avari opibus, tantum illa lætabatur inopia, quod Abulæ, Toleti, Hiſpali, victu penè deſtituta luculenter oſtendit. Redditus exhorruit, & vix graviſſimorum Theologorum auctoritate ad eos alicubi admittendos flexa eſt. Veſtes obſoletas, & laceras affectavit: labori, ad victum conquirendum tam dedita fuit, ut cum ad clathrum negotia expediret, à labore, quoad res ferebat, minime deſiſteret. Ampla ædificia deteſtabatur, & rudes domos impensè amabat, ſcriptoque conſulebat: nam res maximi ponderis eſſe oraculo didicit. Obierat quippe clariſſimus ſanctitate P. F. Petrus de Alcantara, qui adhuc vivens B. Virgini Tereſiæ paupertatis cultum ſummoperè commendarat: & cum paries, quo Monaſterium claudebatur, tunc extrueretur, monuit per viſum, ne calcis tectorium induci permitteret. Cui illa, cùm citò ſine calcis cruſta ruiturum obiiceret, reſpondit ille graviter: Si corruerit, aderit qui reſtituat. Multis ex capitibus paupertatem laudabat: animos, ne timerent quid ſibi defuturum, acuebat.

CAPUT XV.

Obedientia.

C

Obedientia miraculoſe eximia.

D

Obedientię hujus generis, exemplum.

E

F

Exactiſſimè Confeſſariis obtemperat.

G

Votũ alterum coram P. Provinciali emiſſum.

DE obedientia illa, uſque ad miraculum eximia, nihil dignum efferri poteſt. Sic enim non ſolum Superiorum, verùm aliorum, quos gratis conſulebat, conſiliis paruit, ut viri ſapientes hic, ſi uſpiam, jure obſtupeſcant. Cum enim Monaſteria condere cœpiſſet, cum honoris, commoditatiſque jactura, levi Superiorum nutu, imperfectum opus corde ſedato, ſic depoſuit, quaſi ad nuptias vocaretur: ut Abulæ, cùm à S. Joſeph Monaſterio ad Incarnationis Monaſterium revocata fuit, ſatis oſtendit. Verùm illud planè divinum eſt, quod cum per cæleſtia viſa, de rebus edocta fuiſſet, ſic ſuperioribus arcano Dei conſilio, diversè opinantibus parebat, ac ſi nihil cælitus didiciſſet. Contulit aliquando cum P. F. Hieronymo à Matre Dei, Provinciali, qui Apoſtolicus Commiſſarius, ac Viſitator PP. Carmelitarum, tum Mitigatorum, tum Diſcalceatorum Bœticæ, & Caſtellæ recenter à Nuntio Apoſtolico creatus fuerat, eamque in oppido Veas propagationi novæ ſuæ reformationis intentam offenderat, de Caſtella repetenda, ut obiter Monaſterium Caravacæ conderet; injunxit verò Pater ille experiendi cupidus, oraret B. Virgo Tereſia, quid Deo foret acceptius, Madritum, ac proinde Caſtellam, an Hiſpalim, ac proinde Bœticam petere. Conſuluit oraculum, & accepit à Chriſto Madritum eſſe migrandum: P. Provincialis reſpondit, contrariam ſententiam potiùs ſibi probari, ac ob id confeſtim Hiſpalim abſcederet. E veſtigio B. Virgo Tereſia paruit; licet enim rei exitus à Deo illi revelatus fuiſſet, & eo diſceſſu juxta hominum conſilia, res malè ceſſura videretur, altiore prudentia ſiluit, & diſcedere ſe paravit. Exacto biduo, triduove, P. Provincialis Virginem rogat: Nonne dicebas tibi à Domino revelatum, Madritum peti debere? Reſpondit illa: dicebam ſanè, at eo viſu ſeduci potui, tibi verò Pater dum obedio, ſeduci non poſſum. Subjunxit ille: Rem expenderet, ac Deum oraret. Poſteroque die ſciſcitatur, quidnam à Deo accepiſſet? Subdit illa: idem certè quod priùs: ac rem pro voto eventuram, ea ipſa via, quam Superior probaſſet, non quæ ſibi viſa fuiſſet. Cæterùm quid mirum, ſi Prælatis cedat, quæ Confeſſariis electione, non voto præpoſitis exactiſſimè obtemperabat. Profectò illi, qui Cantici Salomonis explanationem diſcerpere juſſit, ubi juxta prudentiæ regulam repugnandum erat, dicto citiùs ſe ſubmiſit. Dicere ſolebat; pluris ſe facere unum Superioris, vel Confeſſarii verbum, quàm millenas revelationes: nec ob ullam mundi totius arduitatem, quæ ab illis injungerentur, ſe prætermiſſuram. Lætiſſimo Pentecoſtes die, cùm in receſſu meditaretur, quam Spiritui Sancto gratiam pro beneficio ſingulari, anteacto tempore ſibi eo die collato, referret; nihil ſe majus efficere poſſe rata eſt, quàm ſi Provinciali ſic ſe voto peculiari obſtringeret, ut ei nullam culpam, ſi quam committeret, occuleret: quod voti genus ſublimiſſimum eſt. Cogitatio verò illa terruit animum; omnis quippe libertas extingui videbatur, cum jam quicquid in mentem veniret, Provinciali illi neceſſariò aperiendum eſſet. At validè luctata, genua coram illo flexit, & fortiſſimè votum emiſit: qua victoria, quæ nimium arctanda videbatur, cor latiſſimum adepta eſt: mira enim poſt votum gaudia ſuccreverunt. Sed cùm totius vitæ opus obedientiæ cultus fuerit exactiſſimus, ad ulteriora procurramus.

CAPUT XVI.

Gratitudo.

H

HAC virtute mirum in modum reſplenduit. Non enim Deo tantùm, Prælatis, & Confeſſariis, quorum majora bona gratum animum generant; ſed ipſis Monialibus, à quibus modica obſequia reddebantur, tam ſe obnoxiam exſtimabat, ac ſi ſerva empta fuiſſet. Externis verò pro exiguis eleemoſynis intimum rependebat affe-

Scripta An. 1608.

Grati animi ejus argumenta.

affectum, quo in genere, quamvis tot ſcribi poſſent elogia, quot accepit beneficia, quæ inſigni gratitudine repenſabat, duo tamen breviter recenſenda. Unum, cum aliquando iter ageret, homo quidam urceum aquæ porrexit: cujus officii memoria tam fuit impreſſa, ut per annos mul- A tos, dum oraret, peculiariter illud recolere meminerit. Alterum, erat uni è Monaſteriis à ſacris confeſſionibus Sacerdos quidam, qui loco aliis de cauſis nocebat, & acriter adverſabatur. Monialis verò, quæ, præerat, B. Virginem Tereſiam monuit, ut eum loco cedere juberet. Reſpondit illa, per Deum obſecro, filia, ne de homine repellendo mecum agas, ſed ſileas, & patienter feras, quantumvis faſtidia generet: non enim ferre poſſum ingrati animi notam erga eos, à quibus beneficium collatum eſt. Memini autem hunc, cùm de domo quadam emenda ageretur, & venditores nobis imponere pararent, de dolo nos admonuiſſe. Exiguum ſanè verborum beneficium, operibus conpenſa- B vit. At & hujus, & aliarum virtutum exemplis, incuria eorum, qui B. Virginis Tereſiæ conſuetudine fruiti ſunt, penè innumeris caremus.

CAPUT XVII.

Prudentia.

Proprius prudentiæ actus, qualis?

Prudentiæ ejus argumenta permulta.

NON oporteret ſanè peculiares prudentiæ actus in medium proferre. Cum enim proprius hujus virtutis actus ſit præcipere, agendaque præſcribere: quis non ſtatim animadvertat, Virginem hanc, unam fuiſſe è numero lectiſſimo prudentum, quæ tam divinis preſcriptionibus Rempublicam ſuam adminiſtravit? Sic præfuit, ut animos non cogeret, ſed quò vel- C let, ſuaviſſimè duceret: cum enim ſe adeò amabilem exhiberet, cordibus primum, corporibus deindè dominabatur. Sic temporalia providit, ut non affluerent, nec, ſi poſſet, deeſſent: ſic auſteritatem temperavit, ut caſtigaret, non opprimeret. Culpas ſic oderat, ut perſonas amaret, & ſic reprehendere conſuevit, ut earum execrationem, non corripientis odium ingeneraret: quod lenitatis, & gravitatis temperie nacta eſt. Omnium ingenia explorabat, atra bile vexatis facilè parcebat. Ægrotantibus amantiſſimè aderat: verbis, & obſequiis opem ferebat. Mites, ac ſtudioſas Moniales tenerè diligebat: duriores imperio domabat. Ut præeſſent perſpicaces, prudentes, legum cuſtodiæ deditas optabat: nec ineptas gubernationi, per D modicum quoque tempus, ferendas ajebat; quod bonum commune brevi labefactarent. Decretis temporibus laborum intermiſſionem, ſed nullum perfectionis detrimentum permittebat. In iis, quæ admittendæ forent, non tam pium affectum, quàm intellectum benè diſpoſitum requirebat: cujus rationem à quodam viro doctiſſimo rogata, reſpondit, affectum intra clauſtrum acquiri, intellectum verò minimè; immò quæ modici captus eſſent, ad omnem virtutis cultum ineptas, & aliis etiam noxias eſſe: quæ certè ratio prudentia illa cæleſti digna videtur. Si quas di- E vinis affectionibus habebat inſignes, & univerſè omnes cum peritiſſimis Theologis conferre jubebat: ſemper enim doctrinam eximiam exquiſivit, & coluit. Sed prudentiæ infuſæ laude apertè celebratam, nemo eſt qui poſſit ignorare; cum de ſeriis negotiis paſſim conveniretur, & oracula cæleſtia ederet, quæ niſi divinitus edocta, numquam protuliſſet.

Prudentia inſignis.

Puellæ cuidam exacto jam anno ad profeſſionem admiſſæ, cras, inquit, profiteberis. Reſpondet illa: Expectabo matrem meam, ſi ita jubeas: cupiebat enim matrem eò venturam profeſſioni intereſſe: ſtatim ac verba hæc prompſit, ſubjunxit B. Virgo Tereſia: Profectò in Congregatione noſtra minimè profiteberis: nec ullo modo F obtineri potuit, ne illam repelleret. Diſceſſit, & ſic à febre intra paucos dies interiit. Aliam quamdam jam profeſſioni proximam, contra totius Monaſterii preces abjecit, nec, niſi cauſam cujuſdam corporalis notæ, quæ ſanè leviſſima erat, prætexere voluit. At conſilio divino id actum poſtmodum patuit: ne defuit, cui Deus id manifeſtaret. Simili quoque repulſa neptem ſuam quamdam, nullis Monialium, vel conſanguineorum precibus victa, rejecit. Erant in Monaſterio quodam Moniales duæ, orationis, & affectionum divinarum fama celebres, quæ niſi Euchariſtiam quotidie ſumerent, animam efflare videbantur: Confeſſariique non imperiti, Virginibus tàm graviter affectis quotidiano remedio ſuccurrendum cenſuerant. Sed res G eò proceſſit, ut niſi ſummo mane Euchariſtiam reciperent, viderentur interire. Monita de ea re B. Virgo Tereſia, quæ tunc aberat, obſtare decrevit: ſed ſiluit, donec eò veniret, & Confeſſariis, cur eis diſſentiret, rationem exponeret. Venit, & licet non omnes æquè verba caperent, ſeverè tamen præcepit Monialibus, ne ſic agerent, ajens: Ego quoque ſimilibus æſtuo deſideriis; & interdum abſtineo: quapropter omnino ſtatuatis aliarum more vos abſtenturas. Moriamur omnes: ſatius enim eſt mori, quàm ſingularem hunc morem obtrudere; cum ſint aliæ æquè Deum amantes, quibus idem agere libebit. Diem ergo illum mœſtiſſimè duxerunt: minùs graviter proximùm: tertium levius. Ac in hunc H modum ad communem, ac tutam viam reductæ ſunt: quod B. Virginis Tereſiæ prudentiæ vertendum eſt. Non immeritò hic annecti poteſt ſpirituum diſcretio, qua multorum laqueos diſſolvit. Homo quidam ruſticus, opinione aliorum ſanctus, de ſuis affectionibus Beatam Virginem Tereſiam convenit: ſeque cum Deo verba miſcere alia-

Scripta An. 1608.

A

Diſcretio ſpirituum.

B

aliaque ſublimia teſtatus eſt. Mox illa errorem deprehendit, & ejus Confeſſarium ſecreto monuit, ne illius nomen obſcuraret. Navavit operam, ut à viris ſapientibus erudiretur, & obedientiæ actibus, & corporalibus obſequiis exerceretur; quæ cum ille reſpueret, paulò poſt amentiam ſuam publicavit. Monialis quædam, ex alia Religione, ſe jejuniis, ac vigiliis confecerat: Et quoties aliquis novus ardor affectionem ſubibat, vel Euchariſtiam ſumebat, velut exanimis procidens, per horas ſeptem, aut octo, ſibi, & aliis ecſtaſi rapta videbatur. Confeſſarius B. Virginem Tereſiam monuit: quæ confeſtim non raptus, ſed nimiam imbecillitatem eſſe, interdicenda exercitia, corpus refovendum conſuluit: quo reſponſo, brevi convaluit, nec ullum raptus veſtigium extitit. Sæpè eorum, apud quos verſabatur latentes affectus introſpiciens, opportuna conſilia dabat, & ægris animis corpore ægrotans medebatur. Verùm ad libri hujus coronidem, ſilendum non eſt, omnia quæ de B. Virginis Tereſiæ virtutibus in medium producta ſunt, ſi cum immortalis ingenii illius opulentia comparentur, eſſe nimis exigua. Sed ex iis, quæ ſecreto Dei conſilio, vel hominum incuria interciderunt, dolendum, ex inventis Clementiſſimo Deo grates agendæ ſunt.

LIBER V.

CAPUT I.

Corpus Beatæ Virginis Tereſiæ incorruptum invenitur: Abulam importatur.

C

Corpus ex ſepultura odore fragrans.

D

Corpus effoditur, ſiniſtra præciditur, & Uliſſiponē defertur.

E

Corpus Abulam defertur.

F

G

H

AD tertii libri calcem obitum, & ſepulturam deſcripſimus; ſed virtutum tractatu, à Virgineo corpore, tantillum quaſi divertere, opus fuit. Æquum verò eſt, corporis indicibus animi ſanctitatem, velut inculpatis teſtibus, veram oſtendere. Poſtquàm ergo è vita migravit, Virgines illæ ſepulchrum tenero affectu frequentabant. Ubi ſi fortè ſomnus obreperet, ſtrepitu interdum audito, ad orandum excitabantur. Et cum corpus lapidibus, & calce altè obrutum fuiſſet, mirum odorem, feſtis præſertim Sanctorum, quos B. Virgo Tereſia religioſiùs coluerat, efflabat. Erat odor varius, modò violarum fragrantiam repræſentans: qui certè Monialium animos corporis viſendi ſtudio vehementer inflammabat. Captata igitur opportunitate, cum P. Provincialis illac tranſiret, votum expletur. Ille quippe unà cum ſocio, novem ab interitu menſibus, 4. Julii anno 1583. effoſſa terra, conditorium fractum, veſtes putridas, corpus mucidum, ſed integritate mira incorruptum, tam verò corpus, quàm veſtes, & conditorium odore ſuavi imbuta reperiunt, & manum ſiniſtram, quam Ulyſſiponem detulere, præcidunt. Mundis deinde veſtibus, ac linteis obvolvunt, & in eodem loco digniùs reponunt, ac ita Virginei corporis dignitati, ac Monialium affectui conſultum eſt. Anno verò 1585. 18. Octobris Patres Carmelitæ Diſcalceati Comitia Paſtranæ cogunt, & corpus Alba Abulam, in Monaſterium ſcilicet, cui Beata Virgo Tereſia ſupremo tempore vitæ præfuerat, & ubi fundamenta reformationis jecerat, deferendum decernunt. P. F. Gregorio Nazianzeno Vicario Provinciali Caſtellæ res demandatur; & ad Monialium Albæ ſolatium, brachium alterum præcidere, ibique deponere jubetur. Expediuntur literæ ad tres noctis horas: quo tempore (mirum dictu eſt) Albæ, cum Moniales ſimul eſſent, ac de Comitiis verba facerent, ternos ictus ſemel, & iterum juxta ſe illatos audiunt, ut timerent, ne quis intra templum, ſacrariumve externus lateret, ac eum ſtrepitum ederet. Quod cum ea, quæ januis præerat, exploratura deſcendiſſet, ictus alios ejuſmodi audivit: ſed re nova deprehenſa, quæ Monaſterio præſidebat ait: Ne iſta curemus: dæmon fortaſſe nos perturbare conatur. At Monialis alia ſubjunxit, ſtrepitum è conditorio B. Virginis Tereſiæ proculdubiò ſonuiſſe: verùm quid portenderet, præſagiri non potuit, donec P. F. Gregorius Decreti horam aperuit. Venit ergo Albam Novembris die 24 & Monialibus ad horas matutinas in chorum amandatis, ei quæ præſidebat, ac duabus aliis antiquioribus Patrum præceptum legit, corpus detegit, veſtes putridas, ſed corpus integrum, odoratumque miratur: ubi præter corporis integritatem, ac odorem, miracula bina enituerunt. Unum, invento quaſi recenti Virginis ſanguine: cum enim morienti ſanguis erumperet, impoſitum fuit operimentum laneum candidum, quod ſanguine maduit, & per annos tres ſanguinem ipſum velut recentem, ac mirificè odoratum ſervavit: ita ut ſegmenta operimenti linteolis involuta, ſanguinis colore illa tingerent. Alterum fuit, quod cum P. F. Gregorius exemiſſet gladium, ut brachium Albæ remanſurum, id eſt, à quo ante manus præciſa fuerat, incideret, ſine ulla vi, quaſi caſeum recentem exſecuit. E veſtigiò corpus obvolvit, & domo effert: Moniales verò ſparſo ſuaviſſimo Virginis odore è choro ipſo, quid fieret, ſuſpicatæ, ſerò accurrunt: jam quippe Pater ille corpus extulerat, oſtiaque fuerant obſerata. Abulæ verò immenſa gratulatione corpus exceptum, & conditorio ſericis operimentis, & inauratis clavis elaborato, additoque phrygionici operis inſcripto, exornatum eſt.

Scripta An. 1608.

CAPUT II.

Corporis miraculum evulgatur: Albam refertur.

Inviſitur a peritis.

Albam reportatur.

VIſum eſt expedire, Medicorum accire conſilia, ut corporis integritas exploraretur, ne quid non mirum accideret; A Superiorumque conceſſu, Epiſcopus Abulenſis D. Petrus Fernandez de Temigno, P. F. Didacus Jepes Prior Conventus S. Hieronymi Madriti, poſteà Epiſcopus Turiaſonenſis, Licentiatus Laguina Auditor Regii Conſilii, & D. Franciſcus Contreras poſteà Auditor Conſilii Granatæ, poſtmodùm Conſilii Regii, qui ea tantùm de cauſâ, ipſa hyeme, Madrito venerant, duo Medici, & aliquot alii viri graves, die Circumciſionis lætiſſimo 1586. corpus ad cubiculum commodum elatum, oſtio Monaſterii clauſo, facibus accenſis, capitibus apertis, genibuſque flexis explorant, & vim lachrymarum effundunt. Facilè perſpectum eſt, Medicis abſque ulla hæſitatione aſſerentibus, corpus balſamo minimè conditum, B calce, ac lapidibus obrutum, humido loco repoſitum, poſt annos tres, & menſes aliquot, integerrimum, ac odore mirabili commendatum, ſine miraculo non potuiſſe perſtare. Epiſcopus obſtupuit, & ne res evulgaretur, excommunicationis pœna interdixit: at qui ſcrutinio interfuerant, rei prædicandæ cupidiſſimi, mira ſe vidiſſe dictitabant, nutibus magnum quiddam indicabant, tametſi ne cenſura Eccleſiæ innecterentur, rem ſilerent. Poſthac verò pœna ſublata, miraculum celebratum eſt. Hæc Abulæ, ſed longè aliud Albæ: Dux enim D. Antonius de Toleto, & ejus patruus D. Ferdinandus, qui dum corpus exportaretur, aberant, vehementer indignati, de repetendo theſauro ſeriò cogitarunt. C D. ergo Ferdinandus Monaſterium Albæ petiit, & acriter monet ne brachium efferatur, ac pro corpore Summum Pontificem interpellat: qui Patribus Carmelitis Diſcalceatis jubet, illud in locum priorem reſtituere. Quamobrem P. F. Nicolaus à Jeſu Maria Provincialis per duos Patres F. Ioannem Baptiſtam Paſtranæ, F. Nicolaum à Santo Cyrillo Manzaræ Priores, corpus Albam reportari precipit: quò 23. Auguſti 1586. illatum eſt. Et quamvis Abula litem intenderit, poſtquàm ultro citròque ſatis certatum eſt, Sixti V. præcepto corpus Albæ permanſit. Quod per menſem, antequàm eò deferretur, Moniali cuidam, per viſum, ſub imagine Stellæ ſplendidiſſimæ in eodem loco, ubi collocatum eſt, nitentis, Deus D ſignificavit, tametſi, quid Stella portenderet, quo uſque relatum vidit, minimè intellexerit. Tam verò corpus, quàm brachium mira integritate pollent: color dactylis eſt ſimilis, caro aliquantum macra, pellis alicubi contracta, ſed nihil corruptum: odor ſuavis, & ſacer, quem lintea, unà cum liquore quodam, jugiter deſtillante contrahunt, quæ ſubinde mutata, & reliquiarum more aſſervata penè innumera ſunt. Corpus ſi ſublevetur, manu tergo admota ſtat, exuitur, induitur, & Virginitatem illam puriſſimam prodigioſa incorruptione demonſtrat.

CAPUT III.

E

Apparitiones.

DEcebat tot filiarum parentem ne morte quidem ipſa ab earum procuratione divelli: quapropter in ipſo Virginis ſepulchro lux quædam cœleſtis, præſertim cum Monialis quæpiam interibat, ſæpe viſa eſt. Si qua ſilentii tempore verba faceret, ictus terni in cellæ oſtio interdum auditi, ut taciturnitatis admoneretur. Sæpe Fratribus, ac Monialibus inſigni cum ſplendore, ac pulchritudine apparuit; ſed aliquid peculiare proferamus neceſſe eſt. Tereſia Laiz Monaſterii Albæ fundatrix paulò poſt Virginis obitum ægrotavit: ſed cum vis morbi ſententia medicorum remiſſa fuiſſet, ac proinde valitura videretur, F Virginem ſibi propinquam ſolito more indutam, vultum hilarem præferentem, & manu, ut eò tenderet, annuentem intuetur. Rogat illa: Mater, num obitura ſum? acceſſit hora? moxque viſum evanuit. Morbus incubuit, ægra ſe morituram, quod à B. Virgine Tereſia vocata fuiſſet, aſſeruit: & poſt modicum è vita diſceſſit. Cuidam, qui candidiſſima luce ſplendentem vidit, ſic B. Virgo Tereſia conſuluit: nos cæleſtes, ac vos exules, amore, ac puritate fœderati eſſe debemus: cælites intuentes divinitatem, exules Euchariſtiam venerantes: quam eo affectu, quo nos divinitatem ſuſpicimus, colere debetis. Nos ſanè fruentes, vos labores perferentes; qui quò graviores fuerint, eò fruitio cumulatior ſuccedet. G Hæc filiabus meis refer. F. Carmelita Diſcalceatus fuiſſe creditur. Nonnulli B. Virginis Tereſiæ mortem feſtinationi, ac labori, quem dum Burgis Albam tenderet exhauſit, aſcribebant. Apparens verò cuidam F. Carmelitæ Diſcalceato, dubium diremit, ajens, non cauſis aliis, ſed amori mortem tribuendam: impetus quippe amoris tantoperè invaluit, ut eum ferre non valens natura ſuccumberet. M. Catharina à Jeſu, quæ Monaſterio oppidi Veàs præerat, abſens Beatæ Virginis obitum cognovit: quam cum poſtmodùm ſibi apparentem intueretur, & illuſionem verita, non omninò ſibi viſum perſuaderet, Virgo reſpondit: Bene eſt, ut non leviter credas: ego enim malo in his H Monaſteriis pluris veras virtutes, quàm revelationes fieri: ſed ut verum hoc viſum pernoſcas, accede huc: & cum accederet, vulnus ſub altero ubere, & nigram notam in altera manu, quibus mederi nullo modo potuerat, attingens evanuit. Remanſit illa prorſus ſana, ſtupentibus iis, qui affectiones illas minimè ſanabiles agno-

Scripta An. 1608.

verant. Anno poſt obitum elapſo, cum M. Anna à Conceptione Monialis charitate, ac ſpiritus fervore inſignis, Albæ morti proxima eſſet, ceteris Monialibus horas in choro Matutinas perſolventibus, una ex eis introrsùm acta, B. Virginem Tereſiam crucem mirificè elaboratam, ac pulchram A ferentem, & altera manu Moniali cuidam, quam minimè cognovit, ut veniret, annuentem, intuetur. Procedit B. Virgo Tereſia ſplendens, cellam ægrotantis ingreditur, ac benedictionem impertitur: & ſtatim Anna ſpiritum efflat. Monialis quædam angebatur, quòd numquam ſe Deo tam ardenter, quàm ipſe vellet, dedidiſſet: & præter opinionem die quadam, anima introrsùm revocata, exoritur multa ſui cognitio, timor pace, & amore plenus, cui reniti, quamvis id moliretur, quòd in publico ageret, neutiquam potuit. Rapta eſt, & oblectatione, cui parem excogitare non licet, affecta, ſe intra lucem quamdam cæleſtem, ibique ſub fornice florum pulcherrimorum B. Virginem Tereſiam librum te- B nentem pectori admotum, apertum, literis auro pulchrioribus inſcriptum, intuita eſt. Mox B. Virgo Tereſia, lege, inquit, filia: timebat illa, oculos aperire non auſa. Tunc B. Virgo Tereſia velut ſubridens, porrecta manu, oculos leniter perfricavit, & robur multum indere viſa eſt. Erigit illa confeſtim caput, & legit hæc: Sponſus meus potitur voluntate tua, ut ea pro arbitrio ſuo, ſemper tamen tibi contradicens, utatur. Subjecit Monialis: Quî potero rem hanc grandem præſtare, quæ in exiguis me totam imbecillem experior? Reſpondit illa: Inopinæ dabitur; & exiguarum rerum patientia vires ad magna parantur. Subdit Monialis: Quanam ratione, ò Mater, Domino gratificabor? Num recta via gradior? Reſpondet: Qua tu vis duci, minime: ſingularem C modum averſare, ſine te duci ab eo, qui tui curam gerit, & proſperum curſum tenebis. Multiplicia hujuſmodi ſpectra præterire neceſſe eſt: quibus fidem conciliant & B. Virginis Tereſiæ probatiſſima ſanctitas, & eorum, quibus apparuit, intemerata ſynceritas.

CAPUT IV.

Miracula.

ILluſtriſſimum ſanè fuit miraculum illud, quo nepotem ſuum D. Conzalum de Ovalle infantulum mortuum amplexu, & intentiſſima oratione ſuſcitavit, de quo ſuperiùs dictum eſt. Toleti cum eſſet in ædibus D. Luyſiæ de Cerda, mulier quædam D gingivarum, & aurium acri dolore torquebatur, cui nullo remedio ſuccurri poterat. Precata eſt B. Virginem Tereſiam, ſignum crucis partibus malè affectis induceret: quam illa faceto quodam reſponſo repulit, ajens: Abſcede, teque ipſa obſigna: non enim crucis ſignum à manu noſtra, ſed à ſe vim habet: & dum hæc ait, leviter partes illas, velut ad repellendum tetigit: ſtatimque dolor evanuit. Cum Medinam veniſſet, Monialis, quæ Monaſterio præerat, febri, & pleuritide penè ad interitum agebatur. Amplexa eſt illam, & eveſtigio dolor extinctus eſt, proximoque die perſanata ſurrexit. M. Anna à S. Bartholomæo ejus in- E dividua comes ex febri Valliſoleti decubuit: cumque poſtridiè inde profectura eſſet, Deum precata eſt, ejus ſocia valeret. Rediit in cellam ægrotantis: petiit an valeret: reſedit illa, ſe valere gratulata; proximo die cum ea iter arripuit. Medinæ Monialis quædam eriſypelate, ac febre graviter laborabat. Ne verò dulciſſimis B. Virginis Tereſiæ verbis careret, è lecto ſurrexit, quam ubi aſpexit, cœpit ei B. Virgo Tereſia blandiri, affectaque loca leviter manu attingere ajens: Bono animo ſis filia, ſpero, Deum te hoc morbo liberaturum. Extemplò malum levatum, & antequàm ex oppido diſcederet, prorſus expunctum eſt. Sed multa ex paucis, quæ prompſimus, coniicienda ſunt: quæ B. Virgo Tereſia antequàm ex hac vita migraret, præſentiſſi- F ma Dei ope patravit. Nonnulla modò ex iis, quæ poſt obitum contigere, attingere operæ pretium eſt. Albæ P. F. Baeza Franciſcanus, propemodùm ſurdus ex aure altera, unde pus emanabat, die quadam brachium B. Virginis Tereſiæ admodùm fidenter (Auditus reſtitutus.) auri admovit: & eodem veſpere à pure, & auditus difficultate convaluit. Erat Olyſipone Monialis quædam olfactus omnino expers (numquam enim excurſu vitæ totius quidquam olfecerat, nec diſcrimen odorum agnoverat.) Die igitur quadam Monialibus ſimul agentibus, M. Maria à S. Joſeph, quæ Monaſterio præerat, B. Virginis Tereſiæ manum, quam apud ſe habebat, (Olfactus.) protulit, & odore ſuaviſſimo latè fuſo, ſingulæ ex iis, quæ aderant, excepta il- G la, vehementer commotæ, neſcio quid novum percepta ſanitate ſenſerunt, ac in Dei laudes proruperunt. Quod ubi illa ſummo dolore perculſa perſpexit, acceptam manum B. Virginis Tereſiæ naribus admovit, teſtata, ſe inde manum ſacram non amoturam, donec odorem perciperet, Deumque aliarum more, & alacritate laudaret. Eodem momento ſubjunxit, ſentire ſe fumum calidum per nares aſcendentem, eaſque patefacientem, manumque olfaciens ſenſum recepit, in cujus fidem odoramenta diverſa ad experiendum eò allata ſubtili olfactu diſcrevit. Olyſipone quoque nonnullæ Moniales, quæ ex Flandria venerant, à Diſcalceatis hoſpitio exceptæ ſunt. Erat autem inter hoſpites M. Catharina à Spiritu Sancto, Car- H dinalis Granuelæ ex ſorore neptis, quæ per annos viginti, ne diem quidem unum, ſine ventriculi dolore, duxerat; parciſſimè veſcebatur, & ferè omnia ſtatim evomebat. Affertur ſacra manus, ventriculo admovetur, extemploque dolor acerrimus excitatur, ſed confeſtim extinguitur, & M. Catharina perſanatur. Quod ut experi-

Scripta An. 1608.

rimentis pateret, coram doloris anteacti teſtibus, eſculenta, quæ olim vehementer nocebant, ſine ulla læſione comedere conſuevit. In eadem Urbe D. Alphonſus Coloma, Inquiſitor, Epiſcopus poſtea Barcinonenſis, & illuſtres viri nonnulli miraculum experituri, cultri ſummitati muſcum modicum infixum manui ſacræ adjunxerunt, A ac volutarunt, ſubitoque odor ille vehemens evanuit. Quod cum ſtupore dignum videretur, Medicus Principis Cardinalis conſultus eſt, an in cadaverum contactu ſubeſſet aliquod naturale ſecretum: reſpondit, immo res odoratas in ſepulchris recondi, ut ſervarent odorem. Quapropter illo miraculo ad experimentum allectus eſt: & ejus chirothecis odoratiſſimis ſacra manus immiſſa, illarum odorem extinxit. In anxio autem partus diſcrimine ad mulieres duas perilluſtres in eadem urbe manus allata, *Partus ſine dolore.* partum fœlicem impertita eſt: alteri verò (ut ipſa certò aſſerebat) etiam ut ſine dolore pareret. Albæ Pater quidam Carmelita Diſcalceatus acceptum B. Virginis Tereſiæ brachium oſculatus, B particulam ferè loco excidentem, quæ arida è brachio pendebat, dentibus concerpſit, & papyro condidit. Poſt dies octo explicatam inſpexit, & ſanguinis recentis guttam, quæ triplam chartam pervaſerat, vidit. Miratus admodum, chartam aliam advolvit, & alia gutta recens erupit: quod multi teſtes oculati obſtupuerunt. Albæ, feſto Epiphaniæ 1588. Eliſabethæ Hernandez, ex pleuritide ſalute à Medicis diſperata, vehementer inſtitit, aliqua Beatæ Virginis Tereſiæ reliquia afferretur. Panniculus ergo ſanguine tinctus allatus eſt: impoſituſque capiti, dolorem ſtatim lenire cœpit, & adhuc præſente Sacerdote, qui eum capiti intulerat, febris evanuit, ſurrexit, & brachium B. Virgi- C nis Tereſiæ veneratura in Monaſterium feſtinavit. In eodem oppido die 8. Martii 1587. puella triennis, filia D. Alvari de Brachamonte, vomitu ſanguinis, febreque moleſtiſſima jam animam agere credebatur. Antonius Zamora ſacerdos allatum linteolum ſanguine tinctum capiti imponit, & eodem momento puella oculos: quos morbus obſtruxerat, aperit, loquitur, convaleſcit. Medinæ anno 1586. lætiſſimo Circumciſionis die, M. Joanna à Spiritu Sancto integrum propè annum febriens, ſed per ſex menſes ultimos morbo comitiali ſæpe intercepta, iſchiade contracta, & corpore toto ſic obligata, ut ne manibus paropſidem tenere poſſet, ab infimarum mi- D niſtra, cum dolores ingraveſcerent, reliquiam Beatæ Virginis Tereſiæ frequenter poſtulabat: ſed conſilio Dei, miniſtræ ſemper memoria excidebat. Ergo die illo lætiſſimo, ſegmentum faſciæ ægrotanti admotum eſt: ipſoque momento dolor tam vehementer invaluit, ut interire proculdubiò videretur. Cum verò aliquandiù ſibi vim intuliſſet, dolorem ferre non valens, reliquiam amoveri precatur: ſed alia quædam, o Soror, inquit, firmiter confide, & experire, an ſurgere valeas (eo quippe die induta, & ad Euchariſtiam ſumendam elata fuerat.) Vix ea verba prompſerat, cum manum porrexit, ſtetit, per ſcalam difficilem ſola deſcendit, eam, quæ præerat, ut miraculum ſpectaret appellavit, omnes, ut Deo grates agerent, cum fletu com- E movit. Obſtupuere ómnes, ſomnium quippe viſum eſt. Ceterùm non linteola, veſtiumque ſegmenta tantùm, ſed Beatæ Virginis Tereſiæ imago mira multa operata eſt. Ferdinandus Tregius Hiſpalenſis piis operibus deditus, à dæmonibus uſque ad tetras apparitiones torquebatur. *Spectra fugat.* Quadam ergo die, cùm acerrimè vexaretur, B. Virginis Tereſiæ imaginem inopinus arripuit, exiſtimans Reginæ Virginum imaginem eſſe, quam hoſtibus incurſantibus opponere ſtatuerat. Vix eam obfirmarat, cum agmen infeſtum multis ululatibus evanuit: quamobrem Beatam Virginem Tereſiam ab ea victoria impensè colere cœpit. Sacerdos quidam Palentinus, qui B. Virginem Tereſiam noverat, ex graviſſima ſpiritus af- F fectione, per triduum ſacrum facere nequiverat. Eam igitur invocat, & dum horas recitat, apparet illa dicens: Rectà graderis fili; perſevera. Ille ſe ad ejus pedes provolvit, & benedictionem precatur. Reſpondet, Deus tibi eam impendat. Imaginem quamdam ſuam donat, ac evaneſcit. Remanſit ille cœleſti dono dives, quod fidiſſimè ſervavit. Plurima ſunt alia, quæ fuſioribus hiſtoriis partim evulgata, partim evulganda, Beatæ Virginis Tereſiæ famam, quæ jam fines orbis extremos pervagata eſt, in dies ſingulos novis incrementis amplificant. Quemadmodum enim, quamdiù vixit, Dei gloriam virili auſu, virili corde propagavit: ſic Deus clemen- G tiſſimus eam orbe toto laudari, miraculis, ſcriptis, graviſſimorum virorum ſermonibus, Principum, ac Regum votis, qui relationem inter Sanctos expoſcunt, celebrari Summorum Pontificum propenſione probari conſtituit. Hiſtoriam ergo ampliorem, ne illos quibus negotia multa tempus adimunt, tantæ Virginis celſitudo lateat, ſic contrahere operæ pretium viſum eſt. Faxit clementiſſimus Deus, ut voti compos contractor evadat. Et tu clementiſſima Virgo Tereſia, cujus animus planè invictiſſimus orbem domuit, cœlo vim attulit, Dei corde potitus eſt, fave obſecro *Peroratio.* huic ſcriptori tuo, qui millenos calamos ut heroica geſta tua celebret, exercere H cupit. Modicum eſt ſanè, nobiliſſima Virgo, quod extuli, nimium parcè ſcripſi: at quidquid moliri poſſum, exiguum eſt: libenter me vinci fateor. Gaudeo ſanè victoria tua, quam non tam verba, quàm eximia facta commendant. Bene eſt, glorioſiſſima Victrix, ut quantumvis inſignis eloquentia cœleſtia facta non æquet. Perfruere victoria: ſempiternum triumphum age:

Scripta An. 1608. & in animum hunc tibi laborantem ſemel ſaltem oculos collima. Ne vota inopum aſperneris, puriſſima Virgo, nec in audacem ſcriptorem excandeſcas; te potiùs lenitas, quàm ira decet. Potes opem ferre; apud immortalem Regem, ad cujus nuptias compta es, gratia vales: jam portum tenes, non ignara diſcriminum, benè conſcia laborum, quos exantlo. Per illud ergo immenſi amoris, incendium, quo in dulciſſimum Deum deflagraſti, obſecro te, filio tuo multis calamitatibus obſeſſo manum porrigas, & ad optatiſſimam Urbem Hieruſalem, æterna libertate donandum, rectà perducas.

A C

IN SEQUENTEM VITAM
PRÆMONITIO.

HOC *perbreve cumulatiſſimæ meritis Vitæ Compendium ſui dilectiſſimi ſodalis, ac Patris ſcriptum autumo a Ven. noſtro Auctore ſtatim ab ejus obitu ſcilicet anno* CIↃ. IↃC. VIII. *quum illud dicat, in fine*, ad multorum preces celeriter exaratum. *Fide autem digniſſimum eſt, utpote teſtis adeo inſignis, & oculati. Numquam ſeorſim typis editum eſt; quin & ab editione Colonienſi poſtrema omnium Operum noſtri Johannis, exciderat, adjectumque poſt Indices ad calcem tomi quarti, diverſo charactere, nullaque facta paginarum numeratione, in cujus pleriſque exemplaribus propterea deeſt, quod ad manus P. F. Paulli ab Omnibus Sanctis editoris ſerius pervenerit, ut ipſe hoc præfixo Monito Lectorem animadvertit:* ,, *Subiicimus hîc* Compendium Vitæ Venerabilis P. N. Petri. a ,, Matre Dei, *viri plane Apoſtolici, quod ſerius ad manus noſtras pervenit, ideoque de-* ,, *bito ſibi loco, & ordine reponi non valuit; cujus editione non intendimus illius beatifica-* ,, *tioni, aut apotheoſi viam ſternere, vel ſanctitatis famam inducere, vel augere: ſed in* ,, *eo hæc ſtatu relinquimus, quem ſecluſa hac lucubratione obtinerent; omnia S. R. E. ju-* ,, *dicio, decretiſque ſubiicimus.* ,, *Refertur ipſiſſimis Johannis verbis a N. P. Philippo a SS. Trinitate, in ſuo* Decore Carmeli, Par. 3. pag. 2. *paucis ex certa relatione adjectis; quæ, ſicut & multò fuſiorem ejuſdem V. Patris hiſtoriam, apud utrumuqe noſtrum Generalem Chroniſtam quiſque videre poterit.*

B D

VEN. P. FR. JOHANNIS A JESU MARIA.

BREVE COMPENDIUM VITÆ AC VIRTUTUM VEN. P. PETRI A MATRE DEI

PONTIFICII CONCIONATORIS, PRÆPOSITI GENERALIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM, AC FF. REFORMATORUM ORDINIS S. AUGUSTINI SUPERINTENDENTIS APOSTOLICI.

PARS PRIMA.

De hiſtorico Vitæ hujus excurſu.

Scripta An. 1608.

CAP. I. *Ortus, & pueritia P. Petri.*

Petrus natione Hiſpanus, Darocæ in Aragonia claris natalibus ortus, & liberaliter educatus eſt. Qui, cum præpolleret ingenio, & ſcholas politioris litteraturæ tenella ætate frequentaret, mirificè profecit: jamque inde à pueritia, eximiæ virtutis, qua factus adultior inſigniter claruit, ſpecimen exhibuit. A Confecto ergo humaniorum ſtudiorum curriculo, graviora moliturus, Complutum, inſignem videlicet Hiſpaniæ Academiam, petiit: ubi Philoſophiæ operam egregiè navavit. Cum verò ibi ſe Academicis actibus totum addixiſſet, gratia plurimùm valuit, & animos juventutis, qua cum creberrimè verſabatur, morum ſuavitate adeò devinxit, ut omnibus fuerit acceptiſſimus. Ne verò puriſſimæ caſtitatis, qua luculenter enituit, flos contagio ullo langueret; cœpit clementiſſimus Deus, qui eum geſtis grandibus deſtinarat, ſtimulis illum pietatis urgere, ad ætatis illius licentiam coercendam, & Monaſticæ diſciplinæ rationem ineundam. B Flexit è veſtigio pietas animum bene inſtitutum, & ad omnem honeſti laudem intentum: diruptiſque commodioris vitæ laqueis, cum Patribus Carmelitis Diſcalceatis, quorum laus à vitæ auſteritate, & contemplationis ſtudio percrebuerat, de cœnobitico ſtatu deligendo contulit, & nomen dare decrevit.

CAP. II. *Vitæ Monaſticæ orſus.*

Exacta, uti decuit honeſtis actibus pueritia, adoleſcens decimum ſeptimum circiter annum agens Compluto Paſtranam diſcedit, locum ſcilicet fama celebrem, ubi inſtaurati Carmeli diſciplina vigebat. Cœnobium quippe ab oppido, pene milliario uno diſſitum, ante annos paucos, ſub auſpiciis Beatæ Virginis Tereſiæ conditum, & antiqua auſteritate renaſcente clarum, Hiſpaniæ totius animos exciverat. C Is autem fuit adoleſcentis ardor; ut mite vivendi vitæ genus ignaviamque pertæſus grandia ſemper animo conciperet: quocirca id inſtitutum arripuit, quod opinione ſua eſſet aſperrimum, ac perfectiſſimum. Exutus ergo ſæcularibus indumentis, inter candidatos novo ritu ac veſte recenſetur, novoque cognomine Petrus à Mater Dei fauſto præſagio lætus inſignitur. Qua in re minime reticendum eſt, quàm ille conſtanter cœleſte vitæ genus auſpicatus fuerit. Non enim mediocre quippiam, dum propoſitum aggreditur, ſibi ob oculos ſtatuit; ſed clariſſima ſanctimoniæ lumina, quæ in Eccleſiæ cœlo ſplenduerunt, ſummis conatibus æmulari conſtituit: quod excelſæ magnitudinis argumentum planè luculentum eſt. D

CAP. III. *Annus Tyrocinii.*

Anno illo primo, qui periclitationi decretus eſt, antequam ſtatus Monaſticus votis ſolemnibus ſanciatur, vix dici poſſit, quàm tenaciter ſeveram diſciplinam Petrus apprehenderit. Profectò univerſis concertatoribus ſuis, quantum è rebus aſpectabilibus

Scripta An. 1608.

libus conijci poteſt, palmam præripuit. Nam præter mundi, ſuique ipſius neglectum, & vitæ præſentis incuriam, quæ fuit planè mirabilis, ita ſe totum divinarum affectionum ſtudio devovit, ut parcè admodum vitæ mortalis uſuram ſenſibus permitteret. Qua ex re teſtis quidam oculatus tam eximiæ virtutis dictitare ſolebat: *conſilio plane divino factum fuiſse, ut Petrus* A *olim tacitus, & abditus, ſacrarum concionum energia, & lepore plurimum valeret: quippe qui diuturno ſilentio, atque receſſu theſauros multos condidiſset, quos opportuno tempore in lucem proferret.* Nihil prætermiſit adoleſcens monaſticæ perfectionis cupidiſſimus, quod anno illo experiendæ virtuti deſtinato, non tentaret, ut viam ſanè longam brevi conficeret. Neque verò ſegniter experimenta adoriri conſuevit: norunt enim plerique, qui ſuperſtites ſunt, oportuiſſe ferventem cohibere, & ad graviora grandi auſu properantem, imperio ſiſtere: ne videlicet nimio jure affectiones internas, & ritus externos metiretur. Cui certè veritati fidem adſtruit, quod à Prælato non B ſemel imperatum eſt, ut ſcilicet neceſſaria hominum convictui verba promeret, à quibus per menſes multos accuratiſſimè abſtinuit, nutus, pro verbis ſupponens, & velut linguam erudiens, quam ad Chriſti exemplar, exacto ſilentio ad ſalutem publicam exerceret. Atque in hunc modum anni totius excurſum bene fortunatus abſolvit.

Cap. IV. *Solemnis Profeſſio.*

Agone multiplici feliciter exantlato, vota ſolemnia non vulgari cum alacritate nuncupavit. Diem feſtiviſſimum impensè cupierat, & flagitaverat: & cum pro voto affulſiſſet, ſe totum clementiſſimo Deo lætus devovit, cœptum opus perfecturus. Ubi, tametſi multa, præclaraque virtutum cœleſtium ſigna prætulerit, illud imprimis enituit, quod ab Evangelico parentum, & conſanguineorum odio commendatur. Cum C enim quidam ejus affinis (ut ad hujuſmodi ſpectacula hominum genus propenſum eſt) ad Profeſſionis diem acceſſiſſet, eo viri illius tædio vexari cæpit, ut palam aſſereret, nolle ſe Evangelico actui hominem ſibi utcumque ſanguine propinquum intereſſe, quod profectò genus odii non leviter animo inſedit, ut vicino patuit experimento. Cum enim poſt menſes aliquot, Prælato jubente, in urbem natalem juſtis de cauſis commeaſſet, paterna domus tantopere diſplicuit, ut velut externus, aliquis in aſſignato ſibi cubiculo latitaret, ſoloque Patris cujuſdam antiquioris, à quo eò ductus fuerat, juſſu modeſtiſſimam ſororem (nam parentes è vita migraverant) parciſſimè D conveniret: ſic nempe decuit affici eum, qui Chriſti præco futurus, & Apoſtolica legatione functurus erat.

Cap. V. *Migrat in aliud Cœnobium.*

E primo cœnobio, ubi mortali ſæculo nuntium remiſerat, in aliud, quod à Salmanticenſi Academia parum abeſt, (ubi Carmelus renovatus primùm coaluit) ſub eo Magiſtro, à quo fuerat educatus, migravit. Sterile ſanè oppidum (cui nomen Mancera) novi potius Cœnobii pietate, quàm opulentia laudatum, adoleſcentem rerum penuria, & inclementi cœlo divexavit: diſceſſerat nempè è Cœnobio primo, lento ac prolixo morbo graviter affectus, ac nihilo vegetior in ſecundo decubuit. Verùm hîc minimè ſupprimendum eſt, clariſſimum exemplum modeſtiæ, quod in itinere exhibuit. Cum enim aſello ægrotus ve- E heretur, veritus ne ex vario rerum diverſarum aſpectu quippiam impurum obreperet alto mundi contemptu, & fidiſſima cordis cuſtodia, clauſis oculis, tamquam exanime corpus ſe vectari ſinebat, quod multorum ſermone celebratum eſt. Quàm verò inſignia patientiæ, ac humilitatis exempla primis hiſce annis, & locis oſtenderit, per virtutum capita ſeorſim tràdemus.

Cap. VI. *Venit Complutum.*

Remiſſia morborum vi Complutum venit, imperio adactus, ut Philoſopicis, ac Theologicis ſtudiis, uti mos eſt, ſeriò vacaret. Rem cum animi demiſſione accepit, non exquiſivit: ſic enim animo compoſitus erat, F ut à divinarum affectionum ſtudio ægrè divelleretur: mallet quippe in piorum librorum lectione, & penſitatione vitæ totius tempus inſumere. Ætate nempe illa contemplationis amor, & Petrum, & concertatores ejus adeò cœperat, ut Gymnaſia vehementer perhorreſcerent, quaſi amnis ille ſuavitatis inter Chriſti amplexus leviter fluentis, ſcholæ ſpeculationibus, & anxietatibus interareſceret. Quocirca haud leviter laboratum eſt in ſchola perſuadenda, ut perſpicax illud ingenium excoleretur, & intermiſſa cœleſti dulcedine, ſeſe ad Evangelii ſementem expediret. Atque ad hunc planè modum, Petrus obedientiæ viribus flexus, ſtudium, quod in ſæculo exercuerat, ex integro reſumpſit, ut celeberrimæ Academiæ doctrina repetito conatu altiùs imprimeretur, ac in ſalutem com- G munem impoſterum derivaretur.

Cap. VII. *Studet, ac mirificè proficit.*

Mox ac ſtudiorum laborem divino conſilio ſibi demandatum animadvertit, adiecit animum ad opus miro quidem exemplo, atque profectu. Cum enim (ut è multis unum proferam) divinam Theologiam primoribus labiis deguſtaſſet, ſub initium illud captum rerum ſublimium ſanè ampliſſimum præſetulit, ut nobiliores Academiæ Theologi felicia cœpta mirarentur. Illud verò memoriæ ad eruditionem aliorum inſculpendum eſt, quod ipſe familiariſſimo cuidam ſuo aliquando retexit, *ſe nempè ita caſte ſtuduiſſe, ut quidquid profanum, aut otioſum duceret, ne legere quidem* H *auderet.* Profana videlicet, aut inutilia, parum caſta cenſuit, proculque ablegavit; ne purum intuitum pia, ac ſalubria mente concipiendi, atque in Dei gloriam, hominumque ſalutem, laborem collimandi, aliquo vanitatis cœno inficerent, & Apoſtolicam functionem adulterarent. Ex quo non levis conjectura eſt, peculiari divinæ

Sa-

Scrip. An. 1608.

Sapientiæ ductu in habendis concionibus ipſum urgeri, & illuſtrari ſolitum fuiſſe, qui à ſtudiorum primordiis, quæ Dei Sapientiam minimè decerent, adeo fortiter, ac prudenter reſpuiſſet.

Cap. VIII. *Incipit concionari in Hiſpania.*

Cum in medio ſtudiorum curſu (ut ad experimentum factitari conſuevit) concionari juſſus fuiſſet, patuit extemplo, quàm feliciter progreſſurus, qui tam fauſtè cœpiſſet. Etenim velut alter Vincentius Ferrerius cœpit animos commovere, & quaſi rugitu quodam peccatorum pectora concutere. Neque verò plebs ſola junjorem concionatorem à grandi cœpto laudavit, verùm & ſapientes viri, atque ipſi Petri Magiſtri, clariſſimi ſcilicet Academiæ prælectores, qui, quem in ſcholis docebant, è ſuggeſtu dicentem mirificè venerati, ac vehementer demirati ſunt. Quocirca cum variis in urbibus, ac oppidis prædicaſſet, fama Petri Hiſpaniam quantocius pervagata eſt: nomineque pervulgato ſubiit animum Prælati, qui tunc Hiſpanicam Congregationem moderabatur, è re communi fore, ſi tam egregius Evangelii præco Romam deſtinaretur.

Cap. IX. *Migrat in Italiam.*

Succeſſuram Romæ gloriam, ut erat perſpicax ingenii, velut præſagiit, & quàm potuit modeſtè onus impoſitum detrectavit, propriæ ſalutis, quàm laudis avidior. At Deus cunctantem perurgebat, cui reluctari nefas eſſet: maturataque profectione navigavit, Genuamque cum Generali Procuratore incolumis pervehitur. Adverſâ porrò valetudine laborabat, neque tàm longis excurſibus, & incommodis parem vim nactus videbatur: ſed conſilio fretus divino ſeipſum obedientiæ majeſtati, ac virtuti credidit, altoque ſui neglectu majora didicit audere quàm poſſet. Cœpit ergo, mox ac Genuam appulſus eſt, idioma Italicum tenuiter delibare, ut quas in Hiſpania gazas condiderat, primogenito Eccleſiæ regno impertiretur. Exactis diebus paucis, ut à navigationis labore requieſceret, Romam vehitur, ac poſt menſes aliquot Genuam revehitur, ubi concionum opus glorioſè auſpicatus eſt.

Cap. X. *Incipit concionari in Italia.*

Ex diuturnis ac moleſtis morbis, quibus in Hiſpania infeſtatus fuerat, nondum convaluerat; & tamen, ne lux tanta cum Eccleſiæ jactura minimè vulgari occuleretur, agi cœptum eſt, ut Genuæ conciones ad vires experiendas haberet. Res planè ardua, & multis difficultatum ſcopulis inacceſſa videbatur: nam, ut reliqua ſileam, Medici de re conſulti à labore ſuggeſti vehementer dehortati, vitæque diſcrimen cauſati ſunt. Urgebat pietas, periculum obſtabat: atque idcirco Medici, tametſi difficulter inflexi, unius, alteriuſve concionis periclitationem conceſſerunt. Ad experimenta ergo ventum eſt, ſi forte vires dicendo acquireret, & humores noxios, qui incruduiſſe videbantur excoqueret. Quod cum proſperè ceſſiſſet, conjecturatum eſt, Deo proculdubio perplacere, ut leviter cœptum concionandi opus conſtanter proſequeretur, cui præter hominum conſilia, vim Deus auxiſſet. Atque adeo Evangelicam functionem exprofeſſo complexus, fidentiùs quàm antea in opus incubuit: urbiſque illius animos planè ſtupentes ad colendam pietatem acriter inflammavit.

Cap. XI. *Romam repetit.*

Poſt aliquot annorum excurſum, quibus ſe labore concionum exercuit, vireſque reſumpſit, Romam cui natus fuerat, repetiit, pervulgatoque tanti concionatoris adventu, plurimos ſanè emunctæ naris auditores concivit. Novus præco populum Romanum commovit, atque id opinione omnium adeptus eſt, ut Pontificio ſuggeſtu, Purpuratoque Senatu dignus exiſtimaretur. Neque ſanè defuerunt, qui ægrè ferrent, rem à Summo Eccleſiæ Antiſtite tunc clavum tenente differri. Res tamen prorogata eſt, ut tempeſtivè fieret, eo videlicet tempore, quod à divina Sapientia decretum, & ſuaviſſimè diſpoſitum fuerat. Quo circa poſt multas laudis acceſſiones, & immenſa ſalutis animarum lucra, ſe ſe ad Congregationis bonum tuendum, ac propagandum novis laboribus obſtrinxit.

Cap. XII. *Condit Romæ Cœnobium.*

Nihil Petro fuit antiquius, quàm ut Carmeli à clariſſima Virgine Tereſia plantaria ſereret, virtutumque palmites, novis gemmis turgentes Romam uſque porrigeret, ut ab Urbe terrarum orbis Domina, Carmeli decor, & amœnitas variarum miſſionum ſulcis, in regiones quoque remotiſſimas derivaretur. Quibus certè votis cum diutiſſimè flagraſſet, affuit præſentiſſimus Deus, & ecce à viris piiſſimis offertur ei locus ſub Janiculo trans Tyberim à Sixti ponte parum abjunctus, ad conſtruendum Cœnobium peropportunus. Incultus plane locus, olimque deſpectui habitus, à B. Virgine, in cujus honore Baſilica ante annos paucos exædificata fuerat, excoli, & miraculis honeſtari cœpit, quaſi futuri exitus præſagio. Erant ædes penè collapſæ templo contiguæ, quæ Apoſtolicæ paupertatis imaginem egregiè quidem exprimerent, ubi Summi Pontificis Clementis VIII. conceſſu, agente imprimis Illuſtriſſimo Ptolomæo Cardinale Comenſi, Cœnobii fundamenta, felicibus ſanè auſpiciis jacta ſunt.

Cap. XIII. *Condit Cœnobium Neapoli.*

Petri fama Italiam pervaſerat univerſam, ideoque à multis Urbibus ad conciones, & Cœnobia conſtruenda certatim expetebatur. Quocirca Neapolim, Roma licet renitente, migrandum fuit, ubi Proregi, ac Proceribus acceptiſſimus Evangelii ſementem plurimam ſparſit, neque proventum vulgarem retulit. Inter alios verò eximiæ pietatis fructus, Neapolitani Cœnobii in loco ſanè amœniſſimo fundamenta defodit, ut diſciplina renati Carmeli in celeberrima urbe floreret. Coaluit ergo brevi res fauſtè tentata, Civitate gratulante, quæ in Petri ſtudium tantopere incubuerat, ut & Summi Pontificis auctoritate, ægrè ad virum reſtituendum flecteretur. Prævaluit tamen Roma, quæ à prælio,

Scripta An. 1608.
Cap. XIV.
Condit Cœnobium in Tuſculano.

lio, quo multos Chriſto ſubjugaverat, revertentem læta recepit.

Urbes certè florentiſſimæ Neapolis exemplo permotæ apud Summum Pontificem inſtitere, faceret eis tam inſignis concionatoris copiam; at ſupremus Antiſtes, ut virum ſatis dignovit, induci non potuit, ut à ſe procul abſiſtere pateretur. Quapropter Romam, ubi commorari jubebatur, A perrexit excolere, & pietatis officia ubertim explere. Interim verò, velut ad ſeceſſum, curarumque intermiſſionem in Monte Tuſculano Cœnobium divinæ contemplationi opportuniſſimum condit, Deo per intervalla ſaltem vacandi cupidiſſimus. Huc ſecedere conſuevit, ne animus negotiorum fluctibus obrueretur: quod tamen ſolatii genus parcè libavit, rerum Romanarum mole ingraveſcente: maluit quippe ſolari alios pingui paſtu ſacrarum concionum, & privatarum adhortationum, quàm ex loci amœnitate, ac ſalubritate, propria oblectamenta, quantumvis caſta perquirere.

Cap. XV.
Clemens VIII curam Fidelium ei demandat.

Explorata jam fide, & Apoſtolica charitate, qua orbem univerſum complectebatur, Summus Pontifex Clemens VIII. curam orbem circumſpiciendi, & quæ cogitaſſet B ad ſalutem communem eorum, qui ab Eccleſiæ regno exularent, exponendi fidenter injungit. Quam ſanè molem, tametſi Petrus divinæ charitatis flammis incenſus, fortiter ſubiit; rem tamen oculatè contemplatus, immenſum profectò pondus humeris ſuis impoſitum perſenſit: ut ab hora demandatæ curæ, terrarum orbem ſibi geſtare videretur. Quocirca velut exactam Deo rationem redditurus, ſedulò admodum omnia perluſtravit, nullumque prætermiſit officium, quod ad Catholicam fidem amplificandam, ſupremum Eccleſiæ Antiſtitem urgeret. Hinc ſtudium ſciſcitandi, ac explorandi, quibus in erroribus infideles longiſſimè diſſiti jacerent: ut intima C commiſeratione omnia non non modò perdiſcens, verùm & patiens deſtitutis ope Chriſtiana conſuleret. Equidem hoc miſerendi genus inter conciones ſacras, & privata colloquia, Principibus præſertim Eccleſiaſticis perſuadere adnitebatur, cum nihil æquè haberet in votis, ac errantium ab orthodoxa fide, vel Sectariorum, vel Ethnicorum reſipiſcentiam, cujus gratiam cum exteris hominibus Romam undique confluentibus ſuaviſſimè quidem agebat, eorumque poſtulatis quàm liberaliter poterat, operà certè, & ope favebat.

Cap. XVI.
Conſtituit Miſſionem in Perſidē.

Animus ille Apoſtolicus nuſquam ita defixus erat, ut de longinquis nationibus minimè cogitaret; atque idcirco non ita Romanis arcibus ſe ſinebat obſepiri, ut regna D quoque abjunctiſſima non pererraret, daturus videlicet operam, ut Chriſti regnum latè amplificaretur. Quocirca cum optaſſet diù Æthiopibus miſſis Evangelii præconibus, opitulari, & oblata oratoris cujuſdam à Rege Perſarum in Europam deſtinati occaſione, Summum Pontificem Clementem VIII. pro Æthiopum converſione, quæ tunc nimis urgebat, Perſicam miſſionem arripere ſuaſiſſet, è veſtigio animum appulit ad rem planè grandem generosè tentandam. Habito ergo delectu (uti ad opus arduum, prudentia, pietaſque ſuggeſſit) mittit quatuor ſpectatæ fidei, ac patientiæ viros è Congregatione ſelectos, qui Pontificia auctoritate permoti, legatione fungerentur: & E diſcuſſis, neſcio quibus nebulis, ſubſpicionibuſve, quæ Perſidis Regem erga Chriſtianos Principes malè affecerant, Regis ipſius, & Procerum animos Apoſtolicæ majeſtati conciliarent; ac proinde velut aliud agentes Evangelio viam ſternerent, qui Pontificis ſcopus erat. Ineunt igitur viam ſanè prolixam, & multis anfractibus Septentrionem oberrant, donec peragrata Germania, Polonia, ac Moſcovia, multiſque ſuſpectorum Principum, & infeſtorum locorum difficultatibus victis per Caſpium mare, exacto ferè itineris triennio, ſeſe in Perſidem inſinuant. Rex verò viros à Pontifice miſſos humaniter excepit, eiſque in dies ſingulos impenſiùs afficitur, explorataque F illorum fide, mundique contemptione, conceptas ſuſpiciones animo expungit, & per litteras in fœdus Principum Chriſtianorum ſe iturum alacriter pollicetur. Grande ſanè promiſſum, ex quo ſpes non modica Catholicæ fidei per ampliſſima regna illa propagandæ exoritur, quo Petri vota porrò ardentiſſima ferebantur.

Cap. XVII.
Fit Pontificius Concionator.

Per id ferè tempus Pontificius concionator creatur Cardinalis, Petruſque omnium acclamatione ſufficitur, utpote qui ſe per tot annos eo ſuggeſtu planè dignum eviciſſet; tametſi eum inſignem honorem, ut erat modeſtiſſimus recuſaret, ut ne loco quidem ſe moveret, indignum certè ratus viro, qui mundi gloriam excelsè aſpernatus fuerat, honoris imagine ſeduci, & de integritate virtutis vel tantillum remittere. G Quod ſanè virtutis genus, quantopere, & divinæ, & Pontificiæ Majeſtati placeret ex eo perſpectum eſt, quod ſummi Eccleſiæ Antiſtites, qui Clementi ſucceſſere, ſine ulla certè controverſia Petrum tacitum, abditum, ac nihil molientem in idem opus cooptarunt: decuit enim eum, qui modeſtiam, & animi demiſſionem eximiis honoribus præpoſuit, aliis non æquè mitibus anteferri. Quàm verò ſanctè, graviterque munus tantum obierit, quàm parum illum popularis aura flexerit, quàm ſincerè caſtum Dei verbum, è pectoris ſacrario prompſerit, & Romæ, & univerſo terrarum orbi, plurimis certè argumentis, quibus nemo queat obluctari, compertum eſt. H

Cap XVIII.
Creatur Præpoſitus Generalis.

Ex quo Summus Pontifex Clemens VIII. Congregationem Italicam reformati Carmeli ab Hiſpanica dirimendam cenſuit, Petrum ei præfecit Apoſtolici Commiſſarii nomine, ut illam, qua præditus erat prudentia, temperaret. Obſtitit ille, quàm fortiter potuit, ut qui ſubeſſe, quàm præeſſe mallet. At omnino obtemperare inculcato

de-

Scripta An. 1608.

debuit imperio. Atque in hunc modum per annos circiter ſex Congregationi præfuit, donec generalibus comitiis Romæ coactis onus depoſuit; ac per triennium interquievit. Perlapſis ergo annis tribus, ad opus reſumitur; deligiturque Præpoſitus Generalis, multis certè, ardentibuſque votis expetitus. Lætum profectò aliis nuntium, ut ipſi Petro ſanè luctuoſum; quod recenter creatus palam aſſeruit, ajens cum alto impoſiti oneris ſenſu, *moleſtiorem ſibi accidiſſe Præfecturam, quàm putaſſet*: quod ſanè ipſum vel ſilente Petro, pleraque mœſtitiæ indicia vultui velut inſcripta præferebant.

Cap. XIX. *Graviter ægrotat.*

Multis concionum, & negotiorum voluminibus obrutus, cum mortalis vitæ curam inter labores improbos neglexiſſet, ſuccubuit tandem ponderi; at antequam è vita migraret, cœpit per biennium circiter ægrotare. Clementiſſimus verò Deus ita tempora diſcrevit, ut, ſi Summo Pontifici concionandum, vel neceſſarium quippiam agendum foret, morborum curſum intercideret, & ſuaviſſimum providentiæ genus per intervalla exerceret. Poſtquam ergo vel conciones, vel negotia peregerat, iteratis affectionibus decumbens, multis certè anxietatibus, ſed acerrimis potiſſimum doloribus colicis, atque nephriticis, adeò infeſtatus eſt, ut genus quoddam prolixi martyrii, patienter admodum, conſtanterque perferret. Vix profectò exprimi queat labor multiplex, quo in hauriendis amaris potionibus, & ſubeundis medicinæ experimentis, à quibus natura vehementer abhorrebat, divexatus eſt. Febres plurimæ dolorum comites, corpus obeſum, atque diſtentum, moleſtiſſimè angebant: & (quod expenſione digniſſimum eſt) in media ferè lingua, ſphærula quædam nigra cutis aduſtæ ita obduruerat, ut incredibilem vaſti corporis ardorem facilè ſignificaret. Et eam ſanè, quam diximus, ſphærulam, quod in cuticula ſuperiore linguam ambiente, pars quædam exigua in orbem aruiſſet, per annum fermè perpeſſus eſt, tametſi neque doloribus, neque febribus, niſi per intervalla corriperetur, quod multi teſtes oculati fatentur. Quo circa nimio, noxioque calore intus fervente coactus, ad æſtum temperandum creberrime linguam humectabat, & ad hunc modum vitam ducens profectò laborioſam, feliciorem vitam ſummis votis expetiit.

Cap. XX. *Denique moritur.*

Anxietas immodici corporis calore nimio, noxiis humoribus, & pondere ipſo languentis excreverat: & æſtate media, dum Romæ omnia ſole torrentur, exquiſito repente nobilium medicorum conſilio, ad aquas frigidiſſimas, juxta Nuceriam erumpentes, multis nominibus laudatas, meliore ſpe, quam opinione proficiſcitur. Et poſt nonnulla diverticula, ubi pietatis ergo per dies aliquot immoratus eſt, cum ad aquas acceſſiſſet, cœpit experiri, beneque ſperare. Aderant medici non ignobiles, licet ad periclitandum celeres: Deoque ſic proſpiciente, morbus cœpit ingraveſcere, acerboque hæmorrhoidum dolore, irritaque egerendi voluntate (τενασμὸς Græci appellant) virum illum patientiſſimum, ad interitum perurgere. Quod ubi animadvertit, ſepoſitis curis aliis, ſacrum Euchariſtiæ viaticum, & unctionem extremam poſtulavit: ut ſumpto Euchariſtiæ pane vegetus, & Oleo ſacro ad ſupremam luctam delibutus, cum ſæviſſimis hoſtibus validè confligeret. Quod ut feliciùs pro voto ſuccederet, heroicis eximiarum virtutum actibus per biduum ſeſe communivit: viribuſque totis in Deum intentis, ſpe ſalutis æternæ firmiſſima ſubnixus, corpore modeſtiſſimè compoſito, in Cœnobio Patrum Ordinis B. Franciſci, à quibus fuerat perhumaniter exceptus, animam efflavit, die 26. Auguſti, Anno 1608.

⁂

PARS SECUNDA.

De Virtutibus eximiis Ven. P. Petri à Matre Dei.

Cap. I. *De Fide.*

QUàm exactè Petrus fidem coluerit, ex eo perſpici poteſt, quod pro illius propagatione nihil non attentaverit. Is quippè virtutum ſerius cultus eſt, quem ſuſcepti ſponte labores, operaque commendant. Nemo autem ex iis, qui virum tantum noverunt, adeo cæcus eſt, qui Catholicæ fidei robur invictum, in ejus actibus, & conatibus non deprehenderit. Hinc ſcilicet extitit ſedulitas, & ſollicitudo illa Summos Pontifices urgendi, & Principes multos adhortandi, ad Eccleſiæ vexillum in barbaras nationes inferendum. Hinc obſervantia in Præſules mira: hinc rituum Eccleſiaſticorum æſtimatio: hinc ſuæ gentis inſtitutio ad hortodoxam fidem, profuſo quoque ſanguine tuendam, & amplificandam. Quod verò ad ſublimiſſimum Euchariſtiæ myſterium, in quo fides inſigniter exercetur, attinet, familiare illi fuit, conſecratione peracta, vim lacrymarum evergere: quippè qui Chriſti præſentiam, ſub Euchariſtico velamento perſentiret.

Cap. II. *De Spe.*

Firmitudo ſpei, qua Petrus excelluit, nequit ullis eloquentiæ viribus exæquari, ſive enim res humanas, ſive divinas penſitare libeat, ea ſpe armatus incedebat, ut de divinæ bonitatis promptuario, omnia ſibi læta polliceretur. Quocirca & in Cœnobii Romani conſtructione, ubi multis aureorum millibus opus fuit, & in aliis non abſimilibus rerum eventibus, vix unquam induci potuit, ut à Principibus opem requireret. Et tamen inſolitis modis, quos viri cordati & obſervarunt, & admirati ſunt, benè ſperanti Deus auxilium præſentiſſimum tulit. Huc ſpectat frequentiſſimum Dei experimentum in concionibus habendis. Erat quippè in ea ſententia Petrus,

Scripta An. 1608.

trus, ut ob inſtantia pietatis opera, ſtudium prætermittendum exiſtimaret, tametſi exiſtimationis ſuæ jacturam faceret. Quapropter ne pia opera lucris propriis poſthabere videretur, non modò, cum familiares conciones ad populum haberet, verùm & cum apud Summos Pontifices dicturus eſſet, ad eas plerumque temporis anguſtias agebatur, ut quæ prompturus eſſet, vix ſatis præmeditari valeret. Atque idcirco jam jam ſuggeſtum aſcenſurus ſæpè libros furtim evolvebat, ſylvam ſaltem congeſturus, quam Deus inter dicendum diſponeret, atque connecteret. Et tamen à viris ejus ſtudioſiſſimis, qui rem noverant, non ſemel obſervatum eſt, conciones illas tumultuarias omnium perfectiſſimas evaſiſſe: quod ſingulari divinæ ſapientiæ dono, ac invictiſſimæ ſpei vertendum eſt.

Cap. III. *De Charitate.*

Charitatis divinæ duplex actus, quorum alter in Deum, alter in proximum, dulciſſimo ſanè fertur affectu, in Petri actis, & verbis luculenter enituit. Si enim ſummi labores, quibus abſque ullo propriæ laudis intuitu glorioſè perfunctus eſt, æqua lance perpendantur, omninò evincendum eſt, amore potiſſimum divinæ bonitatis incenſum, tam egregia facinora patraſſe. Cui certè rei fidem auget ſtudium, quo in variis actibus obeundis, illud in primis internoſcere ſatagebat, quid ſcilicet Deo foret acceptum: quod ab ejus familiariſſimis perſpicaciter obſervatum eſt. Huc accedit ardor divinæ gloriæ latè amplificandæ, multiplexque labor, quem idcircò ſubiit. Huc deſiderium animi proprii repurgandi, ne quid minùs defæcatum lateret, quod amori divino poſſet officere. Quod verò ad proximi charitatem ſpectat, nimis operoſum eſſet, quæ in hoc genere præſtitit, ſingulatim percenſere. Profectò ea fuit charitatis amplitudo, qua Petri animus ad univerſos homines ſolandos, erudiendoſque velut publicum ærarium, ut ex hoc præſertim capite, laudem primam, Apoſtolicumque præconium promeritus fuerit. Fama certè vulgatum eſt, exteros quoſque Romam accedentes, velut ad communem parentem exercendæ charitati deditiſſimum confluere ſolitos: in quibus ſanè excipiendis, & ſublevandis plurimus fuit. Non illum importuna poſtulata, non preces repetitæ, non laboris improbitas flexit; quò meruit alacer, ac liberalis adeſſet omnibus & prolixitatem negotiorum charitatis magnitudine ſuperaret. Neque verò exteros tantùm adjuvandi curam ille ſuſceperat, verùm & numerum minimè exiguum Romanorum civium egeſtate ſquallentium, quos intima miſeratione proſequebatur. Quocirca cum eſſet Pontificius concionator, populares conciones paſſim habuit, eo præſertim ſcopo, ut eleemoſynas corrogaret, quas inopibus largiretur; quod ipſe miro charitatis exemplo, è ſuggeſto dictitare conſuevit. Jam verò iis, quos moderabatur, qua amoris oſtenſione proſpiceret, quàm ſolerter ſingulorum curam gereret, quàm ſuaviter ægrotos, laſſoſque reficeret, exprimi nequit. Et quidem, ſi quis animo anxius, aliquove interno conflictu perturbatus accederet, mirum eſt, qua verborum dulcedine illum exciperet, quàm facilè motus incompoſitos ſedaret. Etenim lepore quodam cœleſti mœrentes affatus affectiones animi graves crebrò diſpulit, & quod mirabilius eſt, vel præſentia ſola mœrorem animorum, tenebraſque diſcuſſit: quod à viris planè piis animadverſum eſt.

Cap. IV. *De Obedientia.*

Eximiæ Obedientiæ cultus, quo ſtatus Monaſticus conſtituitur, in Petro facilè reſplenduit. Cujus profectò rei ſuppetunt argumenta pleraque minimè obſcura. Habito tamen delectu, quem compendii anguſtia exigit, illud omninò expendendum videtur, quod cum jam veteranus præeſſet, neque haberet intra clauſtrum, cui obtemperaret, modos exquiſivit varios, quò cultum obedientiæ inſigniter exerceret. Huc pertinet modus ille, viro planè modeſtiſſimo dignus, cedendi Patribus ætate provectis, à quibus ſi quid proferretur, facilitate mira acquieſcere conſuevit. At enim præter eam cedendi conſuetudinem, modus ſubiit alter, qui meritò vertatur in exemplum. Vovit aliquando, ſe ſubdito cuidam ſuo obtemperaturum per menſes aliquot, ne obedientiæ cultura careret. Altoque cum ſenſu per id tempus, ad primam noctis facem cellam ſubditi frequenter ingreſſus, genibus flexis, animoque demiſſo, culpas, ſi quas ſibi admiſiſſe videretur, proferre aſſuevit, correptionis, quàm prælationis longè cupidior.

Cap. V. *De Caſtitate*

Qui ſacras Petri confeſſiones audierunt, quique cum eo familiariter verſati ſunt, in eam profectò ſententiam propendent, ut candidiſſimum virginitatis florem nulla corruptela violarit. Cui certè puritati mirificè congruit caſtitatis amor, quo perenniter flagravit, quemadmodum iis, quibus cum eo ſtrictior interceſſit neceſſitudo, perſpectum eſt. Hinc (credo equidem) extitit opinio illa, qua ductus eſt, ad pueros tenerioris ætatis in ſtatum Monaſticum libentius admittendos, antequam ætas prima deflorata conflacceſceret; norat quippe, quàm foret pretioſus theſaurus ille, univerſis mundi voluptaribus meritò præferendus.

Cap. VI. *De Humilitate.*

Non Monachi tantùm, verùm & alii minimè pauci altam animi demiſſionem, tanquam ſingulare Petri ornamentum demirati ſunt. Neque enim myſterio vacare credendum eſt, virum inſignem, quem copioſius, quàm dici poſſit, honores ſummorum Principum circumfluebant, ita Romæ inculpatè vixiſſe, ut ne leviter quidem animum fœdarit ambitio. Numquam profectò flecti potuit, ut Pontificum conſanguineos frequenter inviſeret, licet experimentis multis noſſet, id eis fore perjucundum. Et quidem quod ad Pontificium ſpectat ſuggeſtum

Scripta An. 1608.

geſtum, procul abſuit, ut ambiret, aut Principum gratiam inire ingenioſè ſtuderet. Nam præterquam quod, mox ac is honos ei delatus eſt, palam renuit, eo ſe indignum arbitratus, nihil deinceps artificioſè contexuit, ut aliqua ei fieret honoris acceſſio: quod ſanè apud bonos rerum æſtimatores, & rarum, & mirum eſt. Illud verò inter encomia prima recenſendum quod cum ſæpiſſimè pleraque ejus facta improbarentur, & correptores impoſtarios haberet, incredibili cum ſerenitate cordis, ac vultus admonitiones acciperet, neque excuſationem ullam prætexeret: cujus certè rei teſtes locupletiſſimos, ac plurimos producere pervium foret. Neque viros ſolummodo graves in hoc genere veritus eſt; verùm & poſtremos cœnobii miniſtros, quibus quicquam aſſerentibus, opinione propria, mirabili exemplo, ſuppreſſa cedere conſuevit. Quod verò ad ſui cognitionem, unde humilitas ſincera exoritur, ſpectat, nihil ei, ſe ipſo turpius, vel abiectius. Quapropter & cum noviſſimis Monachis ita ſe demiſsè gerebat, ut eorum facta prudens exploraret, & velut verarum virtutum magiſtros coleret, cum quibus ſe neutiquam comparandum cenſebat. Quocirca in eos, quibus familiariùs uſus eſt, actus humilitatis heroicos exercuit, dum eos ad inferendam ſibi correptionem imperio adigeret, vel ſordidos pedes extergeret, vel alias ejuſmodi functiones obiret. Pro coronide capitis hujus illud ſanè hiſtoria dignum videtur, quod cum primum Romam, uti Generalis Procuratoris ſocius, venit, excelſo animo geſſit. Procurator quippe ille, vir ſubauſterus, ita ad omnem famulatum Petro uti decrevit, ut per medias Romæ plateas ad eſculenta coëmenda illum ſine comite mitteret. Quamobrem annum circiter integrum Petrus famulatui aſſueſcens, clariſſimas de ſeipſo victorias reportavit. Cum enim per urbem ſolus, & graviter oneratus excurreret, rebelleſque ſenſuum motus pateretur (quæ virorum fortium palæſtra eſt) exemplo abjectiſſimorum hominum onera geſtantium, quaſi ex conductis hominibus unus foret, motus coërcuit, & omnia mundi repagula perrupit: ſic decuit exerceri, antequam in urbe clareſceret.

Cap. VII. *De Paupertate.*

Per annos certè multos, quamdiù valetudine proſpera uſus eſt, cum ſe laboribus innumeris conficeret, adeò Apoſtolicam paupertatem coluit, ut nec in victu, neque in veſtitu peculiare quippiam admitteret. Quin etiam cum ob ingruentia negotia nequiret decreto tempore prandere, crebrò admodum obſonia frigida, & pejora pocula obtingebant, ne ulla ex prælatione prærogativa gauderet. Cella parum inſtructa, lectus nihilò aliis commodior, & alia minimè levia ultroneæ inopiæ argumenta inter tot ſudores, ac laſſitudines, facilè pervincunt, animo Petri tantæ virtutis amorem altius inſediſſe.

Cap. VIII. *De Patientia.*

Multæ hic laborum cohortes recenſeri poſſent, quibus invictus Petri animus patientiam exercuit. Graviſſimas certè luctas internas pertulit ab ſtatus Monaſtici primordiis; quarum anxietates, ac perplexitates, qui exactè perpenderet, miraretur profectò capitis firmitatem, cui nullum contigerit cerebri decrementum. Morbi multiplices, & diuturni, patientiæ laudem inſigniter cumularunt. Dolores quàm acerrimi, ſupremo præſertim vitæ tempore, ex eorum genere videntur, qui homines acerbitate dementant. Quocirca, ex hiſce capitibus leviter, pro magnitudine rerum, indicatis aliiſque ſilentio tumulatis pretioſiſſima eximiæ patientiæ corona contexitur.

Cap. IX. *De manſuetudine.*

Fuit Petrus animo mitiſſimus, quod innumera negotia, & rerum involucra, quibus diſtinebatur, & premebatur evincunt. Faciem ſemper hilarem, verba lenia, quantumvis ab importunis poſtulatoribus urgeretur, exhibuit, neque unquam excanduit; & quod ſublimius exiſtimetur, eo virtutis hujus amore captus eſt, ut & iis, quos ſibi, vel obtrectare, vel adverſari noverat, incredibilem lenitatem oſtenderet, neque ullum perturbati animi ferret indicium. Etenim, quos ingenio miti præditos cerneret, ſingulari amore complexus, facile pervicit, ſe cultu manſuetudinis excellere. Solebat autem Chriſti, Moyſis, ac Davidis manſuetudinem crebrò inter colloquia privata repetere, quippe qui ejus virtutis clariſſimis exemplis commendatæ nomine recrearetur. Neque verò ſolùm ea virtute claruit, verùm & ejus aliorum animis ingenerandæ, divino certè munere, vim nactus videtur; ſi quos enim haberet infenſos, primo congreſſu adeò leniebat, ut mitem animum ſuum eis videretur imprimere: quod planè inſolitum, & mirum eſt.

Cap. X. *De Corporis Caſtigatione*

Quàm erat in alios mitis, tam erga ſe ipſum ſeverus extitit. Nam præter inediam, vigilias, & labores alios confertim ingruentes, & generoſè perlatos, cilicia, & alia corporis domandi inſtrumenta frequenter exercuit. Illud verò caſtigandi corporis genus, creberrimum, & aſperrimum fuit, ut quoad honeſtas pateretur, ſe totum, vel partim exutum diriſſimis verberibus cædendum exponeret. Cujus certè rei teſtes omni exceptione majores permultos habemus, qui imperio coacti, & ſingulari exemplo, in lachrymas reſoluti, acerbiùs, quàm delicati milites credant, verbera inflixerunt. Atque hoc exercitii genus tametſi ab iis temporibus Petro familiare fuerit, eo ſanè tempore cumulatiorem laudem promeretur, quod ſacris concionibus deſtinarat; quemadmodum ejus ſociis, qui per integram quadrageſimam illum ad ſuggeſta comitabantur, ſatis perſpectum eſt. Sic quippe corpus quotidianis concionibus vehementiſſimis fractum in anguſtias agebat (credo equidem) ut Apoſtolica doctrina, propitiato Deo, in auditores ſuos efficacius perferretur, & pectora duriora ad pietatem emolliret.

Cap. XI. *De Modeſtia.*

Petrus, cum eſſet junior, fuit modeſtiæ ſtu-

Scripta An. 1608.

ſtudioſiſſimus, quod non obſcuris, aut paucis exemplis memoriæ prodidit. Quibus certè id nactus videtur, ut & cum ſibi animi gratia vellet indulgere, modeſtiſſima venuſtate, & intueretur, & externas alias actiones obiret. Gravitatem comitati mirificè annexuit, & ex hilaritate, & modeſtia modum quemdam agendi ſibi peculiarem, & in aliorum eruditionem permanantem harmonicè temperavit. Quocirca ſic alios cum ipſo familiariter verſantes oblectabat, ut reverentiam incuteret, & ad ſuos mores, cæteros, ſive dicendo, ſive agendo coaptaret.

Cap. XII. *De ſilentio.*

Sub ſtatus Monaſtici exordium adeò linguam cohibuit, ut per menſes multos, vix unum, vel alterum verbum, niſi cum Prælato, & Confeſſario fecerit. Quod cum nimio ſilentio aſcriberetur, oportuit (quemmadmodum Parte prima tetigimus) Petrum à Patribus non ſemel admoneri, ut verba ſaltem mortali vitæ neceſſaria depromeret. Bovem mutum, non ab re, quis appellaret adoleſcentem taciturnum, divinæ ſapientiæ ſtudio intentum, & in eo genere Thomæ Aquinati perſimilem. Sic arca fœderis concreto cœli rore impleri debuit, ut procurſu temporis, cœleſti aperta conſilio in ſalutem communem tutò pateret. Tacuit certè ubi opus fuit; ubi verò Deo viſum eſt, diduxit labia dulciſſimo lepore perfuſa.

Cap. XIII. *De Prudentia.*

Quàm eſſet mira Petri prudentia, norunt Pontifices Summi, qui eo ad graviſſimas functiones uſi ſunt; novit & orbis penè univerſus. Et quidem cum cæterarum virtutum auriga prudentia ſit, oportuit omninò ſingulari prudentia excelleret, quem reliquæ virtutes tam ſplendidè, ut patet, exornarunt. Profectò à viris ſapientibus obſervatum eſt, in pleriſque negotiis, ubi perſpicacia ingenia nutarent, ita prudenter à Petro res futuras proviſas, ut niſi ejus mandatis obtemperatum fuiſſet, tragico exitu omnia concluderentur. Prudentia ſanè valuit in rebus Monaſticis adminiſtrandis, in Eccleſiaſticis rebus ſibi creditis componendis, in affectionibus internis ad ipſum, velut ad oraculum, delatis, & diſcutiendis, & dijudicandis; ut imperio natus videretur. Creditum eſt autem à viris rem benè callentibus prudentiam hanc non tam experimentis, & obſervationibus partam, quàm cœlitus infuſam: quod præſertim evincitur è nonnullis eventibus, ubi cum rationes politicæ Petro adverſarentur, obſervato tamen ejus conſilio, ſpretiſque rationibus quantumvis nervoſis, res feliciter ex voto ceſſerunt.

Cap. XIV. *De variis virtutibus.*

Petri ſane vita egregiis univerſarum virtutum actibus intertexta nequit compendii anguſtia comprehendi. Quapropter multa reticere, pleraque tenuiter delibare neceſſe eſt, recenti præſertim viri memoria, quæ vel ſilentibus nobis, communi omnium ſermone celebratur. Fuit certè fidiſſimus gratitudinis cultor, qui modica beneficia abundè repenſaret. Fuit profectò magnanimus, qui grandia ob Dei gloriam excelsè tentaret. Fuit proculdubiò conſtans, dum adverſitates ingruerent. Fuit rerum divinarum ſtudioſiſſimus. Fuit excelſus mundi contemptor, purpuramque non certè minus timuit, quàm alii expetere ſoleant; quotidiano ſacrificio Deum precatus, ne ſub alia veſte, quàm Monaſtica interiret: quod virtutum omnium meritis locuples demum impetraſſe videtur.

Cap. XV. *De miris actibus.*

Romano Cœnobio, cui *Scala* nomen eſt, fauſtè conſtrui cœpto, cum adhuc ædificii primordia debilia forent, ſtructura firmior ſyncerarum, nobiliumque virtutum interna ſurgebat. Quod ut felicius ſuccederet, conſilio planè divino, energumenus quidam Frater cæteros omnes ad palæſtram exercuit. Sæviente verò dæmone, & obſeſſum inedia conficere ſatagente, Petrus, qui loco præerat, qua erat præditus charitate, veſcenti plerumque aderat, iteratis benedictionibus hoſtem, opportuno velut amuleto depulſurus. Nocte ergo quadam ad facem primam, cum cœnanti adeſſet, vi multa, & imperio opus fuit, ut ſcutellam fictilem vino diluto plenam obſeſſus hauriret. Accepit ſanè ille vas, modiceque libavit; at è veſtigio repoſuit, dæmone potum adimere moliente: verùm cum Petrus imperando inſtaret, vas reſumpſit, & obedientiæ vi coactus exhauſit. Quam ſanè victoriam, cum truculentus hoſtis ægerrimè ferret, in rabiem actus, arreptum vas ſuper dextrum humerum retrorſum projecit, fratremque à tergo aſſiſtentem ita perculit, ut ad ſcopum jaculatus videretur. Illiſo quippe ſummo vaſis labio, velut exacuto certè cultro, venam à bregmate in glabellam rectà deſcendentem, frontemque in duas æquales partes interſecantem per diametrum totam intercidit, quæ vix exſecta ſanguinis impetum cœpit evergere, qualis videlicet è proſciſſa equorum vena ſolet erumpere. Mox igitur, ut ſaucius frater ictum accepit, vocem extulit, palam profeſſus, illatum vulnus ſe ob Dei amorem ferre libenter. Cumque Pater quidam ex iis, qui ſpectaculo intererant manus volam vulneri appreſſiſſet, ut exultantem ſanguinem reprimeret, adoleſcens ſpiritu proculdubiò cæleſti afflatus, ſic Petrum affatus eſt: *Da, obſecro Pater, veniam, ut obedientiæ votum emittam* (erat quippe in tyrocinio): Annuit extemplò Petrus, votoque nuncupato, ſubtexit adoleſcens; *Impera ſanguini, atque coerce*. Imperavit continuò; & omnibus, qui rem avidiſſimè intuebantur, ſtupentibus, ſanguinis impetum imperio compeſcuit. *Increpuit* nempè *Deus mare rubrum, & exiccatum eſt*. Quantam verò ex manifeſto miraculo ſpectatores voluptatem ceperint, quantoque dæmon dolore languerit, profectò ſatis exprimi nequit. Petrus verò, etſi auxilium Dei preſentiſſimum expertus, ne quod pruduntia ſuggerebat, præteriret, duo juſſit, & chirurgum quantocyus acciri, & vulneratum à loco fuſi ſan-

Scripta An. 1608.

ſanguinis, ubi feneſtræ, januæque patebant, in abditiorem locum peramanter deduci. Adeſt ergo chirurgus celerrimè accerſitus: vulnus ſpecillo tentat, cranium abradit, perlitos ovi albumine panniculos comparat. Omnia certè incaſſum: neque enim erat idoneus ordo, ut quod fides cœperat, ars illa perficeret. Artifex itaque nequicquam ſe in omne latus vertit erumpentem ſanguinem repreſſurus, cum panniculos impetus reiiceret, & vulnus ferro vix attactum majorem ſanguinis vim profunderet. Quapropter deſperat ſe aliter poſſe impetum ſiſtere, quàm ſi venam conſuat: quem ubi Petrus hærentem, atque perplexum conſpicatur, *Amove*, inquit, *artis opus* (omnia nimirum quæ applicuerat) & confeſtim, eodem, quo prius, imperio, ac fidei firmitudine ſubjungit: *Per obedientiæ virtutem impero, ne ſanguis erumpat*. Statimque ſumma cum omnium admiratione, natura fidei cedente, ſanguinis impetus interceptus eſt. Ubi præ omnibus attonitus, ſtupenſque chirurgus hæc verba ſubjecit: *Hæc profectò medendi ratio arte noſtra nobilior eſt*; & re circumſpecta, cum impotenti affectu diſcedit. Quid enim ageret, diceretve prodigium tantum contemplatus? Adoleſcens ergo ſaucius, fideque curatus propitium Deum expertus, & opportunitatem nactus, cum per menſes multos moleſto capitis dolore laboraſſet, ex quo in ſummum emittendæ profeſſionis diſcrimen venerat, parumque aberat, ut à Patribus quantumvis probus, expelleretur, ſtatus Monaſtici cupidiſſimus ſic Petrum allocutus eſt: *Jube, obſecro, Pater, ut capitis dolor abſcedat*. Juſſit, quàm firmiter præceperat, dum ſanguinem coerceret: adeoque dolorem abegit, ut ſuccedente mox mira capitis firmitate, omnem profitendi dubitationem expunxerit. Ter imperatum eſt, triaque planè mira patrata ſunt, quæ hiſtorico elogio digna videri viri graviſſimi cenſuerunt. Proximo demum die convocati Patres, qui dum hæc mira contingerent, in Choro agebant, feliciſſimum rerum exitum adoleſcenti gratulati ſunt. Atque in hunc modum, vitæ Petri compendium, ad multorum preces, celeriter exaratum abſolvimus.

Hæc tamen omnia nullum ulli decreto præjudicium faciunto: neque ad ſanctitatis, aut miraculi opinionem, ſed ad ſolius hiſtoriæ fidem valento.

IN SEQUENTEM OPELLAM

PRÆMONITIO.

SUB *finem anni* MDCIX. *Ulyſſipponæ in Luſitania lis excitata eſt in toties diſputatam Bullam Johannis* XXII. *quæ a privilegio pro Confratribus B. Virginis de Monte Carmelo inibi adſerto, & revelato, ſabbatina dicitur, fervorque in eam animorum adeo exarſit, ut per Dom. Epiſcopum Petrum de Caſtillo Generalem Inquiſitorem ejuſdem publicatio, quæ moris erat vetuſtiſſimi, ſubſpenſa fuerit; donec res ad Supremum Romanæ Inquiſitionis Tribunal delata, ibique ſeria quatuor annorum diſcuſſione examinata, tandem* III. *Idus Febr. an.* cIↃ. IↃc. xiiI. *pro antiqua Ordinis Carmelitani poſſeſſione ſolemni decreto conclamata eſt. Quæ quidem omnia, præter plurimos alios ſcriptores, referuntur etiam poſtremo a Benedicto XIV.*, De Feſtiv. B. M. Virg. part. 2. §. 77. pag. *mihi* 302. *generatim vero videri poſſunt in* Bullario Carmelit. Tom. 1. pag. 62. & Tom. 2. pag. 601. *& penes noſtros, præcipue Danielem a Virgine Maria, in ſuo* Speculo Carmelitano, Tom. 1. par. 2. lib. 5. pag. 570. & ſeq. *& Paullum ab Omnibus Sanctis Diſcalceatum in Opere, cujus titulus*, Clavis aurea Theſauri Partheno-Carmelitici, ſive diſſertatio Hyſtorico-Theologica reſerans, atque exponens antiquitatem, & originem, confirmationem, ac præparationem, beneficia, ac privilegia &c. Confraternitatis Scapularis Mariani Deiparæ Virg. de Monte Carmelo, par. 2. cap. 15. a n. 165. editionis Viennenſis an. *1669. Occaſione igitur hujus delationis Controverſiæ ad ſupremum Relligionis tribunal*, quum plurimum quoque eo tempore huic cauſæ patrocinati ſint (*ut ait idem P. Paullus loc. cit. n. 166.*) Venerabiles Patres Joannes a Jeſu Maria Præpoſitus Generalis Congregationis Italicæ noſtrorum Diſcalceatorum, ac Dominicus a Jeſu Maria pro tempore Prior S. Mariæ de Scala in Urbe; viri ambo cum a ſanctitate, tum a doctrina Orbi Chriſtiano notiſſimi, eaque de cauſſa & Suæ Sanctitati (*Paullo V.*) & univerſæ Romanæ Curiæ acceptiſſimi, *ipſe Ven. Johannes an. MDCXI. jam Generalis Præpoſitus adlectus, de ea quæſtione conſultus, ac poſtulatus, hanc, ut equidem arbitror, currenti calamo, ea, qua erat ad omnia comparatus, eruditione*, Opellam, *ſeu Votum exaravit; quæ ſi ſtylo, & elegantia ſermonis ab aliis minus compta videatur, id partim materiæ, & Scholaſtico-Iuridicæ ſcriptionis methodo, partim celeritati, qua ſcripta videtur, tribuendum eſt. Obcluſa tamen manſit hæc* Synopſis *MS. in Archivo noſtro Romano uſque ad an. 1669. quum laudatus P. Paullus ab Omnibus Sanctis, alter Operum noſtri Scriptoris Conlector, Viennæ in Auſtria ſuam illam* Clavim Auream, *adverſus Johannem Launoium, alioſque Carmelitici hujus privilegii oſores excudebat; ad cujus calcem, ſcilicet Part.* 2. *num.* 178. *eam addidit, quod ejus diligentiam fugerit, dum generali illi editioni operam dabat, ut ipſe hac ad Lectorem Monitione præfatur.*

,, *Verbo te volo. Incidit haud ita pridem in manus meas Opella quædam Venerabilis*
,, *P. Joannis a Jeſu Maria Calaguritani, inſcripta:* Synopſis rationum, quibus Bullæ Sabbatinæ
,, privilegium aſſeritur; & oppoſitorum argumentorum Reſolutio, cum expoſitione
,, ejuſdem Bullæ, ac annotationibus in eamdem; *quæ diligentiam effugit meam,*
,, *dum omnes poſthumos ejuſdem ſapientiſſimi Patris Libros, & Tractatus inſigni pietate,*
,, *ac multiplici eruditione refertos in unum collectos, ac digeſtos Tomum, Coloniæ anno* 1650.
,, *in lucem ederem; qui Operum ejus Tomum quartum conſtituunt, numeranturque vigintitres.*
,, *Verùm quia præfatum Opuſculum mirifice ad rem noſtram facere videtur, noſtroque*
,, *hic inſtituto apprimè ſervire valet, & ne ullus tanti Viri, de Eccleſia Dei, Carmelique*
,, *Religione ſuis Lucubrationibus optime meriti, labor, ac partus intereat* (cujus
,, ne brevem quidem ſchedulam, *ſic de eo, ejuſque ſcriptis cenſuit eximius ætatis noſtræ*
,, *Antiſtes*, deperire æquanimiter ferendum) *conſultum duxi, illud in calce hujus*
,, *ſecundæ partis ſubjungere. Animadvertendum verò eſt, quò faciliùs, pleniuſque, quæ hic*
,, *ſubiiciuntur, percipiantur, Ven. Patrem, ea, de qua in præſenti diſſeruimus tempeſtate,*
,, *hanc Opellam conſcripſiſſe:* ,, *Anno ſcilicet a nobis prælaudato.*

ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ

APPENDIX.

VEN. P. FR. JOHANNIS
A JESU MARIA
SYNOPSIS RATIONUM,
QUIBUS
BULLÆ SABBATINÆ
PRIVILEGIUM ASSERITUR.

Scripta An. 1611.

Capita, quæ in hoc Tractatu ad Sacram Theologiam, & utrumque Jus pertinet, ſeorſum in aliis Tractatibus longioribus expenduntur; ubi probatur nihil obiici, quod Sacræ Theologiæ, aut Sacris Canonibus adverſetur.

Ratio prima petitur ex ipſa Bulla Sabbatina Joannis vigeſimi ſecundi, quæ licet modo non inveniatur ob caſus varios Archivi Avenionenſis, ſuppetunt tamen tot argumenta ex jure ipſo petita ad fidem faciendam, ut a nemine in dubium revocari debeat; eo quippe ipſo periret fides aliarum rerum Eccleſiaſticarum, quatum originales Litteræ Apoſtolicæ ſimilibus ex cauſis deperditæ ſunt, vel conſumptæ; quibus tamen fides habetur propter Juris remedia, & Tranſumpta ad Originalium defectum ſupplendum deſtinata, eamdem authoritatem cum Originalibus habitura. Accedit ad hoc authoritas Alexandri Quinti, qui in prædicti privilegii confirmatione ait, *ſeipſum Originale vidiſſe, ac diligenter inſpexiſſe*. Et profecto unius Summi Portificis aſſertum per Eccleſiam evulgatum, ad fidem Originalis aſtruendam magni ponderis eſt.

Ratio ſecunda ex confirmatione Summorum Pontificum Alexandri V. & Clementis VII. qui certe Clemens Bullam prædictam non modo approbat, & innovat, ſed, ſi opus eſt, denuo concedit. Adeſt & approbatio Pii V. & Gregorii XIII. ex certa ſcientia. Ecce quatuor Summorum Pontificum confirmatio: cujus, ſecundum Jus, eſt duplex effectus: alter ſupplere defectus antecedentes, alter removere neceſſitatem exhibendi Originalia, quod utriuſque Juris conſultis bene compertum eſt.

Ratio tertia ex conſuetudine antiqua, Summis Pontificibus ſcientibus, & conſentientibus non ſolùm nota, ſed grata, & (quod fortius eſt) expreſsè ab iiſdem approbata. Quæ quantam in jure vim habeat, exploratum eſt, cum conſuetudo Principibus nota, & probata vim legis obtineat, & perinde ſit talis conſuetudo, ac ſi expreſſis verbis de eadem re lex lata fuiſſet.

Ratio quarta ex titulo præſcriptionis immemorabilis, cujus ſunt multiplices effectus. *Primo* enim (ut Juriſconſultis perſpectum eſt) excludit omnem actionem contra rem præſcriptam. *Secundo*, habet vim aſſenſus Superioris. *Tertio*, ipſa eſt titulus, vel ita efficax, ac ſi titulus eſſet. *Quarto*, habet vim Privilegii a Principe conceſſi. Quocirca vel ſola ſufficere poſſet ad prædicti Privilegii confirmationem, cum ſit trecentorum circiter annorum bona ſemper fide decurrentium.

Ratio quinta ex titulo pacificæ poſſeſſionis, pro qua, ſi antiqua ſit, ſtat præſumptio veritatis, ita ut pro titulo rei poſſeſſæ, ipſa poſſeſſio antiqua habeatur (quin & Privilegio æquiparetur:) poſſeſſio autem pacifica dicti Privilegii per trecentos fere annos procurrit, ut jam in titulo præſcriptionis aſſertum eſt.

Ratio ſeſta componitur ex communi ſententia Doctorum Academiæ Salmanticenſis, qui de re hac intertogati, Bullam Sabbatinam bene exploratam concorditer approbarunt, ex authoritate quoque Epiſcoporum, & Inquiſitorum, qui in diverſis Chriſtiani Orbis partibus illam examinarunt, conceſſeruntque, ut typis mandaretur imago, qua prædictum Privilegium expreſſum eſt.

Ratio ſeptima ex occaſione male opinandi de Summis Pontificibus, ſi prædictum Privilegium reprobaretur: excitarentur enim non ſolum animi, ſed & linguæ multorum, ut male opinarentur de multis Summis Prontificibus prædicti privilegii confirmatoribus, quaſi fefellerint populum Chriſtianum, dum res falſas confirmarunt, & varias indulgentias prædicari, typis mandari, in ipſa alma Urbe inſigne Societatis, ſeu Confraternitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, cum Privilegio depicto circumferri, & in Eccleſiis ipſis pingi permiſerunt. Etenim, ſi hæc falſo nituntur fundamento, non creſcet Catholicorum æſtimatio erga pietatem, & rectam gubernationem Eccleſiæ, quæ de ſummis Pontificibus habenda eſt.

Ratio octava ex Hæreticorum maledicentia. Quomodo enim Hæretici non pejus de Pontificum Dignitate, & providentia ſentient, & loquentur, ſi res antiquas pias, probatas, & confirmatas à multis

tis Pontificibus audiant nunc impugnari, & a Summo Pontifice reprobari? Profectò ex hac oocaſione pejores fient, & licentiùs detrahent, & Sedem Apoſtolicam, univerſamque Eccleſiam, quaſi per annos trecentos in re gravi ſeductam deridebunt.

Ratio nona ex ſcandalo Confratrum. Conſtat ſcilicet per univerſam Eccleſiam, Societatem Beatiſs. Virginis de Monte Carmelo prædictæ Bullæ Privilegio allectam, eſſe numeroſiſſimam, ac plurima opera pia ea de cauſa exercere; per ſingulas quippe Hebdomadas feriis quartis, & Sabbatis plurima ex utroque ſexu millia Hominum à carnibus abſtinent, continentiæ peculiarem curam gerunt, preces Canonicas perſolvunt, ſacramenta, & alia pietatis opera frequentant. Quis ergo non videat, grave ſcandalum imminere, graveque damnum inferri populo Chriſtiano, ſi prædictæ Bullæ Privilegium infirmetur cum tot, tantaque opera pia ex pia fide Privilegii dependeant? Ad hæc quo dolore affligtabuntur, qui totius vitæ ſuæ decurſu, pia Privilegii fide ſubnixi aſſueverunt abſtinentiæ, & precibus in Beatiſs. Virginis cultum directis, ſi audiant ſe falſa credidiſſe? Profectò ſcandalum ſatis grave videtur, quod præcaveri debeat

OPPOSITORUM ARGUMENTORUM RESOLUTIO.

Subjecta argumenta in aliis Tractatibus longioribus exactiùs expenduntur, & refelluntur.

PRimum Argumentum tres continet partes, in quarum prima obiicit quidam Theologus, Bullam eſſe fictitiam, ex abſurditate promiſſionis D. Virginis, dum ait: *Ego mater, gratioſe deſcendam ſabbato poſt eorum obitum, & quotquot inveniam, liberabo, & eos in Montem Sanctum vitæ æternæ deducam* Ubi de deſcenſu ad Purgatorium loquitur. Nec poteſt explicari de deſcenſu myſtico, quia, *deſcendam, inveniam, liberabo*, innuunt deſcenſum realem. Hæc eſt prima argumenti pars.

Reſp. Non eſſe abſurdam B Virginis promiſſionem, quia deſcenſus ille eſt moralis, tametſi congruant verba deſcenſui reali: quod Theologis uſitatum eſt, dum ſæpe eiſdem verbis utuntur ad ſignificandas cauſas, vel effectus reales, & morales; ut cum definiunt, ſub eiſdem verbis per Sacramenta gratiam conferri ſive phyſice, ſive moraliter intelligatur. Sic B. Virgo dicitur *deſcendere, liberare, &c.* morali modo per effectum, ſeu virtutem ſuæ interceſſionis. Poteſt quoque phyſice, ſive realiter accipi, ſicut pie creditur ſæpe ad terram deſcendiſſe. Neque obſtat, quod tunc abeſſet a Curia cæleſti, id quippe non efficaciter infertur, cum probabilis Theologorum opinio ſit, idem corpus eſſe poſſe circumſcriptive in pluribus locis. Verum prima deſcenſus interpretatio etiam vulgo familiaris eſt: ut cum dicimus Summum Pontificem pium, ac liberalem in carcerem paſſim deſcendere, vinctoſque liberare, non ſcilicet corporis, ſed clementiæ deſcenſu.

In ſecunda parte argumenti ſic ait: Tum, quia Pontifices ſolent uti in ſuis Bullis, verbis in ſenſu proprio, & non metaphorico.

Reſp. Primo, ſi hoc univerſè intelligatur, falſum eſſe, ut ex multis Bullis evincitur. Reſp. ſecundo, familiare eſſe Prophetis, & iis, qui revelationes deſcribunt, metaphoricè loqui, ut ex Apocalypſi, & multis aliis Sanctorum libris patet. Profectò, qui viſa divina referunt, ſæpè inducunt Chriſtum, vel B. Virginem, vel Sanctam tutelarem dicentem: *Ego te viſitabo, ad te revertar, ad te deſcendam*, aliaque ſimilia, quæ a Theologis, rerum Spiritualium bene peritis, non de reali deſcenſu, aut reditu neceſſario accipiuntur, ſed de morali deſcenſu æquè intelligi ſolent, quando ſcilicet Chriſti, aut B. Virginis virtutem peculiari ſenſu viri pii percipiunt.

In tertia parte argumenti ſic ait: Tertiò, quia auxilium ſpecialium precum ſuarum pie credimus ipſam B. Virginem præſtare omnibus ſuis devotis, & non ſolum Fratribus iſtis

Reſp. Verum eſſe quod obiicitur: At non eſſe ad rem, de qua agitur. Non enim omnibus, quibus B. Virgo ſpecialibus favet precibus, facta eſt ea promiſſio, quæ ſpecialius quoddam Privilegium eſt.

Secundum argumentum ſic habet: Secundo probatur ex falſitate alterius promiſſionis D. Virginis ad Joannem, dum ait, (*a tuo te eripiam adverſario.*) De quo adverſario loquitur hic? Non de dæmone: neſcimus enim, utrum ab iſto fuerit liber. Non de Nicolao, ſcilicet Antipapa, quia iſte jam erat mortuus ante annum quintum *Joannis*, & Bulla expedita fuit anno ſexto. Non de Bavaro, quia iſte vixit multos annos poſt mortem *Joannis*: Ergo falſa eſt iſta promiſſio.

Reſp. Promiſſionem vere impletam eſſe. Nam quod arttinet ad Antipapam, *Joannes* illum conjecit in carcerem, ubi interiit; non ante annum quintum, (ut obiicitur) ſed poſt annum decimum quintum, ut Platina, Joannes Villanus, & alii: fuit liberatus a Bavaro, qui ob calamitates multas relicta Italia ſeceſſit in Germaniam; Fuit denique (ut piè creditur) liberatus a Dæmone, utpote is, de cujus pietate, conſtantia, prudentia, & doctrina Scriptores multa prodiderunt, quæ tanti viri ſalutem piè credendam evincunt.

Tertium argumentum continet partes duas. In prima ſic ait: Tertio ex illa propoſitione erronea, quod, (*qui ſanctum intrabit Ordinem*, ſcilicet Carmelitarum, *ſalvabitur*). Tunc namque nullus Carmelita damnaretur. Gloſſant: Intrabit, ſi ſervanda ſervabit. At Gloſſa hæc non facit ad ſolutionem, quoniam iſta ſervanda ſunt; vivere in obedientia, paupertate, & caſtitate: quæ tria ſunt in altero disjunctivo membro (qui in ſancta perſeveraverit obedientia, paupertate, & caſtitate, vel ſanctum intrabit Ordinem, ſalvabitur). En, quod per ſolum Ordinis ingreſſum valent ſalvari, cum cætera omnia obſervanda reducantur ad illa tria, ſine quorum trium obſervantia non poſſent profectò ſalvari.

Reſp. Sinceram, & textui bene congruentem interpretationem verborum illorum, quæ obiiciuntur, eſſe hanc: *Qui in ſancta perſeveraverit obedientia, paupertate, & caſtitate, ſalvabitur*: quod de Profeſſis, qui vota ſolemnia emiſerunt, & perſeveranter obſervarunt intelligendum eſt. Illa vero verba, *vel ſanctum intrabit Ordinem*, accipienda ſunt de Novitiis, qui nec vota emiſerunt, nec ad proprium ſtatum Monaſticum, qui ſine votis non conſiſtit, pervenerunt, ſed ſunt in quodam Religionis ingreſſu. His tamen promittitur ſalus, nimirum, ſi ſervanda ſervant. Neque obſtat, quod inter ſervanda numerentur tria illa poſita in altera parte disjunctivè, quia ratio eſt longè diverſa. Nam in prima parte ponuntur illa tria, ut per votum Deo conſecrata, atque ex voto ad ſalutem neceſſaria in Profeſſis. In ſecunda vero parte ſubintelliguntur, ut opera ſupererogationis nondum ex voto debita, qualia congruunt Novitiis. Quod autem illa verba (*qui ſanctum intrabit Ordinem ſalvabitur*), intelligi debeant ſervatis ſervandis, ex uſitato Sacræ Scripturæ more patet, ubi ſæpe ſalus promittitur alicui actui, vel operi, cum quo ſolo, ſi nihil addatur ſalus conſtare non poteſt. Ut *Marci* ultimo: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Hæc de prima parte.

Secunda pars argumenti ſic ſe habet. Amplius, memini me alias audiviſſe, dici a probatis Theologis: Nulla fere propoſitio adeo Hæretica, quin per aliquam diſtinctionem, & Gloſſam non poſſit ad ſenſum reduci Catholicum, ſed ſuperiores noſtri optimo jure animadvertere conſueverunt, ne pronuncientur a quopiam ita ſimpliciter, & nudè propoſitiones illæ, quæ prima ſua facie malè ſonant ut iſta.

Reſp. primo. Non minus frequenter a peritis viris dici, nullam propoſitionem eſſe adeo catholicam, quæ ab iis qui ſunt ingenio ad impugnandum proclivi, non ſoleat ſub aliqua diſtinctione impugnari; ex hoc tamen nihil obtinet impugnator in præſenti cauſa.

Reſp. ſecundo, propoſitionem Bullæ in argumento factam non eſſe ex illarum numero, quas Superiores reprobarunt, aut reprobare potuerunt. Quoniam propoſitiones, quæ duritiem aliquam prima facie præſeferre videntur, ſi ſint Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Antiquorum, & graviorum Doctorum ſemper ſolent, & debent piè exponi, non verò damnari. Hujuſmodi verò eſt propoſitio B. Virginis allegata, a multis Summis Pontificibus, aliiſque Superioribus approbata antiqua, & ſemper a viris piis piè credita, & intellecta.

Quartum argumentum. In quo obiicitur varietas Tranſumptorum in hæc verba. Bulla Ferrarienſis incipit, *ut Sacratiſſimi Montis*, Summarium Mediolanenſe, *Sacratiſſimo uti culmine*. II. Bulla Ferrarienſis demonſtrat viſionem factam fuiſſe *Ioanni*, poſtquam erat Papa; Florentina autem antequam eſſet Papa. III. Summarium Florentinum ait: *Ho viſto la devozione, che tu mi porti, però ti farò aſcendere nel più alto ſtato della Chieſa:* De hoc autem nihil habetur in Bulla Ferrarienſi. IV. Bulla Ferrarienſis dicit, quod hæc gratia obtinebitur caſtitatem promittendo, &c. quæ promiſſio videtur quoddam votum; Summarium autem Florentinum dicit, quod Confratres ſervent puritatem ſtatus ſui. V. Summarium Florentinum dicit, quod Confratres teneantur dicere horas Canonicas ſecundum ritum Carmelitarum. Ferrarienſe autem ab hoc onere eos eximit.

Reſp. Virum iſtum eſſe dignum excuſatione, quia Tranſumpta antiqua non vidit, quæ conformia ſunt, & habentur in promptu, ut veritas ex eorum collatione pateat. Summaria nihil obſtant, cum non ſint ipſe textus Bullæ, ſed compendia pro vario obſervatoris intellectu diverſe compoſita. Diverſitas quoque opinionum in expoſitione Bullæ, quoad onera, quæ Confratribus imponuntur, nihil obſtat, alioquin obſtaret veritati diverſitas multiplicis interpretationis in eodem textu juris, quin & ipſius Sacræ Scripturæ.

Quintum argumentum ſic habet: Quinto ex ſtylo Bullæ: Stylus enim *Joannis* vigeſimi ſecundi eſt valde gravis, ut videre eſt in corpore juris: Hujus autem Bullæ eſt ſatis levis, & vulgaris. Quare primo contra morem Sacrorum Canonum apellat Confraternitatem ſæcularium titulo *Religionis*, & *Ordinis*, quando dicit *Sanctam ingredientur Religionem*, præfatum *intrabunt Ordinem*.

Reſp. Stylum inſolitum eſſe, ut ſic occaſioni, & affectui *Joannis* congruat inſolito. Quocirca mirum non eſt, ſi *Joannes* a ſe ipſo alia ſcribente diſcrepet. Animus quippe divino ſenſu, & affectu emollitus ſermonis ſimplicitatem eloquentiæ præponit, ut videre licet in multis Patribus, qui dum flagrarent devotionis ſenſu pia opuſcula ſimplicius ſcripſerunt, quam reliqua opera; quin etiam, & in aliis operibus, cum poſſent ornate loqui Barbariſmis a conſilio uſi ſunt, ut ex uno Gregorio periti Theologi norunt; quod pietati adſcribendum eſt. Huc accedit efficax ratio, quod *Joannes* non ut author ſermonis, ſed ut exceptor, aut relator refert non modo viſionem, ſed verba quoque B. Virginis, quæ mutare non debuit: Immo debuit verba, quæ ipſe adjecit ſtylo ejuſdem Virginis aptare: quod certè pietati & pio affectui conſentaneum eſt. Ad alia, quæ obiiciuntur Reſp. Nihil obſtare, quod B. Virgo Confraternitatem ſæcularium appellet Religionem: nam & totus Populus Chriſtianus, Theologicè agendo, eo nomine poteſt, & ſolet nuncupari, præterquam quod verba proximè antecedentia, & ſubſequentia Virginis ſenſum exponunt, dum ſic legitur: *Et alii devotionis cauſa in ſanctam ingrediantur Religionem, ſancti habitus ſignum ferentes, appellantes ſe Confratres, & Conſorores mei Ordinis &c.* ubi ſenſus planior eſt, quam ut expoſitore indigeat. Accedit, quod Confratres variis in Provinciis ſe Religioſos appellant, paſſim dicentes, *Ego ſum Religionis Sancti Dominici: Ego Sancti Franciſci*.

Argumentum procedit ulterius per hæc verba: ſecundo dicit: *Fratres verò Profeſſi dicti Ordinis a ſupplicio ſolvantur, & culpa*, ubi ly *ſupplicio*, ponitur pro pœna, quod Sacris Canonibus videtur inſolitum. Appellat etiam eos profeſſos in primo die eorum ingreſſus.

Reſp. ad primam objectionis partem, magis diſcrepare culpam a pœna, quàm ſupplicium a pœna, & tamen Sacra Scriptura utitur nomine culpæ ad ſignificandam pœnam, ut 2. Machab. 12. ubi aſſeritur, *Sanctam cogitationem eſſe pro defunctis exorare, ut a peccatis* (hoc eſt a pœnis) *ſolvantur*. Qua etiam phraſi Eccleſia utitur in concedendis indulgentiis: v. g tertiæ, vel quartæ partis peccatorum; præterquam quod re Theologicè perpenſa, nihil obſtat pœnam Purgatorii dici ſupplicium, ſicut & tormentum. Ad ſecundam partem dicitur, falſum eſſe, quod obtenditur, ut patet intuenti textum Bullæ, in qua tres ſtatus aperte diſtinguuntur; unus Profeſſorum, alter ingredientium Religionem, ſive Novitiorum, alius Confratrum.

Procedit adhuc argumentum in hunc modum: Fit quædam proportio improportionata Carmeli montis Materialis, cum Paradiſo Cœleſti dicendo: *Sic ille reputatur locus de Carmelo Mons* (Ordo videlicet Carmelitarum) *cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando &c* Quibus verbis nulla metaphora poteſt commodè applicari, & ſine metaphora nullo modo poteſt intelligi.

Reſp. Verbis Bullæ fideliter relatis contineri aptam metaphoram. Sic enim textus habet: *Sic ille mons reputatur de Carmelo Ordine cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando &c.* Quorum verborum ſenſus eſt, quemadmodum Chorus Angelorum non ceſſat dicere, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus &c.* Sic ille mons reputatur, ideſt, tamquam alter Chorus Angelorum. Patet autem, hîc non de monte materiali, ſed de gente divinis laudibus dedita, ſermonem fieri; quapropter ſubjunguntur illa verba de Carmelo Ordine, qui certe Ordo, ex viris Angelico more viventibus apta proportione, Chorum Angelorum repræſentat.

Procedit ulterius argumentum in hæc verba: Pontifices in ſuis Bullis poſt expoſitionem cauſæ, ſolent aliquid ſtatuere: hîc autem nihil videtur ſtatui, ſed tota Bulla expenditur in narratione viſionis.

Reſp. Non expendi Bullam totam in ſola narratione, nam ipſe objector inferius dicit: „ Et Demum ſubjungit Pontifex: *iſtam Indulgentiam ego accepto:* „ quæ quidem verba ad narrationem minime pertinent. Neſcio autem, cur tacuerit ſequentia, ex quibus aperte veritas eluceſcit: ſic enim textus habet: *Roboro, & confirmo in terris, quemadmodum Jeſus Chriſtus conceſſit in Cœlis*. Ecce Pontificis confirmationem, quæ extra narrationem eſt.

Procedit denique, ac finitur quintum argumentum his verbis: „ Demum ſubjungit Pontifex: *iſtam indulgentiam ego accepto* .. „ Cur non loquitur Pontifex in plurali, ut ſolent Pontifices facere in Bullis?

Reſp. Olim non fuiſſe uſque adeo exacte obſervatum hunc morem loquendi ſemper in numero plurali; & licet is mos ſemper viguiſſet, ſuberat peculiaris cauſa ſic loquendi de re cœlitus accepta, quæ cum a Chriſto conceſſa fuiſſet in Cœlis, decuit, ut ejus Vicarius humillimis verbis eam confirmaret, & expediret in terris.

Sextum argumentum, ex modo approbandi viſionem abſque venerabilium Fratrum ſuorum conſenſu, in quo magnum jactantiæ ſpecimen præbuiſſet, & poſſet errare, quatenus homo, cum hæc ſit quæſtio de facto.

Reſp. Argumentum hoc ex communi juriſperitia refutari, cum falſum ſine probatione aſſeratur; oppoſitum potius ex jure ſupponendum eſt. Nam in rebus antiquis, etiamſi non exprimantur cæremoniæ juris, ſemper tamen factæ præſumuntur, ut eſt communis Doctorum ſententia. Ad illud verò quod ait, Pontificem potuiſſe errare in hac quæſtione de facto, reſpondetur, in ea quæſtione, quò quis melior Theologus, eò modeſtius loqui. Et quidquid de controverſia facti dicatur, certum videtur in hac quæſtione, errorem nullum vel ſpeculativum, vel practicum ſubeſſe, ut ex omnium argumentorum ſolutione perſpici poteſt.

Septimum argumentum eſt prolixum, & leve, cujus compendium eſt, Bullam infirmari a cauſa frivola: Si enim (ut ille obiicit) quis petat a Carmelitis, quare B. Virgo tantum privilegium eis conceſſerit? Reſpondent, quia geſtant Scapulare caſtaneum Ordinis, quo colore induta fuit Beatiſſima Virgo: quod eſt falſum, ait: quia vetus habitus Carmelitarum erat albus, ut teſtatur Morigia.

Reſp. Hoc argumentum nihil habere ponderis: Aſſumpſit quippe falſum, Carmelitas ſcilicet aſſerere cauſam Privilegii eſſe geſtationem Scapularis caſtanei, ſive fuſci; nemo enim è doctis, prudentibuſque Carmelitis id umquam aſſeruit; ſed cauſam conceſſionis Privilegii in divinam electionem refert: congruentiam verò quamdam non ſoli Scapularis geſtationi, ſed aliis plurimis piis operibus ad B. Virginis cultum directis aſſignat. Quod allegat ex Morigia l. 1. c. 30. falſum eſt; tam enim hic Auctor in fine ejuſdem capitis, quam alii periti pallium album, ſed tunicam, & ſcapulare coloris nativi, quem alii griſeum, alii caſtaneum vulgò appellant Carmelitis antiquis tribuunt. Quod verò B. Virgo utroque colore nativo albo, & griſeo ſubnigro induta inceſſerit piè creditur; tum ex ratione, quia decuit B. Virginem non uti colore artificiali: tum ex auctoritate, quia Epiphanius, Bernardus, Nicephorus, & alii ajunt, veſtes illius fuiſſe nativi coloris. Apud B. autem Birgittam *libro ſeptimo Revelationum cap.* 21. diſtintè habetur exteriorem veſtem B. Virginis fuiſſe albam, tunicam tamen interiorem griſeam, ſeu fuſcam fuiſſe piè, & congruenter creditur, cum ad obſequia domeſtica, quæ humillimè exercebat multò aptior eſſet.

TRANSUMPTUM AUTHENTICUM

BUllæ Sabbatinæ Romæ in Tranſpontina aſſervatum ante annos centum ſexaginta ſeptem deſcriptum ex Tranſumpto Authentico Bullæ Alexandri V. in qua ad verbum prædicta Sabbatina refertur, quam ipſe Alexander fatetur ſe vidiſſe, ac diligenter inſpexiſſe. Hîc notandum, ex injuria tranſcribentium irrepſiſſe pauca quædam errata in aliquot locis, quæ tamen ſenſum non vitiant. Prænotandum etiam, incuriam, vel neglectum interpunctionis in cauſa fuiſſe, ut verba minus bene in aliquot locis cohæreant: quod in ſcripto tam antiquo, & ipſa vetuſtate alicubi deformato, mirum non eſt. Prænotandum denique ſtylum eſſe inſolitum, ut congruat rei inſolitæ, & conſuetudini Sanctorum, qui dum revelationes, pioſque affectus deſcriberent, ſimplici ſermone à conſilio uſi ſunt: præterquamquod Joannes hîc non ſolum ſententiam, ſed verba quoque B. Virginis referre voluit, quibus debuit ſua verba coaptare.

EXPOSITIO.	TEXTUS BULLÆ.	ANNOTATIONES.
A. Joannes Epiſc. *&c. eſt præfatiuncula ſolita in litteris hujuſmodi Apoſtolicis.*	A. Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis Chriſti Fidelibus &c.	
B. Ut prædictum eſt. *Scilicet in Tranſumpto Bullæ Alexandri V. in qua habetur inſerta hæc Bulla* Joannis *ad verbum. Cum ergo qui tranſcripſit, poſuiſſet præfatiunculam Alexandri, in eodem Tranſumpto noluit eam ropetere, ſed dixit*, ut prædictum eſt, &c.	B. Ut prædictum eſt &c.	
C. *Ut in Sacratiſſimo culmine Paradiſi*, tam ſuavis, & dulcis reperitur Angelorum melodia in modulamine viſionis (*hoc eſt in cantu, qui celebratur in viſione Dei*) dum Jeſus paterno Numini (*hoc eſt Patris Deitati*) circumſpicitur (*hoc eſt, videtur a Beatis, quaſi Regiam majeſtatem circumſtantibus*) adunatus (*hoc eſt, unum in Deitate cum eodem Patre exiſtens*) dicendo: Domine (*correctior lectio eſt* DICENTE DOMINO) Ego & Pater unum ſumus, & qui videt me, videt & Patrem meum.	C. Sacratiſſimo ut in culmine Paradiſi Angelorum tam ſuavis, & dulcis reperitur melodia, modulamine viſionis, dum paterno Jeſus Numini circumſpicitur adunatus, dicendo: Domine, Ego, & Pater unum ſumus, & qui videt me, videt & Patrem meum.)	C. *Proportio inter cæleſtem Curiam.*
D. Et (*ut*) Angelorum non deſinit Chorus dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus, (*ut inquam hoc agit Angelorum Chorus in Cœlo erga Deum.*	D. Et Angelorum non deſinit Chorus dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus;	
E. Ita Synodus (*hoc eſt Cœtus, Conventus, Concilium Curiæ cæleſtis*) non ceſſet (*optantis ſignificatio eſt*) laudes effundere Celſæ Virgini, dicendo, Virgo, Virgo, Virgo, ſis ſpeculum noſtrum (*quod intueamur*) pariter, & exemplum (*quod amando Deum imitemur*) *Ratio ipſa perſuadet*, Joannem *voluiſſe his verbis exprimere affectum ardentiſſimum erga Virginem: propterea cupit cœtum Beatorum acclamare Virgini cantico quodam ſimili Seraphico cantico, quod Græci* Τρισαγιον, *ideſt*, ter ſanctum *appellant. Reddit autem rationem appoſitam.*	E. Ita Synodus non ceſſet laudes effundere celſæ Virgini dicendo, Virgo, Virgo, Virgo, ſis ſpeculum noſtrum pariter, & exemplum.	E. *Synodus hic etiam poteſt accipi pro Eccleſia Militante, ut ſit proportio inter Eccleſiam triumphantem, & Militantem ejuſque partem inſignem hoc eſt Ordinem Carmelitarum.*
F. Quoniam munere munitur gratiarum (*eſſe veluti Turrim gratiis munitam idonea ratio eſt, ut ei acclametur.*) Sic Sancta canit Eccleſia: Maria Gra-	F. Quoniam munere munitur gratiarum, ſic ſancta canit Eccleſia:	

Scripta An. 1611.

EXPOSITIO.	TEXTUS BULLÆ.	ANNOTATIONES.
tia plena, & Mater miſericordiæ (*hoc eſt, ſic Eccleſia congruit Curiæ cœleſti, dum cantu ſuo cœleſti Curiæ conſonat, fateturque, Virginem eſſe plenam gratiæ, matremque Miſericordiæ*).	Maria Gratia plena, & Mater miſericordiæ.	
G. Sic (*hoc eſt in eum modum, quo dictum eſt de Cœtu Angelorum*) ille mons reputatur de Carmelo Ordine cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando, & dicendo: Salve Regina Mater miſericordiæ, & ſpes noſtra (*ſimilitudo ſatis perſpicua eſt: Cœtus quippè Monachorum ad laudes divinas celebrandas ſociatus cœleſti Curiæ ſimillimus eſt*). *Hucuſque Pontifex ſuum erga Virginem affectum, & bonam Carmeli æſtimationem expoſuit*.	G. Sic ille mons reputatur de Carmelo Ordine Cantibus extollendo, & hanc gratiarum Genitricem commendando, & dicendo; Salve Regina Mater miſericordiæ, & ſpes noſtra.	G. *Et Religionem Carmelitarum*.
H. Sic (*ſcilicet ut mox dicam*) mihi flexis genibus ſupplicanti Virgo viſa fuit Carmelita (*hoc eſt, Virgo appellata de monte Carmelo*) ſequentem affata (*fortaſſe* EFFATA) ſermonem.	H. Sic mihi flexis genibus ſupplicanti Virgo viſa fuit Carmelita ſequentem affata ſermonem.	H. *Teſtatur* Joannes *a ſe viſam Virginem*.
I. O Joannes, O Joannes, Vicarie mei dilecti Filii, (*ex hoc patet a Joanne jam Chiſti Vicario Virginem viſam fuiſſe*).	I. O Joannes! O Joannes! Vicarie mei dilecti Filii.	I. *Nempe jam erat Pontifex*.
L. Veluti (*hoc eſt, ut ego*) a tuo te eripiam adverſario (*ſcilicet Antipapa, ſeu Bavaro, ſeu Dæmone, ſeu omnibus &c.*) (& ut) te Papam facio (*correctior lectio eſt* FECI, *ut requirit ipſe contextus*) meis adjuvantibus ſupplicationibus Filio meo petitis, (*correctior lectio eſt*, A FILIO MEO PETENS,) quod gratioſe obtinui.	L. Veluti à tuo te eripiam adverſario, te Papam facio, & Filii mei Vicarium, meis coadjuvantibus ſupplicationibus dulciſſimo Filio meo petitis, quod gratioſe obtinui.	L. *Monet à beneficiis collatis, ut mandata exequatur*.
M. Ita gratam, & amplam meo Sancto, ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere (*fortaſſe* PIE CONCEDERE) per Eliam, & Eliſeum in monte Carmeli inchoato.	M. Ita gratam, & amplam meo ſancto, ac devoto Carmelitarum Ordini confirmationem debeas præconcedere, per ELIAM, & ELISEUM in Monte CARMELI inchoato.	M. *Explicat B. Virgo quid à* Joanne *in ſignum gratitudinis requirat*.
N. Quod unuſquiſque, qui Profeſſionem faciens Regulam a meo Servo Alberto Patriarcha (*Jeroſolymitano*) ordinatam obſervabit, & inviolatam obtinebit, & per meum dilectum Filium Innocentium (*ſcilicet quartum*) approbatam.	N. Quod unuſquiſque, qui Profeſſionem faciens Regulam, a meo Servo Alberto Patriarcha ordinatam obſervabit, & inviolatam obtinebit, & per meum Dilectum Filium Innocentium approbatam, ut verus Filii mei Vicarius.	N. *Exprimuntur Profeſſi, ut pars nobilior: ſed idem de aliis ſentiendum, quod ad hoc Privilegium, ſive indulgentiam*.
O. Debeas in terris aſſentire (*illi ſcilicet decreto*) quod in Cœlis meus ſtatuit ſemel, & ordinavit Filius (*aſſeritur Indulgentiæ, ſeu Privilegii auctor, & conceſſor*).	O. Debeas in terris aſſentire, quod in Cœlis meus ſtatuit ſemel, & ordinavit Filius.	O. *Conceſſio eſt opus Chriſti, ſed impetratio eſt opus B. Virginis*.
P. Quod qui in ſancta perſeverabit obedientia, paupertate, & caſtitate, (*ſcilicet, ut Religioſus Profeſſus*) vel qui ſanctum intrabit Ordinem (*ſcilicet ut Novitius*) ſalvabitur (*ſi ſcilicet uterque omnia neceſſaria obſervet.*) *Sacræ Scripturæ phraſis eſt, qualis illa Marci ultimo:* Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, *ſcilicet ſi neceſſaria omnia præſtet*.	P. Quod qui in ſancta perſeverabit obedientia, paupertate, & caſtitate; vel qui Sanctum intrabit Ordinem, ſalvabitur.	P. *Decretum Chriſti, & decreti expreſſio quoad Profeſſos, & Novitios*.
Q. Et ſi alii devotionis cauſa (*ſcilicet non cauſa mutandi ſtatus*) in ſanctam ingrediantur Religionem (*hoc eſt Societatem, ſeu Confraternitatem, ut patet ex verbis ſubſequentibus*) ſancti habitus ſignum ferentes, appellantes ſe Confratres, & Conſorores mei Ordinis prænominati, liberentur, & abſolvantur a tertia eorum peccatorum portione, a die, quo prædictum Ordinem intrabunt, (*hoc eſt a die, quo inter Confratres ſcribentur, quæ ſequuntur obſervando*).	Q. Et ſi alii devotionis cauſa in ſanctam ingrediantur Religionem, ſancti habitus ſignum ferentes, appellantes ſe Confratres, & Conſorores mei Ordinis prænominati, liberentur, & abſolvantur a tertia eorum peccatorum portione, a die, quo præfatum Ordinem intrabunt.	Q. *Decreti expreſſio, quoad Confratres*.
R. Caſtitatem, ſi vidua eſt, promittendo: Virginitatis (*ſcilicet obſervandæ*) ſi virgo eſt, fidem præſtando: ſi conjugata, inviolati conſervationem Matrimonii adhibendo (*ſcilicet ſaltem per propoſitum*) ut Sancta Mater imperat Eccleſia (*ſcilicet conjugatis*). *Anceps quæſtio eſt, debeat ne caſtitas pro-*	R. Caſtitatem, ſi vidua eſt promittendo: Virginitatis, ſi Virgo eſt, fidem præſtando: ſi conjugata inviolati conſervationem matrimonii adhiben-	R. *Hæc a Confratribus promittenda ſunt, vel firmiter proponenda, ut a die ingreſſus a tertia parte peccatorum abſolvantur*.

EXPOSITIO.	TEXTUS BULLÆ.	ANNOTATIONES.
promitti, an ſolummodo proponi? Utrumque probabiliter aſſeritur, & quidem promiſſio, ſeu propoſitum confert ad abſolutionem a tertia peccatorum parte tunc obtinendam. Obſervatio vero caſtitatis ſubſequens confert ad conſequendam indulgent. primi Sabbati poſt obitum.	bendo, ut Sancta Mater imperat Eccleſia.	
S. Fratres Profeſſi (*qui majora præſtant*) ſupplicio ſolvantur, & culpa (*hoc eſt pleniſſimam indulgentiam conſequantur*) *phraſis eſt ſimilis iis, quibus Jubilæis ſeu pleniſſimis indulgentiis Eccleſia utitur, excepto nomine* ſupplicio, *quod pro pœna poſitum eſt. Nihil tamen Theologicè obſtat.*	S. Fratres Profeſſi dicti Ordinis ſupplicio ſolvantur, & culpa.	S. *Hæc eſt Profeſſorum indulgentia, qualem universè ſtatuit S. Thomas 2.2.q.189. a 3.ad 3. de Profeſſ Sed hic a B. Virgine ſpecialiter aſſeritur.*
T. Et *præterea*, die, quo ipſi à ſæculo recedunt (*omnes, prædicti, ſcilicet juſti Profeſſi Novitii, & Confratres, ut eſt communis interpretatio*) perpetrato gradu (*legendum* Properato gradu) accelerant Purgatorium. (*Cujus ratio eſt quæ ſequitur*) Ego Mater gratioſè deſcendam Sabbato poſt eorum obitum, & quot inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in Montem ſanctum vitæ æternæ reducam. (*Deſcenſus hic virtutis, non corporis eſt, quemadmodum pius Princeps, qui miſſis quotidiè eleemoſynis, quibus pauperes ſolatur, ad pauperum Domos deſcendere, eoſque a miſeriis liberare ſatis aptè dicitur, ſi autem corporis deſcenſus aſſeratur, nihil Theologicè obſtat, ſi B. Virgo venit: ipſa autem ſe velle aperte demonſtrat, dum ſe deſcenſuram pollicetur.*	T. Et die, quo ipſi à ſæculo recedunt, & perpetrato gradu accelerant Purgatorium. Ego Mater gratioſè deſcendam Sabbatum poſt eorum obitum, & quotquot inveniam in Purgatorio liberabo, & eos in Montem ſanctum vitæ æternæ reducam.	T. *Accelerant Purgatorium, quia non procurrit ultra Sabbatum*
V. Verum (*volo*) quod ipſi Confratres, & Conſorores (*non agit de Profeſſis, aut Novitiis, qui majora præſtant*) teneantur Horas dicere Canonicales, ut opus fuerit, ſecundum Regulam datam ab Alberto.	V Verum quod ipſi Confratres, & Conſorores teneanrur Horas dicereCanonicales, ut opus fuerit, ſecundum Regulam datam ab Alberto.	V. *Præſcribit Confratribus opera ad conſequendam Indulgentiam Sabbati primi poſt obitum, ſicut præſcripſit ad obtinendam remiſſionem tertiæ partis peccatorum à prima die ingreſſus in Societatem.*
X. Et illi qui ignari ſunt debeant vitam jejunam ducere iis diebus, quos ſancta jubet Eccleſia, niſi neceſſitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento. *Hæc jejunia alias debita partim conferunt ad lucrandam indulgentiam, ad eum finem directa, & a B.Virgine acceptata: cui doctrinæ nihil Theologicè obſtat, ſed additur abſtinentia ſubſequens alias minime debita.*	X. Illi, qui ignari ſunt debeant vitam jejunam ducere iis diebus, quos S. jubet Eccleſia, niſi neceſſitatis cauſa alicui eſſent traditi impedimento	
Y *Peterea* Mercurio, & Sabbato (*debent Confratres, & Conſorores*) a carnibus abſtinere, præterquam in mei Filii nativitate. *Non exigitur jejunium, ſed abſtinentia à carnibus, neque obſtat, quod in Sabbatis Univerſi Catholici abſtinent a carnibus; conſtat enim in aliquibus Hiſpaniæ Provinciis, porcinum cerebrum, cervices, & alias ſimiles animalium partes in Sabbatis comedi, a quibus abſtinendum eſt ad indulgentiam hanc aſſequendam.*	Y. Mercurio, & Sabbato a carnibus abſtinere, præterquam in mei Filii nativitate.	
Z. Et hoc dicto evanuit iſta viſio (*alia lectio habet*) evanuit iſta Sancta Virgo.	Z. Et hoc dicto evanuit iſta viſio.	
A. Iſtam ergo ſanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis Matris gratioſe Ieſus Chriſtus conceſſit in Cœlis. (*Tria verba notanda* accepto, roboro, confirmo) *ſi autem legatur* accepto robore, *ſenſus eſt Joannem robur è Cœlo accepiſſe, ſeu roboratum fuiſſe ad indulgentiam confirmandam. Utitur autem verbo* confirmo *ſupponens indulgentiæ affirmationem, ſeu conceſſionem a Chriſto Virginis precibus factam.*	A Iſtam ergo ſanctam Indulgentiam accepto, roboro, & in terris confirmo, ſicut propter merita Virginis Matris gratioſe Jeſus Chriſtus conceſſit in Cœlis.	A. *Confirmatio, ſive conceſſio Pontificia indulgentiæ a* Joanne *facta.*
B. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indulgentiæ, ſeu ſtatuti, & ordinationis irritare, vel ei auſu temerario contraire; ſiquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & B. B. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum.	B. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ indulgentiæ, ſeu ſtatuti, & ordinationis irritare, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & B.B. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſe noverit incurſurum.	B. *Clauſula generlis, & ſolita.*
C. Datum Avenioni die 3. Martii Pontificatus Noſtri anno *6. alii legunt* anno 1.	C.Dat.Avenioni die 3. Mar. Pont. noſtri an. 6.	C. *Dies expeditionis.*

OBſervandum hîc, quam ſint multa, quæ requiruntur, ad indulgentiam hanc conſequendam; geſtatio ſcilicet Scapularis, preces, cultus caſtitatis, & abſtinentia a carnibus &c. Profecto hæc; cum per totius vitæ curſum exercenda ſint, multo ſunt plura, ac graviora, quam quæ ad quamvis indulgentiam pleniſſimam in forma Iubilæi Eccleſia requirat. Quocirca minime mirum eſt ſi Sabbato, poſt obitum primo liberentur a pœna Purgatorii, qui per Iubilæum, ſive Indulgentiam plenariam minus gravati, in ipſo mortis articulo abſolverentur.

IN SEQUENTIA ΣΎΝΤΑΓΜΑΤΑ

PRÆMONITIO.

DUO priora, quæ bina continent Conſilia a Clemente VIII. vel ut probabilius coniicio, a Paullo V. Ven. Scriptori poſtulata, ab eo ſcripta crediderim circiter an. 1608. poſt abſolutas graviſſimas de Auxiliis divinæ Gratiæ Congregationes, quum animus Pontificis poterat quietius in hæc incumbere; nobiſque auctographa commendata ſunt ex Archivo noſtro Romano.

Duo poſtrema nobis humaniſſime communicavit noſter Ad. R. P. F. Leonardus a S. Tereſia Auſtriæ Provincialis, ex Archivo noſtrarum Monialium Neuſtadii, ubi ſub uno, eodemque Libello MS. adſervantur, in quo Epiſtolæ quoque Pareneticæ, & alia quædam a nobis in hoc eodem Tomo edita leguntur; eaque nunc primum ex Italico ſermone latinè reddimus. Pararphaſin in primam majorem Antiphonam Adventus *exaratam arbitror eodem anno, quo ſuperiori Tomo, pag. 660. ſcriptum conjectabam* Exercitium præparatorium ad Natalem Domini, *ſcilicet* 1600. Exhortationem *autem* ad initium Quadrageſimæ, *domeſtice utique habitam, anno* 1612. *dum Præpoſitum Generalem agebat.*

VEN. P. FR. JOANNIS A JESU MARIA

RATIONES, QUIBUS ASSERITUR

DECERE UT MONASTICI ORDINES UNIVERSI BREVIARIO, AC MISSALI ROMANO UTANTUR.

RATIO PRIMA.

Scripta An. 1608.

IN univerſa Eccleſia unum offertur Miſſæ ſacrificium, unuſque latriæ cultus erga divinam Majeſtatem exercetur: Decentius ergo erit, ut quoad fieri poteſt idem Officium divinum perſolvatur, eædemque cæremoniæ fiant, quod proculdubiò ſuccedet, ſi Breviario, Miſſalique uno univerſi Ordines aſſueſcant.

II. Ubi eſt unius fidei profeſſio, congruentior eſt una rituum ſacrorum facies, ut omnes ore uno, unaque adorationis forma Deum venerentur; quod unius Breviarii, ac Miſſalis conſuetudine fiet.

III Romana Breviarii, Miſſaliſque forma multò gravior, & ſanctior eſt, quàm formæ aliæ, ſive Officii Divini partes, ſive ritus ſacri ſpectentur; decet ergo, ut ea ſit forma communis, quæ melior.

IV. Experimentis plurimis conſtat exiguo temporis ſpatio Breviaria, Miſſaliaque in Religioſis Ordinibus mutari, nunc adjectis, nunc detractis, nunc variatis officii partibus; quæ tamen nihilo graviorem, ſanctioremve ſtatum nactæ videntur, ſed ſubjacent eidem inconſtantiæ: quæ certè ratio impulit nonnullos Religioſos exemptos antiquo Breviario, Miſſalique uſos, ut ad Romanum denique morem confugerent.

V. Ad Eccleſiæ decorem, Populique Chriſtiani ædificationem parum conferre videtur multiplex diverſitas Breviarii, ac Miſſalis: veroſimile quippe eſt, populi devotionem varietate rituum incognitorum potius decreſcere, quàm augeri; alitur ſcilicet pietas uſitatis jam, & cognitis divini Officii cæremoniis, ut ſtomachus amicis, & conſuetis alimentis.

VI. Religioſi eorum Ordinum, qui diverſis Breviariis, ac Miſſalibus utuntur, ſtatim ac e ſuis egrediuntur Clauſtris, quoad Officii divini, & ſancti Sacrificii communionem attinet, velut in aliena regione verſari videntur, non ſibi ipſis tantum, ſed aliis pene omnibus. Sæpe enim Sacerdotes ſeipſos periculo Sacri non faciendi diebus feſtis committunt ex defectu Miſſalis proprii. Quod ſi Romano uti tentent, alienis cæremoniis omnia permiſcent, plurimaque interim errata obrepunt quæ Altaris ſanctitatem dedecent. Et quidem abſurda hæc Monachis iter facientibus paſſim contingunt.

VII. Licet nihil deforme contingeret in varia, neceſſariaque Monachorum peregrinatione, multò eſſet congruentius, ut quocumque quilibet Eccleſiæ filius migraret, proprios inveniret libros ad explendum Officium clericale, ac ſacerdotale deſtinatos, perinde ac ſi in eodem ſemper loco permaneret.

His ſeptem rationibus aſſeritur communis Breviarii, & Miſſalis in toto Chriſtiano orbe congruentia: neque negatur propriorum cujuſque Ordinis Sactorum Codex, qualem Ordines nonnulli cum Breviario, Miſſalique Romano Summi Pontificis permiſſu conciliant.

Si propoſitum placeret, poſſet S.D.N. jubere, ne alibi, quàm in Typographia Vaticana Breviaria, Miſſaliaque excuderentur, tum exactioris correptionis, tum juvandæ Sedis Apoſtolicæ gratia. Etenim empta ingenti chartæ copia plurima millia recuderentur, quæ in varias Orbis partes diſtracta ingentem pecuniæ vim, qua poſſet S. D. N. piis operibus, puta nuper converſis infidelibus, vel id genus aliis, multa cum laude deſtinare.

Scripta An. 1608.

RATIONES

Quibus aſſeritur Cenſurarum numerum minui debere.

Ratio I. CEnſurarum numerus adeò excrevit, ut jam neque à peritis memoria retineri poſſint, quod experientia nimis exploratum eſt: Si ergo memoriæ imprimi vix poſſunt, quid proderit ejuſmodi auſteritas ignorata?

II. Vel populus Chriſtianus obligatur iis Cenſuris parere, vel ſecus; ſi non obligatur, quocumque tamdem modo id fiat, conſultius erit eas è corpore Juris, & Extravagantibus expungere, ut conſcientia conquieſcat; ſi obligatur, ergo & obligatur eas ſcire; eo quippe, ipſo quod quis reus eſt legis explendæ, fit & reus ejus ſciendæ. At neque periti plurimas Cenſuras norunt, ut nobis compertum eſt; ergo jacent in peccato mortifero ignorantiæ, qui omnium doctiſſimi, & curiæ deditiſſimi videntur. Jam verò ſi de indoctis ſermo fiat, vix illi norunt præcepta Decalogi, & communia fidei Myſteria; quis igitur credat, eos Cenſurarum capita percepturos, ut ab earum tranſgreſſione abſtineant? Erit ergo ſalutare conſilium ab hoc periculo populum Chriſtianum eripere.

III. Cenſuræ plurimæ non ea mente à Summis Pontificibus, vel Conciliis editæ ſunt, ut perpetuò firmarentur, ſed ut imminentibus periculis obſtarent, vel ætatis ſuæ mores corrigerent, vel denique aliis ex cauſis, quæ per tempora varia variè mutantur. Cum ergo hæc ſit rerum moralium conditio, ut temporibus, & occaſionibus adaptentur, profectò & prudentia, & pietas exigit, ut lex, quæ ante annos multos appoſitè ad ea tempora, & occaſiones lata fuit, non in æternum perſeveret.

IV. Decreta fidei per hoc à moralibus diſtant, quod illa mutari nequeant cùm ſint eadem immutabili veritate ſubnixa; hæc verò paſſim mutentur. quod variis mutabilibuſque moribus, & rationibus innitantur. Non ergo expedit, Cenſuras, quæ moralia decreta ſunt, catholicis ſanctionibus, quoad perpetuitatem æquare.

V. Hæretici paſſim obtrectant, Catholicos gravius, quàm Hebræos multitudine legum, & præceptorum deprimi; quod licet illi impudenter obiiciant, expedit tamen maledicentiæ occaſiones avertere. Et verò quidquid Hæretici detrectent, verum eſt etiam piiſſimos, ac doctiſſimos Catholicos paſſim conqueri, quod Cenſurarum multitudine obruantur, fructu exiguo, vel nullo inde ſubſequuto.

VI. Confeſſarii timorati, quibus fides habenda eſt, dictitant, pœnitentiæ Sacramentum inviſum fieri ob Cenſurarum innumerabiles laqueos, quibus pœnitentes innexos inveniunt; qua de cauſa confeſſiones ſacras interrumpere, eoſque ad ſuperiora tribunalia crebrò, & cum Sacramenti horrore mittere neceſſe eſt. Ipſique Confeſſarii ſcrupulis innumeris puncti, & de ſalute obeuntium ſolliciti, refugiunt Sacramenti laborem, ac periculum; & coram divina Majeſtate profitentur, ſe ex tot Cenſurarum numero, anxietate multa, ſterilique labore torqueri.

VII. Jamdudum viri pietate, ac doctrina inſignes, ut Navarrus, & alii vita functi, & multi ſuperſtites multitudinem Cenſurarum horruerunt, optaruntque à Summis Pontificibus imminui, rati ad hominum ſalutem ejuſmodi providentiam pertinere. Etenim ſi ante tot Cenſuras latas, fuit ſemper arcta via, quæ ducit ad vitam, quid tot vinculis adjectis cenſendum? Ætate SS. Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, & Patrum Græcorum, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, & Nyſſeni, & aliorum, quos ut clariſſima Eccleſiæ lumina colimus, nondum erant eæ Cenſuræ, & innumeræ leges, ideoque ſtudio Sacræ Scripturæ, & bonorum morum vacare, populumque Chriſtiana diſciplina commodè inſtruere poterant: nunc verò perſpicacia quoque ingenia tot legum, & prohibitionum implicamentis nectuntur, ut ægrè Sacræ Scripturæ, Patrumque ſtudio ſe dedere poſſint. Quocirca expedire videtur rem propoſitam expendere.

His ſeptem rationibus præmiſſis, proponendum videtur, non eſſe rem adeò difficilem, Juris Canonici, & multarum Extravagantium Cenſuras quatuor, vel ſex viris bene peritis in catalogum redigendas committere; & plurimis expunctis, quæ profectò non proſunt, paucas admodum relinquere, quæ & memoria retineri, & obſervari commodius poſſint. Qua quidem in re, cum viris doctiſſimis, ac piiſſimis ſæpe jam collata, atque laudata, nullus planè ſcrupulus, nulla imprudentiæ nota, ſed plurimum pietatis, ac prudentiæ ineſſe videtur. Neque per hoc conſilium nova latio Cenſurarum reprehenditur, quæ ad varios eventus aptatur; præſertim ubi leges pœnales ad tempus feruntur, occaſione ceſſante poſtmodum abrogandæ. Si autem propoſitum placeret, poſſet Corpus Juris Canonici, uti de Breviario, ac Miſſali dictum eſt, in Typographia Vaticana excudi, editioniſque proventus ſublevandis Apoſtolicæ Sedis oneribus, & piis operibus aſſignari.

PARAPHRASIS ANAGOGICA

IN PRIMAM ANTIPHONAM MAJOREM ADVENTUS, NUNC PRIMUM EX ITALICO LATINE REDDITA.

O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine, uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Scrip. An. for. 1600.

Increata Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi, tamquam Verbum æternum, aut ſermo ſuus prodiiſti: Quæ a principio uſque ad finem attingis Creaturarum, omnia infinita fortitudine, & ineffabili ſuavitate gubernans; veni tandem ad docendum me viam prudentiæ. Quum ego ſuſpiria militantis Eccleſiæ Cariſſimæ Sponſæ tuæ conſidero, Rex pacifice, cujus vultum deſiderat univerſa Terra, & audio voces illas compunctis animis, & dulciſſimam viſitationem, & unionem tuam optantibus a Religioſis famulis tuis emiſſas, qui divinæ caritatis fœdere, & vinculo invicem conligantur; mihi vim tantam non tamen coacte experiri videor, quæ lapides, ipſos excitaret, & emolliret. Neſcio equidem quæ ſit hæc virtus, qua pollent voces juſtorum ad Natale tuum ſuſpirantium, quibus obſiſtere, quamquam duriſſimus peccator ſim, nequeo. Equidem virtutem hanc duritiam meam impellentem magni facio, ſed verba, quibus eam dignè explicem, mihi deficiunt. Haud miror, o Chriſte Jeſu, Vita, & Redemtio mea, fidiſſimum ſervum tuum Auguſtinum, ſuæ converſionis initio, ſe in lacrymas diſſolviſſe, quando gratiæ tuæ dono veritatem Myſterii Incarnationis, & Natalis tui ex

Scrip. for. An. 1600.

Virgine intellexit, & ejus fidei fervore, quæ per dilectionem operatur, in voces Cleri congregati aures intendiſſe, ut magnitudinem miſericordiæ tuæ celebraret, & ea cœleſti vi motum hæc verba Lib.9. Conf. cap. 6. ſcripſiſſe : *Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalutem generis humani. Quantum flevi in hymnis, & canticis ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ, vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus* A *meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebaut lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Credo ſanè, optatiſſime Rex meus, hanc viſcerum Anguſtini motionem ex admiratione Incarnationis tuæ obortam fuiſſe, quippe qui eam tam alti amoris tui inventum, & ad pertrahenda hominum corda adeo comparatum reputaret, ut vim lacrymarum, quas primis illis diebus præ dulcedine gratiæ tuæ aſſidue fundebat, minime cohibere poſſet. Hæc eadem cauſa, & cogitatio corda famulorum tuorum liquefacit, his præſertim diebus feliciſſimo Natali tuo proximis, quibus divinæ ſuavitatis fragrantia, & unguentum effuſum ſuper nomen tuum incipit ſentiri. Videntur certè montes, & colles moveri, non ut jam tunc, quum per deſertum populus tuus ambulabat, & ex magnitudine Majeſtatis tuæ tremebat; ſed præ intima cordis lætitia ob nuncium deſideratiſſimi Regis, qui populum ſuum liberare venit. Exſultant, velut agni novelli, ſervi tui, B quòd Agni Dei Natalis appropinquetur, Cœlumque novum manna pluere paratur ſuaviſſimi ſaporis ob ſalutem meam. O plena amoris, & delectationis ſolemnia Natalis prædivitis Filii Dei, cujus ſenſus omnia Terræ ſolatia longè ſuperat! O derelicta Anima mea, quæ ſicut Terra arida es, quam filii Adæ hæreditate acceperunt! ecce fluunt aquæ in deſerto, & torrentes in ſolitudine. O aqua puriſſima de ciſterna Bethlehem, quis mihi det, ut bibam de te, verum refrigerium meum! Clamo ad te, Fili Virginis, cum Eccleſia dilectiſſima ſponſa tua, & intimis gemitibus oro, ad me venire digneris, & in medio cordis mei centro naſci, in eo te reclinans, ceu Dominus domus tua. Tu Rex cordium, acturus cum hominibus venis & domicilia eorum habitaturus, ut eos inſtruas, & doceas viam prudentiæ: feſtina igitur, o Velociſſime, & interiora viſcerum meorum ingredere, ut prudentiæ, & ſplendidiſſimæ lucis tuæ participem me facias. Offero tibi cor meum, & cunctas fores ejus aperio, o Manſuetiſſime, ut C tu illud poſſideas, & quieſcas in me, & doceas me arcana tua in ſilentio dulciſſimæ infantiæ tuæ. O Verbum æternum, quod è jucundiſſimo thalamo filiæ Sion, ſuaviſſimæque Matris tuæ egreſſurum es, locum voluptatis tuæ in moleſtum præſepe, & in duram terram convertens; ecce hanc animam meam, quæ te recipere, & amoris tui calore ferveſcere cupit, dilectionis debitum tibi ſine fine reddendo. Beati illi, o Liberaliſſime, qui te in domo ſua recipiunt; nam hi partem divitiarum & conſolationum divinarum conſequentur. Propono, o infinita Sapientia, me viam prudentiæ addiſcere velle, quæ in eo ſita eſt, ut terrenarum affectionum contemtum ſciam, tutamque viam reperiam, qua te ſummum, æternumque bonum poſſideam: verum quandoquidem eam ſine te perdiſcere non valeo, ante Majeſtatem tuam proſtratus, quo poſſum majori, efficaciorique affectu poſtulo, ut altè mihi Natale tuum ſecundum carnem, D quam à Beatiſſima Virgine, ſacrario tuo, adſumſiſti, imprimatur, & hujus ditiſſimæ miſericordiæ tuæ gratitudine, quam expecto, tibi innumeras æternæ laudis hoſtias ſacrifico; deinceps verò, velut mancipium a te redemtum, & divinæ caritatis tuæ ſtigmate ſignatum vivam cum electo populo, qui ſereniſſimam faciem, & dulciſſimam præſentiam tuam inquirit.

LAUS DEO.

AD INITIUM QUADRAGESIMÆ EXHORTATIO AD FRATRES,

NUNC PRIMUM EX ITALICO LATINE REDDITA.

E

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Pſal. 125. 5.

QUod populo Iſraelitico contigit, quum cariſſimam ſibi, nobiliſſimamque Jeruſalem relinquere coacti ſunt, ut Babylone exularent, id profectò ſtatus noſtri figura fuit. *In ſalicibus, in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra.* Pſ. 136. 2. Scilicet is fuit dolor in amiſſione rei gratiſſimæ, ut quamquam muſicæ artis peritiſſimi, quamobrem muſicalia inſtrumenta ſecum detulerant, nihilominus adeo illis dolor vires fregit, ut infructuoſis arboribus inſtrumenta ipſa affixerint, recte exiſtimantes minime exilii loco, & amiſſioni tantæ cantum convenire. Talis eſt poſt lapſum Adæ noſtra conditio; quum enim feliciſſimum illum innocentiæ ſtatum amiſerimus, decens eſt, F ut ploremus jugiter, & *ſeminemus in lacrymis*. Namque non terrenam patriam amiſimus, ſed à cœleſti projecti ſumus; libertatem filiorum Dei perdidimus, & altiſſima Divinæ Majeſtatis contemplatione, ac ſocietate privati ſumus. Igitur optime congruit, ut ſeminemus in lacrymis; atque ea eſt hoc tempore Quadrageſimæ Sanctæ Matris Eccleſiæ mens, dum cupiens, ut amiſſa bona redimere conemur, aptiſſimam nobis parat medicinam, jejunia ſcilicet, & alia ſatisfactionis, Chriſtianæque mortificationis opera; nam ſicut ob vetitum eſum, & ab expletis concupiſcentiis ſuis amiſſio illa in homine facta eſt, ita per abſtinentiam, & mortificationem reparatio fiat. Hanc doctrinam Chriſtus adeo generatim prædicavit, ut non ſolum dixerit, relinquendos nobis eſſe Patrem, & Matrem, & ſorores, & fratres, ſed *adhuc autem, & animam ſuam*, Matth. 19. 19. ſub pœna non modo ne ſui diſcipuli futuri ſimus, ſed ne etiam eſſe poſſimus: *Non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Hanc G doctrinam totum Apoſtolorum Collegium diſſeminavit, quum diviſo ſibi terrarum orbe, atque inter barbaras gentes, & ad Ethnicos populos euntes, qui peccatis cor ſuum obduraverant, & concupiſcentiis ſuis pravis aſſueverant, ex otioſæ vitæ conſuetudine callis innumerabilibus operiebantur; nihilominus idipſum iis prædicarunt, nimirum ut crucem amplecterentur, vetuſtas affectiones relinquerent, Angelico more viverent, omnibus, quæ illis amabilia forent, propter Chriſtum renunciando. Certè nos magis urgere debet, ut eam veritatem amplectamur, quod Chriſtus eam in Evangelio ſuo teſtatam reliquerit, quam ſi Chriſtus ipſe nunc in terram deſcendens eam nobis proprio ore commendaret; quamquam certò ſciremus, ipſum vere eſſe, qui nos adloqueretur, nec ullam ibi exſtare deceptionem, quum hæc certitudo minor quam illa ſit; ſiquidem quod Chriſtus Evangelio ſuo teſtatus eſt, fide divina credimus, H ſine qua nemo ſalvus fit; contra verò illa altera certitudo ad tantam firmitatem non pertingit. Si ergo hæc tantam vim in nobis haberet, par eſt, ut illa quoque maximam habeat. Moveri quoque debemus exemplo ipſius Chriſti; qui ita terram noſtram coluit, ut ipſa nil aliud illi germinaverit, niſi clavos, ſpinas, tribulos, ferrumque; & tamen non pro ſe, ſed pro nobis laboravit. Non ergo nos a cultura terræ noſtræ propter Chriſti amorem abſtinere debemus, quod ſpinas, & tribulos nobis germinet, quodque nobis laborem adfe-

Scripta An. 1612.

rat, quandoquidem & Chriſtus eam pro nobis colens, clavos, mortemque tantùm ex eo labore collegit, quod etiam Eccleſia nobis hoc tempore proponit. Tandem finis ipſe laboris nos impellat: *In exultatione*, inquit, *metent*. Spes igitur meſſis. De Iſraelitico populo dicitur, quod *Euntes ibant, & flebant; ſed venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. Magnum nobis calcar eſſe, debet ejuſmodi cogitatio; & quidem vim habet eximiam, ut omnis labor miteſcat. A Quidam Jobi amicus quum eum quidquam peccaſſe male ſuſpicatus eſſet, id ei ad emendationem meminiſſe pergebat, ſic eum adloquens: Iob. 5. 26. *Ingredieris in abundantia ſepulcrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo;* q. d. Forti animo eſto Job, & Deum tibi propitium redde, ac ſtude ut illi famuleris; nam tibi certè continget, quod agricolæ illi, qui quum ex fuſis laboribus magnam ſibi meſſem comparaverit, implet horreum tritico; ſic tu, ſi quod ajo exſequaris, adventante hora mortis tuæ, tanta gloria ſepulchrum ingredieris, quanta nullus umquam Dux, aut Imperator, quamvis præruptis muris, & magno omnium Aulicorum famulitio, funeratus eſt. Major ſane tibi pompa futura eſt, quam tot ſarcinæ bonorum operum ſequentur, & ſumtuoſiſſimè comitabuntur. In Apocalypſi dictum Joanni fuit; Apocal. 14. 13. *Scribe*: quid autem? *Beati moruti, qui in Domino moriuntur*. Ecceur verò? *Opera enim illorum ſequuntur illos*. B Hæc cogitatio adeo Apoſtolum incitabat, ut vel ea ſola omnia mundi bona illi proculcanda exhiberet, ita de ſe ipſe ſcribens. Phil. 3. 8. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora*. Priuſquam Deus apertis mihi oculis æternum bonum me magni facere doceret, divitias hujus ſæculi pluris æſtimabam; at oculis fidei iis inſpectis, quas Chriſtus nobis in æterna bearitudine ſervat, terrenas illas dedignatus ſum, eaſque flocci habui: *Configuratus morti ejus, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis*. Ibid. v. 10. Non mihi durum viſum eſt configurari me Chriſto Crucifixo, ex ſpe gloriæ, quam exſpecto. Hæc igitur cogitatio ad laborem, qui brevi finietur, nos exſtimulet. Ita non caſu, & fortuito factum eſt, ut Quadrageſimam Reſurrectio ſequatur, nam ſemper laborem pro Chriſto latum conſequitur gloria. Matth. 20. Chriſtus operarios vocavit ad vineam, ut in ea laborarent, & ad veſperam mercedem dedit. E Ita in hora mortis noſtræ ſe geret: Monachum vocabit ad ſe, illique omnes labores fideliſſimè retribuet, ſingulis minutatim enumeratis, ut ne unus quidem abſque præmio excidat. Si delectat præmium, non terreat labor, quandoquidem tot exſiſtunt laborandi cauſſæ; alias quò plura laboris incitamenta ſunt, eò fortius judicium eſſet futurum. Job quum ſæcularis homo eſſet, conjugatus, ac Princeps, nihilominus adeo id tremebat, ut ſibi videretur, non poſſe coram Deo adparere, ſi ipſe cum hominibus voluiſſet judicio contendere, eorumque rationibus reſpondere: *Si contempſi ſubire judicium*. Iob. 31. 13. Quod ſi Jobum virum ſanctum hoc perfectionis debitum adeo pergravabat, ut ab eo deficere idem eſſe reputaret, ac abominabilem ſe reddere coram Deo, ac propterea adeo præſentiam ſuam verebatur; quantum nobis ponderis eſſe debet, tot urgeri rationibus, ut Chriſto conſociemur? (*) Conſociari autem illi non poſſumus, niſi per viam mortificationis, qua ille ambulavit, & nos ambulemus, ut *in lacrymis* hîc cum eo *ſeminantes, in exſultatione tandem æternæ gloriæ metamus*: F quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

(*) *Hic finis, qui ab Auctore adſueta illa nota, &c. indicatur, a nobis ſubpletur.*

IN SEQUENTIA FRAGMENTA

PRÆMONITIO.

C

QUÆ ſequuntur, ad coronidem omnium, quæ exquiri potuerunt, Operum Johannis, fragmenta Adparatuum ad totius forte anni conciones, habebuntur tamquam tenuis magnæ Sylvæ ramuſculus; cætera enim reperire nulla diligentia potuimus, quod vel deperdita, vel potius devotionis cauſſa ſtatim ab obitu inter varios diſtracta fuerunt. G *Hæc autem pauca in brevem faſciculum conlecta ex noſtro Archivo Romano archetypa accepimus; quæ præter ſalebroſam, minutiſſimam, ac multis huc illuc additiunculis implicatiſſimam ſcripturæ formam, tribus frequentiſſime idiomatibus, Latino, Hiſpanico, & Italico ſub una, eademque periodo conſtabant; quæ forte cauſſa fuit, cur ab aliis Editoribus neglecta fuerint, & parum obſtit, quin etiam a nobis negligerentur. Verum noſtra in Venerab. Scriptorem obſervantia omnem laborem vicit, eamque patientiam addidit, qua opus fuit, ut ſingula ad verbum exſcriberemus, & continenti Latino Sermoni redderemus, ſicque completa omnia quæ a Bibliographis de Johanne noſtro recenſentur ſcripta heic edita tandem videremus. His vero nullum tempus certum adſignari poteſt, quum diverſis temporibus, & fugaci calamo ab auctore ipſo exarata ſint.*

D H

VEN. P. FR. JOANNIS
A JESU MARIA
APPARATUS VARII AD CONCIONES.

PRO DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis Matt. 24. 30.

Scripta inc. temp.

VOlens Dominus Deus, quantum eſt ex ſe, omnes homines ſalvos facere, & intuens ad id minime in omnibus valere inditam naturæ ſuæ dulcedinem, atque a peccatoribus quodammodo coactus, ſuæ quoque juſtitiæ rigorem oſtendere vult. Job de Dæmone loquens, ait: *Job.* 40. 14. *Ipſe eſt principium viarum Dei*. Non ait *via*, ſed *viarum*. ≕ Explica de juſtitia. ≕ Coactus igitur Deus a peccatoribus decrevit A ſigno aliquo per quam terribili juſtitiam ſuam manifeſtare. 1. *Reg.* 3. 11. *Ecce ego*, inquit, *facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus*. Tanta enim eſt abominatio peccati, ut vel ſolum noſſe, quid contra illud agere decreverit Deus Optimus Maximus, vel ipſos valentiores duces ſummo tremore afficiat. Et quamquam id Deus oſtenderit in damnatione Angelorum apoſtatarum, in expulſione Adæ a Paradiſo; in generali diluvio, in Turre Babel, & ſuper Sodomam, & Gomorrham, &c. nihilominus hæ omnes pœnæ nihil ſunt, ſi cum eo comparentur, quod hodiernum Evangelium nobis repræſentat &c. *Matt.* 24. 30. *Tunc videbunt filium hominis*. ≕ Deſcribe apparatum ≕

Ut id dignè expendamus, pono, Animas etiam puriores contremiſcere dum cogitant, ſe tandem ſiſtendas eſſe ante conſpectum Dei. Nota eſt juſtitia Job; & tamen quia clariſſima luce prophetica intime perceperat quod ajebat: *Iob.* 19. 25. 26. B *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*; optavit in inferno protegi, & abſcondi, (*Ib.* 14. 13.) *donec pertranſeat furor ejus*. Eccurnam? Reſpondet: *Ib.* 4. 15. *Qui etiam ſi habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor* ≕ Amplifica, &c. ≕ Idem ſenſit Paulus, quum ait: 1. *Cor.* 4. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me Dominus eſt*. Quid eſt hoc? Ratio petitur ex infinita Dei puritate, de quo dicitur: *Malach.* 3. 2. *Sedebit conſtans, & emundans argentum, & colabit eos quaſi aurum, &c.* Et ipſe de ſe: *Soph.* 1. 12. *Scrutabor Hieruſalem in lucernis*. Neque mirum, quia *Iob.* 26. 11. *Columnæ cœli contremiſcunt, & parent ad nutam ejus*.

Quid ergo ii, qui Deo peccarunt, & iniquam C habent conſcientiam? Notum eſt eum, qui Regi cuipiam offenſus fuit, aſpectum ejus ferre non poſſe. Sic Aman, quando ab Eſther audivit: *Eſth.* 7. 6. *Hoſtis, & inimicus noſter peſſimus eſt Aman*; illico obſtupuit, vultum Regis, ac Reginæ ferre non ſuſtinens. Ita quoque fratres Joſephi, quum ab eo, quis eſſet intellexerunt: *Geneſ.* 45. 3. *Ego ſum Joſeph: non poterant reſpondere fratres, nimio terrore perterriti*. Hoc idem aſſerit Chriſtus de homine diſcumbente ad nuptias, non veſtito veſte nuptiali, quando intravit Rex, ut videret diſcumbentes, eique increpans: *Matth.* 22. 11. 12. *Quomodo huc intraſti? At ille obmutuit*. Quid verò impius coram Chriſti Majeſtate reſpondebit ad tremendum illud tribunal? ≕ Deſcribe Chriſti præſentiam. ≕ Quum Chriſtus tamquam reus, & percuſſus a Deo, & humiliatus, peccata noſtra ferens, in horto capturæ iniquiſſimæ ſe tradens, duobus hiſce tantummodo verbis manſuetiſſimè prolatis: *Ioann.* 18. 6. 6. *Ego ſum*; adeo perterrefecit univerſam illam immaniſſimorum hominum cohortem, quod D *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*; tanta erat vis majeſtatis ejus occultæ, & abſconditæ. Et, quod plus eſt, vel ipſi ejus amici, viſa ejus Majeſtate in monte Thabor, *Ioan.* 17. 6. *ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde*; quamquam quæ audierant verba dulciſſima forent, & propitia. Quid ergo impius coram tanto, & tam irato Judice? quum *Sap.* 5. 18. 19. 20. *Accipiet armaturam zelus illius.* ≕ *Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum ejus.* ≕ *Induet pro thorace juſtitiam,* ≕ *Et accipiet pro galea judicium certum.* ≕ *Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem*. ≕ Pondera ſingillatim. ≕ Quid verò? *Iob.* 9. 12. *Si repente interroget, quis reſpondebit ei?* Et infra ipſe Job ait: *ib.* 20. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit*. Apoſtolus autem: E 1. *Cor.* 4. 5. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Et per Pſalmiſtam inquit ipſe Dominus: *Pſal.* 74. 3. *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Et alibi: *Pſal.* 11. 7. *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum*.

Interrogabit ergo: *Pſalm.* 49. 18. *& ſeqq. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris; & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui. Exſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. ≕ Amplifica &c. ≕ Contingit aliquando, dum aliquis ad Epiſcopatus, aut alterius muneris examen ſe comparat, aut ad illud accedit, ut ex pavore, aut anxietate fere moriatur. Quid ergo Deo reſpondebimus? Quid F dicemus? Quid coram ipſo ſoli agemus? &c. Quid verò nunc ut tantam Judicis ſeveritatem vitemus? Vivendum ſane in timore, & tremore; enitendum, ut peccare maxime timeamus. Job de vera ſapientia inquirens, audivit: *Iob.* 8. 28. *Timere Deum ipſa eſt ſapientia, & recedere a malo intelligentia*. Operari juſtitiam, ut ante Chriſtum ſecuri pareamus, &c. Chriſtus ipſe conſilium præbet: *Luc.* 21. 36. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium ho-*

Scripta inc. temp.

nis. = Explica. = *Malach.* 3. 2. *Et quis ſtabit ad videndum eum?* Soli profecto juſti ſtabunt. Impii autem *Pſ.* 1. 4. *tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ.* Potentiſſima ſcilicet Chriſti virtus eos diſſipabit. *Matt.* 25. 41. *Diſcedite,* inquit, *a me maledicti in ignem æternum, &c.* = Amplifica. = *Rom.* 14. 11. *Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.* = Conclude. =

Secunda Pars. Diximus de peccatoribus in extremo judicio; quid vero de juſtis? *Luc.* 21. 28. A *Reſpicite*, inquit Chriſtus, *& levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Conſidera ſingulare beneficium: invitat ad ſpectaculum ut ſummus Imperator. *Pſalm.* 57. 11. 12. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. Et dicet: Si utique eſt fructus juſto: utique eſt Deus judicans eos in terra.* = Explica. = Quare tam glorioſè lætabitur juſtus? Reſpondet illud, *Reſpicite, & levate capita veſtra*, &c. Et: *Cant.* 2. 10. 11. *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Jam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit.* Deſcribe Chriſti blanditias erga juſtos. = Amplifica. = Honores mundi contempſerunt, & *facti ſunt omnium peripſema?* 1. *Cor.* 4. 13. Hîc audient: *Luc.* 22. 29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum* &c. Et, *Matt.* 10. 22. *Confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et, *Prov.* 31. 28. *Vir ejus, & laudabit eam.* B Divitias contempſerunt? ſicut Apoſtolus, qui dicebat: *Philip.* 3. 8. *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam?* Hîc audient: *Matth.* 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Voluptates tandem contempſerunt, *Hebr.* 11. 37. *egentes anguſtiati, afflicti?* Hîc audient: *Pſal.* 35. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hic utique eſt fructus juſto, &c. = Deſcribe tandem electorum aſcenſum in Civitatem Sanctam &c. =

Dominica II. Adventus deſideratur.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Levitas, ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? Ioan. 1.

Act. 14. 6. *& ſeqq.*

PRoponitur modo expeditio quædam, ſimulque maximum quoddam proponitur ſanctitatis experimentum. *Tu quis es?* Optio datur. At ille omni vi ſtudet ſe ipſum imminuere. *Non ſum ego Chriſtus; non ſum Elias; non ſum propheta;* ac tandem? C *Non ſum dignus, ut ſalvam ejus corrigiam calceamenti.* Sancti homines ſemper majori ſtudio conati ſunt honores devitare, quam quo fili hujus ſæculi eos quæritent. Quum Lyſtrenſes Lycaoniæ populi vellent Paulum, & Barnabam, ut Deus venerari, iiſque ſacrificare propter hominem claudum repente ſanatum; illi *v.* 13. *Conciſis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis?* &c. = Expende, & explica ſingula capita hujus teſtimonii. = Stupentibus Hebræis miram per Petrum, & Ioannem patratam virtutem ob ſimile miraculum, ac ad eos, honorificentiæ, & adclamationis gratia adcurrentibus, Petrus ad illos converſus ait: *Act.* 3. 12. *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Sic Daniel vocatus a Nabuchodonoſore, velut unus è ſapientibus, qui tunc forent in regno ſuo, ut ſomnium ei revelaret, reſpondit: D *Dan.* 2. 28. 30. *Eſt Deus in cælo revelans myſteria. Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me pluſquam in cunctis viventibus, ſacramentum hoc manifeſtum eſt: ſed ut interpretatio Regi manifeſta fiat:* Sic Joſeph in ſimili occaſione Pharaoni dicenti: *Geneſ.* 41. 15. 16. *Audivi te ſapientiſſime coniicere;* ſubdit: *Abſque me* (expende illud, *abſque me*) *Deus reſpondebit proſpera Pharaoni.* Sanctus verò Bernardus *In ejus vita, l.* 3. dum videret homines obtupeſcere, ac ipſum a patratis miraculis commendare, domeſticis ſuis quibuſdam Fratribus dicere ſolebat: Juxta ſacras paginas *facta ſunt aliquando ſigna per ſanctos homines & perfectos, facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis... Nihil ergo mihi, & ſignis iſtis, quandoquidem meæ illa famæ magis, quam vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, ſed ad commonitionem potius aliorum.* S. quoque Gregorius Turonenſis (*Sur. T.*6.) videns, Deum plurima per ipſum ſigna patrare, E collo adpenſas geſtebat Sanctorum reliquias, ut iis miram illam virtutem tribueret. = Ratio horum eſt, quod norint, & ſciant, ex ſe non habere donum, quod habent. = Sic ergo Joannes ad illud *Tu quis es?* reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus*. Ubi conſideranda quoque ſunt verba Evangeliſtæ, quibus reſponſum illud effert: *Confeſſus eſt*, inquit, *& non negavit*. Quorſum illud, *non negavit?* Quia nempe ſunt aliqui, qui ſe apparenter humiliant, & ſubdunt, ex modo tamen, & facto ipſo negant: ſicut Heli, qui utique auditis Dei comminationibus reſpondit; 1. *Reg.* 3. 18. *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat;* quæ tamen, juxta S. Gregorium Papam, vera humilitas non fuit. At verò Joannes, qui, ut Chryſoſtomus ait, tanta dignus fide æſtimabatur, ut ei ſoli de ſeipſo dicenti crederent, quique affectu etiam humano trahebatur, ut Sacerdotalem parentum, & cognatorum ſuorum Judæorum ſtirpem bona populi opinione, & honorificen- F tia augeret; nihilominus candide, ac humiliter ait: *Non ſum.* Quid ſi Epiſcopus, aut alius non minus opinione, quam dignitate venerandus de ſe aliquid minus glorioſè diceret? quam immenſum actus ille humilitatis ſubcreſceret? Vere Joannes dicere poterat, quod Pſalmiſta quoque dicebat: *Pſal.* 130. 1. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* = Expende, & amplifica =.

Cogita, quam eximius, & heroicus ſit vel hic actus ſolus humilitatis Joannis, aperte dicere, ſe neque Eliam, neque Prophetam eſſe; quamquam hæc appellatio minus forte alliceret, quam illa alia de Chriſto. Sicut Eva, *Gen.* 3. quæ vidit lignum, *quod eſſet pulchrum, & ad veſcendum ſuave;* & tracta quidem fuit. At multo magis ab illo altero ambitionis fructu tracta fuit: *Eritis ſicut dii.* Nam & Joannes ſi interrogationi Judæorum adſenſus fuiſſet, ſicut Deus habitus fuiſſet. Actus ergo fuit excellentiſſimus. Quemadmodum ſi cui G aut Cardinalatus, aut Pontificatus optio daretur, majori vi indigeret, ut Pontificatui, quam ſi Cardinalatui abnueret, quod ille magis alliciat; quod quidem etiam de re tantum in abſtracto valet. Valet autem vel quàm maximè quando occaſio præſens eſt. Simile eſt, ſi cibi alicujus ſuavitas nares tantummodo percellat; nam multi a cibis ejuſmodi magna continentia abſtinent; ſi autem ante eos benè parati miniſtrentur, ſeſe abſtinere neſciunt. = At Joannem iterum inſpiciamus. Mittunt ad eum honorifice Judæi, ut interrogetur: *Tu quis es?* Et ille alio in loco (*Matt.* 11. 7.) de ſe loquens ait: *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Et interim mittit ipſe ad Chriſtum, ut ſciſcitetur ab eo: *ib v.* 3. *Tu es, qui venturus es?* Inſiſtunt illi: *Elias es tu? Propheta es tu? Quis es? Quid dicis de te ipſo?* = Eheu quàm diverſus eſt ſuperborum hominum animus! qui nihil aliud quærunt, niſi ſuam oſten- H tare excellentiam. Et propterea Joannes elevatur, contra ſuperbi dum ſe elevant, deiiciuntur. *Pſal.* 72. 18. *Dejeciſti eos dum allevarentur.*

Secunda Pars. En ultima, digna Joanne reſponſio. *Ego vox clamantis in deſerto: Ego vox;* in ſenſu ſcilicet formali, ut dicit ſonum inarticulatum. Vox enim præcedit verbum, inquiunt in hunc locum Gregorius, Theophylactus, Haymonius &c. Gloſſa autem ordinaria: *Non dicit, ego*

ſum

ſum homo, vel Ioannes; ſcilicet non conſiderat quod a natura, ſed quod eſt a gratia; quod enim a Deo eſt, etiamſi tenuiſſimus habitus ſit, verè eſt donum pretioſiſſimum. Hinc eadem Gloſſa ex Theophylacto, & Haymonio ſic ſequitur; *Clamantis, ideſt, Chriſti*, qui clamant, & altiſſime, & conſtanter clamat &c. Nam illud primum *Vox* eſt pro iis, qui penes ipſum ſunt; hoc alterum *Clamantis*, eſt pro iis, qui procul ſunt. A = Hîc agi poteſt de iis, qui Deo coniunguntur per orationem. Quò cadit viſum Eliæ, qui ſtetit in monte ſolus, 3. *Reg.* 19. 11. *& ſeqq. Et ecce Domiuus tranſit, & Spiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras*. At, *non in ſpiritu Dominus*. Secundò, *Commotio: Non in commotione Dominus*. Tertiò, *Ignis: Non in igne Dominus*. Quartò, *poſt ignem ſibilus auræ tenuis*. Poſt hæc vero, ſtatim ſequitur: *Quod cum audiſſet Elias operuit vultum ſuum, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elia?* Nec non & viſio Eliphaz, de qua ipſe ſic loquitur: *Iob.* 4. 12. *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtive ſuſcepit auris meu venas ſuſurri ejus*. Ubi S. Gregorius explicat: *Suſurrum, locutio internæ aſpirationis*. Venæ, *cauſarum origiues, & modi, puta timoris, amoris* &c. Auris, *eſt auditus cordis*. Furtive, *ideſt raptim, & occulte*... Verùm hoc malum eſt, quod ipſe ita clamant aliquando in de- B ſerto, ut penitus delaſſetur; ſicut olim ad Adam: *Gen.* 1. 9. *Adam nbi es?* Sic ad filios Iſrael: *Pſal.* 77. 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deſerto: in iram concitaverunt eum in inaquoſo?* Et alio in loco ſic vim clamoris ejus deſcribit: *Pſal.* 28. 8. *Vox Domini concutientis deſertum*. Pœna autem eorum, qui ipſum non audiunt, eſt, a terra æternæ promiſſionis tandem excludi. Igitur *Pſal.* 94. 8. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. = Conclude =.

PRO FERIA SECUNDA POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ.

Cum Venerit Filius hominis. Matth 25. 31.

PRov. 1. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ*. *Ib.* 14. 27. = *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis*. = Ratio. Homo ex fide poſitus inter voluptates peccatorum, & pœnas pro illis luendas, voluptates quidem quia C præſentes reſpuit, pœnas, fide monſtrante, horret. Ut de Moſe ſcriptum eſt: *Heb.* 11. 25. *Fide elegit magis affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*. Unde monet Paulus; *Phil.* 2. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. Cætera omnia nihil juvant. = Explica. = Id etiam omnes Sancti intellexerunt, & ideo Scriptores Canonici altiſſimis minis ſtuduerunt, ejuſmodi timorem in corde hominum firmare. Quàm terribiliter comminatur Sophonias: *Soph.* 1. 12. *Erit in tempore illo: ſcrutabor Jeruſalem in lucernis*. Quod ſi tam ſeverè Jeruſalem viſitat, quid de Babylonia? 1. *Petr.* 4. 18. *Si juſtus vix ſalvabitur, peccator, & impius ubi parebunt?* Eſais autem: *Iſai.* 30. 33. *Præparata eſt ab heri Tophet* (ideſt Infernus) *profunda, & dilatata*. (Intellige ob plurimos, qui damnantur.) *Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa* (inter damnatos.) *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris* (quia numquam deficiet) *ſuccendens eam*. = Explica. = S. Petrus: 2. *Pet.* 3. D 10. *Adveniet dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſolventur*. = Explica. = Fur quando venit, ſi Dominum vigilantem reperit, dolum ſuum multa comitate, & urbanitate celat, ſimulans ſe ad aliud introiſſe: contra vero ſi imparatum offenderit, omnia diripit. Si elementa calore ſolventur, ligna arida, ideſt, peccatores quàm cito torrebuntur? *Luc.* 23. 31. *Si in viridi ligno* (inquit Chriſtus) *hæc* (ideſt, ejuſmodi tormenta) *fiunt, in arido quid fiet?* Quod ſi hæc parva videntur, audi: *Pſal* 7. 13. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit; arcum ſuum tetendit, & paravit illum*. = Uſus eſt hac metaphora, quia ſicut quò fortius tenditur arcus, & ſagitta vehementiùs jacitur, eò crudeliùs poſtmodum ferit; ſic ira Dei &c. Hæc omnia ut timorem Dei concipiatis, & audiatis cum ſalutari tremore hiſtoriam Evangelii hu- E jus: *Matth.* 24. 30. *Cum venerit Filius hominis &c. Tunc apparebit ſignum Filii hominis* = *Io.* 19. 37. *Tunc videbunt in quem transfixerunt*. = *Tunc Planget omnes tribus terræ*, = non videntes brachia in cruce extenſa, nec Virginem juxta crucem, ut pro nobis agat. *Numer. cap.* 17. *verſ.* 10. dixit Dominus Moyſi: *Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, ut ſervetur ibi in ſignum rebellionis filiorum Iſrael*. Sic de Cruce Chriſti ajo; eam ab abſcondito effert, & hac regula homines metietur. Ehu nos miſeros! Quid voluptates Chriſti doloribus reſpondebunt? Superbia ſæculi humilitati &c. Propterea *Luc.* 22. 50. *Apoc.* 6. 16. *dicent montibus: Cadite ſuper nos, & collibus, Operite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni; quia venit dies magnus iræ ejus*. Super quod ait S Auguſtinus, quod *maius tormentum erit malis furorem vultus Domini tolerare, quam cruciatus inferni perpeti*. At quid magnum eſt hoc? Si Job F juſtus ait: *Iob.* 14. 13. *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus. &c.* = Dies magnæ iræ vocatur; nam licèt ira in Sodomam, & Ægyptum fuerit magna; parva tamen videbitur reſpectu iræ Agni ſedentis ſuper thronum ad judicandas omnes gentes; ideoque dies illa dicitur etiam *Dies magna, & amara valde*. Eſaias autem dicit: *Iſai.* 42. 13. *& ſeq. Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur. Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul*. = O verba horribilia! O manſuetiſſime Ieſu, quis te vidit tam mitem, &c.; nunc autem tam iratum? &c. ut tanta adulteria, homicidia, tot alia facinora taceas, ac diſſimules? &c. = Dicet ne aliquis: exiſtimabam, Deum hæc non animadvertere, aut meminiſſe? Sed poſt quadringentos annos dixit Dominus Sauli: 1. *Reg.* 15. 2. *Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, quomodo reſti- G tit ei in via cum aſcenderet de Ægypto*. = Amplifica. =

Pars ſecunda. = *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. = Perpende theatrum: Angeli, Sancti, viri Eccleſiaſtici, Sæculares, Reges, &c. parvuli, &c. = *Et ſeparabunt eos*. = Cogita ſuperbi cujuſpiam animum, qui ferre non poteſt, alium quemlibet illi antecellere; ſicut Aman, qui ex invidia mori ſe credit, quod illi Mardochæus minime inclinetur. Sicut Holofernes, & Nabochodonoſor, qui præter ſe nullum Deum putabant eſſe. = Si parvuli ſtatuuntur, ut hædi ad ſiniſtram parituri, ob peccatum originis; quid tu, qui tot iniqua feciſti? &c. = Amplifica, & jam ad ſententiam duplicem. = *Venite benedicti, &c.* Vos qui divitias contempſiſtis, ut mihi eas offerretis, qui me iis refeciſtis, &c. = *Diſcedite a me maledicti*. O auditio mala! O tremendum verbum! Mitiſſime Jeſu, quò dimittis eos? = At dicet: Noluiſtis me audire: clamavi, rogavi, & renuiſtis, &c.

H

FRAGMENTUM ALIUD SUPER EODEM THEMATE.

CÆli ſe libenter abſconderent a facie tanti Judicis. Scriptum eſt enim: *Habac.* 3. 6. *Aſpexit, & diſſolvit gentes; Et contriti ſunt montes ſæculi, incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus*. Et ſi ex ſolo aſpectu iratæ faciei ejus mundus contremiſcit; quid quum

voce

Scripta inc.temp.

voce horribili interrogabit? *Job* 9. 12. *Si repente interroget, quis reſpondebit ei?* Vide juſtum. ≒ Deus, cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, & *ſub quo curvantur qui portant orbem; Job*. 9. 13. *Quantus ergo ſum ego, ut reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* Et quum dixiſſet*: Ib.* 9. 28. 30. 31. 34. 35. *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti;* ſtatim ſubdit: *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: Tamen ſordibus intinges* A *me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Auferat a me virgam ſuam, & pavor ejus non me teneat. Neque enim poſſum metuens reſpondere*. Quod ſi tantus juſtus reſpondere non poteſt, cogitans tantummodo Judicis illius furorem, quid ſentiet, quid reſpondebit peccator non cogitans ſolum, ſed ipſum etiam videns? ≒ Applica, præſertim ad ambitioſos, luminoſos, vanos, &c. ≒ Quid autem quando eum interrogabit, & dicet: *Pſal.* 49. 17. *& ſeqq. Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum;* & cætera, quæ ibi ſequuntur? ≒ Explica fusè, & conclude. ≒ *Ib. v.* 22. *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

Pars ſecunda. ≒ *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redempio veſtra*. S. Gregorius Magnus, Beda, & Haymo explicant: *Exhilarate corda veſtra*, ideſt, *mentes*. Univerſus Orbis ira exardeſcet: *Sap.*5.21.*Pugnabit orbis terrarum cum eo*, ſed, *contra* B *inſenſatos*, non vero contra ſenſatos. Ut olim quum tenebræ, & cætera occuparent Ægyptum, Terra Geſſen, ubi erant filii Iſrael non occupabatur. Immò iſti ſummo honore excipientur. ≒ Deſcribe ſplendorem juſti, &c. ≒ *Sap.* 3. 7. 8 *Fulgebunt juſti, ſicut ſol*, (nota ſplendorem) *& tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent:* (nota agilitatem, jacentibus reprobis) *judicabunt nationes*, (& facultatem in eis judicandi,) *& dominabuntur populis*: ſcilicet juxta id, quod legitur in Pſalmis: *Pſ.* 149. *v.* 7. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* ≒ Supra quod etiam illud Pauli occurrit, *Theſſal.* 4. 16. *Rapiemur oviam Chriſto in aera*. Et ſic tamquam viris electis, ut coram Rege adſtent, dicitur: *Reſpicite*, ideſt, peccatores, qui terram dilexerunt, quomodo terram aſpicere cogantur, & a terra abſorbeantur. At vos, qui Cœlum quæſiſtis, & amaſtis, *Reſpicite:* Videte hæreditatem veſtram, quoniam vobis parata eſt. *Reſpicite*. Intuemini hos cœlos, & gloriam tantam; me intue- C mini, qui totus pro vobis ſum. *Reſpicite, &c.* ≒ Amplifica. ≒ *Levate capita veſtra*. ≒ *Pſ.* 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit cuput*. ≒ Explica. ≒ Vos ipſos dejeciſtis, & humiliaſtis, de torrente paſſionis meæ bibiſtis, propterea *levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*. At quænam redemptio? Quare *veſtra?* Nonne Chriſtus omnes nos redemit? Reſpondeo, equidem redemit; at nondum in integram ejus poſſeſſionem ingreſſi ſumus, quam quærunt juſti, *Non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenireut reſurrectionem. Hebr.* 11. 35 Explica. O Dei hæreditatem! O gentem electam! ≒ Deſcribe nobilitatem populi electi Dei. ≒ *Num.* 24. 5. 6. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Iſrael, ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas*. ≒ Explica. ≒ O feliciſſimam Dei hæreditatem! Erit ne mihi hæc D dulciſſima ſocietas? &c. ≒ Amplifica. ≒ En virtutis fructus. Hic humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ, cæterarumque virtutum terminus. Hoc eſt, de quo nos Paulus Apoſtolus hortatur, ut vigilemus in tam ſublimi expectatione: *Rom.* 13. *v.* 11. *Hora eſt jam*, inquit, *nos de ſomno ſurgere; nunc enim proprior eſt noſtra ſalus, quàm quum credidimus*. Quid autem ſit, *de ſomno ſurgere*, declarat, dicens, *verſ.* 13. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis, &c.* ≒ Explica. ≒ Narra converſionem Auguſtini per hæc verba, *Confeſs. lib.* 8. *cap.* 12. & conclude adhortando. ≒

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14.

E

ZElotes Deus. ≒ Sicut ejecit a templo ementes, &c. ſic ab anima, &c Paulus Apoſtolus ait: 2. *Cor.* 6. 16. *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis*. ≒ Daniel diſrupit Draconem, quem Babylonii, tamquam Deum venerabantur. *Dan.* 14. Hoc Chriſtus hodie præſtat. Hodie impletur vaticinium illud: *Pſ.* 71. 4. *Humiliabit calumniatorem*. Propter quod David rogabat: *Ib. verſ.* 1. *Deus judicium tuum Regi da*. Sed mirum ſtatim obiicitur, quod quum eſſet tam fortis Diaboli victor, ut patuit in deſerto: *Vade retro Satana*, *Marc.* 8. 33. & quum ad hoc veniſſet, ut ejus opera diſſolveret: 1. *Ioan.* 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*. Et *Ioan.* 12. 31. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi eiicietur foras*. Et *Iob* 26. 13. *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus*; ideſt (ait S. Gregorius 17. *Moral.* 18.) *dæmon de cavernis hominum expulſus;* F nihilominus ejuſmodi effecta non videamus. Sed ſicut S. David pulſando citharam, non prorſus expulit dæmonem a Saule, ſed paululum fugabat; ſic vix Chriſtus in aliquibus, in aliis nihil. Et certè Concionatores, & miniſtri Eccleſiæ, per quos operatur Chriſtus, canunt in pſalterio decachordo, &c. ≒ Explica. ≒ Augetur difficultas. Nam in obſeſſione Samariæ, ſtrepitu venti excitato, fugavit caſtra Syrorum. Soloque clangore tubarum Hierico evertit. ≒ Uno lapidis ictu ſtatuam comminuit, quamvis ex auro, duriſſimoque metallo conflatam. Quare ergo non ab homine eiicit dæmonem? Reſpondeo. Non expellit ab homine, niſi conſentiente homine. Sicut quando exercitus Iſrael exivit pugnaturus contra Amalech Moyſe orante: ſic Chriſtus, & nos ſimul, &c. ≒ Hinc ille dum in patria ſua eſſet, *Marc.* 6. 5. 6. *non potuit ibi virtutem ullam facere*. Ratio, *propter incredulitatem eorum*. Non quia nequiret, ſed, ut Theophylactus ait, *Opus non acceptabat, quia non ipſe impotens, ſed illi infideles erant*. Sed G hoc eſt, quod quærimus. Quare? Quia proprie Chriſtus non abſtulit, ſed infirmavit Dæmonem; at homines non expellunt a ſe illum. Quare ſic de ipſo Chriſto dæmones queruntur apud Matthæum, 8. 29*: Quid nobis, & tibi, Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Et ipſe de ſe: *Ioan.* 16. 33. *Ego vici mundum: Oſ.* 13. 14. *Ero mors tua, o mors; ero morſus tuus, Inferne.* Præterea, tot cæleſtia auxilia contulit homini, ut de illo intelligi poſſit illud *Cantic.* 4. 4: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Quin & (*ib.* 7. 4.) *naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*. ≒ Explica. ≒ Paulus expulit dæmonium a famula quadam: at quia *quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando; Videntes domini ejus, quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, &c. illum virgis ceciderunt, & miſerunt in carcerem*. H En igitur ratio, quare à multis, tot Chriſti beneficiis adhuc dæmonium non eiicitur; ſcilicet quia cor eorum nimio divitiarum amore tenetur. Cujus rei exemplo ſunt etiam Geraſeni, quando rogabant Chriſtum, ut tranſiret ab eis, quia dæmoniis ab duobus hominibus expulſis, dedit eis licentiam in porcos; quum potius deberent illum retinere; ferentes potius tam dirum Dæmonum in multos principatum, quam tenuem illam porcorum amiſ-

Act. 16. 16. *& ſeqq.*

Matt. 8.

ſio-

Scripta inc. temp.

ſionem. Hîc perpende etiam Iſraelitarum ſtultitiam, qui quum eſſent liberi in deſerto, miſerrimi lucri gratia, cupiebant iterum Ægypti ſervitutem. In veteri Teſtamento præcipiebat Deus, ut ſervus de ſtirpe Hebræorum, peracto ſeptennio manumitteretur: quod ſi dixiſſet: *Diligo Dominum meum,* *Exod.* 21. *non egrediar liber;* ſervus perpetuo maneret. = Exaggera hoc de iis, qui ſe libere, ac ſponte in ſervitutem iterum iterumque dedunt, ac ſe vendunt, ut lucrifaciant; & applica ad divitiarum ſordidos amatores; quibus in figura illud A convenit: *Ioſ.* 5. 1. *Diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in eis ſpiritus.* Propterea monet Propheta, dicens: *Pſal.* 61. 11. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere;* ne ſcilicet illud ſubfocent, ut Iudam poſtquam diabolus miſit in cor ejus, ut traderet triginta argenteis Ieſum. Peſſima utique cupiditas, & omnium malorum radix: 1. *Tim.* 6. 10. *Quam quidam appetentes, erraverunt a fide.* Et hæc una ex iis eſt, quæ voluntatem hominis impedit, ne dæmonium ab ejus corde expellatur. = Alii vero dæmonium domi retinent propter honores; ut Rex Darius, qui etſi diligeret Danielem, (*Dan.* 5. 14. 15.) *& poſuerit cor ſuum, ut liberaret eum*; ſed quia Aulici ſui dixerunt ei: *Scito Rex; quia lex Medorum, atque Perſarum eſt, ut omne decretum, quod conſtituerit Rex, non liceat immutari;* ſuccubuit. Idem Pilatus, quum audivit: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* = Alii voluptatibus dæmoni manent ligati; ut Hærodes, qui tamen multa opera bona B faciebat, &c. ſed captus amore uxorem fratris nolebat a ſe expellere. Quemadmodum in iis belluis accidit, quæ arboris trunco ligatæ, ibi circum paſcunt licenter, quouſque chorda prohibentur.

Quale autem remedium? Reſpondeo; Chriſto cooperari. Querebatur olim Elias: 4. *Reg.* 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquevunt pactum tuum filii Iſrael, & derelictus ſum ego ſolus &c.* At melius hoc Chriſtus dicere poteſt. = Applica = *Ezech.* 7. 14. *Canite*, inquit Deus, *tuba, & præparentur omnes, & non eſt qui vadat ad prælium* = Mathatias poſtquam occidit immolantem Hebræum exclamavit: 1. *Mach.* 2. 27. *Omnis, qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me.* Hoc eſt non parcere honori = Quando Moyſes voluit punire cultores Vituli, dixit: *Exod.* 32. 26. *Si quis eſt Domini, jungatur mihi.* Junctique ſunt ei omnes Levitæ, *Ib.* 28. 29. *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia ho*C*minum. Et ait Moyſes. Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.* Quod eſt non parere ſanguini; ſicque cum Chriſto fieri debet. = Vidit Joannes in *Apocal* 19. 13. & *ſequent.* ducem; nomen ejus erat *Verbum, qui ore ſuo tenebat gladium acutum; Et exercitus, qui ſunt in cælo ſequebantur eum.* = Applica. = Quot ſunt, qui otio torpeſcunt, dum Chriſtus vellet ab eis eiicere dæmonium; in quibus ipſum contra a multis annis contraxit domicilium, quia illud volunt pro habitatore. Perpende quotquot ſunt, qui in peccatis jacent, nec ullam adhibent diligentiam, ut a ſe dæmonem repellant, quum pro paupertate, dedecore, infirmitate pellendis, nihil non agant. = Dominus per Michæam 5. 12. 13. inquit: *Perire faciem ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui: & non adorabis ultra opera manuum tuarum.* Et addit: *Et evellam lu*D*cos tuos de medio tui.* Succidendam univerſam ſylvam ſignificat, quia leonibus, urſis, lupis, feriſque aliis ſcatentem; nam ſi locus relinquatur, ubi latitare poſſint, ſin minus omnes, aliqua ſaltem bellua de uno in aliud antrum pertranſiet, nunquam ex toto habitaculum relinquet. Scilicet opus eſt evellere omnes ſæculi vanitates, delicias, pompas, occaſiones &c.; ut Tartari beſtia ſæviſſima penitus eiiciatur. = Sanctus Eliſæus, & alii multi quamvis illuſtres, vitia a Samaria expellere nequiverunt, eò quòd civitas illa hortis inſignibus, pulcherrimis viridariis exornaretur; quin & luxuria, ſpectaculis, luxu, crapula, ſuperſtione, perjurio redundaret, unde omnia alia irridebat &c. Sic pariter quis avaritiam evellet, ab eo loco, ubi pecuniæ in ſummo pretio habentur? Ita ut opus eſt abſcindere, juxta Chriſti conſilium: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum,* &c.

Pars Secunda. Spectaculum miſerrimum! Chri- E ſtus eiicit dæmonium mutum, ut Lucas aſſeruit, cæcum, ut Matthæus dicit, ſurdum, ut coniicit Theophylactus. = *Zach.* 12. 4. *In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem ejus in amentiam.* (S. Gregorius 31. *Mor.* ait: *Equus, corpus; aſcenſor, anima.*) *A planta pedis, uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* = Amplifica. = Debet propterea Chriſtiana caritas ſuccumbere, ut etiam proximum a dæmonis infeſtatione liberet. = Inter præclariſſima geſta David certe illud fuit, quando adveniente leone, qui tollebat arietem de medio gregis, ipſe apprehenſo leone, eripuit illum è maxillis ejus. = Perpende, quam mitabile ſit paſcere modò ovem illam, quæ paulo ante inter molares leonis erat. = Nam monet nos Petrus Apoſtolus: 1. *Petr.* 5. *Adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Tales ſunt, qui miſellas mulieres F juvant, ut a meretricio convertantur; qui pauperculos, ne in latrocinia incumbant, alunt; qui pejerantes, & blaſphemos corrigunt, & ad opera pietatis alliciunt. At verò frequentiùs uſuvenit alios veneno afficere, & dæmonio invadere, quàm liberare. Finge aliquem, qui ſolo halitu obviantes necaret; quam cautè omnes illum fugerent! (Recordare halitus ſerpentis.) Sic eo magis, qui aliis ſcandalo ſunt. Id vehementer Chriſtus dolet in omnibus vulneribus. Chriſtus contra maxime gaudet, & conſolatur propter illos, quos inabitare debet in anima. Quid igitur ſi ſuper dolorem vulnerum addunt, hoc ſolatium illi prohibentes? = Lamentatur Patri: *Pſal.* 68. 27. *Quoniam quem tu percuſſiſti perſequuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* = *Ibid. v.* 29. *Deleantur de libro viventium.* =

At quare quum his tribus defectibus afficiatur memoratum hodie dæmonium, ſolum mutum appellat? Reſpondeo, quia præcipua ſollicitudo eſſe debet, ut iſtud expellatur a quocumque peccatore. Scilicet, valida peccatorum confeſſio procuranda; G nam ſi legitime confiteatur, etiamſi cætera ſacramenta ex fortuito caſu non ſuſcipiat, fiet ſalvus. Et ideo dæmon hoc præcipue ſtudet in peccatoribus, ut muti efficiantur; ſicut lupus, qui guttur ovis, ne balet, apprehendit. = *Si abſcondi*, inquit *Iob.* 31. 33. *quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam. Quaſi homo;* (S. Thomas *in Summ.*) ideſt; *ſicut homines facere ſolent, negando, exſcuſando, palliando.* S. Gregorius; *Quaſi homo, ideſt, ſicut Adam, qui ſeipſum excuſavit.* Et S. Hieronymus notat, *quòd etiam peccata interiora pendebat.* = Sed hoc durum videtur multis ob honorem. Sed Joſue ad Acham, *Joſ.* 7. 19. *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.* Ita ut ipſa confeſſio eſt res glorioſa Deo. Sed quia hoc difficile eſt, ſaltem dic Sacerdoti: Peccavi: nam nihil nocuit David, quum hoc ipſum dixit Nathan. H Quantò ſuavius eſt, nunc te dicere, quàm in judicio exprobrata audire. = Dæmonium vocatur ab effectu mutum. Varii ſunt generis dæmonia *diſparem habentia voluntatem*, inquit S. Auguſtinus, *de Quæſt. utriuſque Teſt. cap.* 115. Quidam perturbant animos, eludunt corpora; quidam ſe admiſcent ſauguini; alia cordi &c.; ita ut juxta peccatum, ad quod incitant, diverſas hominis partes occupant. Sicut in expugnatione ne urbis contingit; quod ibi ſolet conſtitui vexillum, ubi dejectus hoſtis, vel urbs capta eſt. = Fornicationis ſpiritus vocatur Aſmodæus, & etiam Beelphegor, cujus virtus eſt in partibus venereis; *Iobi c.* 40. 11. *Virtus ejus in lumbis ejus &c.* Vid. S. Gregor. in hunc locum. Avaritiæ præſidet Mammona: Huic ſolemne eſt manum a largitione contrahere, ad rapinam porrigere. Chriſtus curavit manum aridam cujuſdam, &c. = Sed genus dæmonii novum, ſcilicet mutum, A eſt hoc. Si diceret *loquax*, multi utique hujus generis reperiuntur in aulis, in domibus, in viis &c.; quin & in una, eademque perſona eſt dæmonium mutum, & loquax. Pſalmiſta 31. 3 ait: *Quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die*. Quod S. Gregorius *in ſept. Pſalm.* ſic exponit: *Certe ille tacuit, & clamat, qui peccata quidem præterita per confeſſionem non annuntiat, & per cor impœnitens alia committere, accepta peccandi libertate, non ceſſat*. Sunt nonnulli amentes, qui in uno, vel altero delirant, at in reliquis recte loquuntur. Sic multi in aliis, præter divina, aptè ratiocinantur. = Deſcribe aulicum garrulum de ſuis, & alienis &c. ſed mutum ad divina. = Item dæmonio muto tenetur qui confeſſiones ſæpe facit, ſed non integras, aut qui apto examine ad eos non ſe comparat; aut tandem qui ex pudore tacet = Perpende eorum ſtultitiam. = S. Augustinus l. 50. B Homil. 40. appoſite de his ait: *Mutet vitam, corrigat ſe, reconcilietur dum vivit, dum ſanus eſt, ne expectet tunc reconciliari, quando incipit mori; experti ſumus expiraſſe expectantes reconciliari*. = Conclude. =

PRO FERIA VI. POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

Ieſus fatigatus. Joann. 4. 6.

PErpende, quare fatigetur Chriſtus, non vero homo. Eſaias, inter alias Chriſti denominationes, eum adpellat *Iſai*. 53. 3. *Virum dolorum & ſcientem infirmitatem*. = Jeremias in carcere, Elias fugiens Angelum, Tres pueri cæleſtem virum; Daniel in lacu, Andreas in cruce, Stephanus in lapidibus, & omnes Martyres in tormentis levamen habuerunt Chriſtus non item, quia fuit *Vir dolorum &c.* De eo legitur. *Cant.* C 2. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles* &c. & tam ad æſtum ſolis, quàm ad pluviam, & aperto cælo. De ſponſa autem paulò ante dictum eſt: *Ib. v.* 3. *Sub umbra illius, quem deſideraveram ſedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Sub dio ipſe pernoctat: *Cant* 5. 2. *Caput meum plenum eſt rore &c.* Sed Sponſa: *Ib. c.* 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea &c.* Ut populus exiens de Ægypto tranſeat, mare dividit: *Exod.* 14. Si panis deſideratur, pluit manna; aquam dulciſſimam de petra, nubem per diem, ne ſole urerentur, noctu columnam ignis pro luce providit. Sed ipſe fatigatus ſedet ſic ſuper fontem. = Pro aliis ipſe ait; *Matth.* 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. = Res verè mirabilis, quomodo Chriſtus laſſetur, ac ſi eſſet ſervus. *Iſai*. 43. 24. *Servire*, inquit, *me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniqui-* D *tatibus tuis*. Scilicet labor erat eum cogere ad puniendum: at ſi bene rem perpendamus, totus hic labor ſuper humeros hominis recidebat. Quid ergo labor hic verus ſuper Deum jàm cadens? Si Adam primus damnatur: *Gen.* 3. 17. 19. *In laborib. comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In ſudore vultus tui &c.* Sed ſecundus Adam quare laſſatur? = Requirit gratitudinem. = *Iſai*. 44. 21. 22. *Memento horum* (dixerat ſupra de idololatria) *Iacob, & Iſrael, quoniam ſervus meus es tu*; *formavi te, ſervus meus es tu Iſrael, ne obliviſcaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. Revertere ad me, quoniam redemi te*. = Perpende = Nihil laboris tulerat eum illuſtrando, & requirit gratitudinem: quid ergo modò laſſatur? Quæritur David de populo ingrato: *Pſal.* 77. 11. *Obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis*. Et loquitur ibi de beneficiis in egreſſu Ægypti; ſed quid hoc cum liberatione a dæmone, & inferno? Requirit præterea, ut homo tantumdem agat, laborando pro ſalute ſua; nam alioquin dicere poſ- E ſumus: *Ezech.* 24. 12. *Nimio ſudore ſudatum eſt, & non exivit ab ea rubigo*. Loquitur Ezechiel, & lamentatur, multos minimè converti. Quantò magis Chriſtus? = Eſau ut benedictionem Jacob acciperet cum pharetra, & arcu venatum omni diligentia ivit, multumque laboravit. Quantò magis Chriſtianus pro illa ſententia: *Matth.* 25. 34. *Venite benedicti Patris mei &c.*; & alteram pertimeſcens: *Pſal.* 108 *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. Ait David: *Pſal.* 68. 4. *Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ*. = Mirum eſt quot labores in rebus temporalibus perferant ſive mercatores, ſive Juriſconſulti &c. Salomon ait: Eccl. 2. 11 *Quum me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole*. Perpende illud, *Fruſtra ſudaveram*. Quantò melius eſt id modo animadvertere, quam poſtmodum cum reprobis dicere: *Sap.* F 5. 17. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis. & ambulavimus vias difficiles*. Ideo hortatur Sapiens: *Quaſi is, qui arat, & quaſi is, qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius in opere, enim ipſius exiguum laboris, & cito edes in generationibus illius. Eccli.* 6. 19. = Explica =.

Secunda Pars. *Mulier da mihi bibere*. Fatigatus eſt, & ſitivit: ſed ſitis, qua præſertim cruciabatur, fuit ſitis ſalutis, quæ exſtitit ex febri amoris, &c. Sic uſque ad crucem perduravit; & non eſt queſtus de vulneribus, ſed de ſiti: *Sitio*. = Sic Paulus *ad Teſſal.* 1. *Deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis, non ſolum evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quia cariſſimi nobis facti eſtis*. = En ſitis cauſſa. = Ehu magnum beneficium! Rex Babylonis Artaxerxes putavit ſe Sanctum Nehemiam affeciſſe, quum à poculis fecit; nec minus ſe affici credidit Pincer- G na Pharaonis, quum ad idem munus reſtitutus eſt. Sed multò majus eſt, Chriſtum nos facere à poculis ſuis: *Mulier, da mihi bibere*. = Sed quid? *Mar.* 15. 23. *Datur ei bibere myrrhatum vinum*. Ideo: *Fel draconum vinum eorum*. = Ratio naturalis petit, ut ſitienti potum demus. Vidua Sareptana libenter potavit Eliam. Et Paulus, *Roman.* 8. *Si ſitit inimicus tuus, potum da illi*. Quale igitur prodigium eſt, Chriſto negare potum? Rex David in bello contra Philiſtæos vehementer ſitivit, & ait: 2. *Reg.* 23. 15. 16. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem juxta portam* (quæ erat juxta caſtra Philiſtinorum.) *Et tunc irruperunt tres fortes caſtra Philiſtinorum*, & non ſine magno vitæ ſuæ diſcrimine, *hauſerunt aquam, & attulerunt ad David*. = Amplifica. = Quare ergo, quum Chriſtus vita periclitetur, niſi ei aquam præbeamus, nihilominus eam dare nolumus? Hanc aquam è fonte cordis noſtri hauſtam ei ſumus propinaturi. Cogitemus, quod quotieſcumque nos Chriſtus in- H ſpirat, dicit: *Da mihi bibere*; & quod ei adſentiri eſt eam illi præſtare. = Quum Abrahæ ſervus Meſopotamiam petivit, ſignum, quo ſponſa Iſaac dignoſceretur, fuit quod ſequitur: *Gen.* 24. 14. *Bibe Domine; quin & camelis tuis hauriam aquam, ut cuncti bibant*. = Cæterum ut Deo liberaliter demus, ille ipſe, qui ſe nobis præmium conſtituit, excellentiſſima, & efficaciſſima cauſa eſſe debet, & incitamentum. Ipſe eſt enim, cujus pulchritudinem univerſus Orbis concupicupiſcit: *Cujus vultum deſiderat univerſa terra*. Quam quidem ſibi oſtendi poſtulans Moyſes, audivit: *Exod* 33. *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Patriarchis autem per Angelos, per ſigna, per ænigmata loquebatur. Contra verò meretriculæ cuidam, quæ nec de ſua converſione agebat, ſic loqui pergit? = *Ego ſum, qui loquor tecum*. = *Ego ſum paſtor bonus*. = *Ego ſum lux mundi*. = *Ego ſum via, veritas, & vita*. = *Ego ſum panis vivus, &c* A O magna benignitas! Sed *Ego ſum, qui loquor tecum*. At quare cum ea tanta miſericordia? Reſpondeo: quia erat pellex, erat peccatrix. Perpende illud, *Ego ſum, qui loquor tecum*; ideſt: Noli alias quærere voluptates, quas numquam extra me reperies. Vide quam eximium bonum hoc ſit. In me totum eſt: non ultra quæras, &c. = Sic vas aquæ factum eſt, &c.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Rogabat Ieſum quidam ex Phariſæis. Luc. 7. 36.

Multis peccatoribus ſe quidem Chriſtus oſtendit ſemper propitium. Nihil enim opus eſt dicere de veteri Teſtamento, in quo: *Præter David, & Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt. Eccli.* 49. 5. Et in Novo non fuit Thamar, non Ruth Moabitis, non Rahab, non Bertſabea, &c. At præter illos, quos ipſe B vocavit, ut Matthæum, &c Zacchæo ſic ait: *Luc.* 19. 5. *Zacchæe feſtinans, deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Ubi Auguſtinus *de Verb. Ap. c.* 58. explicat: *Qui magnum, & ineffabile beneficium putabat tranſeuntem videre, ſubito meruit in domo habere*. = Nota etiam illud: *Quem cum viderent omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertiſſet*. Samaritanæ ipſe ſe ſe obtulit, eamque ſanctificavit, & dedit illi aquam vivam. Adulteræ veniam largitus eſt, & a ſuis accuſatoribus defenſavit, dixitque: *Nec ego te condemnabo*. Sed mirabile eſt ſupra modum hos alloqui, quàm quum magna geſſit. = Nota puritatem Chriſti. & impuritatem peccatoris. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*. Vel minimus halitus ſpeculo cryſtallino maxime nocet, & peccatoribus fœtet anima ex halitu ſerpentis, quo niſus eſt inficere animam ex halitu Dei ortam. *Gen.* 2. 7. *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Quum ergo illum rogaſſet quidam Phariſæus, *Ecce mulier, quæ* C *erat in civitate peccatrix*. Conſtans veterum opinio eſt, hanc mulierem fuiſſe Magdalenam meretricem, ſin minus proſtitutam, parum certe caſtè viventem. Quod & ipſe Evangeliſta, & Simon Phariſæus clarè demonſtrat, vocantes eam peccatricem; neque is ſanè miratus fuiſſet, Chriſtum permiſiſſe ſe tangi ab ea, ſi ejus peccatum alterius generis fuiſſet; & eſt potius Chriſto honorem detrahere, ſi dicamus, eam fuiſſe pudicam: nam major Medici peritia eſt, immunditiam tantam purgare. = S. Petrus Chryſologus, *Serm.* 93. ſic explicat verba Evangelii: *In Civitate peccatrix: Iam non peccatrix, ſed ipſius civitatis facta fuerat ipſa peccatum*. = Ingreditur. = ſcilicet, ubi jam erant multi, qui ſimul accumbebant, qui vident eam, & bene obſervant. = Sanctus Auguſtinus *Lib.* 50. *Homil. Hom.* 73. ait: *Quæſiſſe pia impudentia ſanitatem*. Inter mala majora hoc præcipuum eſt, bonorum operum D veluti pudere, ac hominum dicta timere. Naſcitur hoc ex ignorantia, quia peccati turpitudo, & infamia non ſatis dignoſcitur, quandoquidem qui illud penitius cognoſcit, non pudet, niſi non illius publicè pœnitere. Unde S. Gregorius ait: *Conſideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret*. Peccat Saul, & dicit Samueli: 1. *Reg.* 15. 30. *Peccavi; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei*. Peccat David, & ſtatim mille vias quæritat, ut ſub Uriæ umbra peccatum ſuum operiat: quin & ipſi Deo, ſi poſſet, illud abſconderet; ſicut Adam, & Eva, qui culpam in ſerpentem refundunt; & Cain ad interrogationem Dei: *Gen.* 4. *Neſcio*, inquit, *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* At Deus iterum: *Quid feciſti?* = Contra verò quum vehemens quique dolor ſubit, vel ipſæ magis caſtæ mulieres pudorem amittunt, ut in cauteriis, &c. = *Attulit alabaſtrum unguenti*. = ſcilicet bene noverat Magdalena peccati ſui fœtorem. S. Gregorius: *Quid namque unguento,* E *niſi odor bonæ opinionis exprimitur?* Sic attulit unguentum, ut odore fragraret. = *Et ſtans retro ſecus pedes Ieſu*. = Retro, ob verecundiam, non hominum, nam in convivium proſiliit, ſed Chriſti. = (Animæ Purgatorii gaudent illo igne purgari, majoriſque pœnæ illis eſſet, ſi ante Deum impuræ parerent.) = Ad pedes: = quia, ut Auguſtinus *Lib.* 50. *Homil. Hom.* 23. ait: *Quæ diu male ambulaverat, veſtigia recta quærebat*. = Explica. = Chryſologus *Serm.* 93. *Ut Chriſti veſtigiis innixa percurreret viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis*. Chriſtus *exſultavit ut gigas ad currendam viam*, = Explica. = S. Gregorius *in Hom. in Summa: Contra pedes peccando, ſecus pedes pœnitendo*. Sic dixit Petro: *Mar.* 8. 33. *Vade retro me Satana*: ideſt; *Ne gradiaris contra, ſed ſecus, vel poſt greſſus meos*. S. Hieronymi expoſitio eſt. = *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus*. = Chryſologus *loc. cit. Mutatur ordo rerum: pluviam terræ cœlum dat ſem-* F *per: Ecce nunc rigat terra cœlum: immo ſuper cœlos, & uſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſiliit lachrymarum*. = *Et aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Pſal.* 148 4. Fallebatur Conſtantinus balneo ſanguinis ad lepram tergendam: melius nunc conſtat eſſe balneum aquæ calidæ. Hîc nota naturam, & virtutem thermarum, & aquarum mineralium. Videtur mihi Magdalena hîc uſa verbis Pſalmiſtæ, aut ſimilibus: = *Pſal.* 38. 13. *Exaudi orationem meam Domine: & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas, quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Remitte mihi, ut refrigerer, priuſquàm abeam*. = *Capilli capitis ſui tergebat*. = Nota illud *Capillis*, & *ſui*; ideſt, non fictitiis, ſicut vaniores mulieres, & ſicut olim nobilioros illæ ex Iſrael, quæ capillos Abſalon avide, & ſummo emebant pretio, ut ſibi cæſariem fabricarent; ſed propriis, quod majus eſt. At pluris adhuc faciendum eſt, iis eam uſam fuiſſe loco panni ad pedes Domini abſtergendos, G ut a ſe ejuſmodi vanitatem tandem conculcari oſtenderet. Sic enim Magdalena linum pretioſius Chriſti pedibus præſtitit, quàm ſit lacinioſus ex auro pannus, quo fatuæ utuntur mulieres. = Vere (*Prov.* 31.) *Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*. Hæc verò pro lino capillos adhibuit. Si autem Chriſtus Animæ dicit: *Vulneraſti me in uno crine*; quantò magis in omnibus? Tunc ſicut pedicis capitur Chriſtus. = *Oſculabatur*. = Chryſologus *loc. cit. Præceſſerant intervenientes lachrimæ, ut oſcula devota ſequerentur, quia lachrymæ ſatisfactionis ſunt documentum, oſcula ſunt reconciliationis indicia*. = Explica. = Quàm magnam ſuavitatem debebat Magdalena è pedibus illis haurire! = *Unguento ungebat*. = Scilicet, illo ipſo unguento, quo ſe ungere ſolebat ad decorem vultus. Ungit H autem pedes, non caput, quia *indignam ſe putabat*, ut ait S. Ambroſius; ita ut illæ ipſæ res, ut notat S. Gregorius, *Hom. in hunc loc.* quæ ipſi quondam occaſiones mali fuerunt, nunc tot ſunt holocauſta; Unguentum, Capilli, Oculi lachrymando, Os oſculando. *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta*. Nunc autem rogo; eritne quiſquam, cui hæc ſacrificia non adrideant? = *Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens: Hic ſi eſſet propheta, &c.* = Pinge Phariſæi ſupercilium. =

Scripta inc.temp.

Attamen graviter errat, velut ſi diceret: Hic, ſi eſſet medicus, non permitteret ſe ab ægroto tangi. Immò verò propterea permittere debet. Chryſologus *loc. cit. Medicum, quum tangit vulnera, putredo non polluit: Iudicem quamvis tangat reus, non poteſt maculare, quum ſupplicat;* immò uterque liber manet. Quod experta eſt mulier ſanguine fluens: *Si tetigero &c. ſalva ero*. Errat quoque theologicè, quia non ſemper Prophetæ omnia prævident, ut Eliſeus 4. *Reg.* 4. non prius novit mortuum filium Sunamitidis, quam ipſa narraret. = Non verò ſemel nunc tantùm malum viſum eſt quod egit Magdalena erga Chriſtum; nam alias quoque, quum ipſe Chriſtus ſuos ita redarguit: *Matt.* 26. 10. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Nota, quomodo Chriſtus pœnitentes defendit. = Adhortatio ad ſerviendum ei. *Rom.* 6. 19. *& ſeqq. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna.*

Secunda Pars = Reſpondet Chriſtus: *Simon habeo tibi aliquid dicere*. Heinc Simon intelligere poterit, Chriſtum eſſe prophetam, quippe qui ſecretæ ejus cogitationi reſpondet. = *Habeo*: quia id ex more, & officio ſuo habet, defendere peccatores, eiſque patrocinari. *Tibi* Chryſologus *Serm.* 94. inquit: *Tibi, cui opus eſt medicina: tibi qui Deum magiſtrum vocas, & Dei deſeris diſciplinam: ignoras, quia magiſtro magnam facit injuriam, qui ſe diſcipulum fatetur ejus, cujus non ſequitur inſtitutum.* = *Duo debitores erant &c. unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.* = Narra = Auguſt. *Lib.* 50. *hom. hom.* 23. vocat magnam quæſtionem, ne quis putet ſe non debere multum diligere, quia non multum peccavit; concluditque, omnes multùm diligere debere; *Quia qui parum peccavit, Dei munere parum, & non multum peccavit*. Magna Chriſti prudentia, & ſuavitas, quæ illum veluti vivum decoquit, cogitque Simonem confiteri, mulierem illam meliorem ſe eſſe. Dicit ipſi: = *Recte judicaſti*. Hoc ſane parum non eſt. = *Et converſus ad mulierem, dixit Simoni*. Adeo de Magdalena declaratur, ut etiam alterum alloquens eam reſpicere pergat. Chryſologus: *loc. cit. Quid eſt, quod converſus ad mulierem, Simoni loquitur Chriſtus? Quia quum pœnitentem reſpicit, arguit oblatrantem.* = *Vides hanc mulierem!* = Velut ſi diceret: Equidem eam non vides; nam ſi videres, alia utique ratione judicares. = Amplifica. = Si eam, ſicut ego, videres, non ceſſares eam reſpicere. O ſi videres quàm tota mutata eſt ab illa, quæ huc intravit! ſi videres omnia interiora ſua &c. Sed quoniam non bene eam vides, ego ipſe tibi eam oſtendam. = *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti:* quum ſim ego hoſpes, & peregrinus in domo tua (nam his, non verò omnibus convivis, pedes lavabantur.) *Hæc autem lacrymis rigavit pedes meos;* ſicque melius, quàm tu, in me ſe geſſit. Suſpicor, Chriſtum etiam oblatum a Simone pediluvium fore renuntiaturum, ut illud a Magdalena expectaret. = *Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos*. Non in facie, præ verecundia, & pœnitentia, oſculabatur Sapientiam, Caſtitatem, Virginitatem ipſam; & ſic rediit caſta. = *Oleo caput meum non unxiſti* (mos erat Orientalium;) *hæc autem unguento unxit pedes meos*. Opponit pedibus caput; ſicque miſericordiam reportavit. = Propter quod dico tibi: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Videtur debuiſſe potius dicere: propter hoc diligit multum, quia remiſſa ſunt ei peccata multa. At ratio evidens eſt; (applica ſimilitudinem, qua uſus eſt Chriſtus;) nam abſolutè præcedit actus amoris gratiam, ſicut diſpoſitio formam in genere cauſſæ materialis. Sed non videtur cohærere cum ſimilitudine duorum debitorum hæc expoſitio. Placet illa, quæ ait, hîc agi etiam de remiſſione pœnæ, quam obtinuit Magdalena per ardentiſſimum amorem. In hoc enim ſenſu gratis juſtificata, & ardentiſſimè amanti remiſſa ſunt peccata multa quoad poenam temporalem, quoniam dilexit multùm; ut à pedibus Chriſti cum plenaria indulgentia receſſerit. = Sed quomodo cognovit ipſa, Chriſtum ſibi veniam contuliſſe; quod certè videtur ſupponendum, ut ſequatur amor ob remiſſionem? Reſpondeo, quia id bene ſentiebat ex magna illa cordis mutatione. Sed verum omnino eſt, quod dilexit multum. = *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.* = Hinc verò ſtupor accumbentium. *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Reſpondeo ego, eſſe Deum. = *Vaae in pace*. Nota: Chriſtus, qui ſol vocari voluit, reſpiciebat Magdalenam, quæ veluti nubes lachrymas pluebat. Quum pluit, in fine apparet iris, vel arcus cœleſtis, *Gen. c.* 9. *quam poſuit Deus, in ſignum fœderis*, & pacis. Sic fuit tunc ſpiritaliter. Reflectebatur ſol in eam nubem, & Deus dedit illi ſignum fœderis: *Vade in pace*. Nam is eſt finis eorum, qui convertuntur ad Chriſtum; Pax, & ſinceriſſima ex toto corde pax: Reconciliatio cum Deo per gratiam; tandem gloria æterna. = Exaggera ejuſmodi pacem, & conclude &c. =

DE PASSIONE DOMINI

LECTIO PRIMA

Si compatimur, & conglorificabimur.

TOta Chriſtiana ſapientia, in hoc ſita eſt, ut cum Chriſto patiamur; & ſic Eccleſia quotannis celebrat hoc ſacro tempore Chriſti paſſionem, oſtendens exemplar; ſicut olim inſtante prælio, oſtendebant 1. *Mach.* 6. 34. *elephantis ſanguinem uvæ, & mori, ad acuendos eos in prælium.* Sed ob rei amplitudinem, quæ una tantum concione ſatis comprehendi non poteſt, dicam partem aliquam ſingulis hiſce Dominicis; & quidem in hac prima rationes afferam, quare condolendum cum Chriſto ſit; quod primo loco præſtabit; in altera autem parte hiſtoriam recitare incipiam. = Plures, graveſque luctus cauſæ exſtiterunt in mundo; at nulla profecto morti Chriſti perſimilis. = Magnus quidem fuit dolor Agar diſcedentis è domo Abrahæ, ita ut *Gen.* 21. 15. *& ſeqq. abiecit puerum ſubter unam arborem*, dixitque: *Non videbo morientem puerum: & ſedens contra, levavit vocem ſuam, & flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri; vocavitque Angelus Dei Agar de cælo &c.* = Sed quid hoc, cum vero filio Saræ Iſaac, qui moritur ſuper lignum holocauſti? = Perpende &c. = Magnus quoque dolor Jacob, quum Joſeph filium mortuum putavit; *Gen.* 27. 34. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* = Sed quid hoc cum vero Joſeph vendito non Iſmaelitis mercatoribus, ſed hoſtibus ſæviſſimis à diſcipulo ſuo? = Amplifica = Magnus item dolor Jobi 1. 19. *& ſeqq.*, quum audivit, quod domus corruens oppreſſerat filios: *Surrexit, & ſcidit veſtimenta ſua, tonſo capite corruens in terram*. Sed quid hoc cum dolore Chriſti, *Pſ.* 28. 3. quando *ſupra dorſum ejus fabricaverunt peccatores?* = Pondera = Tobiæ Mater *c.* 10. 4. *flebat irremediabilibus lachrymis;* putanſque amiſſum filium ſuum, eum vocabat. *Lumen oculorum noſtrorum, baculus ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ.* = Sed mirabilis planctus Davidis ſuper Abner, qui audita ejus morte, 2. *Reg.* 3. 31. *& ſeqq. Dixit ad Ioab, & ad omnem populum: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini*

ſac-

ſaccis, & plangite ante exequias Abner. Porrò Rex David ſequebatur feretrum. Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, levavit Rex David vocem ſuam. & flevit ſuper tumulum Abner; & ait: Nequaquam ut mori ſolent ignavi mortuus eſt Abner. (Nota diſcrimen in eo quod immediate ſequitur.) *Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggravati: ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti. Congeminanſque* A *omnis populus flevit ſuper eam.* Venerunt deinde omnes *cibum capere cum David;* at ille *Juravit dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem, vel aliud quidquam.* = Explica, & hortare. = Ad dolorem ergo de Chriſti morte concipiendum hæ ſunt potiſſimum rationes, quæ occurrunt. = Prima ratio. = Innocens moritur. Vere dolenda res, Juſtum injuſtè affligi; quod impoſſibile viſum eſt alium Eliphax, dum ait: *Job.* 4. 7. *Recordare, obſecro, quis umquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* = Pondera = Id, quo magis cruciabatur Joſeph, erat quod Pincernæ dixit: *Gen.* 40. 15. *Furtim de terra mea ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.* = Suus quoque Pater, quum eum Laban perſequeretur, *Ib.* 31. 36. *Cum jurgio tumens ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me? Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, & ſic per viginti annos ſervivi tibi.* B = Quantò verò æquiùs Chriſtus ita conqueri poteſt: Quod peccatum feci, ut morte me afficiatìs? *Act.* 10. 38. *qui pertranſii benefaciendo, & ſanando omnes &c.?* ſumma ergo doloris cauſa eſt mors juſti: *Ecce quomodo moritur juſtus, & nemo conſiderat.* = Secunda ratio. = Moritur ſummus benefactor: = Sic David inquiebat: 2. *Reg.* 1.24. *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* = Explica = *Pſ.* 44 10 *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus, circumdata varietatibus.* Sed & ipſe David qui tot beneficiis auctus, fuerat a Jonatha, ſic ait: *Doleo ſuper te, frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.* = Pondera, & accommoda Chriſto. = a Chriſto recepit Chriſtianus dona naturalia, & ſupernaturalia &c. Immò moritur pro illo, & pro peccatis illius, conferendo ſimul beneficium omnium maximum. Intollerabile profectò eſt, ſpectare oculis alium pro ſe mori. Quod C in Davide clare demonſtratur, qui quum vidiſſet interitum populi pro peccato ſuo, exclamavit: 2. *Reg.* 24. 17. *Ego ſum, qui peccavi, ego inique egi; iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, furor tuus in me.* Sic debet Chriſtianus Patri æterno dicere: *Ego ſum, qui peccavi &c.*; Chriſtus quid peccavit? *Vertatur obſecro &c.* = Tertia ratio. = Magnitudo dolorum, & ſumma derelictio ejus, qui moritur: *Iſai.* 2. 6. *A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.* Nam etiamſi graviſſima crimina patraſſet, humana conditio non fert ejus aſpectum, quin tenerrime commoveatur. Sunt aliqua animantia nobilis naturæ ut leo, qui parcit proſtratis; alia contra, ut lupus, & urſus, quæ inſtant morientibus. Videns igitur Chriſtus, ſe fieri *ſicut agnum coram tondente ſe,* & nihilominus lupos illos crudeliſſimos inſtare morienti ſubſannantes, ſuiſque linguis eum crucifigentes, quem non moveat? Videre præterea D ſummam ſuam derelictionem, inſtantibus interim inimicis (*Eccle.* 4. 10. *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem ſe*) id maximo dolore Chriſtum affecit. *Longè feciſti* (inquit per Pſalmiſtam 88.) *notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi* = Pondera illud *notos meos.* = *Omnes relicto eo fugerunt.* Judas eum vendit. Petrus illum negat. *Notos meos,* qui patrata a me miracula viderunt, quos ego direxi, *ſicut aquila provocat ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volat.* Filii autem degeneres fuerunt, nec voluerunt aſpicere ſolem, etiam quum eclipſim paſſus eſt. = Sed & hoc utcumque tolerabile erat, ſi Pater non dereliquiſſet eum. Dicit autem ipſe Filius ad eum: *Pſal.* 87. 17. *In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.* Perpende illud *Tranſierunt*, ſcilicet a peccatoribus ad Chriſtum. Sic quoque Nathan ad David: 2. *Reg.* 12. 13. *Dominus tranſtulit peccatum tuum a te;* ideſt ad Chriſtum: nam *Pſ.* 87. 8 *Omnes fluctus tuos induxiſti* E *ſuper me.* = Quarta ratio. Perſonæ dignitas; Eſt enim *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris. Rex Regum, & Dominus Dominantium;* nec *Stellæ ſunt mundæ in conſpectu ejus.* Attamen magna infamia moritur inter latrones, ſputa, blaſphemias &c. Quid ſpinæ, crux, clavi, ictus &c.? *Quomodo obſcurutum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Tam gravi excidio creturæ omnes commoventur; atque ſors magna foret cor lapideum gerere, quod ſanè ſicut petræ ipſe ſcinderetur, non vero cor carneum, quod lapidibus ipſis durius eſt, quoniam non movetur. Dicebat olim Deus: *Ezech.* 36. 26. *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum:* At modo, inquit S. Bonaventura, *diverſum ego peto, quia lapides in tua paſſione franguntur.* = Modus igitur, quo aptiùs Chriſtianus ſe comparare debet ad celebrandam paſſionem Chriſti, qui in Job figurabatur, eſt id præſtare: quod hujus amici præſtiterunt. *Iob.* 2. 11. *Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidiſſet* F *ei, venerunt ſinguli de loco ſuo; cumque elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cælum. Et ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* = Accommoda Chriſto. =

Secunda Pars. Hiſtoriam ingrediamur. Poſt teſtamentum novum, *Egreſſus cum diſcipulis ſuis;* ut eos ſcilicet inſtruat ad bellum. Legimus in Deuteronomio: Voce præconis dicebatur in caſtris ante diem belli: Quis eſt homo formidoloſus, & corde pavido? Vadat, & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. = Perpende = Hortum ingreditur. Eligit certaminis locum; Mors arma, quæ voluit, puta clavos, ſpinas &c. Eligitur hortus quia in horto dejectus eſt primus Adam. = *Cant.* 5. 1. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & commedat fructum pomorum* G *ſuorum;* ideſt ſpinas, & tribulos. *Gen.* 3. 18. *Nam ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Hoc guſtat Chriſtus in eo horto. = Ex horto ipſo deducitur, quòd ferendum ibi Chriſto ſit, quum ſit ſecundus Adam. In primo horto Adam peccavit, in hoc Chriſtus patitur. In primo Deus terribiliter loquutus Adam terruit, in hoc Chriſtum divina Juſtitia pavore, & timore vexat. In primo Adam tectus veſte abjecta, & corruptibili, in hoc Chriſtus operitur ſanguine. In primi Adam irriſus: *Gen.* 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis &c.* In hoc Chriſtus irridetur, capitur, & fit quaſi unus ex nobis. Ex magnitudine angoris, doloriſque perpende Chriſti actum pro te pœnitentiam agentis. Percrebuit autem triſtitia ex peccatorum turpitudine, multitudine, magnitudine, ex ſalvandorum paucitate, è dolore mortis inſtantis, quam, ſi placuiſſet Patri, vitare potuiſſet vel fuſa una ſanguinis gutta, Judæorum interitu. Judæ caſu: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* = Explica H per illud ſimile: *In finem dilexit eos.* = Eoque affectu, ex quo *Iſai.* 53. 6. *poſuit Deus in eo iniquitates omnium noſtrum*, videns ſe ſub hac turpiſſima peccatoris ſpecie, *Procidit in faciem ſuam.* Vidit, inquam, in ſe peccatoris imaginem, *Factus in ſimilitudinem carnis peccati;* & more filii prodigi: *Pater*, ait, *Luc.* 15. 21. *peccavi in coelum, & coram te; non ſum dignus vocari filius tuus.* = Publicanus quoque *non audebat oculos in coelum levare;* quia teſtimonio conſcientiæ norat, ſe offendiſſe Deum cœli. Proprium eſt hoc veri pœnitentis, ut Magdalena, *Luc.* 7. 38. *Accedens retro, ſecus pedes Domini &c.* At tu, Innocentiſſime, eleva faciem tuam. Verum id præſtabat, quando agebat ut juſtus; nunc verò agens perſonam peccatoris procedit ſicut ſervus debitor decem millium talentorum: *Matth.* 18. 26. *Patientiam habet in me &c.* Heſter, viſa majeſtate, & ſeveritate Aſſueri, *Heſt.* 15. 10. *cadit in faciem ſuam:* Chriſti humanitas, viſa Patris juſtitia, *procidit in faciem ſuam*, ut protegat terram, interpoſitus, ab ira Patris, ſicut filius ſe obiiciens Patri irato contra ſervum. = Amplifica = Sic orare debetis conſcii culparum. = Clamat Pater: *Si poſſibile eſt &c.* Pugna enim ſuperior cum inferiori affectu. = *Factus eſt ſudor ejus, quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* O ſanguis optatiſſime, continere te intra venas non poteras, quaſi muſtum abſque ſpiraculo quod laguneulas novas diſrumpit. = Incurrit homo pœnam ſudoris: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo; Gen.* 3. 10. ut modò liberaretur ab hac damnatione, ſudore ſanguinis. = Pinge Chriſtum, ſigillatimque faciem conſperſam, ubi pori patefacti, totidem ora fiunt, ſicut ulcera Lazari, & clamant &c. Quem non moveret hoc funeſtum ſpectaculum, cum clamore valido, & lachrymis? Pater quid feci? Tibi fideliſſime ſervivi; ſed nec hominibus nocui: quare ergo conjuratur contra me? = Amplifica = Sed non propterea liberatur a morte, nec ab uno quidem ictu flagelli. Quid eſt hoc? David ait, *Peccavi;* & ſtatim gratiam recepit. Suſpirat Suſanna; & Deus contra impudicos ſenes juſtitiam manifeſtat. Gemunt tres pueri in fornace Babylonis; & facit *quaſi ventum roris flantem.* Flet Ezechias, & datur ei, quod optat. Ninive lachrymatur, & parcitur ei. Mœretur Daniel in lacu, & miteſcunt leones. Quare ergo non conſolatur Filium, qui ſervis blanditur? *Ezechiel.* 33. 11. *Vivo ego, Dominus, nolo mortem peccatoris &c.* Quare ergo Innocentis?

LECTIO SECUNDA.

MIſſus eſt ei Angelus cœleſti eloquentia munitus, qui quaſi diceret ei: *Iſai.* 53. 10. *Si poſueris pro peccato animam tuam, videbis ſemen longævum;* & confortatus eſt Chriſtus, ſolamen illud accipiens: ut Elias, cui Angelus: 3. *Reg.* 19. 7. *Surge; grandis enim tibi reſtat via* Et ut Gedeoni fugam meditanti: *Iud.* 6. 14 *Vade, & in hac fortitudine tua liberabis Iſrael de manu Madian.* (Rupto vaſe carnis, micante divinitate. = Nota: ſic oratione, ac devota conſolatione armatur fidelis ad pugnam, ſicut è balneo non ſolum lachrymarum, ſed etiam ſanguinis vegetior & laborum appetentior Chriſtus exivit. = *Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?* = Ac ſi dicat: Agitur hîc de humana redemptione, & dormitis? = Ter ad diſcipulos venit, ſed dormiunt. Mirum eſt, quî dormiant, quorum agitur cauſa, & pro quibus fit Chriſtus in agonia, quæ ſanguinem Filio Dei elicit. Stupendum eſt, quomodo dormit Jonas periclitante navi, nauclero vigilante: *Ion.* 1. 5. *Deſcendit ad interiora navis, & dormiebat ſopore gravi.* Et ſi Petrus dormit in carcere, & Elias ſub arbore junipero, non miror, etiamſi unum Herodes, alterum Jezabel interficere moliretur; nam hæc tandem mos eſt corporalis; ſed peccatore dormire ſub gladio Juſtitiæ Dei, vehementer admiror. = Amplifica, & alter exemplum Saulis dormientis, quum venit David, 1. *Reg.* 26. 12. *aſtulit haſtam, & ſcyphum aquæ qui erat ad caput Saul.* = Dicam ergo, quod Chriſtus Apoſtolis dixit: *Marc.* 15. 41. *Sufficit, dormite; venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus Peccatoris.* Ac ſi diceret: Id bene cogitate: *ſurgite eamus*, & me comitamini *Adhuc eo loquente venit Judas, & cum eo turba multa cum gladiis &c. Dan.* 13. Suſanna erat in horto ad balneum, quando ſenes iniqui invaſerunt eam. Chriſtus ſuo ſanguine balneatus, quando impii peccatores inſilierunt in eum. Ubi nota differentiam primi, & ſecundi Adæ. Primus audita voce divinæ Juſtitiæ abſcondit ſe; ſecundus percepto ſtrepitu Juſtitiæ offert ſe. *Quem quæritis?* Quo audito, retrorſum cadunt. S. Gregorius, & alii Sancti terrorem illum ex vehementia quadam in verbis Chriſti; S. Hieronymus, *Epiſt. ad Princip* ex quodam ingenti ſplendore vultus Chriſti deducit. Solet Chriſtus in Scriptura nubes appellari. *Ezech.* 1. *Iſai.* 3. Fecit igitur, quod Cœlum quando tonat, quod ſonus, & fulgur ſimul terrent. Voluit oſtendere, quid indicatum faciet, ut S. Auguſtinus, & Gregorius notant. Quis non timebit te, o Judex? = Pondera iam victoria ſtabat; cum apoſtrophe ad Chriſtum. Sed reſurgunt ipſo ſinente, & accedit Judas: *Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Hoc ſane perhorrendum eſt, ſupra quam dici poſſit. Graviſſima fuit Abſalonis perſequutio, & conjuratio; nihilominus Pátris perſonam non tetigit; & quamquam beneficia multa recepiſſet, non tamen tot, ac tanta, ac Judas à Chriſto: qui recepit eſſe Filium Dei, Apoſtolatum, dona ſpiritus, Euchariſtiam; quin & ipſe Chriſtus coram illo genua flexit, pedes lavit, & forte lachrymis terſit. Sanè ſi David in Abſalon dimidium operatus eſſet, domuiſſet illum. Quomodo ergo humana malitia ad proditionem tantam pertingere potuit? Quomodo *Job.* 15. 26. *cucurrit adverſus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt?* Reſpondeo quum peccator cordis ſui dominium Diabolo tradit: *Cum jam Diabolus miſiſſet in cor ejus;* tunc pro nihil habet contra Deum convocare cohortem, & illi pugnam offerre. Sed olim quando ſic peccatores in Deum bellabant, ut ædificaretur Babel, Deus ſe ulciſcebatur: *Gen.* 11. 7. *Deſcendamus, & confundamus &c.* Nunc verò jam factus homo, tentat ulciſci ſe parcendo, & miſerendo, & armis dulciſſimæ manſuetudinis utendo, ſic ait. *Amice ad quid veniſti?* Non credo fore quempiam tam rudem, qui non agnoſcat vim illius vocis, *Amice.* Quomodo, Domine? Is eſt amicus tuus? Immò ſanè crudeliſſimus inimicus eſt. Cur ſic, Domine, corda hominum ſollicitas? Sufficit, Domine, vitam pro amicis impendere; ſcimus, enim, quia *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Expone pro iis, quos Chriſtus velut amicos habet. = Amplifica. = Perpende etiam hîc lenitatem Chriſti in ſanando vulnere auriculæ à Petro deciſæ. Quam æquum fuiſſet, ut Judas, & cohors, viſa Chriſti miraculoſa manſuetudine, miteſcerent, & ſe illi dederent. Sed non ſic. Dato ſigno, invadunt Chriſtum, percutiunt, ligant, urgent, tradunt elatis clamoribus, & indigniſſimis inſultationibus vexant. O quam diverſus ingreſſus ab illo, quo David redibat a cæde Philiſtæi! 1. *Reg.* 4. Num hic eſt Filius David? Et tamen ingreditur vinctus. 1. *Reg.* 4. *En Arca Dei capta eſt.* Quod audiens *Gen.* 39. *Heli retrorſum cadens expiravit.* En Joſeph in vinculis, quod adulteræ conſentire noluit. En Sampſon ligatus funibus peccatorum. *Jud.* 16. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Spiritus oris noſtri Chriſtus Dei captus eſt in peccatis. = Explica, quomodo poterimus reſpirare ſine ſpiritu oris noſtri. = Tunc Apoſtoli Chriſti, qui eum illuc uſque comitati fuerant, audientes ſtrepitum exercitus, fugerunt. O quam dolenda fuga! Domus Annæ. Jam fere media nox erat, & Anna ſocer ſummi Pontificis Caiphæ, qui unus erat è crudelioribus Chriſti inimicis, ut cauſam mortis ejus urgendæ inveniret, illum interrogat de doctrina; v. g. Quænam eſt iſta doctrina tua? Profectò ſi bona foret, diſcipuli tui non te dereliquiſſent. At Chriſtus: *Ego palam loquutus ſum mundo &c.* Ac ſi diceret. Non ſolet reus interrogari, quum res publica eſt, & tot teſtes adſunt,

qui

Scripta inc. temp.

qui referre poſſunt &c. Quod ſi reſpondet, quia agitur de doctrina, de ſe in morte nil reſponſurus, & ſic modeſtè, & graviter, ut dictum eſt, reſpondet, unus nihilominus ſatellitum reputans, ſe gratum Annæ facturum, ei impudentiſſimè alapam impingit, ajens: *Sic reſpondes Pontifici?* O ſpectaculum horrendum. Oza moritur, quod arcam tetigerit, ne caderet, 2. *Reg.* 6. Michæas alapa percutitur, quòd Regi ad placitum non reſpondit. Hic nota, quomodo Miniſtri dum placere ſe putant Principibus, fiunt audaces contra Deum Chriſtus jam laſſus erat, quum alapa ita percuſſus A eſt, ut fermè retrorſum ceciderit; ejuſque faciei impreſſit miles manus ſignum. = Pondera = Quum Propheta clamaſſet contra altare, Rex Jeroboam 3. *Reg.* 13. 4. *extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus; nec valuit retrahere eam ad ſe*: Propheta enim Domini erat. Explica gravitatem injuriæ Perpende attentè illud: *Cur me cædis? Verba ſunt hortantis, ne ille* (cui ſicut Chryſoſtomus putat auriculam in horto reſtituit) *tam ingratus pareat.* Ducitur ad Caipham. Ex conſilio Jezabelis quæruntur falſi teſtes contra Naboth, quod vineam Achab dare noluerit. Sic etiam contra Chriſtum qui dicunt blaſphemaſſe, quia Filium Dei ſe fecit; in quo Dæmonem mentiri non permittit Chriſtus. Nota; Principes ſacri quærunt falſos, teſtes, ut celent odium ſuum, & brachio ſæculari, ideſt Pilato, eum tradat. Denique adjuratus per Deum vivum, reſpondet: *Ego ſum*. Quod vel Samaritanus B unus, & Cæcus ille natus faſſus fuiſſet. Caiphas veſtes ſcindit; adſtantes vero I. expuunt in faciem ejus II. cædunt colaphis, & pugnis; III. velant; IV. illudunt. = Perpende, quomodo peccator illuſtrationi clariſſimæ Dei turpiſſime reſiſtat. = O vultum univerſo Orbi deſideratiſſimum! Ubi eſt illud: *Magnificatus eſt Rex Salomon, cujus vultum deſiderat univerſa terra?* Et illud Moyſis *Exod* 33. 13. *Si inveni gratiam coram te, oſtende mihi faciem tuam?* Et illud: *Pſ.* 79. 20. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*. Nox illa tota his, aliiſque in Chriſtum injuriis delapſa eſt; ſolum in illum expuere, erat ignominoſiſſimum. *Iob.* 16. 11. *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis*. At, *Num.* 12. 14. *Si pater ejus expuiſſet in faciem illius, nonne debuiſſet ſaltem ſeptem diebus rubore perfundi?* Hac nocte primogenitus, & unigenitus Dei malè habetur ab Ægyptiis; & ipſe eſt, qui primogenitos Ægyptiorom olim interfecit. Hac nocte flevit ipſe ſuper fratres ſuos, ſicut Joſeph. Quæ hac nocte C tulit Chriſtus incredibilia videntur; & mirum, unde tantus in Chriſtum furor. Reſpondeo, inde, unde tantus furor dæmonis in Job, excepto, quod dictum eſt ibi: *Animam ejus ſerva;* non hîc. Petri negatio. = Ter negavit. = Pugnarunt ſimul amor Magiſtri, & timor mortis; at timor prævaluit. = *Non uovi*. ubi eſt modò illud: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi?* Et illud: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, non ego?* Et, *Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire?* Et, *ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Hæc profectò ſunt alapæ, & vulnera, quæ magis dolet Chriſtus; negari ſcilicet ab iis, qui eum noſcunt. *Iob.* 19. 14. *Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverunt obliti ſunt mei. Abominati ſunt me quondam conſiliarii mei; & quem maxime diligebam averſatus eſt me*. Accommoda Petro. Sicque velut ſummæ triſtitiæ cauſa ſubjungit: D *Iob.* 19. 20. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos;* ac dicunt; ſolum ſupereſt ſpiritus, ut mœrear, & crucier. *Iob* 29. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*. Sed ceninit Gallus, & Chriſtus aſpexit Petrum, oculiſque loquutus eſt: Sic Petre derelinquis me? &c. = Amplifica Numquam tam velox jaculum, ac intuitus Chriſti. O quam intimè intuitum illum perſenſit Petrus! Sicut olim dubitanti Petro dixit Chriſtus *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Sic modo: *Quare negaſti?* Expende.

LECTIO TERTIA.

INſomnem duxit Ieſus Chriſtus noctem illam, & ſummo mane Principes Sacerdotum ducunt illum ad Pilatum, ſicut ad brachium ſæculare. = Darius olim (*Dan.* 6. 18.) *abiit in domum ſuam, cibique non ſunt allati coram eo; inſuper & ſomnus receſſit ab eo;* E quia Daniel miſſus fuerat in lacum. = Iacob dixit ad Laban: *Gen.* 31. 40. *Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. Quantò magis Chriſtus paſtor ovium diſſipatarum; quarum vel una ſomnum diſcutiebat? Videns hoc Iudas, quòd ſecum jam nullum supereſſet remedium, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, & dicebat: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*. At illi dixerunt: *Quid ad nos? Tu videris*. = Pondera Pontificum cæcam credulitatem. Teſtem efficaciorem habere non poterant, & luculentiſſime videbant, Iudam propria conſcientia cruciari. Et tamen dicunt: *Quid ad nos?* Et ad quos nam, niſi ad Iudices, innocentem tueri, proditorem damnare ſpectat? Ecce hîc utrumque. Pondera paſſionis vim. Clare pluribus argumentis perſpiciebat Saul Davidis innocentiam: ſed paſſio judicem obruebat. Herodes etiam videbat illicitum uxorem fratris retinere; F ſed paſſio eam dimittere non ſinebat. = Sed hîc tantillùm diverte ad Iudam, & vide illum feſtinantem ad ſuſpendium. O miſer Cain imitator! Ne deſperes: an neſcis, quàm ſit Chriſtus infinitè ad pietatem pronus? Perge ab illo veniam precari, & illum a mœſtitia ſolaberis. Quod ſi non audes, vade ad Matrem: ſin minus ad diſcipulos; nam illi certè te audient. Vade ſaltem ad Petrum, & flens cum illo, veniam impetrabis. = Amplifica. = Sed feſtinavit, (*Actor.* 1. 18.) *& laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius, diffuſaque ſunt omnia viſcera ejus*. = *Iniquitates ſuæ capiunt impium*. Achitophel *ſuſpendio interiit*, quod ab Abſalom non *fuerit factum conſilium ſuum;* 2. *Reg.* 17. 23. Iudas contra, quia conſilium ſuum factum fuit, Iuſtitia Dei declinari non poteſt. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. = Ieſus ſiſtitur Pilato, qui ejus innocentia cognita, tribus mediis illum liberare curat. Primò mittit illum ad Herodem, ubi Chriſtus graviter ſe geſſit, nihil reſpondens. Ideo tamquam ſtultum ſprevit illum, indutum alba veſte. Ecce David coram Achis illuſus; G qui in mortis diſcrimine, maluit honorem, quam vitam perdere. Sed Chriſtus quum ſe liberare a morte poſſet ſapientiam ſuam manifeſtans, mavult honorem, & vitam perdere, quàm a noſtra liberatione ceſſare. Infamia hæc directè opponitur Filio Dei, qui eſt ſapientia ipſa æterna. O æterna ſapientia, nihil jam tibi deerat, niſi quàm ut ſtultus putareris! Videt Ioannes Sanctos innumeros indutos veſtibus albis, quæ ſunt inſignia gloriæ; & Chriſtus dealbatur ad dedecus. Sed illa gloria ex hoc dedecore; num ibi dicitur dealbata fuiſſe indumenta *in ſanguine Agni*. Sic precabatur David: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem* *Pſal.* 50. 9. *dealbabor*. = Secundum medium, quo utitur Pilatus, ut liberet Chriſtum, cedit in graviſſimum ejus obbrobrium; ſcilicet, conferre illum cum Barabba. Hîc pondera, quàm fauſtè poſſet acclamari Chriſto, & B. Virgini. Barabba ſeditioſus, H homicida, latro. Chriſtus pacificus, (nam, *Orietur in diebus ſuis juſtitia, & abundantia pacis. Pſ.* 71. 7.) Vita, (ſiquidem, *Veni ut vitam habeant:*) Reſtitutor, (ait enim; *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Matt.* 22. 21.) = Depinge utriuſque imaginem. = At certè eum liberabunt; nam vel ipſa comparatio ſatis illi dedecoris fuerat: ſiquidem & Ambroſio *lib.* 3. *de Virgin.* viſum eſt, futurum fuiſſe dedecus, ſi Ioannes Baptiſta fuiſſet abſolutus conviviali præcepto, &c. = Conquerebatur olim Deus, ſe cum Idolis comparatum fuiſſe: *Iſai.* 40. 25. 26. *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus? Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc*. Hoc pejus eſt; nam illi, poſito errore, ſculptilia ſua tandem ut veros deos habebant; iſti hunc ſciebant eſſe graviſſimum peccatorem. = *Vidimus eum, deſpectum, & noviſſimum virorum*. *Iſai.* 53. 3. O mundi fallacia, quæ ejuſmodi judicio certè capax non es! Æſtimas Barabbam dignum vita, & non Chriſtum? Non ita judicat Deus. Rex Balthaſſar in mente hominum habebatur dignus regno, ſed non in ſtatera Dei: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*. *Dan.* 5. 27. Abſalon capilli ducentis ſiclis æſtimabantur; tanti verò pendebatur perſona, ut non dubitarent coronam à Patre auferre, ut illi eam darent: ſed in ſtatera Dei, in quercu appenſus eſt, facta reſti ex capillis. Contra verò *Hi ſunt, quos habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, &c.* Et hic in terreſtri Hieruſalem deſpicitur, qui in cœleſti adoratur. *Apoc.* 5. 12 *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere divinitatem, & virtutem, & benedictionem*. Ideo Chriſtianorum hominum judicia parvipendunt. *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die; qui autem judicat me, Dominus eſt*. = Videns autem Pilatus, ſecundum illud remedium inutile fuiſſe, procedit ad tertium; ideſt, illum flagellis tradit. Horrendum ſpectaculum! Nudatur ſecundus Adam, & erubuit, ut ſolvat culpam primi, qui timuit, eo quod nudus eſſet. Ecce Ioſeph nudatus tunica a fratribus ſuis. Deeſt ne vel unum indumentum pro filio Virginis? Quàm foret modo ad rem, o Eſaia, veſtis illa, de qua dixiſti: *Iſai* 49. 18. *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi, quaſi ſponſa!* Sed hîc non video ejuſmodi ornamentum. = Sed alligatur columnæ. Intuemini columnam hanc, quæ ut olim præcedit populum: novum militiæ genus. Prodeunt (ut S. Hieronymus ait) ſex carnifices; duo virgis ſpineis, duo loris nodoſis, duo catenis ferreis in aduncas ungues deſinentibus; ſibique ſuccedunt. = Pondera, quomodo lacerabant carnem Chriſti. Dictum de eo fuerat: *Pſal.* 90. 10. *Non accedet ad te malum*. Eſt ne qui ei compatiatur? Nullus. Immò clamant omnes: *Hic ſe regem facit*. Circumdemus eum corona, induamus purpura, & ſceptro arundineo exornemus. Mundi nobilibus, ridendum viſum eſt, hominem pauperem, humilem, abjectum Regem eſſe; ac fortaſſe dicebant: *Num liberare nos poteſt iſte?* Magna fuit illa ex arundine ignominia, qua idem erat, ac ſi dicerent: *Vacuo cerebro eſt: Arundo vento agitata;* quod de Ioanne Chriſtus negavit. Magnum ex illuſoria purpura dedecus; ac ſi non eſſet dignus ejuſmodi regiis inſignibus. Olim in apparatu Tabernaculi purpura, & coccum bis tinctum abundabant; nunc quaſi aliena veſte irridetur. Sed maximum dedecus, & dolor corona fuit. Nunc implet terra maledictionem illam: *Gen.* 3. 18. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Ecce arietem immolandum pro Iſaac hærentem cornibus inter vepres. = Cogitate hoc magnum myſterium. *Vadam*, inquit Moyſes *Exod.* 3. 3. *& videbo viſionem hanc magnam*, (& ut alibi) *in igne, inter vepres*. = Sic producitur à Pilato videndus, ut ſedet populum concitatum. *Ecce homo*. Ac ſi dicat: Animadverte; homo eſt, etiamſi vobis fortaſſe videbitur eſſe maſſa ſanguinis horrenda, &c. Sed Chriſtiano dicitur *Ecce homo*, qui eſt pro Adam homine primo, & hominum capite. *Ecce homo*; verè homo ſingularis, non ſicut cæteri, quia eſt Virginis filius, expers patris in terra *Ecce homo*, qui eſt Dominus Angelorum, qui eſt æternus, infinitus, omnipotens. *Ecce homo*, qui eſt Deus. = Amplifica. = An Pater cognoſcis hunc hominem? An Virgo cognoſceres? Angeli, an cognoſcitis? = Populus ſpectaculo irritatus ad rabiem: *Tolle, tolle, crucifige eum*. = *Facta eſt*, inquit *Ierem.* 12. 8. *hæreditas mea, quaſi leo in ſylva, dedit contra me vocem ſuam*. = Hortatio. Si Chriſtiano videtur immaniſſimum crudelitatis genus petere, ut crucifigatur, quare peccat ipſe, & crucifigit? *Job.* 19. 21. *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare perſequimini me, ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* Nam ex modo, quo eum perſequebantur, videtur, eos fuiſſe Deum, non Chriſtum; cum eſſet contrarium. = Amplifica ex accuſationibus illatis: *Commovit populum: Se regem fecit: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*. = Pilatus ſuccubuit, & *Tradidit illum voluntati eorum*. Pondera, quomodo pro tribunali protulit ſententiam ſine limitatione. Quando Deus permiſit Iobum Diabolo, dixit ei: *Iob.* 1. 12. *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt; tantùm in eum ne extendas manum tuam*. Et iterum: *ib.* 2. *Ecce in manu tua eſt; veruntamen animam illius ſerva*. At Chriſto non ſic; ſed abſolutè *traditur voluntati eorum*. Pondera illud *Voluntati eorum*. Sed cur non appellat Cæſarem, ſicut ejus Diſcipulus Paulus: *Act.* 25. 11. *Cæſarem appello*, quum tot pro ſe habeat rationes? = Amplifica. = Certè etiam homines Chriſtiani quando vexantur etiam juſtè, quodammodo à Deo ad aliud tribunal appellant, impatientes laboris. = Delata eſt illi Crux, quam ipſe amantiſſimè aſpexit; nec ſic amanter inſpexerunt primi parentes lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave. O quot in illam Chriſti blanditiæ! Meliùs quàm Andreas: *Veni amica mea, diu deſiderata* Veni clavis David, qua Cœlum aperiam. Veni cathedra ſapientiæ, è qua mundum docebo. Veni virga huc uſque in terram projecta, quia videbaris ſerpens, à qua homines fugiebant, ſed nunc virga eris, qua mira multa fient. Baculus Iacob, in quo Iordanem pertranſibo, &c. = Amplifica. = Et nota, ut Chriſtianus indignè retrahatur, & fugiat a cruce, quæ illi defertur. = Subiit animosè crucem, pondusque peccatoris, imbecilli corpori amore hominum vires ſuggerente. = Pondera trementia genua, corpus exhauſtum, & manſuetum Iſaac ad victimæ locum tendentem. = Chriſtianus monetur, ut tollat crucem, quaſi jugum, ſub quo jungatur Chriſto; & velut duo animalia ſacra tollantur ad victimam, &c = Ut minimum aliquid hujus itineris perpendamus, comitemur Chriſtum cum mulieribus, quæ flebant poſt eum. Nemo erit, cui non videantur hæ mulieres jure Chriſtum flere; primò quia ſcientes ipſum innocentem eſſe non poſſumus non conqueri gravem illi irrogatam injuriam; ſecundò quia terra maximum auxilium amittit, & inſignem benefactorem, in quo omnes afflicti reperiebant ſolatium; quod ſane publice notum erat, ut ipſe olim oſtendit: *Mortui reſurgunt, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, cæci vident, &c.* Quin & Principes ipſi Sacerdotum in pleno concilio aiunt: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit!* Tertiò, quia etiamſi nihil boni aliis præſtitiſſet, nec tamen quidquam mali ulli attulit; quin & mitiſſimus erat, &c. = Amplifica. = Sed Chriſtus altiora cogitans, vertit ſe ad mulieres, dicens: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete: quia in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* *Luc.* 25. 28. 31. Ac ſi dicat: ſi ſpectaculum iſtud corporale vobis lugendum videtur; quanto magis, &c.

Cætera deſiderantur.

FRAGMENTUM APPARATUS

Pro concione de contemtu rerum mundanarum, & amore æternæ beatitudinis.

Ecce nos reliquimus omnia, &c. Matth. 29.

SAncta Eccleſia proponere videtur in Evangelio præmium Petri: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Dialogus Chriſti, & A Petri. Hinc pondera verba S. Bernardi ſuper illud Evangelium: *Libet*, inquit, *ſacratiſſimo huic intereſſe colloquio, & intima cordis aure percipere quæ dicuntur: arbitror enim verba lectionis hujus ea eſſe, de quibus ad immortalem ſponſum à finibus terræ clamat Eccleſia: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* = Erat in calore zeli, & audito Ieſu; *Reliquimus omnia*, inquit: Quod igitur dabis nobis præmium? Reſpondet Chriſtus: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, centuplum accipietis, &c.* = Diſceſſerat adoleſcens ille, quia a Chriſto audierat: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & veni, ſequere me.* Nam ipſe Chriſtus ait: *Dives difficile intrabit in regnum cælorum.* Quis poterit ſalvus eſſe? = Tunc Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia.* Reſpondet Chriſtus: *Quum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos.* Quid B erit, videre in nubibus ſedentes? Ioannes in Apocalypſi 14. 14. narrat: *Vidi, & ecce nubes candida, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* = *Et omnis, qui reliquerit, &c* Chryſoſtomus, Auctor Operis imperfecti, & Theophylactus putant, hanc eſſe ſententiam, ut omnes, quidem fecerunt, eumdem honorem recipiant. Pondera, virtutis præmium quò uſque protendatur. At magna in contrarium hominum præſumtio. De Heli, & domo ejus loquutus eſt olim Deus: 1. *Reg.* 2. 30 *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* = Sed quale centuplum recipiet in hoc ſæculo? S. Hieronymus de ſpiritualibus bonis intelligit. Sed centuplum eſt ipſe Chriſtus. Helcana dixit Annæ: 1. *Reg.* 1. 8. *Nonne melior tibi ſum, quam decem filii?* Quando Chriſtus familiaritet utitur anima, ipſa hanc veritatem perſpicuè dignoſcit. Divitiæ hujus mundi circumſtant hominem; ſed ipſe homo non recipit eas in ſe, ac proinde non fit major; non enim ideo fit quis ſapientior, animoſior, C fortior, &c. Maximum, quod efficiunt, eſt ſerico, diviteque panno ſterquilinium operire. Hinc Chriſtus vocat *Matth.* 23 27. *Sepulchra dealbata* Scribas, & Phariſæos; & Paulus Ananiæ Principi Sacerdotum: *Act.* 23. 3. *Percutiet te Deus, paries dealbata.* Contra juſtus pauper, & lacer operit grandia vili tegumento. Sic David opponit unum contra mille: *Pſal.* 83. 11. *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* = *Et vitam æternam poſſidebit.* Gloriæ pondus. *Euge ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.* = Vita, primum amabile, eamque amittere ſummus dolorum; quare quum æterna eſt, expletur deſiderium. = S. Auguſtinus *Epiſt.* 55. *de laud. Hieron.* narrat viſum quoddam; quo ſibi de cœleſti beatitudine librum ſcribere paranti, atque propterea ſuam a S. Hieronymo cupienti per epiſtolam poſtulare ſententiam, ipſe Hieronymus eodem die D defunctus apparuit, eumque vocans dixit: *Auguſtine, Auguſtine, quid quæris? Putaſne brevi immittere vaſculo mare totum?* = Deſcribe ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum, ſapientiæ, divitiarum, voluptatis, &c. & ſuſpenſione Reginæ Sabæorum in Aula Salomonis. Paulus Apoſtolus quum dixiſſet, quod multi propter hanc gloriam (*Hebr.* 11. 37.) *lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti;* ſtatim ſubdit: *Ib. c.* 12. *Ideo & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, &c.* = Explica. = S. Auguſtinus *Lib* 1. *de Civ. Dei c.* 22. narrat ex aliorum relatione, *Cleombrotum, lecto* E *Platonis libro, ubi de immortalitate animæ diſputavit, ſe præcipitem dediſſe de muro, atque ita ex hac vita migraſſe ad eam, quam credidit eſſe meliorem.* Deſcribe, quomodo ſervi Chriſti conſumuntur propter bonum illud æternum. Sanctus Thomas (*Opuſc.* 63. *c.* 4.) explicans illa verba Pſalmi: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*; ait: *Sic animare vos debetis, & genua debilia roborare*, &c. = Conclude cum energia.

EXPOSITIO VERSICULI TERTII PS. LXII.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

